Digitized by Google

LVI
G
7

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
G
7
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS V. CL.

SAXONIÆ ILLVSTRATÆ.

Libri Novem.

QVIBVS ANTIQVISSIMÆ BELLICOSISSIMÆQVE GERMANORVM NATIONIS, SAXONICÆ Origines & incrementa, ciuſque potentiſsimorum, invictiſsimorumque IMPP. REGVM, ELECTORUM, DVCVM, cæterorumque PRINCIPVM, ſtemmata, & res pace bellóve præclarè geſtæ ex omni ætatum memoriâ, accuratè ac quantâ cum cura fieri potuit exquiſitè eruuntur atque explicantur.

Inſerta quoq; eſt præcipuarum aliquot Italiæ, Galliæ, Sabaudiæ, Angliæ, Sueuiæ, Bauariæ, Carinthiæ, &c. familiarum, quæ ex hâc tanquam ex equo Troiano, ſuperioribus ſeculis, plurimæ prodierunt copioſa enarratio.


Opus jam olim ab Auctore Incredibili labore & diligentiâ exquiſitâ, non tàm ex ſelectiſſimis quibusque fideque digniſsimis Hiſtoricis, Genealogis & Chronographis, quàm ipſis etiam Principum Archivis & diplomatis, collectum atque concinnatum.

ET NVNC DEMVM, ADIECTIS DVOBVS POSTERIORIBVS LIBRIS, ingratiam ſtudioſi Lectoris, à nato CHRISTO, ad huncvſq; Annum CIↃ. IↃ CVI. perpetuâ ſerie continuatum.

À

M. IACOBO FABRICIO, C. P. AVCTORIS FILIO.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE III. NAPOLI



M. D. CVI.

Cum Gratiâ & Privilegio.

Impenſis HENNINGI GROSII *Bibliopolæ Lipſenſis.*

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC D. AVGVSTO, IMPERII ROM. ELECTORI ENSIFERO, DVCI Saxoniæ, Landgrauio Turingiæ, Marchioni Miſniæ, Terrarum Pleiſſenſis & Oſterlandiæ Domino, Burggrauio Magdeburgi, &c.

Georgius Fabricius Chemnicenſis.

QVi rectè agit & ſecundum officium, reprehenſione caret: & quid agit imperio eius, cui repugnare eſt impium, etiam dignus laude habetur, ſi agat pro viribus. In hoc igitur ſcribendi genere, Dux Elector Illuſtriſs. quod mandato tuo ſuſcepi, ne tuæ contrarius voluntati viderer, reprehenſionem, vt puto, non mereor: ſed videant illi, quorum hoc iudicio feciſti. Nam ad munus tam arduum atque difficile, accõmodatus minimè ſum, qui iam deindè ab adoleſcentiâ in eo verſor, in quo minus eſt alacritatis, multum moleſtiarum, & labor laborem ita excipit, velut vnda ſupervenit vndam, vt poëta canit. Feci tamen, quod iuſtum fuit: & ad huc fero, quod eſt mihi impoſitum: nec me vinci patior vllâ re vt ſtudium meum, & voluntatem debitam humili ſummiſsione oſtendam. Quamvis autem in his terris viri clariſsimi multi ſunt, qui ſapientiâ, eruditione, vſu excellunt, qui potuiſſent negotium hoc meliùs & ſplendidius exequi: tamen neſcio, quò fato ad me delatum eſt, ſemper intra parietes, in vmbrâ, in rebus minimis verſatum; & ijs, qui detulerunt, ingenio, auctoritate, experientiâ longe imparem. Cùm autem nulla exceptio, neque excuſatio ſatis eſſet: non tantum reſpexi ad me, atque ad facultatem meam, quàm ad eorum virorum voluntatem, quibus recuſare aliquid difficile fuit: & inprimis ad noſtrorum maiorum virtutum, amplitudinem, merita, quæ ab omnibus, maximis minimiſque, perpetuâ cum laude ac memoriâ ſunt celebranda: præſertim cum illi fuerint non ſolùm patriæ noſtræ patres ac fortunarum domini: verum etiam totius Germaniæ, multarumque nationum duces atque defenſores. In qua meditatione viſum eſt, non vnicam tantum familiam aut gentem, quod

erat argumenti, iſtius proprium, ac ſcriptionis meæ veluti terminus poſitus: ſed totam Saxoniam, cum ſuis provincijs complecti, quantum eruere ex antiquis monumentis poſſem: vt quod in noſtrâ hac gente Miſnenſi perſequi conarer, id in alijs deinceps alij facerent, qui patriæ communis Germaniæ, & ſuorum principum amore vero tenerentur. Saxones Cimbrorum progenies, populus fortiſsimus, Gothorum Regibus per orbem terrarum militauit, propter virtutem ſemper notiſsimus, ſed in rerum Romanarum ſcriptorib s hoc nomine ſerò admodum cognitus: armis deinde Henetorum ſeu Vandalorum diu agitati Saxones, donec omnem hoſtilem terram ſibi vendicarunt. In Britannia poſt lapſum imperium Romanum, ſex provincias, & totidem regna conſtituerunt: eaque vſque ad Carolum Magnum non ſine grauibus inter ſe bellis adminiſtrarunt: huius primùm tempore in monarchiam eſt redacta omnis illa inſula fortitudine & induſtriâ Ecberti Magni, Regis Saxonum occidentalium, qui etiam Angliæ nomen indidit. Ante tempora Caroli, Saxonia domi gubernata eſt à Duodecemviris: quorum ſenatum Carolus ſuſtulit, & virum Principem VVITICHINDVM, erepto illi nomine regio, quod bello præfectus obtinebat, Ducem Saxoniæ conſtituit: eumque de Deo & animorum ſalute erudiuit fuerant enim idolorum cultores Saxones.

Reliqua deſiderantur.

IMAGO

IMAGO V. CL. GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS, POETAE CAESAREI.



SEu Lyricus, ſeu vis Epicus magis eſſe Poëta:
 Flaccus es,aut genio maior,& arte Maro.
Seu molles cantas Elegos : potes eſſe Tibullus,
 Aut Naſo, FABRICI, Callimachuſue novus.
Sive facis potiùs felix Epigrammata docta:
 Bibilico vati par ſimul eſſe potes.
Quid? quòd eo melior cenſendus es hiſce Poetis:
 Quò, quæ ſcripſiſti, ſunt meliora tua.
Namque tuo regnat virtus in carmine tantùm:
 Et morum probitas, relligioque DEI.
Salve grate Deo, Muſis & grate Poeta:
 Semper honos, vivax laus tua ſemper erit.

N. R. D.

TVMVLVS

TVMVLVS
GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS
IN TEMPLO AFRANO MISNAE.
CHRISTO SACRVM.

D. GEORGIVS FABRICIVS CHEMNICENSIS, pietate, eruditione, ingenij monumentis, nominiſque celebritate apud exteros quoque clariſsimus Euangelij luceſcentis tempore, Poëta Chriſtianus excellens, Grammaticus acutus, Hiſtoricus Saxoniæ Electorum elegans, ſcholæ illuſtriſs. Miſnæ annos XXVI. fideli & felici inſtitutione Rector induſtrius, laborum ſanctorum patiens, doctiſs. omnibus charus, ſuis deſideratus. AEtatis annos LVI. Menſe II. D. XIX. complens, Anno Chriſti Seruatoris M. D. LXXI. M. Iulio, D. XIII. in functione pia piè defunctus eſt. Quicquid mortalitatis habuit, in hoc quietis cubiculum poſteris memor: cauſa venerand. depoſitum eſſe. M.

Magdalena vxor, Georgius, Iacobus, Henricus, Chriſtianus, Magdalena: Margareta, Annaq́, liberi orph. marito & patri deſideratiß. mæſtiß. deſid. Mon. vnan. pon. cur. M. D. LXXI.

Tumulum hunc marito deſideratiſſimo, & parenti optimo, & matre & reliquis liberis poſitum, poſtea MARIA, natu minima filia humatoq́ue parente in has ædita auras vitales renouari curavit hoc addito diſticho:

Poſthuma FABRICII renouans monumenta parentis,
Fratribus hinc digna eſt annumeranda ſuis.

Epitaphium

Quod GEORGIVS FABRICIVS ſibi ipſe adhuc viuus compoſuit.

FABRICIVS STVDVIT BENE DE PIETATE MERERI:
Sed quidquid potuit, Gloria CHRISTE tua eſt.

IDEM de ſe ipſo.

Σοὶ χάριν οἶδα θεῷ εὐσπλάγχνῳ ἔμ' ὅτι δίδαξας
Εν βιότητι, θανεῖν ἐν θανάτῳ τε βιοῦν.

modò primùm noſtra cæperit vita, quibúsve difficultatibus deindé poſt *Adae* protoplaſti lapſum, poſtmodò conſtiterit, & adhuc conſtet, per quem porrò, & quibus rationibus medijsve noſtra tandem propagata ſit ſalus? Id verò omne fieri cognitione patefactionis, doctrinæ perpetuitate, temporum collatione, exemplorum varietate, nemini ex ijſdem ſacris literis obſcurum aut ignotum eſſe debet.

Hiſtoriam, eodem teſte grauiſſimo prudentiſsimoq; *Cicerone*, meritò quoq; magiſtram vitæ appellari, quis eſt, qui inficias id eat, cum ea exemplis ob oculis poſitis plurimis, ijsq; ſcitu digniſſimis rationem monſtret, ſecundum virtutes rectè riteq; vitam inſtituendi?

Quamvis autem ſummo Philoſopho *Aristotele* adſtipulante, vita humana ad culturam omnium virtutum, quæ quaſi indiſſolubili inter ſe vinculo nexuque ligatæ ſunt, ut ſeparari ſeiungiq; difficillimè poſſint, ſit excitanda: tamen inter has quatuor numerantur, quæ Cardinales, & quaſi fulcimentum reliquarum ſint & exiſtant firmiſsimum, & quibus præ reliquis ſummo excelſoque loco nati homines, operam navârint haud vulgarem. Vnde factum, ut ab hiſtoricis maiores veſtrarum celſitudinum laudatiſſimi, Illuſtriſſimi, celſiſſimique, Principes, Domini clementiſſimi, ob ſingularem & prope incredibilem celebrationem & gloriam virtutis, iuſtitiæ, fortitudinis, gravitatis, rerumque maximarum pace bellóve ab ipſis præclarè geſtarum, *Magni: Mirifici: Miraculoſi; Illuſtres: Munifici: Fortes: Graves: Strenui: Bellicoſi: Placidi: Sapientes: Conſtantes: Religioſi: Pij, &c.* ſint dicti & appellati, quarum vitas hâc ſuá in operis huius hiſtorici enarratione luculenter parens quondam meus, p. m. perſtringit, & quorum fortia ac præclara facta in ore hominum ſunt, & ſummâ cum laude apud memorem poſteritatem prædicantur & conſervantur.

Et ſanè, magis illi quidem, præ reliquis prudentiâ indigere videntur, qui publicæ gubernationi præeſſe coguntur. Quibus religio, quibus iuſtitia tuenda, quibus iura quibus leges committuntur adminiſtrandæ & exigendæ, ij non ſon ſolùm id, quod in præſens & ante pedes eſt, videre, verumetiam, quæ futura ſunt, proſpicere debent. Iuſticiâ opus habent ij, qui in magiſtratu conſtituti ſunt, vt contra vim & iniuriam, partim occultam & clandeſtinam, partim manifeſtam & publicam, ſubditos queant defendere. Fortitudine porrò conſpicui & clari eſſe debent, qui ſuorum defenſionem populorum ſuſcipere, & manus cum hoſte conſerere impelluntur, Temperantiæ denique ſtudere neceſſe habent, qui alios à vitijs dehortari, aliorumque cupiditates & effrænatam incontinentiam domare & cohibere volunt & cupiunt.

Certè, ſi præteritis exemplis ſuperiorum temporum ob oculis conſtitutis hiſtorias evoluere ſatagerimus, reperiemus ſanè, non vetuſtatem, non ſplendorem, non decus generis, & familiæ, non opulentiam, non potentiam, non amicitias, non fœdera, non pacta, non cognationes denique aut affinitates, ſed culturam omnis generis virtutum, Regnis, Imperijsque ſalutarem cumprimis extitiſſe, ipſisque gubernatoribus immortalem nominis gloriam peperiſſe.

Quibus quæſo, de cauſis Regi *Salomoni* regnum, potentiâ atq; divitijs, tantoperè creviſſe conſtat, ipſumque tàm incredibilem laudem & gloriam conſecutum eſſe, ut exteræ, longeque diſſitæ gentes, inſatiabili eum videndi & audiendi deſiderio flagrarent? Nonne plurimarum rerum peritia & inaudita, & à Deo optimo maximo precibus impetrata ſapientia?

Quibus rebus Fridericus III. Elector Saxoniæ Abpatrui veſtrarum celſitudinum filius, non niſi multarum rerum cognitione, multiplicique experientia,

ſingu-

ſingulariq́ue mentis ſagacitate obtinuit, ut non ſolùm cognomentum S*APIENTIS* ſortiretur, verùm etiam, teſte ſcriptore Pegavienſi, conſiliorum theſaurus, legum defenſor, morum ſpeculum, decus Principum, & iuxta nomen ſuum, dives amator pacis, Eccleſiarumq́ue denique & Scholarum nutricius optimus appellaretur, Romanorumq́ue deſignaretur? Nónne ſtudio ſapientiæ?

Quânam re apud Athenienſes *ARISTIDES*, apud Spartanos G*LAVCVS*, apud Romanos C*ATO*, inter Imperatores A*VGVSTVS*, T*RAIANVS*, *ALEXANDER* ſeverus, A*NTONIVS* pius, præ reliquis autem omnibus H*ENRICVS*, Saxoniæ Dux cognomento pius, veſtrarum itidem celſitudinum proauus laudatiſsimus, claruêre? Nónne Iuſtitia?

Quid apud Iudæos I*OSVAE*, *GIDEONI*, *IEPHTAE*, *SAMVELI: apud Perſas*, C*YRO: apud Macedones* P*HILIPPO*, eiuſque filio A*LEXANDRO*, & nomine & re Magno, apud Athenienſes C*IMONI*, *MILTIADI*, *THEMISTOCLI*; apud Romanos, *SCIPIONIBVS*, *FABIIS*: *IVLIO CAESARI*, apud Germanos noſtros tribus illis O*THONIBVS* quatuor H*ENRICIS*, *FRIDERICIS*, & omnibus Imperetoribus invictiſsimis F*RIDERICIS* itidem Electoribus Saxoniæ, veſtrarum identidem celſitudinum maioribus illuſtriſsimis, celſiſſimisq́ue, tàm celebre & immortale nomen peperit? Nónne fortitudo, reiq́ue militaris peritia?

Quid *EPAMINVNDAE*, *AGESILAO*, *M. CVRIONI*, *FABRICIO*, *PAVLO ÆMYLIO*, *CATONIBVS*, & reliquis plurimis ſummam auctoritatem, & gratiam conciliavit? Temperantia: Quid verò hoc loco de Temperantia, continentieq́ue H*ENRICI* II. Imperatoris cognomento Sancti, dicam? cui cum C*VNEGVNDE*, uxore, *SIFRIDI* Palatini Rheni filia convenerat,

 ſe æta-

ſe ætatem inter ſe, violatâ virginitate peracturos, quâ in ſententiâ ſtabiles ambo, uſque ad extremum vitæ halitum permanſiſſe, CVNEGVNDIMque defuncto marito, parentibus integram domum redijſſe ex hiſtoricis parens ſuo in opere hoc allegat?

Vt autem quælibet enumeratarum virtutum, principem inter alias locum obtinentium, illuſtri & excelſo loco ortis cumprimis conveniat: Ita omnes & ſingulæ omnibus probantur ut eæ coniunctæ, indiſſolubiliq́ue inter ſe vinculo copulatæ, in quolibet ſubiecto requirantur, & totâ mente in eam incumbendum curam cogitationemq́ue ſtatuamus, quo acquiri illæ comparariq́ue modo queant. Neque ſanè contrarias diſcrepantesque Philoſophorum, hac de re eſſe opiniones, & ſententias, neminem præterit, quas ſtudio brevitatis latere iam patiar, & lubens prætermittor.

Exiſtimo autem, magnam quidem naturæ vim & potentiam eſſe, vt non minus rectè, quam verè dixiſſe eum arbitrer, qui homines à DEO ita creatos & conditos eſſe aſſeuerarit, ut iſte, qui aliquando ſit gubernacula tractaturus, recturusq́ue alios; auro abundet, opem & auxilium laturus alijs, argento affluat, opifex & agricola, ferro æreq́ue inſtructus ſit. Neque hic inficias eo, quod hoc loco generis non planè contemnendus ſplendor ſit & ortus poſt habendus, cum ſæpenumerò videamus, liberos non tantum facie, corporumq́ue conſtitutione, verumetiam animi dotibus parentibus reſpondere & conuenire. Nec malè Tullius latinæ linguæ Coriphæus, dicat, in illuſtribus & heroicis familiis generoſiores ſemper naturas, quàm in humili & ignobili ortis loco hominibus eſſe & exiſtere. Ac fortes creari fortibus & bonis ac eſſe in iuuencis, eſſe in equis patrum virtutem, nec imbecillem feroces progene-

rentes, attentè cupideque audierint. Alter verò *FRIDERICVS* III. Elector, ſibi quoque Hiſtoriarum & Monarchiarum ſeriem conſcribi curârit, vnde Exempla in decidendis grauiſsimis cauſis depromeret.

Etenim, quemadmodum ſemina ac plantæ, ratione ſoli, aëris & cœli, non rarò mutantur, inq; Sole ambulantes colorantur, ita qui probitate, eruditione, ſapientiaque, excellentium virorum conſuetudine vtuntur, probiores, plerumque doctiores, prudentioresque euadunt, verum depræhendentes id, quod vulgo dici ſolet: *Seniorum converſationem perfectam iuventutis educationem eſſe.* Cum ij ècontrà, qui cum improbis & malis conuerſantur, eorum è conſuetudine deteriores, corruptiores, & depravatiores reddantur, iuxta illud: Cum claudo claudicare & tu quoque incipies.

Atque hinc *PHILIPPVS*, Macedonum rex rectè feciſſe videtur, quod *ALEXANDRVM* filium adhortatus ſit, ut *ARISTOTELI* & *LYSIMACHO*, præceptoribus, ſedulas præberet aures, operamque etiam Philoſophiæ daret, hâc ſubiectâ ratione pulcherrimá, ne ſcilicet multa perpetraret, quæ feciſſe eum poſt pæniteret.

At verò, quid ad dehortationem ab omni genere flagitiorum ac excitationem ad omnis generis virtutes magis facere arbitramur, quàm cum legibus in hiſtorijs, quantum ex illis dedecoris, calamitatis ignominiæ, ex his contrà gloriæ, vtilitatis laudis atque exiſtimationis dimanârit & profluxerit?

Ex hiſtoriarum & ſacrarum literarum lectione conſtare quis neſcit (quàm miſerè *REHABEAMVS*, filius *SALOMONIS*, indignus quidem patris ſucceſſor, regnum illud florentiſsimum concuſſerit pueriliq; animo ac fatuitate nimiâ, dum de eius conſtitutione, parente defuncto,

functo, cum ſtultis Adoleſcentibus conſultat, populum à ſe abalienaverit? Et quàm in extremum exitium XERXES, rex Perſarum potentiſsimus, inſipientia ſuâ, ſe, numeroſiſsimumque exercitum ſuum præcipitaverit? Quàm grauiſsimè porrò DEVM, & homines, iniuſtitiâ ſuâ CAMBYSES, itidem rex Perſarum: ALEXANDER, Phæreorum tyrannus: CALIGVLA, multique alij offenderint, quamq; tragicos & miſerabiles exitus habuerint, beneficio hiſtoriarum cognoſcimus. Quantò prętereà ludibrio & deſpicatui, ASDRVBALI Carthaginenſi, timor, quantò PERSEO Regi Macedonum, exitio idem extiterit? è diligenti hiſtoriarum lectione novimus, Quàm miſerè denique interierint, NABAL, Carmelita, ABIGAELIS, fœminæ prudentiſsimæ, maritus, tres illi HERODES, *ASCALONITA: ANTIPAS: AGRIPPA:* item, *SARDANAPALVS* Aſsyriorum rex ultimus, *NERO*: HELIOGABALVS, alijque ingluuiei, libididini & voluptati planè dediti principes, quantumque auguſto nomini ſuo ipſi maculam aſperſerint, non minus ex hiſtoriarum, quàm ſacrarum literarum cognitione perſpicimus.

Talibus igitur exemplis in mediũ allatis, quis eſt, qui ſapientiæ, fortitudini, temperantiæ, iuſticiæ, alijsve virtutibus, non ſummoperè ſtudendum eſſe cenſeat, idq; maiores veſtrarum celſitudinum laudatiſsimos, ſummo cum ſtudio, ſummaque cum nominis ſui nunquam intermorituri celebratione, ſemper feciſſe, ut parens meus hac in ſua hiſtorica enucleatione, cum alijs plurimis teſtatur, niſi planè ſtupidus, & rerum ignarus, inficias eat?

Nihil autem alacrius eos ad id incitare potuit, quàm quod firmiſsimum præſidium, & munimentum validiſsimum regis ac principis, eſſe ſuam ipſius ſapientiam *ISOCRATES* contendit. Alius verò potentiam Sapientia carentem & non inſtructam, tanquam gladium in manu hominis furioſi eſſe dicit. Quàm elegans pulcrumq; eſt

eſt illud, quod *PLATO* Iuſtitiam, fulcrum eſſe vrbium & Regionum apellat. Et veterum Eccleſiæ ſcriptorum haud ignobilis *CYPRIANVS* aſſerit, eandem eſſe pacem populorum, tutamen patriæ, immunitatem plebis, munimentum gentis, curam languorum, gaudium hominum, temperiem aëris, ſerenitatem maris, fœcunditatem terræ, ſolatium pauperum, hæreditatem filiorum, ſpem denique futuræ beatitudinis: De Fortitudine *CICERO*, quam ſummis ornat laudibus, pronunciat acriter pro æquitate libertateque pugnare? Et de eâ poëta quidam talem in modum canit:

Audendo bella expedias, pigra extulit aſtris
Haud vnquam ſeſe virtus, &c.

De Temperantia denique atque Modeſtia *PLVTARCHVS* teſtatur, eaſdem firmas quaſi procreatrices exiſtimationis, conſtantes gloriæ cuſtodes, & alacres honoris indefeſſasque propugnatrices omninò eſſe & exiſtere.

Verum, quemadmodum fontes dulciores ſunt atq; amœniores, quàm ex iis ſcaturientes ac promanantes riuuli: Ita ſacris è literis multò illuſtriora, firmioraque dicta, itidem veſtri maiores celeberrimi, Illuſtriſsimi, celſiſsimiq; Principes, domini clementiſsimi, deſumſerunt, Quid enim magis ad Sapientiam, eiuſdemque inflammare eos amorem potuit, quàm quod ipſa de ſeſe ſapientia prædicans aſſeuerat? *Per me reges imperant, & potentes decernunt iuſtitiam: metum ſunt Diuitiæ, Gloria, Opes ſupernæ*, &c. Quid ad Iuſticiam alacrius eos commouere valuit, quàm id, quod in ſacris literis extat? *DEV M odiſſe iniuſtitiam*, hancque ipſam in cauſa eſſe, cur regnum de gente in gentem transferatur? Quid eoſdem, ut ſeſe fortes & magnanimos præſtiterint, potiſſimum allicere quiuit, quàm quod in Regio Propheta *DAVIDE* legimus: *DEVM eſſe, qui doceat manus ad prælium, & ad bellum bracchia armet?* Quid eosipſos ad Temperantiam tandem amplectendam impulit, quàm in ſacra

)S S(ſcriptura

ſcriptura præcipitur, *Vitandum eſſe aſtutiam, ne iuris & iniuſticiæ obliuione, cauſæ pauperum & miſerorum peruertantur.*

Primas autem partes omninò eos detuliſse *PIETATI* conſtat, vt qui promiſſionem huius & futuræ vitæ habeat, & ad omnia perneceſſaria utilisque ſit, quoniam precationibus & votis ad *DEVM* ter maximum faciendis antiquiores incitati ſtudio eiuſdem, non ſolùm certas & diſtinctas deſtinari horas curàrint, verũ etiam templa magnifico ſumptu extruxerint, & *DEI* cultui dedicauerint, poſteriores verò Academias inſuper, & Scholas ſuis in ditionibus fundârint & aperuerint, ut iuuentus in ijſdem rectè in literis honeſtis & moribus elegantioribus, inque pietate erga D*EVM* verâ erudiri & informari poſſet.

Quapropter, cum & veſtras Celſitudines, Sereniſsime, Celſiſſimeque Elector, vosque itidem Illuſtriſsimi Generoſiſſimique Principes, Domini clementiſsimi, ſtrenuas præclariſsimarum virtutum, maiorum veſtrorum celebratiſsimorum imitatrices & æmulatrices eſſe, cumprimis verò ex lege Domini ac meditatione verbi eius per *CHRISTVM* revelati, more itidem maiorum ſempiternâ memoriâ digniſſimorum, voluptatem haurire percipereque vnicam, eamque ſummam, luce meridianâ clarius ſit, hanc eandem veſtris Celſitudinibus copioſam enumerationem Saxoniæ Illuſtratæ, ſiue Originum, parentis p. m. mei, perpetuâ ſerie uſque ad hunc præſentem annum continuatam, humilima, quantum poſſum, & debeo, ſubiectione, ſubiectiſsimique animi devotione, viciſsim dedicare, devovereque, earundem auctoritatem in hac defendenda implorando, ſatago, iis potiſsimum adductus tribus de cauſis. Vt primò non tam parentis p. m. mei ſubiectiſsimam in demandato officio alacritatem & ſtudioſiſſimum obſequium, quàm promptiſsimam ſummamque in rebus maiorum ſuorum celebratiſſimorum præclarè geſtis vniuerſo terrarum

rarum orbi notis faciendis, ſacratiſsimi Electoris *AVGVSTI*, re ac nomine verè auguſti, aui veſtrarum celſitudinum præclariſsimi, cupiditatem, pietatemq́;, cuius memoria iam eſt in benedictione piorum, ac cuius impulſu & auctoritate opus hoc in ſe conſcribendum, ut dixi, parens meus ſuſcepit, ſartam tectamque apud memorem gratamque poſteritatem conſeruem, ac ab interitu tali ratione modoque vindicem, nec non ſubinde veſtris celſitudinibus vehementer commendem. *Po*ſtea ut nimiam prolixitatem voluminis huius additione heterogeniorum, non tàm quoad materiam, quàm auctores diuerſos, de quibus plurimi viri clari, & grati quondam parentis mei diſcipuli, conqueſti hactenus ſint, horum ſeparatione contraham. Denique, vt adiectione duorum poſteriorum librorum, quorum mẽtionem idem parens meus pag 687. & 798. facit, in quibus evoluendis tandem morte prævẽtus præmatura ſubſtitit, narrationem de Electoribus, totamque adeò veſtrarum Celſitudinum vetuſtiſſimam præſtantiſsimamq́; progeniem, partim è reliquis chartis parentis mei, partim ex aliis ſumma cum diligentia deſumpta depromptaque fide dignis hiſtoricis, continuem, evolvamque, quò opus hoc totum ſua tandem integritate penitus conſtaret.

DEVM autem, ſalvantem nomine CHRISTI, precibus oro devotis, ut, cum iuxta Regii vatis *DAVIDIS* verba, in lege *DOMINI*, uti dixi, vnica veſtrarum omnium celſitudinum voluptas ac meditatio ſit, verbumq́; eius unicè in delitijs, ſummiq́; theſauri loco, more maiorũ veſtrorum perpetua laude digniſsimorum, veſtræ celſitudines habeant, ſua eas benigna miſericordique manu protegat, ac ab omnibus, tàm corporis, quàm animæ, malis ac periculis, tutas præſtet, eaſdemq́; unà cum earum ſereniſsimis celſiſſimiſque coniugibus, ac matribus illuſtriſsimis, matronis pientiſsimis, nec non

ſorori;

ſororibus inclytis ſpectatiſsimisq́ue, totaq́ue adeò Domo Saxonica, quàm diutiſsimè ſalvas incolumesq́ue conſervet, faciatq́ue, ut, iuxta eiuſdem Regis & Prophetæ votum, veſtræ Celſitudines ſint tanquam arbores ad aquarum fluenta ſatæ, quarum fructus non deſiderentur, folia non marceſcant, rami non decidant, ſed ſub his longè lateq́ in ditione Saxonica, totaq́ adeò Germania, ſeſe diffundentibus, contra imbres, contra procellas, contra turbines, omnes ſint ſubditi tuti ac protecti, gaudeat Saxonia, lætetur Germania, floreat S. Romanum Imperium, exultet Religio, Resq́ue publica denique Chriſtiana tota ſibi gratuletur, A*MEN*. Pegauiæ, Cal. Septembris anno NatI ChrIſtI DoMInI noſtrI.

Illuſtriſs. Veſtr. Celſitudinum
ſubiectiſs. & obſequentiſs.

M. Iacobus Fabricius
auctoris filius.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS

DE ILLVSTRISS. STIRPE SAXONICA ORIGINVM LIB. I.

DE SAXONVM REGIBVS EXTERNIS ET DOMESTICIS.

DE ORIGINE ILLVSTRISSIMÆ ſtirpis Saxonicæ dicturo, commodum initiò viſum eſt, breuibus referre, quicquid de gente Saxonum antiquâ, deq; rebus earum bellicis atque regnis, certis literarum monumentis, vſq; ad Caroli Magni tempora atq; ætatem, traditum inueni, tum quo modo armis ipſius deuicti & compulſi, religionem barbaram abiecerint, Chriſtianam ſint venerati. Ordiri autem nullâ ratione firmâ aut veriſimili poſſum, à repetitis tàm longè principijs; à quibus Hunibaldus ſcriptor Francicus, aut Saxo Sialandicus, Danorum Hiſtoricus, orſi ſunt.

Hunibaldus aſſerit, annos ante Chriſtum natum octoginta Artharium regem Saxonum, Hamerum Turingorum, Caſſandrum Sicambrorum (per Sicambros autem vbique Francos intelligit) ſocia arma coniunxiſſe, contra Borbiſdam Gothorum regem; & hunc ab illis eſſe viribus communibus ſuperatum. Sed id difficile eſt ad fidem commemorare. Idem auctor refert, anno à nato Chriſto ſupra centeſimum ſecundo, VVitichindum regem Saxonum, Erenfridum Turingorum, Richimarum Francorum, adiunctis Germanorum, quos fratres ſuos appellârint, copijs, congreſ-

Anno ante Chriſtum natum 80.

Sicambri, Franci.

Poſt natum Chriſtum 102.

congreſſos cum Gothis ad Viſtulam; ſupra viginti eorum millia deleuiſſe: quod ſimiliter falſum eſſe, ſi quis contenderit, argumentis planè nullis poterit conuinci; Illis enim temporibus tam antiquis, neque Turingorum nomina, neque Francorum, nota in his terris fuêre; cùm ſolum, dictum Saxonicum, tenerent Cauci minores, Buſacteri, Longobardi (qui modò Vueſtuali, quod ad occaſum habitarent) Cauci maiores, Angriuarij, Angili, & Cheruſci, qui nunc Oſtuali, quaſi Orientales appellantur. Nordualos tamen ſeu Aquilonares, à quibus Saxones tàm Occidentales, quàm Orientales, originem ducunt, tunc in his locis ſedem habuiſſe ſuam, veriſimile eſt: non multò autem pòſt in eam migraſſe prouinciam, planè certum.

Saxones à Norduali s orti.

Nec ad fidem pronius eſt, quod Saxo ſcribit Sialandicus, victos ante natum Chriſtum à Danis eſſe Henricum, Siffridum, Hundingum, Gelderum, principes ac reges Saxonicos: cùm eo tempore populus appellatus Danicus in viciniâ Cherſoneſi Cimbricæ, aut Saxoniæ nondum habitarit: aut ſi quo in angulo fuit, nomen Danicum ſcriptoribus omninò ignotum extitit. Imperante M. Antonino, circa Cherſoneſum illam, quæ nunc Danicæ nomen habet, Cl. Ptolomæo teſtante, in finibus Saxoniæ Sigulones, Sabalingij, Cobandi, Chali, Phunduſij, Charudes, Cimbri tenuerunt domicilia. Etenim Cimbri neq; vniuerſi patriam deſeruerunt; neq; omnes à Mario ſunt in Italiâ deleti. Danorum ſedem illis in locis fuiſſe, imperante demum Anaſtaſio, liquet ex Adone, Præſule Viennenſe: qui Danos, duce Childarico in Gallias irrupiſſe, & à Deutberto, Diterici filio, unà cum rege interfectos
517. ſcribit, circa annum Chriſti, ſupra quingenteſimum decimum ſeptimum.

Eorundem facit mentionem Venantius Fortunatus, Pictauorum
570. præſul ſub Iuſtiniano, circa annum Chriſti ſupra quingenteſimum ſeptuageſimum. E noſtris ſcriptoribus ij demum, de Danis aut Saxonibus aliquid prodidêre, qui à Caroli Magni vixerunt temporibus. Illa igitur, quæ de antiquiſsimis Saxonibus tradita ab exteris ſunt, nullo fideli vetuſtatis monumento, aut aperto veritatis teſtimonio, fulciuntur: noſtratia etiam corrupta atq; varia ſunt. Nam qui annales Saxonicos collegerunt, & qui librum ſtemmatis Ducum noſtrorum compoſuit, Saxones Alexandro Macedoni ſcribunt militaſſe; & ipſorum ducem Petraculum aiunt fuiſſe Cilicem: commento admodum ridiculo; quaſi Saxones, aut eorum duces à petris & ſilicibus nomen acceperint. Alios quoq; narrant, cum diuiſis exercitibus irent, conſediſſe in Sueuiâ; quæ tunc Alemania ſuperior; alios non procul ab Albis

oſtio,

oſtio, in regione poſtea Stadenſe, quæ Alemania inferior dicta fuit.

Legatos à Germanis miſſos ad Alexandrum, gratulatum ei victoriam, conſtat è Græco ſcriptore Arriano: qui etiam regi ſuperbo, quid Germani metuerent, quærenti liberè reſponderunt; Germanos timere ne cœlum ruat. Sed Germanos tum Græcorum fuiſſe ſocios, aut Saxones in exercitu Macedonico ſtipendiarios; probari nullo antiquitatis indice, nullis literis poteſt: coniectare quidem licet omnibus acutis hominibus, affirmare tantùm certi & ſapientes poſſunt: ad quos ego in tantâ obſcuritate judicium & ſententiam reijcio. *Legati Germanorum ad Alexandrum Magnum.*

Omitto alia quædam, quæ ipſis temporibus & locis arguuntur: & è falſis, inanibus, prodigioſis hauſtum nihil velim. Sed è ſententiâ Georgij Agricolæ, viri eruditione & iudicio præſtantis, cuius veſtigijs hoc loco inſiſtimus, Saxones dicimus propriam atque indigenam Germaniæ eſſe gentem; & Saxoniam ex ſe ſuos populos genuiſſe, eandemq; terram ipſorum parentem, altricem, atque patriam: nec eſſe Saxones gentem ex alijs miſtam, aut aduenam: quod de Germanis in vniuerſum affirmat Cornelius Tacitus. Quis enim (inquit) præter periculum horridi & ignoti maris, Aſiâ, aut Africâ, aut Italiâ relictâ, Germaniam peteret; informem terris, cœlo aſperam, triſtem cultu & aſpectu? talis enim Taciti ſeculo, qui in eâ militauit, fuiſſe putanda eſt. *Saxones indigena Germaniæ gens*

Genti Saxonicæ nomen vnde ſit inditum, qui peregrinam eſſe contendunt; à Sacis Scytharum in Aſiâ populo (vt Homerus Sacas deſcribit) profectâ & denominatam autumant: qui patriam tradunt originem; à quodam teli genere, ad latus ritu gladij aut pugionis appenſo, dictam aiunt, vt à Sagittis Scythæ dicti perhibentur: qui à Saxis, quaſi Romanum vocabulum ſit, deriuant, in linguâ externa patrij vocabuli fontes non rectè quærunt; aut ſi qui reprehenſionis gratiâ id faciunt, ſe ipſos reprehenſione dignos oſtendunt. *Saxonibus vnde ſit nomen inditum.*

Nomen Saxonicum, quantum literis traditum memini, primum à Paulo Oroſio ea tempeſtate audiri cœpit, quâ imperauit M. Antoninus cognomento Philoſophus: qui poſt natum Chriſtum anno centeſimo ſexageſimo ſexto ad imperium peruenit: non quòd id nomen anteâ non fuerit; ſed quia Græcis aut latinis ſcriptoribus ignotum fuerit; & fortaſſe appellatione Cimbrorum communi gens Saxonum comprehenſa erat, antequam Cimbri & Saxones inter ſe diſſenſerunt; vt ſolet inter vicinos ſæpenumerò fieri: quæ diſſenſio tanta extitit, vt in odium capitale (non auſim fatale dicere) euaſerit. Germani verò ſuâ linguâ la- *Nomen Saxonum quando innotuit.* 166.

latrones olim Cimbros dixerunt, vt in Mario ait Plutarchus: Et Cimbros ipſos Leſtricos & Planetas, hoc eſt latrones atque errones Strabo libro ſeptimo. Ijdem longo pòſt tempore à Gallis, ſed vocabulo Germanico, VVirgeri ſint appellati, quaſi dicas occiſores: vt ad Lupum Pontificem ſcribit Sidonius præſul Aruernorum: cuius ætate cognomentum illud violentum abolitum nondum fuit. Alij Cimbros Kämpffer quaſi gladiatores aut certatores exponunt.

Sedes & domicilia Saxonum. Sedes & domicilia Saxonum, eiuſdem Antonini temporibus, fuêre trans Albim, ſupra dorſum Cherſoneſi Cimbricæ, quæ modo (vt dixi) Danicæ nomen habet, in ducatu nunc dicto Holſtenio; item in Ditmariâ & Stormariâ, quæ regiones noſtrâ ætate ab ijſdem adhuc incoluntur.
268. Imperante deinceps Diocletiano, qui anno Chriſti ſupra ducenteſimum octauo & ſexageſimo regnare cœpit, Saxones adiuncti Francis, limitem Romanum Galliæ, Belgicæ, & Armoricæ infeſtarunt: hoc eſt, totam oram littoralem, quam Brabanti, Flandri, Normani, Britaniq́ue nunc poſsident. E quorum exercitu Carauſius Dux Romanus multos oppreſsit & cepit, prædamq́; illis ſæpius extorſit: eandem etiam aut prouincialibus reddidit: aut imperatoribus honoris causâ tranſmiſit: donec ipſe, confiſus viribus, Britaniam inuaſit: vt Eutropius hiſtoriæ Romanæ lib. 9. Beda Anglicæ lib. 1. tradidit. De eâdem illatâ Gallis iniuriâ, Sidonius in Panegyrico ad Cæſarem Auitum, ſocerum ſuum, conqueritur:

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat: cui pelle ſalum ſulcare Britanum
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.

Piraticam exercuêre vſque ad Valentiniani dominatum,
368. qui cœpit anno Chriſti ſupra trecenteſimum ſexageſimo octauo: tunc per Francorum Littoralium prouincias, in Gallias irrumpere conati, armis Imperatoris pelluntur: id quod de Pauli Oroſij verbis liquet lib. 7. quæ tranſſcripſit Paulus Diaconus hiſtoriæ ſuæ lib. 1. Valentinianus (inquiunt) Saxonum gentem, in Oceani littoribus & paludibus invijs ſitam, virtute atque agilitate terribilem, periculoſam finibus Romanis, eruptionem mole magnâ meditantem, in ipſis Francorum finibus oppreſsit: id factum eſt anno ſupra trecenteſimum ſeptua-
373. geſimo tertio, vt Vrſpergius; ſeptuageſimo ſeptimo, vt Diuus Hieronymus in ſuis Annalib. teſtatur. Ex hâc diuerſitate annorum colligimus, non vno anno bellum illud confectum; ſed incurrentes Saxones eſſe repulſos ſæpius, aliâs cladibus maiori-

maioribus, aliàs minoribus; donec fracti fortunâ, & viribus exhauſti, à populatione deſiſterent. Idem in vitâ Hilarionis, Francos habitaſſe teſtatur inter Saxones & Alemanos, hi nunc Sueuorum pars ſunt; quamuis plures alij populi fuerint interiecti: progreſsi poſt hæc longiùs ſunt, cupiditate occupandi aliena, ad tempora vſque Theodoſij; qui conſortem Imperij Gratianum elegit anno ſupra trecenteſimum octuageſimo ſecundo. Laudat in ſuo 382.
Panegyrico Theodoſium Latinus Pacatus Orator: quod Saxones, hoſtiliter mare infeſtantes, claſſe ſuperauerit; quamuis tunc pauci è Saxonibus ceciderunt. Francorum mox & Saxonum armis adiutus Theodoſius, Maximum æmulum ſuum, imperium iniuſtè occupantem, vicit in Siciliâ, in Norici, Siciâ & Petauione, vrbibus, in alijs denique terrarum locis: vt ex D. Ambroſij lib. 5. nonâ & vigeſimâ ad ipſum Theodoſium epiſtolâ manifeſtum eſt. Erat hic Maximus natione Rutupinus: propter peritiam rei militaris, contra Gratianum ab exercitu in Britaniâ electus: qui omni flore iuuentutis copijſque militaribus Inſulam priuauit; & collocauit in eâ Galliæ parte, quæ nomen & linguam Britanorum aduenarum adhuc retinet, quali CORNVBIENSES & VVALI vtuntur. Ea enim multitudo hominum, vt Ado ait Viennenſis, domum poſteà nunquam redijt: & ei Britaniæ, quæ in Gallijs eſt, appellationem dedit, & minor dicitur. Cæſus tandem ad Aquileiam Maximus eſt: poſtquam eò inſolentiæ proceſſerat, vt ab immaniſsimis Germanorum gentibus tributa ac ſtipendia nullo iure, ſed ſolo terrore nominis, exigeret: vt prodidit Diaconus libro 2. Militantibus foris nonnullis Saxonibus Theodoſio Imperatori, vt dictum eſt, contra Maximum: non deſtiterant ij, qui domi remanſerant, intereà maria latrocinijs infeſta reddere. Quâ de causâ apud Poetam Claudianum, Roma gratias agere inducitur Honorio:

Maximus tyrannus à Theodoſio victus.

Saxones latrocinia in mari exercent.

domito quod Saxone Tethys
Mitior, & fracto ſecura Britania Picto.

Honorius deinceps, à patre Theodoſio aſcitus ad Imperium eſt, anno Chriſti ſupra trecenteſimum nonageſimo quinto: 395.
quo imperante, Rhadagaſti regis Gothici exercitu Saxones pugnaſſe cum reliquâ barbarorum multitudine, è gentibus crudeliſsimis collecta, certum eſt: Saxonumque mentio à Poetâ Prudentio, illis temporibus æquali, & vrbi præfecto, exprimitur: qui ad Symmachum libro poſteriore ſcribens, gentes Gothorum ſocias plurimas, diuerſaſq; & quàm maximè feras coniungens, canit;

Daca, Sarmata, Vandalus, Hunus.
Getulus, Garamas, Alemanus, Saxo, Galaulas.

Inde virtus Saxonum, arma foris intrepidè circumferentium, indies eſſe cepit maior & vulgatior.

Conſecuti rei maritimæ ſcientiam; piraticamque quam pro quæſtu habebant, exercentes ſub imperio Valentiniani III.
427. qui à nato Chriſto ſupra quadringenteſimum vigeſimo ſeptimo creabatur, in Gallias irruptionem faciunt: *Saxones in Gallias irruptionem faciunt.* inuitante feroces & inquietos animos, loci & ſitus opportunitate, quod ad Oceani litus & in propinquis inſulis habitarent. Interiectis deinde aliquot annis, à nato Chriſto quadringenteſimo quadrageſimo nono,
449. gens Saxonum & Angilorum (ijtum inter Saxones vel inter Danos, vt Chronicum Quedlinburgium, ſedem habuerunt) vocata in Britaniam eſt, *Saxones in Britaniam accerſiti.* anno Theodoſij & Valentiniani quarto & vigeſimo, vt Paulus Diaconus: à quo circiter annos octodecim diſsidet Gemblacenſis, nimirum quòd tot annos prius venerint; circiter annos quatuor, quod acceſſerint ſeriùs, Marianus Scotus. Id accidiſſe, tali de causâ legimus. Inſulam illam milite ac defenſoribus ſpoliatam à Maximo, dictum modò eſt.

Vicinis igitur populis in eam incurſantibus, Scotis à Circio, Pictis ab Aquilone, vt Adonis more loquar, VVortigrinus comes Geuiſſorum, vir excellens & magnanimus, Rex Britanorum conſenſu nobilitatis creatur. Is primum Theodoſij, inde Valentiniani II. & Martiani fidem atque opem implorauit, & ſuam patriam imperio Romano rurſus ſubijcere ſategit. Detinebantur tum Imperatores bellis Hunorum atque Gothorum, qui omnem ferè terrarum orbem victores peragrabant: cumque hunc Imperij limitem quaſi in derelicto illi haberent: regi VVortigrino populoque viſum eſt Saxones, gentem transmarinam, in ſui defenſionem euocare: vt qui & finitimi illis erant, & opinione virtutis facti iam vndique celebres. *Saxonum in Britaniam aduentus.* In Britaniam igitur tribus nauibus longis Saxones adueniunt, duorum iuuenum præſtantiſsimorum fratrum ductu Hengiſti atque Horſti. Externorum virtute cùm feliciter rex pugnaſſet; & muri partem inter Deiram & Albaniam, quà ſe hoſtes tuebantur, eſſet demolitus: motus Saxonum fortitudine & (vt Gemblacenſis ait) probitate, locum in parte Inſulæ Orientem verſus habitandum aſsignauit: eâ conditione, vt pro Britanis contra vicinos, quoties opus eſſet, pugnarent. Rex etiam cum Duce Hengiſto iungit affinitatem, ducens in thalamum filiam eius adoleſcentu-

lam facie eximiâ ; tum ipſum obſeruantiæ causâ præficit Cantijs. Hoc eius facto populus adeò offenſus eſt, quòd peregrinam & paganam duxiſſet Chriſtianus, vt VVortigrino per tumultum fugato, filium eius regem crearet. Is cum expellere Saxones inſulâ niteretur, inſidiis nouercæ perijt ; & VVortigrinus amiſſam dignitatem haud longo pòſt tempore recepit. Saxones irritati iniuriâ, victoriâ vſi iracundè, multos è nobilitate occidunt: & cum rege nouis conditionibus paciſcuntur, ſibi magis, quàm ipſi fructuoſis. Secuta ſunt cum Scotis & Pictis prælia frequentia, in quibus Saxones plerunque reportarunt copioſas victorias : auctique ſunt opibus Inſulanorum. Tandem è ſocijs facti hoſtes, cum ſibi inſtare ab incolis interitum animaduerterent, capitali in eos odio viciſſim flagrarunt. Delatis in Saxoniam crebris nuncijs, de inſulæ fertilitate & copiâ, & de gentis paucitate, & viribus eius fractis, propter ſuorum præclarè facta ; addentes ſibi inuicem animos, fortunam tentare ; & paratâ claſſe in eam plures Saxones ſe conferre, & quaſi colonias deducere, cœperunt : quæ quidem multitudo coniuncta exercitum Saxonicum & viribus & potentiâ fecit inuictum. Diſtributis in eos omnes, qui noui acceſſerant, ſedibus; Britanorum communi ſententiâ eiuſmodi conuentio fit : hoſpites atque aduenæ bella pro defenſione inſulæ gerant : incolæ militantibus procurent commeatum ac numerent ſtipendia. Saxonibus percommodæ conditiones viſæ; nec in inſula defendenda ſuo officio defuerunt. Britanis ſecurè ſpectantibus aliorum pericula, vetus ille ardor ſui defendendi reſtinctus eſt; & mos patrius abolitus : factaque ex ocio & deſidia, gens olim bellicoſa, ſegnior & effœminatior, & iuris planè alieni.

Saxones colonias in Britaniam ducunt.

Miles enim externus aſſuetus bellis, & prædæ cupidus, cum ab hoſtibus parta quies eſſet, arma (vt fit) ad ſocios conuertit: Inſulamque à plaga orientali ad occidentalem vſque ſubigit; Britanis reiectis in montes atque paludes, quæ loca adhuc ab ijs poſſidentur, & linguam antiquam retinent : ex quibus qui montes incolunt, appellantur Cornubij, Anglicè Cornishmen; qui paludes autem inhabitant, dicuntur VValli, Anglicè verò VVelshmen. Neue id prætextu nullo feciſſe videretur : incolas violatæ conuentionis & fraudati ſtipendij accuſat ; factumque eſt paulatim, vt inſulæ imperium penes fortiores eſſet, dum Britanorum vires minuerentur, opes verò Saxonum indies creſcerent.

Quales Germaniæ populi in Britaniam venerint.

Populi Germaniæ, qui militatum in Britaniam venerunt, tres fuêre, reliquis ferocitate atque animis excellentiores: Saxones, Angili, & Vuiti: ij nimirum, qui inter Viſurgim, & Sueuum amnem ad mare vſque Balthicum & Oceanum habitarunt. De gente Saxonum deſcenderunt Saxones nunc dicti orientales, quorum metropolis Londinum eſt. In Angliâ quædam ſunt ditiones, quæ adhuc retinent nomen, vt olim à Saxonibus appellabâtur, videlicet Sotothſex, Eſtſex & Middeſex: in quâ terrâ ſitum eſt Londinum, non metropolis, ſed ciuitas totius Angliæ celeberrima; in quâ ſedes eſt regia, & Emporium illuſtriſsimum. Præterea Auſtrales & Septentrionales Saxones: quos ſuis ipſius nominibus Oſtoſaxones, Sudoſaxones & Medioſaxones ſolent nominare. De Angilis orti ſunt Angli Orientales & meridionales, ſeu (vt ipſorum vocabulis appellem) Oſtangli, Sudangliq́; : item Mercij, & tota Northumbrorum gens, ac reliqui populi Anglici. De Vuitis Cantuarij & Vectuarij, à Vectâ inſulâ, quique è regione eius Iuſulæ habitantes in Orientali Saxoniâ, Vuitorum nomen noſtro tempore adhuc retinent. Demonſtratum eſt, & regnum & nomen Britanorum, in Saxonum Anglorumq́ue nomina fuiſſe mutatum. Angilorum olim ſedes M. Antonini dominatu inter Albim & Vuiſurgim fuit. Et Angli (Corn. Tacito & Cl. Ptolomæo auctoribus) à Sueuis oriundi ſunt: coniuncti à Septentrione Caucis maioribus: ab occaſu Longobardis, qui ab ijſdem ſunt Sueuis: ab ortu Senonibus, ſimiliter Sueuico populo. Ita ditio Brunſuicenſis Magdeburgum vſque patria Angilorum fuit: qui, antequam cum Saxonibus & Vuitis in Britaniam traijcerent, inter Vuitos & Saxones habitarunt intermedij. Eam inde ditionem ipſos Oceanum verſus auxiſſe, credibile eſt. Nam Britaniam copijs ingentibus petiuêre: deletoque Angilorum in Germaniâ nomine, Britania ab ipſorum appellatione Anglia eſt denominata. Vuiti è patriâ diuerſis migrarunt temporibus: alij in Britaniam vnà profecti: alij Rheno tranſmiſſo; partem occuparunt Heluetiæ, poſtea dicti Suiti ſeu Suiceri: quam ſedem & quod nomen noſtrâ tempeſtate adhuc tenent: nec in aliâ de Vuitis Beatus Rhenanus eſt ſententia. Saxonum principes, qui tres illos in Britaniam populos duxerunt, fuiſſe diximus duos fratres Hengiſtum & Horſtum, virtute & prudentiâ viros admirabiles. HENGISTVS linguâ nobis vernacula equum ſignificat, & propriè militiæ aſſuetum; fuitque vſitata apud Germanos virorum Heroicorum appellatio; quod idem nomen ſocer Arminij, qui Romanas cæcîdit legiones, habuit: idq́; Strabo in Ægeſti commutauit.

Hæ ditiones hodie appellantur Northfolk & Sotothfolk: & ſunt duo ducatus.

Angilorum olim ſedes & origo.

Vuiti.

Ductores populi in Britaniam.

Hengiſtus.

HOR-

HORSTVS videtur ab impetu appellatus, vel celeritate: vtrumque enim ea vox Saxonibus ſignificat. Is, propugnante pro libertate Britanorum Ambroſio Conſtantini filio, interfectus in prælio eſt; & in parte Orientali Cantiæ regium ei monumentum erectum. Hengiſtus quoque cum ſocero tandem vincitur audaciâ populari; cum vulgus non diu amet, neque amet iudicio. Maiores Hengiſti qui fuerint, quique ex eius poſteritate reges deſcenderint, paucis è Bedæ libris quinque, quos de rebus Eccleſiaſticis ſcriptos reliquit, colligemus: vt ampliſsimæ nobiliſsimæq; familiæ, quæ à Saxonibus duxit initium, ſplendor atque virtus fiat illuſtrior.

Cùm autem obſcuritas tanta ſit in Anglicis Annalibus, vt continua aliqua ſtirps elici ex ijs non poſsit: nos Originum noſtrarum adiumento, initia trium regnorum ponemus: primi, quod propagatum eſt à filio Hengiſti Orico, ſeu (vt in libris noſtris) Othone; id Cantianorum extitit: alterius, quod ab eius nepote Idda, nempè Northumbricorum: tertij, quod à nepote altero, vtroque Hebuſi filio, videlicet Saxonum orientalium. In reliquis tribus minùs certa ſunt initia: quæ tamen à Saxonibus orta certiſsimè ſunt; ſed quâ parte aut gradu cognationis attigerint auctorem & fundatorem ſuum, virum maximum Hengiſtum; id relatum in literas aut monumenta neſcimus. Ampliſsimi regni Anglici euerſio cauſam habet præcipuam, hæreſim Pelagianam: quæ cum peruaſiſſet tanquam peſtis contagioſa totam inſulam: qui benè ſentiebant, affligebantur aut eijciebantur è patriâ: quos hæreſis corripuerat, ſcindebantur in factiones, & multa auarè ambitioſeque agebant. inde, dum alter alterius honoribus aut commodis inhiaret, aut libidini obſiſteret; & religio imminuta eſt, & animorum diſtractio atque feritas inſecuta: donec non ſolùm libertatem & fortunas amitterent, ſed nullum amplius DEI cultum ſcirent. Saxonum enim præualente populo, qui DEI veri adhuc inſcius erat, rurſus ea inſula, quanta quanta fuit, in paganiſmum redigitur. Nunc de regibus Saxonum narrabimus, ſecuti inprimis Bedam: quo antiquior & certior ſcriptor non extat.

REGES SAXONVM.

BODO Rex Saxonum, floruit 260.

Vecta 300.

VVitta 350.

VVitgiſilus. 400.

REGES CANTIANORVM.

HENGISTVS primus Cantiorum Rex, obijt 474 — Horſtus Dux Angriæ.

ORICVS ſeu Otho Cantiorum Rex. 492. — Angila vxor Vortigrini Regis Britanniæ — Hebuſus.

IDDA Rex Northumbrorum. — VViſſa Rex Saxonum Orientalium.

Octus, à quo Oſcingi.

Ermericus 569.

Edelbertus primus Rex Chriſtianus. Vxor Aldiberta Gallica. — Ricola vxor Diulpla Regis Saxonum Orientalium.

Edualdus. 640. — Edelberga vxor Edvini Regis Northumbrici.

Ercombertus, 666. Vxor Serburga Annæ R. Saxonum Orientalium F.

Ercongada Abb. Brigenſis. — Hermenilda vxor Vulferi R. Merciorum. — Ecbertus 675. — Lotharius 685. — Ovrichus.

VVitredus 325. — Hedericus. — Suedbardus.

Ecbertus. — Edelbertus. — Alrichus.

Eitelvolſus.

BODO rex Saxonum antiquiſsimus, à cuius proſapiâ multi locorum diuerſorum reges ſumpſerunt originem, vt Beda ait: nec ſine causâ Saxones gentium multarum patres appellare videtur Niemius Magdeburgius. Bodonis filius VECTA, de cuius *Vecta.* nomine hodiè extare in Angliâ Inſulam certum eſt; arcem, & oppidum, & flumen, ſcribit Cranzius. VECTÆ filius VVITTA, huius VVITGINILVS ſeu verius Vuitichindus, quaſi *Vuitta.* Vuittæ filius: detortum enim & deprauatum hoc nomen ab ex- *VVitginilus.* teris autumo. Pater hic fuit HENGISTI & HORSTI: qui *Hengiſtus.* ſolo natali relicto, cum tribus illis fortiſsimis Saxonum gentibus *Horſtus.* in Britaniam nauigantes, acceptis illic ſedibus, claram ſibi famam & imperium non contemnendum comparârunt; ſedemque in locis maritimis acceperunt, volentibus Britanis, quibus auxilio venerant.

Quod de terræ ſpacio empto, quantum ſcilicet vnâ corrigiâ ambiri potuiſſet, comminiſcitur Gemblacenſis; id relinquimus. Liberi Hengiſti ſunt, ANGILA filia, ſeu (vt Polydorus) *Angila.* Roniga, quam Vuortigrinus vxorem ducit: & filij HEBVSVS & OTTHO (qui Oricus à Bedâ dicitur) hic cognomen- *Hebuſus.* *Otho.* tum OSCI accepit: à quo poſteri eius, Vuitorum videlicet reges in Cantiâ, ſunt OSCINGI dicti: non aliâ ratione atque re- *Oſcingi.* ges olim Albanorum Siluij, Latinorum Murrhani appellabanbantur, perpetuâ virtutis ipſorum memoriâ. Hengiſti filia, marito defuncto, acceptam dote ditionem non ſolum animo magno, verum etiam ſolerti tuebatur: priuignum ſibi inſidiantem tollit: fratres ſuos ad Hengiſti mortem vindicandam incitat; totam inſulam tumultu replet. Hebuſus & Otho, cum neſcirent victi aliquoties quieſcere, ab Vthero tandem opprimebantur, Conſtantini regis minimo natu filio. Accerſitus erat hic Conſtantinus è minore Britaniâ contra Vuortigrinum & Saxones, qui multa prælia geſsit, ipſo & Britannis dimicantibus pro libertate: Vuortigrino & Saxonibus pro gloriâ & fortunis. Conſtantinus iſte à Gildâ ſapiente dictus leænæ immundæ Catulus tyrannicus. Cuius filium Conſtantem, factum Monachum, & ingenij quieti iuuenem, Vuortigrinus regem creat; & regni coronam ſuâ illi manu imponit, vt fratribus eius eum honorem adimeret, & in ſua poteſtate hunc hominem manſuetum haberet. Conſtans & VVortigrinum ſuſpectum habens, & fratres non immeritò timens, ad clauſtrum ſuum, abiectis ornamentis regijs, repedat. Eius fratres cum Hengiſto & eius poſteris longo tempore bella non planè infeliciter gerunt: qui quales fuerint, ipſorum cognomentis declaratur. Nam Aurelius Ambroſius

propter

propter mores Pardus, ab animalis libidine & feritate; Vtherus non diſsimili ratione caput Draconis dictus eſt: teſtantibus Gildâ & Gemblacenſe. Reliquit tamen Hengiſti filius HEBVSVS
Idda. prolem inſignem IDDAM regem Northumbrorum, & VVIF-
VViſſa. FAM Saxonum orientalium. ORICVS (vt Bedæ vtar nomi-
Oricus. ne) ditionem in Cantiâ obtinuit, de quo dicere nunc incipiam, ſtatim deinceps de fratris eius filijs & eorum poſteritate narratu-
Octus. rus. Naſcitur Orico OCTVS filius, vtrum è ſtirpe Saxonica an Britanicâ, dubium eſt: ſed è Britanicâ fuiſſe ad verum accedit: nempe vt tali coniunctione animos popularium ſuos faceret, vt libentius obedirent natis è ſuo ſanguine ac patriâ hominibus. Hic cum Britannis, quibus iugum Saxonum graue erat, non minus quàm maiores, variâ fortunâ pugnauit: circumuentus demum & prælio victus, cum duce ſuo Coſâ detinetur in cuſtodiâ: è quâ poſt annum decimum euadens, nouas extemplò è Saxonia copias euocat: cumque violentius ageret omnia, aduersâ vſus fortunâ denuò vincitur; & quia animo non moderaturus putabatur,
Emericus. interficitur. Ei ſuccedit EMERICVS, qui filiam vnam & vnum filium genuit: filiæ nomen RICOLA, vxor Dittulfi regis Saxonum orientalium; & Saberti, qui primus Chriſtianus factus
Edelbertus. eſt, mater. Filij nomen EDELBERTVS, ſeu (vt in libris diui Gregorij) Aldibertus, qui ditionis ſuæ terminos ad Humbrum vſque fluuium, Auſtrales & Aquilonares Britanos diuidentem, protulit. Vxorem duxit Bertam, vt Polydorus: vt antiquiores ALDIBERTAM, nobilem gentis Francicæ puellam, profeſſione Chriſtianam. Iiſdem ſacris ipſe quoque primus è VVitorum regibus imbutus eſt, exemplo optimæ vxoris, auctoritate Gregorij pontificis: id Gregorius ipſe ſcribit, & Eucherius Lugdunenſis atteſtatur. Miſit in Britaniam Pontifex Romanus monaſterij ſui in Cælio monte præfectum Auguſtinum, integrita-
600. te & literis probatum hominem, anno Chriſti ſexcenteſimo, vt Beda, Anglus, & Marianus Scotus. Alij annum vnum abijciunt, vt Gemblacenſis: alij quatuor, vt Schafnaburgius: alij tres præterea addunt, vt Vrſpergius: Bedam & Marianum nos ſequimur, annum videlicet Imperatoris Mauricij quintum decimum, Lotharij II. Gallorum Regis ſextum. Legatus Gregorij cum multorum animos in admirationem religionis traxiſſet: ei miſsi collegæ ſunt Laurentius Presbyter, Mellitus Abbas, Petrus Monachus: quos Gregorius regibus Francorum Diterico & Lothario ſcriptis commendauit adhuc extantibus. Hi cum Britaniæ fines attigiſſent: in Inſulam Tanetum, iuxta oſtium Thameſis, trium à terrâ ſtadiorum, diuertunt; quæ eâ nunc parte in continentem abijt.

abijt. In eâ Inſulâ, quia genti prophanæ confidere non audebant, nec de Auguſtino certi quiddam cognouerant, ſubſiſtunt: & fidos homines ad regem ire iubent: qui, quâ de cauſa ex Italiâ ſint profecti, exponant. Rex humaniter illis reſpondens, locum illis deſtinat, in quo ſacras ad plebem conciones habeant, & populum in ſuas partes blandâ & miti ratione alliciant: idq; effectum eſſet faciliùs, niſi per interpretes locuti eſſent. Verùm cum & plebem multam, & nobiles aliquot in piam ſententiam adduxiſſent, mõſtrato ipſis vero ad Deum aditu, & expoſitâ cõtra peccatores grauiſsimâ irâ cœleſti: Rex ipſe vt exemplum ſtatueret, iam de Dei omnipotentiâ & bonitate edoctus, tandem ipſe quoq; diadema & ſceptrum Deo æterno ſubmittit; neuè in priſtinam cæcitatem & inſaniam recideret, Auguſtinus declaratur Antiſtes Cantuanenſis; vt eius maior eſſet auctoritas, & infulam accipit ab Æthecio Arelatenſe. Templa gentilium purgata ab idolis, & in vſus meliores tranſlata ſunt: Puluinaria, ſcenæ, tabernacula non ſublata: ſacrificiorum tantùm mutata genera: duris enim mentibus ſimul omnia abſcindi non potuiſſe Gregorius affirmat pontifex.

Edelbertus primus Rex pius, anno ſupra ſexcenteſimum ſexto decimo vitam cum morte commutat. EDBALDVS filius in regnum paternum ſuccedit: filia EDELBERGA cognomine Tata, nubit Eduino Northumbrorum regi. Hi parentibus Chriſtianis orti, magnum momentum ad religionem colendam attulerunt. Nam vt ea retineretur inter Vuitos, Edualdi factum ſtudio & diligentiâ eſt: vt propagaretur ad Northumbros, Edelbergæ curâ & pietate. Nonnulli huius Regis adoleſcentiam accuſant: ſed ætatis imperitę vitia annis maturioribus poſteà ſummis virtutibus compenſauit. Nam à Bonifacio Pontifice laudatur nomine pietatis; cuius illud etiam teſtimonium eſt, quod affinibꝰ Eduini filijs, qui armis à Northumbriâ expulſi fuerant, perhumanum ſe præbuit; alijsq; exulibus officia exhibuit liberalitatis; ſæuientibus eodem tempore, Cedoualdo Britano & Penda Mercio, hominibus immaniſsimis. Ei ſuccedit ERCONBERTVS filius, anno Chriſti ſupra ſexcenteſimum quadrageſimo: religionis defenſor tam acer, vt quicquid adhuc eſſet idolorum ab auo & patre relictum, id euerteret; & veritatis cognoſcendæ & Dei ſincerè inuocandi colendiq; auctor alijs eſſet. Ritus idem quoſdam religionis cuſtodes (ſi abeſt ſuperſtitio) inſtituit: de quibus Gemblacenſis loquitur. Vxor eius Serburga, Annæ regis Anglorum orientalium filia erat: ex hac ſuſceptæ illi filiæ ERCONGADA, quæ ſacris initiata, in Galliæ cœnobio Brigenſi, virgo obijt: & HERMENILDA, Vulferi Regis Merciorum vxor. Filij tres fuerunt: ECBERTVS,

616. Edualdus. Erconbertus. 640.

Reges Cantianorum. LOTHARIVS, ſeu, vt Beda, Leutherus, & OSRICHVS. Ipſe hanc vitam reliquit anno ſupra ſexcenteſimum ſexageſimo ſex-
666. to, pridiè Id. Iulij, ab ijs hominibus ſingulariter deſideratus. Fi-
Ecbertus. lius natu maior ECBERTVS, qui poſt patrem regnauit, è viuis excedit nono ſecundum patris mortem año, eodem menſe Iulio: tribus relictis filijs, HEDERICO, VVITREDO, SVIDHAR-
Lotharius. DO. De regno ſtatim ſuſceptæ contẽtiones: quod præteritis & excluſis, propter ætatem, fratris filijs, occupat LOTHARIVS, nullâ ijs parte relictâ aut poſita: quæ illi iniuſtitia & vis minimè commodo fuit. Ditionem eius initio regni, EDILRICVS Mercius incurſionibus vexat: Cedoualdus Saxonum Occidentalium rex penè totam euertit. Lotharius poſt multas incurſiones, cadit in prælio à Saxonibus orientalibus cæſus; quos in ipſum Oſrichus frater & Hedericus fratris filius armauerant, anno à nato Chriſto ſupra ſexcenteſimum octuageſimo ſexto, regni ipſius vndecimo, menſe
686. ſeptimo. HEDERICVS regno patrui potitur, eodemq; vltra
Hedericus. VVitredus. menſes octodecim non gaudet: præda vicinis fuit, donec VVITREDVS eius frater, integritate & manſuetudine multò gratioſior, id conſequitur alter Ecberti filius, qui ab externo dominatu populum liberat: & leges atq; religionem iam collapſam reſtituit: pacis & pietatis ſtudioſiſsimus. Hic tranquillè viuens, fra-
Suedhardus trem SVEDHARDVM in conſortium regni aduocat; ipſe è hu-
725. manis rapitur anno ſupra ſeptingenteſimum vigeſimo quinto. Vixit circa hæc tempora Tobias, antiſtes Roffenſis, quem virum Latinâ & Græcâ eruditione & linguâ Saxonicâ inſtructum fuiſſe, Beda teſtatur. Idem propter linguæ Saxonicæ notitiam, alios alijs in locis commendat: vnde cum imperio (vt fit) linguam vernaculam Saxones propagaſſe conſtat. Et certè regum nomina, quæ librarij imperiti non corruperunt, Saxonicæ appellationes ſunt; nec ulli eam linguam mediocriter intelligenti obſcuræ.
Edelbertus. Vuitredus filios reliquit tres EDELBERTVM, ECBERTVM, ALRICHVM: è quibus maior natu (Hildobertum nominat Gemblacenſis) patri ſuccedit. Cantianorum poſtremus rex fuit
Edeluolfus. EITELVOLFVS, de quo cuius filius ex his fratribus fuerit tribus, non eſt proditum memoriæ. Ex Adone cognouimus, quod rebus turbulentis ad Carolum Magnum in Saxonià confugerit: & apud eundem in exilio ſit mortuus. Reges Vuitorum, qui Cantiæ imperium tenuerunt, recenſuimus; quorum ſtirps per tot familias, tunc demum collecta & relata in literas eſt: cum viros doctos amare & pietatem Chriſtianam complecti reges cœperunt. Nunc ad Reges Northumbrorum tranſibimus: qui ab Hebuſo Hengiſti filio deſcendunt.

DE

DE REGIBVS NORTHVMBRORVM.

HEBVSVS Hengiſti F.

Idda

Edelbertus. | Ricola vxor Dithulfi R. Sax. Orientalium.

Elfericus | Edelfridus. Vxor Ebba R. Deiorum F. | Dithaldus à Scotis cæſus.

Ofrichus Rex Deiorum. | Edmundus à Scotis occiſus. | Atha vxor N. | Eduinus. Vxores eius duæ.

Oſuinus cæſus ab hoſpite. | Oſuina vxor Oſuini R. Northumbrorum. | Oſualdus. Vxor Chunlildis, Chunhildi R. Sax. Occidentalium F. | Eidfridus Rex Bernicorum. | Ofrichus cæſus in bello. | Oſuinus Deiræ R. | 1. Chocuburga Cearli R. Merciorum F. | 2. Eidelberga Edelberti Regis Cantianorum F.

Ebba Abbatiſſa Coldingenſis. | Oſuinus. Vxores duæ: 1. Oſuina, Ofrichi Deiorum Regis F. ſterilis: 2. Enfleda, Eduini Vitorum Regis F. | Edelbaldus. | Eidfridus cæſus à Penda R. Merciorum. | Offridus à Cedoualdo R. Sax. occiſus | Eitfrida vxor Oſualdi R. | Edelfrida Monialis | Edelha-Vuiſfridus moritur puer. | obijt in exilio.

Oſualdus 11. | Ebba Abbatiſſa.

Iſuinus

Egfridus. Vxor Edeltruda, Annæ R. Sax. Orientalium F. | Alfridus. Vxor Cimberga, Pendæ R. Merciorum F. | Elfuinus cæſus in prælio. | Enfleda Monialis | Offrida vxor Edelrici R. Merciorum. | Alchfleda vxor Pendæ 11. R. Merciorum.

Hedericus. Vxor Bregſinda.

Oſredus. | Hilda Abbatiſſa doctiſſima. | Hereſuida vxor Oſualdi R. Sax. Orientalium.

Chunredus | Ofrichus.

Edelualdus | Echertus. | Ceduolfus.

Hardolphus. | Oſuolfus. | Alredus.

Reges Northumbrorum. Idda. IDDA, Hebuſi filius, Hengiſti nepos, Rex Northumbrorum:
cui ſuccedit EDELBERTVS, huic EDELFRIDVS, qui ex
Edelbertus. Ibba, Deiorum regis filiâ, genuit EDMVNDVM, & EDVI-
Edelfridus. NVM, & ATHAM, laudis celebratæ fæminam. EDVINVS,
dubium an paternâ aliquâ iniuria, an aulicorum fraude impul-
ſus, exilium ſibi ſpontè indicit; & ad amicitiam Redualdi, Regis
Anglorum orientalium ſe confert; in honore habitus propter il-
lam fiduciam & virtutem. EDELFRIDVS, ingenij turbulenti,
cum Britanis bellum gerit; quo ex animi ſententia confecto,
cum eorum Socio Edone rege Scotico etiam prælio dimicat in-
genti; in quo victoria potitur, ſed admodum cruentâ: fratrem
Ditbaldum ſtrenuum iuuenem, & filium Edmundum indolis
eximiæ cum copijs uniuerſis amittit, anno ſupra ſexcenteſi-
603. mum tertio. Edmundi iſtius, quod pro fide Chriſtianâ occubue-
rit, meminit Siffridus presbyter Miſnenſis; & addit expreſſe, Athã
Clades monachorum. ſororem ipſius fuiſſe. Scotorum monachi Bangorienſes in eâdem
acie mille & ducenti ceciderunt, vt Beda & Gemblacenſis ſcri-
bunt: perſuaſerant ſibi, quia cum Rege non Chriſtiano foret
congrediendum, datum iri ſuis quaſi miraculo victoriam, ſi in-
ermes ante aciem ipſi incederent: ideò auſpicatioris pugnæ omi-
ne, ad quam Regem ipſi extimulauerant, in campo, quàm in
templo, ſuam ſanctitatem conſpici maluerunt; & in caſtris poti-
us orare, quàm clauſtris. Pœnas tàm ſuperſtitioſæ ambitionis te-
lis cruentis luerunt; extra ſuam ſtationem miſerè occiſi. Inuaſerat
eius ditionem Cadua Britannus, vt acceptæ calamitatis vindex:
ad quem repellendum celerrimè ſeſe expedit: ſed directis utrinq;
aciebus, per colloquium fit, vt animi mitigarentur, & ſine ſan-
guine dirimeretur controuerſia: Id factum eſt anno nati Chriſti
611. ſupra ſexcenteſimum undecimo. Tam felices Edelfridi ſucceſſus
ferre Redualdus, tum Anglorum orientalium & meridionalium
rex magnanimus, non potuit; eiq; bellum denuncians, victum
in prælio peremit: & Eduinum, filium ipſius, exulem, in regnum
reſtituit; contentusq; gloria, quod reges haberet beneficiarios,
nihil aſperius egit. Duxerat EDVINVS in exilio vxorem, Cho-
Eduinus. cuburgam paganam, Cearli regis Merciorum filiam, ex quâ ge-
nuit Offridum, & Eitfridum, filios. Offridi filius ISVIVS fuit:
Iſuij Hedericus, qui ex Bregſindâ vxore reliquit duas filias: maior
natu Hilda abbatiſſa, fæmina clariſſima, in cœnobijs Britaniæ &
Galliæ annos tres & triginta peregit, & doctiſſima fuit: hanc ean-
dem facit cum Roſuidâ Saxonicâ, vir hodiè doctiſs. Humfridus,
ſed temporibus decipitur: Altera filia Hereſuida, Aduolfi orien-
talium Saxonum regis, mater. HEDERICVS difficultate tem-
porum ad Britonũ regem ſe contulit, fiſus eius amicitia: ſed in eâ
aulâ

aulâ tollitur veneno, vltimus è ſtirpe Eduini de vxore eius primâ. Altera Eduini vxor EDELBERGA, Edelberti regis Vuitorum in Cantiâ, vt dictum eſt, filia: quæ Chriſtianam profeſſa ſanctimoniam & veritatem, eiuſdem diſcendæ & ambiendæ marito autor fuit; adiuuante ipſam Epiſcopo Eboracenſe Paulino, & impellente caſu quodam mirifico.

Rex Saxonum Orientalium Occidentaliumq; Zuichelmus (aliter hoc Polydorus, qui Ceuuiſum nominat) ſicarium ei per inſidias immiſerat; qui cum in regem gladiũ nudaſſet; à ſuo quodam miniſtro, corpus obijciente, ſeruabatur: ita tamen lateribus miniſtri transfixis, vt Regis ſimul corpus perſtringeretur. Hunc caſum cum in ipſo die Paſchatis euaſiſſet; & eâdem ei nocte Eidfridam filiam primogenitam vxor peperiſſet: cauſas celebrandi duplicis beneficij iuſtiſsimas habuit: id à perſpicuo numine eſſe diuinitus prouiſum, è Paulino audiuit: ſeq; Deo, totius ſalutis auctori, ſupplicaturum recepit. Erat inprimis vir cautus & ſapiens: neue temerè quid ſtatueret in mutandâ præſertim religione, re omnium maximâ & difficilimâ, ſpacium deliberandi ſatis longum ſumit. Curat intereà baptizandam filiam primogenitam, cũ alijs regiæ ſtirpis adoleſcentulis; inter quos filij duo erant, & vnus nepos. Celebrata noua ſolennitas eſt, anno ſupra ſexcenteſimum 626.
vigeſimo ſexto, in profeſto Pentecoſtes. Tum demum Bonifacij pontificis literis, & Paulini Epiſcopi inſtinctu aſsiduò confirmatus, cum magnâ nobilitatis & plebis multitudine Chriſtum Deũ & ipſe fatetur: & hæres ſociatur vitæ æternæ. Id fit pridie Idus Aprilis, qui tum dies erat Reſurrectionis Chriſti, anno ab eodem nato ſupra ſexcẽteſimum vigeſimo ſeptimo, regni ſui vndecimo, 627.
aduentus Saxonum in Britaniam centeſimo ſeptuageſimo octauo; vel vt Ado & Vrſpergius, octuageſimo, Heraclio imperante. Ex Edelbergâ liberos genuit quatuor: filias EIDFRIDAM & EDELFRIDAM, filios EDELHANVM & VVITFRIDVM. Ex his Edelfrida & Edelhanus rapti ſunt de vitâ, vt Beda loquitur, adhuc albati: hoc eſt, ſtatim à baptiſmo primis annis infantiæ. Albis olim veſtibus induti erant, qui nomine Chriſtiano initiabantur: & erat dies Albatorum feſtus, proximus à ferijs Paſchatis, quo ſingulis annis frequentes cœtus hominum fidem Chriſti profitentium, vnà baptizabantur.

Eduinus fit Chriſtianus.

Albati qui dicti.

Liberis regijs Eboraci publica monumenta ſunt erecta. Erat iam Eduinus non modò religionis famâ, verùm etiam fortitudinis laude celebris, longèq; & latè imperium extenderat: nam ad Angliam & Britanniam, quas rexit magnificè; inſulas Meuanias (Hebrides eſſe exiſtimant) inter Angliam & Britaniam ſitas,

Reges Northumbrorum. adjunxit. Fuit eius dominatu pax tam ſecura: vt vulgi ſermone diceretur, poſſe nutricem cum ſuo alumno peragrare tutò & impunè omnem inſulam ab utroq; litore. Non deſiſtebat eius regno & vitæ inſidiari Zuichelmus Saxo; ideo bellum ei indicit: cumq; de ijs, quos regi eſſe auctores ſceleris deprehenderat, nec non de rege ipſo pœnas ſumpſiſſet, cæteros incolumes relinquit, & arma deponit. Cedoualdus Britanus eiuſdem odio flagrauit immenſo; nec poterant illorum animi conuenire, cum id ſæpe per amicos fuiſſet tentatum. Erant Eduinus & Cedovaldus ambo eodem in loco educati, æqualitate ſtudiorum & fortunæ coniuncti, dum exules eſſent in minore Britaniâ; præbente ipſis hoſpitium rege Salomone: verùm cum vtriq; regia contigiſſet dignitas, animi cum fortunâ mutantur; & culpa atq; cupiditate Cedoualdi, amicitia diſſoluitur. Cum alter cedere alteri nollet, neq; iniurio Eduinus cedere poſſet; inſtructis copijs iracundiâ infeſtâ concurrunt prope Hetfeldam: in quo conflictu Eduinus acerrimè pugnans inter hoſtes confertos ſuperatur ac funditur IIII. Idus O-
633. ctobris, anno Chriſti ſupra ſexcenteſimum trigeſimo tertio, ætatis ſuæ octauo & quadrageſimo, imperij ſeptimo decimo. Gemblacenſis in hâc victoriâ deſcribendâ ſibi non conſtat. Vno in loco Eduinum iuctorem prodit; in altero Bedæ rectè aſſentitur, & ſibi contradicit. In eâdem pugnâ Offridus à primâ vxore filius, & ipſe Chriſtianus oppetit: exercitus orbatus ducibus, rege videlicet, regiſq; filio perempto, partim opprimitur, partim fugâ diſſipatur. Eidfridus alter filius, regi Merciorum Pendæ, qui Cedoualdum iuuerat, ſeſe dedidit, viro crudeli: qui rege Oſualdo, deinceps creato, ab hoſpite Pendâ contra fidem datam interficitur. Paulinus Epiſcopus & Baſſus dux regius cum reginâ liberiſq; ſuperſtitibus ſeſe recipiunt Cantuariam, vt ab hoſtili furore eos tutos redderent: nam tametſi omnium duriſsima conditio, tamen inprimis Chriſtianorum erat. Hoſpitium viduæ & pupillis benignum præbuit rex Edualdus: apud quem vidua manſit: liberi in Franciam ad Dagobertum regem, amicum paternum, mittuntur: quibus additus eſt Iſuius Eduini nepos: is ſolus ſeruatus, reliqui ætate puerili obierunt in exilio. Eduini ſtirpe præclariſsimâ ſublata regnum Northumbricum in duos dominatus rurſus diſtrahitur.

Offridus.

Oſrichus. Deiorum Rex fit Oſrichus, Elfrici filius, Eduini patruelis: Eidfridus. Bernicorum rex Eidfridus Athæ Sororis Eduini filius. Hi duo iuuenes dum in Scotia exularent, animos ac ſtudia religioni veræ intenderant: ſed in patriam redeuntes, & præter ſpem ad dignitatem

tem elati regiam, hoſtes Chriſtianis acerbi fiunt: cumq; nec Oſrichus patruo ſuo par eſſet fortitudine, nec Eidfridus auunculo pietate; à Cedualdo Britano non multò pòſt vterq; interfectus eſt: Oſrichꝰ cum toto ſuo exercitu, quem imprudẽter inſtruxerat: Eidfridus cum ſelectis amicis, quos pacis impetrandæ gratiâ comitatus fuerat. Meritas igitur homines nefarij luiſſe religionis deſertæ pœnas, ſunt ab omnibus iudicati: cum defectio, quâ ſe regna obtenturos confidebant, cauſa ærumnarum & excidij extiterit. Reges Northumbrorum.

Oſrichi etiam filius Oſuinus cùm popularibus renuentibus bellum non neceſſarium excitaſſet; ab Hunibaldo, quodam Bernicorũ Comite, ad quem hoſpes confugerat, occiditur. Summa regni, his occiſis, ad Edelfridi ſtirpem integra rediјt: & regnum Northumbricum rurſus unum eſſe cœpit; idq; commiſſum eſt Oſualdo, Athæ Eduini ſororis altero filio, fratri Eidfridi: in quo omnes ſpem ſummam collocauerant, & regno digniſsimum iudicabant. Eius vxor fuit regis Chunhildi Saxonum occidentalium filia, de patris nomine Chunhuldis dicta: quam ideò duxit, quia pater nuperrimè Chriſti religionem in ſuam prouinciam admiſerat. Liberi Oſualdi, Edelualdus & Oſuinus. Ipſe auunculi Eduini tàm inſtituto quàm exemplo, religionis ac pietatis amantiſsimus, ad conſtituendum regnum omnem animum voluntatemq; conuertit: & quia id turbatum lacerauerat ſuperbiſsima, & hactenus fortunata, Cedoualdi Britani factio; ipſum armis infirmis, ſed forti in Deum excelſum fide perſequens, vt referunt annales Britanici, quibus Gemblacenſis uſus eſt, repreſsit; ut Beda ſcribit, etiam in pugnâ ſuſtulit. Locum prælij Siffridus Miſnenſis presbyter nominat Denisbrunam, quem poſtea Himelfeldam, quaſi campum cœleſtem dici voluerunt; quod à cœlo optatam accepiſſent victoriam. Remotis aut interfectis ſeditionum auctoribus, regnum diſtractum rurſus quaſi in unum corpus recolligitur: & religio collapſa reſtauratur. Picti quoq; & Scoti, ſemper infeſti potentiæ vicinorum, ab eodem perdomantur. Erat rex, non minus virtute militari timendus, quàm humanitate & liberalitate venerabilis. Sacris aſtans, cum verba non intelligeret, ea ſibi ab Aidano Scoto (alii Hadrianum appellant) epiſcopo Lindiſarnenſe exponi ſingula voluit; & in poſterum ſæpius id fecit. De feſto Paſchatis die, & de alijs quibusdam ceremonijs Scoti tum temporis cum Romanâ Eccleſia non conveniebant: à qua cum longè remoti eſſent, neq; magnifieret à Pontificibus gens habita imperita; pontificum inſtituta ignorabant: & tantum ea (vt Bedæ verbis vtar) quæ

Oſuinus. Oſualdus.

in Propheticis, Euangelicis, & Apoſtolicis literis tractabâtur, diſcedere poterant; eaq; in pietatis & caritatis operibus diligẽter obſeruabant, per annos centum & quinquaginta: donec Ecbertus Anglus eos aliter curauit inſtitui. Erant Oſualdi tempora ſatis felicia: quibus & leges priſtinæ & libertas regni renouata eſt; & doctrina ſalutis incrementa hinc inde capiebat. Id bonum ei inuidebat Merciorum rex Penda, cupiditate & impietate æquè vituperandus. Cumq; ei bellum faceret, & prouincias vaſtaret; armare populos ſuos cogitur. Pugnatum eſt animis acerrimis in Maſſerfeldo, in quo prælio fortuna inclinauit in Pendam: cumq; fugientibus ſuis Oſualdus dimicaret fortiſsimè, circumuẽtus ab hoſtibus & manum dare detrectans, à multitudine obruitur, anno
642. regni ſui nono, à Chriſto nato ſupra ſexcenteſimum quadrageſimo ſecundo, Nonis Auguſti, vt in faſtis Romanis & Moguntinis legitur: cum nondum ætatis vnum quadrageſimũ attigiſſet. Siffridus ait, eum ab hoſte immaniſsimo truncatum, & mutilatum fuiſſe, ſuffixo in palum capite, & ſuſpenſis de ſtipite manibus, ludibrij causâ. Ea membra Oſuinus, frater eius, in inſulâ Lindifarnâ condidit, quæ à Lindo fluuio per ſubterraneum cuniculum in mare fluente, nomen habet: corpus Oſtrida, neptis, in cœnobio Eichelredo ſepeliuit. Ipſe in numerum diuorum relatus, ſanctè ab Anglis colitur: eſtq; imago ei9 in antiquis nummis exſculpta. Oſ-
Oſuinus. ualdum ſequitur OSVINVS filius, vt Gemblacenſis teſtatur: quem tamen Oſuini fratrem nominant Beda et Siffridus. Verum Beda alio loco Oſuinum Oſualdi II. appellans patruum, priori ſuæ ſententiæ contradicit; Gemblacenſis confirmat: & Siffridus Oſtridam Oſualdi neptim nominans, priorem Bedæ rurſus approbat ſententiam. Hæc niſi inuentis Annalibus vetuſtiſsimis corrigi nequeunt: fieri autem poteſt, vt Oſualdus & fratrem habuerit nomine Oſuinum, & filium: vnde ſcriptorum nata eſt cõtrouerſia. Ad Oſuinum Oſualdi redeo: qui anno ætatis trigeſimo gubernationem ſuſcipiens, totius regni tempore (quod annos viginti ſeptem, ut Gemblacenſis; octo & viginti, vt rectius Beda, tenuit) pertulit multas difficultates. A rege impijſsimo Pendâ, & ab Ethnico Merciorum populo frequentibus incurſionibus & bellis grauibus vexatur: infidos quoq; & crudeles in ſe domeſticos habet, Aldfridum filium, quem Penda ſocer in patrem incendebat: & Edelbaldum fratrem, qui regni cupiditate flagrabat. Vxor eius prima, quam regni initir duxerat, fuio OSVINA, Oſrichi Deiorum regis patrui ſui filia, è quâ nullam prolem ſuſcepit. Altera ENFLEDA, regis Eduini, auunculi eius magni, filia; è quâ genuit filias tres: ENFLEDAM quæ ab infantiâ ſtatim Deo dicata eſt:

OSTRI-

OSTRIDAM & ALCHFLEDAM Pendæ filijs nuptas: (Edelricum enim habuit Oſtrida: Pendam iuniorem Alchfleda) filios totidem, ECFRIDVM, ALDFRIDVM, ELFVINAM. Aldfridus duxit Cinbergam, ſenis Pendæ filiam, iunioris ſororem: qui, vt diximus, patri aliquando aduerſatus eſt; eumq; rurſus debitâ pietate & beneuolentiâ complexus eſt. Cum enim Merciorum rex ad opprimendum Oſuinum exercitum collegiſſet; patri ſeſe adiunxit: qui paruâ Chriſtianorum manu pænè infinitis hoſtium copijs ire obuiam non dubitauerunt. ECFRIDVS alter filius tum obſes erat, apud Chunsuindam Reginam Merciorum: Oſualdus ij: Edelualdi filius adoleſcens temerarius in parte militat aduerſariâ; contraq; patriam & patruum (Beda & Gemblacenſis hîc conſentiunt) arma induerat impia. In pugnæ initio proditoris aſtutiâ ſeſe ſubducebat, & euentum prælij in loco tuto expectabat. Dimicatum magnis animis eſt; ſed victoria penes Chriſtianos Dei beneficio manſit. Paganus exercitus fugatur cæditurq;: regij duces triginta, qui ſocia arma ſceleratis iunxerant, propemodum omnes trucidantur: in quibus præcipuum nomen fuit Edelberi, qui erat Annæ, orientalium Anglorum regis, frater: præcipua quoq; calamitas, quia cum ſuis internecione extinctus eſt; nec opinione hominum iniuſta, quia totius belli autor fuiſſe perhibebatur. Pugna commiſſa X. Cal. Decemb. anno regni Oſuini ſexto decimo. Hunc Oſuinum in ſuis literis Vitalianus Pontifex regem Saxonum nominat reſpectu videlicet originis: non enim Saxonibus imperabat, qui erant in Britania: ſed Anglis, qui Northumbri dicebantur, & ijs item populis, qui orientalem & meridionalem plagam habitabant: ſed & Pictorum gentis bonam partem in poteſtatem redegerat. Obijt XV. Cal. Martij anno Chriſti ſupra ſexcenteſimum ſeptuageſimo, ætatis ſuæ octauo & quinquageſimo. In regno ECFRIDVS, natu medius filius ſuccedit, qui in matrimonio habuit viduam Edelridam, vt Beda; vel Edel trudam vt Ado, Annæ regis orientalium Anglorum filiam: ea poſt annum coniugij duodecimum, velamen, & perpetuæ virginitatis cognomen ſumſit, vt tradit Vrsbergius. Eſt autem ad amitam Ebbam profecta; ſub cuius diſciplina ſolitaria vixit. Conſuetudo illorum temporum fuit, vt matrimonia diſſoluerenur ſuperſtitionis gratiâ: verũ temporibus moribus ve nõ corrigitur, quod lege & ſententiâ Dei omnipotentis improbatur. Fuit in Ecfrido magna imperij cupiditas; quæ cum grauatè admittat

Reges Northumborum.

670.

Ecfridus.

Reges Northumbrorum. mittat moderata conſilia: primum Epiſcoporum, qui eius obſtabant conatibus, ſedes mutauit & tranſtulit: deinde bellum Mercijs indixit, quorum rex Sororem eius habebat in matrimonio. Cum vtrinq; quærerentur conditiones non iniquæ, nullam earum probauit. Itaq; congreſſus cum Edelredo affine ad Trentam fluuium, prælio tam cruento decernit, vt neuter inde lætus diſcederet. Edelredi exercitus ferè omnis deletus, & Ecfridi frater Elfuinus in acie cæſus: ætate & indole florente adoleſcens, qui annum octauum decimum non exceſſerat. Renouatum id bellum fuiſſet, niſi interceſsiſſent amplâ autoritate homines, & Mercius militiam pecuniariam pacis cauſâ ſubijſſet. Veritus autem regum vicinorum potentiam & ſocietatem; legatum ſuum hominem audacem & impium, armat in Irlandos: qui ſacra prophanaq; iuxta æſtimans, populationibus atq; incendijs immaniter graſſatur, & ſine diſcrimine, in gentem minimè malam, & Anglis ſemper amiciſsimam. Tanti maleficij & iniuriæ pœnas altero mox anno Ecfridus perſoluit. Nam cum in Pictos eâdem temeritate, amicis diſſuadentibus, arma raperet; ſuum ſibi maturauit interitum. Cum enim ad manus veniretur; Picti fugam ſimulant, & in anguſtias montium, vnde reditus non erat, adductum exercitum, maximâ ex parte extinguunt XIII. Cal. Iunij an-
685. no Chriſti ſupra ſexcenteſimum octuageſimo quinto, ætatis ipſius quadrageſimo, regni decimo quinto.

Illo ſublato, Picti, Scoti, Britones ad libertatem iam pridem amiſſam, aſpirarunt. Alfridus, frater eius, apud exteros vitam egerat, vel quod fratrem rei militari deditum, & effrenem metueret: vel quod exitum factorum audaciſsimorum cuperet ſpectare. Is ad regnum accerſitur, iuſtitiæ & tranquillitatis ſtudioſus: vel naturâ ſuâ, vel potius ſtudijs literarum, quibus ingenium excoluerat; alicubi à Bedâ rex vndequaq; doctiſsimus appellatur. Hic ditionem in terminos anguſtos redactam ſummâ moderatione annos nouendecim rexit, & dum nulli eſſet iniurius, ab aliorum quoque iniuriâ tutus fuit. Vitâ fungitur anno ſupra ſep-
703. tingenteſimum tertio, vel vt Schafnaburgius quinto: cum imperij vigeſimum nondum expleuiſſet. Hæredem relinquit octennem puerum Oſredum; qui anno ſupra ſeptingenteſimum quar-
714. to decimo, regni ſui vndecimo à popularibus interficitur.

Huic Chunredus ſuccedit, cui Gemblacenſis tribuit annos regni tres: poſt quem regnat annos (vt idem ſcribit) nouem; vt Beda annotauit, vndecim Oſrichus vir minimè malus, & poſt obitum à ſuis plurimum deſideratus. Anteceſſerunt eius mortem menſe Ianuario duo cometæ: alter præcedens ſolem orientem,

Margin notes: Alfridus. — Oſredus. — Chunredus. — Oſrichus.

orientem, alter ſequens occidentem: radios vterq; contra plagam aquilonarem iaciebant. Cum Oſtricho Chunredi frater CEDVOLFVS ſucceſsiſſet: in tàm miſera & turbulenta incidit tempora, vt neget Beda ſatis magna ſe poſſe ſcribere. *Reges Northumbrorum* *Cedvolfus.*

Poſt huius regis obitum rex factus ECBERTVS, defuncti patruelis; año ſupra ſeptingenteſimum quinquageſimo quinto; qui cum Pictis bellum geſsit: Sed dum non firma ſatis domi relinquit præſidia, neque ſibi ab hoſte metuit: eius prouinciam inuadit EDELVALDVS Mercius: qui ab hoſte Picto eum cogit deſiſtere, & fortunas proprias tueri. Eidem bellum infert Chonredus, rex Saxonum occidentalium. Solitariam demum clauſtri religioſi vitam regno, & quietem periculis præferens; adminiſtrandi habenas filio OSVOLFO tradit: qui altero ſuſcepto imperij anno à ſuis miniſtris ſceleratè obtruncatur. ALREDVS quoq;, eius frater, inteſtinis motibus cedere regno compulſus eſt. *Ecbertus.* 755. *Oſuolfus.* *Alredus.*

Delatâ iam ad populum proclamandi regem poteſtate, EDELBALDVS eligitur: verum nec ortus eius, nec antiquæ dignitatis meminit Beda, qui reges plures non recenſet. Cum populus, quos vellet deturbaret aut occideret: & quos ipſe ſtatuiſſet dignos, eueheret: rerum omnium labefactio conſecuta: idq; neceſſe fuit accidere, in multitudine ſemper inſtabili, in licentiâ ſemper deterrimâ. In tanta diſsipatione Haraldus Daniæ rex Vormum filium (quod Helmoldus Vermem interpretatur: recentiores non rectè Germonem nominant) cum exercitu in Angliam mittit: vtrum impulſum cupiditate, an imprudentiâ populi euocatum, in incerto eſt: nec quid geſſerit, expreſſum: vſq; ad HARDOLFVM regem, cuius circa annum ſupra octingenteſimum ſeptimum Ado meminit, & de eiusdem exilio ſcribit. Is ad Carolum Magnum Imperatorem venit Nouiomagum: eiq; de iniuriâ popularium conqueſtus eſt: inde iuſſus Romam ire ad Pontificem, tantum elaborauit atq; perfecit: vt à legatis Caroli Imperatoris & Leonis Pontificis reſtitueretur. Poſt eam reſtitutionem anno ſecundo, ab Ecberto, Saxonum Occidentalium rege, armis vincitur, rex Northumbricorum vltimus. *Edelbaldus.* *Hardolphus* 807

REGES

REGES SAXONVM ORIENTALIVM.

VVuffa Hebuſi F.

- *Dithulfus. Vxor Ricola Ermerici R. Cantiarorum F.*
  - *Sabertus*
  - *Redualdus. vxores duæ: 1. Pagana: 2. Chriſtiana.*
    - (1.) *Reinherus cæſus à Cantianis*
    - (1.) *Erbvaldus.*
      - *Sexvaldus.*
        - *Zvichelmus.*
      - *Egricus.*
    - (2.) *Sigbertus I. cogn. Paruus.*
      - *Sigbertus II.*

*

Enus.

- *Anna.*
  - *Edelrida vxor Ecfridi R. Northumbrorum.*
  - *Chuneſvinda uxor Pendæ I. R. Merciorum.*
  - *Edelberga Abb. Brigenſis.*
  - *Serburga uxor Erconberti R. Cantianorum.*
- *Edelbertus cæſus in prælio.*
- *Edelvardus.*
  - *Oſvaldus. vxor Heresvida Hederici R. Northumb. F.*
    - *Aldvolfus.*

*

N.

- *Siggerus.*
  - *Offa.*
- *Sebbius.*
  - *Suefridus*
    - *Subredus.*
  - *Sighardus Monachus doctiſſ.*

Reſtat

Reſtat Hebuſi alter filius, rex Oſtoſaxonum ſeu Orientalium VVIFFA nomine, ducis fortiſsimi Hengiſti nepos: tantæ æſtimationis, vt beneficiorum memoriâ; quâ apud ſuos viguit, omnes reges orientales poſt eum Vuiffingi dicerentur: quemadmodum Cantiani, vt ſupra retulimus, Oſcingi dicti ſunt: & reges Francici Merouingi à Meroueo; qui Imperium à Rheno in Turingiam protulit. Huic ſucceſsiſſe traditur, DITHVLFVS, qui in libris Bedæ corruptis, Titelfus ſcribitur, de quo præterea memoriâ dignum propter antiquitatem nihil accepi. Antequam enim religionem Chriſtianam Saxones cognouêre, nomina eorum in literas relata non ſunt: contenti enim fortunarum ampliſsimarum acceſsione & fructu, intenti in nominis celebritatem minus fuerunt, vel etiam nomen regium, licet poſſeſſiones tenerent, apud exteros non habuerunt. Aſcita in familiam Oſcingorum Saxonicam Ricola, ſoror Edelberti regis Northumbrici, vt ſupra dictum: quam alij annales Dithulfo, alij Erchenuino vxorem tribuunt.

Reges Saxonum Orientalium.
VViffa.
Dithulfus.

Ricolæ filius fuit SABERTVS, vel (vt Gemblacenſis) Sigibertus, primus rex in eâ gente Chriſtianus; qui Londini ſedem habuit, & regium diadema geſsit. Didiciſſe cultum veri Dei ſcribitur à Melito, anno à Chriſto nato ſupra ſexcenteſimum quarto, proximo ſcilicet ante interfectum Mauritium Imperatorem. 604. Poſt eum regnat REDVALDVS frater: vir ſtrenuus & armorum peritus: qui Edelfridum Northumbricum interfecit, & Eduinum filium in locum patris occiſi ſubſtituit. Hic religionem quidem didicerat, ſed parùm curabat: nihil enim penſi habebat, verusne Deus, an popularia nomina adorarentur: ideo neq; Chriſtianis obſtabat, quò minus ædes ſuas atq; ſacraria haberent: neq; templa pagana demoliebatur: imò modò hæc, modò illa frequentabat. In hoc videlicet cæcitatis errore feri verſantur homines, in gubernatione occupati: vt exiſtiment, omnes Deorum cultus admitti & ferri poſſe: modò ciuium mores honeſti ſint, & debita magiſtratui præſtentur obſequia. Ita Solomonis tempore, & Dei omnipotentis templum, & Veneris Syriacæ (quam Aſtartes nomine colebant) delubrum in eodem monte Sione adiebatur: & nunc in Germaniâ ſub eodem tecto in locis aliquot audiuntur & qui verum Chriſti Euangelium docent, & qui ſacra nundinantur pontificia. Talis erat Redualdus, inſtauratæ religionis initio; cætera vir & animo & conſilio magnus. Accidit huius temporibus, vt peſtis graſſaretur, quâ cum multi mortales ſubitò extinguerentur: populus ad fana

Sabertus primus Orientalium Saxonum rex Chriſtianus.
Redualdus.

Reges Saxonum Orientalium. & aras Idolorum reacceſsit; & in Sacerdotes, id volentes prohibere, ſæuijt: quod hoc putaret fore remedium morbi atrocis & contagioſi: cuius facti plebem inſanam paulò poſt pœnituit. Vxores habuit duas: è primâ, quę illi fertur contemptæ religionis auctor, genuit filios duos: REINHERVM, qui in prælio, cum Northumbris commiſſo, oppetijt: & ERBVALDVM, patris ſucceſſorem, quem veſtigia impia ſecutum, Eduinus, Northumbrorum rex, eò adduxit, vt repudiatâ prophanitate, ſe totum ad Chriſti Eccleſiam cum populo ſuo aggregaret. Hic non longo poſt tempore à Richberto, quodam gentili, interficitur: cuius obitus multas in regno turbas peperit.

Erbualdus.

Ex alterâ coniuge vnicum genuit filium SIGBERTVM: qui fratri poſt triennium (tam diu enim interregnum durauerat) ſucceſsit; princeps, vt Beda ait, per omnia doctiſsimus. Nam exulans in Galliâ, & religioni & ſapientiæ operam dedit: à ſtaturâ paruus nominatus. E Burgundiâ vocauit Epiſcopum Felicem, qui ſuum populum inſtrueret. Hic perfidiâ duorum fratrum, ſuorum familiarium, in conclaui iugulatur; quod iniurias illis factas non ſatis atrociter vltus videretur.

Sigbertus.

Intercesſit in maximâ confuſione ZVICHELMVS Sexualdi filius, fortitudine inſignis, qui & Saxones occidentales ſubegerat, & Northumbrorum regi tùm temporis potentiſsimo inſidiatus, in ſe transferre totius Inſulæ imperium conabatur. Miſit in Northumbriam ad tale facinus paratum hominem; qui regem legati nomine adiret: is gladium ancipitem, veneno imbutum, geſtabat; vt quod fortaſsè vulnere non potuiſſet, id peſte virulenta efficeret. Ad regem intromiſſus, ſermone vix capto, gladio in eum irruit; quod miniſtrorum quidam cernens, ſuum corpus obijcit; quem ita transacto ferro percuſsit, vt corpus ſimul regium leniter attingeret. Eduinus propter iniuriam graue bellum Zuichelmo infert: hunc deinceps caſtigatum, & amore religionis flagrantem Edelualdus, Annæ regis frater, ſacro fonte baptiſmatis leuat. Iam enim populus amore doctrinæ ſalutiferæ imbutus, regem niſi Chriſtianum ferre non poterat.

Zuichelmus.

Zuichelmo SIGBERTVS ſecundus ſuccedit, Parui filius, qui in Galliâ fonte aquæ ſalutaris aſcitus in gregem Chriſtianum, religionem ex animo & conſtanter coluit; & ſedem literarum conſtituit Cantabrigiæ; & per reliquas ſui regni ciuitates ludos aperiri iubet, anno Chriſti ſupra ſexcenteſimum trigeſimo.

Sigbertus II

630.

Id faciebat propagandæ & retinendæ religionis gratiâ, cui initio valdè fuerat aduerſatus: ſtudio pietatis & tran-

& tranquillitatis poſtea admirabili incenſus, patrueli ſuo EC-GRICO regnum tradens, vitæ monaſticæ ſeſe mancipat. Cæterum cùm Ecgricus auctoritatis non ſatis haberet; & imminerent à Pendâ Mercio ingentia bella; ipſe è cœnobio ad patriam tuendam reuocatur; quod recuſauit multis rationibus: tandem ſupplicum vocibus, & periculo præſenti adductus, ſuorum flagitationibus aſſentitur: Ecgricum arma induere & præliari iubet; ipſe quoque prælio intereſt, non tamen galea armatus aut thorace, ſed mitra & pedo: id ſuæ profeſsioni conſentaneum exiſtimans; regiæ obliuiſcitur dignitatis & excellentiæ, quam Deus inter homines conſpicuam, gladio varijſque armis cinctam & munitam eſſe voluit, ad publicam gentium defenſionem. Superſtitionis autem inanis ſupplicium perſoluit ſanguine; & cum patruele atque omni populo ſuo fugatur atque funditur. Forſeum quendam, è regia Scotorum ſtirpe, ex Irlandiâ (ea olim Hibernia dicta) euocauerat, qui Britanos orientales docuit, & numero diuorum additus fuit. Sigbertum iſtum, Annonius Francus regem Saxonum appellat: eamq; Britaniæ partem, in quâ Forſeus docuit, Natalis Venetus vocat Saxoniam: vnde ſtatuere poſſumus, orientalium Britanorum reges à gente Saxonicâ, non minus ac Vuitorum, Northumbrorum, Merciorum, originem ſuam trahere. *Reges Saxonum orientalium.* *Egricus.*

Poſt victos vno tempore reges ambos, ſuccedit ANNA Eni filius, à quo regum ſuperiorum natus, incertum: ſingularis autem bonitatis laude celebris, ſceptrum accipit: qui prole carens maſculâ, fortunatus in filiabus exiſtimatur. Natu maxima EDELFRIDA, tradita viro permagnifico Condeberto Geuiſorum principi; quo mortuo deſpondetur regi Ecfrido Northumbrico; cum quo ſine controuerſiâ viuens annos duodecim, pietatis & temperantiæ cultrix; mariti deinceps conſenſu Sacerdos fit maxima in eo Cœnobio, quod Ebba eius agnata condiderat; in quo conſeneſcens obijt IX. Calend. Iulij: translata in Elam inſulam, ab anguillis denominatam. Marianus Scotus eam tribus maritis fuiſſe iunctam, contra alios ſcribit: Natalis Venetus cum duobus vixiſſe virginem, ex Bedâ pronunciat, quæ ad nos nihil pertinentia in medio relinquimus. Altera CHVNESVINDA nupta fuit Pendæ regi Merciorum: EDELBERGA creatur Sacerdos maxima Brigenſis: SERBVRGA collocatur Erconberto regi Vuitorum: quæ etiam poſt mariti obitum, ad maximam natu ſororem ſe conferens, vidua permanet; & ei mox in dignitate Eccleſiaſticâ ſuccedit. *Anna.*

Secutus Annam in regno EDELHERVS, frater; qui bello con- *Edelherus.*

Reges Saxonum orientalium. tra Oſuinum Northumbrorum, cuius auctor iniuſtus extiterat, iuſtè occubuit cum omni ſuo exercitu. Defuncto ſuccedit frater EDELVALDVS, qui pro Zuichelmo in baptiſmate ſpopondit. *Edilualdus Oſualdus.* Eius filius OSVALDVS, ſimiliter Oſuinum impugnans; nec ſuis, quam debuerat, pietatem præſtitit; nec hoſtibus, ad quos confugerat, fidem ſeruauit: degeneri animo & voluntate: qui ab Edelbero patruo impulſus atque corruptus perhibetur.

Adulfus. Hoc mortuo ADVOLFVS rex deſignatur, ad cuius vsque tempora regis Redualdi templum idolatricum durauit; fide manifeſtâ, religionem ſemel neglectam aut deprauatam non facilè inſtaurari purgariuè poſſe. Hoc templum, adoleſcentem Beda ſe vidiſſe teſtatur.

Diſsipatum poſt hunc regnum eſt, quod inter ſe diſtribuerunt duo fratres, SIGGERVS & SEBBIVS; *Siggerus. Sebbius.* qui ambo Vulfero Merciorum regi parûerunt: de quâ ſtirpe extiterint, nondum ſatis eſt explicatum. Siggerus in gentilem ſuperſtitionem relapſus, cum aliquâ populi ſui parte, animum impium auctoritate Germani Epiſcopi mutauit. Sebbius in vero cultu diuino firmus perſtitit, quo illi antiquius nihil fuiſſe ſcribitur. Siggeri filius OFFA, cum Chenredo Mercio, Romam ſe contulit, ad peragendam in eâ vitam obſcuram & ſolitariam, cum ambo eligerent potius religione, quàm regno excellere. Verùm cum domi relinquerent coniuges & cognatos, otio fortaſsè ſuo conſuluerunt, ſed nõ conſcientiarum quieti. 707. Venerunt Romam (vt ait Gemblacenſis) anno ſupra ſeptingenteſimum ſeptimo, quo imperiũ inijt Iuſtinianus, cum filio Siberio. Excepti honorificè à Pontifice Conſtantino, & ſacris ordinibus in publico initiati, non ſine admiratione plebis; quod cęleſtia terrenis homines ſummi ſplendoris, permutare nõ dubitarent. Platina arbitratur ibidem eſſe eos peſte mortuos: nec quod porrò referamus, certi quicquam conſtat. reditus eius Xenodochij, quod ad viam olim triumphalem eſt in campo Vaticano, donationib. regum valdè ampliati ſunt. Sebbius fratris ditione auctus, vel gubernationis tędio, vel eiuſdem ſtudij propoſito, maturè vitæ genus mutaſſet, niſi ab vxore fuiſſet impeditus; quę diuortiũ & dimiſsionẽ illi ſępè flagitanti permittere nòluit: ętate extremâ perſuaſit in morbo, vt & ipſa clauſtrum regno anteferret: ambo conſecrati, non diu ſuperuixerunt: Sebbius magnâ tranquillitate regnum tenuit annos triginta: quo defuncto, SVEFRIDVS filius ſocium ſibi fratrem SIGHARDVM iungere voluit; *Sufridus.* qui vitâ humili, patris & patruelis exemplo, contentus: regnũ fratri integrum concedit. *Sudredus.* SVDREDVM, regem vltimũ, ditione exuit Ecbertus, rex Saxonũ occidentalium, qui ſuę vnius poteſtatis totã inſulam fecit, vt deinceps narrabitur.

DE

DE REGIBVS MERCIORVM: ſeu ANGLORVM MEDITERraneorum.

Cearlas.

Checuburga vxor Eduini Regis Northumbriæ.

*

PENDAS. Vxor Chunſuinda, Annæ R. Saxonum Orientalium F.

- *Chumburga vxor Alfridi R. Northumbrorum*
- *Chunſueda vxor Chunualdi R. Sax. Occidentalium.*
- *Mengardus. Vxor Hermenburga.*
  - *Miluilda*
  - *Milreda.*
  - *Milburga.*
  - *Bearredus parricida*
- *Edelredus.*
  - *Coſtredus.*
- *Pendas II. Vxor Alchfleda Oſuini R. Northumb. F.*
- *Vulferus. Vx. Herminilda Ercomberti R. Cantianorũ F.*
  - *Oſtrida vxor Alcuini R. Northumbrorum.*
  - *Ceduolſus.*
- *Edelricus. Vxor Oſtrida, Oſuini R. Northumbriæ F.*
  - *Chenredus.*
    - *Edelbaldus.*

*

OFFA.

- *Ecfridus.*
  - *Cenulfus.*
    - *Cenelmus*
    - *Chenreda.*
- *Ecfrida.*
  - *
  - *Cenulfus.*
  - *Beruulfus.*

Reges Merciorum EXplicatâ ſtirpe Hengiſti, ſummi viri, quam nos certam putamus cognouiſſe, quantum ad regna tria Cantianorum, Northumbrorum, Oſtoſaxonum pertinet: nunc ad reges Merciorum ſeu Anglorum mediterraneorum accedo; quorum rex primus, de quo proditum aliquid literis eſt, CEARLAS vocatur:

Cearlas. cuius filiam COCVBVRGAM Eduinus Northumbricus, vt memoratum ſuprà eſt, in matrimonio habuit. CEARLAS iſte religionis Chriſtianæ vt expers, ita hoſtis fuit: huic PENDAS ſuc-

Pendas. ceſsit; generis propinquitate, an armis atque virtute, incertum: ſcientiâ enim rerum bellicarum, & fortunæ ſucceſsibus, non alius ante eum rex fuit magis nominatus. Hic è Chunſuinda, Annæ regis Saxonum orientalium filia, genuit Pendam II. Vulferum, Edelricum, Edelredum, Mengardum: filias Chunburgam, quæ patre viuente nupſit Alfrido Northumbrico; Chunſuindam, quæ Chunualdo regi Saxonum Occidentalium.

Ex his EDELREDVS Ceolredum genuit, & alios fortaſsè liberos: ſed is tandem in ſolitudinem clauſtri, pertæſus rerum humanarum ſeceſsit. Mengardi vxor Hermenburga nullam reliquit prolem marem: tres filias Milburgam, Milredam, Milbidam. In Pendâ patre ſi fuiſſet notitia religionis, quæ animum & mores eius flexiſſet ad iuſtitiam & humanitatem aliquam: poſſet ſine inuidiâ cum clariſsimis ducibus gentium magnarũ comparari. Etenim Cedoualdo regi Britanorum contra Eduinum Northumbricum arma iungens, prope Hethfeldam, eius victoriam adiuuat, & totam deinceps ditionem depopulatur: Chunualdum Saxonum occidentalium regem, generum ſuum, quod filiâ ſuâ repudiatâ coniugem aliam duxerat, è regno fugat: Oſualdum Northumbricum, cuius potentiam metuebat, & quem religionis nomine oderat, in Maſerfeldo necatum, mutilat: Sigbertum, Ecgricum, Anam, Saxonum orientalium reges, ſuperat & interficit. Inueni in fragmentis Iohannis Munſterbergij, qui in cœnobio extra vrbem vixit Chemnicij, quod Penda iſte litora Scotica nauibus circumierit, & ad Northuegica & Danica vſq; exercendo piraticam ſit profectus. A Lazio inter reges Nordmaniæ (qui item Daniæ ſunt) numeratur: quod fortaſsè eius Cherſoneſi partem aliquando ſuæ poteſtati ſubiectam habuit. Tot victorijs felix &

655. clarus, cum duos & viginti annos in Imperio floruiſſet, obijt anno Chriſti ſupra ſexcenteſimum quinquageſimo quinto: anno Conſtantini magni Imperatoris duodecimo. Eius mors toti inſulæ ſalutaris fuit, quam ferè omnem ſubegerat: inprimis autem neceſſaria rei Chriſtianæ, quam exſtirpare conabatur.

Eo ſublato è viuis, regni fortuna & ſtatus commutabatur.

Nam Chunſuindæ defuncti viduæ Oſuinus Northumbricus, Oſualdi ab eo occiſi filius, bellum indicit; quod quidem à regijs Merciorum ducibus tanto animorũ ardore tantoq; apparatu inſtructum eſt, vt maior & amplior eſſe non potuerit: neq; tantum armis fidebant proprijs, ſed transfugarum quoque operâ atq; conſilijs: Dei tamen prouidentiâ & munere victoria fuit parti meliori, non maiori tributa: per quam etiam religio in populo barbaro & gentili initium atque incrementum cepit. *Reges Merciorum.*

PENDAS filius in poteſtate hoſtium conſtitutus, ad retinendum regnum patrium, cum Oſuino paciſcitur: eiusq; Alchfledã filiam ducit vxorẽ, eâ conditione, vt relicto paganiſmo Deum in Chriſto filio coleret. Itaq; primus regum Merciorum aſſenſione veritatem cœleſtẽ comprobat, anno Chriſti ſupra ſexcenteſimũ quinquageſimo ſexto. In doctrinâ diuinâ populũ ſuum ſtudioſè inſtrui præcepit: ſed voluntates multitudinis militaris & efferatæ â re nullâ magis abhorrebant, quàm à religione ſincera; quæ vim atq; latrocinia prohiberet, & coerceret aſſuetos licentiæ & maleficio animos. Clamabant præterea neſcio quod iugum & quam ſeruitutem ſibi imponi, ſub rege magnanimo in libertate viuere ſolitis: qui metum non tantum vniuerſæ Inſulæ Britanię, ſed & remotis regnis, virtute & felicitate incuſsiſſet. & gloriam gentis ſuę incredibile quantũ amplificaſſet: Ab eâ ſententia deducebantur oratione & pollicitationib. amplis pręmiorũ, quę à Deo omnipotenti eſſent accepturi, & poſt hanc vitam immortalitate beatâ fruituri: ſed imperitos & rudes magis mouebant bona præſentia, quę ſub rege ſuo ex prędis & rapinis comportatis vndiq; perceperant. Quamobrem diſsimulato nouitatis dolore, non repreſſa iracundia, inter ſe conſilia cruenta meditantur; captatoque tempore diei ſacrę, quâ ſolenniter reditus Chriſti in vitam agitur, regem ſcelerate excipiunt & obtruncant. Tradunt alij ab vxore proditũ; alij vxorẽ vnâ interfectã ſcribunt: hoc mihi videtur veroſimilius. Eâ crudelitate inopinatâ vehementer offenſus Oſuinus, eos viciſſim incautos aggreditur: & armis violentè vſis arma adimit; & vinculis eos grauiorib. coercet. Cum Merciorũ regnum Oſuinus annos iam tres teneret; nobilitas erecta libertatem recuperare ſtatuit: Ideo VVLFERVM ſeu (vt alij) Vulfudum, Pendę occiſi fratrem, qui inter ipſum latuerat; vt alij, apud Nordmanos agebat; viribus certatim armant: & in regnum ſoliumque paternum rurſus collocant: principem ætate & auctoritate florentem, inprimis verò religionis cupidum. Is confeſtim & ſeditioſis frena inijcit; & auctoritatem ſuam acerrimè defendit; & regni auiti terminos amplificat: reges Saxonum Orientalium

Pendas II.

Mercij Christiani. 656.

Vulferus.

Reges Mercierum. Siggerum & Sebbium, dicto audientes habet; illum, cum á religione deſciuiſſet vnà cum populo amentiam ipſius ſecuto, per Germanum Epiſcopum ad ſanitatem reducendum curat: propoſitâ ſpe bonâ, ſi reſipiſceret: pœnâ atroci, ſi in errore malo & lethali perſeueraret. Ex hac vitâ ſine hærede decedit, relictâ ſolâ filiâ HEMBVRGA monachâ; anno ſui regni octauo decimo, nati
675. Chriſti ſupra ſexcenteſimum ſeptuageſimo quinto: qui annus funeſtus itidem fuit morte Cedcualdi regis Saxonum occiden-
Edelricus. talium. EDELRICVS fraternæ ditionis hæres, pietatis imitator non fuit: proximo enim à Vulferi morte anno, contra Lotharium regem Cantiæ comparat exercitum; eiusque prouinciam vaſtat; templa incendit; ſacra prophanaque eodem numero habet. In hoc crudeli alijs nocendi conatu de vitâ tollitur; & Oſtrida, patris apoſtatæ filia, & viri apoſtatæ vxor, à regni pri-
697. matibus interficitur, anno ſupra ſexcenteſimum nonageſimo ſe-
Edelredus. ptimo. EDELREDVS quartus, natu minimus Pendæ filius, ad dignitatem regiam euehitur. Is in Cantiam eruptionem faciens, magnas clades infert in diœceſi Roffenſi; & epiſcopi ſedem, & ipſam vrbem incendit. Cum annum vnum & triginta re-
Chenredus. gnum tenuiſſet; adminiſtrationis pertæſus, id CHENREDO fratris filio committit: ipſe vitam ſolitariam, quam tum religioſam autumabant, ſectatur; è rege factus abbas, anno ſupra ſeptin-
707. genteſimum ſeptimo.

CHENREDVS cum tempore exiguo regnaſſet; patrui ſecutus ſuperſtitionem, Romam proficiſcitur; & otium clauſtrale regni curis antefert, vt eſt apud Bedam. Meminerunt alterius Chenredi, qui Romam iuerit, Gemblacenſis & Vrsbergius: ſed neque de ſuperiore Northumbrico, neque de hoc rege Mercio poteſt intelligi; id enim tempora ſatis indicant. Chenredus iſte, cum omnem abieciſſet in patriam redeundi voluntatem; CE-
Ceolredus. OLREDO fratris filio regnum committit, in quâ ſententiâ eſt
Cedvolfus. Beda; vt alij ſcribunt, CEDVOLFO fratri habenas gubernationis tradidit; qui tantæ integritatis & virtutis æſtimatione fuit, vt ſublato Osredo Northumbrorum rege, in ipſius locum ſummo populorum conſenſu eligeretur.

Edelvaldus. Poſt ipſum, in Mercijs regnat EDELVALDVS, anno ſupra
740. ſeptingenteſimum quadrageſimo: is Edberto Northumbrico cum Pictis pugnante, in prouinciam abſentis irruptionem facit; & imperium longè lateque propagat, & reges habet tributarios: tandem extremâ ſenectute à ſuis miniſtris per inſidias noctu opprimitur, anno Chriſti ſupra ſeptingenteſimum quinquageſimo
757. ſeptimo.

BEN-

BENREDVS regis parricida, regno potitur, quod expetiuerat: idq́ue eodem anno amittit eo ſcelere, quo acquiſiuerat. Ab eo transfertur ad OFFAM; qui Northumbros rapinis infeſtat; & crudelis domi, atque ſacrilegus cùm alia bona, tùm etiam Eccleſiaſtica diſsipat. Eo defuncto CENVLFVS, ex aliâ ſtirpe rex ſuccedit; cuius mandato Alcuinus, vir ſui ſeculi præſtantiſsimus, Bedæ diſcipulus, ad Carolum Magnum legatus iuit; in cuius poſtea aulâ & familiaritate permanſit. Reges Merciorum Benredus. Offa. Cenulfus.

OFFA reliquerat filium ECFRIDVM & ECFRIDAM filiam: ſed filius regnum paucos menſes retinet. Inde CENVLFVS ſceptro ornatur, hæres iuſtus, qui regnat annos viginti: eius filius CENELMVS ſeptem annorum puer, educandus traditur ſorori CHVNREDÆ (alij alijs hanc nominibus appellant) quæ maiore, quàm pro ſexu, audaciâ puerum tradit venatori interficiendum: cuius corpus inter fruteta abiectum, & in ſolitudine inuentum facinus prodit: ipſe inter diuos relatus; quem cæſum eſſe III. Non. Nouemb. Natalis Venetus ſcribit. Inde ad BERVOLFVM vsque nemo celebris; qui ab Ecberto Saxone occidentali cum cæteris victus eſt: cum inſula tot regnorum, in vnius dominatum veniret. Ecfridus. Cenulfus. Beruolfus.

DE REGIBVS SAXONVM Meridionalium.

SAxones meridionales ſeu Auſtrales regem proprium vix vllum habuêre; expoſiti armis atque iniurijs littoralium, & vicinis ferè regibus ſubiecti: idcircò in hoc regno non ſucceſsio generis, ſed fortunæ valuit. Hos Saxones ab orientalibus vnâ ex parte fluuius Humber diuidit, quem Ptolomæo Albim fuiſſe volunt. Horum reges ferè celebrantur, qui Chriſtiani fuêre; nam cum religione ſtudia culta ſunt neceſſariò; nimirum à viris eruditiſsimis & linguarum peritiſsimis initio tradita.

Primus rex ELLA memoratur cui: quis ſucceſſerit, non credo traditum: donec ad INAM peruentum, quem regem Merciorum vocat Gemblacenſis, hic ſacris initiatur cum Edelfrido Northumbrico anno Chriſti ſupra ſexcenteſimum primo, vt Marianus Scotus tempora obſeruauit, Imperatoris Mauricij ſexto decimo. Inæ frater fuit CHENREDVS; qui filium genuit ALDHELMVM Monachum Malbesburienſem, & eius Collegij gymnaſiarcham: qui ſuæ ætatis princeps Theologorum in regno habitus propter peritiam linguarũ & facundiam. Ella. Ina. 601.

Eum

Reges Saxonum occidentalium. Eum in carmine Sedulij, Scoti imitatorem fuiſſe; & ad eius exemplum librum eximium ſcripſiſſe de virginitate, Beda auctor eſt; quem adhuc cum alijs quibusdam extare Balæus teſtatur, rerum patriarum inquiſitor diligens. Alter ab eo rex CEVNLINVS Saxonum Occidentalium: quorum duorum imperium durauit annos circiter ſeptuaginta. *Ceunlinus.*

Edelbertus. *Redualdus.* Poſt hunc EDELBERTVS, rex Vuitorum in Cantiâ: tum REDVALDVS Anglorum orientalium, de quibus ſingulis ſcriptum ſupra eſt, quantum nobis materiæ libri antiqui dederunt, & imperita olim reliquerunt tempora.

Eduinus. *Osualdus.* *Osuinus.* Secuti hos ſunt tres Northumbrici, EDVINVS, eiusque ſororis filius OSVALDVS, & huius filius OSVINVS: qui cum optimi & religionis amantiſsimi fuerint, armis præterea clari atque potentes, regni ſtatus annos circiter quadraginta in non mediocri incremento fuit. EDVINVS, præter hos Saxones mediterraneos Anglis, Britanis in Britaniâ habitantibus, Cantuarienſibus, Britanis inſulanis, Meuanias colentibus imperauit. OSVALDVS & OSVINVS Pictos inſuper & Scotos addiderunt, eosdemque fecerunt tributarios.

Edeinaldus. Poſt Northumbricos additur EDELVALDVS; qui aliud regnum quàm Saxonum Meridionalium poſſediſſe non legitur: & niſi Vulfero regi Merciorum paruit, alij nulli paruit: ipſius enim hortatu religionis & fidei ſacramento ſe obligauit; eique Vulferus fide iubendo affuit, & gratulationis ergò inſulam Vectam & prouinciam Meaunicam, in occidentali Saxonicâ ſitam, loco honorarij adiecit. Ebba item vxor in ſuâ patriâ, Vuictionum ſcilicet prouincia, ſacris Chriſtianæ profeſsionis initiatur: fuit hæc filia Enfridi, fratris Encheri; qui ambo religionis ſanctæ cultores fuerunt: num regiæ ſtirpis fuerint, expreſsè proditum non eſt.

Cedoualdus. CEDOVALDVS verò regiâ Saxonum occidentalium gente ortus, poſt libertatem patriæ redditam, maiora ſpe concipiens, Edelualdo iſto ſuperato & occiſo, totum eius regnum, quod aliquandiu (vt diximus) floruerat, triſtiſsimo latrocinio depopulatur: à Berthuno tamen & Anthuno præfectis regijs, non minore ſucceſſu ſtatim expellitur: qui ſibi nullo alio obſtante, per tumultum iſtam etiam prouinciam & regnum vendicarunt. Sed Berthunus odio vindictaque longius progreſſus: cum populos occidentales vexaret incurſionibus, à Cedoualdo victus, & ſibi accerſiuit præmaturum interitum, & populo duriſsimam ſeruitutem.

DE REGIBVS SAXONVM Occidentalium.

REcenſendi ſunt ad extremũ reges Saxonum occidentalium, qui genti Geuiſſorum imperârunt, & tandem ſingulari fato, totius inſulæ imperio cæteris ſubactis potiti ſunt: nam communis diſſenſio exitium ſingulorum fuit. Primum regem in hâc gente Beda ſcribit CEVNLINVM vel Celinum: Secundus ZVICHELMVS fuit, qui & orientalibus Saxonibus, (vt paulò antè expoſuimus) dominabatur. Poſt hunc CHVNHILDVS, qui in libris vetuſtis ſcribitur Cyngilus. Hic cum ſuis ſubditis ad religionem Chriſtianam aſpirans, Osualdo Northumbrico auctore atque ſponſore, ſacris vndis more Chriſtiano abluitur; & corpori piorum è ſuâ ſtirpe primus aſſociatur, circa annũ Chriſti ſupra ſexcenteſimum trigeſimum; ſedente Honorio primo, imperij Heraclij anno ſeptimo & decimo. Huius filia CHVNHILDIS Osualdo nupſit: & filius CHVNVALDVS patri diſsimilimus & alienus à religione, ſtatim honore & dignitate excidit, nam propter delicias pellicis, coniuge Chunſuindâ, Pendæ I. Merciorum regis filiâ repudiata, armis à ſocero eijcitur. Exul ad Annam Anglorum orientalium regem ſe contulit. Cum abſque religionis ſcientiâ & defenſione, redeundi in regnum ſpem nullam poſſet concipere; eam edoctus à Gilberto poſtea Pariſienſe Epiſcopo, poſt annum tertium in locum veterem reſtituitur. Gilbertum deinceps, quaſi lingue Saxonicæ expertem, à ſe ablegat: & alium, quem intelligeret, ſubſtituit; quem paulò pòſt etiam è ditione pellit: quod leuis & libidinoſus ferre illorum obiurgationes non poſſet. Deum igitur cum non curaret, & ſacros audire doctores grauaretur: nullâ apud populum æſtimatione, imo magnarum potius diſſenſionum auctor impius extitit; nec, vt voluit, regni adminiſtratione potuit frui. Accerſit tandem tertium epiſcopum Eleutherium, Gilberti nepotem; cum quo ei melius quidem quàm cum cæteris conuenit; ſed ipſe tamen ſimilis ſui permanſit.

Ceunlinus. *Zuichelmus* *Chunhildus.* 630. *Chunualdus*

Statim atque è vitâ exceſsit; ipſius principes & optimates adminiſtrationem publicam ſuſcipiunt, regnumque diuiſum non regio nomine, ſed regiâ auctoritate tuentur annos decem.

Interregnum annorum X.

CEDO-

Reges Saxonum Occidentalium.
Cedoualdus.

CÆDOVALDVS illuſtri ſtirpe progenitus, CADVÆ (vt ſcribit Gemblacenſis) filius, ſummæ virtutis adoleſcens, doluit nonnullorum hominum indigniſsimorum libidini regnum exponi, neque regium amplius nomen à ſubditis audiri; ideò aliquid audendum ratus, de regno occupando cogitationem ſuſcepit: addebant illi animos nobilitas, quod dignus potentiâ videretur; & extimulabat paupertas, quòd exilium non ſatis æquo animo toleraret. Ambiens fortiſsimum quenque, & beneuolentiâ populum complectens, & cum optimatibus diſsimulanter & quaſi populariter viuens, tacita ſibi auxilia comparat; quibus cùm inſtructus ſatis eſſet; arma non abnuente populo ſumit, ſtatum optimatium tollit; & ſingularem in ſe transfert poteſtatem: vtq; vires ſuas ſtabiliret, Saxones meridionales ſibi ſubijcit non ſine difficultate: in eosque cùm nouis molitionibus imperium detrectarent, pænè crudeliter imperat. Succeſſu elatus, reliquos reges aggreditur; neque cum hoſte quoquam dimicauit, quo ſuperior non extiterit; adeò vt totius ferè Inſulæ monarcha fieret: & (vt coniectura eſt) factus eſſet, niſi priuatam colere vitam ſenex maluiſſet: vel fortunæ diffidens, quod à fortiſsimis ſæpè factum eſt, vt eius mutabilitatem declinarent: vel amore religionis ſuccenſus, ad quam eum Chunibertus rex Galliæ fuerat adhortatus: vel ſcelerum pœnitentiâ, quæ in armis perpetuò degens perpetrauerat: fuerat enim in omni victoriâ crudelis & ingenio Britanico, Anglis omnibus infeſtiſsimus; quorum etiam delere nomen ſtatuit, vt in Vectâ Inſulâ facere cœpit; cuius & plebem & nobilitatem extinxit. Romam iuiſſe, vt vitam ſolitariam duceret, ſcribit Vrsbergius; eumque ibi à Sergio Pontifice ſacris aquis tinctum, cumque in albis eſſet adhuc, ſtatim mortuum tradit. Beda ſibi contrarius eſt, qui vno loco idem ſcribit, quod Gemblacenſis, nempè quod tranquillâ adminiſtratione obierit: alio loco cæſum ab Oſualdo Northumbrico refert: quam diuerſitatem etiam aduertit Gemblacenſis; qui ait, Cedoualdum annis octo & quadraginta regnaſſe, & in pace eſſe defunctum: Beda plus minusvè triginta omninò, vixiſſe. Idem contra Vrsbergium non in albis mortuum, ſed multò antè fuiſſe baptiſmo lotum. Hic fuit ſemper atrociſsimus: nam ſocijs, religionis hoſtibus, vſus in bello eſt, & cum in Inſulâ Vectâ omnes habitatores cæderet, inter effundendum ſanguinem, quibus placuit, hanc veniam concedit; vt antè baptizarentur, quàm truncarentur ferro. Ei propter fortitudinem præclaram, & delictorum maximorum pœnitudinem, ſtatua equeſtris ænea eſt Londini in celebri vrbis loco poſita;

co poſita: & Romæ erectus tumulus, cum inſcriptione in quâ rex Saxonum appellatur. Fuit, vt dictum eſt, rex armis feliciſsimus, quique parem ſuæ ætatis habuit neminem. Vnum regem cepit, Pendam I. Merciorum: vnum fugauit, Lotharium Cantianorum: quatuor in acie interfecit; Eduinum Northumbrorum; Osricum Deiorum, Eidfridum Bernicorum, Edelualdum Saxonum meridionalium. *Reges Saxonum occidentalium.*

Succedit ei de ſtirpe regiâ IVLIVS; nam illum hæredem reliquiſſe, non eſt proditum: hic poſſedit regnum annos ſeptem & triginta; feſſusq; curis & ſenio confectus, alijs id committit: exempla Saxonum priorum ſecutus religioſa, ſacram peregrinationem in Italiam ad Diui Petri templum ſuſcipit, & in eâ vrbe vitam finit: ſtatu regio & patrio nomine, vt moris erat, ſi viuere in cœnobijs vellent, mutato. Contulerant Saxones opes magnas ad templum Spiritui ſancto dicatum, & ad domum vicinam, in quâ receptus fuit hoſpitibus Illuſtribus, qui religionis gratiâ ibi viuebant, & de collatis ad id reditibus pauperibus prolixè commodabant; ipſi moderatè alebantur. Id templum adhuc in viâ olim Triumphali cum hoſpitio ampliſsimum cernitur; & à poſteris auctum annuis prouentibus eſt plurimum, donec rurſus in rapinas datum, & noſtro tempore ad luxum dicitur conuerſum. *Iulius.*

A Gemblacenſe etiam ponitur CADVALADRVS, non Iulij, quem omittit, ſed Cedoualdi filius: qui armis fatigatus hoſtilibus, anno regni duodecimo, in minorem Britaniam, quietis cauſſâ ſecedit: cumque dignitatis recuperandæ conſilium amicis probare non poſſet; Romam itidem ſe conferens, priuatus obijt: ſacris ablutus Petri nomen accipit, vt tradit Ditericus Enhelfuſius. Obijt XII. Cal. Maij, adhuc in albis, vt locuti ſunt veteres conſtitutus. *Caduala-drus.*

Poſt hunc Rex fuit EDELHARDVS, qui moritur anno ſupra ſeptingenteſimum quadrageſimo primo. Ab eo CHENREDVS anno ſui regni nono Ecberto Northumbrico bellum facit. Vltimus CHVNNOLFVS, anno ſupra ſeptingenteſimũ quinquageſimo ſeptimo è viuis excedit; quod demum aſtutiſsimo & fortiſſimo regi Ecberto traditur victorum victori. *Edelhardus 741. Chenredus. Chunnolfus. 757.*

Hæc de regnis Britanicis à Saxonibus in Inſulâ nobiliſsimâ conſtitutis, dicenda viſa ſunt: vt maiorum noſtrorum virtus ſemper maxima & conſpicua atque inſignis fuiſſe ſciatur. Nunc ordo poſtulat, vt enarretur, quomodo totius inſulæ imperium ad vnum tandem hominem ſit delatum.

DE REGIBVS ANGLICIS A SAXOnibus occidentalibus propagatis.

1. Ecbertus Rex Saxonum Occidentalium.
   - 2. Edelwolfus. Vxor Iuditha Caroli Calui Imp. F.
     - 3. Edelbertus.
     - 4. Edelredus.
     - 5. Alfridus I.
     - 6. Eduardus I. Vxor Edgina plebeia.
       - Edgina vxor Caroli Simplicis Franciæ.
         - Giſela vx. Conradi II. Salequi, Imp.
         - Blancaſchidis vxor Vilhelmi Com Aureliani.
           - Ludouicus Barbatus I. Comes Turingiæ.
       - Blancha vxor Ludouici IV. Regis Franciæ.
       - 7. Adelſtanus
         - 10. Eduinus.
         - 11. Edgarus. Vxores duæ:
           - 1. Ildentrudis.
           - 2 Mathildis D. Luneburgij F.
             - Ildentrudis vxor Balduini II. Com. Flandriæ.
             - 12 Eduardus cæſus à nouerca
             - 13. Edelredus III. Vxores duæ:
               - 1. Emma Richardi II D. Northumbriæ F.
               - 2 Edelinda plebeia.
                 - 18. Alfredus II.
                 - 19. Eduardus Diuus. Vxor Editha, Com. Goduini Filia.
                 - 14 Edmundus II.
                 - Adelſtanus.
       - 8. Edmundus I.
         - Editha vxor Othonis Magni, Imp. & Ducis Saxoniæ.
       - 9 Edelredus II.
   - Hermingardis vxor Lotharij I. Imp.
   - Iuditha vxor Ernsti Guelfi D. Bauariæ.

EX DANIS.

Haraldus.
- 15. Canutus Magnus. Vxores duæ:
  - 1. Emma Regis Edelredi vidua.
  - 2 Gemilda.
    - 17. Canutus II.
    - Chunhilda vxor Henrici III. Imp.
    - Tira vxor Goduini C. Cantiani.
      - 16. Haraldus. Vxor Iutha Balduini VI. C. Flandriæ filia.
- Oſtrida vxor Richardi II. D. Normani.

EX

EX NORMANIS.

20. *Vilhelmus.* *Vxor Mathildis Balduini VI. Com. Flandriæ F.*

Adela vxor Stephani C. Bleſenſis. — 22. *Henricus I.* — 21. *Vilhelmus II. Rufus.* — *Robertus.*

Henricus Præſul Vintonienſis. — 23. *Stephanus.* — *Mathilda vxor 1. Henrici V. Imp. 2. Gaufredi Com. Andegaueni.* — *N. vxor Hugonis C. Montgummery.*

24. *Henricus I.*

Mathildis vxor Henrici Leonis D. Brunſvigi & Elect. Sax. — 25. *Richardus I.* — 26. *Iohannes*

Otto IV. Imp. Dux Saxoniæ. — *Richardus Rex Romanorum.* — 27. *Henricus III.* — *Iſabella vxor Friderici II. Imp.*

28. *Eduardus I.*

29. *Eduardus II.* — *Eliſabeth vxor Ioannis Com. Hollandiæ.*

30. *Eduardus III. Vxor Helena Caroli IV. Imp. F.*

✱

31. *Richardus II.*

✱

32. *Henricus IV.*

Philippa vxor Regis Daniæ. — *Blancha vx. Ludouici Electoris Palatini.* — 33. *Henricus V.* — *Humfredus Vxor Iacobe Vilhelmi D. Brabantiæ F.*

34. *Henricus VI.*

✱ — ✱

37. *Richardus IV. Vxor Anna Venceslai Imp. F.* — 35. *Eduardus IV. Vxor Lauda Philippi D. Burgundiæ F.* — *Margaretha Vxor altera Caroli Ducis Burgundiæ.* — 38. *Henricus VII.*

36. *Eduardus V. á patruo interfectus* — 39. *Henricus IIX. Vxores quatuor.* — *Arturus. Vxor Catharina R. Hiſpaniæ. F.*

1. *Catharina.* — 2. *Anna Bollina.* — 3. *Iohanna.* — 4. *Anna Ioannis Ducis Iuliacenſis F.*

41. *Maria vxor II. Philippi Archid. Auſtriæ Regis Hiſpaniæ.* — 40. *Eduardus VI.* — 42. *Eliſabetha.*

REGES ANGLIÆ *à Saxonibus.*

Angliæ Reges à Saxonibus. REſtat vt Regum reliquorum nomina percurramus, partim qui à ſanguine Saxonico ſunt propagati, qui res poſteritate dignas geſſerunt: partim qui ſunt à Normanis atque Francis orti, nam & ipſi pro libertate pugnarunt acerrimè: & cum principibus Germanis atque Imperatoribus vetera ac multa iura affinitatis & cognationis illis omnibus intercedunt. Itaque quadrageſimo ferè poſt Chunolſum, vel (vt Beda qui ſuam ipſi
I. Ecbertus hiſtoriam inſcripſit) Cedolſum anno, ECBERTVS, rex Saxonum occidentalium, ad totam Inſulam ſui iuris faciendam, impetum conuertit; quod ante ipſum quidem etiam agitauerat Cedoualdus, regum fortunatiſsimus; ſed id conſecutus non eſt, quia cœpta illa magna mors inuida abrupit. Erant inter tot reges bella frequentia; eaque calamitates annuæ ſequebantur: cum alij aut à ſuis propinquis diſsiderent, aut ambitione raperentur ad cupiditates iniuſtas: quibusdam præterea cum ſuis populis malè conueniret; vel quod nimis indulgerent familiaribus aulicis; vel quod populum exactionum onere valdè grauarent; vel quod planè nihil curarent regnum; aliorum vtentes oculis, linguis, manibus, & (vt ita dicam) ſenſu ac cogitationibus: quod ſcilicet tum fit, vbi non verè viuitur; neq; adminiſtratio, vt fieri debet, ritè atque ſanctè ad communem vtilitatem refertur. In regnis verò hoc quandocunq; fit; magnis coniecturis vel certis potius rationibus licet diuinare, non fore ſtabilia aut diuturna. Accedebant ipſorum regum libidines, quas etiam in Epiſtolâ quâdam Bonifacius Epiſcopus reprehendit: eæ ſolent eſſe & imperiorum & vrbium magnarum excidia, & maturare gentium interitum. ECBERTVS igitur quaſi diuinitus excitatus, vnum conſtituere regnum decreuit, præuidens fore, vt diſcordiæ inteſtinæ ceſſarent, & vires popularium, quaſi in vno corpore conſentientes & coniunctæ alijs timendæ eſſent. Quamobrem regibus alijs aut exactis, aut ſubactis, inter quos memorantur Eiteluolfus Cantianorum, Hardolfus Northumbrorum, Beruolfus Merciorum, Sudredus Saxonum Orientalium, Chunuolfus occidentalium: in vnum populum inſulam omnem colligit, & inde Magni cognomentum ſibi acquirit. Circa annum Chriſti octingenteſimum, cum biennio pòſt Carolus Magnus Imperator
800. declararetur, & Leo III. Pontifex ſedem Romanam teneret, &

Irene

Irene Conſtantinopolitanis imperaret. ECBERTVS Inſulâ nobiliſsimâ potitus Britaniæ, & Albionis antiquat nomina vetuſta, eamque Angliam appellat, ab Anglis nimirum gente Germanica, quæ cum Saxonibus & Vuitis in Britaniam nauigauerat, & ab eâdem originem nobilitatis acceperat: Ditmarus Mersburgius ſcribit, Anglos ſiue à facie Angelicâ, id eſt, pulchrâ dictos; ſiue quod in angulo terræ ſiti ſint: ſed qui has atque alias quærunt nominis Anglici cauſas, id putidè facere ineptéque videntur: tum enim apud barbaros oratio linguæ latinæ tanta habita non fuit, præſertim lapſo iam Romanorum imperio. Regum Anglicorum nomina apponam inprimis, vt quâ cognatione ſanguinis Germanicos Imperatores & principes attingant, aliquid addatur è noſtris Annalibus; cum ſatis luculentè à Polydoro Virgilio res ipſorum ad poſteritatem ſint transmiſſæ, item à Maiore & Balæo.

Angliæ Reges à Saxonibus.

Anglia vnde dicta.

ECBERTVS Magnus, qui inſulæ imperium ſibi vſurpauit, ſeptem & triginta annis regnat. Filia eius prima HERMINGARDIS Lothario I. Imperatoris Ludouici Pij filio; altera IVDITHA locata fuit connubio Erico, ſeu (vt ſcribitur vulgo) Ethiconi Guelfo ſecundo Comiti Rauensburgio: cuius frater Henricus, à Ludouico Pio Imp. Bauariæ principatum accepit, vt annales Saxonici & Chronicum Vinetanum teſtantur. Huius temporibus Vunfridus Anglus, (qui poſtea Bonifacius appellatus) in Germaniam veniens, antiſtes Moguntinus declaratur.

EDELHOLFVS, cuius vxor Iuditha, Caroli calui Imperatoris, vnica filia, è qua nullam ſobolem genuit. Viduam Balduinus, cognomento Ferreus, in patriam redeuntem intercipit, & vxorem ducit, qui Flandriæ comes, à ſocero Imperatore, paulò pòſt creatur. *2. Edelholfus.*

EDELBERTVS. *3. Edelbertus*

EDELREDVS I. *4. Edelredus I.*

ALFREDVS I. ob res geſtas etiam dictus Magnus: is Rollonem regem Normanorum, & Vuormum regem Danorum, incurſionibus grauat, ex Inſulâ expellit; nec non Adeluoldo fratri ſeditioſo reſiſtit. Tranquillitatem nactus, Oxonienſem inſtituit Academiam. Rollo, poſtquam eſt factus Chriſtianus, dicitur Robertus. Vuormus, quod vermem ſonat, vt Helmoldus presbyter Lubecenſis exponit, à Lazio Gormus, à Polydoro Guthormus non rectè appellatur *5. Alfredus*

EDVARDVS trium regum pater, ex Edginâ, vxore plebeiâ, *6. Eduardus*

 quam

Reges Angliæ à Saxonibus. quam ei virtus eximia conciliauit: dictus cognomento eſt Felix, vt Sarctorius tradit. Eius prima filia EDGINA (quam Cuſpianus Eliginiam, Æmilius Oginiam perperam nominant) fuit Carolo Simplici, regi Francorum nupta: ex quâ vnum tantum filium procreat., Ludouicum I. dictum Transmarinum. Altera filia BLANCHA Ludouico IIII. regi Franciæ deſponſata fuit: quæ illi peperit duas filias, GISELAM Conradi II. Imperatoris Saliqui coniugem; & BLANCASCIDIM VILHELMI Comitis Aureliani vxorem, matrem LVDOVICI I. Barbati; qui præfectus Turingiæ ab antiſtite Moguntino Hattone conſtituitur; à quo deinceps Turingiæ Comites & Landgrauij ſuam traxerunt originem.

7. Adelſtanus. ADELSTANVS Eduardi è plebeiâ vxore primus filius regum duorum pater; hic qui ope ſuâ & ſuppetijs Ludouicum, regem Franciæ ſororis ſuæ filium, in regnum reſtituit, contra Rodolphum Burgundum.

8. Edmundus. EDMVNDVS I. Adelſtani frater germanus (quem Roſuita Saxonica & Cuſpinianus viciosè Eduardum nominant) pater EDITHÆ, quam Otho I. cognomento Magnus, dux Saxoniæ, & Imp. ſibi matrimonio iunxit, optimam & modeſtiſsimam fœminam; cuius rogatu & precibus Magdeburgum pagum nobilem ampliauit, atque ex eo vrbem præclaram extruxit: cum marito Othone Imp. ibidem monumento inſigni conditur in ſummo templo, cuius ædificandi auctor fuerat. Edithæ vnicus fuit filius LVDOLPHVS dux Sueuiæ, patris aduerſarius, vir fortiſsimus.

9. Edelredus II. EDELREDVS II. Adelſtani & Edmundi frater.

10. Eduinus EDVINVS Adelſtani filius, libidinoſus.

11. Edgarus EDGARVS filius eiusdem Adelſtani, regum duorum pater, cognomento Pacificus; cuius filia, vt annales Saxonici, Ildendrudis: vt Lazius Iuditha, collocata fuit Balduino II. Comiti Flandriæ Balduini Ferrei filio. Qui ſcribunt contrarium, nempè Flandram regi Edgaro fuiſſe nuptam, contra annales noſtros ſcribunt. Regnauit annos nouem.

12. Eduardus. EDVARDVS, Edgari è primâ vxore Ildendrudi filius, à nouercâ occiditur, anno regni tertio, Othonis II. Imperatoris quarto. Inter diuos eum numerant & Italici & Anglici ſcriptores.

13. Edelredus. EDELREDVS III. è ſecundâ vxore Mathildi Luneburgiâ Edgari filius, matris aſtutiâ adipiſcitur regnum, antequam ſucceſsione ad ſe translatum eſſet: is quia matri conſenſit, in

maximas

maximas calamitates incidit; à regibus Danorum Suenone, Haroldo, Canuto, innumeris affectus incommodis. Eo mortuo, CANVTVS Londini, vxorem eius, & filios ADELSTANVM & EDMVNDVM (ita enim nominat Ditmarus Mersburgius) nauibus trecentis & quadraginta toto ſex menſium ſpacio obſidet; cum quo Regina paciſcitur ingenti precio pendendi auri argentique, & dandorum omnis generis armorum, miſsis etiam obſidibus trecentis. Filij eius ex vrbe noctu limbo fugiunt; & collecta vndique hominum fidorum manu, matrem liberare conantur. Commiſſo prælio, ex Anglis EDMVNDVS, è Danis Turgutus, claſsis Canutianæ præfectus, cadit; non ſine magna partis vtriusque clade. Victis Anglis, ADELSTANVS alias adducens copias; & diſperſas Edmundi colligens; cum iamiam adeſſe nunciaretur, Dani obſides omnes interficiunt, & fugam capeſſunt. Hæc vti ſcribit Ditmarus Mersburgius, retulimus; cætera Polydorus Anglus exequitur. Vxor eius prima Emma, Richardi II. ducis Nortmanorum filia, mater regum ALFREDI & EDVARDI, in quibus Anglica ſtirps deſijt: Altera Ethelinda, de humili proſapiâ, EDMVNDI & ADELSTANI mater. Edmundus oppetijt in patriâ, Adelſtanus obijt apud exteros priuatus. EDILREDI monumentum adhuc Londini extat his verbis perſcriptum. *Reges Angliæ à Suecis mbus.*

IN ISTO TVMVLO IACET EDELREDVS, QVONDAM REX ANGLIÆ, DE GENERE SAXONICO, FILIVS REGIS EDGARI, DICTI PACIFICI, ET PATER SANCTI EDVARDI, REGIS ET CONFESSORIS; QVI QVIDEM EDVARDVS IN SENECTVTE SVA BONA, VIRGO PERHENNIS MIGRAVIT AB HOC SECVLO; CVIVS CORPVS INCORRVPTVM IACET IN VVESTMONASTERIO. FVIT ETIAM PATER EDMVNDI REGIS, POSTQVAM AVTEM REGNAVERAT ANNOS XXXVIII. IN MAGNA TRIBVLATIONE ET PERSECVTIONE DANORVM, OBIIT XXIII. DIE MENSIS APRILIS, ANNO DOMINI M. XVI. ANNO ÆTATIS SVÆ XLVIII. ET HIC SEPVLTVRAM PROMERVIT: CVIVS ANIMÆ PROPICIETVR DEVS.

Reges Angliæ à Saxonibus. EDMVNDVS II. Edelredi filius pugnauit cum Canuto ſexies, totius regni viribus: Singulari demum prælio congreſſuri, conſilo amicorum, pacem ineunt, facto pacis initio ab ipſo Dano: erant autem regnis vtrinq; diuiſis, vt videbantur, contenti. Edmundus poſt exiguum tempus obit morte improuisâ, non ſine magnâ ſuſpicione partis ante aduerſarię, modo ſociæ. Eius filij de vxore Bimâ, armis Danicis conſumpti ſunt: ex alterâ minimus natu in Pannoniâ exulauit, & obijt priuatus: Nepotes verò in Scotiâ & Saxoniâ exules fuerunt: Neptis vna, cuius nomen non legi, nupta fuit regi Scotorum, octo liberorum parens: altera Chriſtina, Sacerdos vixit in Scotiâ; tertia Reinſuigis, cum aliquot puellis nobilibus in Turingiam venit, & vt annales produnt, Iſenacenſium cœnobium Settelſtadenſe, extra muros condidit; quod poſtea in vrbem Iſenacenſes tranſtulerunt.

REGES ANGLIÆ A DANIS.

15. Canutus. CANVTVS, Haraldi filius, Anglorum rex ſalutatur anno, à nato Chriſto ſupra milleſimum decimo ſeptimo, anno Henrici II. Imp. decimo quinto; Vxorem habuit Gemildam; ex quâ genuit Tyram filiam, HARALDI matrem; deinde Emmam Edelredi regis viduam, vt ſibi animos popularium deuinciret, duxit. Ex eâ genuit CANVTVM filium, & CHVNHILDAM filiam, Henrici III. Imp. vxorem primam; quam Gonnildam vocat Polydorus, Chunegundim Cuſpinianus, qui & Canutum regem, Cynitonem nominat, libris corruptis deceptus. Canutus domi ſuæ Anglorum vtitur armis contra Noruegos. Demum in maximâ gloria & quinq; regnorum poſſeſſione, ſubitâ & inopinatâ morte tollitur.

16. Haraldus. HARALDVS non Canuti (vt putant multi) filius, ſed nepos, è Tyrâ filiâ, quæ Golduino, comiti Cantiano, deſponſata fuit. Hic Emmam nouercam proſcribit, & eius filijs inſidiatur, auo Canuto nec virtute, nec humanitate conferendus, regnat annos quatuor. Gener fuit Balduini VI. Flandriæ & Inſularum comitis, qui à pulcrâ barbâ nomen habuit. Vxor eius in noſtris Annalibus dicitur Iutta, in externis Viganda: quæ poſt obitum mariti vidua, Vuelfoni VI. Bauaro nupſit, filio Cungundis, ſeu (vt Itali) Chuniſſæ, marchionis Eſtenſis in Italiâ Tranſpadana; à Vuilhelmo Normano in prælio occiditur.

17. Canutus II. CANVTVS, Canuti ex Emmâ filius, nouercam vlſciſcitur; corpus Haraldi effoſſum, ac capite minutum, in profluentem conijcit.

ALFRE-

ALFREDVS II. Edelredi ex Emmâ filius. Sub hoc Dani interfecti, & ſanctio facta eſt, ne quis vnquam Danorum in regem eligeretur: negari illis etiam cœpta ſunt connubia: Angliam Inſulam nobiliſsimam tenuerunt Dani circa annos quinq; & viginti, ſuprema poteſtate. Alfredus tandem à Golduino Comite Cantiano de vitâ veneno tollitur. *Angliæ Reges à Normanni. 18. Alfredus II.*

EDVARDVS III. Pius nominatus: cuius vxor fuit Editha, Goduini Comitis filia. *19. Eduardus.*

REGES ANGLIÆ A NORMANIS.

Poſt hunc regem Nortmani inuaſerunt regnum; è quorum ſtirpe reges ſunt, qui ſequuntur: quorum nomina de causâ, quâ ſupra, ſubijciam; vt affinitates & fœdera cum noſtris & alijs Germaniæ principibus exequar: quod lector boni conſulet, quia ſolitâ breuitate id faciam.

VVILHELMVS I. Auſterus, dictus Conquæſtor Roberti Nortmani filius, Richardi nepos, vt Iuo Carnutenſis Card. ſcribit in Epiſtolis. Vxor eius Mathildis, Balduini VI. de quo modò diximus, filia. Huius temporibus, circa annum ſupra milleſimum ſexageſimum ſextum tres reges AngliSaxonum (vt Lambertus ſcribit) cum infinito exercitu ad internecionem vsque ſunt deleti: de Haraldo & fratre eius Toſtone, certum eſt: tertius qui fuerit minus notum. E regio ſanguine adoleſcentem fuiſſe, vel Edmundi II. filium qui in Pannoniâ exulauit: vel Edmundi nepotem, dictum Eduardum, eſt veriſimile. Eo autem prælio, in quo reges illi interfecti, Vuilhelmus Nortmanus regno Angliæ potitus eſt, anno decimo Henrici Imp. IIII. Vuilhelmo equus ferox aſsiliens inteſtina rupit: primus trium leonum inſignia ſibi ſumpſit: Obijt VIII. Id. Sep. anno regni ſui ſecundo & vigeſimo, à Christo nato ſupra milleſimum octauo & octuageſimo. *20. Vuilhelmus I. 1066. 1088.*

VILHELMVS II. Ruffus, tertius Vilhelmi filius, in regno occupando Robertum fratrem præuenit; homo crudelis & auarus. Perijt in venatione telo patruelis, vt nonnulli ſcribunt; incauti venatoris, vt alij; anno ſupra milleſimum centeſimum primo. *21. Vuilhelmus II. 1101.*

HENRICVS I. alter Vilhelmi primi filius, quem Sarctorius ſcribit fuiſſe cognomento dictum Sacerdotem, fuit pater Mathildis; quæ nupta Heinrico V. Imp. mater vixit infœcunda; poſt cuius obitum Gaufredo Comiti Andegaueno collocata, mater fit Henrici II. regis Angliæ. Altera eius filia, cum eſſet iungenda amitæ ſuæ filio Hugoni Comiti montis *22. Henricus I.*

Gummeri;

Reges Angliæ à Francis.

Gummeri; Iuo Carnotenſis eas nuptias diremit; ad Henricum regem ſcribens in hæc verba: Coniunctionibus incertis veniæ nihil reſeruamus, niſi inceſtum ſeparatione ſanauerimus. Cum enim reuereamur regum temporalium potentiam; magis nos reuereri oportet regis æterni omnipotentiam. Nuptiæ igitur illæ non ſunt conciliatæ, cum Rex & Dei mandatum obſeruaret, & præſulis auctoritati tantum tribueret, quantum par erat & conueniens. Eſu piſcis murenæ febrim contrahit & moritur.

23. Stephanus.

STEPHANVS Adelæ, ſororis Henrici I. filius, ex Stephano comite Bleſenſe natus, operâ Henrici Vintonienſis præſulis fratris ſui rex creatur ê familiâ nobili Andegauenâ Gallicâ.

REGES ANGLIÆ à Francis.

24. Henricus II.

HENRICVS II. non Stephani filius, vt Lazius, ſed Gaufredi comitis (vt dixi) Andegaueni, Henrici I. regis nepos è filia: Pater regum duorum & auus maternus Othonis IIII. ducis Saxoniæ & Imperatoris. Eius enim filia Mathildis, Henrici Leonis Electoris Saxoniæ & ducis Bauariæ fuit vxor: ex quo procreati ſunt Heinricus dux Saxoniæ, Otho IIII. Imp. & Vilhelmus. Militantibus in Paleſtinâ ſuas hic rex adjungit copias.

25. Richardus I.

RICHARDVS I. qui animoſitate cor Leonis dictus eſt, homo ferociſſimus (ut ait Vrſpergius) gloriæ cupidus, pecuniæ liberalis. In Aſia unà cum Germanicis & Gallicis pugnavit exercitibus contra Saracenos, quibus terrori fuit In inſulâ Cypro cum à portu arceretur, in quem delatus tempeſtate erat, neq; inueniret claſsi hoſpitium: ipſum portum expugnat, Græcos inſulâ pellit, Saxonicum præſidium imponit; & conceſſu Guidonis Luſignani, qui rex Hieroſolymorum erat, ſumit ſibi ejus regni titulum, quo longo tempore ſunt reges Angliæ vſi. Comnenum. Iſaacium, inſulæ tyrannum, mandat vinculis: inde abiturus, hominem nefarium ſuo cuidam nobili donat pro mancipio. Inſulam ipſam pro ſuâ tradit regi Ieroſolymitano: vt amiſſo regno in Cypro, ſedem haberet, & à Saracenis eſſet ſecurior, vt ſcribit Nicetas. Erat in Richardo tam magnus atq; elatus animus: vt ſi eodem omnes fuiſſent reliqui Chriſtiani, Ægypto & Syriâ potiri potuiſſent. Tulit ſuæ virtutis gratiam exiguam: nam propter bellum Gallicum & ſimultates aliorum principum, domum redire coactus eſt. Iter faciens per Germaniam in diœceſi Salceburgiâ capitur à Leopoldo duce Auſtriaco; cum quo contentionem de glo-

riâ

riâ ſuſceperat Ptolemaide. Detinetur primum Viennæ, mox ab eodem mittitur ad Henricum VI. Imp. eum in cuſtodiam Ratisbonenſem tradit, donec ſolueret mulctam pecuniariam, à duce & Imperatore mandatam. Albertus Argentinenſis adhuc extare ſcribit monumentum Viennæ, inter turrim rubeam, & à ſale cognominatam; effigiem videlicet capti regis, in ſtatuâ lapideâ. Factum id eſt à nato Chriſto ſupra milleſimum anno centeſimo nonageſimo tertio. Scitum eſt, quod tradit Engelhuſius, Fulconem quendam Sacerdotem Regi in Syriâ dixiſſe: Vt filias ſuas tres nuptum daret: rex cui nulla erat filia, admiratus, dicti poſtulauit explicationem: Habes (inquit Fulco) ſuperbiam, auaritiam, libidinem; quas niſi alijs tradideris, ruinam afferent regiæ familiæ. Vrbanè & ex tempore rex reſpondet: Pulchrè mones: & quia moram hoc negotium non fert, en trado tibi Sacerdoti natu minimam, alteram monachis, grandiorem templarijs. Hi tum recentem ortum acceperant, & arma tractabant, & erant præfecti fundis eccleſiaſticis, & curabant eleemoſynas. Hoc dicterio cum exhilarati eſſent cæteri, regij familiares cenſebant proteruiam Fulconis eſſe puniendam. Iniqui eſtis homines, rex ait; nam quibus filias locaui, præmia merentur, non ſupplicium: nam ſatis ſupplicij habebunt, ſi coniuges iſtæ illis diu fuerint ſaluæ & ſuperſtites. Domum reuerſus, Heinricum ducem Saxoniæ Leonem, affinem ſuum à Friderico Barbaroſsâ Imp. ditionibus ampliſsimis exutum, & ad ſe confugientem, multis afficit beneficijs, & nouis etiam inſignibus decorat. Auentinus accuſat & Richardum regem, & Henricum Brunſuigium; quòd ille iuſſerit, & hic ſuaſerit, antiſtitem Cantuarienſem eſſe interficiendum: Sarctorius ſcribit, Ericum Grubenhagium, eiusq; filium conſenſiſſe in viri ampliſsimi necẽ. Telo catapultę rex iſte occiſus fertur.

Reges Angliæ à Francis.

1193.

IOANNES Richardi frater, cognomento Ignauus, & rex ſine ditione appellatur. Filiam eius Friderici II. Imp. vxorem vltimam, Polydorus nominat rectè Iſabellam; Cuſpianus minus rectè Mathildim, ex hac etiam genitas ſcribit Agnetem Conrado Turingiæ; Conſtantiam Ludouico Haſsiæ Lantgrauio, deſponſatam: ſed ego nec in Turingicis nec in Haſsicis annalibus diligenter excuſsis, obſeruare potui, verum eſſe. Filius Iſabellæ Iordanes natus eſt illi Rauennæ, tum alter etiam Henricus: hunc pater infantem adhuc regno Siciliæ præfecit, quod aſſerit Petrus Vinea. Ioannes rex planè infelix fuit: de eius controuerſiâ cum Philippo rege Franciæ, extat decretum Innocentij III. ad Franciæ præfectos.

26. Ioannes

Eidem

Reges Angliæ à Francis. Eidem Anglia, à Nortmanis, violenter eripitur, eo anno, quo Othonem IIII. Imp. Philippus vicit: qui Germaniâ pulſus, ad regem in Angliam contendit, & auxilia impetrat contra Fridericum II. ſed eius cum videret potentiæ reſiſti non poſſe, in Saxoniam ſe abdens, animi dolore & torminum morbo extinguitur. Iohannes autem rex mortifero cereuiſiæ poculo à monacho ſublatus perhibetur.

27. Henricus III. Heinricus III. Bollimbrachus cognomine, regnauit diutius, quàm regum alius quiſquam, annos videlicet ſex & quinquaginta. Eius vxor Heleonora Raimundi ſeu (vt noſtri annales) Raineri marchionis Sabaudi (quem Comitem prouinciæ nominat Polydorus) filia; quas nuptias Richardus rex, patruus eius, conciliârat. Ad Damiatam ſeu Heliopolim Ægypti vrbem expugnandam auxilia mittit in Aſiam. Frater huius Henrici RICHARDVS, non Rodolphus, vt Voreſtus Bergomas, Comes Cornubienſis, in illo longo interregno, quod annos durauit duos ſupra viginti, rex Romanorum eligitur. Inter Friderici II. & Rodolphi Imperatorum tempora, cum reges quatuor Romanorum, non more antiquorum legitimo, electi eſſent: fortuna ſingulorum dubia, & exitus vitæ tragici fuerunt. Heinricus, Turingiæ princeps ante Vlmam ſagitta lethali percutitur: Vuilhelmus Comes Hollandiæ interficitur à Phryſijs: Richardus Anglus tumultu populari cum rege fratre eijcitur è patriâ, & à Guidone Comite Montifortenſe ſeu (vt noſtri ſcribunt) Starchenbergio cæditur Viterbij in templo; quod tamen alij tradunt filio eius Heinrico accidiſſe: Alphonſus Hiſpanus rex Caſtellæ etiam regno pellitur. Ita nulli vel amicorum iniqua gratia, vel ſua cupiditas impunis fuit; qui non ritè, & quaſi gradibus vſitatis, ad honorem in terris ſummum aſcenderit.

28 Eduardus I. EDVARDVS I. poſt Conquæſtorem, Henrici III. Filius cognomine longipes, vt Sarctorius. Hoc loco obſeruandum, etiamſi antea Eduardi tres fuerint, tamen ab hoc initium fieri, vt primus ſcribatur; quia è gente Nortmanicâ primus fuit. Eius pecuniâ Adolphus Naſſaenſis rex Romanorum Turingiam emit ab Alberto Landgrauio, & populi ſui & filiorum hoſte. Militauit pro re Chriſtianâ in Ægypto, ibidem pœnè ſublatus à ſicario eſt. Hoc regnante, cepit ſocietas cum mercatoribus Germanorum, per eas ciuitates, quas Anzas in hunc diem nominant.

29 Eduardus II. EDVARDVS II. vnicam filiam, regis Galliæ Philippi vxorem, habuit: Vnde filius eius regnum expetiuit, & primus geſſit

regni

regni Gallici inſignia. Eius filia Eliſabetha, vxor Iohannis Hollandiæ & Phryſię Comitis; quo mortuo, Humfredo Comiti Herefordenſi traditur. *Reges Angliæ.*

EDVARDVS III. hic in eo interregno quod inter Ludouicum Bauarum & Carolum IIII. fuit, declaratur aliquorum Electorum iudicio & ſententiâ Rex Romanorum; eius æmuli ex alterâ parte aduerſantium erant Fridericus II. Princeps Turingiæ, Ludouicus Marchio Brandeburgius, Guntherus Comes Suarceburgius: Heinricus Comes Virnebergius, quem in Erfurdianis tantùm annalibus in hoc ambitu nominatum inueni: horum alij depoſuiſſe munus oblatum feruntur, acceptâ à Carolo pecuniâ: alij repulſam tulerunt propter generis humilitatem, licet viri eſſent omnes fortiſsimi, vt alijs locis explicabitur. Accidit hæc imperij turbatio anno Chriſti ſupra milleſimum trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo. Anglus affinitatem cum Carolo iungit, ductâ in vxorem Helenâ ipſius filiâ. Fuit hic Eduardus felix admodum, qui Scotos vicit, & totam penè Galliam ſubegit. In Iſenacenſium Annalibus proditum memoriæ eſt, quod ei militârint è noſtris principibus duo: Fridericus II. Grauis Princeps Turingiæ & Miſniæ contra Philippum Valeſium, in quo prælio Iohannes rex Boemiæ, Caroli IIII. Imp. pater, occubuit. Venerunt tum in regis Angliæ poteſtatem duæ triremes Siculæ; quæ regi Franciæ armamenta, commeatum, & pecuniam afferebant: quarum mentio fit in Lamberti ſupplemento. Militauit eidem regi alio tempore etiam Balthaſar Friderici Grauis filius, contra Iohannem & Carolum V. Cum autem præclarè extitiſſent principum noſtrorum facinora; vterque baltheum & alia ornamenta equeſtria, virtutis & honoris gratiâ, à rege accepit: vt libro ſexto infrà prolixius dicetur. *30. Eduardus III.* *1347.*

Ludouicus Bauarus Imp. fratrem Ropertum Electorem è ditione expellit: cauſa fuit, quod ſibi negaſſet ſuffragium, & Auſtriæ duci Friderico, fratris aduerſario, fauiſſet: is ſibi exilij locum Angliam eligit; & in honore habitus, ibidem moritur. Eduardus proſperâ vſus fortunâ primum deditione cepit portum Iccium, nunc Caletanum; poſtea pulſis Francis, coloniam deducit Anglicam; & tandem poſt reges ſuperatos titulum Franciæ regum vſurpat. Eius felicitas interrupta eſt agreſtium tumultu; in quo, teſte Engelhuſio, tricies centena hominum millia ſunt deleta. Regnauit annos quinquaginta, & ſocietatem Georgianam inſtituit. *Agreſtium tumultus.*

Reges Angliæ. 31. Richardus II. RICHARDVS II. variâ fortunâ, & vulgi ſeditionibus agitatus, cum regni habenas tenuiſſet annos duos & viginti, eas deponere cogitur; quem multitudo credidit fame necatum in vinculis.

32. Henricus IV. HEINRICVS IIII. cognomine Bollinus, Richardi conſanguineus, & eius euerſor, idem etiam gubernationem minimè tranquillam habuit: Ipſius liberi fuerunt, HEINRICVS V. qui illi ſucceſsit, & HVMFREDVS, cuius vxor Iacobe, Vuilhelmi ducis Brabantiæ filia, fœmina irata & improba, quæq; prius Iohannem Brabantinum maritum, quod eſſet tractata illiberalius, reliquerat. Filiæ eius Blancha vxor Ludouici Electoris Palatini, qui fuit Roperti Imp. filius: Philippa vxor regis Daniæ.

33. Henricus V. HENRICVS V. Heinrici IIII. filius, antea princeps Vualliæ. Huius temporibus Vuiclefus diuerſa à religione Romanâ diſputans, è ſepulchro erutus, rogo imponitur: qui cum cremaretur, tota inſula terræ motu concutiebatur: vt Thomas Vualdius Carmelita tradit. Ad hunc regem diuertit Sigismundus Imp. vt compoſitis inter ipſum atque Franciæ regem diſsidijs, cauſam communem ſuſciperent profligandi Turcam: ſed fecerunt odia illorum regum fatalia, vt Cæſar nihil efficeret, & ipſi ſuis cupiditatibus inuicem ſe affligerent. Regnauit annos nouem & menſes aliquot, qui contra Francos pugnauit feliciter.

34. Henricus VI. HEINRICVS VI. Quinti filius viceregem & tutorem habuit patruum Humfredum, regnum fortiter & fideliter adminiſtrantem.

Pugnauit tum regis Angliæ exercitus in Boemia contra Huſsitas, duce Cæſarino Cardinale: qui ſtatim atque in eam prouinciam venit, ab hoſtibus fugatur, & eius currus auro onuſtus diripitur: Itali, Anglique Germanis permixti, non diu reſiſtunt, & in confuſione magnâ trucidantur. Rex nihil ſtabile in regno videns, odium in ſuos cœptum vertit in crudelitatem: & patruum optimè meritum, qui annos quinque & viginti vicarius gubernauerat, ſuaſu vxoris Margarithæ, Renati Andegaueni filiæ, ſupplicio capitali afficit. Coronatus ipſe rex Galliæ Pariſijs: ſuâ ignauiâ, & nobilitatis diſsidijs non ſolum alieni nihil occupat, ſed ne ſua quidem retinet.

Dux

Duæ ſunt in Angliâ familiæ, quæ de primatu & dignitate contendunt: Eboracenſis, vetuſta & primaria; & Lancaſtria, recentior: quia autem illam honore ſummo per inſidias priuauerat, & tollere de medio deſtinabat; factus deinceps infelix, ac propemodum miſer; ab Eduardo Eboracenſe duce bis capitur, & demum in carcere interijt: eiusdem Eduardus filius, odio matris ſuperbæ, ab aduerſarijs tollitur: ne reſtaret ſoboles, quæ poſſet ſtirpem ducere, & honores regios recuperare. *Reges Angliæ.*

EDVARDVS IIII. dux Eboracenſis cum Henrico, qui ante ipſum regnauerat, variâ fortunâ aliquoties dimicat; & Lancaſtriæ familiæ regnum ſceptrumque rurſus extorquet. Vxorem ducit Philippi ducis Burgundiæ filiam; ſuamque collocat Carolo, Burgundi filio, nomine Margaritham. Volateranus ait ex eâ natam Mariam Maximiliani I. Imp. coniugem: ſed errat; nam ex Iſabellâ Luſitanâ, tertiâ eius vxore, procreata eſt. Soceri auxilio, integro regno potitur; & maiorum dignitatem vendicat: cui etiam tributa, quæ ſoliti erant Anglis Burgundi numerare, honoris & meritorum cauſsâ remittit. In regno vixit annos tres & viginti. *35. Eduardus IV.*

EDVARDVS V. hæres Eduardi IIII. ætate tenerâ, vnà cum fratre Richardo, datus in tutelam patrui Richardi, in vinculis Londini occiditur; confirmante homine crudeli, quod in ſermone vulgari eſt, fidem patruo non eſſe habendam; quod etiam Euryſteus Herculi, vt eſt in fabulis, probauit. *36. Eduardus V.*

RICHARDVS III. dux Gloceſtriæ, tutor datus fratris filijs Eduardo & Richardo, non Humfredum conſanguineum imitatur; ſed vt regnum ſolus poſsideret, adoleſcentes patrueles circumuenit, & de vitâ tollit. Annam Boemam, Venceslai Imp. filiam, habuit vxorem: ſuam ipſe deſpondit Rodolphi Imp. filio Hartmano: ſed hic adoleſcens, ante nuptias brumali tempeſtate, fractâ in Rheno glacie, cum nobilibus vndecim ſubmergitur XIII. Calend. Ian. anno ſalutis ſupra milleſimum quadringenteſimo octuageſimo octauo, ætatis octauo decimo. Regnauit annos duos & menſes totidem: tumultu ciuili interficitur in prælio. *37. Richardus III.* 1488.

HEINRICVS VII. Comes Richmondiæ exul, Richardum DEO hominibusque infenſum bello vincit: & vt gradum ſibi ad regnum faceret: vnam è filiabus Eduardi IIII. ex familiâ Eboracenſe, ſibi iungit vxorem: *38. Henricus VII.*

Reges Angliæ. vtque videretur concordiæ nouæ in regno autor: Eboracenſem & Lancaſtriam gentem (ex hac ipſe erat genitus) cupit conciliare, & coniungere albam roſam & rubeam in vno inſigni, vt animis ſimul & ſenſibus idem facerent principes & populus; quod conſilium non ceſsit illi planè infeliciter.

In regno confirmatus, cum grandem illi pecuniam pater reliquiſſet, è bonis collectam Eccleſiaſticis: ne inſoleſceret Henrici animus iuuenilis; Maximilianus Cæſar ei perſuadet, vt pro Romani pontificis dignitate bellum contra regem Franciæ ſuſciperet; nec enim honeſtius poſſe talem pecuniam collocari: ſuum quoque ipſi auxilium promittit, & ad caſtra regis proficiſcitur.

Militabant Anglo Germani, quorum equitatui præerat Vualus Comes: peditatui Georgius Carolouicius è nobilitate Miſnenſe: Morinum vrbs, quæ nunc Terouana, expugnata inceditur; Tornacum capitur deditione: prælio etiam Ludouicus Franciæ rex ſuperatur: è tribunis eius Baiardus, Spinula Sfrodatus, & Longauilla in hoſtium veniunt poteſtatem. Hoc tyrocinium regis tam felix, magnam illi & in patriâ & apud exteros laudem peperit. Ipſe domi agitatus ab impoſtore quodam Belga, qui ſe Eduardum V. fingebat, iam necatum in carcere à patruo, tumultu infeſtatur; & Scotorum fert incurſiones. Eius filius ARTVRVS, vxorem ducit Catharinam, Ferdinandi regis Hiſpaniæ filiam; ſed exiguo poſt nuptias tempore moritur.

39. Henricus IIX. HEINRICVS VIII. Heinrici filius, dux Vualliæ, cum fratris Arturi viduâ nuptias celebrat, Ro. Pontificis permiſſu; & quia cauſam religionis pontificiæ ſcripto publico rex defenderat, ornat eum pontifex titulo defenſoris Eccleſiæ. Cum poſtea regem facti improbi pœniteret; non ſolùm vxorem repudiat, verùm etiam ritus eccleſiaſticos mutat, & totam doctrinam Romanam è regno ſuo exterminat: ſed nec renouatam Euangelij doctrinam ſatis conſtanter defendit; prolapſus in libidinem adeò, vt quas vxores amauerat ardenter, eas aut tollebat ſupplicijs, aut dimittebat cum ignominiâ: inter quas fuit mulier modeſtiſsima Anna, Iohannis ducis Iuliacenſis filia, Vilhelmi tum viuentis ſoror: eam repudiat, ſed è regno dimittere noluit.

40 Edwardus VI. EDVARDVS VI. ſecatur ex vtero matris Iohannæ, vxoris Henrici tertiæ: cum medici dicerent, aut matri aut proli eſſe

eſſe pereundum: gibbum habuit; peruenit ad annum ætatis ſextum decimum: cœleſtis veritatis cupidiſsimus, & ſummâ ſpe eximiarum virtutum princeps: in ætate florente tabe & vicio pulmonum moritur. Eo defuncto, dux Northumbriæ Franciſcam pronurum, ſeptimam Henrici coniugem, euehere; & in ſuos regni ſucceſsionem transferre conabatur: ſed pœnas audaciæ mox perſoluit. Reges Angliæ.

41 Maria. MARIA nobiliſsima, Catharinæ Hiſpanæ filia, regnum obtinet; quia in eo ſexus muliebris, vt in alijs regnis, non excluditur. Hæc mutationem religionis inſtituit, & per Reginaldum Polum Card. populum Anglicum abſoluendum à Lutheraniſmo curat. Nubit Philippo, Imp. Caroli V. filio, regi Hiſpaniarum & Neapolis: ſed cum nullam ex eâ prolem ſuſcepiſſet, ex Angliâ ipſe diſcedit. Polus homo Philoſophus & Theologus, in illâ mutatione etiam ad regnum eſt aſpirare auſus. 42. Eliſabeth. ELISABETHA Annæ Bollinæ, ſecundæ vxoris Henrici filia, pietate, eruditione, ſapientiâ, magnanimitate virgo eximia, doctrinam Euangelij populis ſuis reſtituit: & quamuis aduerſarios habuit potentes; tamen auxilio diuino omnes difficultates vicit; factionem ducis Northfolcij, ſublatis ſeditionis impijs autoribus, cautè & fortiter diſsipauit: In hac reginâ virgine ætatem doctrina, & integritas conditionem, & prudentia ſexum longiſsimè excellit.

Hæc percurrendo euagatus longius ſum à noſtri inſtituti propoſito: quod ſi lector boni conſulet, aliquid operæ precium non indignum feret. Quod autem quædam certiora dixerim: debetur ampliſsimo viro Henrico Kyllegreuio Anglico, ad Electorem Saxoniæ legato, & Comiti ipſius viro erudito Chriſtophoro Seuterſio, quibus cum hæc mea familiariter contuli, viris humanitate & virtute excellentibus.

DE SAXONVM IN *Germania rebus geſtis.*

NVnc ad Saxones, qui reſederunt in Germaniâ redeundum eſt; vt quid de eorum bellis mandatum literis ſit, notum breuiſsimis fiat. Manſiſſent Saxonum & virtus & ſtudia populis exteris nauata in obſcuro; niſi gentibus tam illuſtribus auxilia ſua iunxiſſent. Domi enim cum neminem haberent, qui res patrias traderet poſteritati: arma enim magis, quàm literas noue-

Reges Saxonum. rant: ideo factum eſt, vt res nullæ à maioribus præclarè geſtæ
propagatæ ad poſteros ſint, niſi quæ à ſcriptoribus traduntur
peregrinis. Paulus Diaconus ſcribit hiſtoriæ ſuæ libro quinto,
anno Chriſti ſupra quadringenteſimum quinquageſimo tertio
453. (Æmylius quinque annos adimit contra Diaconum & Gem-
Bellum contra Attilam in campis Catalaunicis. blacenſem) quòd Saxones vnà cum Burgundionibus & Francis
pugnauerint in exercitu Romano contra Attilam regem Hun-
norum, cum in Galliâ eſt atrox illud in campis Catalaunicis præ-
lium commiſſum: in quo Saxones & Alani in medio agmine
genti Hunorum tum fortiſsimæ obiecti ſunt, & centum atque
octoginta armatorum millia interfecta: in quo itidem prælio
Ditericus rex Gothorum vulneratus; Merouęus Francorum oc-
ciſus eſt; Attila immaniſsimus ſuperatus: cuius etiam fuiſſet de-
letus omnis exercitus, niſi præliantibus nox obiecta eſſet, quæ
feruori militantium obſtitit. Ab eo tempore nunquam Saxo-
nes aut depoſuerunt aut intermiſerunt arma, & præcipuè rei na-
ualis ſtudium. AVDOVAGRIVS enim Saxo (Odoacrum alij
dictum autumant) per Normanorum & Cenomanorum litto-
ra vagatus, agrum Andegauenum depopulatur, vt ſcribit Gem-
480. blacenſis, anno quadringenteſimo octuageſimo. Anno mox
481. inſequente idem reuerſus cum maiore exercitu Andegauum ſub-
igit, acceptis à ciuitate obſidibus; & oppida finitima capit; cum
rege Hilderico Francorum ſocietatem init; gentem itidem Ale-
manorum in Sueuis domat. Saxonum quoque auxilijs, Diteri-
Francorum de Turingis victoria. cus Francorum rex, affinem ſuum ERINFRIDVM Turingo-
rum regem vincit, anno ſupra quingenteſimum vigeſimo quar-
524. to. Hunc regem Turingiæ, quem hactenus Herminfridum no-
minarunt ſcriptores & annales omnes, Erinfridum ſcribo ex
Caſsiodoro & Sifrido Presbytero Miſnenſe. Vincit autem rex
Francorum Turingos ad flumen Vnſtrutam, ſed non absque
ſuorum detrimento & clade: hoſtem enim in præſidium arcis
Schidingiæ, quod fluuio imminebat, compellit: ad quod expu-
gnandum cum non ſatis videretur virium habere: vicinos Saxo-
nes, tum Herciniam tenentes, ſollicitat atque euocat, eiusmodi
conditione oblatâ: vt ſi Turingos expugnarent, terram illam
poſsiderent hæreditariam. Saxones lætati nuncio, nouem de-
cernunt Chiliaſtas ſeu præfectos millenarios: qui cum in caſtra
Francica veniſſent, terrori fuerunt propter proceritatem corpo-
rum, & genus validum armorum. Suadentibus nonnullis,
eiusmodi amicos Francis non expetendos, qui imperium ali-

quando

quando ipſorum poſſent occupare; ſententia irrita & repudiata eſt: & Rex Francicus in præſentem vtilitatem totus intentus, ea, quæ eſſent euentura, minimè prouidere aut curare potuit. Schidingi vrbis atque arcis oppugnationem Saxones aggrediuntur: & domos ignibus iniectis incendunt: Turingi in caſtra Saxonum erumpentes, circiter ſex millia eorum cædunt: pugnatum eſt vsque ad ſolis occaſum pertinacibus vtrinq; animis; cum Turingi de libertate & vitâ; Saxones de gloriâ & amplitudine nominis decercarent. *Reges Saxonum.* *Saxonum cum Turingis prælium*

Erinfridus fortiſsimo quoque è ſuis interfecto, & vrbe flammis conſumta, legatos de pace mittit; quam Franci ſuadent ideò concedendam, vt viribus communibus Saxones rurſus eijcerentur è Turingiâ: genus videlicet hominum acre, laborioſum, periculorum tolerans, & Francis pertimeſcendum. Nuncio pacis accepto, Schidingij ſecurè agere: è quibus nobilis quidam aucupio deditus, vrbe egreditur: cui cum accipiter vltra ripam auolaſſet, eſſetque captus à Saxone; hic petenti reddere noluit: cumq; etiam atq; etiam negaſſet; Turingus vt alitem reciperet, ſecreta prodit; & quid de Saxonibus eſſet ſtatutum, per fatuitatem enunciat. Saxones auditâ aucupis voce, occaſionem ſui ſeruandi non differunt: & quamuis maximam partem copiarum amiſerunt; tamen nocte ineunte in caſtra Turingia ruunt; & ſtragem ingentem edunt: relictis tantùm ſuperſtitibus, qui aut ſexu eſſent infirmiore, aut viribus ad reſiſtendum imbecillibus: in quibus conſeruandis dignâ ſe humanitate & Saxones & Franci temporibus illis vtebantur. Franci captiuam abducunt Radegundim Bertharij, fratris Erinfridi, filiam; quæ regi Franciæ Lothario propter modeſtiam & formam nupta, in toto regno Franciæ præ reliquis fœminis, omni pietatis & laudis genere celebrabatur; poſt obitum etiam in numerum diuarum relata; quam cum ſanctiſsimis matronis vbique coniungit Venantius Fortunatus Pictauorum Epiſcopus. Deletis caſu tam miſerabili Turingis; & Erinfrido paulò pòſt per inſidias ſuorum interfecto; eam Turingiæ partem â Francorum rege Saxones accipiunt, quæ promiſſa fuerat, poſsidendam. *Turingorum clades.*

Angilis itidem cum populis finitimis in Britaniam profectis, Saxones qui domi erant relicti, non Cauchorum modò, verùm etiam Angilorum ſedes paternas occupauerunt. Ditio Saxonum eo tempore inter Viſurgim & Albim fuit: & hi, quod *Ditio Saxonum olim quæ fuerit.*

Reges Saxonum. ad orientem habitarent, Oſtoſaxones ſeu Oſtuali dicebantur: nam qui trans Viſurgim incoluerunt, Vueſtouali in hunc diem dicuntur, quia occidentem verſus habitant: Orientalem prouinciam cultoribus vacuam tum inuaſerunt; cùm inde Longobardi, gens Sueuica, cum reliquis Sueuis trans Danubium habitantibus, migrauit in Pannonias, hoc eſt in Auſtriam & loca finitima: quas ſedes poſt annos duos & quadraginta cùm etiam deſererent; regnum trans Alpes in eâ parte Italiæ, quæ dicitur Inſubria, conſtituunt: quæ regio ab ipſis Longobardia, & corrupto nunc vocabulo Lombardia dicitur, & ab vrbe primariâ ducatus Mediolanenſis appellatur: è quibus ſedibus nunquam poſtea, quamuis innumeris vexati calamitatibus, expelli potuerunt. *Longobardia.*

Saxones in Italiam migrant. Poſt hoc tempus DITHERVS rex (ſcriptores Francici antiquiores Theodebertum, recentes Dagobertum appellant) anno
548. ſupra quingenteſimum quadrageſimo octauo ſecum in Italiam Saxones ducit; eamque ſibi facit cum Inſulâ Sicilia tributariam. Manſerunt in Italiâ tum Saxones annis triginta quatuor, quos vnà cum Ditberto rege præſidij causâ dux Francorum BVCELLINVS ibi reliquendos cenſuerat: vt Gregorius Turonenſis & Annonius, ſcriptores Francici, tradunt. Is Bucellinus cum eſſet à Narſete Eunucho, Iuſtiniani Imperatoris legato, interfectus: miles quoque Saxonicus in præſidijs diſpoſitus, partim expellitur, partim obtruncatur; cum mutuo auxilio ſubleuare inuicem ſe non poſſent. *Bucellinus.*

556. Anno deinceps ſupra quingenteſimum quinquageſimo ſexto, quietis impatientes Saxones, in fines Francicos nouam irruptionem faciunt: agriſque vaſtatis, prædas agunt ex populis ſuæ terræ finitimis: tum enim Francorum ditio longè vltra Rhenum propagabatur. LOTHARIVS Francorum rex ſubitò illis obuiam procedens; eos ad Viſurgim vincit: & eâdem celeritate de Turingis, Saxonum tum temporis ſocijs, triumphat. Saxones qui præter ſpem non tàm ſuperati, quàm laceſsiti erant, viribus reparatis, & exercitu inſtaurato, non vicinos affligere, ſed in Galliam ipſam ire moliuntur: quorum conſilijs clàm enunciatis, Lotharius magnas copias vndique colligit: id cum fieri intelligerent; prioris cladis non immemores, animos deijciunt, & veniam per legatos petunt, obedientiam pollicentur, dimidium fortunarum partem ſatisfactionis loco offerunt: libertatem tantum ſuam vxorumque & liberorum cupiunt eſſe ſaluam & illibatam. Hæc, vti à Francis traduntur, ſcribo. Sed talem erroris *Saxonum in fines Francicos irruptio.*

con-

confeſsionem, & tantam ſupplicum humilitatem inſolentia Francica contemnit; ſtatuitque rebelles armis, ſupplices cæde extinguere; & de gente ferâ & inquietâ ſemel pœnam ſumere, ne vnquam vires priſtinas repararet: putabant enim formidine ita eſſe iam exanimes, vt delere ſine negocio poſſent. Saxones pro focis & vitâ coacti pugnare, ſeſe mutuò adhortantur atque animant: quanta ſuorum maiorum virtus fuerit, quàm intolerabilis Francica ſit ſuperbia, in animos rẽuocant; & in eo conueniunt atque perſiſtunt vniuerſi, potiorem eſſe mortem dedecore, internecionem ſeruitute. Itaque metu in furorem verſo, arma certatim ſumunt, & prælium expetunt: tantamque Francorum ſtragem edunt, vt pauci è regijs euaderent ſuperſtites: plurimi quoque mallent eſſe comites regis in fugâ, quàm virorum fortium, ſtationem non deſerentium, ſocij in pugnâ: quod ex eodem Turonenſe, & inprimis ex Annonio liquet.

Reges Saxonum.

Saxonum cum Francis prælium

Eiusdem pugnæ meminit Marcellinus Comes: qui addit, anno hunc inſequente Saxones, factionis Hildeberti ſocios, contra filium fratris exercitum ducentis, prædas egiſſe è Franciâ.

Anno ſupra quingenteſimum ſexageſimo octauo ALBOINVS Longobardorum rex, Pannonias Hunnis committit certis conditionibus; ipſe collectâ Danorum & aliarum gentium manu, cum omni Longobardorum populo in Italiam contendit. Venit primum in Liguriam III. Non. Septemb. omnia replens incendijs & rapinis: Inde exercitus delectu habito, Mediolanum capit: Ticinum vltra triennium obſidet: Veronam ſuo imperio adiungit: Inſubriam præterea omnem deuictam atque ſubiugatam, de ſuo populo Longobardiam nominat: Italos ſedibus expellit, regionem in militem externum diſtribuit.

Alboini cum Longobardis in Italiam commigratio.

In agrorum diuiſione cùm Longobardis loca fertiliora darentur, Saxones tumultu ius æquum petunt: quos vt deliniret Alboinus, eis ſatisfacit. Sed cum inpoſterum ſe contemni, & à ſocijs premi, & ſui penè nullam rationem haberi animaduerterent: etenim præmijs bellorum fruebantur Longobardi, onera ferebant Saxones, ſine aliquo compendio; ideò de reditu in patriam cogitant atque deliberant. Sedes ipſorum deſertas, quia cum coniugibus liberiſque ſupra viginti millia hominum patriâ exceſſerant, Rex Francorum Sigebertus Sueuis habitandas colendaſque conceſſerat. Anxietas vndique magna, & deliberatio dubia:

Reges Saxonum. dubia: ſeruitutem apud exteros ferre, videbatur indignum & acerbum: à domo exulare, maximè graue & moleſtum: ſedes ab alijs occupatas recuperare, durum atque difficile. Quapropter communicato inter ſe conſilio decernunt, aut in Gallijs pedem figendum, aut auxilijs Gallorum patriam repetendam.

Saxones patriam repetunt. Longobardis eodem tempore detentis bello Appulo, commodam abeundi habebant occaſionem. Itaque anno ſupra

582. quingenteſimum octuageſimo ſecundo, Dani, Saxones, Turingi, quos in Italiam veniſſe diximus; cùm ij, qui Alboino Longobardo militauerant, tùm qui à Ditberto rege Francorum relicti in præſidijs, ſuperſtites euaſerant, cum familijs & omnibus impedimentis, recto itinere per Alpes in Franciam contendunt, inque agro Rhemorum Campano conſident: ſed nec in Gallijs ſedes dabatur, vt ſperauerant: nec auxilium vllum apparebat, quo patriam recuperarent.

Bella Saxonum cum Francis. Gentem autem bellicoſam cum non admiſcendam populo Francico reges cenſerent: pugnatum cum ipſis variâ fortunâ & varijs locis eſt. Primum Guntranus rex Aurelianenſium eis obuiam mittit palatij ſui præfectum Eunium, quem alij patricium Romanum nominant, cognomento Mummolenum, vt Fortunatus: vt cæteri, Mummolum: virum rebus bellicis ſpectatum: is fines prouinciæ defendens fortiter, eos retrò in Italiam com-

583. pellit. Ipſi fortunam denuò tentantes, ad alterius anni initium per prouinciam Lugdunenſem ad flumen vſque Rhodanum progrediuntur; & ab eodem præfecto tranſitum petunt ſine iniuriâ. Nihil ab eo quidquam æqui aut humani impetrantes, quod viribus & multitudine non poſſunt; tentant auro & largitionibus: quibus efficiunt, vt non obſtante ſibi Mummolo, per limites Gallicos daretur aditus ad regem Sigebertum, in vrbe Mediomatricum ſedem tenentem. Is Mummolus, quod pecuniâ ſe corrumpi fuerat paſſus, ab inuidis ludibrij causâ poſtea Nummulus appellatur.

Sigebertus rex, ad tutandos fines ſuos, Lupum & Magnulſum fratres ſibi legat: addito illis principe Condane, & patris olim ſui Lotharij, & nunc ſuo fideli domeſtico viro, & ætate & prudentiâ maturo: qui conſertâ cum Saxonibus manu, potiuntur victoriâ, ſed valdè cruentâ; nam præter multos viros fortiſſimos Condanes duos filios, primo honorum gradu conſpicuos, amittit. Ad Lupum ducem de eâ re ſic ſcribit Fortunatus, qui ijſdem vixit temporibus:

Quæ

Quæ tibi ſit virtus cum proſperitate ſupernâ, Reges Saxonum.
Saxonis & Dani gens citò victa probat:
Borda à quo fluuius ſinuoſo gurgite currit.
Hic aduerſa acies, te duce, cæſa ruit,
Tamq́; diu pugnax acie fugiente ſecutus,
Laugona dum vitreis terminus eſſet aquis.

De Condane, & eius filiorum nece, idem in hunc modum:

Quæ fuerit virtus, teſtis nunc Saxo retentat:
Laus eſt, arma truci non timuiſſe ſeni.
Pro patria votis & magni regis amore,
Quo duo natorum funera cara iacent.

Saxones non periculis, non fortunâ aduersâ territi, in patriam redeundi armis ſibi quaſi portam aperire ſtatuerunt; cumque primum impediti eſſent à Guntrano, & iam à Sigeberto ſuperati; regis HVLFERICI prouinciam Sueſsionenſem adoriuntur: ſed nihilo felicius pugnarunt, quâm antea: de quo idem Fortunatus initio libri noni: cuius verſus adducere neceſſe habeo, quia alijs vti auctoribus non poſſumus, & hic ipſe nondum in lucem eſt editus:

Hulferice potens, ſi interpres barbarus extet,
Adiutor fortis, nobile nomen habes.
Quem Geta, Vaſco tremunt, Danus Euthio, Saxo, Britannus.
Cum patre quos acie te domitaſſe patet.
Terror & extremis Phryſonibus atque Sueuis.

Hi verſus licet corrupti ſunt: tamen ſatis declarant, cum regibus Francicis ſatis diuturnum & graue certamen Saxonibus fuiſſe: quos cum neque vincere omninò Franci valerent, neque impedire violentiâ poſſent; nam damnis creſcere, & ab ipſo ferro vires conſequi videbantur: ideo Sigebertus rex cum ijs paciſcitur conditionibus, quas ipſi pro ratione temporis non recuſarunt. Primum omnium vt ſe coram ſuis excuſare poſſet, & vt virorum fortium animos domaret religione; Felicem epiſcopum Nannetenſem, doctorem genti feroci tribuit; de quo idem Fortunatus: deinde in regni ſui finibus non ſolùm hoſpitium,

Reges Saxonum.

tium, ſed & domicilium offert; ne grauius irritaret iracundos, & propemodum deſperatos. Cum neutrum ſponte facerent; ampliore vſus humanitate ad priſcas ſedes repetendas, quarum amore & deſiderio tenebantur, auxilium ipſis promittit; neue violentiâ vterentur conſuetâ, ſuadet ipſis, vt cum Sueuis agant, ſi recipi in commune domicilium poſsint, ſine vtriusque gentis clade ſingulari (inanis enim eſt tàm in egeſtate ſuperbia, quàm in periculis ferocitas & pertinacia:) Sigebertus hâc moderatione effecit, vt è ſuis finibus ſine iniuriâ diſcederent: itaque à Mediomatricibus, qui nunc Metenſes ſunt, profecti ad Rhenum, Coloniam Agrippinam verſus tendunt.

Euntibus per non amicas ſibi nationes, ſumptus illis vehementer augebantur; quia ex ipſis prædam aucupabantur hoſpites iniquiores. Quamobrem cum ſe decipi paſsim & exhauriri viderent; vt ſumptus tolerare poſſent, & ſe ab auaris iniuſtisque hominibus vendicarent; ſolitâ vtuntur calliditate & ſolertiâ, & nouum ſtellionatus genus excogitant: nam pro auro lecto ac probo, ſubæratum atque adulterinum ſoluunt hoſpitibus; idque mercatoribus dabant magno numero & pondere: quod ab his ſerò eſt animaduerſum.

Saxonum bellum cum Sueuis.

Rheno transmiſſo, cum ad Vueſtoualiam accederent; à Sueuis alijsque populis, qui in deſertas eorum villas & oppida à regibus Francorum collocati erant, non ſunt admiſsi. Sueui tamen, conſideratâ periculi magnitudine, vt hærerent in aliquâ domicilij parte, ſe agri partem tertiam reddituros promittunt: quibus cum aſperius reſponderent Saxones, amplius agri dimidij reſtitutionem pollicentur: illis nondum acquieſcentibus, ſe ſeruaturos tantùm partem tertiam, reliqua reddituros omnia: modò absque armorum certamine amici inter ſe viuerent: patriam, ſacra, leges, mercimonia, affinitates communia haberent: ad extremum, ne dubiam atque duram belli fortunam experiri haberent neceſſe; non agrum modò omnem, ſed iumenta etiam & pecora offerunt. Cum nihil vllis precibus aut æquitate impetratum eſſet; iamque Saxones excidium minitarentur, deque eorum vxoribus ac prædâ diuidendâ inter ſe certarent: arma ſumere Sueui cogebantur: hos animabat ſalus ſuorum, illos extimulabat cupiditas; & in alterâ acie ſigna ferebat deſperatio, in alterâ rabies. Erant in exercitu Saxonico circa ſex & viginti millia pugnatorum; è quibus primo conflictu quadringenti & octoginta ſunt deſiderati. Conceptis inde verbis Saxonum multitudo coniurat, neminem nec tonſurum cæſariem, nec raſurum

barbam,

barbam, donec hoſtes extinctos viderent. Repetito aliquoties prælio clade ſemper maiore afficiuntur; donec eò tandem deducta res eſt, vt qui in acie non cecidiſſent (quorum viginti millia fuiſſe Annonius ſcribit) conditiones oblatas accipere quaſuis compellerentur, cum anteà iuſtiſsimas recuſaſſent. Hanc narrationem obſcuriùs exponunt Gregorius Turonenſis, Sigbertus Gemblacenſis, Conradus Vrsbergius; neq; in hâc pugnâ, vt Sabellicus auctor eſt, cæſi ad internecionem Saxones ſunt; ſed aliquæ manſerunt reliquiæ: quorum vicem ac ſolitudinem dolentes vicini, qui Sueuos oderant; expulſis aduenis, ſocijs ciuibus aras & focos ſuos reſtituunt. Mulieres Saxonicæ, quæ Sueuis nupſerant, infamiâ notantur: earumq; liberis ius ſucceſsionis inter Saxones adimitur. Hanc hiſtoriam temporum ignoratione & auctor ipſe, & interpres iuris Saxonici, quod Speculum appellant, confudit; quod eſt à diligente viro Alberto Crancio Saxone prudenter obſeruatum. *Reges Saxonum.*

Ex his, quæ modò relata ſunt, manifeſtum eſt; nullius neq; regis neq; ducis Saxonum ab vllo ſcriptore, qui extant, nomen citari, cum ſine rege aut ducibus eſſe non potuerint. Anno decimum ſupra ſexcenteſimum, vigeſimo octauo, DITBERTVS rex, pater Lutheri (vt Franci ſcribunt, Dagobertus Clotarij) cum Bertholdo Saxonum duce pugnaſſe ſcribitur; quam rem infra latius perſequemur. 628. *Ditbertus Rex Saxonum.*

Nunc antequam ad reges Saxonum, qui imperium in patriâ tenuerunt, perueniam: de eorum religione, inſtitutis, moribus, armorum genere dicam; quantum è ſcriptoribus aut monumentis veterum colligere potui.

Religio eorum ab initio talis fuit, qualis eſſe ſolet omnium, quibus de Deo omnipotente & vero nulla vnquam lux aut notitia cœleſtis affulſit: ſed qui ſibi ſua opinione, aut imitatione ſuperſtitioſa, aut formidine aliquâ Deos fingunt atq; conſtituunt; In tenebris errorum maximorum, cum alijs Germanis Tybilenum (vt Tertullianus vocat) coluiſſe veriſimile eſt; quo nomine Saxones malum Dæmonem in hunc diem appellare conſueuerunt. Qui gentis annales ediderunt, numen populare memorant, Crodum quendam, meſſoris ſpecie, qui cinctum lineum geſtat; dextera ferens vaſculum roſis repletum; ſiniſtrâ erectâ rotam currus: Pedibus nudis inſiſtit piſci ſquammoſo & aſpero, quem percam vocamus. Coluerunt item Hamam, ſpecie regia cum alijs dijs deabusq; duodecim. Coluerunt Irmum in inſigni ſtatua: atq; hos deiectos & deſtructos à Carolo Magno *Religio Saxonum qualis fuerit.*

Mores Saxonum.

narrant Annales Magdeburgij: In Turingorum verò legitur, Iulium Cæſarem in eâ regione extruxiſſe vrbes Deorum nominibus; vt à Luna Luneburgum, à Sole Soltuedelam, à Venere Magdeburgum, ab alijs oppida alia: quæ alluſio in nominibus etiamſi inepta non ſit; tamen quod de Iulio Cæſare traditur, fabuloſum exiſtimo.

Inſtituta & mores Saxonum.

Addunt alij Flinnum, & Sibam Deam, & Atrum nomine, quem colebant, ne noceret, & malum Deum inauſpicatumque dicebant. Ante Caroli tempora tentatum eſt, num molliri animi religione veri Dei poſſent: nam Sigebertum regem Francorum miſiſſe eis concionatorem Felicem, Epiſcopum Nannetenſem, ſuprà ex Venantio Fortunato relatum eſt: & Beda libro quinto hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtatur, duos fratres Edualdos eo animo ex Angliâ in Saxonum antiquorum prouinciam profectos, vt eos doctrinâ ſinceriore formarent ad cultum & reuerentiam numinis honorisque diuini: ſed hi ab agreſtibus prius trucidati ſunt, quàm ad præfectos prouinciarum veniſſent: in Rhenum coniecti cum eſſent, corpora ipſorum Coloniæ in Vbijs inuenta, & in ædem ſacram religiosè translata ſunt.

Gothi vaſtant Italiam.

Repetamus paulò vetuſtiora tempora. Italiam vaſtarunt vno tempore duo Gothorum reges, diuerſis animis & locis diuerſis: ALARICVS in Latio, RHADAGASTVS in Hetruriâ; hunc Scytham fuiſſe, & à cultu non tantum Chriſtianæ pietatis, ſed omnis humanitatis alienum, & ſacri & prophani ſcriptores conſentiunt.

Nam Alaricus quantumuis barbarus, tamen ad templa aut imagines diuorum confugientibus, parci iuſsit: Rhadagaſtus nemini neque diuorum neque hominum pepercit: imò quò quis melior habitus, aut honoratior viſus, in eum maiorem ſæuitiam exercuit. Eius tandem exercitus, in montibus Pollentinis Etruriæ, ira Dei extinguitur vniuerſus; cuius diuus meminit Auguſtinus: quam cladem, vt peccata & ſcelera ipſorum meruerant, non potuerunt euadere Saxones: cum perijſſent in illorum montium anguſtijs ſupra centum millia armatorum, ne vnico quidem milite Italo vulnerato: vt ait vir fide digniſsimus Auguſtinus: vnde aut armis mutuis inuicem confectos, inſaniâ quadam; aut intercluſos, peſte aliquâ ſubitò corruiſſe, DEO in ipſos vindicante, intelligere poſſumus.

Iidem Gothi, qui ab Iſtro venerunt, vt tradit grauis ille poeta noſter Prudentius, ſanguine hominum ſoliti ſunt ſuos Deos placare; neque ſolum hoſpitum aut aduenarum, quod itidem Scythæ fecerunt, ſed etiam propinquorum & domeſticorum. In ſimilem ſententiam de ſocijs eorum Saxonibus ſcribit Euodius Epiſcopus Ticinenſis in ſermone de Antonio quodam, qui in ciuitate Valeriâ, ad ripam Danubij ſitâ, habitauit; Iam (inquiens) peccatorum conſumatio Pannonijs minabatur excidium: iam ſuccisâ radice ſubiectæ illius regionis ſtatus in pronum deflexerat: per incurſus enim variarum gentium, cotidiana gladiatorum ſeges meſſem nobilitatis abſciderat; & fœcundas humani generis terras irâ populante deſolabat. Iam Franci, Heruli, Saxones, multiplices crudelitatum ſpecies, beluarum more, peragebant: quæ nationum diuerſitas ſuperſtitioni mancipata, deos ſuos humanâ credebat cæde mulceri: nec vnquam propitia ſe habere numina, niſi cum ea æqualium, hoc eſt hominum, cruore placaſſent: ceſſare confidebant iram cœlicolûm innocentis effuſione ſanguinis: qui vt in gratiam redirent cum ſuperis ſuis, propinquorum conſueuerant mortes offerre.

Reges Saxonum. Gothi & Scythæ placant Deos ſanguine humano.

Quoſcunque tamen religioſi titulus declarabat officij: hos quaſi ſereniores hoſtias immolabant; exiſtimantes, quod piorum vigilijs, diuinitatis ceſſaret indignatio, & fieret materia gratiæ, locus offenſæ. Hæc Euodij verbis placuit exponere; eſtque factum Iuſtino primo imperante, circa annum à Chriſto nato ſupra quingenteſimum vigeſimum quintum. Itaque ex illis ſacrificijs nefandis conſtat, quanta ignorantia, quanta cæcitas in eorum mentibus fuerit, qui domi immaniſsimi, in nomen Chriſtianum foris ſæuierunt atrociſsimi; in quod hoſtis Dei perpetuus omnium nationum odia acerbiſsima incenderat. 525.

Addit Sidonius Apollinaris, Aruernorum epiſcopus in Galliâ: quod ex hoſtibus captis, cum bello peracto domi triumphaſſent, decimum quemque mactauerint. Fuerunt igitur in illâ imperitiâ gentili, vitâ & moribus feris ſimiliores quam hominibus: vnde de ijs Fortunatus:

Saxonum feritas.

Aſpera gens Saxo, viuens quaſi more ferino.

Idem tamen non negat, ex illis quosdam religionis ſtudioſos fuiſſe, & mutaſſe animos ſaxeos, & è lupis oues placidas eſſe factos. Membra illis fuerunt dura & vaſta, vultus licet atrox, vigoris tamen plenus; oculi minaces & ferè cærulei, pectora gladiatoria, artus robuſti; reliquum corpus ad magna membra ſu-

Reges Saxonum. *Saxonum tonſura.*

ſtentandâ aptum & benè compoſitum. De miro tonſuræ genere ſcribit Sidonius, teſtis oculatus:

Iſthic Saxona cærulum videmus,
Aſſuetum antè ſalo, ſolum timere:
Cuius verticis extimas per oras,
Non contenta ſuis tenere morſus,
Aliat lamina marginem comarum:
Et ſic crinibus ad cutem reciſis,
Decreſcit caput additurq́; vultus.

Saxonum mores.

In animo atque ingenijs maior illis ſolertia, quàm ſtatura præ ſe ferret: in moribus quiddam horridum ſine ruſticitate; aſperum, ſine dedecore. Nihil humile cogitare; omnia appetere; nihil exiſtimare durum, in quo commodi ſpes appareret: nihil fugiendum, vnde gloria ſeſe oſtentaret: arma geſtare non tam decora, quàm ponderoſa: non loricas corpori, ſed corpora loricis aptare. Ea præda in bellis optatiſsima, quæ vulneribus maioribus pararetur. Amare fidem & conſtantiam inter ſe; nec minus ſtabiles in amicitijs retinendis. Lenti in conſilijs, ſed nequaquam ſtupidi: quod ſemel ſtatuunt, id defendunt cum obſtinaciâ rarò aliquid in moribus aut mutare aut emendare. In armis laborioſi & indefatigati: in voluptatibus valdè intemperantes, ijs præſertim, quibus corpus alitur. Victus non exquiſitus, ſed copioſus: ebrietas ita vſitata, vt vicio non habeatur: cum certant poculis, ordine bibunt, nec ſine litigio, ſi quis non reſpondeat: nam fallere bibentem, iudicant iniurium: pocula numerant, ijsdem peregrinos excipiunt, obuios ſalutant, amicos venerantur, pro ſalute ſuorum principum bibunt, & hoſpites ad bibendum inuitant. Ieiuni rarò ad conſilia accedunt, etiam prudentiores: nam vulgus ſibi modum dari aut præſcribi non patitur.

Saxonum compotationes & ebrietas.

Hoc gentis vicium maximum eſt, & eò vſitatius, quia ſecuri neminem timent, aut ſupectum habent: vino depoſitus non irridetur: obrutus iuuatur officijs. Hoc enim Germanorum in ebrietate eſt, vt minus ſcelerata & nefanda committant, quàm alij quidam homines ſobrij faciunt. Vicium defendi nullum debet: quia tales regnum Dei non ingrediuntur, teſte Chriſti ſententiâ ſeueriſsimâ. Amemus igitur illum, qui omnes ſubiecit peccato, vt omnium miſereatur: qui noſtros reges & principes ſuſcepit, ornauit, extulit immenſa miſericordia, & illis lucē doctrinæ dedit, & prius dedit in externo regno Angliæ, quàm in proprijs laribus.

Sed

Sed ad Saxones, nondum inſertos filio Dei æterno, reuertamur: qui illorum peccata manifeſta non recitemus, vt maior Dei clementia ſit, qui nos tales recépit in filios atq; heredes. Maiores illi noſtri magni homines, ſed hominum more miſeri, hoſtium nulli ſatis aſtuti, nec cedentes vlli contumaciâ, aut minores virtute, vt more veterum loquamur: bella occaſione quâuis quærere, crudeliter gerere, difficulter deponere: de ſuis factis magnificè ſentire, aliorum tamen non contemnere, libertatis amantiſsimi. Conſecuti initio ſunt nomen celebre rebus maritimis, cum in prouincias externas prædæ causâ excurrerent. Nauigijs vſi ſunt curuis & (vt Sidonius) miaparonibus pandis, conſutis è pellibus aut corio: vt idem in Panægyrico ad Auitum ſocerum ſuum; quem etiam laudibus vehit: quòd ipſius magiſtratu, *Reges Saxonum.* *Saxonum pugnacitas.*

Saxonis incurſus ceſſat, Cattosq; paluſtri
Alligat Albis aqua.

Sed de Saxonum illorum priſcorum ingenijs, moribus, conſuetudine, verba Sidonij, ex Epiſtola ad Namatium audiamus: qui tales deſcribit, quales ipſos in litore Aquitanico conſpexit: Saxonum, (inquit,) quod remiges videris, totidem te cernere putes Archipiratas: ita ſimul omnes imperant, parent, docent, diſcunt latrocinari. Vt nunc etiam, vt quam plurimum caueas, cauſa ſubſit maxima monendi. Hoſtis eſt omni hoſte truculentior: improuiſus aggreditur, prouiſus elabitur: Spernit obiectos, ſternit incautos: ſi ſequatur intercipit: ſi fugiat, euadit. Ad hoc exercent illum naufragia, non terrent: eſt eis quædam cum diſcriminibus pelagi non notitia ſolùm, ſed familiaritas: namque ipſa, ſi qua tempeſtas eſt, hinc ſecuros efficit occupandos; hinc proſpici vetat occupaturos. In medio fluctuum ſcopulorumque confragoſorum ſpe ſuperuentus, læti periclitantur. Præterea prius, quàm de continente in patriam vela laxantes hoſtico mordaces anchoras vado vellant: mos eſt remeaturis decimum quemque captorum, per æquales & cruciarias pœnas, plus ab hoc triſti, quàm ſuperſtitioſo ritu necare, ſubque collectam turbam periturorum, mortis iniquitate ſortis æquitatem diſpergere.

Hæc ille. Præter miaparones habuerunt copulas (id nauigij genus eſt) aptas celeritati, quarum apud Tacitum & Hegeſippum mentio. Hic etiam in hunc modum ſcribit lib. 5. de vrbis Hieroſolymitanæ excidio: Tremit Saxonia (de Romanis loquitur) inacceſſa paludibus & inuijs ſepta regionibus: quæ licet belli

 curam

Reges Saxonum.

curam videatur augere, & ipſa frequenter captiua Romanis triumphis acceſsit. Validiſsimum genus hominum perhibetur, præſtans cæteris: piraticis tamen miaparonibus, non viribus nititur: fugæ potius, quàm bello parata. Rectè de ijs, qui latrocinando rem quærebant, ad congreſſum pugnæ ſe non inſtruxerant. Quod tamen hic de Saxonia Hegeſippus recentior: id de tota Germania apud Ioſephum rex Agrippa aſſerit; vbi ait Spiritus Germanorum eſſe maiores corporibus, iras eorum animantibus feris vehementiores, animos ipſos dolorum & mortis contemptores.

Saxones Pontifici contra Saracenos militant.

Eorum auxilijs vſus Leo pontifex contra Saracenos, qui Africam tenentes, litoribus Italicis & vrbi Romæ imminebant; vndè Saxonibus & Longobardis campum Vaticanum conceſsit habitandum; quam partem vrbis Tranſtiberinam, amne & vallo munitam, vrbem Leoninam dixerunt poſteri. Ad defenſionem igitur nationum aliarum, vt de Angliâ, Galliâ, Italiâ auditum eſt, euocati; nomen magnum ſunt conſecuti.

Arma Saxonum.

De armorum genere dicere multa non poſſumus, nec literis adiuti nec monumentis. Sacam, apud ipſos pugionem fuiſſe, nonnulli tradunt, quem alligarunt femori; eumque duplicato longiorem gladij inſtar, lateri appenſum, diſſacam adhuc appellant. Enſem etiam lunæ inflexæ ſimilem in picturis antiquis vidimus, item gladiatorium illud ſeu mactatorium (ita lingua noſtrate dicitur) quo in vrbium caſtrorumque oppugnationibus vtebantur; item in primis aciebus, cum haſtis hoſtium ferrum præſecarent. Mallei ferrei vſus fuit equitibus. Armatura ex ferro tanti ponderis, vt vix alius niſi Saxo ferret. Scuta de cathenis ſatis firmis dependebant. Sariſſas item & cateras hominum noſtrorum fuiſſe conijcio, quibus olim Macedones & Teutones vſi ſunt, poetarum Ouidij atque Virgilij teſtimonijs. In Hercinijs in eo campo, quo Lotharius Saxo præliatus eſt; & in Turingiâ non procul ab arce Beichlingo, quam Henricus IIII. expugnauit; item in Mersburgio, quo Vngaros fudit Henricus Auceps, ſunt varia armorum genera effoſſa, ſed præcipuè ænea: eorum aliqua in manibus habui, multo magis craſſa & ponderoſa illis, quæ nunc geſtari ſolent, quædam ornatus gratiâ auro inducta.

Quales fuerint Saxones cum bella gererent, & quo numero apud nationes exteras, propter virtutem habiti, quantum potui, & quorum potui auctoritate, expoſui. Nunc ſunt de ipſorum more domeſtico quædam perſtringenda.

Matrimonia

Matrimonia fuerunt caſta & ſeuera: ſcribit enim Bonifacius ad Eduardum Angliæ regem; in antiquâ Saxoniâ, in quâ nondum vlla cognitio CHRISTI fuerit, non impunem fuiſſe libidinem: antiquam Saxoniam dicit Angliæ reſpectu, & vt Eduardum virtutis & continentiæ maiorum, & Chriſtianum hominem eorum maiorum admoneat, qui ritu gentili vixerint ſanctius, quàm faciant ſuo tempore de vero Deo inſtituti. Virgo ſtuprata imponebatur rogo: mulier corrupta laqueo ſtrangulabatur: Stuprator aut adulter ſupra ſepulchrum mortuæ aut ſuſpendebatur aut cingulotenus nudatus, lacerabatur flagris vſque ad mortem. Doti dabatur non aurum nec argentum, ſed pecora aut arma: quæ itidem ad maritam pudicam afferebat vir militaris, non libidine, ſed amore: non petulantiâ ſed ſtudio patriæ, cui prolem debebat, quæ & parentes defenderet, & imperium traderet nepotibus. *Matrimonia Saxonum.*

Viderer fortaſſe præconio nimio meis indulgere, ſed ſi probantur quæ de Germanis vniuerſis ſcribit Tacitus, cuius libri in manibus ſunt; nihil me finxiſſe dicent, qui ſunt iudicio æquo prædìti, & huius gentis mores antiquos conſiderarunt: apud quam verè boni mores plus valebant, quàm alibi bonæ leges. *Mores Saxonum.*

Liberos educabant ad flumina, & durabant niuibus ac frigore: puellæ adultæ intra parietes manebant, virorum præſertim nobilium: vulgò exercebantur aſsiduis laboribus. *Educatio liberorum apud Saxones.*

Furta grauius quam latrocinia puniebant: quia violentiam repellere omnes poſſunt, inſidias aut fallaciam non omnes. Fugitiuum ex acie morte mactabant, nec dignum exiſtimabant vita; quia pro patriâ aut ſuis mori non auderet. In plebe qui non militaret, aut agrum coleret, aut opificium exerceret, ad remos damnatus, aut ad aliud opus faciendū coactus eſt: nullum enim genus hominum magis oderant, quàm ocioſorum; ideo qui aut rem familiarem domi non habent, aut à bellis ſunt ocioſi; vel militiâ peregrinâ, vel raptu viuebant. Rapere ciuibus aut amicis non erat licitum. Cuſtodia ſexus non anxia aut ſolicita; quia honeſtas per ſe apud ipſos laudabilis. Si quis nobilem coniugio peteret, licuit illi eodem lecto cubare: ſed data fide, ne quid perpetraret ſuo nomine aut genere indignum: ſi confeſsio puellæ aliud affirmaret, eam cogebatur vxorem ducere. *Saxonum ſeueritas erga delinquentes.*

Mores Saxonum. Aedificia Saxonum. Ædificia olim nullius ſplendoris, multis in locis fuerunt etiam ſubterraneæ. Ante nobilium plerunque foſſa & vallum quadratum, tignis compoſitum. Tunc autem cum ceſpite aut carice domos tectas haberent, imperabant gentibus externis, validi iuſticiâ & fortitudine; vt Henricorum & Othonum temporibus eſt factum. Arces munitas in inſulis aut montibus collocarunt, quò conferrent fortunas tempore difficili aut periculoſo: ædificia cætera, erant ſolum tegumenta contra iniurias tempeſtatis; quibus diſsipatis aut incenſis, non magno damno afficerentur. Fuerunt tecta ſeparata & quibus habitarent, & quibus frumenta conderent, vt incendijs & rapinis minus eſſent expoſita. Caſulas ſuas, ne hoſti paterent, ipſi euertebant: ducentes ſecum & familiâm & pecora: ſpecus ſubterraneas, & (vt Romani vocabant) flauiſſas ita texerant, vt ſubſidium ſcirent egeſtatis finito bello & armis depoſitis. Defoſſa & ſepoſita, quæ aſſeruabant omnibus, aut communiter aut ſocialiter ſeruiebant ita, vti inter ipſos conuenerat.

Saxonum mores in iudicijs. Domum vicini ſpoliare, abditum prodere, focum violare, capitale habitum. Si incidunt controuerſiæ, non iraſcuntur modo implacabili: imo à concertatione & vulneribus, ad eadem redeunt conuiuia; & iungunt dexteras: & ne vindicta cum dedecore aut pernicie progrediatur, amicis & hoſpitibus datur cauſæ cognitio, quâ acquieſcunt: quod apud noſtros conſuetudo eſt, apud alios miraculum. Non ſtare promiſsis adeò probroſum, vt apud eos plus valeat promittere, quàm alibi iurare: nam fidem non ſeruantem perpetuo oderunt: cum periuro nemo ſedet, nemo cibum capit, nemo ſub eodem tecto habitat: qui id facit, ignominiâ ſimili notatur: pacis tempore cogebatur ire in exilium; belli, plectebatur capite. Supplicia ſunt gladius, furca, rota, palus, forpex, virgæ, ignes, aquæ. In protentas haſtas incurrere, Caſtrenſe; alligari nudum carpendum fluctibus, nauticum eſt. In funeribus proſequendis diligentiſsimi: memoriam ſuorum religioſè colunt; monumenta ambitioſè non extruunt, niſi ſummis viris, eaque vno lapide impoſito, aut tumba in altum erecta; vt Henrici Aucupis Quedlinburgi cernitur in Hercinijs, & Magdeburgi Othonis primi in Saxoniâ, & Vilderhuſij, Vitichindi, & Vigberti in diæceſe Bremenſe: vlteriora non habemus; nam antequam ad fidem Eccleſiæ Chriſti traducti ſunt maiores noſtri; nec literas nouerant, nec cultus alicuius humanioris ſtudioſi erant. Belló occiſos armis imponebant; & certantes officio, aut cremabant aut ſepeliebant in lucis proprijs.

His

His commemoratis ad inſtitutum reuertemur, & recenſebimus eos reges, quos Saxonum in patriâ fuiſſe accepimus. *Mores Saxonum. Reges Saxonum domeſtici.*

Primis tamen temporibus reges non habuerunt: ſed ſuum imperium diuiſerunt in toparchias duodecim, quas circulos nunc vocant. Itaque habebant ſenatum duodecim virorum: ſuam quisque adminiſtrabat ditionem legibus communibus; ſi quid verò incidebat vel domi vel foris, quod egeret conſultatione magnâ, vniuerſi conuocabantur in locum certum, aut pro tempore in locum periculo maximè vicinum: ibi re deliberatâ ſtatuebant, quod ad honorem & vtilitatem omnium pertinere cenſuiſſent.

Is qui bello præficiebatur, ſi id gerendum eſſet, regis nomine & auctoritate vtebatur: bello finito, regium nomen cogebatur deponere; nec maiore eminebat poſt id potentiâ, quàm alius è Duodecim iuris ſocijs. Ita BERTHOLDVM regem nominant Francici ſcriptores, qui ante Carolum Magnum vixerunt: noſtri annales SIGHARDVM DITERICVM, EDILHARDVM, eius filium atque nepotem: tum VVIDICHINDVM, Vuernechini filium Sighardi pronepotem, qui Caroli vixerunt temporibus: de quorum rebus geſtis nunc explicare aliquid rerum ordo poſtulat; ſi prius de BERTHOLDO ſeu (vt Æmilius appellat) Berthario dixerimus, quæ ex Annonio, qui paulò poſt illa vixit tempora, obſeruauimus. Nam eundem ſecuti ſunt Gemblacenſis & Ganguinus Galli, & Nauclerus ſcriptor Germanicus: Æmylio enim ſatis fuit rem attingere. *Bertholdus Rex Saxonum.*

Saxones cum in regionem vicinam Francis ſubiectam excurrerent, omniaque incendijs vaſtarent: Ditbertum filium mittit rex Lotharius, vt Saxones repellat; qui ſtatim iuuenili audaciâ transmiſſo Rheno, prælium cum BERTHOLDO duce Saxonum committit. Primo congreſſu fortuna Saxonibus arriſit. nam Franci in fugam acti; & rex grauiter vulneratus, atque de equo deturbatus eſt: quem tamen, ne in diſcrimen aut vitæ aut vinculorum maius veniret, ipſius ſatellites magno animo defenderunt. *Saxonum bellum cum Francis.*

In tanto periculo poſitus, galeam ſuam cum Cæſarie cute, ita vti decuſſa ictu violento erat, per nuncium ad patrem mittit: vt ſigno præſenti fidem faceret, quo in loco res eſſet. Nuncius regi Lothario, ita vti iuſſus erat, Saxonum impetum denuntiat, filij fortunam, & aduerſum ſuorum caſum exponit & auxilium

Reges Saxonum.

um flagitat. Lotharius tum in ſaltu Longolario venatui indulgebat; ſed intellecto exercitus & filij periculo; veritus cladem & infamiam, præſenti iuuenum manu, quæ cum ipſo erat, arrepta; alijsque ſubſequi iuſsis, diurnis nocturnisque itineribus ad filium properè contendit: fixisque noctu ad Viſurgim caſtris, equitem feſſum ſe tradere quieti imperat. Primo diluculo cùm è caſtris Francorum gratulationes propter Lotharij aduentum audirentur: Bertholdus cauſam inſoliti plauſus & clamores exquirit; audito, quòd ob regis præſentiam lætiores eſſent, dixiſſe fertur; fruſtra gaudere hoſtes, & ſua ſomnia credere eſſe vera: nam regem, cuius aduentum ſimularent, ſe certis ſcire rumoribus, eſſe mortuum. Hæc ad timorem ſuis adimendum, cum voce altiore iactaret: rex vltra flumen ſermonem loquentis excipit; & admiratus inſolentiam, ſilentium tenet: galea autem caput tantùm nudauit, & ſe conſpiciendum aduerſarijs tradidit: de vultu & colore barbæ, & promiſſa cæſarie, quam tum alere virile erat, agnitus: magnam hoſtibus trepidationem attulit. Viſo eo Bertholdus: Tu quoque cana beſtia (inquit) hîc aderas; idque voce tantâ, quam rex audire poſſet.

Quo conuicio Francus incenſus fluuium contendit ſuperare, equitatu ſuo ad ripam paulo infra caſtra conſtituto; equos ad flumen transmittendum valentiores adhibet; quibus agminatim natantibus ad impetum fluuij refringendum, cæteri à lateribus ſubſequebantur: in ipſorum medio cum regem in flumine traijciendo cernerent alacrem, magis ad regis exemplum, quàm ad ſuæ vitæ periculum ſpectabant. Rex etiamſi & annorum & armorum grauitate non parum impediretur, in vlteriorem tamen ripam peruenit: quod cum propter ſpem Saxonibus, in præda occupatis, accidiſſet; viſo hoſte iam propinquo, in fugam ſe conijciunt. Francus Saxonem ſeſe non expectantem, continenter inſequitur, ſemper coniectis in ducem oculis: qui vir ætatis prouectæ temeritate iuuenili vtebatur; dicterijsque in ipsâ fugâ non abſtinebat: ſubinde enim reſpiciens & verba iaciens inania, indignum eſſe rege aiebat ſuos relinquere, & fortunæ commutabili ſe credere: cauendum illi eſſe, ne ſuos poſtremum modò videat; verborum friuolorum modus non erat, regemque videns ſibi imminentem propiùs, modò tanquam dominum appellabat, modò cauillis laceſſebat.

Lotharius cum ipſum ſuæ ſalutis causâ, vt fugâ ſcilicet elaberetur,

beretur, ſerere tam effuſos ſermones animaduerteret; neque ludibria orationis refutauit, quod indecorum fuiſſet: neque fugientem è conſpectu dimiſit, quod verboſum & delirum ſenem comprehendere cuperet. Curſus regij celeritatem promouente iracundiâ, cum aſſecutus eſſet ſenem loquacem: arma ipſum & loricam deponere, & manus dare imperat: quod cum facere pertinaciter detrectaret, ne ſuorum accurrentibus turmis euaderet, immiſsâ haſtâ transfoditur. Francis oboritur lætitia immenſa ob ſalutem regis, qui ita feſtinauerat ad victoriam, vt aſſequi eum vix pauci potuiſſent. *Reges Saxonum.*

Opima ſpolia Lotharius hoſti detrahit; caputque ducis occiſi ad Ditbertum filium muneris loco mittit. Duce ſuo ſine ordine fugiente, hinc inde diſperſi Saxones erant; & iam eodem occiſo, effugia palantes quærebant; nec lares patrios, quò minùs ſternerentur populationibus & incendijs, aut audebant aut poterant defendere. Francus furore nimis prouectus, è captis Saxonibus, qui machæræ ſuæ longitudinem excederet, marem viuere neminem eſt paſſus. Gemblacenſis teſtatur, non modò in militem, ſed in omnes alios eâdem crudelitatis pœna ſæuijſſe, vt dimitteret viuentem neminem menſuram ſui ipſius gladij excedentem.

Poſt hanc pugnam iugum Saxonibus graue imponitur: ijſque, ne rebellarent, arma, machinæ, equi adimuntur; & iumenta quingenta dare hoſtibus ſingulis annis imperantur. Cum & fortiſsimi in prælio illo tumultuario cecidiſſent, & exuti poteſtate viderentur; Francis nihil amplius timendum videbatur: ſed cum ſublatam ſui limitis defenſionem paulo-pòſt ſentirent, quod Saxones inermes obieciſſent hoſtibus; anni ſpacio exacto arma ijs reſtituunt, & eorum viribus ad ſui regni commodum vtuntur; de tributo tamen annuo nihil remittunt. Hanc calamitatem Saxonibus attulit regis ſenis imprudentia. Nunc quia nihil præteritum videtur, rectâ ad Sighardum regem transeamus. *Saxones à Francis ſubiugati.*

DE

Reges Saxonum.

DE SAXONIÆ ANTIquis Regibus & Ducibus.

Sighardus. Vxor Iulanda Goſuini Obotritorum Regis F.

- *Ditericus. Vxor Dobra Billingi R. Obotritarum F.*
  - *D. Bertholdus. Vxor D. Phryſiorum F.*
    - *Ditericus obijt in carcere.*
  - *Edelhardus. Vxor Heila Ratbodi R. Phryſiorum F.*
    - *Albio Palatinus Sax. primus Chriſtianus.*
  - *VVernechinus. Vx. Chunhildis D. Rugiorum F.*
    - *Vuitichindus Magnus. Vxores duæ.*
      - *1. Geua Suigardi Regis Daniæ ſoror:*
      - *2. Suatana Lechi Ducis Bohemiæ F.*
        - *Haſula vxor Beronis Com. Ballenſtadij.*
        - *VVigbertus. Vxor Sandacilla Rabedonis D. Phryſiorum F.*
        - *Vuitichindus II. Vxor Iulanda C. Reshlicij filia.*
    - *Bruno. Vxor Suſanna Volfradi D. Monsforſenſis F.*
  - *Mathildis.*
  - *Hildegardis vxor Hermanni Com. Ballenſtadij.*
- *Sibeldus ſine hærede mortuus.*

SIGHARDVS REX SAXONVM.

LIBER STEMMATIS SAXONICI, QVEM poſthac originum nominabimus, ſine cauſâ mutandus repudiandusvè non eſt: nec enim ſolùm ex Annalibus atque hiſtorijs, quæ in manibus ſunt; verùm etiam ex diplomatibus, literis, picturis, & monumentis antiquis, quorum aliqua ipſe ego vidi atque conſideraui, collectus atque conſcriptus eſt: quem etiam in hoc loco ſtudioſè ſequar, aut cur ſequendus aliquando non ſit, cauſam afferam.

In eo libro SIGHARDVS primus auctor, & quaſi propago ſtirpis Saxonicæ ponitur: & anno à nato Chriſto ſupra ſexcenteſimum trigeſimo tertio, Heraclij Imperatoris vigeſimo, rex
633. fuiſſe Saxonum perhibetur: eandem tuetur ſententiam Georgius Rixnerus, Cæſaris Maximiliani I. caduceator, vel (vt nunc

vocant)

vocant) Heroldus: qui Sighardum ait regnaſſe annos octo & quinquaginta: vitâ functum anno ſupra ſexcenteſimum nonageſimo primo. Origines noſtræ teſtantur, quod Ditbergus, rex Francicus, Sighardi exercitum ingentem deleuerit: cuius etiamſi nullus ſcriptor Francorum meminerit, tamen ab originibus non diſcedo. Nam Sighardum, Bertholdo interfecto, conſultaſſe de ſuorum libertate, veriſimile eſt. Franci enim non Saxoniam omnem ſed partem tenuerunt ſuperioris: vnde cùm, ſecundum Gemblacenſem, anno Chriſti ſupra ſexcenteſimum quadrageſimo ſecundo, Vandali qui fluuiorum Haueli & Sueui accolæ erant, magna multitudine effuſi, diriperent Turingiam, & eam eripere Francis pararent: Saxones ſponte obtulerunt ſuam operam Turingis, tum regibus Francorum ſubditis; ſi efficerent, vt tributo & oneribus alijs leuarentur. Id gratum accidit Franco, qui eis prolixè pollicitus eſt animum gratum. Itaque Saxones contra Vandalos fortiſsimè pugnant, eoſque partim occidunt & ſpoliant; partim ad ſua redire compellunt. Talis beneficij gratiâ rex Francus tributa eis remittit, quæ iam annos circiter octoginta penderant. Saxones cùm regno Francico Turingiam ſeruaſſent, & propinquas nationes à populationibus prohibuiſſent: è tributarijs liberi, regumque ſocij atque amici facti ſunt, ſuâ magnâ cum gloriâ. Annales Heſſorum memorant, ab huius regis nomine, quem Saxones Ditbertum, vt ſæpè dictum eſt, Franci Dagobertum nominant, fuiſſe dictam Dagoberſtetam propè Erfurdiam in Turingiâ: & Dagoberthuſam propè Marpurgum in Haſsiâ: & eiuſdem nominis pagum in Rheni ripâ, non procul à Coloniâ Agrippinâ: in quibus tunc locis omnibus præſidia limitanea habuit: quæ nunc conciſis literis paulò aliter pronunciantur; ita tamen, vt originem, qui prudenter loquuntur, intelligant. Sighardi nomen obſcurius eſt: quia in Francorum hiſtorijs aut Annalibus non inuenitur, & quia longâ in pace regnaſſe diu tranquillè exiſtimatur. Vxor Sighardi fuiſſe à Rixnero dicitur IVLANDA, Goſuini regis Vandalorum filia, è quâ genuit Ditericum & Siboldum: Ditericus patris ditionem accipit, Siboldus adoleſcens eſt mortuus.

Reges Saxonum. 691. 642. *Saxones militant Francis contra Vandalos.*

DITERICVS REX.

DITERICVS, Sighardi filius, vxorem ducit Dobram ſeu (vt alij) DOBRAGEVAM, Billingij regis Obetritarum filiam: de cuius ſtirpe, & magnanimi duces Megal-

Reges Saxonum. burgij propagati ſunt. Hæc peperit, vt in Originibus legitur, tres filios, EDELHARDVM, BERTHOLDVM, VVERNECHINVM: Filias, vt alij ſcribunt, Mathildim, & Hildegardim: hæc vxor Hermani, Comitis Ballenſtadij, fuit.

Saxones occidentales fiunt Chriſtiani. Regis Diterici temporibus Saxones occidentales in verâ religione inſtitui cœperunt, à duobus fratribus Edualdis ex Angliâ profectis in antiquorum Saxonum, à quibus Angli deſcendunt, ſedem: ſed vt nihil difficilius eſt, quàm inſitas opiniones, præſertim de cultu diuino, ex animis euellere, & nouas inſerere: ita rudes animi, quod didicêre, facilimè relinquunt: nec ab inſtitutis patrijs ad alia, quamuis meliora, adduci poſſunt, aut ea certe diu non obſeruant. Doctores igitur nouos non admittentes, eos interficiunt, vt eſt ſupra expoſitum.

Reges Francorum, regnante hoc Diterico, ſeptem numerantur. Ditericus, Ditberti nepos, regno præfuit annos duos; Ludouicus, filius eius, quatuor; Hildebertus, Ludouici frater, decem & ſeptem; Ditbertus (qui à Gemblacenſe nominatur Clodoueus) Hildeberti filius, annos quatuor, vel (vt Annonius) quinque: Lotharius, Ditberti filius, duos: Hulfericus quinque: Ditericus quindecim: vterque Ditberti filij. Hæc temporum notatio præponenda fuit, ad intelligendum ea, quæ ſunt de Diterico dicenda.

Regum priorum quinque temporibus in Saxoniâ otium & pax fuit: nam Franci bellis occupati domeſticis, externa non *Saxonum bella cum Francis tria.* quærebant, Hulferici verò & Diterici dominatu, tria bella contra Saxones geruntur. Erant tum Franci & armis potentes, & religione Chriſtiani: nec minùs potentes Saxones, ſed à veri Dei cognitione, & cultu prorſus alieni; hi, cum nec Francis parêre æquo animo poſſent, nec deos patrios & templa popularia abolere vellent; ſæpè pro libertate ſuâ, & pro antiquâ ſuperſtitione arma ſumſerunt; ſemper tamen ſibi magis, quàm Francis pernicioſa. Ad religionis mutationem, cum non raro accedat principum cupiditas: hominum animi leuiſſimâ de causâ exacerbantur, & ad priſtinum ingenium redeunt.

Etenim, cum viderent Saxones non tàm ſalutem ſuam quæri, quàm fortunas & imperium: nam à præfectis regijs nimium grauabantur: ideo animis pertinaciſſimis reſiſtebant, & nomen atque profeſſionem Chriſtianam magis magisque oderant, non ſecus atque ipſos.

Poſtea

Poſteà Saxonibus gentes Vandalicæ reſtiterunt, ijsdem iniu- *Reges Saxonum.* rijs affecti; & imperiosè atque acerbè tractati. Erat, vt ad inſtitutum redeam, illorum temporum mos: vt reges Francici nomen tantùm dignitatis obtinerent: præfecti verò palatio (maiores domus ipſi vocabant) cùm regni negotia omnia, tùm rem militarem procurarent. Ditericus igitur, Saxonum rex, non cum Hulferico aut Diterico regibus, ſed cum regiæ domus præfecto. Carolo, cognomento Martello, Caroli Magni auo, bella geſsit, vt annales Francici rectè teſtantur; qui trium bellorum faciunt mentionem.

Primum geſtum eſt, anno Christi ſupra ſeptingenteſimum 723. vigeſimo tertio, temporibus Hulferici, in quo Saxones victi ſunt: Alterum anno quarto poſt, temporibus Diterici, in quo denuò ſuccubuerunt: Poſtremum anno ſupra ſeptingenteſimum qua- 727. drageſimo, commiſſum ad Luppam fluuium, quod etiam Sa- 740. xonibus cecidit infeliciter. Satis fuit ſcriptoribus Francorum victorias ſuæ gentis commemorare: cauſas belli non curarunt: vel quòd eædem ſemper fuerint, vel quòd hoſtium virtutem, aut ſuorum cladem referre noluerint. Agro Saxonico, oppidisque vaſtatis, tributum eis imperatum eſt: neve rebellionem tentarent, datis obſidibus, coacti ſunt cauere. Georgius Spalatinus vir planè bonus & diligens, regem Ditericum cum Ditberto bellum geſsiſſe quod ſcribit, contra ſcriptores Francicos ſcribit: nam cum eius filijs, vel filiorum potius (vt dixi) præfecto, eum pugnaſſe certum eſt: qui illud addunt præterea, eam ob cauſam benè rem ceſsiſſe Francis; quòd contra Idolatras contumaces pro ſacris & religione dimicauerint.

Ditericus regnauit annos quadraginta: obijt, vt ait Rixnerus, anno ſupra ſeptingenteſimum quadrageſimo: vt opinio eſt, do- 740. lore animi, quòd tribus prælijs victus, antiquâ libertate non frueretur.

EDELHARDVS.

EDELHARDVS, Diterici filius natu maior, & patris ſucceſſor, Angariorum, Iburgi, & Osnaburgi dux ſcribitur; quibus tum vrbibus atque gentibus regnum Saxonicum continebatur. Vxorem ducit HEILAM Rathbodi regis Phryſiorum filiam: ex eâ genuit vnicum filium ALBIONEM, pri- *Saxonum primum Chriſtianum.* mum inter Saxones Chriſtianum: cuius Gemblacenſis, Vrſbergius, & Chronicum Cellenſe meminit: ſed nomen diuersè à ſingulis ſcribitur.

Reges Saxonum. Edelhardus regno potitus, vt iugum Francicum à Saxonum ceruicibus excuteret, omnibus viribus conatur: ideò quâuis occaſione oblatâ rebellauit, & cum hoſtibus eſt quinquies congreſſus.

Saxonum bella cum Francis quinque.

I. Primum bellum, initium ſumpſit anno ſupra ſeptingenteſimum quadrageſimo tertio, vt Gemblacenſis; quadrageſimo quarto, vt Vrsbergius; quadrageſimo quinto, vt Scotus Marianus. Hanc diuerſitatem inde natam exiſtimo; quod vno illo
743. bello prælia ſæpius facta ſint, vt ſolet fieri. In hoc bello bello Carolomanus, Caroli ſupra nominati filius, dux fuit; qui in Saxoniam profectus, arcem Hoemburgam, vt Ado nominat; ſeu, vt Saxones, Bobenburgam, quaſi altam arcem dixeris, in diœceſi Mindenſi, ad Viſurgim amnem ſitam, obſidet: & tandem conditionibus capit, & fratris Edelhardi regis filium Ditericum, obſidem abducit: cuius indole generosâ motus, fide acceptâ adoleſcentem in patriam confeſtim remittit: fore ſperans, vt Saxones haberet magis beneuolos, ſi eorum principibus & nobilitati parceret.

II. Ditericus cum illâ humanitate nihil moueretur, & ſer-
744. uitutis impatientiâ fidem violaret: nouum ſuâ temeritate bellum in patriam attrahit. Carolomanus enim, & Pipinus, fratres, anno inſequente, ſubditis copijs in Saxoniam redeunt, & conatus hoſtium, eodem Diterico capto, coercent, atque impediunt.

III. Anno ſuprà ſeptingenteſimum, quadrageſimo ſeptimo,
747. inter Pipinum & Griphonem fratres ſimultas oritur: quæ importunitate Griphonis in bellum graue euadit. Hic enim fratri gradum ſuperiorem inuidens, ad Saxones confugit; eosque per ſe ad tumultuandum promtos, facilè ad ſuas partes allexit: quorum conſcripto exercitu, ad flumen Ocram, prope Orthcimum, caſtra metatur.

Pipinus per Turingiam veniens, cum milite Francico & Turingico, caſtra locat ſupra Muſſaham amnem, iuxta Schaningum oppidum, vt teſtatur Regino. Locorum nomina eodem modo referuntur ab Adone & Vrsbergio: ſed ſunt in libris vulgatis corrupta. Gripho, cum nec Saxonibus fidere auderet; nec copias ſatis firmas ad reſiſtendum fratri haberet, cuius tàm celerem aduentum non expectauerat: in Bauariam, ad ducem Odilonem, vt Annonius; vt ſcriptores

Germanici appellant; Taſsilonem ſe confert; cuius neptem Suanhildim in matrimonium habebat. Regino ait, ſubiugatam armis ab eo Bauariam fuiſſe. Eum inſecutus Pipinus; Laufridum & Suidgerum, ſocios eius vincit & capit: Griphonem & Taſsilonem in poteſtatem redigit; vſus tamen ſolitâ clementiâ: Taſsilonem, & coniugem eius Hiltrudim captam, in priorem dignitatem reſtituit, & præfecturas duodecim in Neuſtriâ aſsignat Griphoni, fraternæ pietatis perpetuò contemptori: Saxonibus etiam, qui fratri ſuo ſe adiunxerant, vt poſtea in officio manerent, ignoſcit. Hoc igitur bellum, è Saxoniâ, in Bauariam, translatum eſt. Reges Saxonici.

Quarti in Saxonia belli cauſa fuit, quod Hildegarium epiſcopum interfeciſſent. Pipinus qui, exauctorato Hilderico rege, in ſolium collocatus erat, altero poſt diadema ſuſceptum anno, hoc eſt, nati Chriſti ſupra ſeptingenteſimum quinquageſimo primo maximis copijs tranſit in Saxoniam, & ad Rinam vsque ſupra Viſurgim accedit. Pugna inter Francos & Saxones committitur, & acriter vtrinque dimicatur. Pipinus ad Vihebergum, magnâ copiarum parte amiſsâ, victoriam cruentam obtinet. Faciunt huius prælij mentionem Ado, Annonius, Vrsbergius, item Saxonicæ Origines: victoriæ verò Regino Prumienſis. Cecidit in eo prælio antiſtes Moguntinus Geroldus, vt in Annalibus antiſtitum ſcribitur: vt noſtri eum nominant, Vuildegarus. Annales Moguntini, quos Bruſchius collegit, teſtantur, in reprimendis Saxonibns, Turingiam infeſtantibus, Pipini ſocium fuiſſe Geroldum, & à nobili quodam Saxone interfectum præliantem. Geroldi filius fuit Garuuildus (ita enim inuerſis literis ibidem Vuildegarus ſcribitur, vtrumque autem ſignificat hominem totum ferum ſeu planè effrenem) qui, vt patris cædem vlciſceretur, iterum cum Pipino & arma & conſilia iunxit. Cum autem in nobilem illum incidiſſet in pugnâ, vt in Annalibus Moguntinis; vel cum illum ſpecie colloquij in ſua caſtra euocaſſet, vt in Vuormacienſibus legitur; ſuâ ipſum manu interficit, cum hâc exprobratione: Accipe nunc ferrum, quo patrem vindico carum: Saxonibus nulla fuit calamitas tanta, quin ad libertatem, quoties poſſent, rurſus aſpirarent. Quam ob cauſam ſæpius ab ijs laceſsitus Pipinus, cum videret gentis illius contumaciam, eſſe furori ſimilem, comparat maiores copias: vt pro tot annorum iniurijs ſeueriores à gente durâ pœnas exigeret: nec eius propoſito fortuna inuidit. IV. 751.

Quintum igitur bellum ſuſcipitur anno ſupra ſeptingenteſimum V. 757.

Reges Saxonum.

mum quinquageſimo ſeptimo, vel (vt alij) octauo, ad quod Saxones planè parati fuerunt: nam & itinera intercluſerant in finibus, & arcibus multis præſidia impoſuerant: ſed Pipinus omnes difficultates peruincit: plurimas arces euertit: caſtella vi capit: & ad Sitinum hoſtibus congrediens, magnam eorum edit ſtragem, ad conditiones propoſitas adigit, tributum denique annuum equorum trecentorum imponit. De hâc victoriâ ſcribunt Prumienſis, Vrsbergius, & Gemblacenſis: hîc de tributo nihil exprimit. In iſto congreſſu Edelhardus inter primos dimicans, vulneratur; & tertio die pòſt è viuis excedit, vt teſtantur Origines. Regnauit annos ſeptendecim maximâ gloriâ & virtute.

ALBRO DVX PALATINVS.

ALBRO, regis Edilhardi filius, poſt multa bella, à Pipino & Carolo Magno per Saxoniam feliciſsimè geſta: cum æquitatem victoris cerneret, vtpote qui non tàm de imperio, quàm de religione dimicaret: cumque ſucceſſus in bellis omnibus optatos, & fauſtos, & quoſdam etiam mirabiles, contra ſe & alios experiretur: conſultat cum Vitichindo ſuo patruele, de gratiâ & beneuolentiâ Caroli comparandâ; & de reliquijs patriæ, tot prælijs & cladibus exhauſtæ atque afflictæ, conſeruandis; id autem faciebant, paucis conſcijs, ne aut à gentilibus ſuis, aut à multitudine nominis Chriſtiani hoſte, tanquam proditores rituum maiorum atque patriæ opprimerentur; aut duris cruciatibus necarentur. Poſtulant ambo abeundi ad Carolum redeundive liberam poteſtatem; quâ impetrata, Bardegunum accedunt. Eo tamen in loco non audiebantur, quia ſuſpecti erant: ſed Carolum iubebantur ſequi vltra Rhenum, quod ſe facturos promittunt. Acceptis à Carolo obſidibus, & adiuncto Amalbini, maximæ auctoritatis viri, comitatu, Attiniacum ſimul eunt.

Albroni cum Vitichindo deliberatio de Chriſtianiſmo accepiando.

Accepti perbenignè, cauſam aduentus ſui coram Carolo & eius conſiliarijs exponunt: præfatique, quæ poterant, de ſuo erga patriam ſtudio & amore, ſimul periculorum meminerunt, in quæ ciues & populares ſuos induxerint: fatentur, ſe in errore verſatos, qui putauerint, ſolis viribus humanis comparari libertatem & felicitatem; qui toties rebelles, non admiſerint victorem clementem, & numine meliore adiutum: adeſſe nunc ſeſe ad petendam veniam, cupere imitari Brunonem, ducem ſeſe

longè

longè ſapientiorem, & doceri de vero Deo, quem ſuis adeſſe pugnatoribus didicerint: paratosque eſſe, rectiora monſtrantibus parére: habere ſpem in magnanimitate ac fide Caroli; cuius ſe in poſterum fore obſeruantes, pollicentur. *Regis Saxonum.*

Hæc oratio vt noua & inopinata fuit: ita multâ gratulatione eſt ab omnibus, & præſertim à Carolo ipſo, laudata: qui & acceſsionem ad Eccleſiam fieri lætabatur, & Saxoniam fore deinceps pacatiorem ſperabat: cùm viris iam præcipuis è principum numero, data à Deo melior mens eſſet. Multâ igitur populorum multorum frequentiâ, duo principes nobiles ſacris Chriſtianæ religionis initiantur, anno Chriſti ſupra ſeptingenteſimum octuageſimo quinto: vt Regino & Sigbertus teſtantur: cum quibus in hiſtoriâ plerunque conſentit Vrsbergius, etiamſi annorum numero non vsquequaque conueniat. Albronem alterum, è Saxoniæ primatibus, Chriſtianum, titulo Palatini Saxoniæ ornat Carolus, vt in Originibus legitur: Vuitichindum hoſtem ſuum omnium acerrimum, & valdè ſuſpectum in gratiam recipit, & clementiâ vincere ac mitigare contendit. *Albro & Vuitchindus baptizantur* 785.

Nomen vxoris Albronis ac liberorum, nondum vllis literis aut monumentis inueni proditum. De reliquis autem Saxoniæ Palatinis ad finem huius libri plura narrabimus.

BERTHOLDVS.

BERTHOLDVS, dux Saxoniæ, regis Diterici alter filius, vxorem duxit regis Phryſiorum filiam, ex quâ procreauit filium DITERICVM. Bertholdus cum Carolo Magno conflixit prope Luppam flumen, ad Syluam Fagineam, anno Chriſti ſupra ſeptingenteſimum ſeptuageſimo nono. Victus prælio, & conſilijs amicorum non acquieſcens, tumultu militari à ſuis interficitur, anno ætatis ſuæ quarto & octuageſimo, vt Origines; ſexto & octuageſimo, vt Rixnerus. Poſt huius obitum, Vueſtouali ſeſe dedunt: Angarij, ad fontes Emſij fluuij habitantes, & Oſtouali legatos de pace, & vna obſides ad eum mittunt: nam Bertholdi pertinacia ſteterat, quò minùs & religioni ſanctæ & imperiò iuſto colla ſubmitterent. 779.

DITERICVS.

DITEricus, Bertholdi filius adhuc adoleſcens à Carolomano, Caroli Martelli filio, obſes in Galliam deducitur, anno ſupra

Reges Saxonum. ſeptingenteſimum quadrageſimo tertio, cum arcem Hoemburgum Carolomanus conditionibus obtinuiſſet, vt paulo ante di-
743. cebatur. Cum autem tutâ fide ſine vllo precio eſſet dimiſſus; immemor acceptæ libertatis, & recentis beneficij, Saxonibus res nouas molientibus, ducem ſe præbuit; ob quam cauſam Carolomanus indignatus, adiuncto ſibi fratre Pipino redijt anno altero in Saxoniam: & Mœno transmiſſo, Ditericum tam diu inſequuntur, donec eum iterum caperent, vt Annonius ſcribit, quem Regino & Vrsbergius ſequuntur: Gemblacenſis tantùm acceptum pacis obſidem memorat: neque reliqui, num deditione an armis in hoſtium poteſtatem venerit, & num dimiſſus ſit, an in cuſtodiâ Francicâ defunctus, ſatis apertè exponunt.

VVERNECHINVS.

VVERNECHINVS, tertius regis Diterici filius, princeps Iburgius fuit. Iburgum arx regia ditionis Osnabruigicæ, quam nunc eius loci præſules poſsident. Vxor eius Chunhildis ducis Rugiorum filia: ex quâ genuit duos filios BRVNONEM & VVITICHINDVM; vt eſt in Originibus. Eius mentio inter Edilhardi & Bertholdi bella non fit: fortaſsè quod à bello abhorruit, & actiones eorum non probauit: cum videret ipſorum armis non conſuli patriæ, ſed cumulari ærumnas, & augeri funera. Ab eo autem clariſsima & nobiliſsima propagata poſteritas eſt: primùm Brunonis filij, de qua libro ſecundo dicemus, cum agemus de imperatoribus & ducibus Saxoniæ: deinde Vuitichindi alterius filij, de quâ dicemus libro quinto, & deinceps in reliquis, in quibus Ducum noſtrorum ſtirpem illuſtriſsimam
768. ordine percenſebimus. Obijt hic princeps excellentiſsimus anno ſupra ſeptingenteſimum, ſexageſimo octauo.

DE COMITIBVS SAxoniæ Palatinis.

NVnc autem antequam ad Vuernechini veniam poſteros, de Palatinis Saxoniæ, quorum in Albrone memini, pauca præmittam. Origines teſtantur, Albronem regis Edilhardi filium, primum Saxoniæ Palatinum à Carolo Magno Imp. declaratum. Iuris Saxonici ſcriptor ait, Othonem II. Imp. hanc dignitatem Saxoniæ principibus vindicaſſe, ſed eorum nomina non exprimit.

exprimit. Verum hic, vt in alijs quibuſdam, non ſatis diligens temporum obſeruator fuit, & hiſtorias ignorauit. Albro cum nec coniugem nec liberos habuiſſe legatur: nullius amplius Palatini aut gens aut nomen literis eſt expreſſum, vſque ad Henricum I. cognomine Aucupem, annis videlicet centum & quinquaginta, qui inter Albronem & Henricum ſunt interiecti. Prælio enim, quod anno Chriſti (vt Gemblacenſis notauit) ſupra noningenteſimum trigeſimo quarto; vel (vt alij) altero anno pòſt, contra Hunos, qui nunc Vngari nominantur, geſsit; interfuiſſe ſcribitur Arnoldus Saxoniæ Palatinus: qui & inſequente anno ludis equeſtribus Magdeburgi celebratis interfuit, vt in libro Troiaminis legitur. Temporibus Othonis III. Imp. Burchardi, Saxoniæ Palatini mentio fit in Annalibus Lauterbergianis, qui arbiter inter Vuernerum Comitem Ballenſtadium, & Dedonem Zorbecæ Burggrauium, factus eſt in eâ controuerſiâ, qua alter alterum de factis Imperatori inſidijs accuſauit: ſed de quâ ſtirpe fuerit, nihil præterea additum. E noſtris annalibus de Gozecenſe, Summerſenburgiâ, & Turingicâ familijs notum eſt, de quibus cum alibi cauſam aut occaſionem explicandi non habeam; ad huius libri finem earum proſapiam enumerabo, donec rurſus ad noſtros principes redeundum eſt.

Palatini Saxoniæ. 934.

✽

Fridericus I. Vxor Agnes Dedonis C. Luſatiæ F. — *Henricus Abbas Fuldanus.* — *Hermannus.*

Children of Fridericus I.:

Albertus Antiſtes Bremenſis. — *Dedo Palatinus I. Saxoniæ.* — *Fridericus II. Vxor Heduigis D. Bauariæ filia.* — *Vda vxor Alberti C. Sommerſenburgij.*

Dedo Palatinus I. Saxoniæ. → *Fridericus Ab. Gozecenſis, è concubina.*

Fridericus II. → *Fridericus III. Palatinus. Vxor Adelheidis M. Stadenſis filia.* → *Fridericus IV.*

Vda → *Fridericus C. Summerſenburgius.* → *Fridericus II. Palatinus. Vxor Agnes Henrici D. Luneburgij F.*

Children of Fridericus II. Palatinus:

Fridericus III. Palatinus. Vxor C. Serzonis filia. — *Henricus cælebs moritur.*

Children of Fridericus III. Palatinus:

Vilhelmus puer moritur. — *Albertus Palatinus vltimus.* — *Adelheidis Abb. Quedelnburgica.*

Dietricus

Palatini Saxoniæ.

*
Ditericus C. Rochlicenſis á Lothario Imp. conſtitutus.

*
Ludouicus IV. Ferreus. — *Hermannus Munificus.*

*
Henricus Dux Elect. Saxoniæ, Leo.

Iutha vxor Diterici M. Mucenſis. — *Ludouicus VI. Placidus.* — *Henricus Rex Romanorum.*

Henricus L. Turingiæ, Marchio Miſniæ, Palatinus Saxoniæ.

Dedo. 1042. TEmporibus Henrici III. Imp. dignitas Palatinatus peruenit ad DEDONEM Comitem Gozecenſem, eiusdem Imp. beneficio: quod factum eſt anno ſupra milleſimum quadrageſimo ſecundo: à quo autem tranſlata ſit, mihi nondum exploratum. Dedo iſte vir fortiſsimus benè de imperio meruit: Nam eo bello, quo Henricus Imp. Petrum regem Vngarorum reſtituere, Abamque (quem Gemblacenſis Abbonem, Blandus Aboinum vocat) impugnare voluit, ordines primarios duxit: ſuaſuque Dedonis atque auſpicijs, flumen Tibiſcum tranſmittens, tres Vngariæ ciuitates ampliſsimas cepit, ſpoliauit, incendit: vt annales Gozecenſes teſtantur, & Lambertus Scafnaburgius eisdem aſſentitur: quamuis hic nomen Dedonis ignorauit; neuter ciuitatum nomina expreſsit. Victoria contra Vngaros Imperator potitur III. Non. Iulij; quod Hermanus Comes Veringius tradit, *Fridericus.* qui illis vixit temporibus. Dedonis pater erat FRIDERICVS, ortu paterno Saxo, progenie maternâ Francus: eius fratres, HENRICVS, Abbas Fuldanus, & HERMANVS Comes, qui in expeditione Vandalicâ Conrado Imp. militauit, vt ſcribit Helmoldus Lubecenſis. Fridericus duxit AGNETEM, Dedonis Luſatiæ & Lansbergi Marchionis, & Vuitini Comitis filiam; quæ in cœnobio Quedilnburgio inter puellas virgines educata, linguam latinam pro illorum temporum conſuetudine didicerat: peperit hæc filios tres, ALBERTVM, DEDONEM, FRIDERICVM II. filiam vnam, à matre HILARIAM, mox gentili vocabulo nominatam VDAM, nuptam Alberto Comiti Sommerſenburgio. In hoc annales Lauterburgij & Gozecenſes planè conueniunt: niſi quod hi Agnetem Comitis Vinarienſis dicunt fuiſſe filiam; quod aliter ſe habere, infra libro quinto in Dedone III. explicabitur.

ALBERTVS Friderici I. filius, è canonico Halberſtadio fit-

Palatini Saxonum. Albertus Archiepiſcopus Hamburgenſis & Bremenſis.

fit Bremenſis antiſtes, gratioſus apud Henricum III. Imp. ſed multò magis apud Henricum IIII. Imp. temporibus illis difficilimis fortunâ iactatus variâ, varijs etiam criminibus oneratus; cùm ſub rege puero de ipſius iuſsibus ac nutu fierent omnia. Pro animi arrogantiâ, & licentiâ ſibi conceſsâ ad ſumma aſpirat: & pontifice & rege illi fauentibus, honorem patriarchatus affectat: & in omnibus regnis Septentrionalibus Daniæ, Suediæ, Noruegiæ, fungitur vice antiſtitis, & legati apoſtolici, vt Crancius de eo ſcribit. Ditmarus, à religione acerbiſsimè abhorrentibus, doctores mittit, vt eos & pontifici & regi ſpecie bonâ ſubijciat.

Dedo Palatinus.

DEDO frater eius in aulâ Henrici III. vixit: famaque fortitudinis excellens, inter primos duces belli gratus acceptusque Imperatori: à quo Palatini honorem (vt dictum eſt) conſequitur.

Fridericus II. Palatinus.

FRIDERICVS II. traditur educandus, non nepoti (quo vocabulo Monachi peruersè vſi ſunt) ſed patruo ſuo Heinrico, abbati Fuldano, magnæ æſtimationis viro.

Fridericus Abbas Gozecenſis. Gozeca arx

Dedonis Palatini filius erat FRIDERICVS, Gozecenſis cœnobij abbas quintus: qui procreatus è concubinâ ferebatur: Gozecam autem arcem, in quâ nati & educati fuerant tres Friderici filij, inſtinctu Alberti antiſtitis Deo dicant: & ſodales Benedictinos introducunt; & Eccleſiæ Bremenſis diœceſi ſubijciunt. Ea ſita eſt in parte montis orientali, ſupra Salam flumen inter Vueiſenuelſam & Numburgum vrbes.

Dedo.

DEDO iſte, ſpectatæ virtutis ac pietatis princeps, à quodam ſacerdote, homine nobili, interficitur. Erat is relegatus è Saxoniâ ab antiſtite Bremenſe; neue propter alios nobiles factioſos aliquid moliretur, cuſtodiendus in Turingiam fratri traditur: qui cum vinctum teneret aliquanto tempore; tandem motus miſericordiâ & pietate dimittit, & in ſuo comitatu propter Sacerdotij dignitatem habet eo animo, vt fratri eundem reconciliaret.

Homo nefarius quia de antiſtite vlciſci ſe non poterat; de eius fratre ſumendam vindictam cenſebat. Ad villam Poletiam, aſcenſuro equum Palatino, Sacerdos iſte officij causâ proximè aſſiſtit: cumque miniſtri circum illum non adeſſent; nactus facinoris exequendi, quod diu voluntate perceperat, idoneum tempus; vulnus per inguen infert: e fugâ celeriter retractus. Cùm à miniſtro ſemimortuus Princeps, quid ſtatuendum de ſicario eſſet, interrogaretur:

Reges Saxonum. retur: ordini ſacro parci, homicidium dimitti; Deo vindictam permitti imperat; vultuque compoſito placidè expirat anno
1056. Chriſti ſupra milleſimum quinquageſimo ſexto, dignitatis nouæ duodecimo, III. Non. Maij. Henrici Imp. iuſſu, qui de viri præſtantiſsimi morte tam indignâ dolebat, cùm celebritate Goslariam deducitur; ibidemque ſepulchro corpus eius mandatur; cuius mentio in annalibus ſupra citatis, & in Lamberto.

Fridericus II. Palatinus Saxoniæ. Fridericus III. Frater eius FRIDERICVS II. propter mortui merita, eodem Palatini titulo ornatur: cuius vxor HEDVIGIS Bauara peperit FRIDERICVM III. Huic tradita in matrimonium ADELHEIDIS, Vdonis marchionis Alislebij & Stadenſis filia, formâ atque venuſtate inſigni, ſed non reſpondente integritati & moribus. Eius enim decore & delitijs, poſt repudiatam HEDVIGIM primam coniugem, Vlrici Saxoniæ ducis filiam, captus Ludouicus II. Turingiæ Comes, Ludouici

Ludouici Turingiæ Comitis adulterium & homicidium. Barbati filius; eam ad colloquium ſollicitat: quod ipſa non ſolùm non recuſat; verùm etiam amatorem pro muliebri ingenio malis conſilijs inſtruit; & interficiendi per occaſionem mariti, viam demonſtrat. Ludouicus fœminâ dirâ non paulo ſanior, die conſtituto venatum proficiſcitur, & ad Palatini ſedem Vueiſenburgum, poſtea dictam Schepliciam, & ſupra Vnſtrutam flumen ſitam, tàm propè accedit, vt & cornuum ſonitus & canum latratus ad ipſius aures perſonarent.

Maritum in balneis curam fortè corporis agentem vxor ſcelerata appellat, accuſans ignauiam; qui ſuæ voluptatis causâ libertatem fundi negligeret; & alienum in conſpectu arcis quaſi inſultare ſibi pateretur.

Palatinus, vno & altero Comite arrepto, ad Ludouicum contendit; & quia hoſtem eſſe ſuum neſciebat neque ſuſpicari poterat, verbis obiurgat: & ne quid iuris in ſuis bonis, ſe inſcio, ſumeret, dehortatur: Inter hæc verba (vt annales Reinhartbornij & Erfurdiani teſtantur) haſtâ à Landgrauio traijcitur: verum antiqui annales Gozecenſes, non manu principis, ſed duorum miniſtrorum interfectum referunt, Vlrici Ditlebij, & Rheinhardi Rimenſteti; qui collocati in inſidijs imprudentem exceperint. Commiſſum facinus eſt in loco, qui Reiſsius dicitur VI.
1065. Non. Febr. anno ſupra milleſimum ſexageſimo quinto.

Interfecti vxor grauida poſthumum peperit eodem anno FRIDERICVM III. Exacto triennio ADELHEIDIS Ludouico nubit; cum quo & adulterij conſuetudinem & cædis ſocietatem habebat.

habebat. Nefandæ iſtæ nuptiæ, cum eſſent furiis pronubis conciliatæ; fecerunt vt coniugum iſtorum nomen omnibus foret exoſum & abominabile. Friderici occiſi pater, & antiſtes & patruus, anno poſt factam cædem quinto, ad Heinricum IIII. Imp. facinus deferentes; Turingo diē dicunt: ſed ipſe metuens iram Imperatoris, & cauſæ ſuæ peſsimæ diffidens, latebras quærit: neq; vllo loco certo conſtitit: cùm facinoris nullam veniā ſperaret: & conſcientiam ſeſe excruciantem, quaſi carnificis verbera, exhorreſceret. Imperator offenſus vehementiſsimè, præmiū proponit iis, qui eum caperent: quare cum inſidiis tandem deprehenderetur, in arcis Gebichſteniæ cuſtodiam deducitur; quæ arx ſupra vrbem Halim poſita, Salam flumen deſpectat. In hâc cum iam acriter biennium aſſeruaretur; fugam meditari: morbum itaque ſimulans, & à cibo abſtinens, à cuſtodibus impetrat, vt ſibi veſtem inſtitam & cætera funebria afferri per ſuorum aliquem permitterent: ſe enim non diu fore, propter morbi grauitatem, ſuperſtitem querebatur. Admiſſo homine fido, equum ſibi ſtato tempore, certoque in loco ſiſti iubet: equi etiam nomen ſcriptores Turingici exprimunt, qui à colore nitente, ſit Cynus dictus. Impetrat præterea à cuſtodibus, vt valetudinis causâ ſibi vincula & pedicas demant: ipſe ſe horrere fingens, omnia quæ habet veſtimenta induit. Cuſtodibus dormientibus, miniſtrum, qui ad flumen cum equo expectabat, conſpicatur: & de editiſsima arce præcipitem ſeſe demittit: ſubleuatuſque ſinuoſâ veſtium laxitate, è flumine incolumis euadit: vnde Salij nomen perpetuò retinuit. Extitit eius miraculi teſtis verſiculus, templo diui Vlrici, quod ipſe fundauerat in vrbe Sangerhuſia, inſcriptus:

Suſcipe ſancte domum, quam vinctus compede voui.

Anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo ſecundo antiſtes Bremenſis, qui ipſum accuſauerat, XII. Cal. Apr. moritur Goslariæ, ſepelitur Brenæ. Crancius alium tantummodò diem obitus annotans, in cæteris conſentit. 1072.

FRIDERICVS occiſi pater, tumultu Saxonico ob interceptos ſibi cœnobij Neraldueldenſis reditus (vt annales antiſtitum Magdeburgicorum habent) cum aliis Saxoniæ ducibus atque principibus contra Henricum IIII. conſpirat: eundemque inter coniuratos recenſet Lambertus: Victis prælio cruento Saxonibus, cum tolerabiles illis proponerentur conditiones pacis; priſtinæ calamitatis memoriâ, eas recipiunt: fideique Imperatoris ſeſe committunt: ſed is aſtutè & ſimulanter agens, in dedititios

Palatini Saxoniæ.

Ludouicus Turingiæ Comes è carcere elabitur.

Fridericus II. Palatinus Saxoniæ.

Palatini Saxoniæ. animaduertit, aliiſq; alio modo punitis, locum exilij Palatino conſtituit Ticinum in Inſubribus, quod nunc Pauia eſt: qui poſt menſes decem & octo, gratiam Imperatoris recuperat, & ad ſuos redit. Confectus curis & ætate in prouinciâ Barbogenſi
1088. VI.Cal. Iunij, anno ſupra milleſimum octuageſimo octauo moritur; & Gozæam deductus, ad latus filij, quem innocentem occiſum diximus, à Friderico abbate, Dedonis filio, apponitur: inſcriptionem tumuli ante paucos adhuc annos ipſe ibidem legi. Fuit hic princeps cùm aliis virtutibus ornatus, tùm latinæ linguæ non ignarus.

Fridericus IV. Palatinus Saxoniæ. FRIDERICVS IIII. interfecti filius, apud vitricum & matrem adulteram educabatur: qui vt ex ephebis exceſsit: cædem patris indignam reputans, odio incredibili in Salium exarſit: vtque patris interfectorem ſuâ manu vindicaret: ad certamen ſingulare ipſum prouocat in comitiis Mersburgij ad Salam. Sed vt armis concurrerent, nequaquam concedere voluit Imperator: & ſuâ autoritate interpoſitâ adoleſcentis impetum mitigauit. Fridericum nocte dieque ſtimulabat iniuria patri illata: ideò comparatis ſibi auxiliis, inprimis Marchionis Lauterburgii, in ditionem Salij omni maleficii genere graſſatur, nec non multis aliis nocet; vt fit in rapinis. Fundo Gozecenſi Tandorfium aufert: & cuidam Friderico Cholfenio, qui ſibi in bello operam nauabat, tradit: eundem tamen longius progredientem reprimit Imperatoris exercitus, qui tum Northuſæ ſtatiua habebat. Imperator, cum alterius cauſam tueri videretur, alterius facto atroci minimè ignoſcere: per occaſionem arces tres antiquiſsimas Salio eripit; Kifhuſam, Bichlingum, Schiduigum: quæ cum eſſent firmiſsima illius regionis propugnacula: de iisdem rurſus per Saxoniæ principes præſidia Cæſariana deiiciuntur. Salius cum videret & Imperatorem eſſe iuſtâ indignatione commotum, & priuignum merito ſuo ſibi infeſtiſsimum: neque ſe aut illius potentiæ parem, aut ab huius inſidiis vllo in loco tutum: impetrata à Pontifice Romano, quem ſupplex adiuerat, ſceleris flagitioſi veniâ; per amicos agit, vt hos quoque ſibi reconciliaret. Res eò deducitur, vt ſe Imperatori ſiſteret: & vitâ incolumi ipſius ſententiâ acquieſceret. Igitur Frutmundam veniens, Imperatori ad genua accedit, & eius ſe clementiæ committit. Is tales conditiones proponit: vt aut Iſenacum oppidum, & arcem Vuartbergam, à ſe extructa munitaque propugnacula, tradat: aut in cuſtodiam monſtratam eat. Cum tempus deliberandi peteret: ita Imperatorem offendit, vt &

poſſeſ-

poſſeſsiones modò dictas, eriperet, & ipſum præterea vinculis mandaret. Ludouicus filius eius, & alter Henricus comes Raſpenbergi, Imperatoris ſententia iniqua dolentes, de patre liberando cogitant. Igitur cum præfectum quendam cepiſſent Imperatoris; eum dimittere noluerunt, niſi pater & fortunas & libertatem recepiſſet. Priuigno etiam ſuo imperatam pro prædijs Gozecenſibus pecuniam numerans, amicorum interceſsione gratiam veniamq; impetrat. Poſt annos aliquot ad comitia Moguntina accedens, ad quæ nominatim vocatus non erat, ab Imperatore capitur tertiò: duoſq; annos & menſes nouem detentus; populari tumultu, qui Sigfridi antiſtitis cauſâ fiebat, caſu inſolito & inexpectato liberatur. Infamiâ obrutus, totiesq; vinculis vexatus, ſacro ſe ordini Reinhartbornio addicit: & cœnobij Oldeslebij prouentus auget. Vxor Schipliciam arcem dicat: & in eâ religioni initiatur. Hæc in monumentis, quæ Gozecâ, Reinhartborno, Sangerhuſia accepimus, bona fide ſunt relata. *Palatini Saxoniæ.*

Poſt Friderici Palatini occiſi mortem, de Palatinatu contentio orta fuerat inter eius filium, & inter FRIDERICVM comitem Summerſeburgium; ad quem, Friderico II. in Inſubriam relegato, ea dignitas Imperatoris auctoritate peruenerat. Summerſeburgius, qui vi vtebatur ad ſua tuenda, rurſus contra Imperatorem conſpirat, cuius fortuna inclinata videbatur, alio rege contra eum electo. Erat in eo animus acer & tolerans. Nam cum in Franciâ contra Heinricum prælium VI. Id. Auguſti maximum committeretur; Palatini huius, & Othonis ducis Gotingenſis virtus & alacritas inprimis eminuit. Fridericus certè copias Imperatoris perſequi non prius deſtitit, quàm eas intra mœnia Vurciburgia compuliſſet: inde fines Francicos ingreſſus, vrbem Smalchaldiam occupat; & regionem circumquaque vaſtat: Siffridum antiſtitem Moguntinum vi capit, anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo octauo. *Fridericus Comes Summerſenburgius.* 1078.

Nouum poſthac bellum gliſcebat inter agnatos de palatinatu; ſed FRIDERICVM, interfecti Palatini filium, erepta armis repetere cupientem, amicorum conſilia ab incepto reuocarunt; quod contra potentiorem fruſtra eum niti intelligebant.

Fridericus poſteà, fortaſsè vt dignitatem auitam ad ſe rurſus transferret, Heinrico IIII. Imperatori ſe adiungit; eiusque copijs arcem Turingiæ firmiſsimam Kifhuſam, quam Landgrauij filij receperant, occupat; & præſidio valido munit. Id cum Saxoniæ principes animo non æquo ferrent; Lotharium Comitem *Kifhuſa arx capta.*

Palatini Saxoniæ. Kiſhuſa ſolo æquata.

Supplinburgium ad eam recipiendam mittunt: qui tamdiu obſidioni inſtitit, donec eam caperet: neue hoſtibus receptui amplius foret: captam communi decreto incendit, & ſolo æquat.

Palatinus in morbum incidens, quem venæ inciſione auxerat, nuncium vxori mittit, & de ſuâ valetudine ſignificat: vtque Tundorſum cœnobio reſtituatur, orat: ſepeliri etiam ad maiorum tumulos deſiderat. Vxor ſe executuram mandata, promittit. Intereâ vitâ ipſe fungitur Tiggelſteti. Poſt obitum vxor negauit ſibi quicquam mandatum eſſe: neq ad auitos tumulos relatus eſt, ſed Othonis præſulis (vt annales eum nominant) voluntate Halberſtadij ſepultus: indignus videlicet, qui maiorum ſepulchris inferretur, cum eorum ſtatuta primus violaſſet, & bona rapuiſſet Eccleſiaſtica. Vxoris eius nomen quod fuerit, in annalibus Gozecenſibus non eſſe ſcriptum miror; marito prudentior fuit, & religioni addictior. Nam cum is à Conrado abbate pecuniam certam poſtulaſſet: & ad ſe allatam repudiauit, & accipere noluit, & mariti factum improbauit. Ab eodem, cœnobij tutelam, cum Ludouicus Landgrauius redemiſſet, ipſa contradixit.

Friderici Summerſenburgij. Palatini Saxoniæ filij.

FRIDERICI autem Summerſeburgij, qui à patre Palatinatum accepit, vxor fuit AGNES, Henrici ducis Luneburgij filia: è quâ genuit filios duos HENRICVM & FRIDERICVM III. Maiorem natu à primis adoleſcentiæ annis inſtituto veterum, rei militari & ſucceſsioni deſtinat: alterum, in quo indoles integritatis & ſtudium religionis apparuit, Magdeburgi addicit ſacro ordini. HENRICVS cum in ætatis flore poſt obitum patris ſtatim extingueretur, ſepultum annales tradunt Salzæ: mater ſollicitat FRIDERICVM; vt ſtirpis propagandæ gratiâ impetraret à pontifice miſsionem & paternam ditionem gubernaret. Multis perſuaſus rationibus, & inprimis gentis ſuæ conſeruandæ causâ; pro cidare galeam, pro veſte lineâ induit loricam: eidem deſpondetur vxor, Comitis Serzonis filia; è quâ cùm illi naſcerentur VILHELMVS & ALBERTVS filij; ipſe hominibus omnibus valere iuſsis, Nordberti antiſtitis Magdeburgij hortatu atque conſilio; ad clauſtrum ſolitarium reuertitur; & habitu militari depoſitò, rurſus ſumit religioſum, anno ſupra milleſimum cente-

Fridericus III. Palatinus.

1135. ſimo trigeſimo quinto. Hunc Nortbertum eius fuiſſe conſanguineum, annales Gozecenſes tradunt. alij omnes ſcribunt, Colonienſem fuiſſe, & primum ordinis Præmonſtratenſium auctorem.

Palatinorum igitur Gozecenſium ſtirps in Friderico, Friderici nepote, deſijt: in Friderici Summerſenburgij manſit

vſque ad Albertum, familiæ huius vltimum. Primus FRIDERICVS Summerſenburgius (vt ſupra relatum eſt) natus erat ex VDA, duorum Palatinorum Gozecenſium Dedonis & Friderici ſorore. VILHELMVS Friderici tertij filius obijt adhuc puer, anno ſupra milleſimum centeſimo quadrageſimo, vt eſt in annalibus Peganis: Ipſius frater ALBERTVS etiam ſine hæredibus deceſsit, anno ſupra milleſimum centeſimo quinquageſimo tertio. Durauit igitur, in duorum iſtorum Comitum familiâ illa dignitas, annos centum & triginta ſeptem. *Palatini Saxoniæ.* 1140. 1153.

Comitatus Summerſenburgius, ad ADELHEIDIM ſummam Sacerdotem Quidlinburgiam, Alberti ſororem, iure hæreditario peruenerat, imperio minimè aptam: quæ etiam cum nubere recuſaret: Imp. Lotharius comitatum DITERICO Rochlicio, Dedonis filio, tradit: eumq; honore & nomine Palatini ornat, vt è Chronico Veterocellenſe colligimus: ſed nec ipſe diu retinuit. Nam comitatus à Vuigmano, antiſtite Magdeburgio, viro potente & gratioſo occupatur, & corpori atq; diœceſi illius Eccleſiæ adiungitur. *Dietericus Rochlitius.*

Diſtabat caſtellum Summerſenburgium quatuor à Magdeburgo milliaribus: nunc cum ruinis nomen intercidit: & ſola extat loci memoria: cuius ad vſus Eccleſiaſticos translatio, belli cauſa inter antiſtitem & HENRICVM Saxoniæ ducem, cognomento Leonem, extitit; vt annales produnt Saxonici: quæ controuerſia demum ſic componitur: vt titulum Palatini obtineret Leo, fundum & agros Eccleſia. Henrico deinceps, propter principum accuſationes, à Friderico I. Imp. proſcripto, & pulſo in exilium, dignitas Palatini traditur LVDOVICO IIII. Turingiæ Landgrauio dicto Ferreo: eidem Alſtete Herciniæ oppidum, quod in poſterum Palatinus teneret, ab Imperatore ſocero aſsignatur: ſitum ipſum eſt inter Querfurdum & Sangerhuſiam vrbes, & ſpatio ab ambabus æquali diſtat. Ea donatio fit anno ſupra milleſimum centeſimo octuageſimo, vt eſt in annalibus Lauterbergijs. *Henricus Leo Dux Saxoniæ.* *Ludouicus Landgr. Turingiæ.* 1180.

Poſt quadriennium Palatinatus traditur HERMANO Munifico, Ludouici fratri, vt in Erfurdianis, & Reinhardborniis: hic autem inſignia ab Imperatore accepit Erfurdiæ III. Idus Nouembris. Inde manſit LVDOVICO VI. Placido, Hermani filio, diuæ Eliſabethæ marito: tum fratri ipſius HENRICO Raſponi, qui rex Romanorum declaratus eſt, qui cum anno ſupra milleſimum ducenteſimo quadrageſimo ſeptimo; ſagittâ letali, ante *Hermannus L. Turingiæ.* *Ludouicus & Henricus Raſpo. L. Turingiæ.* 1247.

Palatini Saxoniæ, Vlmam Sueuicam feriretur, & hæredem nullum relinqueret.

Henricus M. Miſniæ HENRICVS marchio Miſnenſis cognomento Munificus, tempore interregni pro Turingia, iure affinitatis, annos aliquot dimicat cum duce Brabantino: eaque potitus, Saxoniæ pariter Palatinatum accepit: quæ dignitas in gente ampliſsimâ principum noſtrorum, qui ab Henrico deſcendunt, & nunc gubernacula tenent, Dei beneficio, adhuc durat.

Poſteaquam autem Turingi & Misnenſes principes, Saxoniæ duces facti ſunt, nomen dignitatis inferioris ad reliquos titulos non apponunt: quod antea & in eorum literis additum deprehendimus, & in ſepulchro Vuilhelmi I. adhuc inſcriptum in æde Cathedrali Miſenæ videmus.

Hæc de Saxoniæ Palatinis, è varijs annalibus, eruta, & quaſi in transcurſu commemorata, lucem afferent multis hiſtorijs, quæ obſcuriores hactenus fuerunt.

Nunc ad primam Vuernechini ſtirpem reuerti ordo & res poſtulat: Itaque ab eius ſecundo filio Brunone exordium capiam, & deinceps ratione inſtitutâ, Deo largiente, progrediar ad cætera.

GEORGII

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS

ORIGINUM SAXONICARVM LIBER II.

DE SAXONIAE DVCIBVS & Imperatoribus.

DVCES MAGNI SAXONIAE ET Impp. Romani.

D. Bruno. Vxor Suſanna Volfradi Domini Montfortenſis F.

- *VVernechinus puer mortuus.*
- *D. Ludolphus. Vxor Oda VVilligij D. Franciæ F.*
- *Irmegardis.*

Children of D. Ludolphus:

- *Bruno cælebs.*
- *Dangmarus.*
- *Echertus puer obijt.*
- *D. Otho. Vxor Ludgardis Arnolphi Imp F.*
- *Hadmudis, Gerberga, Chriſtina Abbatiſſæ Gandershemiæ.*
- *Ludgardis vxor Ludouici Regis Francorum.*

Children of D. Otho:

- *Dangmarus cælebs.*
- *Ludolphus cælebs.*
- *HENRICVS I. Imp. Vxor altera Mathildis Diterici C. Ringelheimij F.*
- *Baba vxor Henrici Com. Francorum.*
- *Richardis vxor Leopoldi M. Auſtriæ.*
- *Adelheidis Abb. Quedlinburgiæ.*

Children of HENRICVS I.:

- *Henricus I. D. Bauariæ. Vxor Iutha Arnolphi D. Bauariæ F.*
  - *Henricus II. D. Bauariæ. Vxor Giſela Conradi D. Lotharingiæ F.*
    - *Henricus III. D. Bauariæ, Imp. II. Vx. Cunegundis Siffridi P. Rheni F.*
- *OTHO I. IMP. Vxor altera Adelheidis, Lotharij Italiæ R. vidua.*
- *Gerberga vxor Giſelberti D. Lotharing. & Ludoici R. Franciæ.*
- *Heduigis vxor Hugonis C. Pariſienſis.*
- *Richiſa vx. Rudolphi C. Altorfij.*
- *Mechtildis Abb. Quedlinburgiæ.*

Children of OTHO I.:

- *OTHO II. Imp. Vxor Theophania Romani Imp. Conſtantinopolitani F.*
- *Bruno, Henricus pueri mortui.*
- *Adelheidis vx. Alrami C. Montferratenſis.*
- *Mathildis Abb. Quedlinburgiæ.*
- *Richlindis vxor Cunonis Com. Brigantini.*

Children of OTHO II.:

- *OTHO III. Imp. Vx. Maria R. Aragoniæ F.*
  - *Mathildis vxor Ecelini Co. Andecenſis*
- *Sophia Abb. Gandershemiæ.*
- *Adelheidis Abb. Quedlinburgiæ.*
- *Mathildis vx. Ezonis C. Palatini Rheni*
  - *Richiſa vxor Miececlai primi Regis Poloniæ nati.*

B R V N O.

Bruno.

BRVNO, dux Angriuariorum & Vueſtualorum, filius VVERNECHINI, frater VVITECHINDI Magni fuit; vt Origines principum noſtrorum teſtantur, quos ſequimur: nam Chronicon Magdeburgium, Viperti filium nominat, & Valperti fratrem; quorum pater itidem Vipertus dictus fuerit, ita vt ſit nepos Bruno Vuitechindi Magni, non frater, vt dixi: ſed in illo ipſo Chronico haud dubiè error eſt, nec quid affirmet aut aſſerat, Crancius ſe expedire poteſt. Vxorem duxit SVSANNAM, Volfradi domini de Rubro vexillo appellati filiam, qui Comites ſunt Montfortenſes: ex quâ genuit VVERNECHINVM, in infantiâ mortuum, & LVDOLPHVM filium, vt Annales Brunſuigij, hac parte certiores, & filiam IRMEGARDIM. Addunt alij ſecundam filiam LVTGARDIM, Ludouici Pij Imp. vxorem tertiam: ſed falluntur: Illa in Annalib. Saxonicis non nominatur, & tertiam vxorem Ludouicus non duxit.

BRVNO dux fortiſſimus cum rege Francorum Carolo, poſtea imperatore, bellum geſſit, & ante fratrem Vuitechindum ſacris Chriſtianæ religionis initiatus eſt. Verùm, ne qua obſcuritas maneat in narrando: bella Caroli in Saxonia, geſta temporibus Brunonis, percurrenda ſunt: quæ notis tantùm ſignificabo; quia explicatio longior hoc loco non requirenda eſt.

772. Caroli Magni bellum cum Saxonibus.

Anno à nato Chriſto ſupra ſeptingenteſimum ſeptuageſimo ſecundo, cùm CAROLVS in Vangiorum vrbem Vormaciam ſuos populos conuocaſſet de pacandâ Germaniâ, & in vnum atque conſentientem ſtatum redigendâ, deliberatum eſt. Erant tum Saxones viribus potentes: & præter ſeueritatem naturæ, etiam cultui deorum vano addicti. Tentatum modis omnibus eſt, num poſſent eorum animi induci, vt & ſuperſtitionem barbaram relinquerent, & ad Germaniæ defenſionem ſe Francis paterentur adiungi: addita ingentia promiſſa, & oblati honores, ſi id animis æquis facerent. Sed ipſi, re non diu deliberata, temerè reſpondent vt hoſtes religionis: ſeque maiorum conſuetudinem dixerunt & in ſacris patrijs, & in libertate retinenda ſecuturos

cuturos: erat enim illis ſuſpecta Francorum potentia & eorum pollicitationes habebantur inſidioſæ. Carolus valdè iniquè ferens, quod ſuam amicitiam ſperneret; memor magnanimitatis ſuæ, cum ijs iubet expoſtulari; quod nullâ læſi iniuriâ, in fines Francicos ſæpè incurſiones facerent, & eorum ſe inimicos oſtenderent, quorum eſſe poſſent cum ſuo honore & emolumento ſocij atq; amici. Reſponſum denuò inhumanius eſt, quàm expectabatur. Soluto Vuormacienſe conuentu, ad vlciſcendam iniuriam, & ferociam reprimendam Carolus rex magno exercitu in Saxoniam mouet, primo ſtatim aditu, arcem Heresburgum, maximum eorum propugnaculum, ad fluuium Luppam capit: inde delubrum, quòd à ſtatua (vt nonnulli volunt) Mercurij, quam Irmenſulum ſcriptores vocant, nomen habebat, tum temporis celeberrimũ euertit, pecuniam ſacram & donaria plurima aufert. Laborabat æſtu atq; ſiti eius exercitus (magna enim anni illius ſiccitas fuerat:) ſed dum occupatus eſſet in templo complanando, nec ab eo opere militem dimitteret: proximè caſtra è charadrâ quâdam aquæ tanta copia effluxit, quanta ſatis eſſet ad exercitum recreandum. Poſt templum ſolo æquatum, ad amnem Viſurgim feliciter progreditur: agrum & oppida diripit; & repugnantes occidi imperat: alios in ſeruitutem abducit: coniugibus eorum & liberis indicit exilia. Saxonibus propter damna accepta iam ſupplicibus, dat veniam: & obſides generoſos duodecim ab ijs accipit; & ijs ſecuritatem offert.

Bruno.

Heresburgum captum.

Biennio poſt idem in Inſubres profectus, cum rege Longobardorum Deſiderio pugnat: cuius abſentia Saxones, occaſionem libertatis recuperandæ ſe nactos arbitrati, fœdere violato in Haſsiam irrumpunt. Incolæ id futurum audientes, caſtrum Beuerburgum celeriter occupant, ſuasque ex agris fortunulas eò raptim congerunt. Locis circumquaque incenſis aut ſpoliatis, ad baſilicam vrbis Frideslariæ, à diuo Bonifacio erectam, Saxones procedunt, ſui templi incendium & euerſionem vindicaturi, exemplo ſimili: Non ſegnes igitur in tecta ignem inijciunt: ſed cum inflammari non poſſe cernerent: bini enim iuuenes, veſtitu candido amicti, prò templo propugnantes, multis apparebant: territi Saxones ſpecie inuſitatâ, pedem inde non ſecius referunt, ac ſi hoſtes tergo continenter inſtarent. Miraculi huius meminerunt vno conſenſu Sigebertus Gemblacenſis, Regino Prumienſis, Lambertus Schafnaburgius. Delatâ illorũ audaciâ ad Carolum, qui tum ex Italiâ Ingelheimum venerat, bipartitum mittit in Saxoniam exercitum.

774.

Saxonum in Haſsiam irruptio.

Is vndique

Brun. Is vndique victor diſcedit: collectaque prædâ ingenti, domum redit cum lætitiâ; captiuis extrema minitatur, niſi ſuos hortentur ad modeſtiam. Pugnabant quidem Saxones maximâ confidentiâ pro ſuis aris & dijs: ſed ipſorum emolumento factum eſt, ne vincerent: vt victi videlicet iugo cœleſti ſubijcerentur: & Deum agnoſcere diſcerent, cui ſoli ſalus mortalium debetur.

775. *Caroli M. bellum cum Saxonibus.* Anno ſupra ſeptingenteſimum ſeptuageſimo quinto, finem Carolus bello Italico impoſuerat: & de Saxonibus domandis, qui toties rebellabant, quoties abeſſe illum ſenſerant, cogitabat. Ideo Marcoduri conuentum indicit: in quo decretum eſt, ne Franci è Saxoniâ diſcederent, donec omnem ſubegiſſent: ne quid impedimento eſſet in Germaniâ: vt Italia in officio retineretur. Vt ventum in agrum hoſtilem eſt, arcem Sigeburgum vi oppugnat, Heresburgum euerſum inſtaurat, & præſidium Francicum imponit, hoſtes ad interiora regionis compellit: qui cum ſe recolligerent, rurſus tentare fortunam toties incipiunt aduerſam. Igitur ad flumen Viſurgim accedens, ad quem conſediſſe Saxones intellexerat, ipſe ad Brunsbergum caſtra ponit: Saxones tranſitu fluuij prohibere eum contendunt, quos Carolus vi fugat, & ripam quoque vlteriorem occupat. Diuiſo exercitu, partem copiarum ad Viſurgim relinquit, partem ad fluuium Ocram traducit: quâ feſtinatione magnum vniuerſis terrorem inijcit.

Etenim Saxones orientales, qui linguâ patriâ Oſtoſaxones dicuntur, metu pauidi, cum duce Haſimaro, obuiam ei ſtatim procedunt: obſides offerunt: in verba regis iurant.

Carolo inde recedenti occidentales quoque Saxones, cum duce ſuo Brunone, de quo nunc ſermo eſt, occurrunt ad villam Vuigam, in quo loco Brunſuiga poſtea fertur ædificata. Datis obſidibus, & interpoſito iureiurando, regem quoque ipſi ſibi conciliant.

Pars exercitus Caroli, quæ ad Viſurgim reſederat, & Hudbecci caſtra fixerat, rege abſente negligentiùs omnia agere; cuſtodias non obſeruare, & hoſtem ſpernere. Ea ſecuritas militis Francici hoſtem contemnentis, Saxonum induſtriam non latuit. Francis igitur commeatum ex agris paſſim conuehentibus, tempus diei Saxones capiunt; & cum ſub crepuſculum redirent equites, ſimulatione quadam illis ſeſe in tenebris, quaſi ſocij eſſent, adiungunt; reliqui longiùs inſequuntur, vt ſuis forent auxilio, ſi fraus citò nimis pateſceret. Verùm cùm imprudenter Franci

agerent,

agerent, nec quidquam ab hoſte vererentur: multi Saxones ſunt caſtra ſimul ingreſsi: qui in hoſtes ſuos partim inermes, partim dormientes, facto impetu, non paucos obtruncant. Franci cognitâ fraude animos recipiunt, & Saxones è caſtris expellunt; & eorum maximam partem interimunt. Rex famâ acceptâ, ad comprimendam nouam audaciam, copias ſuas coniungit: & in Vueſtoualiam profectus, prædâ hominum & iumentorum abactâ, iisque, qui reſiſterent, ferro cæſis, ad conditiones pacis dandosque obſides rurſus adigit. Itaque & auctoritate nominis ſui, & vi armorum, Saxoniam ferocientem comprimit, vt Sigebertus & Regino ſcribunt, anni vnius ſpacio. *Brun.* 776.

Altero inſequente Carolus ad componendas res Italicas è Germaniâ abit. Saxones iugi Francici impatientes & fœderis immemores, ducum ſuorum leuitate, ipſo abſente, rurſus tumultuantur: arcem Heresburgum obſident: & Francis aſtutè deditionem conantur perſuadere, propoſitâ incolumitate & præmiis. Suſpectam habentes Franci Saxonum fidem, id facere detrectant: nec viribus de præſidio deiici poſſunt. Saxones dubiam, & toties fallacem fortunam experturi, Sigeburgum obſident: à cuius oppugnatione ſpectro (vt fertur) prodigioſo abſterrentur: quod non referrem, niſi conſtanter eſſet ab aliis prolatum. Supra faſtigium templi vel turris, duo clypei ardentes concurrere inter ſe, vel (vt ſcribunt alij) duo gladij ſanguinei dimicare viſi ſunt. Erant tum Franci Chriſtiani: Saxones, vt dixi, ignari veræ religionis, & ei pertinaciter reſiſtentes. Viſo igitur portento Saxones terrore percelluntur; & in fugam ſeſe palantes effundunt: & telis mutuis, tanquam in hoſtes irent, nonnulli ſeſe conficiunt. *Heresburgum à Francis obſeſſum.* *Sigeburgum à Saxonibus obſeſſum.*

Tentantes deinceps caſtrum Deſenburgum in monte altiſsimo ſitum, & Haſsiæ finitimum: nihilo felicius id oppugnant: nam erumpentes Franci è præſidio, eos ad fluuium vſque Luppam inſequuntur; nec paucos intercipiunt & obtruncant. *Deſenburgum Saxones oppugnant.*

Reuertenti ex Italiâ Carolo, inopinata Saxonum rebellio in itinere nunciatur: qui confeſtim in dictis Vuormaciam comiciis, decretoque in contumaces nouo bello, tantâ celeritate in terram hoſtilem peruenit, vt omnem illis & deliberandi & reſiſtendi adimeret facultatem. Magno igitur numero in vnum, non procul à Luppæ fontibus, in vrbe Paderbornâ congregati; caduceatorem, pacem petitum, ad Carolum amandant: patriam, liberos, fortûnas, fidei committunt: *Caroli M. in Saxones rebelles bellum.*

ſubitu-

ſubituros deniq́ue ſeſe propoſitæ religionis iugum pollicentur. Acquieſcens petitis & pollicitationibus Carolus, nihil in eos ſtatuit crudelius: ſed Heresburgum propugnaculum inſtaurat; & aliud adhuc propè idipſum extruit: vtrunque fluuio Luppæ imminens, præſidiis munit.

Bruno.

Saxones fiunt Chriſtiani.

Saxonum occidentalium magna multitudo cum liberis & coniugibus, corpori eccleſiaſtico per baptiſmum adiungitur. Traduntur illis doctores, quos audiant: imperantur obſides, quos ad regem mittant: præſcribuntur leges, quibus viuant. Horum cum illi nihil recuſarent, rex in Franciam lætus redit: vt Annonius, Regino, Conradus Lichtenauius (quem poſthâc more communi Vrsbergium nominabo) ſcribunt: quamuis hic numero annorum à cæteris ferè diſcrepet. Hæc dum aguntur in ditione Paderborniâ: conueniunt alicundè etiam Saxones, qui exemplum priorum ſequuntur, & in religionem iurant, & Francis obſequium promittunt.

Vnus aberat VVITECHINDVS, qui in Daniam, quæ ab hiſtoricis recentibus Normania dicta eſt, profectus, nouas res molitur: quiduis potius facturus, quàm vt religioni maiorum renunciaret, aut Francis parêret. BRVNO, frater eius, factus Chriſtianus, ſuorum vitâ & fortunis paciſcitur, ſe futurum & Deo omnipotenti, & Francis victoribus perpetuò fidelem.

Hactenus de Caroli bellis, quantum ad hoc inſtitutum pertinere videbatur: è quibus colligimus Brunonem hunc (de quo dici cæptum fuerat, & eius nomen ſolus Regino exprimit) ducem Angriuariorum fuiſſe, qui ante fratrem Vuitechindum ad religionem Chriſtianam acceſſerit: non igitur Vuiperti filius, aut Vuitechindi nepos fuit: multo minus Vualberti filius, aut Vuiperti nepos. Sedem de ſuo nomine Brunoburgam ad traiectum Viſurgis habuit: boniſque â Carolo conceſsis, pacificè fruebatur. Factioſi tamen cum rebelles fierent, domiti armis, & traditi hoſtibus ſunt: quos Franci ſuſtulerunt ad hominum quatuor millia & quingentos: ſanioribus parci placuit, quorum animos religio mitigauerat. Obiit circa annum Chriſti ſupra ſeptingenteſimum nonageſimum: Tumulatus Paderbornæ. Præfuit rebus circa annos ſeptendecim: princeps primum amore patriæ celebris, poſtea obſeruantiâ religionis.

790.

LVDOLPHVS.

LVDOLPHVS Brunonis filius, Saxonibus cis Viſurgim, & Herciniis imperauit, vt in Chronico Brunſuigio legitur. Vxorem

rem habuit ODAM, Vuilligij ducis orientalis Franciæ, filiam: ex quâ genuit BRVNONEM, DANGMARVM, OTHONEM: quibus Rixnerus addit ECBERTVM, ſed nec in originibus eius nomen eſt expreſſum. Totidem genuit filias, HADMVDIM, GARBERGAM, CHRISTINAM, LVDGARDIM, vt in iiſdem Originibus recenſentur. *Ludolphus.*

HADMVDIS præfecta cœnobio, duas ſecum reliquas ſorores educauit: quæ poſt eius mortem geſſerunt infulas.

LVDGARDIS natu minima (quam Vrsbergius alio loco Mathildim perperam, alio Ludgardim rectè nominat) nupta fuit non Ludouico Arnolphi Imp. filio, vt idem Vrsbergius, & eum ſecuti Cuſpinianus & alij ſcribunt: Ludouicus enim ætate florente obiit, & à Ditmaro præſule Mersburgio, puer appellatur, nec reliquit ſobolem; ſtirpis Carolinæ vltimus: ſed nupſit (vt Vuitechindus Corbejenſis) Ludouico III. Senioris filio, Pij Imp: nepoti: cui Ludouicum peperit, qui adhuc puer Ratisbonæ de ſuperiore domus parte, è feneſtrâ cadens, ceruices fregit; vt ſcribit Ditmarus.

LVDOLPHVS à patre Chriſtiano primus inter Saxones natus, flagrauit pietatis ſtudio: nam pro illorum temporum conſuetudine, cum vxore Romam adiuit, ſalutans Paſchalem pontificem: & filias ſuas tres in clauſtrum religioſum miſit: maiori natu commendat diſciplinam: & ei duas ſorores, vt dixi, dat inſtituendas: nobile enim, vt mox dicemus, monaſterium condidit. Fuit in hoc principe propter integritatem & grauitatem ſumma auctoritas; quâ ita innotuit, vt & Imperatori Ludouico Pio charus eſſet, quem obſeruabat: & eius affinitatem rex Francorum expeteret, qui illum admirabatur. Anno ſupra octingenteſimum vigeſimo ſecundo, cum Danorum gens vehementiſſima infeſtaret Germaniam, Imperatori egregiam operam nauat: eâ de cauſâ è Marchione dux Saxoniæ Magnus creatur: vt in Originibus præſcriptum eſt, à quibus alij non diſſentiunt. 822. *Dani infeſtant Germaniam.*

Cum Dani ſæpius rebellarent, & clades acceptas vindicare non deſiſterent; eorum vires, Ludolphi ductu & virtute ita ſunt diminutæ, vt ipſo viuente, nullam amplius Germaniæ prouinciam attingerent.

Eodem anno miraculoſum in modum terra, in Saxoniæ quodam loco intumuit, & ex planicie collis factus eſt, milliaris vnius ſpacio. *Miracula.*

Poſt biennium in eadem regione ignis de cœlo cadens, aliquot villas cremauit. 824.

Ludolphus. Brunoburga. Gandershemum. Ludolphus nactus à vicinis populis, & ab imperij negotijs, aliquantulum ocij; ſiluis exciſis, & purgatâ areâ, arcem Brunoburgam, à patre inchoatam, perficit, & oppidum Gandershemum, à Gandâ fluuio nominat, & in eodem extruit amplum cœnobium, circa annum ſupra octingenteſimum quadrageſimum ſecundum. Vixit poſtea in pace, & intra limites populum
842. Danicum Vandalicumque continuit: obijt anno ſupra octingenteſimum ſexageſimo nono, vt Chronicon Brunſuigium teſtatur; cui aſſentior: nam alij aliter. Ad ſummam ſene-
869. ctutem venit, nam in adminiſtratione fuit annos nouem & ſeptuaginta. Sed ODA vxor eius ad ſeptimum & centeſimum peruenit: vt Origines & Chronicum Quedilnburgium produnt. Cum marito & tribus filiabus in cœnobio Gandershemio eſt ſepulta: in quo floruit poſtea Roſuitha Sacerdos: quæ proſa *Rosuitha monialis docta.* & carmine libros edidit; & panegyricum Ludolphi pronepoti Othoni I. Imp: ſcripſit. De hâc poëtriâ rectiùs glorientur Saxones, quàm Angli: nam Laurentium Humfredum, ſuæ eam patriæ vendicantem, non audimus, neque ferimus.

BRVNO SECVNDVS.

BRVNO, natu maximus Ludolphi filius, Saxoniæ ducatui, poſt obitum patris, inauguratur. Hic cum DANGMARO fratre, vrbis Brunſuigiæ fuit conditor. A Dangmaro primùm arx ædificata, & muro circundata eſt, eo in loco vbi adhuc parietinæ & rudera circa baſilicum dicuntur apparêre. Loci verò oportunitate Bruno caſtellum, cis flumen Ocram, extruit: vbi Vuiga villa fuerat; à Carolo Magno dele-*Brunſuiga extructa.* ta; & locus adhuc Aldeuiga, quaſi vetus ſinus vocatur: qui deinceps à Brunone duce appellatus Brunſuigia. Dangmarus autem trans Ocram, locum amplificat: & templum diuo Iacobo ſacrum erigit: qui locus Nueuiga, quaſi nouus ſinus noſtro tempore dicitur: eius templi tantum extat turris in foro ab ouis appellato. Antiqua domicilia durauerunt vſque ad Gerdrudim, Lotharij imperatoris ſocrum, monaſterij eius loci patronam. A duobus igitur fratribus vrbs Saxoniæ nobilis condita, nomen alterius adhuc retinet.

Ludouico Balbo imperante, circa annum ſupra octingenteſi-
880. mum octuageſimum, Danorum gens, Albi tranſmiſſo, vrbem *Hamburgum a Danis euerſum.* Hamburgum crudeliter euertit. Cum autem & res Chriſtiana, & libertas Saxonica in diſcrimine maximo verſarentur: Bruno dux, exemplo paterno, ſe ijs opponit, collectoq; valido exercitu,

ad Ebbecsdorſum, ditionis Luneburgiæ, hoſtibus ſæuientibus occurrit, eo in loco, in quo cœnobium Virginum poſtea conditum eſt: prælium committitur valdè atrox: & cùm vtrinque dimicaretur pertinaciter, tandem Saxones vincuntur: repentinâ enim inundationis tempeſtate circumfuſi, nec pugnandi locum, nec fugiendi poteſtatem habuerunt. Scribunt nonnulli, iniquo loco pugnatum eſſe ſupra glaciem paludum, gelu concretarum: & in ipſius pugnæ ardore rupta glacie omnem exercitum ſubmerſum: nec virtute hoſtium cecidiſſe, ſed iniquitate fatorum. Periit igitur Bruno cum copiis ſelectiſsimis; videlicet cum duodecim, vt ſcribitur, comitibus: vt ego exiſtimo, belli præfectis: & cum multis præſulibus, è quibus numerantur Erhulphus Verdenſis, Ditericus Mindenſis, Marquardus Hiltheſemius, Drogo Oſnaburgius, Lotharius Paderbornius, Aufredus Traiectinus: nam cæteri cum nominibus periêre: quorum cadauera in ripis inquiſita, cum omnia corpora in vnum aceruum coniecta eſſent, propter tabem & tumorem non ſunt agnita. Hoſtes magno inhumanitatis indicio ſepultura neminem ſunt dignati. Diem cladis ſcribit fuiſſe Ditmarus Mersburgicus IIII. Non: Febr: annus incertus eſt, Crancius arbitratur eſſe ſupra octingenteſimum octuageſimum ſextum, vt eius gubernatio fuerit annorum ſeptemdecim. Hæc clades vna è maximis fuit, quæ vnquam Saxonibus acciderunt: fuerunt autem eadem tempora & Gallicis & Anglicis prouinciis funeſta.

Bruno II.

Saxones à Danis victi.

886.

DANGMARVS.

DANGMARVS, vt & Bruno frater eius, vxorem non habuit: prælio Ebbecsdorfio vnâ cum fratre & exercitu reliquo perit; vt ex annalibus Mindenſium, Hildeshemiorum, Hamburgiorum, Crancius annotat.

ECBERTVS.

ECBERTVS, tertius Ludolphi filius, vt Rixnerus, in pueritiâ mortuus: eius nomen origines tacent, quæ quatuor tamen filios Ludolphi ponunt.

OTHO, REX ROMANORVM deſignatus.

OTHO quartus Ludolphi filius natu maximus, Brunone & Dangmaro miſerabiliter ſublatis, ſuccedit, ætate minor, ſed (vt Corbicenſis teſtatur) omni virtutis genere ſuperior.

Otho Rex Romanorum.

Vxorem ducit, vt Ditmarus, HEDVIGIM; vt Origines & annales externi, LVDGARDIM, Arnolphi Imperatoris filiam: è quâ genuit filios tres, & totidem filias. Filiorum nomina ſunt; DANGMARVS, LVDOLPHVS, HENRICVS, hic poſtea imperauit: Filiarum nomina, BABA, nupta Henrico palatino, Comiti Franco, à quâ Babaperga oppidum cognominatum ferunt, vt Origines noſtræ & annales Norinbergij conſentiunt: eius etſi VVidechindus Corbicenſis nomen non exprimit, tamen ſcribit Albertum comitem, Henrici ſororis filium fuiſſe, à quo marchiones Auſtriaci ortum trahunt. RICHARDIS nupta Marchioni Auſtriaco Luitholdo, vt Auentinus: vel Leopoldo, vt Rixnerus & Cuſpinianus. ADELHEIDIS facta Sacerdos maxima in cœnobio eſt Quedilnburgio, vt Origines & Chronicum Brunſuigium. Auentinus, Adelheidis nomen pro Richardis nomine poſuit, contra annales noſtros: ſed cum annalibus noſtris conſentit Iacobus Clauſtri Neoburgij præpoſitus, qui genealogiam Auſtriacam ante Lazium edidit.

Magni Duces Saxoniæ.

Arx Aſcania.

Othoni duci maiores nobiliſsimi gloriam & celebritatem reliquerant. Eius temporibus duces Saxoniæ ex hâc familiâ, magni appellabantur; quo nomine Othonis pater, primus honeſtatus eſt, vt dixi, propter fortitudinem atque prudentiam. Arcem Aſcaniam de fundamentis extruit. Declaratus cuſtos & defenſor limitis Saxonici: Danorum gentem arcet, & Vandalos adhuc paganos reprimit: & incurſiones atque latrocinia coercet: & inter illos turbulentos, Ditgremum quoque Zorbecæ Burggrauium agnatum, bello aggreſſus, eijcit è ditione: vt libro quinto dicetur prolixius.

Vandalicum bellum Saxonum.

Contra Vandalos Tranſalbinos Heinricum filium, adoleſcentem miſſurus, primùm Thalemincios aggredi iubet. Erant in eâ regione Vilzi, gens Vandalica: quam regionem nunc Miſnenſes, populus Saxonicus poſsidet. Eo tempore tractus inter Albim & Chemniciū fluuios, verbo Vandalico Glomatius dicebatur; tritico & auena & glandiū fructibus fœcundus: vnde nomen oppidi Glomacij reſtat. Erat in eodem loco fons eiuſdē appellationis, qui lacum efficiebat, duobus (vt Ditmarus ſcribit) ab Albi milliaribus: hunc incolæ prodigioſè colebant: nam ingruente belli calamitate, pro aquâ fluebat ſanguine; & pro harenis, turbidos cineres agebat. In Thaleminciorum igitur ditionem, quæ erat Glomatiæ Vandalis, cum exercitu veniens; terram omnem vaſtat: & inde victor redit, quaſi portâ quâdam recluſâ belli citra Albim transferendi; quod poſtea in maximum euaſit,

cum

tum in auxilium Thalemincij Vngaros ſiue Auares vocaſſent, & patriæ recuperandæ ſpem certiſsimam tenerent, vt paulò pòſt dicetur. *Otho Rex Romanorum.*

Anno deinceps ſupra noningenteſimum duodecimo, cum Ludouicus IV. Imp. ſine hærede deceſsiſſet: de Imperatore nouo eligendo magnæ ſunt deliberationes habitæ: Imminebant enim Germaniæ inde Dani & Vandali, hinc omnium hoſtium crudeliſsimi Vngari. Imperatoris nominandi poteſtatem tum Franci & Saxones habebant, populi totius Germaniæ bellicoſiſsimi. Hi propter Caroli Magni memoriam, & merita ſingularia, poſteris ipſius dignitatem imperij ſpontè reliquerant. Sed ſtirpe Carolinâ in Ludouico, maximo omnium dolore extinctâ: iam de aliâ, quæ tantis ſuccederet virtutibus cogitandum erat. Conuentus habetur frequentiſsimus Fritislariæ: in quo rebus diu multumque agitatis, Franci cedunt Saxonibus: & quod tenuerant annos centum atque decem, ſeu duodecim, vt Æmilius numerat; poteſtatem tribuunt vltrò genti Saxonicæ: & conſenſu vnanimi ſceptrũ cum aliis inſignibus deferunt ad OTHONEM, magnum ducem Saxoniæ. 912. *Imperium a Francis ad Saxones transfertur.*

Is honore contentus, dignitatem oblatam recuſat accipere: neue in tanto diſcrimine deeſſe Reip. videretur, excuſatione oneris atque ætatis, liberrimâ ſententiâ Francis priſcum honorem reſtituit: & CONRADVM comitem Metenſem, Ludouici fratris Conradi filium, regem ſuâ voce declarat: cum diceret, non ſolùm perito principe opus eſſe, verùm etiam ſtrenuo, qui inter hoſtium volare tela auderet, idque etiam robore & virtutibus poſſet. Tanta Othonis auctoritas fuit, vt eius conſilium ſequerentur omnes: tanta etiam prudentia, vt ſine eius ſuaſu nihil in imperio ageretur. Itaque dignitas nomenque imperij penes Conradum erat: adminiſtratio incumbebat Othoni: nec alter alterius inuidebat fortunæ aut virtuti: adeò vt ſtatus imperij, viuente adhuc Othone, eſſet admodùm florens: qui poſtea contentionibus & factionibus euerſus propemodum fuit. *Otho Imperium Roman. ſpernit.*

Mortuum eſſe Othonem eodem ſtatim anno, non rectè ſcribere videtur Regino: ſed annos quatuor pòſt, Annales & Origines teſtantur, cum quibus conueniunt Rixnerus & Sarctorius: dies mortis fuit, vt Ditmarus ſcribit, ſecundus Cal. Decembris: annus ſupra noningenteſimum ſedecimus, cuius mortem ſtatim, quaſi inundatio, ſecuta Vngarorum incurſio eſt, toti Germaniæ ſuperiori pernicioſa. Regnauit annos quadraginta; *Mors Othonis.* 916.

Otho Rex Romanorum. ginta: & non modò gubernator imperij eſt dictus; ſed & patriæ pater, vt Corbejenſis ſcribit, cognominatus. Eundem nobiliſsimum & præcipuum ducum nominant Ditmarus præſul, & Chronicum Quedilnburgium. Sepelitur ad tumulum paternum Gandershemi, quod cœnobium ipſe rebus multis auxerat atque ornârat.

Defecerat iam Italia quoque ab Imperatoribus Francicis, in qua Berengarius dux Forliuienſis, & Guido Spoletanus, de ſupremâ dignitate inter ſe contendebant. Poſt Othonis Saxonis mortem, quaſi metu ſublato, potentiſsimi in Conradum principes conſpirant: inter quos Othonis huius filius Henricus fuit: de quo in ſequentibus dicendum erit.

DANGMARVS II.
LVDOLPHVS II.

HI duo Principes obierunt ante patrem, vt ſcribit Vuidechindus Corbejenſis.

HENRICVS I. IMP. AVCEPS.

HENRICVS, Othonis filius, à primis adoleſcentiæ annis, omni generi virtutum ſtuduit, multaque prudentiâ præditus, & rebus magnis intentus, ſpem de ſe præbuit maximam, & amplificandi nominis Saxonici, & retinendæ patriæ libertatis. Statura corporis fuit non alta, vultus colore aquilinus, facies triſtis atque ſeuera, ſed magis tamen inclinans ad humanitatem, barba rara, capillus promiſſus, latera firma & robuſta: tolerans laborum & vigiliarum; cibus modicus & frequens, comparatus neceſsitati, non delicijs: valetudo bona & conſtans. A ſtudio aucupij, quo delectari adoleſcens ſolitus eſt, AVCVPIS nomen accepit: ab animi manſuetudine vocatus humilis, vt in Chronico præſulum Mersburgiorum legitur.

Bellum Thalemincium. Pater animaduerſâ adoleſcentis promptitudine, bellum Thalemincium ei committit. Thalemincij Slauorum populus, vt Ditmarus ſcribit, linguâ patriâ dicti Glomacij, à Vuidechindo Dalmatæ, ab aliis Dalmatici. Cum his (vt dictum eſt) bellum Otho geſſerat, non ſine ſucceſſu: cumque eorum regionem frequenter incurſaret: ipſi viribus impares, Vngaros inuitarunt ſtipendiis, crudelitate terribiles. Anno itaque ſupra noningenteſi-
918. mum decimo octauo (Auctor ſupplementi Reginonis annos decem omiſit) in Saxoniam & Turingiam Vngari irrumpunt: & prædam inde ampliſsimam reportant, magnâ multitudine hominum

minum occiſâ atque captâ: quibus cum lætitiâ reuertentibus, *Henricus I. Aucept.*
ſocij ipſorum præſidiarij in Thalemínciâ occurrunt, qui ægrè ferentes, ſeſe in communionem prædæ tam copioſæ non vocatos, rurſus in Saxoniam & ipſi irruunt, & quidquid reliquum fecerat prior exercitus, aut diſsipant aut rapiunt. In ſolo Thalemincio, cum vnus exercitus alterum expectaret, vt coniunctis viribus domum remigrarent: tanta penuria & difficultas ſecuta eſt: vt incolæ, relictis domi agris, eo anno alijs populis pro annonâ ſeruirent. Capitali ſupplicio affecti ſunt tres de nobilitate, Frechangerus, Vuertradus, & Luthfridus, fratres germani: ſeu, quòd cum Vngaris ſenſerint; ſeu, quòd facinoroſi fuerint: id non eſt literis mandatum, nec nomina eodem modo nominant Regino & Contractus. Dies ſupplicij fuit XII. Cal. Febr.

Erat tum temporis celebri fama pulchritudinis, HATIBVRGIS (alij MATHILDIM perperam ſcribunt) Eruini ſenioris, comitis Mersburgij filia, Siffridi ſoror. Eruinum alij comitem Aldenburgium vocant, quia arcem extra Mersburgum eius nominis habitauit: ſed id domicilij nomen non ſolitæ appellationis fuit. Amore HATIBVRGIS incenſus HENRICVS, ei conditionem honeſtam offert. Eruinus pater, quia carebat prole maſculâ, duabus filiabus Hatiburgi & Adelheidi arcem iam nominatam relinquit hæreditariam. Viuebat tum Hatiburgis inter fœminas religioſas: nam nubere amplius nulli decreuerat: ſed Henricus amori concepto indulgens, per legatos eam de matrimonio appellat. Illa quidem aliquantiſper reluctata; ſed amicis hortantibus, ne adoleſcentem cupidum repulſâ irritaret, ad maius vitandum incommodum, legatos ipſius ſtatim ſequitur, comitantibus aliquot è ſuis agnatis. Excepta à ſponſo liberaliter & magnificè, in thorum magni principis deducitur: qui eam Mersburgum abducens, nobiliſsimum quenque inuitat; & nuptias eâ vrbe, ſplendidè celebrat; & erga ſingulos tantâ humanitate vtitur, vt ipſum veluti amicum diligerent, & domini honore venerarentur. *Hatiburgis nubit Henrico Aucupi.*

Erat in Saxoniâ Orientali tùm præſul Halberſtadius Sigiſmundus, auctoritatis præcipuæ, doctrinâ & ſeueritate omnibus ſuperior: is hoc connubium propter cognationem tentat dirimere, coniugibuſque conſuetudine domicilij & thori, auctoritate Apoſtolicâ Iohannis X: Pont. interdicit. Motus vehementer Henricus, ad imperatorem contendit: eique ſuam cauſam exponens, de præſule atque Pontifice conqueritur. Erat poſt mortem regis Ludouici IV. è Caroli Magni proſapiâ vltimi, electus

Henricus I. Auceps. Conradus (vt Buchetus ſcribit) è Placentiâ Ludouici filiâ gener Imperatoris, Othonis ante omnes ſententia, patris (vt dictum eſt) Henrici: cuius beneficij admonitus, filio gratificari non deſtitit.

Miſsis igitur ad Halberſtadium legatis, interdictum tollit; & cauſam integram ad ſuum vſque aduentum conſeruari, rogat.

Dangmarus. Natus interea ei ex Hatiburgi filius DANGMARVS, de quo poſtea dicemus: auctor ſupplementi Reginonis natum è concubinâ ſcribit, quem ſequitur Cuſpinianus: in hoc quoque errans, quod ait è Mathilde progenitum: Cuſpinianum, vt ſolet, Panuinius in his omnibus ſequitur. Nos è Ditmaro Mersburgio, qui paulò poſt illud tempus vixit, cæteros confutamus: & Henrici optimi principis honeſtatem, qui concubinatu ſe non polluit, aſſerimus.

Poſtquam deferbuerat iam nonnihil adoleſcentis amor: contentione Halberſtadij, minisq; pontificijs, Henricus faſſus *Mathildis Ringelhemia nubit Henrico Aucupi.* errorem eſt, & vxorem dimittit. Animum poſtea ad MATHILDIM adiecit, non Regis Franciæ Ludouici filiam, vt Buchetus ſcribit, Placentiæ modo dictæ ſororem: ſed filiam (vt Gemblacenſis) Comitis Ringelhemij Diterici: qui è Vuitechindi Saxoniæ regis ſtirpe, non minus atq; Henricus ortum trahebat: Erat enim Mathildis Vuitechindi abneptis: Henricus verò Brunonis, fratris Vuitechindi, pronepos. Fratres Mathildis erant, clari illi & inſignes viri, Vuitechindus, Amedeus, & Regibertus: de quibus dicetur libro quarto.

Liberi Henrici Aucupis. Ex eâ genuit filios tres, OTHONEM, HENRICVM, BRVNONEM, Othonem quidem, antequam imperator fieret, reliquos duos in ipſâ imperij dignitate: filias tres, ſed ante imperium, vnicam GERBERGAM: factus imperator, HEDVIGIM, & MATHILDIM, quam Ganguinus Engelbergam vocat, & Othonis ait filiam, deprauatè. GERBERGA vxor collocata primum Giſelberto, Duci Lotharingiæ, deinde Ludouico VII. regi Franciæ. HEDVIGIS vxor fuit Hugonis, Comitis Pariſienſis, cognomento Magni. Cuſpinianus iterum inconſultò pro Hugone Othonem; pro Heduigi, ponit Adelheidim: Buchetus ſomnians Ægondam. Harum duarum filiarum meminit Corbejenſis, duas reliquas ipſe prætermittit: ſed nominant Annales Brunſuigij. RICHISAM collocat Arnolpho Guelfi ſecundi filio, comiti Alddorfio ex Rauensburgio in Bauariâ. MATHILDIM creat ſacerdotem

tem maximam in cœnobio Quedilnburgio, quod pater ipſius extruxerat. *Heinricus I. Aucups.*

Addit his adhuc filiam aliam Cuſpinianus, item aliam Lazius; aliam duci Aquitaniæ nuptam Buchetus: de quibus annales Saxonici planè nihil: nec illos verum annotaſſe existimo: quamuis Ludolphum præſulem Oſnabrugenſem ex vnâ Henrici filiâ deducunt: & ex alterâ, Popponem Burggrauium, præſulis illius patrem. Sed expedire res vetuſtate obrutas & impeditas, ratione non poſſumus, cum ſimus bibliothecis deſtituti.

Saxoniæ & Turingiæ dominatum Conradus Imperator Henrico, à morte patris ſtatim confirmat: cuius tamen potentiam multipliciter habebat ſuſpectam, & opprimendi eius quærebat occaſionem: id cum virtute non poſſet: (erat enim fortiſsimus & gratiſsimus Henricus) aſtu meditatus eſt facinus exequi. Vtebatur ad ſcelus cogitatum operâ hominis perfidiſsimi, antiſtitis Moguntini Hattonis: cuius fraude Ludouicus, Arnolphi Imp. filius, comitem Babapergenſem Albertum ceperat, & capite punierat. Hunc Albertum è primatibus Auſtriacorum fuiſſe ait Gemblacenſis: ab eo duces Auſtriacos deſcendiſſe alij affirmant: Corbejenſis & Vrsbergius, filium fuiſſe ſororis Henrici ducis Saxoniæ aiunt.

Hatto Præſul Moguntinus vitæ Henrici ſtruit inſidias.

Hatto homo religioſus, munus ſicarij, vt imperatori gratificaretur, ſuſcipit: cuius amicitiam, non vt vir bonus, ſed vt adminiſtrator ſcelerum immanium colebat. Deus autem cuſtos bonorum perpetuus, & Conradi & Hattonis conatus maleficos iniuſtosque ſuâ impedijt prouidentiâ. Parabatur Moguntiæ torques aureus, quod ornamentum principum, collo tantum circumdabatur: vnde etiam nomen in linguâ habet vernaculâ, vt colli redimiculum dicatur: id erat donaturus antiſtes, vocato ad ſe duci Saxoniæ: quem torquem dum artifex in officinâ tractat, quidam è miniſtris antiſtitis, non ignarus rei, iuſſu domini ſui inſpicit: dumque verſat in manibus, alta ex imis præcordijs ducit ſuſpiria. Re animaduersâ, gemitus cauſam artifex interrogat. Cui ille: Hic torques (inquit) principis optimi Saxonici ſanguine perfundetur.

Inſidiæ detectæ.

Motus ſermone, quem ex aulico audiuerat, & miſeratione fractus turbatusque artifex; Henricum adit: quid audiuerit, principi eximio exponit: cuius erga ſe beneuolentiâ collaudatâ, Henricus gratias agit: & ſibi melius poſt id tempus proſpicit: quod enim in antiſtite ſcelus vix credere potuiſſet, veluti manu iam tenebat. Cœnam interea Hatto ſumptuoſam

Heinricus I. Auceps. aliquot magnatibus & amicis parat: ad eam quoque honoris ſpecie inuitat ducem Saxoniæ, & munus illud aureum transmittit. Henricus inſidiarum non neſcius, ſeruo vacanti ait; Renuncia hero tuo, non eſſe eandem ceruicem Henrico, quæ Alberto duci inclyto fuerit, cui herus tuus perfidus auro tortili collum ornauit, & manu carnificis caput abſcidit. Hæc iratus dicebat acerbè: neue opprimeretur inter amicos inſidioſos: recurrit in Saxoniam: de perfidiâ conqueritur, quam non expectârit à tali homine, tali in loco. Menſam & ſalem amicitiæ dicata, futuram fuiſſe carnificinam; niſi Deus ſibi conſuluiſſet: ſtatuiſſe hominem nefarium, interfecto à ſe Alberto lectiſsimo principe, illi parentare etiam ſanguine Saxonico: agi non de ſuâ ſolum incolumitate, ſed de omnium Saxonum & Turingorum capitibus: quæ iamiam deuota ſint, quantum ad imperatorem originis Francicæ, qui beneficio patris ſui ſit electus; & defenſus: & quantum ad antiſtitem, è Galliæ regibus ortum, pertineat; qui Saxonum ſanguinem ſitiant, & interitum genti moliantur.

Hattonem fuiſſe ignobilem Vuidechindus tradit, ſed aliter antiſtitum Moguntinorum monumenta.

Henricus Auceps Turingiam occupat armis. Conſcripto igitur celeriter exercitu, omnem ditionem antiſtitis in Turingiâ & Herciniis inuadit, & occupat: Buchardum ſimul & Bardonem, quorum alter gener regis erat, (quamuis liberis caruiſſe imperatorem dicat Cuſpinianus) armis vincit: & bona ipſorum inter milites diuidit: eorum, qui antiſtitem defendebant, nulli parcebat; ſpoliatoſque locum mutare cogebat. Hæc à Ditmaro Mersburgio, & Vuitechindo Corbejenſe relata in literas ſunt: quæ narrantur paulò aliter ab Vrsbergio. Accidit hoc factum anno, ſupra noningenteſimum duodecimo.
912. *Hattonis interitus.* Hatto antiſtes tertio poſt factas inſidias die mœrore conſcientiæ è viuis aufertur: dedecus ordinis Eccleſiaſtici. Alij ſcribunt fulminatum fuiſſe. Rumor etiam vulgatus eſt, à dæmonibus raptum & coniectum in Ætnam Siciliæ montem: quod itidem noſtrâ memoriâ, de eius quodam ſucceſſore, ſermonibus delatum eſt, qui in Heclam Islandiæ ſit fluctibus aduerſis deportatus.

Bellum Henrici Aucupis cum Francis. Conradus imperator videns foras elatum facinus ſuum, vim adhibet: & vt reprimeret Saxonem, vlciſcendi ardore nulli parcentem; tradit fratri ſuo Eberhardo maximum exercitum, quò in Saxoniam irruat, & Henricum à Franciâ auertat, & ipſum inopinantem opprimat: nec ſuâ opinione falſus eſt. Henricus, accepto

accepto belli illati nuncio, prædantes copias hinc inde colligit: & ſuorum tuendorum cauſâ, reducit in Saxoniam. Eberhardus cum ab Harceburgo (iuxta quod Pæla cœnobium extructum) adhuc vno abeſſet milliario, vocem plenam inſolentiæ iecit: vereri videlicet ſe, non eſſe tantum animorum in Saxonibus, vt egredi præſidio & dimicare audeant, qui mulierum inſtar mœnibus fiderent, & intra vallum laterent, & ſuo ſe aſpectui oſtendere formidarent. Quò ſermone vix edito, ante oculos improuiſò Saxones adſunt, tela in hoſtem conijciunt, lanceas vibrant, gladios expediunt. Cumq; cominùs diu pugnaretur ancipiti gloriâ; acies tandem Eberhardi inclinatur: tantamq; Saxones Francorum ſtragem edunt, vt per iocum Mimi canerentur Saxonici: *Heinricus I. Auceps.*

Quis Orcus vſquam tàm capax
Rictu profundo? Franca qui
Tot contineret millia?
Vnus quot abſtulit dies,
Pugnante forti Saxone.

Teſtes ſunt Vuitechindus & Vrsbergius.

Diſputatum eodem tempore eſt, veriſimilem eſſe antiquorum ſententiam; qui dixerint, animos in alia corpora migrare: alioquin tantâ hominum multitudine occiſâ, alios non potuiſſe ſtatim ſuffici. *μετεμψύχωσις Pythagorica.*

Tam magnificè de partâ victoriâ iactitabat ſe miles Saxonicus; & illudebat præterea Eberhardo, qui Saxones videre voluerit; è quorum oculis fugâ ſtatim turpiſsimâ ſe ipſe ſubduxerit.

Conradus de prælio fratris infelici, & de ſuorum clade factus certior, non putauit ſibi à propoſito deſiſtendũ: nam ſaluo Henrico formidabat fortunæ ſuæ: quaſi præſagiens illum fore ſibi aliquando ſucceſſorem, quod fieri ipſe poſtea optauit atq; ſtatuit. Itaq; omne robur Francicum in eum armat, & quàm poteſt celerrimè, mittit in Saxoniam iterum copias paratiſsimas. Victoriæ plerunq; comites ſunt, Imprudentia & Securitas: & quos fortuna fouet nimium, ſtultos facit, vt ſermo vetus teſtatur. Henricus in ditione Halberſtadiâ tum agebat, nihil reputans hoſtile, aut etiam expectans: verùm cognito Francorum aduentu in Grunam, diœceſis Halberſtadiæ oppidum (quod & Gruningam ſcribi animaduerto) ſe confert. Franci primo tempore id obſidendum cenſent: & quamuis eorum potentiâ, Saxonum longè eſſet ſuperior: tamē legatos de deditione mittunt, ne ſuò periculo dimicare *Conradi Imp. bellum contra Saxones.*

Henricus I.

dimicare cogerentur. Pollicentur præterea Imperatoris amicitiam, niſi eam ſuperbè reſpuant. Dux Saxoniæ in re dubiâ nutans, nec legatos contemnere audebat: nec, quomodo euaderet præſens periculum, videbat: cum legatis agebat humaniter, diem de die differens.

Strategema Ditmari, Burggrauij, manu hoſtili Saxoniam liberantis.

Quod cùm fieret: quaſi de cœlo lapſus aderat Ditmarus, Burggrauius Zorbecenſis, quem Saxonem orientalem Annales nominant. Is paternam ditionem ab Henrico receperat: nam Ditgremum eiecerat Otho, dux magnus Saxoniæ. Cupiens autem animum declarare gratum Henrico, in ſummo diſcrimine aduolat: in ipſâ conſultatione admitti poſtulans: & vt erat vir animi callidi, rogat Henricum, quid ſibi faciendum ſit: ſeſe enim ad triginta hominum millia adducere, & locum caſtris aptum nondum habere. Creditum eſt homini confidenter agenti: & vt Henrico animus accedit; ita legatis, id audientibus, frangitur. De deditione nullum amplius verbum fit: & legati dimiſsi, quæ audierant, in caſtris renunciant. Armis (vt videbantur) inuicti Franci; vnius hominis audacis conſilio ſuperantur: non explorator miſſus, non cognitor, qui de aduentu tot hoſtium certi aliquid referret: ſed collectis vaſis impedimentisq; Franci abeunt, ita trepidanter, tantoq; ſilentio; vt alterius diei luce nullus hoſtis cerneretur, & caſtra vacua apparerent. Ditmarus in cœlum laudibus tollitur; quod metu tanto liberaſſet Saxoniam, & optimum principem conſeruaſſet: ne quam conditionem, aut gente ſuâ aut virtute indignam, admittere neceſſe habuiſſet.

Conradus Imp. cum Henrico pacem ſancit.

Conradus cum pro ſuâ prudentiâ intelligeret, noceri non poſſe Henrico, quẽ Deus mirabiliter tueretur: odio & ſimulatione omni depoſitâ, ex hoſte fit amiciſsimus. Nam poſt amicitias iræ meminiſſe, malorum eſt, inquit Ditmarus. Eum deinceps amorem, & Othonis patris Henrici, principis maximi & ſapientiſsimi, in ſe ingentia beneficia; & ipſius Henrici virtus eximia, & animus erectus ac ſimulationis expers, ſtabilierunt.

Conradus Imp. moriturus Henricum in Imperio ſucceſſorem nominat.

Conradus, cum Saxonibus pace factâ, contra Arnolphum ducem Bauariæ pugnabat: in quo prælio ipſe vulneratur, vt Vuitechindus ſcribit: vel, vt alij, morbo inuſitato corripitur. Deſperans de vitâ imperator, ad fratrem Eberhardum mittit: eique oratione grauiſsimâ præcipit, vt inſignia imperij, ſeſe defuncto ſponte deferat ad Henricum, Saxoniæ ducem, probitate & magnanimitate imperio digniſsimum: vtque ſeſe & agnatos ſuos, & gentem Francicam, eius pietati fideſque commendet. Habent (inquit) arma & exercitus habent vrbes & præſidia: habent

quoque animos imperio pares; ſed vincit nos virtute & felicitate, & diuino quodam fauore Henricus dux Saxoniæ clariſſimus. Hunc tu frater, poſt meum obitum obſerua & venerare: & hanc ſacram lanceam, has armillas aureas, hanc trabeam, hunc Regum priſcorum gladium, hoc ſceptrum ac diadema ad eum defer, qui certò imperator futurus eſt: ipſi obædientiam & honorem maieſtati & virtuti eius debitam præſta: nec te ab eo vllo tempore, ſi eſſe ſaluus & felix cupis, ſeiunge. Quæ enim temeritas, velle te cum patriâ & populo perire potiùs, quàm tali viro ſubiectum eſſe, cui nemo valebit reſiſtere? nam qualis in eo fortitudo magnanimitatis ſit, nouimus: quàm manifeſtè Deum habeat defenſorem, experti ſumus. Per eum creſcet nomen Germanicum, & augebitur decus imperij. Nec ille tibi, aut noſtræ genti hoſtis erit, qui ſine maximâ cauſâ neminem oderit aut vlciſcetur.

Henricus I. Auceps.

Hæc verba flens excipit Eberhardus: & cum regio mandato cæteri principes atque optimates non ſine querelis ac gemitu aſſenſiſſent; ſe executuros eius voluntatem ſanctè promittunt. Obijt Conradus anno ſupra noningenteſimum decimo nono, imperij ſui octauo, XIV. Calen. Nouem. vt Ditmarus ſcribit: 919. ſepelitur Quedilnburgi. Nam qui Fuldæ autumant ſepultum, Reginonem imitati cum eo in errore verſantur.

Conradi Imp. mors.

Eberhardus fratris Imperatoris defuncti teſtamentum exequitur: & ad Henricum proficiſcens, oblatis ei regni inſignibus, cum eo fœdus & amicitiam ſe inire velle promiſit. Fuit Henrico gratus eius aduentus, eumque amplexus eſt: de oblatis inſignibus ſe delaturum ad publicum conſilium, affirmauit. Ea inter ambos coniunctio poſtea nunquam interrupta fuit. Nam Henricus, & animo imperare nouerat ſuo, & fidem colere. Addit Ditmarus, quod ſciuerit ſapienter tractare ſuos, inimicos verò callidè & ſapienter ſuperare. Ineunte anno altero in Buchoniâ 920. quæ Haſsiæ pars eſt, indicto Fritislariam conuentu, HENRICVS inter primos adeſt: & accepta à demortui Imperatoris fratre inſignia, in medio ponit: vt ei videlicet commendarentur, qui ſuffragiis optimatium fuerit & ſententiis iuſtis electus. Præſentibus ibidem Francorum & Saxonum (quorum tum erat auctoritas maxima) & aliis Germaniæ principibus, Henricus conſenſu vnanimi rex declaratur: ſed dignitatem oblatam recuſat conſtanter. Orabant illum antiſtites, orabant principes: ipſe excuſans vires & ingenium; nec potentiæ ſatis, nec intelligentiæ habere ſe, ad nomen tantæ amplitudinis tuendum, dicebat.

Eberhardi ad Henricum profectio & fœdus.

Inauguratio Henrici Imp.

Heinricus I. Auceps. bat. Pertinacia quædam eſſe videbatur cum ſuperbiâ coniunctâ, quòd tantoperè obfirmaret animum. Promittebat operam ſuam alteri, qui eſſet dignior; idque patris mentione factâ, qui nuſquam defuiſſet vtilitati communi. Extremum tentaturi adeunt illum antiſtites: ſuadent ne Imperatoris defuncti, neue principum iudicia ſpernat; ne cauſam diſſenſioni magnæ præbeat: ne Remp. obijciat nouo periculo. Adjiciunt precibus hortationes, fore illi Deum præſentem: cùm ſapientia Dei apud regem ſapientiſsimum loquatur: PER ME REGES regnant, & prudentes diſcernunt iuſticiam. Hoc ſermone quaſi factus alius HENRICVS, humiliter reſpondet, ſe Dei & principum voluntati acquieturum. Id quod pertinacia viſa erat, ſumma fuit ſubmiſsio, & excellens ſapientia. Cum vox Henrici in vulgus emanaſſet, omnium ore & votis celebrata eſt, quòd ſpem conciperent nihil tali rege fore melius & felicius.

Henrici Imp. coronatio. Igitur ne quid morâ interiectâ turbaretur, quòd aliqui ægrè ferrent ſe præteritos: ſtatim coronatur, vt Ditmarus ſcribit: quanquam Vuitechindus aſſerat coronatum non eſſe: ſed hic de pontificiâ coronatione intelligit, quæ peculiariter celebrabatur in Italiâ, & in vrbe Româ. Prima illa coronatio ſolennis Aquiſgrani fit, vbi ei corona ferrea imponi ſolet. Hettigo Antiſtes Moguntinus cum ei diadema cum inſignibus alijs, vt moris eſt, offerret: hæſitauit accipere: Satis ſibi eſſe (inquiens) dignitatem ſupra maiorum gloriam datam, & iudicium principum honorificum, qui ſe regem nominarint, agnoſcere ſe diuinæ benignitatis & principum nobiliſsimorum beneficium: diadema verò ſuo capiti nimis graue eſſe onus. Placuit populo vniuerſo regis noui modeſtia: lætiſque acclamationibus & plauſibus Auguſtus ſalutatur. Exactis ſolennibus his cæremoniis, Deo & principibus gratias agit: ſeſeque de communi ipſorum conſilio imperaturum promittit. Translatum igitur imperium à Francis ad Saxones eſt, Dei hominumq; iudicio ſine vllâ controuerſiâ, poſt annum
918. ab imperio Caroli ſupra centeſimum decimum octauum, cum eius ſtirpis nemo amplius extaret, tali oneri idoneus.

Fuit autem inſignis virtus Eberhardi Franci: qui nihil cupidè tentauit, nihil arroganter ſibi ſumpſit, vt ſaluus eſſet ſtatus imperij.

Rebelles Henrico Imp. Henricũ in tantam eminentiã elatũ, magis aduerſarij nonnulli odiſſe ac perſeq, eiq; ſermonibus & obtrectatione detrahere cœperũt: inter quos erant qui & ipſi Conrado Imp. rebelles fuerant,

Buchar-

Buchardus dux Sueuiæ, & Arnolphus dux Bauariæ: quorum ille regiâ affinitate, hic ſanguine regio, animos ſumebat: ſeſeque duci Saxoniæ ambo anteponebant. *Heinricus I. Auceps.*

Henricus de principum ſententiâ vt conatus ſeditioſos repri- *Bellum Henrici in Burchardum Ducem Sueuiæ.* meret, Sueuum bello improuiſo aggreditur: qui etiamſi non expers erat rei militaris, & eodem anno regem Burgundiorum Robertum prope Vuinterthuram (vt ſcribit Hermanus Contractus) vicerat: tamen imparē ſe Saxonibus agnoſcens, prælio abſtinuit: & cum totâ gente in fidem & clientelam Henrico ſe tradit.

Rebus Sueuicis ſedatis, Henricus celeritate, vt ſolebat, vſus; *Bellum Henrici in Arnulphum Bauariæ Ducem.* Arnolphum Ratisbonæ obſidet; qui & à ſociis reliquis deſertus, & potentiâ ſucceſſuque regis territus: præſidio vrbeque recluſis Henricum in caſtris adit: à quo ſalutatus honorificè, in amicitiam recipitur. A Vuitechindo Corbejenſe, à quo hæc prodita ſunt, alios ſcriptores diſsidere, Vrsbergius ſcribit; qui dicant, eum non expectaſſe regis aduentum in Bauariam; ſed ei in finibus armatum obuiam proceſsiſſe, vt prælio çum eo confligeret: quod antequam fieret, Henricus publicæ calamitatis impatiens, ne ſanguis ciuilis effunderetur, ducem ad colloquium vocat: is ad duellum ſe accerſiri arbitratus, ad locum conſtitutum virium fiduciâ ſolus accedit: quem clementer allocutus rex, primùm à Deo dari potentiam & magiſtratum indicat: deinde ſui ipſum officij admonet, ne ſalutem ciuium incerto fortunæ arbitrio permittat: commemorat ſtatum imperij in magno diſcrimine propter hoſtes externos verſari: ad extremum de ſuâ erga ipſum voluntate, verbis his loquitur: Si in te Deus tranſtuliſſet hanc dignitatem, ego obſeruantiâ tui nulli cederem: cogites igitur te non Henrico aduerſari; ſed honorum largitori, Deo: nec à te mihi fieri iniuriam, ſed toti patriæ. Igitur quid facias cogita, me quidem non dominum, ſed amicum, & tui defenſorem habebis, ſi viri boni functus officio fueris. Hunc ſermonem ad amicos ſuos Bauarus cum admiratione defert, qui vnanimes reſponderunt, cùm tantâ comitate & fortitudine præditus ſit Henricus, ei cedendum eſſe: hortantur ſuum principem, vt tribuat honorem Deo, & regi: cui diuinitus ad imperium vocato, difficile ſit reſiſtere, & repugnare periculoſum. Tali moderatione Regis excelſi hic quoque motus ciuilis componitur: quod viſione quâdam ſignificatum diuo Vlrico Auguſtano tradit Otho Friſingenſis; diuæ Afræ martyri, eius tutelari, Ditmarus Merſburgius. Videre enim viſi erant binos gladios, alterum cum

 capulo,

Henricus I. Auceps. capulo, alterum ſine capulo. Gladius alter ſignificabat Henricum retenturum imperium: alter Arnolphum dignitate caſurum, quia iniuſta expeteret. Non tamen me præterit, aliam eſſe Ditmari, vt in re fabulosâ, expoſitionem.

922. Anno ſupra noningenteſimum vigeſimo ſecundo Henricus, ad imperij terminos propugnandos, in Lotharingiam ire meditatur: ſed eius amicitiam Carolus rex, muneribus conciliat, inprimis dato diui Dionyſij brachio. Altero anno ad Rhenum
923. cum rege ipſo Bonnæ colloquitur: factoque inter ſe fœdere, rex
Lotharingia fit pars Imperij. hærede carens, Lotharingiam Henrico Saxoni tradit, vt auctor
924. eſt Gemblacenſis, quæ circa annum vigeſimum quartum ſupra noningenteſimum pars imperij efficitur.

Bellum Vngaricum. Eôdem anno, ceſſantibus bellis domeſticis, ortum eſt omnium grauiſſimum ab Vngaris. Gens enim prædatrix & effrenis, in Saxoniam irrumpens; latrociniis, cædibus, incendiis ſubegit & proſtrauit omnia: adeò vt ſupremum imminere exitium Saxoniæ, & reliquæ Germaniæ videretur. Henricus cum Vngaris numero impari congreſſus, in fugam coniicitur, & in præſidium Bichinenſe confugit, in quo ciuium virtute manſit incolumis: quorum poſtea priuilegia & ornamenta, vt par fuit, amplificauit: de quo Ditmarus ſcribit: Vrsbergius teſtatur, quod Henricus Vuerlam (quod oppidum principi cuidam Vandalorum ademerat) ſe contulerit: imperitum enim belli & inexercitatum populum ſuum, aduerſus fortem & immanem militem Vngaricum, in aciem educere exiſtimauit periculoſum. Interea quidam Vngarorum dux, maximæ inter ſuos potentiæ capitur: quem cùm redimere ingenti precio vellent, Rex non mercede aut precio agere vult: ſed pace annorum nouem paciſcitur: quam conditionem Vngari accipiunt, licet inuiti: ſed tamen moti amore ſui principis, id faciunt, quem in vinculis relinquere inhoneſtum toti genti ducebant. Pacis autem eò cupidior rex fuit: vt & gentes Vandalicas domaret omnes, & ſuum in armis populum melius exerceret: vt ſemel aliquando cum Vngaris de ſalute Germaniæ milite exercitato depugnaret. Propter bellorum conſuetudinem paſſim graſſatores & prædones erant. qui cum reprimi facilè non poſſent, rex eorum opera ſine ſuorum detrimento vti deſtinat. Igitur impunitatem promittit omnibus, & quos in ergaſtulis aut vinculis habebat, ſimul dimittit: quibuſdam agrum deſertum, aut hoſtico vicinum diuidit, & arma ſubminiſtrat:

aliis

aliis in hoſtem excurrere, ipſorum aut damno aut emolumento *Henricus I. Aucept.* conceditur: tum prædæ conuehendæ, ex agris & oppidis Vandalicis poteſtas permittitur omnibus, modò iis parcant, qui nomen Chriſtianum profiteantur. Manus hominum audaciſsimorum magna collecta eſt: quorum ferociſsimi cum in ſuburbiis Mersburgiis ad Salam ſedem fixiſſent; Mersburgij inde ſunt omnes reliqui appellati.

Corbejenſis & Gemblacenſis ſcribunt, eum ex militibus, qui *Inſtituta Henrici tempore belli Hunnici.* in villis eſſent, nonum quemque in oppidis collocaſſe; cui reliqui agrum colendo victum quærerent: nonus tertiam omnium frugum partem conditam aſſeruaret, ſuisque ſociis intra muros, horrea & domicilia extrueret: ſed vice cæterorum ipſe, quoties opus eſſet, militaret: & pro patriâ pericula ſuſciperet, aliis domi ſeruantibus. Huius inſtituti commoda hæc erant, primum, vt propter incurſiones perpetuas, agris ſpoliatis, eſſet timenda penuria: deinde vt in vrbibus miles ne deficeret, quæ bellis iam pluribus exhauſtæ habitatoribus erant. Suburbia iuſsit eſſe nulla aut exigua: ruri caſas raras & viles: Conuentus ſolennes eſſe tantùm in oppidis; quales ſunt dierum feſtorum, nuptiarum, encæniorum, mercatuum: vt eâ ratione oppidorum incrementa fierent: quæ aut diruta refici, aut minus firma præcepit muniri. E fratribus natu maximum militare voluit, vt homines certos & exercitatos haberet. Ciues itaq; faciendo opere cotidiano, in pace diſcebant eas artes; quibus neceſsitate compulſi, ad ſui incolumitatem vterentur. Diſciplina enim & labor magnum ad virtutem afferunt momentum.

His legibus, ciues imbutos, eorum experiri fortitudinem *Expeditio Henrici in Slauos.* ſtatuit: ſubitoque in Slauos, qui Hauelli nominabantur, educit: hoſtes multis præliis fatigat: & hieme aſperrimâ caſtris in glacie poſitis Brennoburgum, claram ipſorum vrbem, obſidet: eamq; *Brennoburgum expugnatum.* fame, frigore, ferroque expugnat: factum id anno ſupra noningenteſimum vigeſimo quinto. *925.*

Subiugatâ intra biennium, omni Hauellorum ditione: *Primus Marchio Brandeburgius creatus.* eius Marchionem creat Iohannem, Stadienſium & Ditmarſorum principem.

Eodem tempore, Belga quidam inſignis nobilitatis, nomine CHRISTIANVS, ad demerendum regis Henrici animum, morbum ſimulat: & GISELBERTVM, cui Lotharingiæ ducatus obuenerat, ad ſe accerſit: venientem inſidiis capit, & ſub cuſtodiâ in Saxoniam mittit. Rex propter hoſpitem talem ſum-

 moperè

Henricus I. Auceps.

moperè lætabatur: & regnum Lotharingicum ſperabat ſe retenturum certius: ſed perſpectâ adoleſcentis illius indole atque virtute; quem ſciebat & nobilitate generis & diuitiis potentem; ipſum inter familiares recipit, & ita tractat, vt ſe illoque dignum erat: & deſponſata illi GERBERGA filiâ, regnum Lotharingiæ ei totum tradit. Cui igitur perfidus amicus incommodare voluit, eum Deus ratione mirabili per ipſum regem extulit.

Giſelberto Lotharingo deſponſatur Henrici filia.

Thalemincij repreſſi.

Obſtabant iterum Henrico Thalemincij, Vngaris vel metu vel cupiditate amiciores, ſed eorum conatus breui tempore fregit atque impediit.

928. *Altera Henrici in Slauos expeditio.*

Anno ſupra noningenteſimum vigeſimo octauo Henricus rex in regionem Slauorum rurſus exercitum ducit, vrbem Granam vel (vt Vuitichindus) Chietinam obſidet, & vigeſimo poſtquam circumſederat die, per vim expugnat: prædam omnem in milites diſtribuit: viros puberesque ad vnum interficit: quo facto & alacritatem augebat militum, quos ditabat: & hoſti terrorem iniiciebat, cùm nulli parceret ætati, niſi imbelli.

929. *Henrici expeditio in Bohemiam.*

Altero anno perſequens victoriæ curſum, in Zeſchorum prouinciam, quæ Bojemia eſt, mittit exercitum; Pragam metropolim cum duce Vuencislao in deditionem accipit; gentem ſibi facit tributariam: Bouslaum ducis fratrem, totius vitæ tempore habet ſocium & amicum fideliſsimum.

Henrici expeditio in Danos & Obetritas.

Victis circumquaque gentibus & populis, qui Saxonibus eſſent metuendi; Danos & Obetritas primùm armis terruit: tum domuit religione, & ad Chriſti agnitionem adduxit, vt ſcribit Gemblacenſis, anno ſupra noningenteſimum trigeſimo primo.

931. *Slauorum & Danorum ſuperſtitio.*

Erant ſacra Slauorum ſuperſtitioſa & ridicula: ſed Danorum præter naturam valdè crudelia. Slaui enim in lucis arbores & elementa colebant, & numen quoddam cornutum, & rictu furiali terribile: ei de omnibus cibis, quos ad focum adhibebant, ponebant libamina: tum etiam genios domorum habebant diuerſos. Atrox illud fuit, quod ſenio confectos parentes, tanquam factos inutiles, mactarunt ſolenniter, verbis etiam diris adhibitis. Dani ſacrificabant diis ſexus vtriusque victimis humanis: nono autem quoque anno in Lederuno, vt Ditmarus appellat, hecatombem centum hominum, excepto vno, die VII. Id. Ianuarij faciebant, cum totidem equis canibusque: additi ſimiliter è volucribus galli ac accipitres.

Slaui & Dani fiunt Chriſtiani.

Hanc ſuperſtitionem immanem Henricus ſuſtulit & correxit: & quicquid reliquum è natione Slauicâ erat, ad imperium præterea adiungit: ſpontè parentibus parcit; & Chriſti nomen

profeſ-

profeſſos, caros habet: vtque in officio eoſdem retineret, multa indulget. *Henricus I. Auceps.*

Tunc præfectos certis locis conſtituit, qui limites defenderent, quos Marchiones appellauit: Sleſuicenſem, oppoſitum Danis; Brandeburgium Vandalis; Miſnenſem & Luſatium Boëmis & Polonis: nam hi populi omnes Saxonibus erant infenſi, propter potentiam; cùm ſubita incrementa eos ad ſuam perniciem capere cernerent. Præficiebat autem ſpectatiſsimum quemq; de nobilitate: vnde multæ illuſtres familiæ adhuc ducunt originem. *Marchiones constituti.*

Horum factorum, ſi eſſet copioſius tradita per literas memoria: cerneremus, quantis laboribus, curis, periculis conſtiterint regi optimo tantæ victoriæ contra populos immanes; qui inimici veræ religionis, & moribus effrenes, ne ſuis quidem præfectis aut ducibus animo æquo morigerarentur.

Cum iam nullius vſquam vis pertimeſcenda putaretur; deficiunt præter ſpem omnium Redarij: nam & multitudine confidebant, & vicinos lubricæ eſſe fidei non ignorabant, & ſolum caput deeſſe exiſtimabant ad turbandam Saxoniam, & iugum excutiendum. Itaque copiis ingentibus coactis, oppidum Vuallislebam inuadunt & (vt Ditmarus ſcribit) rapiunt, deſtruunt, incendunt: ciues omnes, quorum magnus fuit numerus, ſine reſpectu, crudeliſsimè interficiunt. Horum furorem Obetritæ, Hauelli, Vilzi, & aliæ gentes Slauicæ ſequebantur: & ad libertatem rurſus vniuerſi aſpirabant. *Redarij ab Henrico deficiunt.* *Vuallisleba à Rhedarijs incenſa.*

Ad tantos motus ſedandos rex ſibi legat Bernardum, quem præfecerat Redariis, & addit illi Ditmarum, ſtrenuum hominem: eos iubet vrbem Linichinum ad Albim (vt in Chronico Quedilnburgio) obſidione cingere, & hoſtem prouocare. Die obſidionis quinto, rumor non vanus differtur, hoſtem inſtructum aduentare, qui opprimeret noctu Saxones, minimè id ſuſpicantes: ſed per exploratores hi admoniti, excubias in armis agunt, ne ſubitò fiat impreſsio. Conſilium Slauorum imber & tempeſtas exorta primùm morata eſt, ne expeditè progrederentur; deinde eoſdem, ne laterent, prodidit: nam die ſereno illuceſcente, de humidis veſtimentis vapor aſſurgens, eos in propinquo eſſe ſignificabat. Signo confeſtim per caſtra dato, Saxones hoſtem non ad ſe accedere ſinunt; ſed in eum cupidi totis viribus promouent. Acris fit incurſio, & prælium graue committitur: noſtris laborantibus legati adſunt, inclinantes confirmant, cedentes retrahunt: donec turbatis barbarorum ordinibus, in fugam omnes conijcerentur. *Henrici in Slauos rebelles expeditio.* *Henrici victoria de Slauis.*

Henricus I. Auceps.

A paucis igitur exercitus ille ingens diſsipatur, qui aut propter confuſionem protritus, aut cæde conſumptus eſt. E Saxonibus duo comites Summeringij, tribuni fortiſsimi, & genere clariſsimi, ac decora patriæ, ambo Lotharij nominati, oppetunt: quorum vnus Ditmari præſulis abauus fuit. Præterea & alij aliquot primi nominis, ſed non multi, ceciderunt. Ipſis victoria tam ampla contigit, anno ſupra noningenteſimum triceſimo, Non.
930. Septemb. Aduerſariorum fuerunt ad ducentena militum millia, referente Sigeberto: cæſa ſunt centum & viginti millia: octingenti de præcipuis capti, reliqui paludibus ſubmerſi. Captiuo nulli data venia: qui altero poſt pugnam die, capitis ſupplicium ſubierunt. Linichini, clade ſociorum acceptâ, armis depoſitis, deditionem faciunt: ciues vrbem relinquere, & in exilium ire iubentur: ſeruitia, fortunæ, ſuppellex, pecunia omnis, in poteſtatem victoris venit. Tali animaduerſione in victos atque dedititios rex vſus; illis videlicet capite punitis, his in exilium miſsis; reliquæ gentes Slauicæ, exemplo territæ, in officio permanſêre.

Bellum Henrici Vngaricum.

Rex equitum ſuorum virtute cognitâ, & vſu armorum perſpecto, bellum Vngaricum molitur, conſilio nobilitatis ac populi: omnibus enim ordinibus accidebat grauis illa ſeruitus, quia & turpiſsima cenſebatur, & ferenda neceſſariò erat. Solebant Vngarorum legati certo tempore adire regem; vt promiſſum argentum, armenta, muneraque poſcerent & deportarent: quibus etiam nobiles adoleſcentes centenos, & tot equos additos, in obſcuræ auctoritatis Annalibus legi. Vngari igitur, cum de more veniſſent: nullus iis, vt antea, honor habitus eſt: & inanes ſunt domum remiſsi: obiectus præterea illis canis obæſus, truncatis auribus & caudâ: maximi opprobrij cauſâ: feſtinare præterea iuſsi, ne intra certos dies, in finibus Saxonicis deprehenderentur. Vngari ſuperbi, contumeliâ non expectata atrociter offenſi, ad contemptum ſui vlciſcendum coniurant: & quanto maximo poſſunt, è ſuis viciniſque gentibus exercitu comparato, tendunt in Saxoniam. Cum per Thalemincios iter facerent, veteres ipſorum ſocios, qui Saxones ſatis ad bellum inſtructos nouerant; ab ipſis quoque habiti ſunt ludibrio. Vngari, quamuis dolore ingenti afficerentur, contumeliæ impatientes: tamen præter conſuetudinem ſe continebant, vt propoſitum iter tenerent, & iniuriam recentem differrent in tempus aliud: primùm enim omnium Saxones vlciſci ſatagebant; poſtea in alios inuaſuri, & verborum temeritatem ferro & igne vindicaturi. Traditum

tum literis eſt, equitum peditumque centum & quinquaginta millia in exercitu Vngarico fuiſſe. Hi ad Turingiæ fines delati, genus nullum ſæuitiæ & libidinis prætermittunt: ita vt in nominis Saxonici interitum conſpiraſſe diceres. Viribus deinceps ſuis confiſi, copias diuidunt: partem in Veſtoualiam mittunt, partem in interiorem Turingiam immittunt, videlicet vt hoſtes locis diuerſis territos & occupatos, facilius vincerent: eorum enim paucitatem contemnebant, & impediti iracundiâ ac furore, quid ſibi vtile eſſet, cernere non valebant. *Henricus I. Aucupi.*

Saxonum cum Vngaris pugna & victoria in VVeſtualia. Iis, qui in Veſtoualiam contendebant, quatuor millia Turingorum & Saxonum confidenter ſeſe obiiciunt: nam octo millia ab iis ſecedentes conſtiterant metu, vel (vt ipſi dicebant) conſilio, vt domi patriæ ſuppetias ferrent, ne ſpontè viderentur vxores & liberos hoſtibus vexandos aut trucidandos reliquiſſe. Impediebat Vngaros ipſa multitudo: & faciebat negligentiores ſecuritas. Saxones non tantum armis pugnabant, in quibus ſpem collocare ſolam non poterant: ſed intimis animis inuocabant Deum, vt immanitatem illorum Scythicam & paternam, ſuâ poteſtate infringeret: nec ætatem ſexumque imbellem obiiceret furori malo: nec ipſorum corpora in ſeruitutem ferinam redigeret. Igitur nec conſilio nec fortitudine deſtituebantur, qui à Deo pendebant, & ſe illi totos commiſerant; interituri potiùs cum patriæ cineribus, quàm hoſtis tam barbari paſſuri dominatum. Agmen igitur hoſtium extremum per aliquot dies carpunt, & præliis leuibus laceſſunt. Tentatis hoc modo feliciter ſuis viribus, & cognito præſidio cœleſti; tandem exercitum eorum vniuerſum adoriuntur. In congreſſu acerrimo, cum duces Vngarorum aliquot maximæ auctoritatis cecidiſſent: vulgus, veluti terrore quodam Panico perculſum, arma abiicit, ſeſeque in fugam diſpergit: palantes in regione ignotâ, & omnibus mortalibus infenſi, partim ferro cæduntur, partim conficiuntur fame: latêre enim eos aut ſermo, aut habitus, aut armorum genus non ſinebat. Hoc iis accidit, qui ituri erant in Veſtoualiam.

Vngarorum in Turingia cum Saxonibus pugna & clades. Altera pars copiarum in Turingiâ in loco, qui ab arundineto Ritta vocabatur, vt interpretatur Beda, reſederat: & extant villæ, quæ ab arundinetis adhuc nomen habent. Hæc manus ſpe prædæ illecta, regis ſororem, famâ diuitiarum florentem, & (vt Vuitechindus ſcribit) è concubinâ genitam, & Guidoni nobili Turingo nuptam, expugnare contendit, in vrbe caſtris ipſorum vicinâ,

Henricus I. Auceps. vicinâ, quam Mersburgum fuiſſe tradit Vrsbergius. Othoni, regis patri, concubinam fuiſſe, nuſquam legi, ideo Vuitechindum erraſſe exiſtimo: nam fuit in illo principe ſingularis grauitas; & vxorem habuit, patre imperatore nobilem. Oppugnationis ſubitæ conſilium nox turbauit, & noſtrorum mira vigilantia: quia in hoſtem vafrum intenti erant, & ad occurrendum ſuis ſtabant parati. Annales nonnulli captam, & quia teneri non poterat, incenſam teſtantur: ſed illis quid tribuendum ſit, ignoro. Vngari interea eâdem nocte, quâ exercitum Mersburgo admouerant, certiores de ſuorum cæde in Saxoniâ fiunt à profugis: cumque militem victorem redire ad copias regias audirent, veriti ſimile malum, igne fumoque, quod facere erant ſoliti, per caſtra ſignificabant, tempus diſcedendi imminere. Itaque & caſtra & impedimenta relinquunt: & obſidione vrbis ſolutâ, campis patentibus, qui circum illam vrbem vndique ſunt, ſe committunt. Henricus quamuis eo tempore non ſatis firmâ eſſet valetudine; nullum tamen laborem boni imperatoris detrectat: ſeque totum impendens patriæ, omnes occaſiones hoſtibus occurrendi circumſpicit. Altero die ad hoſtes turbatos propius accedit, caſtriſque locum eligit Keuſchbergum, vel (vt in aliis ſcriptum inuenio) Gicheburgum: erat ibi collis in Salam flumen decliuis, & eidem ſubiecta vallis à parte alterâ. Vngari, quibus nulla erat cauſa honeſta, aut poteſtas licita fugiendi, inter ſyluam Scelam, & oppidum Luzenam caſtrametantur: nouis ſe conditionibus fœderibuſque conuincientes, & animantes inuicem, vt vitam famamque virtute tuerentur, aut more gentis in armis caderent. ſublatis gladiis & ſcutis iurant, cum exclamatione & armorum ſonitu. Inter vtrunque exercitum interuallum quinque millium paſſuum fuit, quibus milliare Germanicum continetur. Rumore de aduentu Vngarorum iampridem per Germaniam vndique vulgato; reliqui populi, qui ad Rhenum & Danubium ex vtraque ripâ incolebant, opem Saxonibus ferendi, communiſque incendij extinguendi gratiâ, arma paſſim ſumpſerant, quorum pars hoc ipſo tempore Tauchelitiam aduenerat: quo in loco poſtea Vueiſſenuelſa oppidum, quod ab arce nomen accepit, quam Leucopetram Græci nominarunt, eſt conditum: ij locum caſtris eligunt ad Trebeniſum collem, & riuulum Ripachum: donec quid porrò faciendum eſſet, ex rege intelligerent. Nunciis de eorum aduentu acceptis, Henri-

cus

Henricus I. Aucups.

eus gaudere, venientibus gratulari, & gratias agere, & ſtudium liberandæ Germaniæ comprobare: viciſsim ſuum animum gratum promittere, & præmia atque honores expectare iubebat. Hortatur deinceps & ſuos & auxiliarios; vt virtutis antiquæ memores, pro religione, pro patriâ, pro vxoribus & liberis, pro agris & focis, pro libertate & legibus, contra hoſtem impium, proteruum, immanem, fortiter pugnent. Affirmat vinci poſſe, quòd contra talem impietatem, propitium habeant Deum, ſui nominis atque honoris vindicem: & poſſe perſeuerantiâ vinci, paucorum dierum partâ comprobat victoriâ. Non eſſe conſiderandum hoſtium numerum; ſed ponderandam cauſam, quæ pro Chriſtianis ſit melior contra paganos: pro defenſoribus patriæ iuſtior, contra latrones crudeliſsimos. Hæc animoſiùs penè loquebatur, quàm vires ſinebant: erat enim, vt diximus, parum integrâ valetudine: nec tamen ſuo muneri vllo in loco deerat. Oratione præclarâ regis animos, ita omnium ſunt animi incenſi; vt ſe paratos dicerent, mori pro ſacris & patriâ: ipſorum operâ vteretur, vt vellet: in quamcunque ire partem mandaret, etiamſi mille mortes proponerentur, ferro ſe viam facturos. Fremitum ardentium rex animo compoſito reprimit: & ſpe illis optimâ iniectâ, ſilentium totis caſtris imperat; ne quid eorum, quæ moliretur, vllo ſigno aut animaduerſione hoſtes exciperent in viciniâ: nam metu ſimulato ſtudebat eos ſegniores reddere, vt victoriam minore ſuorum clade inſigniret. Duces præcipui, qui in hoc bello Regi & Reip. inpenderunt vitam & fortunas ſuas, fuerunt Conradus Rheni Palatinus, Hermanus Sueuus, Bertoldus Bauarus, Conradus Francus: ſub quorum ſignis non Germani tantum, ſed nonnulli Gallici principes militabant; qui in ſolo alieno, quàm domi hoſtem ferociſsimum reprimere malebant: nam Gallia iam & Italia ſenſerant, quid furore poſſet, quid violentiâ patraret. In exercitu regis fuiſſe ſexaginta nouem millia pugnatorum; in Vngarorum ſupra centum millia, proditum memoria eſt: quamuis alij numerum multo maiorem ponunt. Henricus partem noctis quieuit, & ſuos iuſſit quieſcere: tum plenus fiduciâ, capto loco & tempore, militem è caſtris clam educit, aciemque tacitè inſtruit. Ad eam rem iuuabat imber nocturnus, & nebula ſequens matutina, vt quid ageret, hoſtes minus intelligerent. Fertur ante prælium vouiſſe, ſi Deus tribueret victoriam, ſe emendationem Eccleſiarum inſtituturum, vt Ludprandus

Ticinen-

Heinricus I. Anceps. Ticinenſis teſtatur: nam mercimonia illa, quæ Simoniaca ap-pellantur, & nundinationes ſacrorum, & permutationes offi-orum, princeps optimus auerſabatur: iniuſtas enim eſſe & abo-minandas, minùs etiam eruditi intelligunt. Vt primùm cœ-dies illuceſcere, labarum ſeu vexillum regium, quod effigiem an-geli habebat, efferri iubet: quod reliqui duces & ſigniferi ſequ-erentur. Ipſe modò in primis, modò in mediis verſans, dum om-nia munia viri fortiſsimi obit, animos militum ſuâ alacritate, ve-hementer confirmat. Veritus, ne hoſtes ad conſpectum aciei in-tentis, & exercitus armis fulgidi, trepidarent; ſeſeque fugæ ſta-tim committerent, iubet Turingos præcedere: inter quos pauci erant armati, vt æquali cum Vngaris inermibus conditione de-cernerent. Poſt hos inſtructiſsimas equitum peditumque col-locat legiones: equos leuioris armaturæ, qui pugnantes laceſſe-rent, & ordines turbarent, à lateribus mandat conſiſtere. Ador-nato hoc modo exercitu, cùm primo diluculo, Vngaris non mi-nùs paratis ſeſe oſtendit. Turingi hoſtem primi prouocabant, & ſuſtinebant confidenter; & paulatim cedendo, ad armatum illũ exercitũ attrahebant. Ad congreſſum autem & prælium iuſtum cum iam facta eſſet acceſsio: animis vtrinque incenſis, Vngari clamore Scythico ſeſe inuicem incitabant, & voce beluinâ, Hui hui perſonabant: Chriſtiani verò Deum propicium & omnipo-tentem inuocabant, Græco quidem vocabulo, ſed tum eccleſiis, & nunc quoque vſitato, Kyrie eleiſon. Cùm ad conſpectum ar-matorum ventum eſſet: ad horas duas fortiter & ſine trepidati-one pugnauerunt: ſed cùm armatis ſuccedere armatos viderent; tanta conſternatio & fuga hoſtium tam pernix fuit; vt palan-tes, poſt confectos quinque mille paſſus, noſtri vix aſſequeren-tur. Incenſa initio à regiis ſunt caſtra hoſtilia: in quibus turba in-gens puellarum, mulierum, iuuenum liberata: extremæ enim ætati nulli pepercerant; media aut ad ſeruitutem aut ad libidi-nem trahebatur. In prælio conciderant Vngarorum circa qua-draginta millia; in fugâ aut excepti aut capti ſunt millia quin-quaginta: qui fugiebant Boëmiam & Vandaliam verſus, plures euaſerunt: qui verò in Hercinios & Saxones delati, aut interie-runt, aut ſunt ad ſeruitutem perpetuam retenti: nam hominem vendere Saxones piaculum exiſtimant, etiam à religione ſuâ alienum. Prælium commiſſum eſt, vt Gemblacenſis tradit, an-
934. no Chriſti ſupra noningenteſimum trigeſimo quarto, imperij Henrici decimo quinto, menſe Martio: de die certo nondum

ſcripto-

ſcriptores conueniunt diuo Laurentio ſacrum fuiſſe plerique è noſtris tradunt. *Henricus I. Auceps.*

Imperator poſt liberatam à iugo Germaniam, vt Deo immortali & benefico gratus eſſet, tributum quod Vngaris pendebatur, in vſus ſacerdotum & pauperum diſtribuit: & vt poſteris facti aliquam memoriam relinqueret, in arcis Mersburgij ſuperiore cœnaculo, prælium depingendum curat. Legato ſuo Vualthero, comiti Hojenſi, ſtatuam æneam equeſtrem in Bauariâ Mauerkirchi iuxta ſtatuam ſuam ponit. Ipſe pater patriæ ab exercitu ſalutatus, vt annales produnt Saxonum. *Henrici gratitudo.*

Memorabile eſt, quod de duobus captiuis Lehele & Bulcho ſcribitur. Nam ij ad regem deducti, interrogantur, cur ipſorum natio tam infeſtis eſſet animis aduerſus religionem Chriſtianam? cui reſponderunt magnis animis: Veſtrorum ſcelerum vltores ſumus: & cum id non facimus, vt vos perſequamur, numina irata ipſimet experimur. Scribit in eandem ſententiam Ditmarus. Quærentibus enim à ſe, quæ cauſa ſit, cur populi tàm fortes, regiones tàm populoſæ, lacerentur exterorum hominum audaciâ? hoc modo grauiſsimè reſpondet: Quia (inquit) excitantur Dei voluntate ad vindicandum noſtra ſcelera: Cùm enim proſperæ & tranquillæ res ſunt; timore Dei viuimus vacui: ideo Dei flagellum, hoſtes crudeliſsimos ſuſtinemus. Tum in peccatis viuentes ſecurè, etiam tum, cùm flagitamus auxilium, à Deo non exaudimur. *Cur Chriſtiani à barbaris hoſtibus tam crudeliter oppugnentur.*

Fama tanti ſucceſſus & publici beneficij, multorum principum etiam extra Germaniam animos incendit: vt gratulandi causâ legatos ad Regem cum amplis muneribus mitterent: erant enim gentes multæ ſæuitiam Vngaricam expertæ. In militem ſuum perliberalis fuit, & dignitates fortunaſque multorum auxit, atque extulit.

Eodem anno Slauos ſuperiores, quas Vntreuios, quaſi infideles, nominat auctor ſupplementi Reginonis, facit tributarios. *Slaui fiunt tributarij.*

935. Anno mox inſequente ex Obetritarum prouinciâ, qui ad defectionem ſpectauerant, eiicit, & circa ſexaginta & nouem Vngarorum millia, ſi Rixnerus vera narrat, occidit: piratas præterea Danicos, Phryſiam infeſtantes, expellit, vt ex Gemblacenſe patet. Regem Vuormum (vt Helmoldus Lubecenſis nominat, & vermem interpretatur) rebellem vincit, ſæuiſsimum hominem: Haraldum, filium eius, ad religionem Chriſtianam adigit: in quâ, etiamſi baptiſmum longo tempore differret, conſtans poſteà permanſit. Patrem Gormum nominat Funccius, filium eius *Henrici Imp. res geſtæ aliæ cum Vngaris, & Danis.*

Henricus I. Auceps. Nubam Vuitichindus: ſed Hermoldum illius ætatis ſupparem, tutiùs ſequimur: & fieri poteſt, vt nomen adoleſcenti in baptiſmo ſit mutatum.

Henrici Imp. auctoritas apud exteras nationes. Fuit deinceps Henricus in ſummâ apud exteros auctoritate. Nam cum & in Galliâ, & in Italiâ factiones eſſent de dominatu incredibiles, Erinbertus, gener Hugonis Pariſienſis, ipſum vocauit in Galliam: quam vt pacatam redderet, in vico Veromanduorum, cum eo colloquitur: tantâ enim bonitate erat & facili; vt honeſta petentibus, nihil poſſet negare. Vocarunt itidem in Italiam & Ioannes XI. & Leo VII. pontifices: ſed voluit prius Germaniæ conſulere (quod eſſet pacis, quâm armorum cupidior, vt de eo teſtatur Gemblacenſis) quàm in Italiam ire, quæ à tyrannis lacerabatur: quia videbat ſine magnis viribus, non poſſe in certum ſtatum regionem tantam redigi. Itaque profectionem difficilem, & oneris plenam non exiſtimauit inconſultè ſuſcipiendam: ſuſcepiſſet autem ſine omni dubitatione, ſi Deus ipſi conceſsiſſet vitam longiorem.

Institutio ludorum equeſtrium. Saxonia ab eo vniuerſa, cum regnis & prouinciis finitimis, reſtituta in libertatem eſt. Itaque parto domi ocio, nobilitatem omnem conuocat, & ludos Equeſtres, quales antea non fuerant, publicè celebrandos curat & inſtituit. Id faciebat, vt ſuæ & beneuolentiæ & magnificentiæ præberet teſtimonium: tum, vt eos coniunctos & frequentes illo ſpectaculo ludicro, in officio retineret; ſi qua vis aut tempeſtas armorum ſubita porrò ingrueret: præterea vt memoriam virtutis traduceret ad poſteros. Iſtorum Ludorum apparatum ſplendidiſsimum, leges grauiſsimas & ſanctas, nomina ducum, principum, comitum, equitumque certantium, libro ſingulari collegit Georgius Rixnerus caduceator Maximiliani I. Imperatoris, quem nos librum Troiaminis, à primis auctoribus Troianis appellamus: à quibus principiò ad Italos, poſteà ad Britanos, inde ad Germanos exercitatio illa equeſtris translata eſt; de quâ alij ſcripſerunt prolixius, & liber eſt in manibus. Ex eodem etiam appâret, tum primùm quaſi fundamenta iacta nobilitatis: non quòd ea nulla eſſet; ſed quòd aut conſumpta eſſet vaſtationibus barbarorum, aut bellis plurimis ad inopiam redacta, aut minus fuiſſet moribus liberalis, aut honeſtate ſplendida. Initia præclara tum ſumpſit, & deinceps propagata eſt, ex viris ſpectatæ fortitudinis, & ex patriæ atque religionis claris denſoribus: quos ideo è vulgo eximendos, & honoribus ornandos cenſuit: vt imposterum pietati & virtuti ſtuderent, &

auitæ integritatis ac fidei ſempiterni eſſent imitatores: nec vnquam deeſſent patriæ, ſi neceſsitas requireret: nec vllis viciis nomine nobilitatis indignis, ſe contaminarent: nec lucro aut auariciæ intenti, mercimonia & negotiationes exercerent, aut ciuium bona iniuſto & illiberali quæſtu minuerent. Ideo eis & magna præmia & immunitates dedit: & ex occupatis hoſtium terris, multum locupletauit. *Henricus I. Auceps.*

Leges huius Troiaminis quia ſunt præclaræ, non ſunt prætermittendæ: vt videlicet admitteretur nemo in Deum contumelioſus, aut religionis deſertor, aut omninò nomini Chriſtiano aduerſarius: Nemo turbator imperij pacisque publicæ, aut læſæ maieſtatis reus: Nemo proditor domini ſui, aut transfuga, aut refuga, aut in ſponſorem ingratus & iniurius: Nemo thori aut pudicitiæ expugnator, aut detractator ſexus & honoris muliebris: Nemo falſarius, impoſtor, fœdifragus, degener: Nemo qui maleficio aut violentiâ necaſſet lecti conſortem, aut herum ſuum ratione quacunque ſuſtuliſſet: Nemo qui ſacras ædes, aut diuorũ donaria, aut viduas pupillósue ſpoliaſſet, aut fraude aliquâ opprimeret: Nemo, qui in alium graſſaretur causâ indictâ, aut rapinis incendiisue agros, vineta, meſſes popularetur, aut armenta abigeret: Nemo, qui oneribus & exactionibus grauaret populum præter morem communem; aut qui itinera infeſta redderet, aut negotia & mercimonia impediret: Nemo qui conuictus libidinis, adulterij, ſtupri eſſet; Nemo qui fœnore, negotio Dardanario, aut alio quæſtu rem augeret; nec de ſuo patrimonio, fundo, reditibus viueret: Nemo denique, qui auitæ nobilitatis, & maiorum honeſtatis teſtimonia non proferret atque augeret. His legibus continebatur ſtatus nobilitatis. Qui enim tali aliquo vicio infamis eſſet; ab ordine equeſtri, ſententiis meliorum, conuentu publico, excludebatur. *Leges Troiaminis.*

Tali grauitate Imperator ſe faciebat aliis admirabilem: tum humanitate erga omnes, & beneficentiâ in ſuos aſſequebatur, vt Germaniæ principes eum amarent, & venerarentur; eique nolentes aſſentirentur, cum Othoni filio peteret imperium: idque ei cupidè detulerunt, vt poſtea dicetur. Fuit in Henrico ſtudium armorum ingens, ſed longè maius pacis: bellum ipſe quæſiuit nullum; nec ſuſcepit vllum, niſi neceſſarium; nec geſsit vllum, niſi pro defenſione religionis aut patriæ: fuit in eodem dignitas corporis eximia, patientia in laboribus, aſsiduitas in exercitiis, ſiue ludicris ſiue militaribus: nec magis aliis, quàm ſibi imperabat: continens, ſobrius, caſtus, temperans, in vitâ priuatâ. *Henrici Imp. virtutes.*

Henrici Imp. res geſtæ in pace. Erga religionem affectus optimè; quam nationi Henetæ, latæ & ſpacioſæ tradidit, & vltra Oceanum magnum propagauit in Daniam. Caminenſis, Hauelburgiæ, & Brandeburgiæ, Eccleſiarum fundator. *Eccleſiæ fundatæ.* Votum aliquando fecerat, contra Simoniacos, de emendandis Eccleſiis: ſed in tantâ improbitate pontificum, & peccantium multitudine, & potentiâ aduerſantium, non ſolùm nihil efficere, ſed ne proponere tentareve potuit: cum ſuperſtitionis ergaſtulo & vinculis: cùm aliis omnibus regibus & populis, communi temporum errore, teneretur. *Vrbes & caſtella extructa.* Vrbem Goslariam & Vuinthuſam extruit: & Ramelbergi metalla inuenit: eodem penè prodigio, quo poëtæ fingunt, Hippocrenen primum è terrâ erupiſſe in Bœotiâ, Criocrenen in Libyâ: nam equus eius Ramelus nomine, in venatione arbori alligatus, venam argenti fertilem calcibus aperuit. Vnde & loco nomen Rameli impoſitum: quæ metalla in ditione ducis Brunſuigij in hunc diem durant nomine Vuildemani. Merſburgum ad Salam, antiquum, vt Ditmarus, Romanorum opus, muro lapideo cingit: Ad Albim tria caſtella montibus oportunis imponit, Scharfenburgum, Miſnam, Strelam: de quibus, tranſitu Albis Vngaros prohiberet, & deinceps ex Miſnâ arce, vt Ditmarus ſcribit, Milcienos, quos ſubegerat, ad tributa pendenda cogeret, aut rebelles domaret Boëmos: ciuitates Saxonicas muniri multas iuſsit. *Cœnobia extructa.* Ipſe etiam cœnobium Quedilnburgium condidit, diuo Seruatio. Lanceam Domini è Burgundiâ detulit, quam ducatu Sueuico à Rodolpho rege emit: ea adhuc cum aliis imperatoriis inſignibus aſſeruatur. Vxor eius Mathildis cœnobia, Northuſanum, Poledenſe, Mimmelebium, exædificauit.

Henrici Imp. morbus & mors. Henricus in Turingiâ in morbum ſubitum & grauem cùm incidiſſet; ſe Mimmelebiam ad fluuium Vnſtrutam deportari præcipit: in quo cœnobio obiit VI. Non: Iulij, vt ſcribit Gem-
934. blacenſis, anno Chriſti ſupra noningenteſimum trigeſimo quarto; ætatis ſuæ ſexageſimo, vt Vuitichindus; imperij decimo octauo, vt Annales: morbo apoplexiæ, vt auctor ſupplementi Reginonis. Exta condita ſunt Mimmelebiæ, vt Ditmarus; corpus delatum eſt Quedilnburgum, & in templo Petrino depoſitum: quod ipſum monumentum teſtatur, è rudi lapide, nullâ magnificentiâ, vt apparet, factum. Montem iuxta quem ſepultus eſt, poſt aliquot annos arſiſſe, & flammas multis in locis euomuiſſe, Sigebertus & Vincentius perhibent. Mors eius eſt prodigio ſignificata, nam Sol ſereno cœlo quaſi obſcurari, & radios iacere ſanguineos viſus fuit.

Vxor eius obiit ætate prouectâ, annum agens circiter ſeptuaſimum ſeptimum, prid. Id. Martij anno ſupra noningenteſimum ſexageſimo nono: & iuxta maritum conditur: ad quorum etiam latera Mechtildis filiâ, ſocietatis Quedilnburgiæ prima Sacerdos maxima, conditur: vt è monumentis licet cognoſcere. *Vxoris Henrici mors.* 969.

OTHO I. IMPERATOR *Magnus.*

OTHO Imperator, cognomento Magnus, Heinrici Saxoniæ ducis ê Mathilde vxore maximus natu filius, omni pietatis, comitatis, iuſtitiæ, laudis genere princeps excellentiſsimus: in quo tamen præ cæteris omnibus, præter patriæ morem, vt ſcribunt exteri, humanitas, & clementia eminebat. Paſſu citato ſolitus ingredi puer, quod vitium hortatu amicorum mutauit. In adoleſcentiâ delectatus aleâ & venationibus. *Othonis virtutes.*

Statura corporis procera, & ad maieſtatem appoſita, crine raro, caluo vertice, oculis flagrantibus, facie rubicundâ, pectore piloſo & leonino: barba itidem prolixa, præter temporum illorum vulgique Saxonici conſuetudinem: per barbam itidem iurare conſueuit. *Othonis ſtatura.*

Veſtitu patrio ſemper vſus: quem poſt multas de multis exteris nationibus victorias, neque ipſe mutauit, neq; militem mutare paſſus eſt. Forma veſtium tum erat togata, habens cum fibulâ laciniam, & limbum coloris diuerſi. *Othonis veſtitus.*

Parentum & agnatorum mirum in modum amans & ſtudioſus. In amicos perliberalis, & ſupra humanum captum fidus, atque facilis: aures delationibus non præbuit, neque ſuſpitionibus indulſit. Audiuimus (inquit Vuitechindus) accuſatos fuiſſe, quoſdam, quod ei aduerſati eſſent, quos etiam facinorum conuictos ipſe excuſauit: & erga eos deinceps ita ſe geſsit, quaſi nihil vnquam ſiniſtri de iis comperiſſet. Scribunt de eodem Itali, quod Ieſu Chriſti ſeruatoris noſtri imitator, nulli vnquam malum pro malo reddiderit: ſæpius bona pro malis rependerit. *Othonis in conuerſatione mores.*

Ingenio valuit tantoperè, vt poſt primam expeditionem Italicam, ætate iam prouectâ, linguam latinam diſceret, & Slauorum ſermone vernaculo, cum opus eſſet, expeditè vteretur. In victu temperans, & ſomni modici, in quo quaſi vigilaret, ſæpiſſimè intelligenter locutus eſt. Cum eſſet à curis publicis vacuus, in venationibus, aut exercitatione equeſtri, pro dignitate tamen nominis ſui, frequens pænè atque aſsiduus fuit. *In Othone acumen ingenij.*

In bellorum diſcrimine, cum ab opibus humanis nihil auxilijan- *Othonis pietas.*

Otho I. Magnus. lij ante oculos ſpectaret, ſæpè in agro, aut in acie, de equo deſiliit, & preces atq; vota ad Deum profudit: hoſtē nullum, quantumuis ferocem & potentem vnquam fugit, aut formidauit: nullius amici defectione, aut perfidiâ animum abiecit, aut rebus ſuis diffiſus eſt. In religione propagandâ, & ornandis Eccleſiis, poſt Conſtantinum & Carolum magnum, nemo ei par aut ſimilis inuentus eſt, quo ſtudio poſteriores ſimiliter Imperatores longè ſuperauit. Diadema aut coronam regiam capiti impoſuit nunquam, niſi die præcedente ieiunaſſet: eruditos Sacerdotes in comitatu habuit ſemper, & de eorum ſententiâ egit multa ſalutariter: ab iis quoque reprehendi ſe paſſus eſt, vt de præſulibus Halberſtadio & Verdenſe, ſuo loco dicetur. Qualis autem ipſe erat, talibus itidem familiaribus & conſiliariis delectabatur: in quibus aut libidines, & rapinas, aut ciborum aliarumve rerum luxum non ferebat: adeò vt omnes virtutes cum ipſo & eius amicis floruiſſe, eodemque defuncto vnà veluti emarcuiſſe, ſcribat Ditmarus.

Perfidia in Othonem. Tantâ ſapientiâ, beneficentiâ, pietate, princeps quò felicior foris erat; eò eſt magis vexatus à ſuis, quos aut ſanguine coniunctiſsimos, aut beneficiis habebat obligatos: nam de duorum fratrum, alterius conſanguinei, alterius vterini, item de filij, generi, propinquorum, nefariis conſpirationibus poſtea dicetur: vt etiam de aliquot principum atque præſulum ſingulari in eum perfidiâ. His tamen omnibus confirmante ipſi dignitatem & potentiam Deo ſuperior tandem euaſit.

Otho Magni cognomen adeptus. Demum propter rerum geſtarum gloriam & felicitatem nomen Magni eſt conſecutus. Nam imperium ab Oceano ad terminos vſque Italiæ extendit: & gentes ante hac inuictas, non tantum armis, ſed & beneficiis in ſuam poteſtatem & gratiam redegit: cùm non vnius regni commoda augere velle, ſed toti humano generi conſulere & benefacere videretur.

Vxores & liberi Othonis Magni. Vxores habuit è gentibus exteris regias: primam ei pater deſpondit EDITHAM, Edmundi (non Eduardi, vt Cuſpiniani liber habet) regis Angliæ filiam; Adelſtani tum regnantis ſororem. Ex eâ genuit LVDOLPHVM Sueuiæ ducem, & LVDGARDIM primùm duci Lotharingorum, poſtea Francorum
953. Conrado iunctam. Hæc obiit anno nongenteſimo quinquageſimo tertio, vt eſt in ſupplemento Reginonis. Alteram duxit ADELHEIDIM, filiam Rodolphi Burgundi, Lotharij Italiæ regis viduam, quam vinctam è carcere liberauit. Ex eâ

procre-

procreauit OTHONEM, qui in imperio ſucceſsit, HEN- *Otho I. Magnus.*
RICVM & BRVNONEM: item filias quatuor ADEL-
HEIDIM nuptam Valramo Montferratenſi, MATHIL-
DIM Sacerdotem Quedilnburgiam, vt Origines & Chroni-
ca Brunſuigia, fundatricem cœnobij Vualdbeccenſis, SOPHI-
AM Paderborniam. Lazius addit OTHILDIM, nuptam
Diterico Hollandiæ comiti: ſed in noſtris Annalibus de eâ ni-
hil. Addit RICHISAM vel RICHILINDIM Vrsber-
gius, matrem Conradi præſulis Conſtantienſis; & Idæ, quæ Ro-
dolpho, Heinrici primi Bauariæ ducis, filio nupta dicitur; cui
Otho ditionem licet genero ſuo eripuit, & fratri Heinrico tra-
didit hæreditariam. EDITHA vxor eius prima ſepulta eſt
Magdeburgi: ADELHEIDIS in Olsâ monaſterio diœceſis
Argentinenſis, vt apud Siffridum Miſnenſem legimus, rectius
quàm in Annalibus Erfurdianis. VILHELMVM filium,
Antiſtitem Moguntinum, è nobili Sclâuâ genitum tradunt
Ditmarus & alij: quem cæteri inter Edithæ liberos enumerant
non verè.

OTHO poſt patris obitum eodem anno, à Francis & 936.
Saxonibus de voluntate & decreto paterno, conſenſu vnani- *Otho Magnus Rex*
mi declaratur Rex in vrbe Aquisgrano: nam cùm pater ſuam *Rom. inau-*
ſententiam adhuc viuens declaraſſet: & iudicio Antiſtitum at- *guratur.*
que principum obtinuiſſet, vt filius Otho ſibi ſuccederet:
gratulatus eſt ſibi & Reipublicæ: mater autem, impulſu
fortaſſe alieno, magis ſtuduit Henrico, vt è Ditmaro colli-
gimus.

Contentio tum inter antiſtites exorta, Rudbertum Tre- *Othonis Ma-*
uirenſem, & Vuigfridum Colonienſem, quisnam eum de- *gni corona-*
more vngeret, & conſecraret: Treuirenſis antiquitate nite- *tio.*
batur, Colonienſis iure dominatus, quo & diœceſi ſuæ ſubie-
cta vrbs eſſet. Ne autem alter cedere alteri videretur; id mu-
nus deferri patiuntur ad Hildebertum Moguntinum, Con-
radi imperatoris defuncti fratrem: cui honoris causâ tribu-
unt, quod ipſi facere ſuperbiâ nolebant. Is itaque ei gladi-
um, baltheum, armillas, trabeam, ſceptrum tribuit, & co-
ronam imponit, in templo beatæ virginis, aſsiſtentibus ſel-
læ Treuirenſe & Colonienſe, anno ſupra noningenteſimum 938.
trigeſimo octauo. Altero poſt hanc ſolennitatem die, E- *Edithæ Im-*
ditha vxor eius coronatur & inungitur. Familiares Othonis *peratricis coronatio.*

 erant,

Otho I. erant, Giſelbertus Lotharingus, palatio præfectus, Eberhardus Rheni palatinus dapifer, Hermanus Sueuus pincerna, Arnolphus Bauarus equitum Magiſter: hi paulò pòſt vniuerſi eius hoſtes acerrimi facti ſunt, excepto Hermano, principe fideliſsimo.

Dum hæc agerentur ad Rhenum, abſens commiſerat Saxoniam adminiſtrandam Siffrido (vt Ditmarus teſtatur) comiti Mersburgio, Saxonum (vt ait Vuitechindus) optimo & ab ipſo rege facto iam ſecundo.

939. *Bellum Othonis Magni Bohemicum.* Primo poſt electionem anno, bellum Otho intulit Boleslao, duci Boëmiæ, quem Dirum cognominatum inuenio: eius belli duplex cauſa recenſetur: vna, quòd fratrem Venceslaum in templo orationi intentum crudeliter interfecerat, ipſe à religione alienus, pietate eximiâ principem: Altera, quòd Vandalo cuidam vicino ſuo, Saxonum clienti, bellum non neceſſarium mouerat. Itaque cùm & orientem in Boëmiâ Eccleſiam opprimere, nec ſuis finibus contentus eſſe poſſe videretur: Rex exiſtimans ad dignitatem & ad munus pertinere ſuum, eius coërcere facinora & petulantiam: ideò exercitum conſcribit, & legionem Mersburgiam, hominum fortiſsimorum, quam ab Henrico patre inſtitutam, ex vago & graſſante milite diximus, duce Eſicone, in Boëmiam mittit: cui adiungit copias Turingicas & Haſsicas. In hoſtile ſolum ibant agmine bipertito, vel terroris inferendi gratiâ: vel ambitione, vt fit, ſtimulati: ne Saxonum gloria, ſi res bene ceſsiſſet, ſociorum haberetur. Boëmus re intellectâ, vt erat animo prompto & audace, ſuas ipſe quoque copias diuidit: Turingos incautos aggrediens, impetu in fugam vertit. *Eſiconis victoria.* Eſico pugnans feliciter, in caſtra victor reuertitur: ſed ignarus quid de Turingis eſſet actum; victoria non ſatis vtitur prudenter. Boëmi enim cum animaduerterent hoſtium incuriam, diſperſos pari celeritate moliuntur inuadere. Itaque copiis in vnum conuocatis, in Saxones, alios in colligendis ſpoliis, alios in curando corpore, alios in commeatu comportando occupatos, quæ erant certa ſecuritatis indicia, irruunt: *Eſiconis clades.* iniuriamque acceptam aſtutè & fortiter vlciſcuntur: & Eſiconem improuidum imparatumq; delent cum exercitu. Vſi porrò fortunæ ſuffragio, Slauum principem, qui Saxones euocauerat, fugant; & oppidum eius incendunt atque diripiunt.

Rex auditâ ſuorum clade, nouum ſtatim militem conſcribit: ducemque belli eligit HERMANVM Stubesgehornum, familiarem ſuum, qui quamuis eſſet loco honeſto apud Saxones natus:

Otho I. Magnus.

natus: tamen quòd illuſtribus antepoſitus eſſet familiis, non ſolùm principes cæteros eo facto offendit: ſed etiam Hermani fratrem Vuigmanum, virum alioquin fortem, abalienauit; qui ſtimulis inuidiæ, quòd ſibi fratrem videret præferri, ſic agitabatur: vt militare detrectans, è caſtris morbi ſimulatione excederet: & ad finem vſque vitæ tam regis, quàm fratris hoſtis permaneret. Fortuna mutari cum duce ipſo cœpit: nam

Hermanni Stubegeborni victoria.

Hermanus in ingreſſu limitis hoſtilis, armatos homines forte ſibi oblatos ſuperat, & cæteris terrorem iniicit: quo ſucceſſu, aucta in ipſum inuidia eſt; quæ ſolet eſſe virtutis & felicitatis comes, præſertim in homine humiliore.

Ecberti temeritas, clades & cædes.

Ecbertus enim, Ludolphi filius, adeò vexabatur inuidiæ peſte, vt iactaret ſe aut Hermanno maius facinus aliquod editurum, aut inter hoſtes mortem oppetiturum. Coniunctis igitur ſibi octodecim adoleſcentibus audaciſsimis, contemptâ inſuper Hermani auctoritate, paludem quandam, quæ inter hoſtium vrbem & caſtra interiecta erat, transmittit, in hoſtem impetum facit, & furenter pugnat: verùm à multitudine circumfuſâ victus, cum ſociis omnibus interficitur. Hoc modo temeritatem, quam aliena gloria acuerat, propria ſtultitia exitu triſti euertit. Cæſus Ecbertus eſt VII. Calen. Octob. Hermanus ita rem deinceps in Boëmiâ adminiſtrauit: vt Boleslaus ſe contineret intra arces ſuas, nec amplius fortunam experiri tutum crederet. Quamobrem relictis in viciniâ præſidiis, redit Hermanus in Saxoniam: quem quò peius oderant inuidi, eò magis gloria ipſius & apud Regem, & famâ apud exteros augebatur.

Illo tempore Otho Magdeburgi agebat, ad conſtituendam rem Eccleſiaſticam, quia non magis propagandi imperij, quàm religionis curâ tenebatur.

Berbenſe monaſterium.

Monaſterium Berbenſe extra muros vrbis, ædificat: cuius moderatorem inſtituit Hannonem, qui Treuiri diui Maximi Sacerdos fuerat, ſpectatæ doctrinæ & integritatis virum: cui (vt Antiſtitum annales teſtantur) regiæ ſtirpis procerum filij traditi ſunt, moribus & pietate inſtituendi: neve quid illis ad otium liberale deeſſet, reditus è certis fundis addit; & ſuam aulam, quam tum incolebat, habitandam concedit. Eundem Hannonem poſt decennium ad maiorem dignitatem euehit, & Richgouo Vuormacienſi præſuli dat ſucceſſorem.

Vngarorum bellum contra Othonem.

Vngari vt acceptas ab Othonis patre iniurias perſequerentur, hoſtes

Otho I. Magnus. hoſtes videlicet nominis Saxonici ſempiterni, nouam expeditionem parant in Germaniam, contemptâ videlicet Othonis ætate, ſed nondum virtute cognitâ. Faciebant cum illis nonnulli Germanici principes, qui ipſis conſilium & operam pollicebantur, modò arma celeriter ſumerent, & negotiũ maturarent. Prima eorũ irruptio fit in Franciam, eo inſtituto, vt inde in Vueſtoualiam progrederentur. Rex aduentus hoſtilis nuncio accepto, militem è prȩſidiis vndiq; conuocat; & hoſtibus feris animo maiore, quàm credi poterat occurrit in itinere, antequam Saxoniam attingerent. Quod cùm præter opinionẽ Vngaris accidiſſet, prælium per velites tentant: ſed cum inferiores ſe cognoſcerent, retrò tacitè cedentes iuxta Vuormaciam Rhenum trepidanter transmittunt: tum in Burgundiâ & Galliis ad Oceanum vſque, ferro flammisq; ſæuientes, reditũ in patriam per Italiam ſibi patefaciunt. Factũ id anno, ſupra noningenteſimũ ſeptimo & trigeſimo. 937.

Origo belli inteſtini. Exterorum armis fortiter propulſatis, ciuilia ſuſcitantur bella, quorum hæc fuiſſe cauſa memoratur. Saxones bellorũ gloriâ & fortunâ elati, & quia penes ipſos erat imperij dignitas, aliis principibus eſſe ſubiecti, animo iniquo ferebant: ſuaq; vt nominant feuda, niſi à rege, accipere volebant à nemine. Eberhardus Rheni Palatinus hac primũ de causâ irritatus, Bruningo potenti in Turingia viro, bellũ facit: Ellerum oppidum eius inflammat: ciues omnes interficit: propter eam violentiã damnatus, aliquot equos dare de more cogitur: aſſeclæ eius notantur ignominiâ: ea tunc erat eiusmodi, vt qui maieſtatem læſiſſet, canẽ ſinu portaret, aut in curiâ regis, aut in conuentu publico. Iuſſi Magdeburgũ venire, accedunt omnes: & ſimulata ipſorum obſeruantia regem mouit, vt omnibus ignoſceret. Cum admonuiſſet eos ſui officij, honeſtè dimittit, nõ ſolum exemptos infamiâ, verum etiam muneribus affectos: putabat enim fidos inpoſterum magis fore, ſi ipſos beneuolentiâ haberet deuinctos. Erat autem rex in neminẽ aut ſuâ naturâ vehemens, aut ſpontè iniurius: ſed improbitas bonitate & clementiâ non flectitur: iſti enim humanitatis imperiti & immemores, duci ſuo ad omne malum facinus pergunt eſſe adiutores: etenim artes conciliandorum animorum nouerat Palatinus, in vſu & ſocietate vitæ liberalis, affabilis, communis: quibus rebus etiam Saxonum multorũ gratiam & amorem comparauerat. Indulgentia multa mala docet, ait Comicus: quæ etiam regi non rarò nocuit: & api regem aſsimulantes Aegyptij, debere eum non ſolum mel, ſed aculeum etiam habere, ſignificant.

Conſpiratio Principum Germaniæ in Othonem. Conſpirabant iam odio manifeſto in Regẽ, DANGMARVS

ipſius

ipſius frater, motus iracundiâ, quod Siffridi comitis Mersburgij defuncti, affinis ſui, ditionem non obtineret: cui ſe ſocios præbebant, EBERHARDVS Palatinus, & VVIGMANVS Saxo, quē antea è caſtris diſceſsiſſe Boëmicis diximus: ſi animos ſpectes; homines non contemnendi, modò fortes & boni, quàm audaces & violenti perhiberi maluiſſent. Cauſæ inimicitiarũ fuerunt, quòd ea, quæ peterent iniuſtè, non obtinerent; & præcipuè quòd inuiderent virtuti regis: quem Deus ita ſuo præſidio muniebat: vt quò magis nocere ſe arbitrarentur, eò magis ipſi commodabant. Igitur extrema inconſultò tentantes, ſeſe in ſumma pericula conijciunt. Bellum ipſum tractabant aſtutè & clàm: cumq; à nemine, vt hoſtes, metuerentur: præſidium Badalicenſe expugnant. In eo HENRICVS, regis frater germanus, artes malas nondũ edoctus & ſentiens moderatè, capitur: neq; principis, ſed mancipij more tractatur: Gebhardus Francus, Vdonis Comitis filius, Hermani Ducis frater, interficitur. De Palatini exercitu, ante præſidiũ Larunum DEDO vir nobilis oppetit. Dangmarus licet præſidiũ ſibi quęſiuiſſet occupato Mersburgo: tamen ciues propter eius ſæuiciã regi portas, contra Dangmari voluntatem aperiunt; qui in templum confugiens, vt libro ſequente dicetur, primo impetu haſta traijcitur. Id templũ diuo Petro ſacrum tum erat; antea Irmo ſeu Marti, à quo idolo vrbs nomen accepiſſe fertur, dicatũ. Ea ſtatua, quæ ſeruata erat memoriæ & vetuſtatis causà, tum ſublata ſimul eſt, regis iuſſu. In eâ ſtatuâ hominis armati imago erat, cuius galeę gallus inſidebat: thoraci inſculptus vrſus; clypeo de humeris dependenti, leo: dextera vexillũ tenebat cum inſigni roſæ agreſtis, ſiniſtrâ lancē æqualem. Sunt qui ſcribunt, à Merouige rege Francorum quaſi Merouiburgum appellatum eſſe. Ab Vrsbergio inſcitiâ vel errore librariorum ſcribitur Hereburgum: ſed hæc alterius ſunt materiæ.

Otho I. Magnus.

Irmus, Mars. Mersburgum vnde dictum.

Vuigmanus, omnium malorum auctor, aſtutus & mobilis, ante Mersburgũ expugnatum, ad regem ſeſe conferens, in ſocios inuehitur, & veniam mendacio impetrat: Palatini miles ad Regem tranſit, quia aliter ſaluus eſſe nõ poterat. Igitur cùm ipſe Palatinus & de Dangmari interitu, & de defectione Vuigmani ac militum audiret: animo fractus, Henrico regis fratri, quē habebat in vinculis, ſupplex fit; veniamq; aſtu efflagitat atq; impetrat.

Principes rebelles aſtu veniam impetrant.

HENRICVS & ætatis & regni feruore flagrans, fratris potentiæ inuidere cœperat: quamobrem ſic ei delicti gratiam facit, vt ſecum coniuret, & ſibi ad rapiendum imperium ſit adiutor. Id autem cùm apertè facere non poſſent, & regis facili-

Henrici conſpiratio in fratrem Othonem.

Otho I. Magnus. facilitatem noſſent: expectandam ſtatuerunt occaſionem aliquam: & interim ſeſe in amicitias inſerebant eorum, quos ad maleficium aptos, & ad audaciam ſingularem inſtructos cenſebant. Iactis nouarum turbarum fundamentis, ſimulatâ beneuolentiâ, ad fratrem Henricus redit: cui rex omnia pietatis fraternæ officia præſtat, & maiore ipſum fide colit, quàm dignus erat. Palatinus ſimiliter Friderici antiſtitis Moguntini hortatu ad regem ſupplex venit: ſeſeque & ſuas fortunas eius poteſtati ſubiicit. Sed quoniam atrociter imperatorem offenderat; exilij locus ei conſtituitur Hildeshemum vrbs Saxoniæ, â quibusdam dicta Bennopolis.

Bellum Bauaricum. Eodem tempore Arnolphi (non Arnoldi, vt Nauclerus) ducis Bauariæ, qui anno ſuperiore (vt ſupplementũ Reginonis) obierat, Arnolphus & Eberhardus filij, de paternâ ditione contendebant: & bellum inteſtinum graue ſuſcitabant, futurum pernicioſum reliquæ Germaniæ. Rex ne quid detrimenti, domeſticis tumultibus Reſp. caperet, extemplò in Bauariam profectus, ſuâ conatur auctoritate diſſenſiones fraternas componere, iuſtis vtrinque conditionibus propoſitis: ſed re infectâ propter amborum aſperitatem diſcedit. Cum nullius precibus nec grauitate adoleſcentes cupidi mouerentur: rex in Bauariam cum exercitu tendit, rebelles armis domat, & in exilium abire iubet: nam & pater ipſorum & auus, infenſi imperio fuerant. Prouinciam Bauaricam tradit BERTHOLDO, eorum patruo, viro fidei & virtutis perſpectæ.

938. Anno ſupra noningenteſimum octauo & trigeſimo, Vngarorum, improuisò in Saxoniam denuò irruentium, pars ad flumen Bodam caſtrametatur, & agrum circumquaque deuaſtat, omni iniuriæ genere: pars ad oppidum Stedirburgum opprimendum feſtinat: oppidani ex agreſtibus, qui timore præſidia vrbium petebant, hoſtium aduentu cognito, animaduertentes eos ex itinere feſſos, & imbris magnitudine impeditiores, eruptionem ſubitò faciunt: & clamore ingenti ſublato territos hoſtes partim in fugam coniiciunt, partim occidunt, prædâ multorum equorum, & ſignis aliquot militaribus potiuntur. Vngari ſe proditos ab incolis putabant; & præſidia firmiora eſſe, quàm erant, ex alacritate hominum coniiciebant: ideò fugam primo tempore capeſſunt. Rumore per vrbes finitimas de eorum diſſipatione dilato, eos incolæ inſequuntur: obuios quoſque ſternunt, palantes intercludunt, venientibus inſidias collocant, maximam eorum partem opprimunt, & ducem quendam in paludem

Vngarorum altera in Saxoniã irruptio.

actum

actum obtruncant & ſpoliant. Altera pars, quæ ſeptentrionem verſus iter inſtituerat, Slaui cuiuſdam ductu inſidioſo, Trimnungam vſque peruenit: ibi cùm loci natura obſtaret, ciuium virtute fuſi & deleti ſunt; dux eorum viuus in poteſtatem Saxonum venit: qui ad Regem deductus, magno pondere auri ſe redimit: & iuſiurandum dat, ne cui Saxoni in poſterum nocere velit. His rebus proſperè geſtis, tanta Vngaros trepidatio inceſsit, vt quantâ poſſent feſtinatione & ſilentio è Saxoniâ diſcederent. *Otho I. Magnus.*

Initio anni trigeſimi noni Eberhardus Palatinus exul, amicorum rogatu libertatem & honorem priſtinum recipit: & ad ſuos clementiâ regis reuertitur: cuius improbitate & ſcelere ingens bellum ciuile mox excitatur. Coniurant cum eo HENRICVS regis frater, GISELBERTVS dux Lotharingiæ, regis ſororius, FRIDERICVS Antiſtes Moguntinus, etiam è familiâ Lotharingicâ natus, & RVDHARDVS Argentoratenſis, qui ſinguli beneficio Othonis vſi erant. Hos Henricus Salueldiam, in Turingiæ montanæ oppidum conuocans, regio apparatu accipit, amplisque cum muneribus dimittit: etiam magnificentiâ & largitionibus popularitatem quærebat. 939. *Altera coniuratio Principum in Othonem.*

Hæc diſiunctio diſplicebat multis, qui ipſorum conſiliis intererant: nam prudentiores videbant, quantum eſſet è diſſenſione fraternâ euenturum mali: aliqui, vt bellum transferrent è patriâ, Henrico ſuadebant, vt vrbes Turingias præſidiis muniret; eas enim ipſe habebat ſubditas: ſuum in Lotharingos duceret exercitum, apud quos fortunâ nutante receptum haberet, & inde ſuis poſſet laborantibus auxilia ſubmittere.

Rex & fratris, & ſororij, & aliorum defectione nunciatâ, famæ credere noluit: nec in propinquos & beneficiarios tantam cadere audaciam exiſtimauit. De hoſtium temeritate ſatis edoctus, ad Tremoniam exercitum admouet, cui præſidium frater impoſuerat: eique Hagenam quendam è nobilitate præfecerat. Ciues regi ſe ſtatim dedunt: Hagenam ſic dimittunt, vt ad Henricum eat, eumque aut ad pacem flectat, aut ad Regem reuertatur: idque iureiurando promittere cogitur. Nec diu rex moratus, cum copias recenſuiſſet, & auxilia Saxonum ampla haberet, ſocios præterea Hermanum Sueuum, & eius fratres Vdonem & Conradum Francorum duces: exercitum in Lotharingiam mittit, aduerſus ipſa ſeditionum capita. Giſelbertus & Henricus, vt eum tranſitu Rheni prohiberent, ſuas copias promouent, tantâ celeritate, vt alter in conſpectum alterius citius peruenirent, quàm fieri potuiſſe creditum fuerit. Erant ad ripam pauca tum

Otho I. Magnus. nauigia: quæcunque autem regio militi in agmine præcedente oblata ſunt, iis traiecit; non curans, quid aut de ſe, aut de aliis eſſet futurum. Venerant in ripam vlteriorem, non vltra ducenti, vel (vt Vuitechindus) non vltra centum de regis exercitu: cum ecce hoſtes inſtructi adſunt. Qui in ripâ vlteriore erant, nihil ſuis ferre opis poterant; quia naues non erant: & in periculum ſocios fidos coniectos, mirum in modum angebantur. Inprimis regis dolor erat perſpicuus: qui quamuis eſſet naturâ fortiſsimus: tamen è vultu mœroris inditia apparebant. Redierat ſimul ex promiſſo clarus & animoſus vir Hagena: qui ſe nihil apud principẽ ſuum effeciſſe conqueſtus eſt. Rex deſtitutos humano auxilio ſuos videns, diuinitus opẽ implorat: corámq; exercitu de equo deſcendens & prolapſus in genua, ardenter precabatur Deum, vt ſui populi ſalutem haberet commendatam: non pugnantem vllâ cupiditate, ſed obædientiâ: neq;, vt noceret immerentibus; ſed vt ingratos & Deo & hominibus, redigeret ad mentem bonam & ad officium. Milites vltra Rhenũ habebant mortem ante oculos: ſed ipſis neq; animus deerat, neq; conſilium: idq; preces fidiſsimi, & ſingularis imperatoris impetrauerant. Sarcinulas & impedimẽta colligunt, & in locũ qui Zanthus dicebatur, deponũt: mox arma ad certamẽ multis adhortationibus expediunt. Interiecta erat palus inter caſtra, cuius opportunitate vſi Saxones, ſeſe diuidunt: & à fronte hoſtem adoriri, & à tergo premere incipiunt. Quidã ex iis linguæ Burgundicæ peritus, hoſtibus immixtus, fugam eſſe capeſſendam exclamat. *Strategema.* Lotharingi, cum Saxones acerrimè vtrinq; pugnare cernerent; & vocẽ fugam ſuadentis audirent, dubij cum quantâ multitudine pugnarent; nec ſatis attenti, vndè vox illa perſonuiſſet: pecorum inſtar in pedes ſeſe conijciunt, & pauciſsimis plurimi relinquunt victoriam: *Saxonum victoria.* profectò non ſine bonitate Dei, preces regis pientiſsimi comprobantis.

Ceciderunt in eâ pugnâ nobilis inprimis vir, Godefridus cognomento Niger; & Manicius ille, quem Dangmari interfectorem fuiſſe diximus. Henricus dux, non inter poſtremos pugnans, ita mulctatus diſceſsit, vt toto anno ſentiret dolorem non curabilem: Lotharingus fugiens ſe ad ſuos recipit. Hoc prælium non procul ab Andercano commiſſum plæriq; teſtantur.

DEDO, quidam Turingus, nobili genere, regis victoriam domi celeriter nunciat: & Henricum in acie cecidiſſe aſtutè euulgat: idque vel fauore & ſtudio regis fecit: vel quod ſuis ciuibus ab Henrico vexatis, conſulere voluit. Eo nuncio perſuaſum præfectis eſt, vt arces traderent; & ſeſe

& ſeſe ad Regis auctoritatem conferrent: idque factum ab omnibus eſt, exceptis duobus, qui Mersburgum & Schidingam tenebant, firmiſsima eorum temporum ad Salam & Vnſtrutam præſidia. Mersburgum imperatoria ſedes erat: Schidinga rerum olim Turingorum fuerat.

Otho I. Magnus.

Amiſsâ foris victoriâ Henricus, & erepta domi prouinciâ, quid ageret incertus, ex re ſuâ putauit eſſe, redire in Saxoniam: adiunctis igitur ſibi nouem tantum comitibus, quò lateret faciliùs, Mersburgum venit: quod, vt Rex reſciuit, eum inſequitur, & vrbem obſidet. Henricus animos ciuium alienatos videns, & ſe obſidionem nō poſſe tolerare intelligens, & à quibus ſociis auxilia acquireret, dubitans: poſt duos menſes in caſtra regis fratris egreditur; & de induciis agit, & eas triginta dierum impetrat: ſed, vt interea ipſe Saxoniâ excederet, cum quibus cuperet militibus; & eis, qui regi vellent militare, poteſtatem à ſe decedendi faceret.

Otho fratrem Henricum Mersburgi obſidet.

Turbulentus iuuenis, ferali in fratrem odio, nec damnis nec beneficiis poterat mutari aut affici. In Lotharingiam rurſus veniens, bellum cum ſociis, ipſo nihilo aut ſanioribus aut melioribus renouat. Erat id viris militaribus, & in armis à pueritiâ educatis fortaſsè ignoſcendum: ſed Moguntino & Argentoratenſi diſcordiæ inter fratres auctoribus, & ſacra pacis cotidiè tractantibus, & magno regis beneficio ambobus vſis, ignoſci non potuit. Rex clementiſsimus dimiſsis toties hoſtibus capitalibus, facilitate nimiâ, plurimum ſibi negotij ipſe exhibebat: & iam alterâ expeditione in Lotharingiam ſuſceptâ, igne & ferro graſſabatur, præter conſuetudinem. Lotharingo & Henrico non tantùm erat animorum, vt cum Saxonibus dimicarent: nec eâ erga ſuos præditi beneuolentiâ, vt eorum fortunas & tecta tutarentur: caſtello Kefermundæ ſeſe includunt propter vliginem & ſolum paludoſum inacceſſum: quod cùm expugnatu difficile appareret Saxonibus; totam prouinciam vaſtant: & prædâ multâ ditati, è Lotharingiâ diſcedunt. Sollicitatus ab Othonis hoſtibus atque etiam inductus erat Galliæ Rex Ludouicus, Caroli Simplicis filius, vt in Alſatiam copias mitteret: in eam enim transferre bellum nitebantur Lotharingus, & Antiſtes Argentoratenſis. Gallus eo prætextu vtebatur, quòd vicina regno ſuo Lotharingia eſſet vaſtata; quam reſtituere in libertatem vellet, & ab armis externis liberare: ſed parum erat regium, hoſtilia agere in imperij prouincia, non miſsis fecialibus, aut bello legitimè indicto.

Henricus in Lotharingia bellum contra fratrem renouat.

M 2 Rex

Otho I. Magnus.

Rex Otho acerrimi ingenij facilè cognoſcebat, quid fieret: ideò fraudem fraude vlciſcebatur: nam Immonem quendam, nobilem Lotharingum, & magnæ inter ſuos auctoritatis, & conſiliorum Giſelberti conſcium, ad ſuas partes adducit: is Lotharingiã turbabat: & actiones ducis quâcunq; re poterat, impediebát: neq; id tàm armis, quàm calliditate agebat & verſutiâ: is caſtella & arces, quas poterat, occupabat: & prædas hinc inde agens, ducẽ vndiq; infeſtabat. Saxones in Alſatiam profecti, Gallicum militem prædabundum coërcent: & ſuis opportunè ferunt ſuppetias.

In caſtra Lotharingi rurſus aduenerat Palatinus, datæ fidei parum memor: iamq; ambo rem factam, & victoriã in manibus ſe habere ſperabant: nam & longè potentiores erant, quã Saxones: & in caſtris regiis ꝓditores habebant: & pecuniâ Gallicâ inſtructis, non poſſe ſibi militẽ deeſſe exiſtimabant. Briſacũ imminens Rheno oppidum, vetus Romanorũ limes, & propugnaculũ, tum Palatini erat, naturâ & arte munitũ: id Saxones ſummis opibus obſident, & cum hoſte ſæpius velitãtur. Erant in caſtris Saxonicis antiſtites perfidi Moguntinus & Argentoratenſis. Viſi erant iam regi conciliati: ſed vt laborare noſtros viderunt, & hoſtiũ copias longe ſuperiores: ſuam maliciã non celant amplius: nam & commeatu & impedimentis plurimis relictis, noctu cum multis optimatibus profugiunt. Duces, qui regi fidi erant, ſatis mirari nõ poterant, antiſtitum ſcelus & amentiam; & inter alios comitis Eberſtenij leuitatem, qui ſe illorum furori ſocium præbuerat.

Briſacum obſeſſum.

Igitur regem hortantur, vt exercitum reducat: quia & hoſtium numerus magnis copiis auctus ſit: & ex profugorum facto, animos multorum inclinatos eſſe appareat, & noua mala inter tam dubiæ fidei homines pertimeſcenda. Rex illis omnibus animo magno contradicit, ſe videlicet ipſum nõ iugulaturum ſpem ſuam, quam hactenus in Deo omnipotente poſuerit; nec ex manibus aut oculis dimiſſurum hoſtes, antequam imperij maieſtatem ſibi cœlitus commiſſam, vindicarit: aliter ſi viſum Deo ſit, ſe vitam cum laude poſiturum propter patriam.

Othonis animoſitas.

In tantis anguſtiis rege conſtituto, quidam è tribunis eius, honeſto loco natus, & honeſtum ordinem in exercitu ducens, eum appellat, vt ſibi annuos Laureshemij monaſterij prouentus traderet: ex animi inductione & fiduciâ poſtulans, quaſi nõ eſſet repulſę locus tali tempore. Rex hominis auari libidine nimiũ, quãtum offenſus, acerbè reſpondet, nõ pro tempore, ſed pro ſuâ virtute: Abire ipſi licere ad cæteros transfugas; ſe nullo diſcrimine commiſſurum, vt fana ſpoliet, & bona Deo ipſi tradita & dicata,

poſſeſſoribus eripiat. Tribunus iratum regem metuens, culpam ſtatim deprecatur. Cui rex: Explorabo hodiè, inquit, qualis ſis, vbi ad hoſtem peruentū fuerit: & ex factis tuis iudicabo, num te pœnituerit impiæ cupiditatis; & num veniâ an ſupplicio dignus fueris: cui cum reſponderet, ſe ad eius latus proximè, ſi res ferat, caſurum: res omiſsâ iracundiâ, talem ſe probare animū dicebat. Otho I. Magnus.

Transfugæ Metim ſe receperant: ſocioſq; coniurationis ex pacto ibi expectabant: ſed ſpe inani pro ſuo facinore fruſtrabantur. Lotharingus enim & Palatinus, quãuis inſtructi de integro erãt: tamen ad regem propiùs adire, & de oppido armis depellere non ſunt auſi; ſed Rheno transmiſſo prædas agebant ex imperij vrbibus. Quod vt rex animaduertit: fratres Francorū duces, quorum ſupra mentio facta, mittit, qui eos inſequantur, & ab iniuriâ prohibeant. Incidunt fortè in hoſtes prædâ onuſtos & diſperſos; qui nihil metuebant ab rege, quem iam propter transfugas & deſertores putabãt fugã daturum, & ſponte ſoluturū obſidionē. Franci occaſione oblatâ auidè vtuntur: & ſigno dato, grauem pugnam ineunt: ipſi pro libertate, Lotharingi pro prædâ retinēdâ dimicabant. In pugnâ iſtâ tumultuariâ Palatinus occiditur: Lotharingus ſcaphâ conſcenſâ, cum ea multitudine fugientiū grauaretur, ſubmergitur in Rheno: cuius cadauer, vt olim Maxentij, qui in Tiberi periit, inuentum non eſt: ex amborū exercitu pauci euadunt; ſuperſtitibus vel captis, vel in flumē actis. Auditâ ducum clade Briſacenſes ſe dedunt. Rex Lotharingiam ſui iuris facit, nemine reſiſtente, niſi Adalhero antiſtite Metenſe: qui tamē terrore & metu arma depoſuit, cùm ſolus non poſſet prouinciã defendere. Antiſtes Moguntinus captus, Fuldam in Haſsiã, vt alij, Hamburgū in Saxoniã, relegatur: Rudhardus Argentoratenſis, Corbëiam. Henricus frater regis hinc inde vagus, & ſpe deſtitutus, Kefermundã intrare volens; â ſorore ſua excluditur cum expoſtulatione, quòd & ſe marito viduaſſet, & nunc patris iram in ſe deriuare deſtinaret: vtrunque eſſe facinus vix expiabile. Coniuratorum clades.

Rex magnanimus, qui non poterat induci iniuria, aut moueri ſcelere, vt fratrē odiſſet: ſupplici in Lotharingiâ certa dat caſtella habitanda: ſed pro perpetuâ impietate & contumaciâ iterum tumultuanti, ſubſtituitur OTHO, Richuini filius: cui tutela etiam Henrici & Giſelberti committitur: Gerberga vidua, quam non verè Engebergam aliqui ſcriptores Gallici nominant, ſoror regis, Ludouico regi Gallorum deſpondetur.

Poſt ſedatos hos tumultus eodem anno, vt Gemblacenſis ſcribit, Magdeburgum nuper inſtauratum à Slauis vaſtabatur: quod Magdeburgum à Sclauis vaſtatum.

 inſtau-

Otho I. Magnus. inſtaurans, in vrbem præclaram Otho erigebat. Slaui ad libertatẽ pœnè cuncti aſpirabant, primùm aperti, iniuriis laceſſentes finitimos, atq; imperio ſubiectos: tum inſidiis Geroni marchioni, qui illis præfectus erat, ſtruentes interitum. GERO ab homine fido, *Facinus Geronis Marchionis.* de ſuo periculo clam factus certior, opportunitate prouiſâ, Slauos potentes triginta, qui rerum nouarum erant auctores, inuitatos, poſt conuiuium gladio tollit.

Obetritæ eodem tempore Saxonũ præſidium, quod duci Hugoni traditum erat, deleuerũt, quibus Gero multas viciſsim calamitates intulit: ſed & ipſe non minores à populo feroce & crudeli accepit. *Aſtus Geronis in opprimendis Slauis.* Init igitur conſiliũ, quò populum Saxonicum liberaret metu ac periculo; & Slauos dicto audiẽtes faceret, domitoſq; ſubiugaret. Henricus imperator Tugumiro, Hauellorũ Principi, ditionem paternam reliquerat: is videbatur propter acceptũ beneficiũ, & propter ſenectutem otij amantẽ adduci poſſe, vt rebelles imperio ſubiiceret. Admonitus meriti antiqui, & pollicitationibus amplis adductus, vt eſt omnis barbarorũ natio inconſtans & auara, ſtudium & operam ſuam Geroni pollicetur. Non ignorabat hic leuitatẽ gentis ſuæ, & potentiam Saxonicam magis, quàm alij, habebat perſpectam: quamobrem nec ſuis multum tribuebat, qui ſtatum tranquillum imprudentiâ turbarent; & ditioni proprię metuebat, ne eam cæteris adiunctus factioſis, planè amitteret. Itaq; ſimulatâ iniuriâ, quaſi pulſus ab Imperatoris præfecto eſſet, Brandeburgum veniens in Saxones invehitur; & de tyrannide ipſorum queſtus, ſe ſocium eis & ducem offert, qui libertatẽ quærerent. Erat auctoritatis præcipuæ, & gratiâ atq; fauore populi defendebatur: paulò cordatioribus erat ſuſpectus, totâ enim vitâ nihil contra Saxones egerat, quod pro ſuâ gente faceret. Eius vrbis dominum, nepotem ſuum, qui è principibus Slauicis ſolus ſupererat, ad ſe inuitat, & accipit more gentis abundè atq; ampliter: ſed cum vino depoſitum animaduerteret, curat furtim interficiendum; idq; à cœnâ, quò minùs ipſe auctor cædis putaretur, cum inter ebrios interiiſſet. Redactâ in poteſtatem ſuam eâ ciuitate primariâ, imperatoris præfectum de cæde nepotis per nuncios certiorem facit, & ei ciuitatem aduenienti ſe traditurũ confirmat. Id cùm fieret; cum iis ciuibus, qui non idem cum ipſo ſentirent, & Imperatori, ſe hoſtes ipſius loco hoſtium habituros, iurarent, actũ crudeliter eſt. Hoc Geronis aſtu, & deliri ſenis demẽtiâ gentes Slauicæ reprimuntur, & ad Oderã vſq; fiunt tributarię. *Slauicæ gentes fiunt tributariæ.*

Henricus contra fratrem Othonem nouas turbas excitat. Henricus frater Imperatoris, & in Lotharingiâ, & in Galliâ apud ſororem & affinem hoſpitium quærit; ſed propter mores turbu-

 Otho I. Magnus.
turbulentos vbique reiicitur. A ſuis expulſus, & quietis impatiens, Slauis ſe inſinuat, & cum Saxonibus quibuſdam contrahit tacitè amicitiam, quibus de ſuâ miſeriâ & ſolitudine miſerè conqueritur: & vt minimè ſtupidi aut improuidi ingenij erat, multos oratione mouet, vt ſimili furore corriperentur. Nouum igitur tumultum contra regem ſuſcitat prætextu eiuſmodi. Saxones, qui Geroni comiti militabant, aſsiduis barbarorum incurſionibus, tàm viribus quàm facultatibus exhauriebantur: ex hoſte enim bellicoſo difficile erat prædam capere; nec è pecuniâ tributariâ, quam Slaui dare ſæpius renitebãtur, Gero poterat iuſta ſtipẽdia ſoluere, multo minus liberalitate animos retineri. Quamobrem exacerbatus in Geronem miles, accuſabat ipſius auariciam; ſed quia virum præſtanti virtute, ac benè de imperio meritum rex tuebatur; odium in ipſum transfertur vniuerſæ multitudinis. Vulgus enim impetus ſuos ſequitur abſque conſideratione rerum futurarum. Hac diſſenſione potuit nihil gratius aut optatius Henrico contingere: qui milites alios muneribus ſibi adiungebat, alios lactabat pollicitationibus: fratrem accuſationibus in maius odium adducebat; calumniis Geronem onerabat; tanto quidem ſucceſſu, vt ſeditionis incendium omnem orientalem corriperet Saxoniam. Nec in paruam ſpem imperij occupandi, Henricus iam rurſus erigebatur. Sæpius expertus erat Regem armis inuincibilem: ideoq; quod vi non proceſſerat, nouo inſidiarum genere aggreditur, vt eum de vitâ clanculum tollat, cum amicis & familiaribus.

Aderat id tempus, quo Ieſu Chriſti noſtri redemptoris reditus in vitam celebratur: eum diem, quo nobis aditus ad vitã æternam quaſi ſponſio facta eſt, homines perditiſsimi ad necem regis eligunt: ſed qui defenſor ſui ordinis eſt Deus, quique ſolus & dat regna & adimit, optimũ regem ſeruauit. Ei enim tacitis delationibus negotium patefactum, paucis diebus ante celebritatem ſolennem, quæ facinori inaudito erat deſtinata. Itaq; cum corporis cuſtodes haberet fidos & multos; cumque amicis & aulicis ſpectatis rem aperuiſſet: indicto omnibus ſilentio, nihil de publicâ magnificẽtia minuit, populoq; omni nullâ timoris ſignificatione ſe oſtendit, templis ſacriſq; de more frequentandis. Hæc fiducia ingentem coniuratis metum ac terrorem inferebat; nec peſsima ipſorum conſilia exitum ipſis opinatum conſequebantur.

Cum ſacra eſſent illorum dierum peracta: de puniendis parricidis cum Hermano Sueuo & fratribus eius colloquitur: qui iniectis in coniuratos manibus, aliquot eorũ comprehendunt: alij *Supplicium de coniuratis ſumitur.*

 ſibi

Otho I. Magnus. ſibi conſcij, & metu perterriti, ſalutē fuga quæſierunt: inter quos extitit Ericus, Hillibardi poſtea præſulis Halberſtadij pater, vir fortiſsimus, qui hoc facinore excepto, omnium iudicijs probatus ſemper fuerat: ſed in fugâ deprehenſus, pugnando tamdiu reſiſtit, donec lanceâ de equo deiiceretur. Capitalem pœnam ſubierunt Hermanus, Reinuardus, Quirinus, Paccius, Iſtrichus, cum quibusdam loci obſcurioris clientibus. Lutherus Ditmari, poſtea præſulis Merſburgici proauus, Bertholdo duci Bauarorū aſſeruādus datur: bona eius publicantur omnia. Henricus frater regis Ingelhemianæ mancipatur cuſtodiæ: quanquam non ignorem Vuitechindū ſcribere, quod fugiens regno ceſſerit. Antiſtes Moguntinus, de cuius perfidiâ antea diximus, ſuſpicione ſe liberat, ſumpto publicè ſacramento. Tali ſeueritate vſus rex ad exemplū eſt: ſed ad ſolitam rediens clementiam; fratri ignoſcit: Lotharium è vinculis dimittit, & bona ei reſtituit, & præter ea Sunderslebiam & Vuodenregam addit. Commiſſum hoc facinus eſt, &
942. extincta coniuratio, anno ſupra noningenteſimum ſecundo & quadrageſimo.

Henricus ſupplex Othoni, iterum recipitur in gratiam.

Henricus princeps factionis ſceleratæ, è cuſtodiâ Ingelhemianâ elapſus, fiducia pietatis & clementiæ fraternæ pergit Francofurtum; cum ibi natalem Chriſti diem feſtum rex ageret. Manè fratri templum adeunti inermis & atratus occurrit: ſeſeque ad pedes eius proſternit ſupplicem; Dei fratrisque gratiam & fidem humilis implorat: & à fratre nullius iniuriæ irato vindice, veniam impetrat admiratione omnium. Admonetur officij debiti Deo & fratri, patriæ item & imperio, quod toties neglexerit: ne interitu olim horrendo pœnas Deo hominibusque pendere cogeretur. Imperator maiore lætitia eos dies tranſigit; & quòd diſcrimen capitis Deo propicio effugiſſet, & quod fratrem ex animo pœnituiſſet. Hâc repreſſâ coniuratione ſpes aliqua tranquillitatis effulſit.

Conradus Dux Lotharingiæ creatur.

Res Lotharingicæ adhuc turbulentiores erant. nam obierat præfectus Imperatoris Otho, tutor regiorum liberorum, & alter quoque è pupillis, Henricus. Rex virum bello paceque cognitum, & apud milites gratioſum, & ætate florentem CONRADVM Francum, Vuerneri filium, Hermani & Vdonis (quorum iam ſæpius facta mentio eſt) fratrem, creat ducem Lotharingiæ: eique filiam deſpondet LVDGARDIM. Hunc Conradum cognominatum Rufum, ait Vuitechindus: dictum Sapientem Vrsbergius. Fecit eundem, non longè pòſt Burggrauium Vuormaciæ. Fratres ipſius, Hermanus & Vdo, Franciæ comites

appella-

Otho I. Magnus.

appellabantur: Nam ditionis ipſorum bona pars præſuli Vurciburgio ceſſerat, donatione gentilium ipſorum Meingothi & Cuniberti, aſſentiente ipſis Imperatore, cuius agnati fuerunt Poppo I. & Poppo II. Vurciburgij præſules: quorum pater eiusdem vrbis Burggrauius, Othonis regis ſororem habuiſſe coniugem memoratur in Annalibus Francicis: ſed nec vxoris nec ipſius nomen exprimitur.

Moguntinus conatur cœnobijs leges præſcribere.

Circa hæc tempora Moguntinus, qui Rempubl. turbauerat fraude & inſaniâ, etiam leges cœnobiis præſcribere, & ad numerum pauciorem ea redigere voluit: prætextu quidem, vt diſciplinam collapſam inſtauraret: ſed reuerâ, vt ipſorum poſſeſſiones inuaderet: Nam multam pecuniam, dum regi rebellat, & Giſelbertum Lotharingum iuuat, in ſumptus bellicos profuderat: præterea, vt ſe de Hadamaro abbate Fuldano vindicaret, in cuius cuſtodiâ detentus fuerat iuſſu regio. Plurima iam cœnobia, præſertim ditionis ſuę vaſtauerat, & ſpoliârat: ſed causâ ad regem à Fuldano delatâ, propoſitum auarum & iniuſtum non poteſt exequi.

Henricus Othonis fratris beneficio Bauariam obtinet.

Anno ſupra noningenteſimum quinto & quadrageſimo, 945.
Bertholdo duce Bauariæ ſine hærede defuncto, rex Mathildis matris precibus, Henricum fratrem reconciliatum ſibi, ducatu Bauariæ inaugurat: qui poſt illam beneuolentiam vſque ad extremum vitæ diem in officio, quod antea perpetuo neglexerat, permanſit.

Gallorum perfidia in Regem Ludouicum.

Ludouicum Galliæ regem, imperatoris affinem, duces quidam ipſius oderant, Hajaroldus Bajocenſis, & Hugo Pariſienſis; qui excitato tumultu, & ſumptis armis eum impugnabant. Ad Rotomagenſes rex confugit, & in eorum ſe tutelam tradidit: ſed ab ipſis ſceleratè captus, & ad Bajocenſem ſub cuſtodiâ miſſus eſt: dato tamen obſide Carolo, & acceptis conditionibus iubetur eſſe liber. Cum alterius hoſtis manus vix euaſiſſet, in alterius incidit: nam ab Hugone circumuentus, traditur Lugdunenſibus aſſeruandus. Tot tantisque iniuriis ſuorum affectus, & regiâ poteſtate quodammodò exutus; ad Othonem ſcribit de ſuorum perfidiâ: alienatos à ſe Comites illos potentes, & animos populi leues & incertos: orat vt à ſe, & à ſorore ſuâ, cuius causâ iniquiores ipſi ſint, vim depellat & arceat: & vt vlciſcatur ſubditorum ſuperbiam, nomini Francico magnum dedecus afferentem, hortatur. Motus literis & querelis, Saxones, Francos, Sueuos ſibi præſtò eſſe rex mandat in Burgundiâ Cameraci: inde profecturus in Galliam: pileos autem

Expeditio Othonis in Galliam.

ſtra-

Otho I. Magnus. ſtramineos ferre omnes iuſsit, nam Pariſienſis per inſolentiam dixerat, ſibi tantam eſſe armatorum copiam, qualem Saxo nunquam vidiſſet: ſeque vno hauſtu vini, ſeptem tela Saxonica deglutire poſſe. Stramine igitur inſignitum exercitum in contemptum Pariſienſis ducit: nam ſignificarat ei, ſe tot habere pileorum ſtramineorum, quot neque pater eius vidiſſet, neque ipſe pòſt viſurus eſſet. Iungunt cum externo ſuum militem Burgundus, & rex Ludouicus. Lugdunum cum capere non poſſent, Rhemos expugnant: Hugonis nepotem, pſeudoepiſcopum exturbant, & ſenem reſtituunt legitimum: ademptas quoque vrbes rex Ludouicus recuperat. Rex Otho cum Pariſios adiret; Hugo territus eius potentiâ, conditiones quærit & accipit, & à rege veniã impetrat. Tribus menſibus, in Galliâ conſumptis, & pacatis rege & eius aduerſariis, Imperator redit in Saxoniam. Carolum obſidem in Rotomagenſi cuſtodiâ mortuum eſſe, ſcribit Vuitechindus conſenuiſſe priuatum & obſcurum, Annonius.

Mors Imperatricis. Reuerſo è Galliâ rege Othone, vxor eius è morbo, vitã claudit
946. VII. Cal Febr. anno ſupra noningenteſimũ ſexto quadrageſimo; ſummo relicto deſiderio, & virtutum clariſsimarum præclarâ memoriâ. Sepelitur honorificè Magdeburgi in baſilicâ, quã ipſius hortatu extruxerat, atque locupletârat.

Matrimonia filiarum Othonis. Eodem anno Ludgardis filia regis, duci Lotharingiæ Conrado deducitur. Ida Hermani Sueuiæ ducis filia, duci Lodolpho Imperatoris filio deſpondetur: quam affinitatem Hermanus expetiuerat, & vltrò obtulerat regi conditionem, & amore vnicæ filiæ, & regis ipſius, quem perpetuò dilexerat, obſeruantia.

Eodem anno cùm rex animi gratiâ feras ſectaretur, lapſu lethale vulnus accipit, vt Ditmarus ſcribit: propter quod ingenti mærore afficitur, & quia propemodum de vita deſperaret, communi ſuorum omnium conſenſu, honoris atq; laboris conſortẽ eligit filium Ludolphum, eumq; ſibi ſucceſſorem deſignat: quod cum poſtea mutaret, magna in imperio bella ſuſcitata ſunt. *Otho Ludolphum filium ſucceſſorem deſignat.*

948. Anno ſupra noningenteſimum octauo & quadrageſimo dux Sueuiæ ætate confectus obit IIII. Idus Decemb. cuius ditionẽ gener eius anno altero accipit: quo eidem filia Mathildis naſcitur. *Ducis Sueuiæ mors.*

949. Sequente anno bellum renouatur Boëmicum. Boliſlaus enim Drahomiræ matris maleficæ inſtinctu, fratrẽ ſua manu interfecerat orantem in templo, quẽ inter vina inebriatum opprimere nõ potuerat: præterea mater furore inſaniens ſæuiebat in pios ciues & Sacerdotes. Propagabat tum doctrinam de ſalute animorũ & vita æterna, Volfgangus Ratisbonenſis Epiſcopus, in diuorum nume- *Bellum Bohemicum recrudeſcit.*

numerum poſtea relatus: qui facinora talia ſeuerè vindicanda regi ſuadebat: ne Eccleſiæ Boëmicæ, quaſi in cunis extinguerẽtur abamẽte regina & crudeli filio. Regem in ſe arma parare, Boëmũ non latuit; qui partem Pragæ, quam nouã vrbem nunc appellãt, foſsis, vallo, mœnibus, ſepſit; & ad tolerandam obſidionẽ armis, telis, pecore, frumento, inſtruxit. Aduentu Germanorũ nunciato ipſe & filius murorũ præſidio ſeſe includunt. Cum penuriâ foris vrgeretur exercitus: (Hoſtis enim cauerat, ne cõmeatum inueniret) Rex fortiter audendũ ratus, caſtellum oppugnare contendit: ſuorũ autem periculũ veritus, quid agendũ ſit, prius deliberat: Sed milites vno animo omnes ſe paratos aiunt: nam vna expugnatiõe poſſe bellum finiri; & Deum, iratũ hoſti ſanguinario, ſine dubio vires & victoriam ipſis daturum. Alacritate Saxonum, qui oppugnationem tentabant, quod futurum Boëmus non crediderat, & metu conſcientiæ territus, de deditione verba facit; & in caſtra ſe venturũ promittit: cui rex ſupplici, more ſuo, ignoſcit, his conditionibus: primùm vt fidem Chriſtianã ipſe amplectatur & colat: *Conditiones pacis Boëmo datæ.* tunc vt cõmiſsi fratricidij pœnitentiam legibus Eccleſiaſticis prę-ſcriptã agat: deinde vt exules Chriſtianos omnes reuocet, & erepta ſacra fortunasq; reſtituat: poſtea vt tributum aliquot annorũ vi retentum, imperio ſtatim ſoluat: ad extremum, vt in nomen Cæſaris, more aliorum Germaniæ principum iuret. Harum conditionũ cum omninò nullum recuſaret, quamuis obſtante Drahomirâ, ditionẽ omnem retinet. Huic bello finis impoſitus VIII. Cal. Octob. quod iam ad annum vſq; decimum quartũ durauerat; cùm dux & ſuos premeret tyrannide, & perſecutione deleret Eccleſiã, & vicinis ſępè moleſtus eſſet incurſionibus. Poſt id tempus parere Henrico, fratri regis iuſſus eſt, vt è Ditmaro appâret: & cùm regi ipſi tùm duci quoq; fidus manſit, vt è Sigeberto.

Otho I. Magnus.

Tumultu vicino abſq; clade magnâ, & cum ſummâ defenſæ 950.
religionis gloriâ cõpoſito; altero pòſt anno belli cauſa iuſtiſsimà regi naſcitur in Italiâ; in quâ Berengarius regiâ auctoritate dominabatur: vir cupidus, auarus, & inſolẽs. Is Alheidim Lotharij regis Longobardorum vxorẽ, Rodolphi regis Burgundiæ filiam, captã cuſtodiæ mandat; ne ſi cui nupſiſſet alteri, is dotis nomine regnũ ſibi vẽdicaret, & bellũ Italis inferendi, cauſam nanciſceretur. Imperator & populi oppreſsi, & fœminæ nobiliſsimæ vicẽ dolens; Berengario bellũ denunciat: & filiũ Ludolphũ, vt virtutis eius experimẽta caperet, in Italiã mittit; qui eam expeditionẽ non inuitus, cum milite Sueuico ſuſcipit: quem exercere in armis, vt patri gratũ faceret, exoptabat. Verùm cum eius optatis fortuna non reſpõderet: pater offenditur: cùm putaret, filij ignauiâ & imperitiâ fieri,

Bellum Italicum contra Berengarium.

Otho I. Magnus.

fieri, vt res minùs proſperè euenirent: ſed id Henrici fratris regis, quem ducem Bauariæ fecerat, aſtu & obtrectatione accidit, qui patruâ ſæuiciâ Ludolphū in inuidiam apud Italos, criminibus clandeſtinis adducebat. Nam cum ſplendorem atque incrementum laudis eius ferre non poſſet: partim per legatos, partim per literas ad Italiæ primates miſſas, eum accuſat: idq; cùm continuis tribus annis fieret, neque id fieri Ludolphus ſciret: ita ab eo animi omnium abalienati ſunt; vt oppidani & milites ad eius aduentum vrbes & caſtella cum contemptu clauderent: neq; vllum honorem ei deferrent, qui ante id tempus ne cocis quidem & pincernis regiis negabatur.

Ludolphus in Italorum contemptum adducitur.

Othonis in Italiam expeditio.

Rex ignarus facti, cœpit odiſſe filium, tanquam ſocordem & imperio ineptum: eâque de causâ ne exercitus languidi aut alieni fierent, ipſe in Italiam iter ſuſcipit: Foroiulio & Inſubriâ ſine impedimento potitur, locis etiam aliis victor: Berengario nomen Auguſti, quod ſibi vſurpauerat; Ludolpho filio, Regis adimit: ADELHEIDIM à præſule Papienſe Adelhardo liberatam, (vt tradit Roſuita) in matrimonium ducit: quæ illi vrbem regiam Papiam (Ticinum antiqui nominant) dotem attulit, & ipſi regnum Italiæ confirmauit. Eiecto ex Inſubribus Berengario, nuptias rex celebrat, & in Italiâ hibernat; compoſitisque ibidem rebus vere ineunte in Germaniam, cum gratulationibus & plauſu redit: ne quid autem detrimenti acciperet Reſpublica, CONRADVM Lotharingiæ ducem Papienſibus dat præfectū; & vrbibus reliquis imponit præſidia: nam factio Beringarij erat timenda: vt inquieta ſolent eſſe Italorum ingenia.

Nuptiæ Othonis.

Ludolphi conſpiratio in patrem.

LVDOLPHVS â patre & propter ſuſpicionem, de quâ diximus, & propter nouas nuptias abalienatus, non ſalutato ipſo, relinquit Italiam; & ad ſuos maturè ſe recipit: Salueldiæ in Turingia, diem Chriſti natalem magnis apparatibus agit: antiſtites Moguntinum & Argentinenſem, & alios quosdam hoſtes patris antiquos, inuitat: dolorem ſuum exponit: & eorum voluntates ac ſtudia explorat: & omnia ad tumultum ſpectantia molitur.

Berengarij in Germaniam profectio.

Interea BERENGARIVS cum vxore & filio regem in Germaniam proſequitur, ad gratiam eius impetrandam: qui cùm ad quintum à Mersburgo lapidem eſſet: à principibus omnibus, qui tum in aulâ regiâ erant, ſplendidiſsimè exceptus, in vrbem introducitur: manere in hoſpitio iuſſus, ad conſpectum regis triduo non admittitur. Lotharingus, qui auctor Berengario profectionis fuerat, grauiſsimè id tulit: veneruntque in eam ſuſpicionem

ambo,

ambo, Conradus ac Ludolphus; ducem Bauariæ Henricum eius contumeliæ fuiſſe cauſam: qui Ludolphum nouercæ inuiſum, & patri ſuſpectum, pro ſuâ inſolentiâ contemnebat. Berengarius ſuppliciter ſalutato rege & eius vxore; ad comitia Auguſtana menſe Auguſto ſe venturum pollicetur, idq; præſtat; & cum Alberto filio ſe fore in poteſtate regis iurat: & regni Italici ab eo accipit inſignia, eâ cōditione, vt annuatim pendat pondo auri centum & triginta. Adimuntur ei Veronenſis & Aquileienſis marchionatus, quos Henrico fratri ſuo rex aſsignat. *Otho I. Magnus.*

Berengarius reuerſus in Italiam, cum præſules quoſdam & principes in culpâ eſſe cognoſceret, per quos regni & dignitatis ſuæ eſſet facta diminutio, nec parum de gloriâ & auctoritate deceſsiſſet ſuâ; adeo ſe grauem illis præbuit: vt ex hoſtibus acerrimis pœnè furioſos redderet: ita vt nullo modo eſſet ſperanda tranquillitas, niſi parte alterutrâ omninò deletâ. *Berengarij in proceres aſperitas.*

Anno ſupra noningenteſimum tertio & quinquageſimo diſſimulatum Ludolphi contra patrem, & Conradi aduerſus ſocerum odium, quaſi flamma quædam erupit violenter in hoſtilem inimicitiam. Redeunte enim rege ex Alſatiâ, vt Ingelheimi ſolennia Paſchatis de more celebraret; rati ſe occaſionem eius opprimendi nactos, ad facinus cum manu coniuratorum ſe accingunt. Arces & caſtella opportuna anteà munierant; multoſque è Francis, Turingis, Saxonibus, Bauaris, ad communionem ſceleris allexerant artibus & promiſsionibus. Rex qui non facilè ſuſpitiones admittebat, & multa audiebat à familiaribus, cum eo tempore imparatus à defenſoribus eſſet; & Ingelhemij ſe non tutum fore proſpiceret; Moguntiam adiit: ſed ſubitò intromiſſus non eſt, nam antiſtes vnus è coniuratis erat, cui Rex etiam antea ignouerat. Igitur cum antiſtitem vocari iuberet; inſciente ſe id factum aiebat, quòd admiſſus ſtatim non ſit: itaque regem excipit, & officia ei hoſpitalia exhibet. Eodem acceſſerunt Ludolphus & Conradus: qui nihil hoſtile præ ſe ferentes, & excuſantes calumniam, ſe in poteſtate regiâ fore dicebant; & quantum poterant, vultu beneuolentiam ſimulabant: quò autem minus eſſent ſuſpecti, aliud facinus profitebantur, nempe ſe Henrici Bauari capiendi causâ, ſi Ingelhemium veniſſet, conſilium iniiſſe: eius multiplicem & in Regem & in agnatos malitiam & improbitatem perſenſiſſent. Rex ſuorum ſemper amantiſsimus, noluit eos præhendere, cum non ignarus eſſet coniurationis; eius tamen ne inſciens videretur, frequenti mutatione loci id ſignificat, quæ illi vſitata non erat, præſertim in otio. Moguntiæ etiam non diu *953. Coniuratio Ludolphi contra patrem erumpit.*

Otho I. Magnus.

hærens; inde Coloniam nauigat, acceſſurus Aquisgranum: ſed cum illic parati nihil eſſe certior fieret: Tremonam ad Paſchalia celebranda diuertit. Sacris ritu vſitato peractis, ad filium & generum ablegat homines fidos, qui indicarent, ad ſe delatum eſſe de clandeſtinis inſidiis, quarum ipſi non eſſent ignari: mandat ambobus, vt aut tanti facinoris auctores aperiant, & ad ſe mittant; aut ſe perduelles iudicatum iri ſciant. Intereà ipſe cum ſatis inſtructo milite Coloniam reuertit: in quâ vrbe ei occurrit Metenſis præſul, quem Ludolphus & Conradus maximi faciebant: item optimates Lotharingici, exceptis paucis, qui de latrociniis ſuſpecti, & Conrado rebelles erant, quod eius dominatum non æquis ferrent animis. Componit autem ibi atq; tranſigit, quæ viſa ſunt; & in Saxoniam rurſus iter inſtituit, vt & illic Rempublicam confirmaret. Non poterat cælari amplius audacia: nam coniurati nec apertè regi reſpondebant, & in clientes & ſubditos eius hoſtilia perpetrabant, & iam arma ſumebant minimè occultè. Rex eorum aliquot in Turingis & Francis præſidia occupat: & ad filij generique inſaniam reprimendam, infeſto contra ipſos tendit exercitu: ciuitates alias vi, alias deditione capit. Arx belli lecta à coniuratis erat Moguntia, quam Ludolphus tenebat: nam antiſtes Briſacum fugerat: veritus, ſi iterum in manus regis irati incidiſſet, ne de dignitate aut vitâ periclitaretur. Quamobrem bellum ſpectare, quàm expectare maluit: ſociis autem perſuaſit, ſe illis abſentem magis profuturum: ſed nulli ipſe factioni aut fidus, aut commodus vnquam fuit. Rex in tali tumultu nihil moratus, cum ſuo exercitu, è Saxonibus, Francis, Lotharingis conſcripto, Moguntiam aduentans; vrbem obſidet, mœnibusq; machinas admouet, nec paucos ſuorum pugnando amittit: quare factum eſt, vt militi præmia direptæ vrbis, ſi eam caperet, polliceretur. Cotidiè fiebant prælia, ſed capi vrbs non potuit. Intereà frater regis Henricus cum milite Bauaro in caſtra aduênit; ſed maiore Reipublicæ diſpendio, quàm emolumento: quia importunus erat, & iſtius diſcordiæ auctor certiſsimus. Itaq; ab omnibus putabatur ideò acceſſiſſe, ne gratiam delictorũ rex hoſtibus faceret. Durante vſq; ad diem ſexageſimũ obſidione, agi dê pace intra mœnia cœptum eſt: miſſoque obſide Ecberto, ſororis Regis filio, iis, qui in vrbe erant, libera poteſtas facta eſt agendi de conciliatione, cum quibus vellent. Regis quoq; filius & gener ad facienda imperata, ſupplices in caſtra acceſſerant: qui eam ſimul addiderunt conditionem, vt militi quoq; & ſociis ignoſceretur; ne quid eis culpa commiſſa incommodi aut infamiæ afferret.

Rex

Rex inſigni prouocatus iniuriâ, ne ipſius clementia corrumperet beneficij immemorem, & iudicare neſcientem multitudinem; principibus quidem veniam obtulit, ſed multitudini parcere recuſauit: quæ niſi iuuaret ſeditioſos principes, multò pauciores fieri tumultus dicebat. Verùm cum illi ambo ſociis ita ſe obligaſſent, vt ſaluo honore & famâ, ſeiungere ab ipſis ſe in conciliatione ſui commodi causâ non poſſent: compoſitio impedita eſt. *Otho I. Magnus.*

In ipsâ quoq; negotij tractatione Bauarus cum filio regis nimis proterue & duriter expoſtulat. Cum exercitui (inquit) notũ vniuerſo ſit, te ambitione perditum aſpiraſſe ad regnum: quo ore gloriando te iactas, læſæ maieſtatis reum non eſſe? Tu diuini humanique iuris oblitus; regi, patri, domino tuo aduerſatus es? tu hanc multitudinem partim miſeram, partim inſanam, famâ, fortunis, vitâ ſpolias? Si ſuſpectus ego tibi ſum, aut ſi quid in meis conſilijs factiſque deſideras, regem omitte; & patri parce: in me transfer arma tua, qui ea non magis extimeſco, quàm hunc puluiſculum. de terra autem ſublatum, cum contemptu proiiciebat. *Expoſtulatio Henrici cum Ludolpho.*

His linguæ patruæ verberibus iuuenis ictus, valdè percellitur. Animi audientium territi ſunt, & à cogitatione atque ſpe pacis, quam in manibus habere videbantur, auerſi omnes, non ſine ingenti dolore. Admiratio ſumma fuit regem ad hæc nihil reſpondere aut dicere, ſed vultu eodem aſtare & auſcultare. Ludolphus vel reuerentiâ patris, vel iracundiâ occupatus, ad iſta conuicia ne verbum quidem reddit aut regerit. Auditâ autem regis ſententiâ triſti, in vrbẽ indignans reuertitur: Ecbertũ obſidem, per amicos ad ſuas partes adiungit: nam infeſtior erat regi adoleſcẽs, quia temeritatis accuſatus fuerat, quòd pugnando incautè oculum amiſiſſet. Mutatio inde maxima conſecuta eſt, nam proximâ nocte comites Bauarici omnes à duce Henrico deficiunt inſtinctu Arnolphi Schierenſis, cuius ſororem in matrimonio habebat, & cui paternæ poſſeſsiones erant ademptæ. Ludolphus copiarum tantarum acceſsione auctus, & plenus furoris; ditionẽ Bauari hoſtiliter aggreditur; vrbem primariam ad Danubium, Ratisbonam, (quam Auguſtam Tiberij eſſe autumant) capit, totam deinceps regionẽ in poteſtatem redigit, ſtipendia militibus ex direptis patrui theſauris numerat, vxorẽ & liberos eius in exilium fugat. Nõ putarunt tantum animi eſſe regi, cum ſigna ab eo aliquot diſceſſiſſent, & milites eius multi in oppugnatione periiſſent, & Moguntia nondũ eſſet capta: vt auderet hoſtẽ ſequi in Bauariam: ſed pro ſui animi magnitudine nullius fortunæ iniquitate fractus vnquã, animũ periculis celſiorem ſemper hoſtibus oſtendit. Itaq;

Otho I. Magnus.

Diterium ducem, & Vuigmanum comitem è Saxonia euocatos, iubet Moguntinis inſtare, & vias atque flumen intercludere: ſed Vuigmanus ſe corrũpi paſſus à Ludolpho eſt, iam alienâ pecuniâ ditato & liberali. Ditericus fidẽ ac promiſſa ſeruauit, & Vuigmanĩ Ecbertiq; conatus abſente rege impediit. Venerant quaſi facto quodã interituræ Germaniæ, in exercitũ Bauaricum Vngarorum turmæ: & quamuis Rex quaſi circumvallatus eſſet tot hoſtibus: tamen iter in Bauariã vrget, vt vno tempore cum vniuerſis confligeret. Erat illi conſuetudo, vt prementibus periculis etiam coram exercitu oraret, quod & ante nõ procul ab Andernaco & in Briſaci obſidione factum diximus: idem hoc fecit tempore tantò videlicet ardentiùs, quantò diſcrimẽ maius & propinquius erat. Rumore ſparſo regem aduẽtare ſine vllâ trepidatione, & ab ipſo iam vaſtari agrũ Bauaricũ, quia ciuitates obfirmatæ portas ei vndiq; clauderent; animi hoſtiũ non parum debilitantur: nam vix credere eius aduentũ, certè perſuadere ſibi nõ poterant, eum cum Germanis & Vngaris ſimul pugnã initurũ: ipſi quoq;, qui Vngaros accerſiuerant, cupidis & crudelibus hominibus non audebant confidere. Itaq; à ſuo ipſos exercitu honoris ſpecie amouebant: laudatisq; ipſorũ animis fortibus ad perturbanda regis conſilia, in Franciam irruptionẽ facere hortabantur: quibus Ludolphus comites viarum & ductores addebat. In eam prouinciam, iter illis monſtrantibus Germanis, quaſi tempeſtas quædã, delati; magnã incolarũ ſtragem edunt: bonis illorũ pœnè omnibus potiuntur: & nobiliſsimos in ſeruitutem abripiunt: cauere enim aut proſpicere ſibi nemo poterat, quia ſunt improuisò oppreſsi. Vngari timentes regi occurrere, quia Saxonũ vires experti erãt, cum prædâ locupletati eſſent præter opinionẽ maximâ: ad Rheni ripã deflectunt, quã etiam non ignorabant eſſe defenſoribus vacuam. Moguncia adhuc tenebant præfecti Saxonici, eam nõ aggrediuntur: ſed die, quo Chriſti regius in Ieroſolymã ingreſſus celebratur, ante Vangionis vrbis portas ſubitò apparent: vim & excidium hominibus & tectis minitantur. Ciues ope deſtituti ſupplices à rapinâ & incendio ſeſe pecuniâ redimunt, & commeatũ illis mittunt.

Vngari cum Bauaru copiis iunguntur.

Vngarorum in Franciam irruptio & rapina.

Rheno transmiſso in prouinciam Belgicam, inde Aquitanicã turbinis aut typhonis more infunduntur; ex agris & villis copioſis, & populoſis vrbibus, ex arcibus nobiliũ abundantibus, è collectis longo tempore ſacerdotũ theſauris, prædam congerunt immenſam: qbus in locis nõ iuſſa numeraretur pecunia, eos ignibus & cædibus exhauriunt, fana incendunt, omnẽ ordinem & ætatem contumeliâ afficiunt. Ludouicus Rex Galliæ, nuper reuocatus ab

Vngarorum in Belgium & Aquitaniam irruptio.

exilio,

exilio, diſſentiente ab eodem nobilitate, non audebat ſe illis dare conſpiciendũ, ſuorumq; interitum indignum vindicare. Facta ea impreſsio in Galliã violenta eſt, menſe Martio, cũ diebus ante aliquot acies ſanguineæ in aëre à ſolis ortu vſq; ad meridiem viſę eſſent. Irruentibus in Italiã, locis ſacris prophaniſq; eodem furore direptis, rex Berengarius obuiam mittit filiũ, qui nummûm argenteorum modiis decem (vt Italici tradunt ſcriptores) promiſſis, permoueret, quò ab ipſius ditione abſtinerent: inde per Venetiã & Forum iulij & prouincias finitimas redeunt domũ. Ducum Germanorũ iniqua diſſenſio, multis hoc modo nationibus cladẽ attulit. Rex interea non deſiſtit bellũ perſequi contra filium: nec reſpirandi tempus aduerſariis relinquit. Bauari qui & ab Vngaris læſi erant, & armis Saxonicis infeſtabantur, & inter ſe ipſi diſsidebant, petunt à rege inducias: quæ illis vſque ad diem XVI. Cal. Iulij conceduntur.

Otho I. Magnus.

Eorum dem in Italiam irruptio.

Otho bellum contra filium perſequitur.

Interiecto tempore conuentum Rex indicit Cinnam, diœceſis Magdeburgiæ vicum; vt eo videlicet ſe ſiſterent turbulenti principes, ſuorumq; factorum redderent publicè rationem. Antiſtes Moguntinus vafer & improbus, ſe nõ odio regis cepiſſe cum Ludolpho arma; ſed ei paruiſſe neceſsitate, neque aliâ de causâ ſuam diœceſim deſeruiſſe, quàm metu: cuius excuſationem Rex accipit eâ conditione, vt ſe in officio fore poſthac iureiurando compromittat. CONRADO duci, genero regio, ignoſcitur quidem iniuria, ſed adimitur Lotharingia: relictis tantùm prædiis, ex quibus neceſſarios vitæ ſumptus caperet. LVDOLPHO nec hi ſocij, nec alij amici perſuadere potuerunt, vt oblatas conditiones acciperet, & ſubijceret ſeſe poteſtati paternæ.

Conuentus indictus Cinnam.

Deſertus ab his, quorum vſus conſilio & operâ fuerat, eâdem nocte Ratisbonam contendit: quem pater è veſtigio ſubſequens, propè Roſetalã cum eius milite dimicat acriter, donec prælium nox dirimeret. Rex per triduum agros vaſtat, vſq; ad Danubium & portas Ratisbonæ: à qua non diſcedere ſtatuerat, donec eam expugnaret, & de filio cõtumace ſupplicium ſumeret. Ciues primùm erumpentes, admotas machinas incendunt, & aliquoties dimicant in Saxones fortiter: Henricus dux, Ludolphi patruus, pecora & iumenta, quæ inter Regonem & Danubium alebantur in inſulis abigit, & in milites ſuos diſtribuit, naues aliquot reſiſtẽtium ciuium ſubmergit, & equitatus partem cædit. Vulgus, quod ſemper inconſtãs eſt, fame preſſum, optat deditionem, aut defectionẽ minatur: ei cum eſſet repugnare difficile, fidere nõ tutum; Ludolphus & ſenatus vrbis in caſtra eunt, pacem obſecrant, ſed non impetrant: neq; vnquam duriorẽ regem amici eius ſe vidiſſe

Prælium Othonicum Ludolpho filio ad Ratisbonam.

 aiebant,

Otho I. Magnus.

aiebant, cùm eſſet aucta & incenſa plurimis & iniuſtiſsimis malefactis eius iracundia. Regreſsi in vrbem, tribunos & centuriones, & ciues fortiores hortantur, vt per portam orientalẽ eruptione factâ, ſuas vires experiantur: eam partẽ obſidebat Gero, Luſatię marchio, tot victorijs clarus, quot præliis: vt ait Vrsbergius. Dimicatũ eſt horas totas ſex, maximis animis, in quo certamine cum ſtrenuè pro tuendâ portâ conflictaret Arnolphus Schierenſis, de equo lapſus, lancea perfoditur, & in vrbem tacitè tranſportatur. Eius mors poſt biduum in caſtra Saxonica nunciatur à muliere, quæ inediâ transfugerat. Orta ingens lætitia, quòd is ſublatus eſſet, qui auctor diſſenſionis grauiſsimæ fuerat. Conſultatũ denuo à ciuibus eſt de pace, Arnolpho præſertim interfecto; cui ideò fauerant, quia à ſuorum principum ſanguine originẽ trahebat. Ludolphus & neceſsitate extremâ compulſus, in patris caſtra tertiũ venit, ſeſeq; humilis proſternit; accepturus leges, quas pater præſcriberet. Cui ſpes ignoſcentiæ fit, ſi Fritislariæ ſe ſiſtat, & accuſationes & mandata regis audiat, eiſq; obſequatur. Henricus Bauarus vrbe Neuburgo receptâ, vxorem, quæ eiecta fuerat cum liberis, reuocat. Ratisbona alterâ nocte poſt ſolutam obſidionem incerto incendij auctore cõflagrat: Triſtis admodum vrbis magnificæ aſpectus: cuius ciues ferro extincti erant & fame, ager direptus ab hoſtibus, ædificia deniq; ſubſediſſent flammis.

Ratisbonæ conflagratio.

Moritur ſupra noningenteſimum quarto & quinquageſimo animi, vt putatur, dolore Moguntinus; poſtquam ſederat annos octodecim: vir ſatis laudabilis, ſed ſemper inſtabilis: nam nullus inimicus regis fuit, cui ſe ipſe ſecundùm non adiunxit, vt ait Regino. Ei populi ſuffragatione pacis firmandæ cauſa, VVILHELMVS, filius regis ſubſtituitur: qui vt in maiore eſſet gratiâ; Francis, qui cum antiſtite priore contra Regem ſenſerant, ignoſcitur. Collegium ſacerdotum non probans populi iudicium refragabatur: ſed iis obiiciuntur Hatto I. & Fridericus, imperatorum hoſtes ſanguinarij, & Reipub. turbatores: ſacerdotes admonentur, vt maieſtatis ſint obſeruantes, & in Eccleſiâ placidi, & colentes religionis.

954. *Moguntini mors.*

VVilhelmus Othonis F. fit Archiepiſcopus Moguntinus.

Senſuum paternorum non incallidus Ludolphus, cum toties repulſam tuliſſet, quoſdam præſules appellat, quos nouerat apud patrem valere plurimum; oratque, ſibi vt conſulant, & patris reconciliandi viam commonſtrent. Iuſſus agere cum fratre Vilhelmo, qui nuper Mogũtiæ electus erat; eum adit in Turingiâ Arenſtadij, duobus ab Erfurdiâ milliaribus: à quo beneficè exceptus, hoc accipit conſilium; vt, non expectato Fritislarienſe conuentu,

patrem Regem primo tempore accederet: ne accuſationes cogeretur coram imperij ordinibus audire. Lætatus beneuolentiâ & hortatu antiſtitis, in Saxoniam feſtinat: & venantem in ſaltibus Sunneualdiis, qui nunc Lochiani ſunt, patrem præſtolatur cum paucis inermibus, ne inſidiarũ causâ veniſſe putaretur. Statim vt patris vultum aſpexit; veſte ſordidata, pedibuſq; nudis accedens, ad genua prouoluitur, hoc modo ſermonẽ faciens: Vnde (inquit) initium dicendi faciam? nam, quod ſolet ad deprecandum aliis eſſe ſubſidio, nomen paternum; id me nunc exhorreſcere facit: Filij tui nomine indignus ſum, qui nullam filio dignam pietatẽ præſtiti: tu mihi, pater, honores dediſti: tu imperium daturus eras: ſed omnibus beneficiis contra te vſus ſum: membrum imperij appellari non debeo, qui gentes externas, & immanes barbaros in mediam Germaniam immiſi: qui meâ manu ſacra prophanaque violaui: qui nulli dignitati aut religioni peperci: qui armis impijs vrbes exhauſi, cæde agros & vrbes vaſtaui. Nullus hoſtis tantum mihi dedecoris infligere, tantum turpitudinis afferre potuit, quantum mea mihi temeritas & inſania nunc cõflauit: nec peccati excuſationem, nec maleficiorum prætextum inuenio. Vtere tu (audebo enim ſeriò dicere) Pater, tuo ſummo iure in me; modò ſupplicis preces non planè auerſêris: & quo pacto ſatisfacere tibi debeam, per infimum aliquem ex miniſtris tuis, qui meæ miſeriæ hîc ſunt ſpectatores, nutu ſignifica: modò tantum veniæ impetrem, vt in tuâ gratiâ moriar.

Otho I. Magnus.

Ludolphus patri fit ſupplex.

Hæc oratio ipſius patris, & reliquorum, qui aderant, lachrymas elicuit. Iuſſo de terrâ ſurgere, manum tremẽti pater porrigit: ipſe ſe perpetuò fore in poteſtate parẽtis, & nihil niſi de ipſius voluntate, totâ vitâ facturum, ſanctè promittit. Adimitur ei ducatus Sueuiæ, quem rex duci Burchardo donat, qui Henrici regis fratris filiam duxerat.

Ludolpho ducatus Sueuiæ adimitur.

Eodem tempore contra regem tumultuantur Rugi, gens Slauica. Ad eam ſedandam mittitur GERO Marchio, factis omnibus vir ſpectatiſsimus: cui ſe adiunxit Conradus regis gener; vt nouo beneficio deleret ignominiam annorũ aliquot, quibus erat aduerſatus imperio. In terram Slauorum vix venerant, cum facti temerarij hoſtes pœniteret: inter quos cùm eſſent ſimultates, non viribus iunctis pugnatum eſt. Ducum igitur virtute facilè domantur: & præda de ipſis capta in Saxoniam deportatur. In hâc narratione ſequimur potiſsmum Vuitichindum, qui illo vixit ſeculo: alij enim aliter ſcribunt. 955.

Gero Marchio in Rugos mittitur.

Anno, ſupra noningenteſimũ quinto & quinquageſimo, poſt feſtum

Othonis in Bauariam ad reliquias belli tollendas iter.

Otho I. Magnus.

feſtum paſchatis celebratū, in Bauariam Rex proficiſcitur ad belli reliquias, quas Schierenſis factio alebat, tollendas. Henricū fratrē ciuitatibus cōmendat, & ab iis fidem exigit. Ratisbonam rurſus occupauerant, qui in armis omnia ponebant, duce Othone, Arnolphi interfecti fratre. Igitur vrbem iterum obſidet: quâ traditâ, ciuibus parcit, ad inopiam ferè extremam redactis: auctores ſeditionis quosdam ferro, quosdam exilio punit, & eam prouinciam integram fratri reſtituit. Otho & fratres ipſius, qui ex vrbe lembis euaſerant, ſe ad Vngaros contulêre, quos hoſtes Reip. iudicatos Rex proſcripſit. Conquerebantur præſules & religioſi in Bauariâ de ſuis reditibus diminutis, qui cuicunq; parti adhæſiſſent; ab eâ accepiſſent iniuriam: eisq; vt aliquo modo ſatisfieret rex fratri præcepit: quia nihil magis curabat, quàm religionem, & eius miniſtros: Quibusdam Eccleſiis, quæ ab Vngaris ſpoliatæ erāt, donaria de ſuo mittebat. Ineunte menſe Iulio, cum in Saxoniam rediret, obuiam ei fiunt Vngarorū legati, ſpecie quidē amicitiæ, atq; honoris; ſed reuerâ, vt exitu bellorū in Bauariâ & Vandaliâ explorato, cōmoda ſibi inirent conſilia. eos tanquā nullius rei ſuſpectos, honorificè Rex dimittit. Ipſi paucos poſt mēſes comitis Schierenſis auſpicio, vt Otho Friſingenſis ſcribit, fines imperij inuadunt: omnia replent cæde, incendiis, & rapinis: & parati ad pugnam, longius indies progrediūtur. Rex decreuit ſummis opibus, à patriæ ceruicibus vim barbaricam auertere: nec voluit tot cædium & damnorum per multas regiones illatorū vindictam iuſtiſsimā diutius ſuſpendere. Itaq; collectâ vndiq; Saxonum manu, & euocatis præſidiis Slauonicis, in Sueuiam celeriter mouet: caſtra ab Lycum fluuiū, non procul ab Auguſtâ Vindelicorū, munit. Vicini Francorum principes, qui grauiter afflicti ab Vngaris nuper erant, & nunc extrema pertimeſcēbant, cupidè ſe illi adiungunt: nec non Conradus dux, vt notam priorē deleret, in caſtra regia aduentat: qui propter peritiā rei militaris, & odiū vetus depoſitū, non parum confirmauit reliquorū omnium animos. In caſtris Vngarorum Conradus anteà pugnauerat, morum, armorum, præliorū non ignarus: Is ſuſpectus quibusdā erat, qui actiones eius & ſermones aucupabātur, ne cum Vngaris colluderet: quorū tanta eſſe dicebatur multitudo, vt eos niſi cœlū obrueret, aut terra abſorberet, ſuperare nemo mortalis poſſet; cuius & Rhegino meminit. Animos ſuorum cum Rex videret ad congrediendum pronos & alacres, propius ad hoſtes accedit: cumq; arma vtrinq; magno fremitu expediuntur: eâ nocte, quæ pugnam præcedebat, militi ſuo ieiunium indicebat; & ad prælium non ſolùm animis, ſed fide & precibus paratos eſſe, iubebat: de victoriâ

Othonis Schierenſis & fratrum proſcriptio.

Bellum Othonis contra Vngaros.

riâ ſpem eſſe, qua ferè nunquam ſit à Deo deſtitutus; & eum iam hoſtem in conſpectu ſtare, cui propter ſpoliata ſacra atq; templa, cæſos innocentes ſenes & ſacerdotes, violatas & ſtupratas matronas & puellas, ira Dei ſupra caput ſit: diſceſsiſſe ab ipſis Germanos, excepto vno & altero principe perfido, quorũ cõſiliis magis vicerint, quàm ſuâ virtute: nouiſſe multos iam præſentes, qui cũ patre ſuo Henrico, contra eoſdem hoſtes militauerint, quàm ſint victu faciles, quàm ad fugam pernices, ſi primus ipſorum clamor & furor ſuſtineatur. Animis imperator attentis auditus eſt, qui finitâ concione, ſe cæteris fore exemplo teſtabatur. Exercitus eius diuiſus in agmina quinq; erat: in Bauaricum, cui præerãt Henrici ducis legati, ipſe impediebatur aduerſâ valetudine: Francicum, quod ducebat Conradus dux: Saxonicum quod & regium dicebatur, nam Rex ipſe ei præerat, conſtãs electo & veterano milite: Sueuicum, quod dux Burchardus; Boëmicum, quod Bolislai legatus ducebat, gentis illius more, cum impedimentis plurimis. Legiones cæteri ſingulas ducebant: exceptis legatis Bauaricis, qui tres; & Sueuorum duce, qui duas: ita vt exercitus ex octo conſtaret legionibus, quas noſtri nunc Regimina appellant. Otho. I. Magnus.

Vngari multitudine longè vincebant: quamobrem vt propter ſagittarios latere tecto, adire Germani hoſtes poſſent, per ſalebroſa dumoſâq; loca rex copias ire mandauerat. Vngari aduentu hoſtium cognito, Lycum traiiciunt, flumen rapidũ: ita nimirũ denſatis turmis, vt robuſtiores à lateribus vim aquæ ſuſtinerent; reliqui eum vix ſentirent. Vtebantur ad eam rem captiuorũ operâ, ne ſuos periculo obiicerent. Solertiam ipſorum auxerat longa bellorum cõſuetudo; quæ temeritati propior erat, quàm ſcientię. Fuit tanta audacia Germanis admirationi & terrori: nam aciem flectere non poterant, & tergis ipſorũ Vngari imminebant. Flumine ſuperato, in aciẽ Boëmorũ extremam, tantâ celeritate ferũtur, vt magnum eorum numerũ cæderent, reliquos fugarẽt, impedimentis & ſarcinis omnibus potirentur. Simili ſucceſſu agmẽ Sueuicũ adorti, id premunt, atq; diſsipãt. Rex laborare ſuos intelligens, ſubſidia mittit Francum equitem: Conradum hortatur, vt priſtinæ virtutis ſit memor. Is (vt dixi) Vngarorum & animos & vires nouerat: & pugnandi morẽ in ipſorum caſtris didicerat: & dedecus ſuum priſtinum abolere ſatagebat. Igitur hoſtes ſingulari conſilio primum proterret: deinde in fugam coniicit, & captiuos cum omni prædâ liberat. In caſtra rediens, omnium vocibus gratulationibusq; victor excipitur: nec parum cæteris animi acceſsit, ex iſtius victoriæ, quaſi præſagio. Othoni victoria.

Rex non neſcius victoriam à cœlo dari, & à Dei nutu ſolius Othonis pietas.

pendere

Otho I. Magnus.

penderê; ad preces ſolitas conuertitur: Vlricum epiſcopum Auguſtanũ, quem nunc diuum colunt mortales, qui in caſtris tunc erat, ad ſe accerſit: de eius manu porrectũ Chriſti corpus & ſanguinẽ ſumit: vota cœleſtibus facit, & ſe Deo totum cõmendat, aut poſiturus vitam, aut liberaturus patriam. Militi etiam exemplo præclaro monſtrat, quid faciendũ, vnde auxilium ſperandum: eumq; non minus animosè, quàm fecerat ſæpius, hortatur; vt pro religione, pro libertate, pro gloriâ antiquâ pugnet fortiſsimè. Solebat tum temporis ſacra lancea, quę inter inſignia imperij cuſtoditur, & de quâ ſuprà in Henrico diximus, in prælium deportarii eaq; credebatur pondus afferre ad victoriã. Hâc in manus ſumptâ, vt Ditmarus ſcribit, & clypeo prægrandi ſibi aptato, Vngaros aggreditur. Labarum regium, ad quod ſignum vniuerſi reſpicerent, erat Angeli imago. Pugna cum aurorâ ipſa inchoatur, magnâ partis vtriusq; contentione; ſtetitq; diu incerta: cum nec virtus regis, nec duces Vngarorũ quidquam prætermitterẽt, quod & fortiſsimos viros, & manu ſtrenuos homines deceret. Erant in exercitu Vngarico, nobiles tantũ thorace & ferramẽtis induti: reliqua multitudo ictus clypeis arcebat aut excipiebat. In certamine acerrimo, cum nobilitas iam propemodũ omnis cæſa eſſet, & ad inerme vulgus armati Germani penetrarent, ſubita & celerrima fuga cõſequitur: propter equos expeditos, multi hoſtiũ in noſtris agminibus verſabãtur, præliantes acriter: qui ſociorũ trepidatione facti languidiores, interficiuntur: reliqui palantes, propter equos laſſos, partim in proxima tuguria aut villas ſe recipiunt: qui cum ipſis caſis ac mapalibus cremantur, ne quid impediret inſequentiũ feſtinationem: partim Lycum traijcere tentant, quorum alij in ipsâ ripâ intercipiuntur, alij in fluuio rapidiſsimo merguntur, ante omniũ oculos. Capta circa veſperam ſunt ipſorũ caſtra, præda auri argentiq; refertiſsima: in libertatem vendicata maxima populi multitudo: in poteſtatem Regis veniunt, tres regij ſanguinis iuuenes, è ſplẽdidiore armaturâ cogniti: reliqui enim ſine diſcrimine ſternebantur vniuerſi. Otho Friſingenſis præſul, memoriæ prodidit, ex illâ pugna ſeptẽ tantum manſiſſe ſuperſtites: quod inde fortaſſe ſumpſit Bonfinius, Vngaricus ſcriptor: qui hoc præliũ, ait, commiſſum ad Iſenacum, Turingiæ ciuitatẽ: neq; cõmiſſum tota acie, ſed cum tertia parte, cum exercitus in totidem eſſet diuiſus. Sed ſcriptores alij, & loco & narratione diſſentiunt: in illo concordes, quod ſeptem ſint ſeruati, & ad Regem Taxim miſſi, qui cladem nunciarent. Ii ipſi domi notati infamia ſunt, & contumeliæ cauſa ſtipe petenda coacti victum quærere, donec

Pugna Othonis cum Vngaris acerrima.

viue-

viuerent: quia mori fortiter patrio more nō didiciſſent. In eâ pugnâ multi è noſtris quoq; deſiderati, Starchardus præſul Eiſtetēſis ab hoſtibus captus, in Lyrum præcipitatur: Michael Ratiſponenſis vulneratus & ipſe ſibi amputatâ auriculâ, inter cadauera diu iacuit, ne fortè agnoſceretur: Cæſi præterea viri illuſtres, Burchardus dux Sueuorum, Dipoldus comes Dillingenſis, Vlrici Auguſtani epiſcopi frater, & dux Conradus, qui antea ſuâ defectione Vngaros in Regem concitârat: ſed ductus idem facti pœnitētiâ, ad officium rediit: & ad pœnam perfidiæ, ſuum ipſe caput deuouit; precatus, vt hoſtiū cædem videret, & in armis occumberet. Itaq; in ipsâ prælij contentione cùm æſtu ac puluere, ad capiendam auram, galeæ & loricæ vincula ſolueret; gutture aduerſo ſagitta feritur: princeps omni laudis genere excellens, & apud omnes gratioſus, & ſuorum temporum fortiſsimus: niſi impatientiâ victus & ſui immemor, ab officio diſceſsiſſet. Funus ei factū peramplum, vtpote genero Regis, in celebri vrbe Vangionum. Othonem comitem Schierenſem, Arnolphi I. filium, proditionis ſuſpectum interfecerunt Vngari: cuius fundos rex partim Eccleſiis deſtinauit, partim eius fratribus Eberhardo & Vuernero, cum arce Schierâ, propter propinquitatem reddidit: & quamuis proſcripti annos multos fuerant, tamen fidem promittentibus rex gratiam delictorum fecit; qui iraſci perpetuò, putauit rigidū & inhumanū eſſe. Vnum Heroldum, Salceburgium antiſtitem, Vngaris amicum, poſtea rex accuſauit Romæ: cui Iohannes XIII. dignitatem ademit. Regij Vngarorum iuuenes, qui capti erant, Henrico Bauariæ duci prædæ dantur: qui eos laqueis in publico ſtrangulari iuſsit. Ideò autem parcere voluerunt in prælio nemini, & captos fœdo ſupplicio tollere; vt genti ferociſsimæ terrorē incuterēt. Etenim effectum hâc pugnâ eſt, vt deinceps à Germaniâ abſtinerent: & ſunt vires Vngaricę hâc clade inſigni ita diminutæ: vt poſt annos aliquot ſe etiā religione à Saxonio imperatore domari paterētur, nempe ab Henrici fratris Othonis I. nepote.

Otho I. Magnus. *Conſignatio vuorum illuſtrium in bello Vngarico deſideratorum.*

Conradi Lotharingi deuotio.

Huius ampliſsimæ victoriæ dies à Ditmaro, & à Lamberto perſcribitur ad IV. Idus Auguſti, anno ſupra noningenteſimum quinto & quinquageſimo: alij tamen aliter. Hæc victoria præfertur victoriæ Arnolphi Imperatoris, aui Othonis materni, quā de Danis peperit in Saxoniâ: item Henrici patris, quam de ijsdem Vngaris in Miſniâ. Fama eius ingentem apud omnes gentes lætitiam peperit, & regem fortiſsimum exteris ſuſpiciendum fecit: ad quem Græcorum, Italorum, Gallorum, aliarum nationum legati, gratulatum venerunt. Ipſe nihilò inſolentior factus, 955.

Deum

Otho I. Magnus.

Deum victoriæ auctorem agnoſcit, & in omnibus templis gratias agi publicas mandat.

Bellum cum Slauis.

Dum hoc bellum feliciſsimè geritur in Sueuiâ: interim contra Slauos variâ fortunâ pugnat Dux Ditericus, gentium illarum præfectus. Aggreſſus autem eos iuxta caſtellum quoddam, pugnando intra mœnia compulit: & vnà cum hoſtibus violenter irruens, oppidum incendit: fugientes rurſus per alteram portam, aut retrahit, aut occidit. Inde diſcedens per loca paludoſa & inuia, cum militem victorem Slaui victu laborare cernerent; animos recipiunt, & in vligine & luto hærentes quinquaginta viros fortes è Saxonibus opprimunt, reliquos in fugam vertunt. Saxones id dedecus perturbabant: & quòd prudentiores non fuiſſent, ſe ipſi accuſabant: præterea quòd Regi abſenti timerent, animis erant demiſsiores: nam propter ſuum periculum, de ipſius quoque faciebant coniecturam, cui cum atrociſsimâ gente certamen eſſet.

Vuigmani Luneburgij è cuſtodia fuga.

Accidit eodem tempore aliud ad terrorem & metum. VVIGMANVS iunior Luneburgius, in cuſtodiâ regiâ detinebatur, quo contra Vugaros proficiſcente, ſperabat ſe fugâ poſſe evadere: itaque cum morbum ſimulaſſet, domi relinquitur, datus comiti Iuoni aſſeruandus. Multis illa verbis Iuoni, minimè ſuſpicaci, perſuadet; vt valetudinis cauſâ pateretur ſe venatum ire: quod cùm ille adoleſcenti permiſiſſet, fugam cum ſociis conſciis corripit: & in patriam rediens, ciuitates & caſtella aliquot occupat: & Ecbertum ſocium facinorum ſibi iungit. Quod vt Iuo reſciuit; Hermanum, Vuigmani patruum, certiorem facit: à quo factio iſta tumultuantium ſtatim initio reprimitur: & perduelles trans Albim abire compelluntur. Inde, cum fratribus duobus Naccone & Stonesgero, Slauorum ducibus, fœdus ineunt: qui iuuenum temeritatem, ſuam eſſe ſalutem ſtultè putabant: ideoque eos propter inueteratum in Saxones odium non inuiti adiuuabant. Hermanus etiam ad illam coniunctionem diſturbandam, Henrico & Siffrido Marchionibus adiunctis, Albim ſubito tranſit: eoſque vſque ad caſtellum quoddam inſequitur, ante quod milites circa quadraginta in fugâ configit, & armis exuit.

Bellum Slauorum cum Saxonibus.

Slaui animis confirmati, duce Vuigmano transfugâ, totam hyemem in apparatu belli conſumunt: idque celant, quamdiu poſſunt: tandem menſe Aprili irruptionem in Saxoniam faciunt, nulli facinori aut iniuriæ parcunt. Hermanus cum hoſtes multitudine ſe longè ſuperiores animaduerteret: conditiones

ipſis proponit, non ſatis laudabiles, neque ipſius rebus, antea geſtis, dignas: quas quidem & milites eius, & Siffridus Marchio improbarunt; ſed impedire non valuerunt.

Otho I. Magnus.

Vrbs Cocareſium dicebatur: in quam magnus Saxonum numerus metu Slauorum, cum liberis & fortunis ſe contulerat: iis imperatur, vt Slauis ſe dedant: & ſuâ libertate retentâ, pacem cæteris rediमant: ingenui homines cum vxoribus & liberis, in muros aſcendant: ſeruitia, arma, fortunas, ſupellectilem, Slauis relinquant deportanda. Grauiſsimum hoc ciuibus & nobilitati erat: ſed fuit fortunæ iniquæ, & mandato Hermani parendum. Slaui intra mœnia aperta admiſsi ſunt, vt prædam oblatam ſine ſanguine deducerent: è quibus vnus, ſuamq; vxorem captiuam inter mulieres Saxonicas conſpicit, quæ ciui libero nupta erat: in eam cum manum inieciſſet, pugnus ei à Saxone marito impingitur. Iniuriâ incenſus Slauus, clamat conditiones à ciuibus violatas, & ſibi ſuum ereptum mancipium: cuius importunitate vrbe totâ tumultus excitatus, & incolis & hoſpitibus exitio & calamitati fuit. Armis enim furore quodam correptis, nobiles & ciues in mœnibus inermes trucidati ſunt: & ipſorum coniuges atque liberi in ſeruitutem abſtractæ & ignominiam..

Iniquæ pacis conditiones.

Rex negocio intellecto, vehementer doluit, & Hermani virtutem atq; prudentiam deſiderauit: ipſum tamen non accuſauit iracundiùs: cum præter hoc vel imprudentiæ vel timiditatis delictum, nihil vnquam commiſiſſet, quod potuiſſet diſplicere viro forti & honeſto. Igitur de integro tota Saxonia in Slauos conſpirat: ambo transfugæ patriæ hoſtes iudicantur, VVIGMANVS & ECBERTVS: Germanis qui vnà cum iis tranſierant, ſi ad ſanitatem redeant, venia proponitur. Verùm an redierint aliqui, non eſt memoriæ proditum; nam ad temeritatem non rarò accedit pertinacia.

Legati Slauorum ad regem mittuntur, qui tantum tributi pollicentur, quantum Henrico patri ipſius pependerint: ſed libertatem in ſe dominandi, nulli alij, quàm Regi ipſi concedere; aut armis fortunam ſtatuiſſe experiri. Superba iudicata eſt ab omnibus Slauica poſtulatio, cùm illatæ ignominiæ & cladis nullam mentionem facerent, neq; ſe eius pœnitere teſtarentur. Itaq; bellum ex vtrâq; parte maximum inſtruitur.

Regis legatus erat vir omni tempore ſpectatus GERO, Luſatiæ marchio: qui vt in terram hoſtilem venit, Saxones gladio & flammis obuia perdebant: idq; multò proteruius, quàm prudentius. Slaui ſimulantes fugam & trepidationem; Geronis co-

Saxones in inſidias deducti.

Otho I. Magnus.

piasad loca iniqua, & inſidiis opportuna deducũt: nam vel locorũ ignoratione, vel nimiâ (vt fit) confidentiâ, cum ad flumen Raxã caſtra metatus Gero eſſet, à tergo cæſis arboribus, & obiectâ materiâ, reditus ei intercludebatur: à fronte flumen & palus profunda cingebat: à lateribus hoſtes circumfundebantur, qui & ab opere & à commeatu militem prohibebant, & progredi longiùs eripiebant facultatem. Augebant timorẽ in caſtris Geronis lues & penuria. Facere eruptionẽ periculoſum videbatur, in loco impedito: hoſtibus ſe committere, neq; honeſtũ neq; vtile. In iſtâ rerũ difficultate & conſilij inopiâ, Stonesgarum Slauorum ducem, nomine regis Gero appellat: hortaturq; vt arma deponat, Saxonũq; hoſtes dedat, & in beneuolentiâ Regis humaniſsimi bonã ſpem habeat: ſeſe operam daturum, ne pœniteat contractæ cum Rege & Saxonibus amicitiæ. Hæc Gero loquebatur duci trans flumen, multis audientibus: barbarus non inſciens, quo in loco res Saxonum eſſent, Geronem irridet. Hic nonnihil commotus, ab hoſte poſtulat locum pugnæ æqualem, & tranſitus poteſtatem: cuius poſtulationem maiore inſultatione atq; etiam cachinno Slauus excipit; & conuicia in Regem iacit. Gero ludibrij impatiens: Aurora (inquit) craſtina declarabit, te iuſtius calumniatoris habere nomen, quàm ducis: & dies clara monſtrabit, quàm ignauo imperes militi. Conuerſus itaq; ad militem ſuum, exponit barbari voces arrogantiæ & cõtumeliæ plenas: ſuadet difficultates omnes ſubeundas, ad vindicandam à turpitudine nomen Saxonicum; ipſe paciſcitur, ſe vitam velle impendere ad comprimendam hoſtilem inſolentiam. Erat Geronis eximia auctoritas, quam confirmauerat victoria recens de Rugis: erat eiusdem in perferendis laboribus animus inuictus.

Strategema Othonis.

Rex ipſe, qui à ſuis non procul aberat, in caſtra properauit: cumque ad ea propius accederet, ad animandos ſuos, per totam noctem, iubet ſtrepitus excitari, & hoſtes laceſſere miſsilibus, quaſi flumen vi eſſet tranſiturus. Ad eum motum Slaui frequentes concurrunt, & ad reſiſtendum ſeſe accingunt. Interea Gero, vno à caſtris milliario diſcedit, & hoſte vltra flumen occupato, cis flumen ſecuro, pontes tres ſternit tenebrarum beneficio: quibus celeriter confectis, ad Regem mittit, vt pergat copias abſque cunctatione traducere.

Slauorum fuga.

Orto diluculo Slaui quid fieret, pauidi conſpicantur: quibus cum viâ longiore & cœnoſâ ad pontes eſſet contentendum; curſu fatigati ſunt, antequam arma ſumerent: equitatum in collem quendam propinquum dux Slauus adduxerat, vel, vt euentum

cerneret,

cerneret, vel vt laborantibus ſubſidio veniret. Cùm ſuos præ- *Otho I. Magnus.*
lio vix inchoato fugere, & latibula ſyluarum circumſpicere videret: animo abiecto ſe primus in fugam coniicit: neue cum cæteris in hoſtium manus incideret, duobus ſatellitibus ad ſe vocatis, eorum ductu in luco denſiſsimo ſe abſcondit. Mandauerat Gero militibus, vt in ducem ipſum intenti eſſent, & linguæ eius petulantiam multis notam, & ex ipſo auditam, vlciſcerentur. Igitur cùm in luco ipſum eſſent aſſecuti, aliquantulum repugnauit: ſed vi oppreſſus ab Hoſedo, milite Saxone, capitur: qui eum more mancipii armis exuit, & caput gladio amputat; exuuiaſq; cum capite dono Regi apportat; & alterum eius ſatellitem ſimul vinctum adducit. Hoſedus publicè laudatus, donatur cingulo aureo, & viginti ſtadiis agri, quæ noſtri manſos appellant. Caſtra hoſtium militi obiiciuntur diripienda, poſtea incenduntur: cædes in noctem vſq; mediam producta: capta præterea multa hoſtium millia: aliquot è noſtris liberati, qui Slauis ſeruierant. Caput interfecti ducis, altero die imponitur conto, ad oſtentationem: è primoribus Slauorum, ſeptingenti eodem in campo decollantur: conſiliarius ducis, auctor belli, oculis & linguâ mutilatur, & in occiſorum aceruum viuens proijcitur. Nacco Stonesgari frater, qui cum exiguo equitatu euaſerat, audito fratris caſu, arreptâ naue fugere in Daniam ſtatuit. VVIGMANVS & ECBERTVS elapſi, ſponte exulatum abeunt in Galliam ad Hugonem comitem Pariſienſem. Hoc prælium commiſſum, anno ſupra noningenteſimum quinquageſimo ſeptimo, teſte Reginone, in 957.
quo Slauorum vires propemodùm diminutæ fractæq; ſunt. Sigebertus prælium commiſſum ſcribit quinquageſimo octauo: & fieri poteſt, vt cum reliquiis ſæpius pugnatum ſit: qui exſcindi armis, quàm ſerui viuere maluerunt: natio enim Slauica, potens, & minimè ignaua aut imbellis fuit.

Rhedarii certè paulo pòſt, nec exemplo, nec fortunâ ſociorum territi, pacem recuſant; & nouos cientes motus, vltro ſibi periculum & cladem aſciſcunt: nam eorum metropolis Rheda *Rheda exciſa.*
funditus exciſa, nec poſtea inſtaurata eſt: quæ portas nouem habuit, & naturâ loci munita fuit: templo Radagaſti celebris, qui regio habitu, ex auro fuit ſolido, & puluinaria purpurea habuit: præda inde ingens capta, & multi mortales occiſi, inprimis deleta nobilitas.

LVDOLPHVS, Regis filius, ſeditioſorum conſiliis adductus, rurſus patriâ cedens in Italiam perrexit, vt ſcribit Ditmarus: alij à patre miſſum ſcribunt, ad regis Berengarij conatus atroces

Otho I. Magnus. Ludolphi mors.

cohibendos: quem quidem inuiſum omnibus, non ſolum ex Inſubriâ, ſed penè è totâ Italiâ fugauerat. Non integrum ibi annum exegit, cum ex morbo obiit, non ſine ſuſpicione veneni VIII. Idus Sept. De anno rurſus controuerſia: nam alij ſextum & quinquageſimum annotant, alij ſeptimum. Obitus Ludolphi filij, patri Regi nunciatus in caſtris, ei lachrimas elicuit: fuit enim ſuorum amantiſsimus, & Editham inprimis dilexerat, cuius primo partu procreatus erat.

VVIGMANVS proſcriptus in Saxoniam è Galliâ ad viſendam vxorem venerat: clam Regem ſibi reconciliatum volebat, nec viam inueniebat: quia æquè omnibus erat inuiſus: & ad quaſcunque partes accedebat, præſens ſecum trahebat infortunium. ECBERTVS verò in gratiam reſtituitur per Brunonem Colonienſem antiſtitem.

Tertiò igitur cum Vuigmano, qui Slauos fugitiuos collegerat pugnandum fuit: nam Regis hoſtibus ipſe ſummus amicus: ſed cum ſuos conatus planè inanes videret, & Regis eſſe fortunam inſuperabilem: gratiam conſilio & impulſu vxoris implorat, per Geronem Marchionem, & eius filium: qui multis precibus vix permoti, compromittunt, ſe eius cauſam coram rege acturos: petebat autẽ ſibi vitam tantùm donari: neq; plus libertatis, quàm vt liceret priuatum in patriâ agere, & ex fundis vxoris vitam ſuſtentare. Rex autem improbo tot cladium auctori, & aduerſario ſuo perpetuo, pro ſolitâ bonitate & clementiâ ignoſcit: & Geronis ac filij precibus annuit. Vuigmanus in conſpectum admiſſus monſtratis pœnitentiæ indiciis, iureiurando promittit, ſe contra maieſtatem nihil in poſterum, neque clàm, neque apertè commiſſurum: hoſtes eius non operâ, non conſilio adiuturum: functurum etiam per ſe obſequentis, & modeſti hominis munere atq; officio. Actis Regi, à quo reſponſum optatum tulerat, humiliter gratiis; & Gerone propter fidem collaudato, ad fundos vxori dotales redit: cuius à Slauis diſceſſu, iam omninò pax reſtituta putabatur: nec Slauis tàm fluxæ incertæque fidei, porro eſt creditum. Quicunque ex iis populi ſubigebantur, penè ad internecionem deleti ſunt: & fortunis eorum diſtributis in milites ad inopiam extremam redacti. Effecerunt ſeruitus & paupertas, onera hominibus intolerabilia, vt multò magis temerarij fierent; & confidentius quâuis oſtensâ occaſione rebellarent: quia de ſalute ſuâ iam deſperabant.

VVigmanus veniam ab Othone impetrat.

Exiſtimabat etiam Rex, eos ita ſubactos, vt nihil mouere poſſent

Otho meditatur iter in Italiam.

Otho I. Magnus.

poſſent aut vellent: quamobrem cum deliberaret, an iret in Italiam: in quam poſt filij mortem, & literis crebris vocaretur: an Daniæ Regem, qui Saxonum præſidium interfecerat, ad officium compelleret: placuit eius intimis, vt in Italiâ pacem faceret, & populis Slauorum ſubiugatis, ſpectatæ fidei & fortitudinis virum præficeret. Sententiam de adeundâ Italiâ Rex comprobat, præſertim cum Lotharius, ſororis ſuæ filius, in Galliâ quoque moliri res nouas diceretur: idque ex Anſegiſo præſule Trecarum, quem Robertus Comes eiecerat, intellexit: nam præſul in Saxoniam opis petendæ causâ profugerat.

Hermannus Stubesgehornius præficitur Slauis.

Slauorum igitur genti, & parti Saxoniæ, quam non dederat præſulibus, præficit HERMANVM, virum nobilem Luneburgium, de Stubesgehornâ familiâ: cuius prudentiam, & virtutem, & in gerendis negotiis felicitatem perſpexerat: & qui propter humanitatem & æquitatem, carus ſummis & infimis erat: niſi ipſum deformaſſent odio & inuidiâ frater, & fratris filius, ambo nominati Vuigmani, de quibus ſæpius iam dictum eſt.

Legatorum Othonis expeditio in Italiam infelix.

Rebus Germaniæ conſtitutis, apparat Rex neceſſaria ad iter Italicum: & viros toto imperio præſtantes euocat: ANSEGISO præſuli vehementer inſtanti, HELPONEM quendam Arduenatem, & BRVNONEM Saxonem addit, qui ipſum reſtituant. Milite igitur Campano & Saxone Trecas Anſegiſus obſidet menſe Octobri. Minatus erat Helpo, ſe incenſurum eccleſias à flumine vſq; ad vrbem, niſi præſul reciperetur: ſeq; in portâ diui Leonis fixurum lanceam ſuam. Verùm Helponi ſtulta iactantia exitio fuit: & Anſegiſus, quod voluit, non impetrauit: nam Helpone interfecto, obſidio ſoluitur, & Bruno in Saxoniam redit.

Ad Regem Iohannes XII. pontifex legatos in Germaniam miſerat, Iohannem archidiaconum, & Azonem ſcriniarium: qui hortarentur, ne amplius differret ſuum in Italiam aduentum: Berengarij enim tyrannide laborare religionem, & libertatem. Agebant iam exules in Saxoniâ, VVALBERTVS antiſtes Mediolanenſis, Vualdo præſul Comenſis, & OBERTVS marchio, & AZO Canuſinus, qui non minus & ſuo & publico nomine Regem vrgebant. Erant multorum aliorum querelæ delatæ & literis & legationibus eorum, quibus grauis & intoleranda erat Berengarij libido & ſuperbia.

Otho II. Rex inauguratus.

Antequam iter Italicum ſuſciperet, in vrbe Nemetum, filium annorum ſeptem Othonem regem declarat, & ſibi ſucceſſorem: cui Aquisgrani tribuuntur de more prima inſignia. Eundem

Otho I. Magnus.

per abſentiam Brunoni antiſtiti Colonienſi, & Vilhelmo Moguntino fratri filioque ſuo commendat.

Othonis expeditio in Italiam contra Berengarium.

Compoſitis hoc modo rebus per Germaniam, cùm cauſas haberet profectionis iuſtiſsimas, per Alpes Iulias & vallem Atheſinam, vtpote itinere commodiore, Veronâ proficiſcitur. Erant in comitatu præcipui, Vilhelmus Antiſtes Moguntinus, & Adelgodus Hamburgicus, qui cancellarij munere fungebatur. Veronę occurrunt ei plurimi Italorum congratulatum, qui auxilia quoque pollicentur contra Berengarium, potentiâ nimis immoderatè abutentem.

Berengarij fuga.

Berengarius rebus exploratis, Saxonem non expectat: ſed Papiam (Ticinum veteres nominant) cum vxore & liberis deſerit, neque vno in loco conſiſtit: metu tamen Italorum, quos inuiſos habebat, montem Leonis nominatum occupat. Imperator Papiam ingreſſus, ingenti gaudio ab omnibus excipitur: ſedē Regiā, à Berengario incenſam, inſtaurat: exules reuocat: ciuibus ademptas immunitates reddit. Hattonē, abbatē Fuldanū, inde Romam mittit, qui ſibi locū hoſpitio eligat: hic poſtea creatus Moguntinus antiſtes, & Hatto II. nominatus, à muribus corroditur: cuius rei extat in medio Rheni monumentū, murina ſpecula inter vrbes Moguntiam & Confluentiam in hunc diem appellata.

Hatto Antiſtes Moguntinus à muris corroſus.

962. *Otho Romam veniens, coronatur.*

Rex vrbem Romam intrat anno, ſupra noningenteſimum ſexageſimo ſecundo, menſe Martio, cum magno exercitu, diu deſideratus; & cum plauſu honorifico exceptus. Peruenerat eò fama nominis eius illuſtris: ſed eam longè ipſius præſentia ſuperauit: cùm & ſapientiâ & grauitate præſtaret, & ſe omnibus præberet liberalē atq; beneficum: talem autem comitatum haberet, cum quo orbem terrarum permeare videretur poſſe. Didicerat poſt primam Italicam expeditionem contra Berengarium linguam Latinam: eâ de cauſâ Italis fuit gratiſsimus, quod & ipſos intelligeret, & pro tempore loqui neceſſaria ſciret. A pontifice tandem ſellæ Auguſtali imponitur, & aureâ de more coronâ inſignitur: cum felicibus totius populi acclamationibus, vt ipſius vita diuturna, & florens perpetuò foret imperium. Platina hoc loco dubitationē mouet de coronationis tempore, quam nos in medio relinquimus, & noſtros Annales conſentientes ſequimur.

Pontifex fidem violat.

Datâ autem fide inuicem, pro defenſione mutuâ: pontifex eam paulo pòſt violauit. Cæſar ad celebrandum Paſchatis feſtū, Papiam properabat: quo peracto cōſultabat, de bello contra fugitiuum BERENGARIVM: cuius cauſa præcipuè Italiam adierat. Berengarius ſibi peſsimè conſcius, nec inſciens fortunæ

Othonis:

Othonis: montem Leonis (vt dixi) munit & inſidet: vxorem in inſulam diui Iulij mittit, lacus Comenſis, quem antiqui Verbanum appellant: ſed Albertus & Guido eius filij, in loco certo non manebant; caſtella tamen duo Gradum & Traualium habuerũt tanquã fugæ præſidia, in quæ ſe reciperent. Inſula lacus Comenſis intra duos menſes expugnatur miſsilibus: VVILLæ vxori Regis captæ libertas datur, vt ad maritum eat, eiq; deditionẽ ſuadeat, & de lenitate Imperatoris benignè polliceatur: ſed mulier inſolens & peruerſa, marito contrariũ conſulit: & Germanos verbis deteſtatur, & indignos ait, quibus Itali pareant. Mons Leonis totâ illa æſtate grauiſsimè obſidetur, non ſine militum clade. Albertus interea, Berengarij filius, inſulam Corſicam dolo capit: qui tracto in ſuas partes pontifice, ab eo, contra ius fidemq; datã Imperatori, in vrbem admittitur: Cuius aduentu ſtatus vrbis tranquillus, ſubitò mutatur. Imperator pontificem religionis & fidei admonet, neuè auctor ſit maioris diſsipationis, hortatur: ſibi etiã conditiones turpiſsimas, quibus conuenerint, non ignotas, teſtatur: erant autem omni libidine & nequitiâ & pontifex ipſe, & factio Berengarij contaminata & infamis. Verùm cum eiuſmodi reſponſum acciperet, quod argueret animum Pontificis leuẽ & perfidum: Omiſsâ Berengarij oppugnatione Romam contendit: Pontifex & Albertus, theſauris templi auguſtiſsimi ſpoliatis, ex vrbe profugiunt; necatis prius iis, & è collegio ampliſsimo, & ex equeſtri ordine, quos Imperatoris eſſe fautores cognouerãt. Cum in vrbẽ Imperator rediiſſet, motus ciuiũ paſsim extitêre: cum alij benè vellent Pontifici fugitiuo, alij beneuolentiã Imperatoris ſimularẽt. Sed quia erant ad reſiſtendũ infirmiores, Imperatorem intra mœnia admittũt. Vocatur ad dicendã cauſam pontifex ter, contra quẽ prolatæ accuſationes ſunt, dictu etiam flagitioſæ: ſed quia Romã venire detrectauit: Imperator ſuâ auctoritate indicit Synodum, ne ſchiſma Eccleſiæ reliquã porrò diſtraheret aut perturbaret Italiam. In eâ Synodo antiſtites & præſules Italiæ ferè omnes erant præſentes: item Angelfridus patriarcha Aquileienſis; è Germanis Moguntinus & Hamburgius, antiſtites, de quibus ante dictũ eſt: Itẽ Ditericus Metenſis, Henricus Treuirenſis, Otgarus Spirenſis, Poppo II. Vurceburgius, & Helinuardus Mindenſis, quorũ nomina inuenio. Hi cõſenſu vnamini creant Leonẽ VIII.

Otho I. Magnus. *Montis Leonis obſidio.* *Pontificis fuga.* *Synodus Romana.* *Leo IIX. Pp. creatur.*

In iſto ſchiſmate per totam Italiã multæ clades & contumeliæ paſsim & plebeis hominibus & religioſis accidebant. Iuga Hernicorũ in Sabinis, tenebat exauctoratus pontifex; & quidquid ꝓpudioſũ erat & infame, ad eũ ſe congregauerat. Spirenſis præſul ab

Otho I. Magnus.

Imperatore miſſus Senam, in itinere à Iohannis factione excipitur, & ſeruili more cæſus: in ergaſtulum includitur: eâ conditione tandem dimiſſus, vt pacis auctor inter ſe & Imperatorem eſſet. Dolens autem pontifex, quòd priuatus ſummo honore in contemptu viueret, filio Berengarij promiſſa non ſeruat, qui ſe in Corſicam receperat: nam Gardum caſtellum eius Germani iam tenebant. In Vmbriam profectus erat Imperator, vt Spoletanos & Camerinates diſſentientes aut in concordiã redigeret, aut in contumaces ſtatueret pœnam. Ibi certior fit, oppida aliquot à ſe defeciſſe, & Romanos denuò tumultuari: & Iohannem in vrbem receptum, & eundem in Iohannem & Azonem, quos ſupra in Germaniam miſſos legatos diximus, immania ſtatuiſſe exempla; & de omnibus, quos tantùm ſuſpicio eſſet imperatori fauere, ſumere quotidie ſupplicia.

Leo Pp. Roma eiectus, confoditur.

Iſto nuncio ad ſe vix delato, pontifex Leo à Romanis pulſus, exutus bonis, cum paucis ſuorum conſequitur, & in vrbem Camertum ad Imperatorem venit. Pontifex rebellis cum inter ſcurras, exoletos, lupas, ſcorta verſari ab adoleſcentiâ conſueuiſſet; eodem tempore in ciuis Romani deprehenſus cubiculo, enſe trãsfigitur, pridie Idus Maij. Amici & propinqui eius (nam Romanus erat & agnatos habebat comites Tuſculanos) ne Leoni ab Imperatore creato, parêre cogerentur, eligunt Benedictum V. & eius confirmationem ab imperatore aſtutè petunt, quorũ legatos hic, quod antea nunquam fecerat, à ſe repulit cum conuicio.

Benedictus V. Pp creatur.

Inde ad vrbem regreſſus, cum à propoſito nollent deſiſtere factioſi, agrum Romanum exhaurit rapinis & incendiis, vias intercludit, portas obſidet. Benedictus magnâ audaciâ præditus, animos ciuibus addebat: & in muros aſcendens, habitu apicali diras iaciebat in Imperatorem: & deuouebat militem ſacra mœnia circumuallantem. Saxones aliqui iracundiâ fremebant, & minabantur vrbi direptionem: ſed prudentiores aiebant, quod pontifex illegitimus damnaret, id reſtituere poſſe Leonẽ, Canonicè (vt loqui ſolent) electum. Contineri miles Germanicus vix poterat: nam cum exercitus lue laboraret contagioſâ, cupiebat vrbem aggredi, & armatus mori, non proijci. Interea ex difficultate & penuriâ, & metu, deſperatione ortâ, coacti Romani Imperatorem implorant, & veniam petunt: & captum pontificem in caſtra mittunt, portas aperiunt, & ſe mandata facturos iurant ſupra caput Apoſtoli. LEO in ſedem & dignitatẽ ſuam reſtituitur VIII. Cal. Iulij, præſente Imperatore: turbaq; præſulum multorũ congregatâ, BENEDICTO mitram & infulam demit: tum pallium

Leonis IIX reſtitutio.

humeris

humeris detrahit: & pedum manu ereptum comminuit: & redactum in ordinem ornamentis reliquis pontificalibus ſpoliat. *Otho I. Magnus.*

Romani quieſcere inſoliti, conſtituto inſidiarum die ad arma conclamant, putantes incautum opprimi Imperatorẽ poſſe: ſed à cohorte prætoriâ ſtatim in fugam vertũtur. Tumultu ſedato quanquã ſæuire in totã vrbem potuiſſet: tamen ingenitâ vtens clementiâ, quâ nemine vnquam rege fuit inferior, tantùm caput punit, auctores facinoris ab ipſis Romanis productos: ſocios eorũ partim agit in exſiliũ; partim põtifici tradit, carceribus & vinculis caſtigandos: Conſules, prętorẽ, decuriones, ciues, denuo iureiurãdo adigit, ne quid eorũ mutarent, quæ conſtituiſſet: aliter qui facerent, periurij pœnas & contumaciæ vitâ fortunisq; luerent: ſeruandę fidei obſides centũ poſtulat. Benedictũ Antiſtiti Hamburgio committit, qui eum deducit ſecum in Saxoniã. In vrbe igitur Hamburga (Platina & Foreſtus nomẽ viciant) priuatus moritur. Narrationẽ fabuloſam de hoc pontifice refutat Albertus Crancius, ſui temporis Saxonicarũ rerum peritiſsimus. *Seditio Romæ contra Othonem.* Dum Imperator in Italiâ cõmoratur longius: Vuigmanus, qui veniam difficulter impetrauerat, in Daniã cum fratre abit; regem Haraldum ad bellum faciondũ conatus impellere, quòd ei nunquam maior fuerit & facilior occaſio: eiq; ſuam operã & auxilium pollicetur. *VVigmanus Danos contra Othonem concitat.* Rex, quæ Henricus Imperator regno ademerat Danico, iampridẽ recuperauerat, & præſidia Saxonũ expulerat, & vrbes aliquot euerterat. Is fugitivo iſti & leui homini credere noluit, niſi prius aliquẽ Saxonum præfectũ occidiſſet: quo facto declararet, ſe ex animo ſuam odiſſe gentem. Quod an ioco Rex dixerit, de homine lubricæ & malæ fidei: an illius explorare animũ facinore voluerit, incertũ eſt. Vuigmanus comparatâ latronum manu, inſidiatus eſt cùm alijs Ducibus, tum inprimis Geroni, à quo beneficiũ ſummũ acceperat, & quo neminẽ magis metuebãt hoſtes nominis Saxonici. *VVigmanus inſidiatur Geroni Marchioni Luſatiæ.* Cùm autem piraticã tecto nomine exerceret (nondũ enim ſuſpectus erat) proditur à mercatoribus, & cum piratis aliquot à Slauis cõprehenditur: qui eum ſtatim cum complicibus ad Geronem deducunt, quẽ ipſis periculoſum erat offendere. Piratis gulæ laqueis ſtatim fractæ; Vuigmanus Slauis eſt redditus: quod eo cõſilio Gero faciebat, vt oſtenderet ſe formidinis vacuũ; & Vuigmanum viuentem grauiùs puniri contemptu & infamiâ, quàm ipſe piratas reſte puniiſſet. Tantũ autẽ ſuâ prudentiâ, & moderatione, effecit vt Slaui magis metuerent Geronẽ, quàm antea vnquã fecerant. Idem perpetuò memor fidei, quam Imperatori dederat, imperium Saxonicum in populo Slauonico, abſente ipſo, latè propa- *Geronis victoria cruenta de Slauis.*

Otho I. Magnus. propagat: ſuperatis videlicet duabus illorum gentibus inferioris & ſuperioris Luſatiæ: cum quibus magnis viribus dimicans victoriâ quidem, ſed non incruentâ potitur. Nam multos nobiles & viros fortes amittit: & ipſe grauiter vulneratur: & Ditmarus, eius ſororis & Chriſtiani Marchionis filius, occiditur. Vuigmani toties perfidi ductu infauſto Slaui vtebantur: qui cum è Saxoniâ prædas agere, metu Geronis, nõ auderet, neq; poſſet: rapinas è populis vicinis colligit, ad ſuas cohortes hominũ peſſimorum ſuſtinendas. Eodem tempore acceptam à maioribus ſimultatẽ (quia barbari vindictæ ſemper cupidi) duces Slauici alebant, Seliburus Vuagirorum, & Miſtauus Obetritarum: qui cùm controuerſiam ad Hermanum præfectum deferrent: Seliburus conuictus, damnatur argenti pondo decem. Ob quam pœnam indignatus; & anteponi ſibi aduerſarium dolens, vlciſci nõ quidem damnum, (erat enim exiguũ) ſed ignominiam cogitat: cumq; virium non ſatis haberet ad impugnandum Hermanum: legationem ad Vuigmanum mittit, & ad opem ſibi ferendam ſollicitat. Homini amenti & patriæ ſuæ hoſti, nihil potuit nunciari lætius: abruptâ igitur omni morâ, ſuas cum Seliburo copias coniungit: qui cum intra metropolim Vuagirorũ Alteburgum, quæ lingua Slauicâ, Helmoldo teſte, Stargarda dicitur, receptus eſſet: Hermanus vt vtrunq; concluderet, properanter aduolans, vrbem obſidet. Vuigmanus patrui iracundiam metuens, prætextu comparandi è Danorum prouinciis noui auxilij, ex vrbe dimittitur: ſed ſimul & belli ſocium, & militem ſuum aduerſariis obiicit. Slauus, fruſtra expectatis ſuppetiis, preſſus inopiâ, filium obſidem in caſtra mittit: & ſe, ſuamq; ſalutem Hermano ſupplex commendat. Is pro facti iniquitate, Seliburum ipſum mulctat exilio: ſed eius filio obſidi vrbs redditur: admonito præſenti patris fortunâ, ne fidem violaret, & patre imprudente grauiores pœnas incurreret. Vuigmani cohortes, quæ è transfugis & latronibus & aliis facinoroſis conſtabant, variis ſuppliciis necantur, propter exemplũ: ſpolia ipſis detracta, & vrbis totius præda datur militi: Crodum, idolum Slauorum, ſtatua ænea ingens è manubiis deportatur ab Hermano. Hunc Crodum, fuiſſe Saturnũ autumant: fuit autem viri ſimulacrum ſine vllo ornamento capitis, cæſarie intonſâ, ſago induti, cum cinctu lineo: pedibus nudis inſiſtebat piſci aculeato & ſquamoſo, quem percam nominant: ſiniſtrâ manu eleuatâ, rotam tenebat: dextrâ vrceum roſis refertum.

Seliburus VVagirorum Dux impugnat Hermanum.

Stargarda ab Hermano obſeſſa.

Crodum idolum Slauorum.

Interea Imperator in Italiâ caſtrũ Leonis, quod annis duobus obſeſſum à Germanis fuerat, expugnat anno ſupra noningenteſimum

Otho caſtrum Leonis expugnat.

mum ſexageſimo quarto: Regem Berengariũ & vxorem eius comiti Pabebergio aſſeruandos mandat; apud quẽ in exilio ambo moriuntur: Giſelã & Gerbergã filias virgines in gynecęum recipit Imperatoris vxor, quas in honore habuit: quamuis parentes ipſorum vitæ & honori ſuo fuiſſent præter meritum inſidiati. Lues, de quâ dixi, contagioſa in caſtris ſuſtulerat Godefridum Lotharingiæ ducem, Henricũ antiſtitem Treuirenſem, Gerricum abbatẽ Vurciburgiũ, multos alios ſtirpe nobili & generoſâ ortos. Imperator factionibus Romanorũ & Inſubrum domitis, iter in Liguriã ſuſcipit: ibi, dum animi causâ venationibus indulget: filius Berengarij Dudonẽ ſacerdotem, imperatori à ſacris, capit: deductũ in inſulam Corſicam, in carcere modo ſeruili cæſum & vexatum dimittit: Vualdo, præſul Comenſis, tum fidus Berengario, quem apud imperatorẽ exulans, grauiter (vt dictum eſt) accuſauerat, lacus Comenſis inſulam cum præſidio recuperat: & Vdoni præfecto, qui ſub certis conditionibus eam tradiderat, fidem non ſeruat: inſulam enim vaſtat, & arcem demolitur, ne eſſet amplius Germanis receptaculo, à qbus ipſe vitã & dignitatem acceperat.

Otho I. Magnus.

Othonis iter in Liguriam.

Diem natalem, inchoantem annum noningenteſimum ſexa- 965.
geſimum quintũ, celebrat Imperator in vrbe regiâ Papiâ: actoque Italorum conuentu, ſua mandata exponit, pręfectos diſtribuit, ſe illorũ libertatis fore defenſorẽ promittit. Erat ei conqueſta aliquando, in agro Papienſe mulier vidua, de raptu filiæ; cuius cauſam ante aliquot annos diſtulerat; modò ei in mentẽ eadem recidebat. Cum intelligeret viduã adhuc in viuis eſſe, & raptori puellam ſtupratã iunctam matrimonio, eum accerſiri ad ſe mandat. Cum facinus perpetratũ iuuenis fateretur; iubet eum capite puniri: ſtatuens in poſterũ, Debere eſſe liberam & honeſtam matrimoniorum coniunctionem: non quærendam raptu, aut conciliandam lenociniis. Rebus omnibus prudenter diſpoſitis, reditũ in Saxoniã parat: bellisq; in Italiâ tribus confectis in Germaniam rediens, maximis vbiq; plauſibus excipitur. In itinere legati gentium variarum partim obſeruantię, partim metus causâ occurrebant, gratulantes de redactâ ad Imperiũ Italiâ, & gente nobili in libertatẽ reſtitutâ: quam vſq; ab Arnolphi Imperatoris temporibus, & factiones pontificiæ concuſſerant, & Reges iam octo incertâ ſucceſsione dilacerauerant. Cum tranſgreſſus eſſet Danubium: obuiàm illi procedunt filij, Otho dux, & Vilhelmus antiſtes Moguntinus, quem maturè ex Italiâ dimiſerat: qui exceptum in pago Hembodishemio, Vuormaciam vſque proſequuntur: in quâ vrbe à præſule Hannone honorificè habetur. Ibidem

Otho raptorem puellæ capite punit.

Othonis reditus in Germaniam eidemq; factæ congratulationes.

ei oc-

Otho I. Magnus.

ei occurrit BRVNO frater, antiſtes Colonienſis: diem feſtum Hypantes (vt Gemblacenſis & Vrsbergius nominant) cum eo celebraturus. Rectius hic dies oblationis Chriſti in templo à nobis dicitur ex Euangeliſtis: quàm aut à Simeonis occurſu, apud Græcos: aut à puerperæ purificatione, apud Romanos. Ingelhemij deinceps diem paſchatis ſolennem agitat: inde Coloniam venientem, accedit Mathildis mater. Diebus pentecoſtes manet Aquisgrani: in quâ vrbe eum inuiſunt GERBERGA ſoror, Galliæ regina, & Rex LOTHARIVS, ſororis filius: & ſoror altera HEDVIGIS, Hugonis comitis Pariſienſis vxor. Solebat tali in celebritate plerunq; vxorem, & filios ſecum ducere, & religioſos comitatus antiſtitum & præſulum tùm familiares lectiſsimos circum ſe habere. Ipſe abſtinebat à negotiis omnibus: & conclaui à turbâ ſeparato, vacabat lectioni aut orationi: cum ſacra peragenda in templo interdiu vel noctu eſſent, ante conclaue ipſum expectabant præſules & miniſtri, qui in ſacram ædem cum funalibus & lychnis ſcapo cuidam impoſitis, deducerent. Rebus diuinis intererat, donec cantiones & ceremoniæ vſitatæ omnes finirentur. Inde rurſus in conclaue ſimili pompâ & ſilentio ducebatur. Paſcebantur ijsdem diebus de menſâ imperatoris egeni: & dabantur munera ſacerdotibus, & donaria Eccleſiis: ea donaria plerunque erant libri, interdum calices, aut veſtes, aliæuè res precioſæ. Locus, in quo eiusmodi celebritatem ageret, maturè deſignabatur: nam ſacris peractis, ſolebat dies aliquot dare audiendis prouinciarum legatis, & diſcutiendis imperij negotiis, aut principum controuerſijs.

Othonis magnificentia.

Poſteaquàm illud tempus ſalutandis & compellandis ſuis, cum ſingulari ſuâ ſuorumque voluptate tranſegiſſet; Saxoniam adit. Vocatos ad ſe HERMANVM, & GERONEM duces fidiſſimos, quorum illi ditionem Luneburgiam, huic Brandeburgiã commiſerat: propter fidelitatem collaudat, & præmiis afficit: & eorum poſteros illarum prouinciarum ſolenni auctoritate dominos & hæredes conſtituit. Erga ludum Berbenſem, vt antea expoſui, erat optimè affectus, cupiebatq; modis omnibus amplificare: ſed obſtabat ei præſul Hildeshemius Bernardus, ſenex rigidus & moroſus, cui tamen religionis nomine ceſsit: tanta erat eius apud maiores noſtros, viros optimos & mitiſsimos, obſeruantia. Poſt præſulis obitum id, quod animo conſtituerat, munificè & ſplendidè perficit.

Burchardi Ducis Sueuiæ expeditio in Italiam.

Rumores eodem tempore ad eum ex Italiâ de Inſubrum defectione deferuntur: qui negatis tributis, & expulſis imperatoris præfe-

præfectis, Berengarij filium ALBERTVM reſtituerint. Quam-obrem vt in ipſis principiis conſilia hoſtiũ perturbaret: BVRCHARDVM Sueuiæ ſeu Alemaniæ Ducem, in Italiam mittit: ad quem Itali, qui fidi Imperatori erant, ſe conferentes, in hoſtem ſtatim mouendum cenſent; veriti, ne propter moram ipſi formidoloſi haberentur, & animi factioſis creſcerent. Albertus nihilo ſegnior flumen Padum traiicit: & in copias Imperatoris fortiter impetum facit: eodem nimirum conſilio properans, quo hoſtes properauerant: quorum etiam equitatum ex longo itinere feſſũ, & minus paratum ad certamen iudicabat. Initur pugna vtrinque alacriter: ſed eam Albertus non diu ſuſtinens, ſuperatur, plurimis ſuorum cæſis: fratre quoque ipſius GVIDONE interfecto: cuius cæde cognitâ, ipſe ſalutem in fugâ ponit: nec vllo loco certus cõſiſtit, ne in poteſtatem Germanorum veniret. Vno prælio fractis Italis, & reſtitutis in ſuam dignitatem præfectis Imperatoris, & exactâ ingenti à ſeditioſis pecuniâ, Burchardus in Germaniam victor reuertitur.

Otho I. Magnus.

Veniebat poſt eum GVIDO præſul Metenſis, calliditatis vulpinæ, vt Regino nominat, is ſe fidum Imperatori ſimulabat: ſed adibat Saxoniam, exploratoris animo. Is ne ſuſpectus foret, Albertum Berengarij filium, nomen ſibi regium vendicantem, grauiter accuſabat; & alios quoſdam ſe nominaturum dicebat, qui nomini Saxonico infeſti turbarent Italiam: quia autem leuis & fraudulentus habitus, ad Imperatoris conſpectum non admittitur. Cùm iam in aulâ plane conſtaret, Alberti legatum exploratorem fuiſſe: nondum Alpes transgreſſus in diœceſi Curienſe capitur: & conuictus improbitatis atque mendacij, in Slauos relegatur.

Guido Metenſis præſul exploratorum agit partes.

Moritur intereà Pontifex Leo VIII. cuius dignitatem magnâ contentione Imperator conſeruârat. Mittuntur in Saxoniam Azo Cancellarius, & Marinus præſul Sutrienſis: qui verbis ſenatus ampliſſimi rogabant, vt dignus daretur ſedi Romanæ pontifex. Nam propter ambitionem ſacerdotum, & ſeditiones perpetuas, & cædes multorum hominum innocentum, Imperator ius & poteſtatem pontificem eligendi à populo Romano ad ſe tranſtulerat: neque amplius pecuniâ emi, aut aliis artibus malis atq; turpibus comparari, ſummum honoris gradum patiebatur. Eâ de causâ Romam mittit Otgarum Spirenſem, & Luizonem Cremonenſem, præſules; integritate & doctrinâ viros eximios: quibus præſentibus & conſentientibus, more antiquo & ſuffragiis iuſtis eiuſmodi pontifex eligeretur, qui conſuetudinis Eccleſia-

Mors Leonis IIX. Pontificis.

Otho I. Magnus. ſticæ peritus & obſeruans eſſet, & morum ac vitæ ſanctitate ſpectabilis, neque de vllâ factione ſuſpectus, aut aliquo eſſet notatus auaritiæ aut libidinis crimine. Eligitur itaque votis communibus præſul, Narnienſis præſulis filius legitimus, dictus Iohannes XIII. Eum cùm propter ſimplicitatem Romani ſuperbè *Ioannes XIII Pp. electus, capitur.* contemnerent: Rofredum Capuæ Comitem incitant, qui illum ſede deturbet. Is à Petro, prætore Romano in vrbem adductus; tum in Eſquilino ſitam domum Pontificiam, iuxta ædem Lateranam, occupat: Pontificem in arcem pertractum, in vincula coniicit: demum ne præſentiâ ſuâ plebi moueret miſericordiã, Capuam ſecum deduxit. VDO Comes, de quo modò dicebamus, à præſule Vualdone deceptus, vt ſe vlciſci de eo poſſet, cum Alberto Berengarij filio, init amicitiam; cumque eius de effodiendis præſuli oculis conſilium eſſet per miniſtrum patefactum; aquâ & igni illi interdicitur: qui profugiens ex Italiâ, vsque ad obitum præſulis in Franciâ ſe continuit orientali.

966. Anno Chriſti ſupra noningenteſimum ſexageſimo ſexto, *Comitia Vuormacienſia.* Imperator Principes Germaniæ Vuormaciam vocat: ibi de rebus duabus præcipuis conſultatum eſt: primùm de confirmatione OTHONIS filij in imperio: deinde de nouâ rurſus in Italiam expeditione. Primâ deliberatione itum eſt in ſententiam Imperatoris, quam ipſe propoſuit, nullo homine diſſentiente: alterâ decretum, vt Principes Imperatorem in Italiam ſequantur, aut dignos legatos mittant.

Othonis expeditio altera in Italiam. Conſcripto igitur firmiſsimo exercitu, cuius delectus Vuormaciæ actus eſt, per Alſaticum & Curienſem diœceſes, deſcendit in Italiam: cuius potentiæ cùm non valerent reſiſtere: omnia caſtella, omnes vrbes ipſi patuêre. Mediolanum veniens, eos, qui ad Berengarij filium defecerant, partim in Franciam, partim in Saxoniam vinctos relegat, & bona ipſorum publicat: inter quos nominis præcipui erat SIGOLPHVS præſul Placentinus. Mandat inde præfectis vrbium, vt in ALBERTVM ſint intenti: quo capto aut ſublato, pax Italiæ iam ſit reſtituta. Romani aduentu Imperatoris cognito, dubij fuerunt diu, num portas ei clauderent; an ſibi, quibus poſſent officiis, reconciliarent: quia ſciebant grauiter vlturum capti & expulſi Pontificis iniuriam. Iohannes Dux Campaniæ, Pandolphi *Ioannes XIII. Pontificiæ ſedi reſtituitur.* frater, Rofredum Comitem Capuanum, quem ſuæ audaciæ & perfidiæ habebant anteſignanum, interfecerat; igitur de reconciliatione deliberant: ad quam vt ſibi viam facerent: Pontificem exactum poſt menſem vndecimum è Campaniâ reducunt;

& in priſtinum honoris gradum honorificè collocant; ſedem Lateranam in formam auguſtiorem extruunt: Imperatori ad vrbem aduentanti, legatos obuiam mittunt. Mortem obierat Pabepergæ BERENGARIVS, more regio ibidem ſepultus: VVILLA vxor eius vidua velum ſumit: & vitam, quam impurè vixerat, in cœnobio tranſigit. Vocauerat ad ſe Imperator ex Germaniâ OTHONEM filium, quem Vilhelmus Moguntinus frater, comitatu multorum principum ſecutus eſt: is vnà cum patre Romam ingreditur, menſe Decembri. Poſt celebratum de more diem natalem, Imperator Romanos ad dicendam cauſam conuocat: & vt ſeditioſorum nomina proferrent, edicto graui mandat: pertinaces ſubiici quæſtionibus iubet. *Otho I. Magnus.*

Erant tum Romæ magiſtratus primarij, quorum & ſupra facta mentio eſt, bini conſules, & vnus prætor: quibus adiuncti erant decuriones plebeij, penes quos poteſtas erat publica: quâ nimis libidinosè vtebantur: neque præſcripto legum, ſed ſuo libitu agebant, quæ ipſis placerent, non ſolum in ciuitate, ſed etiam in Eccleſiâ. Laborabant igitur non minùs pij Sacerdotes, quàm Reſpublica, & honeſti ciues: nam nulli aut dignitas, aut libertas incolumis: non templa diuorum, non lares domeſtici, tuti erant: nec fortunis, neque corporibus hominum ingenuorum parcebatur, aperto videlicet furore & licentiâ. *Forma Reipub. Romanæ.*

Tali formâ ciuitatis inſpectâ, Imperator exhorruit: & quia amans erat religionis, & abominabatur obſcœnitatem: putauit ſibi ſeuerius agendum, quàm antea fecerat. De magiſtratuum vitâ inquirebat, & facta ipſorum & impunitatem examinabat debito rigore iuſticiæ: non ius, non fas, non lex valuerat, ſed omninò nulla Reſpub. erat: voluntas eorum pro mandatis, cupiditates erant pro iuſsis. Igitur Decuriones damnati reſtibus iugulantur: conſules captiui abducuntur in Saxoniam. Prætor è fugâ & latebris tractus, loris publicè cæditur: & ignominiosè iumento impoſitus per vicos vrbis agitatur: & vt nonnulli ſcribunt, vinctus in Germaniam mittitur: vt alij, de ſtatuâ Antonini æneâ ſuſpenditur: quæ tum in areâ Lateranâ ſtabat, nunc in Capitolinâ cernitur. Hic autem Comitem Rofredum, vt dixi, in vrbem duxerat: & manus ipſe conieceerat in Pontificem. Tyrannis XIII. ſublatis, renouantur edicta priſtina; ne quis aut Imperatoris aut Pontificis iuſſa decretaue violet, aut otium vrbis turbet, aut factiones alat, aut clan- *Otho Romanæ Reip. ſtatum emendat.*

Otho I. Magnus.

deſtina arma inferat, aut loca munita ſine conſenſu teneat. Similiter pœnæ ſtatuuntur capitales in contumaces, ſeditioſos, rebelles.

Rauennæ quæ egerit Otho.

Imperator emendato vrbis ſtatu, cum Pontifice proficiſcitur Spoletum, vt quæ viderentur, & ibi diſponeret. Inde celebrandi Paſchatis gratiâ, ambo accedunt Rauennam, quæ vrbs cum ſuâ diœceſi (nam eam Berengarius tenuerat) redditur ſedi Pontificiæ. Ibidem coactâ præſulum Synodo, in æde Seuerianâ exponit Imperator; quanta bella pro domandis Slauis, & ad religionis veritatem adducendis geſſerit: eam ne gens duræ ceruicis & aſperæ abijciat, petit conſilio ſe inſtrui; nimirum quid faciendum ſit, cùm ad eos retinendos in officio, quos domuerit; tùm ad alios vel attrahendos vel alliciendos, qui nondum iugum ſubierint, aut religionem nouerint. Id cum ſeriò ageret: probata mirificè eſt eius officioſa pietas: decretumque, vt pro locorum ratione ordinarentur præſules, & vt vni metropolitano, tanquam inſpectori & ſuperintendenti, quo veteres verbo vſi ſunt, cæteri ſubiicerentur. Erant tum Imperatori præſentes ANNO Vuormacienſis, & ORTVINVS Hildeſemius, antea abbates Berbenſes: quorum conſiliis agebat, quæ ad negotia eccleſiaſtica pertinerent: his auctoribus Richardum ex eodem loco Abbatem volebat metropolitanum creare; quem tum propter eruditionem & prudentiam etiam in ſuo comitatu habebat: ſed aulicorum accuſationes fecerunt, vt ſententiam mutaret: eamque electionem vsque in ſuum reditum in Germaniam differret. Auctoritate autem Pontificis, & Petri præſulis Rauennatis, facta Imperatori poteſtas eſt, ea, quæ vellet conſtituendi, modò id fieret ſine præſulis Halberſtadij & eius diœceſis incommodo. Richardus repulsâ offenſus, paulò pòſt dolore animi obijt.

Legatio Nicephori Imp. Byzantini ad Othonem.

Imperatoris nomen propter ſapientiam & felicitatem admirationi & terrori populis erat: fama autem pietatis & clementiæ, illi amorem & gratiam conciliabat. Imperium Orientale tum gubernabat NICEPHORVS, Phocæ filius: qui è belli duce ad id peruenerat. Is legatos ad Imperatorem mittit, qui Rauennæ eum conueniunt. Salute nunciatâ & expoſitis muneribus, petunt inter Græcos & Germanos (quos illi Francos nominant) fœderum antiquorum renouationem: & Apuliæ atque Calabriæ reſtitutionem pollicentur, ſi inter ipſos conſenſus fiat. Legatis benignè reſponſum eſt, ſuntque viciſsim cum

donis honorificentiſsimè dimiſsi. Metuebant autem Græci Saxonem: ne, ſi Italiam ſubegiſſet, longiùs cupiditate progrederetur: quem hactenus armis & prudentiâ cognouerant inuictum. *Otho I. Magnus.*

Paulò poſt id tempus, Imperator de ſuorum conſilijs legatos Conſtantinopolim mittit; qui Nicephori priuignam, Romani Imperatoris defuncti filiam, Othoni filio ſuo coniugem ambirent: & inuitarent Nicephorum, vt colloquij causâ, ſi quâ poſſet fieri, in Italiam venire ne grauaretur, quod & Pontifex ab eodem multis verbis petiit. *Legatio Othonis ad Nicephorum.*

Interea antiſtes Moguntinus, Imperatoris frater, in Italiâ ægrotare cœpit, tam ſubitò, vt omnes ſuſpicarentur, venenum hauſiſſe: ſed aêre mutato, in itinere in Germaniam reualeſcit, & poſt duos demum annos, vt Scafnaburgius, vitam cum morte commutauit. *Vuilhelmi Antiſtitis Moguntini mors.*

Floruerunt eodem tempore in Ducatu Brunſuigio, argenti & plumbi nigri metalla Goslariæ, quas venas aperuerat quidem Henricus Imperator, pater Othonis, in monte Ramelo: ſed tum primùm cultores ſuos præclarè ditare cœperunt, copiâ & prouentu. Errant nonnullorum annaliùm ſcriptores, qui metalla Miſnenſia hoc in loco nominant: quæ non Otho Imperator, ſed Otho Marchio Miſnenſis in montibus Sudetis inuenit Fribergi, temporibus Friderici primi, annos ducentos poſt Goslarienſia. *Metalla Goslarienſia.*

Menſe Septembri è Græciâ legati redeunt, qui cum reſponſum optatum referrent, & puellam è Calabriâ adducendam dicerent: Imperator eò mittit cohortes aliquot militum, qui cùm & ſplendidè veſtiti eſſent, & arma inſignia geſtarent: Græci homines, tum eam Italiæ oram tenentes, prædâ illecti; Germanos, nihil ſuſpicantes aut metuentes mali, adoriuntur: partem eorum cædunt: vniuerſos exuunt: captos quoſdam Conſtantinopolim mittunt. Ii, qui euaſerant, cum de Græcorum perfidiâ ad Imperatorem retuliſſent, propter iniuriam viris fortiſsimis tempore iniquiſsimo illatam, vehementer ſtomachatus eſt. Itaque conſilio cum ſuis habito, expeditionem decernit in Calabriam: ad quam eum extimulabat non tantùm acceptum dedecus: ſed etiam qui ſe ſocios belli profitebantur, Pandolphus Dux Capuanorum, & Landolphus Beneuentanorum. Erat Imperatori pugnandum, & cum milite Mauro, & cum Conſtantinopolitano. Quocirca copias ſuas Imperator diuidit: OTHONEM filium, id expetentem, contra Mauros mittit; GVNTHERVM & *Othonis Imperatoris expeditio in Calabriam.*

Otho I. Magnus. SIFFRIDVM Comites in omni genere armorum, oppugnationibus, & præliis exercitatos, contra Græcos. Mauri Saracenorum reliquiæ, ex Africâ in Italiam nauigârant; & templum Archangeli in Apuliæ monte Gargano ſpoliârant; & vrbem Coſentiam incenſam euerterant: vrbem Fraxinetum ad ſe defendendos munierant. Illyrij & Vngari (vt ſcriptores Italici tradunt) amore religionis excitati, ſpontè Italiam acceſſerant; vt gentes impias & barbaras inde eijcerent, & religionem templi celeberrimi vendicarent, idque peregerunt feliciter. Verùm Mauri icto cum Græcis fœdere, rurſus in Calabriam irrumpunt: viuentes ex latrociniis & piraticâ. Hi animaduerſo Germanorum aduentu, quidquid colligere raptim poſſunt, nauibus imponunt, & in Africam properant: nihilominus Imperator ſuum inſtitutum exequens, reliquias eorum in Italiâ delet, vrbibus reddit libertatem, & inſtaurat arces, quas demoliti erant. Impetum autem Germani in Græcorum præſidia facientes, plurimos eorum occidunt: captos, qui ſe redimere non poterant, naſis mutilant: ditiores ſpoliis & pecuniâ emungunt, eosque totâ Calabriâ & Apuliâ expellunt. Erat tum Conſtantinopoli magna annonæ difficultas: quam cum NICEPHORVS non modò non ſubleuaret, ſed etiam grauaret populum: propter auaritiam, eum ſibi infeſtum reddidit: qui cum recenti facto videret, multos viros fortes turpiter deformatos: eum odiſſe impenſiùs cœpit: quòd non tranſegiſſet cum Imperatore, & talem à gente Græcâ auertiſſet ignominiam. THEOPHANIA vxor in eundem conſpirat: quem audiuerat BASILIVM & CONSTANTINVM filios ſuos, ipſius priuignos, euirare conſtituiſſe: vt imperio ſolus potiretur. Itaque cum duobus ſociis in cubiculum nocturno tempore ſubleuatum Iohannem Zimiſcem: eis præbet maritum iugulandum. Factum hoc eſt anno, ſupra noningenteſimum primo & ſeptuageſimo.

Nicephorus fit infenſus populo.

971.

Tirocinium auſpicatum Othonis Imperatoris filij contra Mauros, prædicatum eſt: & Græcos fugatos è Calabriæ litoribus, omnis ſibi gratulata fuit Italia. ZIMISCES ſicarius, vt Græcos ſibi faceret beneuolos, neque Germanis anſam daret fines Græciæ inuadendi: in Inſulam quandam THEOPHANIAM Imperatricem relegat, quanquam inuitus: Baſilium & Conſtantinum, Imperij conſortes facit: ſororem eorum THEOPHANIAM ad Othonem, cum regio apparatu & muneribus tranſmittit in Italiam: Germanos, qui capti detinebantur, liberos vnà abire

abire præcipit: quidquid Græci in littoribus Italiæ tenuerant, doti puellæ dicit. Eo tempore finis Imperij Romani portus Brundusinus ſtatuebatur. Vlteriora Græci ſibi vendicabant, quod Theodoricus Niemus Magdeburgius verè annotauit. *Otho I. Magnus.*

Nuptiæ Othonis Romæ factæ ſunt inſigni celebritate, & gentium multarum variarumque concurſu & ſtupore: quibus transactis à Iohanne XIII. Pontifice vnà cum vxore, coronam imperialem accipit in æde Lateranâ, anno ſupra noningenteſimum ſeptuageſimo ſecundo. Equites aurati creantur multi ex Imperatoris comitatu, item Græci aliquot nobiles: Pandolpho ducatus Campaniæ confirmatur: & vrbis capuæ præſul, Pandolpho cognatus, metropolitanus pronunciatur. *Nuptiæ Othonis II. Imp. & coronatio.* 972.

Eodem anno BOLISLAVS II. Dux Boëmiæ, ſororis Miladæ precibus legatum Romam mittit, pro firmatione Epiſcopatus Pragenſis, & Baſilicæ dedicandæ: item pro cœnobio Georgiano, quod Milada conſtruxerat, & cum puellabus inhabitabat, conſecrando. Id illi cum ſignificatione beneuolentiæ & lætitiæ ſuæ, Pontifex concedit: eâ tamen conditione, ne Sacerdotem aut Bulgarum, aut Ruſſum, aut Slauum, eiusque gentis alterutrius ſectam ſequentem admitteret: ſed qui inſtituta & ritus Eccleſiæ Romanæ calleret, & imitaretur. Eligit Bolislaus Ditmarum quendam Saxonem, linguæ Boëmicæ non ignarum, & inprimis ſibi probatum vitæ grauitate, & eloquentiâ: quem ab Imperatore (vt Coſmas Pragenſis ſcribit) confirmari poſtulauit. Eâ de causâ miſſus Robertus antiſtes Moguntinus in Boëmiam, ſolio Epiſcopali Ditmarum imponit. *Bolislai II. Bohemiæ Regis legatio ad Pontificem Romanum.*

Rebus Italicis in ſtatum tranquillum reductis; & expulſis eiectisque hoſtibus externis, ab obſidione Fraxineti re infectâ diſcedit: id enim nondum expugnari poterat. Partem copiarum in Germaniam mittit: ipſe cum delectis cohortibus contendit in Galliam ad ſalutandos ſororum filios: primò LOTHARIVM Regem è Gerberga vidua natum, Regis Ludouici filium: deinde HVGONEM Ducem Gallorum, item OTHONEM Ducem Burgundorum fratres, ex Heduige genitos, Hugonis Comitis Pariſienſis filios. Ab his omnibus perhonorificè acceptus, controuerſias inter ipſos de regno audiuit: & quia eas planè componere aut tollere non potuit: hortatus eſt, ne ſuâ cupiditate aut diſcordiâ & ſe perderent, & regnum florentiſſimum in diſcrimen adducerent: *Othonis iter in Galliam.*

Otho I. Magnus.

ipſos & naturâ & ſanguine inter ſe propinquos, animis quoque coniunctos eſſe debere, ſi pacem ament: nullum hoſtem obeſſe poſſe vnanimis, & mutua inuicem auxilia ferentibus: ſin opes ſuas diſiungant, alteram partem non poſſe opprimi ab altera, ſine domeſtico ſcelere, & ſine totius regni detrimento. Acceſsit ad ipſum quoque tertius Heduigis filius HENRICVS: qui Othoni Burgundo, non diu ſuperſtiti, in ducatu ſucceſsit. Singulis cum munera dediſſet regia: affectu illis paterno valedixit: quaſi diuinans, quòd non eſſet amplius eorum conſpectu in his terris fruiturus. Ideo autem eos inuiſit libentiùs, quòd filium ſecum duceret iam Imperio deſtinatum: nam prouidebat amicitiam & neceſsitudinem iſtorum Regum conſobrinorum cum amitino, ſi coleretur, eâ quâ par eſſet obſeruantiâ, profuturam poſteritati, & inprimis ſalutarem fore Germaniæ, cuius ſalutem & ornamenta omnibus aliis rebus humanis optimus Imperator præferebat.

Tumultus Magdeburgicus.

Dum in Italiâ abfuerat, tumultus Magdeburgi leui de causâ oritur. HERMANVS enim Dux Luneburgius, cui erant vices Imperatoris in Saxoniâ commiſſæ, diem ibi nobilibus aliquot indixerat. In vrbem adueniens, ab antiſtite in Eccleſiam cum ſonitu campanarum, & tædis prælucentibus deducebatur: qui honor ſoli Imperatori ſolebat tribui: ægrè id factum tulit HENRICVS Comes Summeringius, Lotharij illius, quem ſupra contra Imperatorem diximus conſpiraſſe, filius: ideò coronam honoris causâ Ducem proſequentium, cum ſuis ſatellitibus turbat: in quem cùm manus iniiciendas Dux mandaret, miniſtri eius ab armatis Henrici miniſtris repelluntur: Henricus vim metuens, ex vrbe diſcedit, Romam tamen ire ab antiſtite iubebatur, & ſe Imperatori excuſare: cui mandato ſtatim obſequitur.

In conſpectum Imperatoris veniens, factum ſuum exponit liberè: & Hermanum arrogantiæ accuſat, qui medius inter præſules menſæ accumbat, & lecticâ vtatur: Antiſtitem impudentiæ, qui campanis & funalibus aliquem deducat, præter Imperatorem. Amborum factis Imperator offenſus, antiſtiti mandat, vt tot equos ad ſe mittat, quot campanas pulſauerit, & quot accenderit funalia. Henricum, quòd Imperatoris locum defendiſſet; & ſibi etiam ſanguine vinctus eſſet; torque aureo donatum iubet remeare in patriam.

Delictum

Otho I. Magnus.

Cidinensis tumultus.

Delictum Vdonis Marchionis grauius erat: qui Miſeconem Imperatori tributarium ſine cauſâ inuaſerat, quem Sigfridus Henrici, Comitis modò dicti filius, adoleſcens animoſus, auxiliis iuuerat. Cùm autem primâ irruptione victores fuiſſent: Cideburus frater Miſeconis, de repentè conuocato ad arma populo, eos inſequitur: quod cum incautis accideret, eorum militem omnem opprimit & occidit: Vdo & Sigfridus fugâ vix elabuntur. Vrbem ad quam caſus iſte illis accidit, Cidinum vocat Ditmarus. Imperator de tali tumultu literis acceptis, & Vdoni & Miſeconi pœnâ propoſitâ interdicit, ne quid inter ſe hoſtiliter porrò agant: ſed cauſam ſuo integram relinquant aduentui & arbitrio.

Benedicti VI. Pontificis mors.

BENEDICTVM VI. Pontificem poſt Iohannis obitum electum, Romani ciues, Cincio Stephanio prætore inſtigante, in carcerem coniecerant: in quo ab iiſdem interfectus eſt, nocte natalis dominici, potione (vt nonnulli tradunt) abſynthiacâ: vt alij, myrrhatâ. Causa, cur id factum ſit, nullibi eſt expreſſa: accuſatum fuiſſe Benedictum apud Imperatorem; & hunc conſenſiſſe, vt in ordinem redigeretur, ſolus Ditmarus ſcribit: ſimulque factum improbat, quòd nulli liceat de Pontifice iudicare niſi Deo, vt ipſe inquit.

Othonis reditus in Saxoniam.

Imperator ſuis in Galliâ ſalutatis, proficiſcitur in Bauariam: ibique fratris filio appellato; & conſtitutis, quæ volebat, negociis; itinere recto tendit in Saxoniam: ſtatuerat enim, feſſus iam ætate atque curis, filio habenas gubernationis committere: vt vacaret liberiùs cultui diuino, qui ab adoleſcentiâ ætatem ferè omnem, aut in caſtris, aut in profectionibus tranſegerat.

Othonis ſtudium in extruenda Baſilica Magdeburgia.

In bellis, Vngarico præſertim vouerat, ſe fore perpetuum defenſorem & propagatorem religionis: ideò HILLIVARDVM Halberſtadij præpoſitum anteà Romam euocauerat; vt eius conſilio vteretur in extruenda Baſilicâ Magdeburgiâ, & inſtituendo Sacerdotum collegio: præſulem enim Bernardum, vt diximus, habebat aduerſarium: qui ita pertinaciter ſua iura, & ſuos redditus defenderat; vt etiam in carcerem Quedilnburgi coniectus, non cederet: in quo cùm iam dies aliquot teneretur, ipſo die Paraſceues inſignia Pontificialia ſibi afferri curauit: quibus indutus, Imperatorem accerſit: qui ſperans obtenturum ſe, à ſene pertinace, & iam captiuo, quod religionis gratiâ humiliter petierat, ad carcerem cum

Otho I. Magnus. cum comitatu aulicorum accedit: videns præſulem tali ornatu aſtantem, delirare ipſum exiſtimat. Præſul ſuâ auctoritate diras in præſentem iacit, & à ſocietate Eccleſiæ excludit, cum iis omnibus qui idem, quod ipſe, ſentirent, probarentque. Hâc conſtantiâ liberatur è cuſtodiâ, & Imperatoris propoſitum, vt ſemper fecerat, impedit. Sene iſto moroſo, altero poſt anno III. Non. Februarij defuncto, cùm annos
973. octo & quadraginta ſediſſet: Imperator Hilliuardum Comitem Verlanum, Erici filium, ipſi dat ſucceſſorem: qui vt cultum diuinum promoueret, & Imperatori non iniqua poſtulanti gratificaretur: de ſuis commodis ac prouentibus nonnihil detrahit, vt augeatur alijs quoque in locis eccleſiarum recentiorum pomærium. Conceſsit autem Imperatori ad eccleſiam Magdeburgiam, quidquid erat inter Oram, Albim, & Bodam fluuios, & inter viam quæ Friderici dicebatur: præterea quidquid inter Vuillerbecam, mare ſalſum, Salam, Vnſtrutam, & Ilmenam fluuios, foſſam quoque iuxta Vuallenhuſiam, ſitum erat: quibus finibus Epiſcopatus Mersburgius continetur. Tanto munere præter opinionem à præſule munificentiſsimo affectus, in eius amplexus ruit: & ei dignitatem præſulatus Halberſtadij confirmat, tanquam præmium, quo patris interitum conſolaretur, qui gladio punitus erat: quia conſpirationis in necem Imperatoris conſcius erat.

Conuentus Magdeburgius. Poſt hæc conuentum per Saxoniam indicit, omneſque ordines ſibi adeſſe Magdeburgi iubet, feſto Natalis Chriſti: ad quod cùm magna hominum frequentia cupidè confluxiſſet: Imperator eos humaniſsimè allocutus: Quod votis (inquit) diu expetiui, hoc nunc die conſequor, vt videam Eccleſiam in iis locis naſci, in quibus antea nomen eius penitus ignotum fuit: & in quibus pro Deo & Chriſto eius, idola & monſtra quædam adorabantur; & populus ferus nullam nouerat pietatem veram, nullique cultui vitæ honeſtæ aſſuetus erat. Agnoſco euidentia illa Dei beneficia, qui me inter tot inſidias familiarium, inter gentium tam diuerſarum tela conſeruauit, ad hanc vſque lucem, qua vobiſcum publicè pro tot meritis gratias ei debitas agerem. Meminiſtis in me intentas fuiſſe ſicas meorum domeſticorum: vidiſtis in bellis, in prælijs, in oppugnationibus, contra Boëmos, Sclauos, Vngaros, Italos, Græcos, Mauros, mea pericula plurima: doluiſtis mecum ſæpè me ab iis deſertum quos alueram, auxeram, conſeruâram. Saluus tamen

men nunc vobis, & bona ætate loquor, & Deo, qui manus meas docuit præliari, quique excuſsit iacula in me directa, gratias immortales agendas, hoc die, cenſeo. Piorum conſiliorum auctorem Hilliuardum, qui primum me iubente, Ruſſos docuit: qui infulam & pedum Eccleſiæ Halberſtadianæ nuper merito ſuo accepit: qui nunc auctoritate apoſtolicâ metropolitanus Saxoniæ conſtitutus eſt: Hilleuardum inquam, nouæ huius Eccleſiæ antiſtitem digniſsimum, vobis commendo, vt omni eum fauore & veneratione proſequamini: & hos populos domitos, pro veſtro erga nos amore & ſtudio, in officio retineatis: & pro ſe quisque, vt religio ſeruetur & amplificetur, inuigiletis: quâ diligentiâ nihil vobis dignius, nihil Deo æterno acceptius. *Otho I. Magnus.*

Hæc eius oratio omnium animos permouit, & excepta ingenti admiratione eſt. Guido Bibliothecarius & Benedictus Cardinalis, qui à Pontifice illuc miſsi erant, ritu ſolenni nouum antiſtitem conſecrant: & ornatum Infulâ ac trabeâ, ſellæ imponunt: deinceps, BOSO Mersburgius, BVRCHARDVS Miſnenſis, & HVGO Citienſis, præſente Imperatore eiusque filio, inaugurantur. Inter tres autem Epiſcopatus Boſoni qui è cœnobio Ratisbonenſe erat, optio datur, quem velit, eligendi: ſed ipſe ambitionis vacuus, ſe Imperatoris voluntati ſubiicit.

Eccleſias autem iſtas Mersburgi, Miſnæ, Citij Imperator fundauit: & ex agris atque vrbibus, Slauis ademptis, reditus liberales conſtituit. Subiecit eidem Hilliuardo Dudonem Hauelburgium, Ditmarum Brandeburgium, Iordanem Poſnanienſem, qui antea Moguntino paruerant antiſtiti, & illi ipſi conuentui intererant. Emendauit per eundem eccleſias, vt vocant, Cathedrales, Mechelburgiam, Sleſuicenſem, Ripenſem, Altenburgiam: quas Antiſtiti Hamburgio inſpiciendas commiſit, quæ antea Colonienſem ſecuti erant. Haraldus Rex Daniæ, armis ſubiugatus, memorabili ad Othoſundam prælio, etiam aſſentiebatur; vt in ſuo regno paſsim conſtitueretur res eccleſiaſtica: quæ initia ſumpſerat ſatis felicia & læta iam ante annos aliquot, per Adelgadum antiſtitem Hamburgium. *Eccleſiæ ab Othone fundatæ.*

De Rege HARALDO, & de POPPONE Vilhelmi Comitis (vt Ditmarus ſcribit) fratre, memorabilis narratur Hiſtoria. Rex Danicus Viburgi in Iutiâ proceres ſuos cōuocauerat in religionis negotio; quâ videlicet moderatione ea tradenda eſſet: ne populus rudis propter aliquam inſolentiam tumultuaretur: quia nihil mi- *Qua ratione Dani Chriſtianā religionem amplexi ſint.*

Otho I. Magnus.

hil minus quàm conſuetudo patria euelli ex animis poteſt: neuè videretur nouitate eâ aliud quæri, quàm ſalus hominum, curandum in primis putabat: nimis enim ſuſpicioſa plebs eſt, ſi qua mutatio incidit, præſertim tantæ rei, quam pertinaciter omnes homines defendunt. Quamuis non malè ſentiebat rex: tamen proceres quoſdam, & populum metuere cogebatur: qui & antea ipſi repugnârant, & nunc repugnaturi eſſent, niſi ſint inducti obſequio & perſuaſi humanitate. Aderant in eo conuentu Ripenſis & Sleuicenſis præſules: diſputatum acriter in vtranque partem eſt; alijs tuentibus patriam ſuperſtitionem, à maioribus comprobatam ac relictam: aliis commendantibus de vero Deo doctrinam, non ab hominibus inuentam aut excogitatam, ſed à mundi initio diuinitus traditam, & miraculis magnis atque ſtupendis eorum certam & confirmatam. Poſteaquàm facta miraculorum mentio eſt; vulgus à diſputatione prouocauit ad miracula, ſolitâ nimirum leuitate, & innata omnibus, quod ad Deum & ſalutem animorum pertinet, incredulitate. Nemo locutus maiore contentione & ardore fuerat pro verâ religione, quá Poppo Comes, de quo modò dicere inchoaueram: nam & facundiâ pollebat, & rerum plurimarum experientiâ; & flagrabat magno amore Dei. Itaque in eum omnium oculi coniiciebantur, cum ſubito ſtupore & ſilentio: in primis autem Rex, qui religionem promotam cupiebat, ſedebat attonitus. Tum Poppo: Ne videamur (inquit) verbis tantùm agere, quod factis non præſtetur: aut non poſſe videatur fieri, quod ore proferimus: ecce me vobis offero, Dei æterni & omnipotentis magnificentiam & virtutem meo corpore vobis comprobaturus. Mos olim in Saxoniâ & gentibus vicinis fuit ignita chirotheca, aut baculo candente ferreo, explorare adulteria. Tale aliquid Poppo in medium opponi poſtulauit, rege eam confidentiam vultu hilari excipiente, ferrum ingentis ponderis afferri præcipit, & ante omnium oculos prunis imponi: id Poppo iam candens raptum, manu alacriter ſubleuat: rogatque quouſque ſit ſibi deportandum. Id cum impune fieri innumeri propemodum mortales viderent: ipſe coram vniuerſis exclamat: Deus (inquit) noſter, qui cum Filio & Spiritu ſancto elementa ſolus condidit, elementis, vt videtis, ſolus imperat: ſuaque potentiâ vim ferri vrentem reprimit, ad honorem nominis ſui, vt per adoleſcentes olim in Babylonicâ fornace oſtendit: quod mox per præſules rectores veſtros docebimini. Tum appellat partem aduerſariam, vt ſuæ quoque religionis aliquod oſtenderet dignum fide miraculum. Nemo

contrà

contrà dicere audebat, aut poterat: ſuntque, & qui Chriſti doctrinam mente non intentâ audiuerant, confirmati: & qui ab eâ alieniſsimi fuerant, ad Eccleſiam cum fiduciâ adiuncti. POPPONEM ipſum deinceps datum illi genti præſulem nonnulli tradunt. Ad id munus omnium vocibus & votis poſtulatus cum recuſare illud non poſſet, eâ tamen accepit conditione, vt ſibi concederetur ordine ad id progredi, vtque poſteris exemplum ſtudioſæ imitationis relinqueret; & vt maiore auctoritate nouæ eccleſiæ præeſſet: primum lectoris officio, tum exorciſtæ fungebatur, donec honorem Sacerdotij adipiſceretur. Ita veluti gradibus, per quos more antiquo eundum erat, ad ſedem illam eminentem vir militaris aſcendit. Quemadmodum autem initiò gentes Saxonicæ, & animis & armis pertinaciſsimæ, multorum annorum bellis & cladibus ad fidem Chriſtianam à Carolo Magno adactæ fuerant: ita Henetorum ſeu Slauorum natio aſpera & contumax, amiſsâ libertate corporum, animorum ſalutem cœpit acquirere. *Otho I. Magnus.*

Omninò Imperatores tres fuerunt, Eccleſiæ Chriſti potentes & perpetui amici: CONSTANTINVS Magnus è Romanis, CAROLVS Magnus è Francis, OTHO Magnus è Saxonibus: quibus Deus in hoſtibus ſubiugandis præſens ſæpiſsimè affuit: & ſe defenſorem pij magiſtratus, ſignis manifeſtis, & miraculoſis victoriis declarauit. Eâdem de causâ Romanus Pontifex Iohannes, & in ſermonibus & in literis Auguſtorum, auguſtiſsimos hos Cæſares nominauit: vt Antiſtitum Magdeburgiorum annales teſtantur. *Tres Impp. religionis Chriſtianæ propagatores acerrimi.*

Manſit Imperator Magdeburgi ad menſem vſque Martium: inde profectus eſt Quedilnburgum, ad diem Paſchatis de more celebrandum, qui tunc erat X. Calend. April. Aderant ibidem legati Græcorum, Beneuentanorum, Romanorum, reliquæ item Italiæ: item Vngarorum, Danorum, Sclauorum, Bulgarorum, Ruſſorum: præterea Poloniæ & Boëmiæ Duces, Meſico & Bolislaus, præſentes ipſi erant, cum comitatu inſigni. Compoſitis inter eos multis controuerſiis, cum honore & muneribus ambos dimittit. *Otho Quedlinburgum proficiſcitur.*

Eâdem in vrbe moritur Calend. April. HERMANVS: quo neminem magis è ſuis præfectis Imperator dilexerat: quemque propter virtutes raras Ducem Luneburgi creârat. Teſtabatur etiam querelis Imperator, quanto eius teneretur *Hermani Ducis Luneburgij mors.*

 deſiderio.

Otho I. Magnus.

deſiderio. Conditis ibidem inteſtinis, corpus defuncti à Bernardo (vt ſolus eum nominat Ditmarus) vel à Bennone (vt Helmoldus alijque ſcriptores) filio ipſius, Luneburgum transfertur.

Bruno Præſul Verdenſis Hermani conſanguineus, eum cenſurâ Eccleſiaſticâ damnauerat: ad quē profecti BERNARDVS & HERMANVS filij, ſuppliciter pro patre orant, vt abſolutus in templo tumuletur: memoriam etiam patrui Amelungi renouant, cui Bruno ſucceſſerat: ſed planè nihil aut propinquitatis nomine, aut precum humilitate impetrant: donec Imperatoris intercederet auctoritas: qui & ipſe à viro ſeueriſsimo id difficulter obtinuit: nam non multò anteà pro tuendo Eccleſiæ iure Imperatorem ipſum neglexerat.

Narratio de Herpone Sacerdote.

Amabat Imperator HERPONEM Sacerdotem, Volcmàri Antiſtitis fratrem, adoleſcentem maximæ expectationis, qui Antiſtiti ſuo ADELGADO fidelem & liberam nauarat operam, contra accuſationes Colonienſis Antiſtitis: cuius indole & induſtriâ probatâ, ei Imperator promittit locum dignitatis Eccleſiaſticæ, quicunque primus futurus eſſet vacuus: Cum autem Bruno iam eſſet prouectæ ætatis, laudemque integritatis obtineret ſingularem: Herponem ei Imperator per literas commendat; oratque vt eum filij loco habeat, & tanquam ſuæ Eccleſiæ hæredem rectè inſtituat: eos hæredes iam coadiutores appellant: tales autem collegas altero nondum mortuo addere, illis erat temporibus inuſitatum. Quamobrem BRVNO coram iis, qui miſsi erant, doluit acerbè, eſtque de facti nouitate conqueſtus plurimùm: ſe quamuis ſenem & decrepitum, nunquam defuiſſe vllâ in re ſuæ eccleſiæ: nec egere adoleſcentis aut conſilio aut officio. Linquens præterea incertum Herponem, in templum ſe deportandum curat: humique ſtratus, audientibus omnibus Deo ſupplicat; ne ſinat Imperatorum aut Principum potentia labefactari libertatem Eccleſiæ; neuè ambitioſi præferantur humilibus, adoleſcentes expertis, catechumeni Epiſcopis: literas ad extremum ad Imperatorem mittit, plenas grauitatis: in quibus indicat præter conſuetudinem fieri, vt quis inhiet Eccleſiæ ante præſulis mortem: & periculoſum eſſe, vni muneri duos præficere, cum inde & negligentia facillimè & contentiones oriantur. Se autem teſtatur exemplo ſuo talis nouitatis nec auctorem futurum aliis; nec

adiu-

adiutorem Imperatori ipſi, rem iniuſtam & periculoſam mandanti. Hâc recuſatione (inquiens) nec tuam, Imperator, auctoritatem minuo: nec iudicium de Herpone refello: nec illi honorẽ, quo aliquando dignus eſſe poſsit, inuideo. Hæc narratio, quæ non viſa fuit omittenda, & propter præſulis conſtantiam, & propter Imperatoris patientiam, paululum à propoſito me abduxit. *Otho I. Magnus.*

Die aſcenſionis Chriſti Imperator proficiſcitur Mersburgum: inde ad Cœnobium Memlebianum ad ripam Vnſtrutæ, & ad Tempe, vocata aurea, poſitum, tertio ante Pentecoſtem die, *Othonis I. Imp. mors.* vt Ditmarus ſcribit, accedit. Ibi biduum moratus, dum ſacris intereſt, animo in templo deficit: quod animaduertentes aulici, eum humeris ſubleuatum in conclaue deportant: in quo eâdem veſpere inter manus filij & vxoris vitam placidiſsimè claudit, 973. Non. Maij, anno ſupra noningenteſimum ſeptuageſimo tertio. Itali ſcriptores Blondus, Siluius, Platina, Egnatius, Viennæ mortuum ſcribunt, rerum noſtrarum imperitia. Mortem eius Solis eclipſis, & cœlum ardens præceſsit.

Viſcera in æde Marianâ ibidem, iuxta Henrici patris tumulata: corpus ab Antiſtite Magdeburgio Hilliuardo, & à Colonienſe Gerone deportatum Magdeburgum eſt: & in æde Mauritianâ, non (vt Itali) Martinianâ, ad latus EDITHÆ primæ coniugis depoſitum: quod inſigne monumentũm in vrbe illâ nobili adhuc conſpicitur. Ab aliis aliter tempus mortis deſignatur: Nos Saxonum Annales ſecuti, vera nos prodidiſſe arbitramur.

Ditmarus affirmat eodem in loco ſepultos duos Comites, CHRISTIANVM Viburgium, Geronis Antiſtitis Colonienſis & Ditmari Marchionis Luſatiæ, qui Eccleſiam Munchenburgiã fundauit, patrem, virum egregium: & POPPONEM, Comitis Vilhelmi germanum, qui ferrum candens coram Rege Danorũ geſtauit: quorum reliquiæ columnarum, quæ circum tumbam Imperatoris ſint, capitellis fuerint impoſitæ.

Imperauit Otho, amor humani generis, vt ait Vrsbergius, annos ſex & triginta, nullo veterum Imperatorum inferior: &, vt, Marſilius ſcribit Patauinus, conſilio prudens, iudicio iuſtus, bello ſtrenuus, clementiâ admirandus, omni honeſtate & pietate eximius. Religionem in Ruſsiâ, Poloniâ, Boëmiâ, Daniâ, Vandaliâ, propagauit: contra gentes ferociſsimas, Vngarorum, Græcorum, Maurorum, cum ſuâ gloriâ pugnauit ſæpius feliciter. Res tot atque tantæ, tàm Eccleſiæ vtiles, tàm auſpicatæ imperio, ſine Dei prouidentiâ atque numine geri non potuerunt: cui tota gens

Otho I. Magnus.

Saxonum, perpetuò grata eſſe debet: qui populo tàm barbaro, vt ab exteris nominabatur, tantum virum elegit & ornauit; quo veluti inſtrumento ſalutari vſus eſt, ad ſui excellentiſsimi nominis gloriam ſempiternam.

OTHO II. IMP. RVFFVS.

955. *Othonis II. natiuitas & inſtitutio.*

OTHO II. Othonis Magni filius, cognomento Ruffus, naſcitur anno ſupra noningenteſimū quinquageſimo quinto: iis à patre artibus inſtitutus, quibus ſucceſſorem maximi imperij decuit: Ideo linguas adoleſcens didicit, Græcam, Latinam, Vandalicam, quibus præter ſermonem patrium vteretur: quæ eum apud gentes exteras honoratum fecerunt, & libertatem atq; vitam illi ſeruarunt inter hoſtes.

Adoleſcentia & fortuna Othonis.

Adoleſcentiam paulò profuſiorem magnis emendauit virtutibus. Nam â patre audiens, pecuniâ comparatas amicitias facilimè pecuniis alienari: nihil vlli poſtea largitus eſt, ſine patris voluntate & conſenſu. Habitus vir eſt optimus, & religionis amantiſsimus. Felicitate & ſucceſſu bellorum, patris magnitudinem non eſt aſſecutus: non minùs tamen domeſticis, ac pater, fuit vexatus inſidiis: quas tamen ab eo, qui eſt perpetuus regnorum defenſor, Deus omnipotens auertit. Fecerunt autem ſimultates inteſtinæ, vt & Reges finitimi, & Principes imperij, parum tranquilli eſſent: quos ille partim auctoritate ad officium ſtatim redigit, partim armis iuſſa facere compellit. In defendendâ & amplificandâ religione, ſimilis eſſe patri ſtuduit: conſtituta ab eodem collegia auxit atq; ampliauit.

Matrimonium Othonis.

Vxorem duxit de voluntate patris, natione Græcam, quam affinitatem nonnulli eum quæſiuiſſe ſuſpicantur, ad retinendam Italiam, & ad Vngariam imperio Germanorum infeſtam, potentis & aſtutæ gentis auxiliis atque armis domandam: etenim Vngari totam ferè Europam rapinis & incendiis tum erant depopulati. Nomen puellæ fuit THEOPHANIA vel (vt Græci ſcribunt) Theophanô, Romani Imperatoris Conſtantinopolitani, filia Nicephori priuigna: eandem Ditmarus Nicephori neptem, Sabellicus ſororem, Mutius filiam non rectè appellant: ſed maiore multò errore Otho Friſingenſis, Theophanij Imperatoris filiam: Funccius, Iohannis Zimiſces ſororem.

Genuit

Genuit ex eâ vnicum OTHONEM filium, qui poſt patrem imperauit: filias SOPHIAM, ADELHEIDIM, MATHILDIM. SOPHIA Sacerdos maxima Gandershemij fuit: ADELHEIDIS Sacerdos Quedilnburgi: MATHILDIS nupta (vt Ditmarus ait) EZONI, Hermani filio, Rheni Palatino: hunc monumenta cœnobij Brubileri, in quo conditus cum vxore eſt, Erenfridum nominant, & Salueldiæ in Turingiâ obiiſſe teſtantur. Huius filia fuit RICHISA: quæ nuptum datur MIECESLAO, Regi Poloniæ, qui primus in eâ ſtirpe Rex hæreditarius natus eſt. Qui dicunt aliam etiam ex Auſtriæ ducibus habuiſſe coniugem, vnde id aut ſcripſerint aut coniecerint, ego non inuenio. IVDITHAM eius filiam, Sacerdotem Ratisbonenſem, raptam ab Vlrico Duce Boëmiæ fuiſſe, teſtantur annales Brunſuigij; tradunt idem Siluius & Crancius: ſed ab iisdem veritas diſsidet, & rerum Boëmicarum ſcriptor Coſmas Pragenſis. Primùm Iuditha, non Othonis Imperatoris, ſed Othonis cuiusdam regij ſanguinis, quē cognominârunt Candidum, fuit filia: tum, non à Duce Vlrico rapta eſt, ſed à filio eiusdem Bretislao: neque Othone Secundo, ſed Henrico Secundo Imperante: neque de cœnobio Ratisbonenſe; ſed, vt Coſmas ait, Zuinbrodio, anno ſupra milleſimum primo & vigeſimo. 1021.

Otho II. Ruff. n. Liberi Othonis.

His breuiter expoſitis, quibus ſtemma illuſtratur, aut in integrum reſtituitur, nunc ad Othonem reuertimur. Is anno ætatis ſeptimo in Regem vngitur, Aquisgrani, ab Adelberto Antiſtite Pragenſe: rurſus ſeptimo & decimo, Imperij coronam accipit Romæ, à Pontifice Iohanne XIII. Nihil me mouet, quod aliter diſtribuit tempora Onufrius: quia nos certioribus nitimur auctoribus, vetuſtis videlicet Saxonum Annalibus, qui in hoc loco planè nihil diſcrepant.

Coronatio Othonis II.

Cœnobium MEMLEBIANVM, in quo & auus & pater mortui fuerant, Abbati Hirsueldio erat ſubiectum: id ſtatuerat Imperator in formam ampliorem reducere. Abbati igitur Gosberdo, reditus alios conſtituit, & decimas deſtinat Memlebiæ. Habitabant ibi viri & fœminæ religioſæ, & parietibus interpoſitis, vno delubro vtebantur. Imperator fœminas Quedilnburgū transfert, & aucto cœnobitarum numero, Abbatem eis præficit: templum à ripâ fluminis transducit & extendit ſpacio ampliore. Eius cœnobij reditus nunc ludo illuſtri Portenſi ſunt dicati liberalitate Ducis Mauricij: templum tumultu agreſtium annis ſuperioribus fuit diſsipatum & dirutū. Imperator circa idem tempus collegio Magdeburgio donat Roſeburgum, Calbam, & Vnsburgam:

Cœnobia ab Othone dirata & fundata.

Otho II. Ruffus.

burgam: & librum gemmis atque auro inſignem, in quo ſuam & coniugis imaginem curauerat depingendam: collegio poteſtatem fecit, antiſtitem ſuo arbitrio eligendi, quod antea ius Imperatoris fuerat. Nuper etiam à patre fundata collegia auxit atq; ditauit. Giſilero MERSBVRGIO cenſus & vectigalia vrbis tradidit, quæ ciues. Iudæi, mercatores ſoluerent: item oppidum Zuencam, & villas inter Salam, Eliſtrum, & Muldam: oppida præterea Bіccham & Vurcinam; prædia quoque inter Pliſinam & Suſelitium ingenti liberalitate addidit: Salis fontes eidem ſubiecit. Sed Giſilerus, homo ambitioſus, factus deinceps antiſtes Magdeburgius, quæ templi Mersburgij propria erant, fraude transtulit ad Magdeburgiam; inprimis ſalis fontes, prouentus vberrimi. Cœpta tunc ad eos fontes vrbs extrui, nam antea vicus
980. erat: Vtque augeretur colonis & aduenis, antiſtes operam dabat. Idque actum circa annum ſupra noningenteſimum octuageſimum.

Conſpiratio Henrici Bauariæ Ducis, & aliorum principum in Othonem.

Othoni initia Imperij fuerunt difficilima: nam HENRICVS Dux Bauariæ, Henrici filius, ipſius patruelis, ſuâ cupiditate, & reges & Principes vicinos in Othonem concitauit, conſilio Abrahami præſulis Friſingenſis, qui ipſi Henrico potius deberi imperium contendebat, ſuaque ex parte Auguſtanum, Moguntinum, Magdeburgium habebat. Conſpirârunt cum ijsdem HARALDVS Rex Daniæ, MESICO Dux Poloniæ, BOLESLAVS Boëmiæ, HENRICVS Carinthiæ. Hos cum bellum moliri Otho intellexiſſet, & ipſorum intima cognouiſſet conſilia: principes reliquos conuocat, & de eorũ ſententiâ, quid ſit agendum in tam periculoſo & ancipiti negotio, diligentiſsimè exquirit. Viſum eſt, antequàm bellum inchoaretur, legatos ad patruelẽ Imperatoris mittere: qui eum admonerent, ne principum ſuffragia, quorum conſenſu Otho eſſet electus, & Pontificis auctoritatem, cuius manu legitimè eſſet conſecratus, contemneret: neuè ſe confidenter & temerè Othoni opponeret, in quo nihil eſſet tanto nomine & maieſtate non digniſsimum. Hoc ſi faceret, præſtare eum Deo ipſi honorem, qui Othoni ſceptrum contuliſſet: & conſulere paci & tranquillitati Germaniæ: quod ipſi non poſſent deſerere eum, cui ſint obligati fœdere ſanctiſsimo. Erant legati POPPO præſul Vurciburgius, Othonis I. Imp. è ſorore filius, & Comes Gebhardus: qui cùm admonitum increparent, & ſimul mandato Imperatoris ad cauſam dicendam vocarent: ipſe pudore conuictus, & temporis oppreſſus ſpatio, humiliter reſpondit: ſed mutauit tantum vultum, non animum.

Socij

Socij Bauari tum grauiter accuſati ſunt, alij per literas, vt Friſin- *Otho Fr. Ruffin.*
genſis,quem magis deceret pedum aut baculus, quàm Scutum vel enſis: quem in eccleſiâ cerni inter ſacra honeſtius eſſet, quàm in caſtris verſari inter milites. Alij verbis humanis edocti, quę beneficia accepiſſent ab Othone, rogatiq;, vt eorũ memores, colerẽt cum filio amicitiam, ipſorum nomini honorificam, & populis futuram fructuoſam. Henricus Bauarus cùm ad Imperatorem veniſſet: obſeruantiam illi verbis quidem declarauit: ſed aliam occaſionem publicæ quietis interturbandæ expectauit: & amicitijs externorum ſe muniuit, Danicis videlicet & Boẽmicis: tum gratia illum aliquot præſulum potentiſsimorum ſubleuabat.

Anno, ſupra noningenteſimum, ſeptuageſimo quarto, pri- 974.
mam Imperator expeditionem ſuſcipit in Daniam; cùm vt re- *Othonis expeditio in Daniam.*
gem à ſocietate patruelis ſeditioſi abſtraheret, tùm vt recuperaret præſidia & caſtella, quæ eſſent imperio adempta. Vrbem Buſchutum vi expugnat; inde ad Sleſuigam obſidendam properat. Vallum, quod ad hoſtes arcendos Dani fecerant, & anguſtias circa Vuegelsdoram, quas ad ſui defenſionem parauerant, aliaque loca munita, virtute & conſilio Bernardi Ducis Luneburgij, & Henrici Comitis Summeringij, tranſit & ſuperat. Quod cum viderent hoſtes, animum abijciunt. Regem igitur ab Imperio factum alienum, ad tales conditiones compellit: vt certo loco ſe ſiſteret ad ſe excuſandum. Quod cùm ſe facturum, ſuorum conſilio promiſiſſet; exercitus Saxonum ad ſua rediit. Huius belli meminerunt Ditmarus & Lambertus.

Anno ſequente indicitur conuentus Vuiſmariam, vrbem 975.
Saxoniæ maritimam. Ad eam Rex accedens, cum Imperato- *Conuentus VViſmarienſis.*
ris legatis conuenit: res omnis transigitur & de finibus, & de iure vetere, quo reges ſint Imperatoribus obligati. Boemus vocatus, neq; ipſe venit, neq; legatos mittit: eâ ob cauſam eius ditio ferro vaſtatur, donec ibidem quoque reſtituerentur, quæ viderentur ex re & dignitate communi eſſe. Bauarus, ſubiugatis ſocijs præcipuis, cùm ambitione flagraret intolerabili: & odium diu diſsimulatum premere amplius non poſſet, bellum temerariè parat: *Henricus ex Bauaria fugatus.*
cui maturans obuiam Imperator, armis & milite nondum ſatis inſtructum, è prouinciâ fugat: eamque tradit OTHONI Duci Sueuiæ, Ludolphi fratris ſui filio, de quo ſupra dictum eſt. Amiſsâ ditione Bauarus, vt nonnulli ſcribunt, exulatum abiit in Carinthiam; vt alij, in Boẽmiam: Fieri poteſt, in vtraq; prouinciâ eum ſibi comparaſſe coniuratorum auxilia.

Otho II. Ruffus.

Bolislao Bohemo bellum denunciatum.

Imperator cùm eum in Boëmiâ degere certius comperiſſet: duci Bolislao bellum rurſus denunciat, quod hoſpitium perduelli præberet. Boëmus cùm Imperatorem non audiret; & propter accepta nuper damna adhuc doleret: Henricum ſe non poſſe deſerere, teſtatus eſt. Itaque Imperator, conſcriptis in Bauaria copiis, eas in Bohemiam ſubitò immittit. Bauari cum caſtra ad Pilſenam fixiſſent, eum agrum cum Lutitio & Lunenſe vaſtabant: quibus cùm nemo reſiſteret, quò ſecuriores fierent: ipſi excubias negligentiùs agere, armis depoſitis in profluente lauare, prædæ gratiâ hinc inde diſcurrere. Id non inſciente fiebat Boſislao. quare cùm locum & tempus diſpexiſſet; ſuos equites ſubitum facere impetum in hoſtes iubet. Cohortes nudæ à loricatis, pala[illegible] à frequentibus, partim in agro, partim in tentoriis opprim[illegible]ur: adeò vt non multi euaderent: caſtra à fortioribus vix ſunt defenſa. Imperatoris exercitus ad ſe recolligendum retrocedens, in oppidum Cromenā proficiſcitur: bellumq; conditionibus, vtrinq; ꝓpoſitis, facilè dirimitur. Actū

976. hoc eſt anno ſupra noningenteſimum ſeptuageſimo ſexto.

Henricus Pataviæ obſidetur ab Othone.

Anno eodem Dux Bauariæ exul, collecta manu tumultuariâ, cum Henrico filio vrbem Patauiá, in ripâ Danubij ſitam celeriter occupat: quam ne propter opportunitatem ſibi arcē belli cōſtitueret, ad reliq̄ Bauariam oppugnandam: extemplò exercitum Imperator eò ducit, & vrbē obſidet. Eam cum ſe retinere poſſe Henricus diffideret: quia nec commeatum, nec militem habebat: gratiam Imperatoris implorat, ſeque rationem factorum ſuorū redditurum recipit, quo locò quoue die iubeatur. Dies illi conſtituitur in annum inſequentem: locus, in quo Imperator Paſcha celebraturus eſſet. Cùm ſe in Franciâ ſiſteret, ita vt fidem dederat: & communi Principum conſenſu exilio mulctaretur pater & filius: Auguſtanus & Friſingenſis præſules ſolum ſpontè mutauerunt, ne ab Imperatore irato aliquid ferrent indignius: Moguntinus & Magdeburgius amicorum interceſsione in dignitatem reſtituuntur. Dux Boëmiæ in eodem conuentu, cum Imperatore planè reconciliatur; multoque honore & magnis muneribus dimittitur. Ad finē eiuſdem anni, Ropertus Moguntinus animi imbecillitate, vt creditū eſt, extinguitur. Ei dat ſucceſſorē Imperator è ſuis ſacerdotibus ſpectatiſsimum VVILIGISVM, vt Ditmarus; Vuildegaſtum, vt annales Moguntini: patria Saxoné, pago Stromingâ natum, carpentarij filium: cui integritate & eruditione nemo tum æquandus putabatur.

Moguntinus honors.

Bellum Othonis Lotharingicum.

CAROLO regis Francorum fratri, Gerbergæ amitæ ſuæ filio,

Lotharingiam Imperator commiſerat; vt eam poteſtate vicariâ, nomine Imperij regeret atque defenderet; & fratri regi, à quo contemnebatur, quantum poſſet, obſtaret. Eam ob cauſam Rex LOTHARIVS, & OTHO Dux Burgundiæ, conſobrini, è duabus amitis ipſius Imperatoris nati, conſilium ineunt de Carolo expellendo, & de libertate ſuâ vetere recuperandâ. Quamobrem nullis cuiquam denunciatis inimicitiis, nec indicto legitimè bello, ſummâ celeritate Lotharingiam percurrunt. Imperator tum erat Aquisgrani, item vxor, & familiares eius: qui hoſtibus ad mœnia aduentantibus, quos hoſtes eſſe non putauerant, è Francorum manibus vix elabuntur: prandium, quod Imperatori paratum erat, Franci inſtruunt: relictam ſupellectilem diripiunt: tresque ibi dies integros genio pro libitu indulgent, ciuium bonis direptis. Aquilæ ſtatuam, libertatis inſigne, quæ ſuperiorem Germaniam verſus ſpectabat, vt Galliæ regnum reſpiceret, inuertebant, teſte Ditmaro. Tantam ignominiam non ferendam ratus Imperator; exercitu magno collecto, in Lotharingiam mouet hoſtiliter, initio Octobris: inde in Galliam progreſſus; Remenſem & Lugdunenſem agrum, templis exceptis, vaſtat: & ex eo prædas agit, & ad ſuburbia vſque accedit Pariſienſia. Quamuis autem lue contagioſâ milites correpti perirent: tamen propoſitum intermittere aut minuere noluit. Inter alios viros fortiſsimos BRVNONEM comitem Arnburgium peſtilentiâ amiſit prid. Cal. Nouemb. Ad Pariſiorum mœnia oppugnanda neceſſaria parabantur; & incendebantur populoſa ſuburbia. In eâdem oppugnatione nepotem Imperatoris cecidiſſe, ſcribit Annonius Francus: ſed errore: nam nullum, quantum in monumentis noſtris cernere eſt, habuit: nec interfecti nomen ponit, vnde corrigi error poſsit. Iactauerat autem, quicunq; ille fuit, qui interfectus eſt, ſe in Pariſiorum porta defixurum lanceam ſuam. *Otho II. Ruffus.*

Lotharius Rex, comparatis ſibi auxiliaribus, Hugone & Henrico conſobrinis, Imperatori ſeſe obiicit: qui cum propter copias diminutas, & milites ægra corpora adhuc trahentes, videret ſe infeliciter & cum dedecore pugnaturum; per agrum Sueſsionenſem properat in Germaniam. In fine Nouembris Axona, fluuius rapidus & præceps, extra ripas excurrerat, qui iter illorum morabatur: ad eum fluuium, cum poſt triduum hoſtes eſſet Lotharius aſſecutus; magnam ex eis interficit multitudinem, vt ſcriptores Francici, Annonius & Sigebertus tradunt. In eo traijciendo impedimenta relinquere noſtri coacti

ſunt,

Otho II. Ruffus.

ſunt, vt vitam ſeruarent. Peregit hanc expeditionem, non lætam ſibi, duorum menſium ſpacio; & Cal. Decemb. fines Germaniæ attigit.

Tranſactio Regis Galliæ cum Othone Imp.

Franci, qui ſenſum Imperatoris ſcire poterant; & eum non armis, ſed occaſione repulſum videntes, bellum non intermiſſurum colligebant, laceſsitum videlicet ignominiâ & clade. Itaque Lothario inſtant, vt de pace ageret, quam ipſe primus violauerit: quantæ ſint Imperatoris vires, quanta Germanorum perſeuerantia, ipſi in memoriam reuocant: accepta damna exponunt; efficiuntque, vt indicto conuentu, Imperator & Rex Remis colloquerentur. Ditmarus tradit, Regem cum filio veniſſe, ad Imperatorem ſponte: ſed locum non explicat. Actio illa pacifica, quaſi dedecus quoddam nomini Francico afferens, Hugoni & Henrico Hugonis Pariſienſis filiis, mirum in modum diſplicuit: Lotharingia enim Imperatori reſtituta, & eius pars gubernanda Carolo rurſus commiſſa eſt, regis fratri: pars verò præſulibus Leodienſi, Treuirenſi, Colonienſi, ſubiecta. Marchionatus Antuerpienſis imperio ceſsit, item Louanienſis comitatus. Hanc transactionem non factam eſſe, poſt exiguum tempus maluiſſent ij etiam Franci, qui eius auctores fuerant: Itaque Lotharium pleriq; odiſſe, in quo maior animus aut prudentia non fuerit; & impenſiùs fauere Hugoni cœperunt, ad quem demum in nepote Lotharij Carolo, regni dignitas peruenit, à Caroli magni Imperio, anno ſupra centeſimum nonageſimo ſexto.

Slauorum clades.

Dum occupatus eſt in Franciâ Imperator: Slaui intereà pro ſuorum ingeniorum mutabilitate, erant in finibus Saxoniæ tumultuati: ſed fide & fortitudine præfectorum, qui erant in limitibus pugnâ ingenti victi, pœnè internecione delentur.

Orta præter hoc inter GERONEM Comitem Aſcanienſem, vel (vt modò nominant) Alslebium, & VVALDONEM ignotæ proſapiæ, ſimultas fuerat: & tanta quidem, vt alter alterum coram Imperatoris præfectis, Alberto antiſtite Magdeburgio, & Diterico Brandeburgio, grauiter accuſaret: Gero captus Summeringam mittitur, Siffrido Comiti & eius fratri cuſtodiendus. Indicto poſtea Magdeburgum conuentu Saxonum, in inſulâ nõ procul ab vrbe, ſingulari certamine iubentur congredi: quod certamen ambo ſuſcipiunt. GERO aduerſarium in ceruice bis vulnerat; deinde vulnere in caput inflicto eum ſternit: qui aqua ſuffuſa à ſociis reficitur, ſed inter manus ipſorum in tergum collapſus, vitam vnâ cum ſanguine euomit. Gero ſudore & contentione laſſus, interrogatur, num vires ad ſimilem pugnam repetendam

Monomachia Geronis Aſcanienſis cum VValdone.

tendam ſupereſſent: fortaſsè vt cum alio committeretur & caderet: ſed vires ſuas hoc die exhauſtas affirmabat. Præfectorum igitur decreto, in præſentiâ Imperatoris eodem veſperi traditur lictori, & capite punitur, III. Idus Auguſti, vt Ditmarus: anno ſupra noningenteſimum, ſeptuageſimo nono, vt Lamberdus. Annales Magdeburgij tradunt, mutuis ambos ictibus periiſſe; & Geroni iam defuncto caput amputatum: idq; ab Adela filiâ eius, parte bonorum paternorum redemptum. Sororē eius Hiddam in matrimonio Chriſtianus Comes Viburgius habuit, nobiliſsimā fœminam, vt Lambertus Schafnaburgius, & Conradus Lauterbergius eam nominant, nō Heduigim, vt alij: Hæc Hieroſolymis faciem fædauit, ne Tyranno placeret: fuitq; mater Geronis, antiſtitis Colonienſis. Ex hac viri fortiſsimi cæde inter principes diſsidium acre ſuſcitabatur. Factum Imperatoris antiſtes Magdeburgius & Marchio, quorum inſtinctu Gero damnatus erat, probabant: ſed idem rationibus impugnabant Otho Dux Bauariæ, Ludolphi filius, & Comes Bertholdus, tanquam nimis crudele, & præter duelli conſuetudinem commiſſum; in quo legibus antiquis victorem vita ſequeretur, aut ſi facinus deſignatum ſit, exilium. Cauſæ autem dicebant nequaquam ſatis fuiſſe, cur generoſus & præſtans vir plectendus ſeruili modo, datus carnifici eſſet. Imperator ſuâ prudentiâ animos illorū mitigauit, ne quod inde Reſp. detrimentū caperet. Geronis interfecti coniūx Adela, & eius gener, Fridericus Schachemius Comitatum Alslebium, Deo dicarunt: partem tradiderunt Eccleſiæ diui Stephani, quæ eſt Magdeburgi: partē cœnobio diui Iohannis, in quo Gero Comes, ſoror Tetta, vxor Adela, & filia, matri cognominis, ſunt tumulatę. Erant in Italiâ omnia rurſus perturbata: nam Cōſtantinopolitani Barū vrbem Apuliæ, milite Saracenico captā, diripuerant: ciues aut trucidârant, aut in ſeruitutē abduxerant, aut Græcis donârant: in ætatem iniuriæ obnoxiā ſolita ediderant facinora. Vicini terrore perculſi, cùm ſe & crudelitatē & libidinem hoſtilem non putarēt poſſe effugere; neq; haberent qui ſe ab iniuriâ & vi defenderent, deditionē omnibus in locis faciunt: donec Apulię & Calabriæ magna pars in barbarorum poteſtatem veniſſet. Vocabatur literis & legatis Imperator, vt ſaluti publicæ conſuleret; & è miſerâ ſeruitute gentem libertati aſſuetam, primo tempore eriperet; & ne vltra progrederentur, cum Chriſtianorum damno & dedecore prohiberet. Ipſe auitæ gloriæ memor, exercitum conſcribit, vt retineret prouincias florentiſsimas; & vindicaret fortiſsimè hæreditatem à patre relictam. Compoſitis in Germania rebus, dimiſſoq; è vinculis Henrico Bauaro, quantis maximis

Otho II. Ruffus.

979.

Geronis ſupplicium.

Othonis expeditio contra Saracenos.

poteſt

Otho II. Ruffus.

poteſt copiis, contendit in Italiam. Alſatiis abſens præficit VILDERVOLFIVM præſulem, Bauaris HENRICVM, Saxonibus BERNARDVM Luneburgium: cui filium etiam Othonem commendat: quidquid autem roboris aut virtutis fuit, id ſecum proficiſci imperat. Ad Italiæ fines cùm veniſſet, ne bellum poſt ſe relinqueret, Græcorum præſidia, contra quos pugnaturus erat ad mare ſuperum, è Dalmatiâ & Illyrio fugat; & res in Inſubriâ conſtituit. Inde Romam proficiſcens, recenſet copias Germanicas: ex Italiâ nouas conſcribit, & certum militum numerum imponit ciuitatibus: vt à litoribus maris & è captis Apuliæ Calabriæue vrbibus Græcos eijceret: nam BASILIVS & CONSTANTINVS affines eius, poſt depopulatā armis Syriam, & è Creta pulſis Saracenis, ad Italiæ vrbes recuperandas, quas antè poſſederant ipſorum maiores, animum adiecerant; neque id negotium per ſuos præfectos ſegniter agebant: qui milite Græco & Syriaco, Matheram deſtruxerant, & Barum munierant firmiſsimo præſidio, & crebris incurſionibus vexabant terras & maria. Spectabant porrò ad defectionem non ſolùm inſulæ, quarum aliquæ ſe ſpontè dediderant: verùmetiam omnis Apulia & Calabria reliqua: nam aliorum Italorum deſtituebantur auxiliis, & minis barbarorum atque crudelibus exemplis ita territi erant; vt non de armis ſed de fugâ cogitarent: quæ tamen ipſa, illis tuta ſatis non erat, intercluſis vndique viis, propter graſſationes & latrocinia: coniungere etiā ſe non poterant ad hoſtem ſuſtinendum: nam pauci in viribus, aut animi inuicti robore ſpem ponebant: tanta trepidatio omnes inuaſerat.

Othonis Sueuiæ Ducis victoria de Saracenis.

Imperator ad illud bellum gerendum, legat ſibi OTHONEM Sueuiæ ducem, Ludolphi fratris ſui filium, fortitudine & conſilio excellentem, & laboribus infractum. Dimiſsis ille è portu Oſtienſe aliquot nauibus, litora circumit; & hoſtium vires & conſilia explorat: quos cum magnâ multitudine conueniſſe intelligeret, & ad confligendum paratos audiret; exercitum deducit Tarentum, vrbem maritimam: quam obſeſſam primo menſe capit auſpicato initio: hinc hoſtibus ad vicum Balentellum collectis occurrit: quos congreſſu acri in fugam coniicit, & in campo quodam ex anguſtiis fugientes adortus, plurimos eorum occidit. Gratulati ſibi de victoriæ principiis duces Imperatoris, ſecuriùs mox agebant: hoſtemque tanquam imbellem ſpernentes, non vtebantur fortunæ ſucceſſu, & mitis victoriæ lætitia: id cum Græci animaduerterent; coactis ſenſim in vnum copiis, decernunt Germanos & Italos eſſe quamprimùm inuadendos: niſi

enim

enim occaſione tali vtantur, facilè è manibus elapſuram fortunam, quæ ſe nunc propitiam maximè offerat, & quaſi palmam manu oſtendat. Erant in Græcorum exercitu Syrij, Cretenſes, Africani, Thraces, Dalmatæ, Illyrij, & multi Hebræi, aliæ gentes aſperæ, & vitæ prodigæ; excepto milite inſularum, quem ſupplementi loco addiderant, & ex vrbibus deuictis coëgerant. Eos omnes Dux illorum allocutus; & propoſitis hinc periculis, inde præmiis; animos cunctorum in ſpem præclaram adducit: Non eſſe effugij locum, cum à tergo ſit mare: à fronte victores copiæ, à lateribus hinc inde hoſtes penè infiniti & magnanimi. Igitur pugnandum neceſſariò pro ſalute, cum hoſtes nihil tale expectent: & vires Græcorum nondum cognitas, pro nihilo habeant & contemnant. Victoribus, ait, prædam expectandam ampliſſimam, non ſolùm è mancipiis & captiuâ nobilitate, verùm etiam ex ipſorum opulentiâ, & impedimentis & precioſâ ſupellectile. Vrgebat præter hæc omnia militem barbarum inopia, interclusis hinc inde viis: in exercitu verò Imperatoris copia augebat luxuriam, victoria recens pariebat ſecuritatem. Hoſtes cùm ire ſibi in conſpectum audiret Imperator; ſuas cohortes ipſe diſponit & ſigna inſtruit. Italis primas ſibi partes depoſcentibus, qui notum ſibi hoſtem magis eſſe dicerent, eas conceſsit. Cum eſſet ad dimicationem peruentum; Saraceni cœperunt manus primi conſerere, & aduerſus Italos pugnare: ſed Romani & Beneuentani vix primos ſuſtinentes, terrore & fugâ replent omnia; & hoſti aditum aperiunt inuadendi liberrimè reliquum exercitum. Germani diu reſtiterunt ſummis viribus; ſed nudati à lateribus, & à ſociis deſerti, pares eſſe non potuerunt, cladeque ſunt inſigni ſuperati. Pugnatum eſt ad horas aliquot; nec priùs locum, quàm vitam relinquere conſueti erant Germani: ſed oppreſsi multitudine, & à ſagittarijs maximâ ex parte vulnerati, cedere cogebantur. Fit igitur fuga & diſsipatio miſerrima: oppetunt plurimi viri fortes, & primæ nobilitatis: inter quos nominatos reperi, Henricum præſulem Auguſtanum, Vuernerum Abbatem Fuldanũ: item Richardum ſigniferum Imperatoris, & Vdonem Viburgium, qui honeſtos ordines duxerat: Comites verò Ditmarũ, Gebhardum, Guntherum, Ecelinum, & fratrem eius Becelinum, Dedonem, Burchardum, Conradum, Bertholdum: quos partim Ditmarus, partim Lambertus recenſent, ſuppreſsis familiarum (vt ſolent) nominibus. Imperator ad maris littus in illa diſperſione exercitus peruenit: cuius equus cum in pugnâ confoſſus eſſet: Calonymus Ebræus quidam ſuum ipſi tradit.

Otho II. Ruſſus.

Othonis Imp. clades à Saracenis accepta.

R Videns

Othonis II. fortuna in mari.

Videns ibi nautam Græcum, vt ſe reciperet, ipſum appellat: ſed is auribus ſurdis tranſiit, metu fortaſſe hoſtiũ inſequentium, aut ipſis ſupplicibus non ſatis fidens. Non longo pòſt tempore, ſoliciti in litore vagantes Ebræi, alium nautam proſpiciunt, ad quem equo immiſſo Imperator cum vno atque altero ſatellite properat, & precibus recipitur. Erat in eâdem naui Henricus Zolunta mercator, natione Dalmata, qui Imperatorem agnoſcebat: cum quo locutus humaniter (nam & Slauici ſermonis peritus erat) ſuam ipſi ſalutem commendat, & promiſſa addit magnifica & tali loco neceſſaria. Gubernator nauis ex vigore & habitu ſuſpicabatur virum eſſe minimè ignobilem: ideo inſtando rogauit, num ipſe Imperator eſſet: Quod cum aliquoties pernegaſſet: tandem qui eſſet aperire non dubitat: nam & Græcum & Dalmatam ſpe maximarum opum incenderat, vt ſe incolumem ad arcem Roſanam, ad Aciris fluminis oſtium ſitam, ſiſterent. In eâ erat Imperatoris vxor, loco videlicet & arte & naturâ munito, & inter duo flumina nauigabilia, non longè à mari poſito. Cum gubernator arci iam propinquaret, Zoluntam ad vxorem ablegat, vt cum theſauris ad nauem accederet: & præſulem Metenſem Ditericum, in cuius cuſtodiâ erat, vnà adduceret: perſuaſerat enim gubernatori, ſe ad ſuos nunquam reuerſurum; ſed cum vxore, & omnibus facultatibus nauigaturum Conſtantinopolim, ad Baſilium affinem, in quo reliquam ſpem ſuæ dignitatis haberet. Erat ea nauis quadriremis, miſſa in Calabriam ad tributa, quæ annuatim Græcis ſoluebant, deportanda: & appellabatur (vt Ludbrandus ait) Salandria, centũ & quinquaginta nautas continens. Præſul oneratis aliquot mulis, quos Somarios appellant, ad littus accedit, & cum militibus aliquot nauim aſcendens, quaſi mox importaturus theſauros, anchoram iubet demittere. Id cum eſſet factum, Imperator ſpecie mutandi veſtimenta ea, quibus indutus erat, abiicit; vt è prora exiliens, expeditior ad littus nataret: quem cùm gubernator Græcus veſte prehenſurus eſſet, à ſatellite Imperatoris Luppone transfigitur. Græci inde in puppim transfugére: quibus & incolumitas promiſſa eſt, & munera atq; honoraria debita reddenda, modò expectarent, donec in locum tutum Imperator traductus eſſet. Inde ſcaphas naui annexas conſcendentes, qui Imperatorem liberauerant, ipſum reducunt incredibili lætitiâ. Græcus verò nauta non expectandum ratus, ſe in fugam celerrimam dedit: munera quæ ipſi promiſſa erant, ad nauem miſſa atque relata ſunt. Referunt hanc narrationem alij paulò aliter: quorum ſententiam, ſi quid fortè curioſus lector

lector deſideret, etiam breuiſsimè exponam: Imperatorem videlicet ſolum ad littus perueniſſe; qui à nautis prætereuntibus, quos implorauerat, receptus ſit, cum ſe ex Imperatoris exercitu deleto euaſiſſe teſtaretur: Græci cùm & ſtaturam eius heroicam conſiderarent, & vultum intrepidum: inter ſe locuti ſunt, ſe ſuſpicari, ipſum eſſe Imperatorē, aut eius certè ducem aliquem primariū: Ideo ſe rectà cum illo nauigaturos Conſtātinopolim, vt captiuū ſuo Imperatori inſignem traderent. Ipſe cùm linguam eorū calleret, diſsimulans, quòd ſermones eorum intellexerit: externum Mercatorem Slauicæ linguæ peritū, qui in eâdem naui erat, enixè rogat, vt impetret à nautis, quò deferatur in Siciliam: Meſſanæ ingentē auri vim eſſe depoſitam, quam ſit ipſis monſtraturus, & ſimul abiturus quò cuperent. Nihil potuit lucro inhiantibus dici dulcius aut optatius: Itaque recto curſu ad portum Meſſanenſem contendunt: in litore ipſo cum armatis cuſtos aſtabat Probus Cæſius patritius Romanus, loci eius Præſul: quem cum Imperator auxilium rogaſſet, ſine recuſatione vllâ impetrauit. Captâ igitur naui, nautæ quadraginta compræhenſi de rudētibus ſuſpenduntur: ipſe cum comitatu miſſus Romam eſt, ad vxorem & reliquos Principes: qui de eius incolumitate iam propemodum deſperauerant, & ſe in vrbe collegerant, vt ſuæ vitæ quærerent præſidia. Hæc aliorum eſt ſententia: ſed quid in tantâ diuerſitate pro vero affirmem, non habeo: in mea narratione Ditmarum præcipuè ſum ſecutus, cuius cognati eodem prælio dimicarunt: quod eſt rei Chriſtianæ iacturâ miſerabili cōmiſſum, anno ſupra noningenteſimū octuageſimo ſecundo; vt idem Ditmarus ſcribit. III. Idus Iulij: vt Lambertus, pridie idus Iulij. In Antiſtitum Magdeburgiorum annalibus legitur, hanc cladem viro cuidam religioſo, eſſe ſomno manifeſtatā: qui Imperatorem viderit in aureo ſolio ſedentem, cum purpurato nobilium agmine: cui ſcabellum argenteum diuus Laurentius ſubtraxerit; minatus, niſi reſtitueret ædem ſuam Mersburgi crematam ſpoliatamq;, fore vt breui & poteſtate & vitâ priuaretur. Quem ſermonem Imperator cum non meminiſſet, aut pro nihilo duxiſſet, hanc illi accidiſſe & imperij & annorū diminutionem. Hæc ſomniantum figmenta aut ludibria interdum addo: vt ſcriptorū illorū vanitas intelligatur, qui ſomnia recitant: res ſcitu maximè dignas, tanquā inanes, per oſcitantiam prætermittunt. Rumore per Italiam dilato, ſaluum eſſe Imperatorem, & è tam præſenti periculo, diuinâ beneficentiâ ereptum: reliquiæ profligati & amiſsi exercitus ad eum confugiunt: quorum omniū dolor mixtus cum gaudio fuit. Dolebāt propter

Otho II. Ruſſus.

982.

Otho II. Ruffus.

cladem Reipub. inflictam, & tot viros fortiſsimos amiſſos: lætabantur bonitate Dei, qui hoſtili inſolentiæ & vinculis non reliquiſſet vexandum Principem, cui ipſe ſummam in terris poteſtatem dediſſet. Imperator pietate & ingenuitate ſuſpiciendus, coram ſuis fatebatur ſe delictis meritò incidiſſe in tantam calamitatem: & ingemiſcebat de tot optimorum & lectiſsimorum virorum interitu acerbo. Sola ipſius vxor, Græco ingenio atque animo, & leuitate muliebri, mirari dicebat ſe, à ſuæ nationis hominibus imbellibus, victos eſſe fortes Romanos. Quæ vox vt ad aures ducum & militum demanauit: eam fecit vniuerſis deteſtabilem: ita vt poſt id tempus in Germanorum odio atque contemptu degeret. Cùm autem ſpeciem quandam exercitus è Germanis recollegiſſet, conſilium ab iis, quid eſſet in tàm triſti caſu agendum poſtulat. Hoſtes relinquere multos, eſſe turpe: repedare in patriam, relicto in omnibus locis tumultu aut bello, longè turpius; neque id fieri tutò ſatis poſſe, cum exercitu diminuto & victo, qui ludibrio & prædæ ſit Italis ſuperbis futurus. Omnibus idem ſentientibus, vitam pro nomine Germanico, & gloriâ maioribus relictâ, ponendam eſſe: decernit puniendos eſſe eos, qui primi fugam fecerint. Igitur Romam ipſe proficiſcitur, OTONEM Sueuum legatum ſuum Veronam mittit ad Principes Germaniæ euocandos: vt communibus ſuffragiis decernerent, quomodo iniuria accepta ſarciri poſſet; & iniri ratio, ne rurſus à Germanis Italia abſtraheretur, quæ eſſet ſanguine tot virorum clariſsimorum acquiſita. Cladis infauſtiſsimæ nuncius, triſticiâ, & lachrimis totam repleuit Germaniam: ſed vt liberatum Imperatorem audierunt, animi redditi, & facta melior ſpes eſt: pro eius autem ſalute abſentis, omnibus vrbibus agriſque indictæ ſupplicationes, iuſtaq; facta more temporum illorum: ſolutæq; inferiæ ſunt iis, qui proditorum fraudibus prælio infelici oppetierant. Interea copiis ſuis in vnum congregatis, & ſupplemento addito, cum Beneuentanos fugæ auctores fuiſſe cõſtaret, eorũ vrbem militi diripiẽdam dedit: direptã incendit: aſportatas inde diui Bartholomæi reliquias, in Inſulâ Tiberis inter Fabriciũ & Ceſtiũ pontes Romæ collocat, & templũ illud auguſtius reddit. Beneuentum vrbs antiquiſsima, à Diomede poſt bellũ Troianum condita: initio Maleuentum dicta, quod nomen inauſpicatius deinceps mutatum eſt, hoc tum fatum habuit iracundia militum: cum iuſtius fuiſſet in ciues animaduertere, quàm ciuitatem perdere inſontem, vt ſentit Sabellicus.

Othonis deliberatio cum ſuis de bello Saracenico.

Beneuenti direptio.

Obiit in eadem vrbe Non. Octo. vir eruditus, ORTHRICVS deſi-

deſignatus Antiſtes Magdeburgius, quem ſuâ ambitione Giſela- *Otho II. Ruffus.*
rius euerterat. Erant in pari culpâ ciues Romani, quos tamen *Animaduerſio Othonis in Cardinales & ciues Romanos.*
ad pœnas apertas vocare, viſum fuit non tutum: Ideo inſtructo publico epulo, Cardinales & proceres vrbis inuitantur, in loco celeberrimo ante gradus templi Apoſtolici campo Vaticano. Vallis illa tota armatis circumdatur; ne quis accedere aut abire illis inuitis poſſet. Conuiuio ex parte agitato, Imperatoris Cancellarius in medium procedit; nocentes de libello legit; qui rapti de triclinijs, capite puniuntur, in conſpectu omnium. Imperator reliquos ſtupidos, & trementes videns, epulas continuare ſecurè iubet: quibus bonâ conſcientiâ ſolatio ſit, & innocentia incolumitati. Hoc factum terrorem ingentem toti Romæ incuſſit: nemo enim putauerat tantum eſſe animi in Imperatore; ut in vrbe auderet ſuam potentiam oſtendere, poſt tantam acceptam cladem, & inter tam dubiæ incertæq; fidei homines. Pœna igitur nocentibus inflicta, & adeptus innocentibus metus, fecerunt Imperatorem verendum: qui tamen detrectatione non caruit: nam eſt ab inuidis Sanguinarius appellatus. Ad conuentum Veronenſem, de quo diximus, ſtatim ab initio veris, principes frequentes conuenerant: primùm quòd mandato euocati eſſent; deinde quòd cernere Imperatorem poſt tantam calamitatem præoptarent. *Otho vocatus ſit Sanguinarius cognominatus.*

Bernardus Dux Luneburgius ex itinere redire domum cogitur; propterea quòd Dani, abſentiâ eius cognitâ, caſtellum quoddam occupauerant: qui ne in Saxoniâ motus maiores excitarent, ab eodem ſtatim repelluntur: ciues, qui caſtellum tradiderant, interfecti: caſtellum igne crematum eſt. *Bernardi Luneburgij victoria de Danis.*

Eodem tempore, cum Marchio Ditericus, qui ditionem Brandeburgiam tenebat, nimijs exactionibus Slauos, Chriſtianos factos, grauaret; & noua cotidiè onera imponeret: cumq; Giſelarius antiſtes aulas ſequeretur, & ſua magis curaret, quàm commiſſam ſibi plebeculam: Slaui inter ſe de iugo religionis & imperij excutiendo, deliberant: mutuaq; inuicem facta conſpiratione, mori malunt, quàm ſeruitute eiuſmodi premi; in qua nec animi ſint quieti, nec fortunæ tutæ, nec corpora periculorum vacua. Etenim Sacerdotum & Præfectorum fauor erat comparandus pecuniâ; nec ad eorum cupiditatem explendam, vlla ſatis magna fuit. Igitur ad arma ſimul omnes conclamantes, eo animo Saxoniam adeunt; vt aut ſe liberent ab iniquitate & iugo grauiſſimo, aut ad vnum vniuerſi moriantur & intereant. Præſidium primâ coitione Hauelburgo eijciunt, & ob- *Coniuratio Slauorum.* *Slauorum ſæuitia in Hauelburgo.*

Otho II. Ruſſit.

& obtruncant militem: ciuitatem diripiunt, templum incendunt, ſacerdotes excruciant: religionem enim infenſiſsimè oderant, propter mores hominum, qui eâ ad quæſtum & luxum & libidinem abutebantur. Erant inter ſacerdotes non omnes auari aut iniuſti: ſed antiſtes tales efficiebat: qui ab iis pecunias exigens præter modum, eosdem cogebat expilare populum, vendendis ſacris, indicandis ſuffragiis, licitandis precibus: nemo faciebat, ſine nummis: nemo orabat, ſine pecunia: nemo veniæ ſpem dabat, ſine auro. Viuentibus mortuisque ſoluendum æs erat; ſi aut Eccleſiam ingredi, aut humo condi cuperent; aut cœlos deſiderarent, aſcendere. In vrbe Hauelburgo tres dies ſæuientes VI. Non. Iulij Brandeburgum petunt.

Slauorum tyrannis in vrbe Brandeburgo.

Hoſtium rabidorum aduentu non expectato, & Marchio Ditericus, & præſul Volcmarus, vrbe cum præſidio excedunt turpi trepidatione: qui poterant ſequi ciues, vnà cum ipſis egreſsi ſunt, relictis vxoribus, liberis, fortunis. Multitudo igitur plebis infirma, & miſeri ſacerdotes obiecti ſunt hoſtium furioſorum tyrannidi & libidini. Slauis portæ aperiuntur, ſi fortè eos caperet deſertorum miſeratio: ſed gens fera & irritata ſupplicem nullum reſpicit, & aures ad preces omnium ſurdas affert. Sæuitur in Eccleſiaſticos & ciues nullo delectu aut diſcrimine. Regnum in vrbe abundante tenentes, perdunt & diſsipant quidquid adeſt: cumque nihil reſtaret amplius in tectis, ſepulchra perfodiunt: DODILONEM præſulem defunctum, qui à ſuis antea ſtrangulatus fuerat, & ante triennium erat ſepultus, eruunt, & ornamenta ei ſacra detrahentes, cadauer trahunt, verberant, & rurſus terrâ obruunt.

Bohemorum ſæuitia in Miſnia.

Boëmi auditâ Imperatoris clade, & Principum abſentiâ, de ſuâ prouinciâ ipſi ſimiliter exeunt: & Henrici Marchionis Miſnenſis cum vicinis quibusdam diſcordiâ, ad ſuas cupiditates explendas per tot occaſiones vſi ſunt. Marchio enim cum in auxilium vocaſſet Boëmos; Ducis Bolislai legatus, voluntate mutatâ, arma in eum conuertit, cui miſſus auxilio fuerat. Vrbis MISNÆ inuadit ſuburbia, & parum abfuit, quin vrbe per fraudem potiretur: quâ ſpe cum excidiſſet; in colonos ſæuit, & nemine prohibente longius progreditur: agros, ad Pleiſſam & Eliſtrum fluuium ſitos, diripit. Tum à Dedone Zorbecæ Burggrauio, à ſuis diſſentiente, perſuaſus; diœceſin CITIENSEM inuadit: in quâ eodem modo graſſatus, præſulem Hugonem pellit, ciues ſpoliat, templa diripit. Dedo in caſtris Boëmicis dux erat, & auctor perdendorum ſuorum: qui curâ pietatis omni depoſitâ, matrem

trem quoq; ſuam Iuttam, Comitis Merſburgij filiam, cum aliquot matronis nobilibus captam abducit.

Otto II. Ruffus.

Hæc cùm Slauis & Boëmis ceſsiſſent ex voto: nemoq; audaciam reprimeret: occaſione rei bene gerendæ inuitatus MISCOVIVS Dux Obetritarum, HAMBVRGVM vrbem nobilem & magnam expugnat: præſulem Adalgadum eiicit: templum à Ludouico Caroli Magni filio extructum incendit: inde nullo obſtante ad Calebam vſque retrogreſſus, ædem Laurentianam inflammat: religionem recentem abolet; veteres idolorum cultus inſtaurat: Chriſtum Deum eſſe fatentem viuere neminem permittit: quoſdam vt poſsit cogere excruciat; alios in ſuas partes largitionibus & blanditiis abducit: propter rem militarem viros fortes cupiebat conſeruare, vt eorum aut operâ aut conſiliis vteretur.

Miſcovij Obetritæ tyranni ad Hamburgum & Calebam.

Tradunt annales antiſtitum Magdeburgiorum, Miſcouium iſtum inſaniâ ſubitâ correptum, & à furiis ita agitatum, vt clamores horrendos ederet; diceretque audientibus, ſe intus dolore & ignibus ardentiſsimis conſumi. Aquis immerſus ad cruciatus ſanandos, leuationem nullam ſenſit, aut inuenit. Scribunt alij, ductum pœnitentiâ Chriſtianos ſacrificos accerſiuiſſe: à quibus aquis luſtralibus ſit tinctus, ad tormenta interna mitiganda aut tollenda: ſed nihil profuiſſe homini diro, & execrando tyranno: qui poſt dies aliquot in illâ amentiâ animam exhalauerit.

Miſcovij Obetritæ inſania & mors.

Milites eius mouit exemplum Ducis horribile, vt de diſceſſu cogitarent. Sed illis animus à fortioribus additus: & Dux nouus belli creatus eſt, qui cæteris minùs pietatem curaſſe aut intellexiſſe putabatur. Itaque ad fluuium nominatum Congeram, ad quem graſſando & latrocinando prouecti erant, conſederunt: vt reliquam Saxoniam vexarent, & religionem Chriſtianam radicitus extirparent. Fuerunt in eorum exercitu ſigna triginta, vt Ditmarus & annales Magdeburgiorum antiſtitum referunt: ſed ij pro ſignis imperitiâ (vt puto) ſcribunt legiones: quod aliis quoque in locis factum obſeruauimus.

Obetritæ Saxoniam vexant.

Antiſtes GISELARIVS, cuius mentio ſæpè facta, curam tuendæ Saxoniæ ſeriùs propemodùm ſuſcipit; qui in colligendo auro erat occupatus, & in deliciis nec illius ordini nec ætati conuenientibus. Videns autem imminere Saxoniæ vniuerſæ periculum grande, propter Imperatoris abſentiam, & tumultus præſentes: exercitum, quantum poteſt,

Giſelarius Obetritis occurrit.

Otho II. Rufus.

celeriter congregat; vt finitimos ab incurſionibus liberaret, & ad perſequendam victoriam inſolentem, furentibus quaſi viam intercluderet. Erant eidem auxilio Hilliuardus Præſul Halberſtadius, Riddacus Comes Merſburgius, Siffridus Summeringius: & quorum familias innominatas, vt ſolent ſcriptores, prætericrunt, Vdo, Berizo, Dedo, Fridericus Comites. Hoſtibus tamen cum longè eſſent inferiores: & ſuam & Eccleſiæ ſalutem commendabant precibus Deo omnipotenti: ſumptoque corpore & ſanguine Chriſti, tanquam pro religione morituri, arma ſumunt: mutuò ſeſe quoque adhortabantur, vt ſuo quisque corpore tegeret locum, quem in pugnâ cepiſſet: futurum inſpectorem Deum, quantoperè quisq; amaret religionem & patriam. Erat fortè is dies feſtus, quo in conſpectum hoſtis tendebant: ad quem cùm primùm accederent, vnius alteriusve horæ ſpacio quieſcunt, & ſeſe colligunt. Interea cum nox immineret, prælium differtur in lucem ſequentem. Quod cum ſub auroram manè cœpiſſet vtriusque exercitus magnâ vehementiâ; per diem ferè integrum continuatum eſt: Slauorum acies tandem profligatur, & ſtrages eorum inſignis editur. Noctis beneficio qui erant ſeruati; in collem quendam campo prælij propinquum ſe feſsi recipiunt: quos cum delere penitus die alterâ antiſtes ſtatuiſſet, & ipſi non ſegnes fore in perſequendo Saxones ſuſpicarentur, eâdem nocte ſibi fugâ conſuluerant. Saxones de Slauis victis triumphum ſplendidè agunt: mox vrbes & alia loca ab iis occupata recipiunt: & colonos diſperſos colligunt.

Sclavorum clades.

Templa & ædes, quas incenderant, inſtaurantur maiore ſumptu & magnificentiâ. Tam acri tamque diu durante prælio, ſcribunt in exercitu Saxonico vltra triginta milites non periiſſe, ſingulari quodam miraculo. Hæc tum in Saxonia geſtâ hoc modo ſunt.

Conuentus Veronenſis.

Interea in Italiâ properat Imperator ad conuentum Veronenſem; quò principes vocari præceperat. Calamitate publicâ expoſitâ, Principes rogat & hortatur, in commune vt conſulerent: ne reſpublica domi foriſque afflicta maioribus incommodis afficeretur, aut magnâ ex parte interiret. Capita deliberationis erant, quo modo eſſet Italia defendenda: & quibus rationibus poſsit Germania eſſe ſalua. Vna omnium Principum mens & ſententia fuit, non deſerendam Italiam: & Germaniam viro alicui virtute & meritis ſpectato, tanquam Imperatoris vicario committendam. In hæc verba cùm conſenſiſſent Duces

& Præ-

& Præſules: & eſſent operam, induſtriam, fidem ſe dignam, polliciti: Imperator ſe in Italiâ manſurum dicit: ipſis ſuum commendat filium, & nominatum OTHONI Sueuô, & BERNARDO Luneburgio, viris illorum temporum fortunatis & fortiſsimis. Matri ADGLHEIDI Papiam habitandam concedit: eique cuſtodes ac miniſtros præſidiaque aſsignat; & poteſtatem in Inſubres tribuit. HENRICO patrueli Bauariæ Duci, nequid noui ſuo more agitaret, metum omnem demit: eisque planè ignoſcit: tum filio eius HENRICO, qui poſtea imperauit, ius ſuccedendi in auitâ ditione tradit. Quâ tamen beneuolentiâ minimè motus eſt, vt quieſceret. nam iniuſta, de imperio occupãdo ſtatim conſilia cepit. OTHONEM Sueuiæ Ducem, cum poteſtate legati atq; vicarij remittit in Germaniam: hunc annales externi in itinere; noſtri, mortuum domi tradunt: non ſine veneni ſuſpicione, quod Romæ hauſerit. Deliberatis rebus aliis quàm plurimis & conſtituto Reipub. ſtatu, cum valedixiſſet ſingulis & vniuerſis Imperator: patriam eis ſumma grauitate & contentione commendat: ipſe Romam cum ſelectâ manu militum redit, vt retineret in officio Italiam; & hoſtibus religionis Saracenis terrori in propinquo eſſet. Alij pudore, aiunt, noluiſſe redire in Germaniam: alij ægritudine confectum, mori maluiſſe Romæ.

Otho II. Ruffus.

Othonis Sueuiæ Ducis mors.

Erant iacta noui belli contra Venetos fundamenta, Candianæ & Caloprinîæ familiarum temeritate: qui domi nouis rebus ſtudebant, & foris nocere Reipub. cogitabant. PETRVS Candianus, & VITALIS frater eius, Patriarcha Gradenſis (qui & Aquileianus) Imperatorem acceſſerant in Germaniâ; queſtum de indignâ cæde patris, & fratris alterius adhuc infantis: qui non ſolùm deiecti è palatio eſſent per contumeliam: ſed etiam beſtiis obiecti in mediâ ciuitate, ſpectaculo inter Italos inaudito. Candianæ familiæ hoſpitio ferebatur vſus Otho primus; cùm habitu ignoto vrbem inſpexiſſet: qui eis pulſis rurſus obtulit hoſpitium, & auxilium promiſit, cum primùm veniſſet in Italiam.

Belli Veneti fundamenta iacta.

Acceſsit paucos poſt annos alia iniuria, cùm Caloprinij ipſi Mauracenorum factione pulſi eſſent, vel ſuâ potius ſponte fugiſſent, ne opprimerentur. Stephanus igitur Caloprinius Imperatorẽ Veronæ ſupplex adit: & in factionẽ aduerſam, atq; patriã multa ꝓbra & conuitia effundit: qbus adeo mouit Imperatoris familiares, vt niſi præ foribus fuiſſent maiora negotia, bellũ fuiſſet indictũ Venetis: quibus Imperator mandat & vias intercludi, ne cõmeatũ alicunde acciperent: & cõmercio eius vrbis reliquæ Italiæ

Otho II. Ruffus.

interdici: ſed breui ſecuta mors Imperatoris, Venetos periculo liberauit. Adelheidis mater Imperatoris, quæ tum Placentiæ erat, vt Sabellicus; Papiæ, vt annales Saxonum; efficit vt Stephanum exulem Veneti cum ſuis reciperēt: idq; in gratiam eius fecerunt.

Othonis bellum Saracenicum alterum.

Saraceni ſucceſſu inſolentes & elati, non ſolùm prædabantur in litoribus Calabriæ: ſed etiam ad Romanorum vſque ditionem accedebant: quorum furioſam tyrannidem Itali exoſi, naues aliquot contrahunt: & Imperatorem orant, ne ſe deſertos eſſe ſuâ auctoritate patiatur: poſſe eos vinci incautos & diſperſos: & victos ſemel non tantum habituros audaciæ, vt Romanos amplius laceſſant: diſſenſuros quoque facilius, cum tot gentes barbaræ & feroces in vnum ſint coactæ. Suam igitur rebuspublicis non negans operá, claſſe comparatâ obuios adoritur. Commiſſa pugna non incruenta eſt: cum ex alterâ parte neceſsitas, ex alterâ præliaretur inſana cupiditas. Deus qui auerſum antea vultum oſtenderat, iam propitius miſeris arriſit: vt Imperatori & ſociis contingeret victoria. Imperator ſagittâ percuſſus lethali, de ſua vitâ ſpem fere abiecerat. Hæc vt in Saxonum monumentis perſcripta ſunt, expolui.

Othonis III. Imp. inauguratio.

Germaniæ principes ad ſtatum rerum domi confirmandum, Imperatoris vnicum filium, adhuc puerum, regem creant Aquisgrani, impugnante eam electionem turbatore Bauaro, vt mox dicetur. Imperator curis multis magniſque confectus, de fragilitate vitæ hominis cogitans, cui nemo non eſt ſubiectus: theſauros ſuos in partes quatuor diuidit: vnam dicat Eccleſiis & templis reficiendis: alteram dat noſocomiis & Xenodochiis: tertiam ſorori Sacerdoti Quedilnburgię aſsignat: reliquam in miniſtros fidos & milites veteranos iubet diſtribui. Morbo autē graui indies inualeſcente vocat ad ſe Pontificem: & coram præſente multitudine confitetur, & delicta ſua publicè enumerat, & eorum à Deo atq; Pontifice veniam petit: ſeq; ad deponendam corporis mortalis compagem paratum affirmat, ſpe vitæ felicioris & magis quietæ. Ingentē aſtantibus oratio eius luctum & admirationem mouit, cùm propter pietatem eximiam, tùm etiam propter animū humilitatis plenum. Obiit VI. Id. Dec. vt Ditmarus; anno ſupra noningenteſimum octuageſimo tertio, imperij ſui decimo, ætatis trigeſimo octauo. Cuiusnam Pontificis anno, Blondus, Platina, Sabellicus ſtatuere non poſſunt: cum intra menſes duodecim quatuor fuerunt Pontifices. Si attendimus annales Saxonicos, obiit ſub Benedicto VII. Sepelitur in areâ Vaticanâ, in veſtibulo templi diui Petri, monumento clauſus Porphyretico: quod

Imperatoris teſtamentum. *Othonis Imp. mors.* 983. *Othonis ſepulcrum.*

nos

nos ibidem deiectum vidimus, & factam mendicorum cloacam: mirati Carolũ Cæſ. qui in vrbe bis oſculatus pedes Pontificis fuerat, quòd talis Cæſaris ſepulchrum in locũ honeſtiorẽ & ſublimiorem non extuliſſet: mirati verò multo maximè Tridentinum & Auguſtanum Cardinales Germanos; quòd id iacêre & contaminari paterentur, cum præter eum locum cotidiè irent, & Othonis eſſe tumbã minimè erant neſcij. Vxor Othonis Theophanô poſt mariti obitũ, ad ſocrum Papiam ſe contulit: ſed ab ea paulò pòſt diſſentiẽs, redit in Germaniã; & moritur Nouiomagi XVII. Cal. Iulij anno ſupra noningẽteſimũ nonageſimo primo, vt Lãbertus: viduitatis ſexto, vt Cõtractus; ſeptimo, vt Ditmarus: octauo, vt Lãbertus: quã diuerſitatẽ annoto, quia vnus tantum ex ijs verũ dixiſſe exiſtimandus eſt. Ebergerus antiſtes Colonienſis, corpus eius in ſuam transfert vrbẽ: & in æde Pantaleoninâ honorificè condit. Fuit Theophano, teſte Ditmaro, fœmina modeſtæ fiduciæ, & quod rarum (vt ipſe inquit) in Græcia eſt, morum optimorũ.

Otho II. Ruffus.

Theophaniæ Imperatricis mors.

991.

OTHO III. IMP. MIRACVLOSVS.

OTHO III. Othonis Secundi Imperatoris filius, patre defuncto annos pueriles nondũ exceſſerat: vnde ab invidis longo pòſt tempore, etiam in imperio Puer appellatus eſt. Eius imago extitit in baſilicâ Spirenſi in cruce quâdam de laquearibus templi ſuſpẽſa: quam ipſe Ruperto Præſuli dono miſerat. Fuit in eo animus excelſus & beneficus, & aui patriſque exemplo religionis amantiſsimus: id quod itineribus ad templum Archangeli in extremâ Italiâ, & ad templum Alberti præſulis in Poloniâ declarauit: quæ tum putabatur religio præcipua & ſingularis. Ad ineundas amicitias habitus lentus, ad retinendas conſtans, ad colendas fidelis. Quamuis autem à negotiis imperij, quibus erat intentus, rarum illi eſſet otium: tamen precum tempora certa & diſtributa ſemper habuit; & ieiunia ſolita, ne peregrinando quidẽ, neglexit aut intermiſit: diuinarũ humanarumq; rerũ prudentiſsimus, vt Coſmas ait Pragenſis. Iuſtiſsimum in iudiciis fuiſſe; & libidinis, ſcelerũ, perfidiæ, vindicem acerrimum, eius facta teſtantur: vt in puniendâ vxore adulterâ, & in vindicando nequã Pontifice Romano. Credulitate interdum abductus atq; deceptus eſt: ſed quos auctores fraudis comperit, iis iniquus totius vitæ tempore fuit: vtrunq; in eo erat, ad iram celeritas, & ad ignoſcentiam facilitas: ſolis religionis hoſtibus & prôditoribus non ignouit. Eſt autem propter abſolutam in omni actionũ genere, ſapientiam & virtutem, Mundi miraculum ſeu Miraculoſus iam inde à puero cognitus & cognominatus.

Animi dotes in Othone.

Vxor

Othonis matrimonium. Vxor eius, vt annales Brunſuigij & recentiores ſcriptores omnes, MARIA Aragonia fuit: quod ſi ita eſt (nam multi dubitant) nata eſt de gente Hiſpanâ, è ſtirpe Sanctij cognomento Maioris. Hanc quoque coniunctionem è populo extraneo quæſitam opinantur: vt Saraceni, qui regnis Europæ magnas clades inferebant, ope Hiſpanorum poſſent expelli: idque facilius, ſi exercitus Saxonici adiungerentur. Ex eâ genitam vnicam filiam, Lazius nominat MATHILDIM, nuptam Ecelino Andecenſium & Meraniæ Comiti: filios tres recenſet Munſterus, HVGONEM, FRIDERICVM, VLRICVM: ambos hos imitantur, qui nunc annales non ſcribunt, ſed deſcribunt. Panuinius eoſdem Othonis II. è concubinâ filios appellat. Ipſe in noſtris auctoribus aut monumentis tale nihil inuenio: ſed defunctum Othonem ſine prole, odio ſexus muliebris.

Othonis vxor libidinoſa. MARIAM enim libidine perditam & infamem fuiſſe, iiſdem Annalibus Brunſuigiis proditum eſt. Duxit enim ſecum muliebri habitu adulterum adoleſcentem, eâ formâ atque elegantiâ, vt facilè puellam mentiretur: de quo cùm ſuborta eſſet ob nimiam familiaritatem mala ſuſpicio; adoleſcens corpore nudato agnitus, & è gynæceo raptus ad rogum eſt: Aragoniæ verò delicti atrocis venia, principum quorundam rogatu impetrata: nam clauſtro eam includere religioſo Imperator conſtituerat. Ipſa humilis vultum mutat, ſed animum non deponit nefarium: exiguo enim pòſt tempore Comitem Mutinenſem deperire cœpit: qui cum eſſet ab ea de ſtupro appellatus; ipſe facinus horrens, illius procacitati non conſenſit: de iniuriâ tamen à fœminâ perditâ & furioſâ accuſatus, capitis non dictâ ſententiâ damnatur. Alij ſcribunt ex occiſi vulnere, non ſanguinis, ſed lactis humorem effluxiſſe: alij vxorem interfecti ferro candente mariti probaſſe innocentiam: quæ miracula attonitum fecerunt Imperatorem, vt factum attentius inquireret. Vxoris malitiam cùm ex ipſius confeſſione cognouiſſet: eam cremari viuentem imperauit. Tàm inauditũ vindicatæ in vxore libidinis exemplum, in Originum libro, & Annalibus Brunſuigiis, & Magdeburgiis, & aliis quibuſdam Germanorũ perſcribitur; inter quos nunc præcipuos nomino Crancium & Cuſpinianum: ſed mirum eſt, neque Pitmarum Merſburgium, neq; Hermanum Contractum, neque Lambertum Schafnaburgium, neque Othonem Friſingenſem, eius mentionem feciſſe.

Poſt id tempus, perfidiâ motus, ſed deſtitutus prudentiâ, à coniugio abhorruit: eſtque ſolitus reprehendere in Germanis

contracta

Otho III. Miraculoſus.

contracta cum externis morum diſsimilimorum gentibus connubia. Mutinenſis iniuſtè damnati vxorem beneficiis honorificè affecit: eiq́ue in diœceſi Lunenſi Hetruriæ, caſtella quatuor aſsignauit, nominibus â dierum induciis, quas ad cauſam examinandam poſtulauerat, inditis: vt caſtellum decimum, caſtellum octauum, caſtellum ſeptimum, caſtellum ſextum diceretur: ita vt Siffridus Miſnenſis ſcribit. In ipſius electione, ſententiis valde dimicatum eſt. Itali cenſebant imperium â Germanis transferendum eſſe, & alicui è ſua gente principi committendum: in qua deliberatione Creſcentius Romæ conſularis poteſtatis, patria Nomentanus, vrbis dominatum rapit: vir & factionibus potens, & nummatus, & audacia cæteris ſuperior. Inter Germanos alii fauebant Henrico Duci Bauariæ, Othonis patrueli: alii Othoni ipſi. Qui Bauarum præferebant, dicebant tali viro opus eſſe, quem & Germani obſeruarent, & Itali pertimeſcerent: qui verò Othonis partes tuebantur, minimè contemnendam eius indolem contendebant, & deberi hunc honorem patri atque auo ipſius, cæteriſq́ue maioribus, per quos libertas Germaniæ & potentia ad ſummum creuerit: elucere quoque è pueri moribus, præ ſe grauitatem ferentibus, virtutem maiorum; & eſſe viros ſapientes & fortes, quorum fide & auctoritate poſsit eſſe ſalua patria, donec ad ętatem iuſtam adoleſceret.

Electio Othonis III. Imperat. contentioſa.

Educabatur tùm puer Coloniæ, â Guarino Antiſtite, vt Ditmarus eum nominat: vel (vt annales Saxonum) â Brunone patruo ſuo magno: hic puerum ſeuerè inſtituebat moribus & literis, adeò vt interdum contumacem & negligentem pulſaret: quod cùm fieri ægro animo pateretur, puer generoſus, & contumeliæ impatiens, de vindictâ ſenis cogitauit. Itaque mortuum aliquando in vicinia puerum in lectulum ſuum portari clanculum fecit, ipſe in propinquo miniſtri cubiculo ſe abdidit. Cum noctis tempore, reuerſus è templo Antiſtes, per conclaue pueri ſolito more iret, & corpus frigens tangeret: mortuum agnatum exiſtimans, nimium quantum perculſus animo eſt. Senſu autem præ dolore orbatus, nec ſatis puerum conſiderans, miſerrimum in modum exclamat; totâque aulâ eiulatus ſenis perſonans. In quo plangentium tumultu, cùm ſat pœnarum ſe ſumpſiſſe exiſtimaret, puer è latebris in conſpectum prodit: quem cùm accuſaret Antiſtes, quod in tantum dolorem omnes coniecíſſet, reſpondit: Verbera quæ â te dolens accepi, cum dolore tuo vlciſci hoc modo volui. Hæc reſponſio pueri, quò magis inopinata erat, eò profundiùs in mentem Antiſtis deſcendebat. Pu-

Othonis vindicta de Guarino Antiſtite Colonienſi.

Otho III. Miraculaſus.

gnat autem hęc narratio cum temporibus: nam inter Brunonem & Guarinum duo alij Antiſtites ſunt interiecti: & poteſt idem dè Guarino intelligi, ſub cuius cuſtodiâ fuit.

Otho redditur Bauaro educandus.

Paulò poſt id tempus Bauarus, regnandi cupidus, cum præcipuis ſuæ factionis viris, Poppone Treuirenſe Antiſtite, & Ecberto Comite, qui cognomento Cocles ob fædatam faciem dicebatur, Coloniam venit: antiſtitem, vt puerum ſibi traderet, adigit: qui rectiùs à ſe, quàm à quouis alio educaretur. Hoc etſi Colonienſes indigniſsimè ferrent: ceſſerunt tamen illius minis & potentiæ: multi etiam quos animus Henrici latebat, qui ad ſimulandum diſsimulandumque erat compoſitus, ad illius ſe conferebant amicitiam.

Henrici Bauari nimia aſperitas. Turbæ in Germania.

Rebus ibi ex ſententiâ transactis, Corbeiam proficiſcitur: id cœnobium antiquiſsimum Veſtoualiæ, à Ludouico Pio Imperatore eſt conditum. Eò veniebant Ditericus & Eſico fratres Comites, qui habitu pullato, & nudis pedibus veniam, neſcio quorum delictorum petentes à Bauaro, non exaudiuntur: ipſi aſperitate eius offenſi, quoscunque poterant è cognatis amicisque concitabant: extollentes nimirum Othones, qui verâ animi præditi fortitudine, iraſci diutius neſciuerint, præſertim ſupplicibus: deſiderari nunc plurimùm ipſorum bonitatem & clementiam. Turbatâ his motibus Germaniâ, imperio ab exteris etiam gentibus periculum & defectio imminebat. Itali enim (vt diximus) ſe liberare à dominatu gentis Saxonicæ contendebant: & Lotharius Rex Lotharingiam, quam antea pactionibus Imperatori Othoni II. tradiderat, rurſus ad ſe transferre cupiebat, & captâ vrbe Viriduno, bona ſe exiſtimabat habere principia. Verùm cum inter ipſos Francos motus eſſent ciuiles, & inteſtinæ diſcordiæ, nihil Germanis metuendum erat.

Turbæ in Italia & Lotharingia.

Lotharius & Hugo de regno Galliæ contendunt.

Contendebant tum de regni ſublimitate Lotharius & Hugo conſobrini, ex Gerbergâ & Heduige, ſororibus Othonis I. Imp. progeniti. Succeſſerat iam Lothario V. Ludouicus V. filius, qui annos regnauit nouem, ſecundum Annonium: vnum tantùm, ſecundum Sigebertum, idque rectius. Hoc quoque celeriter è viuis ſublato, cùm frater Lotharij Carolus (hunc patruum Ludouici non rectè Cuſpinianus nominat) regnum more maiorum occupaturus eſſet: odio popularium, & in primis proditione præſulis Laudanenſis, Comiti Pariſienſi Hugoni Capeto, vinctus cum vxore traditur: & quod omnibus votis Hugo diu expetiuerat, regno tandem Francico potitur.

Stemma Hugonis à Vuitichindo.

Hugonem à Vuitichindo Saxone, trahere nobilitatis originē, non-

nonnulli rerum Francicarum ſcriptores memoriæ prodiderunt: affinitate fuiſſe iunctum Othonibus: & ortu materno ſatum de ſtirpe Saxonicâ, ſuprà in Henrico Aucupe dictum eſt. *Otho III. Miraculoſus.*

Scribunt autem VVITICHINDVM exulantem in Franciâ, genuiſſe ROBERTVM filium: cui Carolus Caluus Rex, virtutis gratiâ comitatum Andegauenſem tradiderit. Roberti huius filius fertur VDO (Ganguinus Eudonem, Panuinius Othonem nominat) quem hominem fuiſſe bonum, & rebus gerendis aptum, idem Ganguinus prædicat: hic ſub regibus quatuor, cum inſigni honore vixit, adeò gratioſus; vt Caroli III. cognomento Simplicis tutor conſtitueretur. Eâ tutelâ dum fungitur, propter clementiam virtutesque multas Rex declaratur; regnumque obtinet annos nouem, non ſine maximâ contentione. nam fautores pupilli regis eum perpetuò impugnabant, ne fraudulenter cum pupillo ageret, & ab eo regnum transferret ad ſuos. Sublato è rebus humanis Vdone, regnum ad ſtirpem Carolinam rediit. VDONIS iſtius filius HVGO, petitus ab vniuerſis, Comes Pariſienſis manſit, & propter res geſtas dictus Magnus: hic ex HEDVIGE Saxonicâ, Henrici Aucupis filiâ, vt iam dictum aliquoties eſt, HVGONEM CAPETVM procreauit: qui adoleſcens factus abbas diui Germani, caſtra magis amauit quàm clauſtrum: & æs militare ſuauius ei ſonuit, quàm Eccleſiaſticum. Is de maiorum dignitate cogitans; & animo Saxonico magna ſperans ac tentans, ad regnum animum adiicit: idque conſequitur, cum in ſtirpe Caroli Magni id iam defeciſſet: quæ annos ducentos, & plus minus viginti durauerat. Ab eius proſapiâ reges Francici, qui nunc rerum potiuntur, deſcendunt: qui ſi vera tradunt ipſorum annales, quos modò adduximus: ortu etiam paterno Saxones ſunt, non tantùm materno.

HENRICVS Bauarus, ſe non obſcurè pro Imperatore gerens, feſtum à Palmarum geſtatione dictum, conſtituerat celebrare Magdeburgi: eoque Duces & nobilitatem Saxonicam partim mandatis, partim precibus euocabat: nonnulli acceſſerunt obſeruantiæ, plerique nouitatis gratiâ. Accepti omnes honorificentiſsimè ſunt, eisque multis rationibus perſuaſum, vt periculoſis Reipub. temporibus, talem eligerent regem, qui ætate & auctoritate ad gubernationem accommodatus eſſet, quique regna retinere extera in officio poſſet. Ei ſententiæ, quâ Henricum deſignari intellectum eſt, meliores apertè contra- *Henricus Bauarus Imperium affectat.*

Otho III. Miraculoſus.

dixerunt, & ex vrbe egreſsi ſunt: aliqui reſponderunt aſtutè, ſe priùs veniam petituros à Rege, cui fidem dederint: quæ ſi ſit conceſſa, poſteà parituros ei; qui ſit communibus ſuffragiis Rex declaratus. Henricus deinceps ad diem Paſchatis peragendum feſtinat Quedilnburgum, quam in vrbem cùm multos alios venire præcepiſſet frequentes eò acceſsére Bauari & Franci, ſed non multi Saxones: inprimis eò venere fratres, Duces Boëmiæ, Meſico, & Miſtouius, & Bolislaus, amici eius paterni. Inter ſacra ſolennia Henricus à ſuis Rex publicè proclamatur, & fauſtis ſalutatur acclamationibus. Saxonum proceres, quibus factum diſplicebat, ex vrbe ſe celeres auferunt, & Heſteburgum proficiſcuntur: ibi enim conuenerant, quibus Othonum dignitas curæ erat, & qui fidem eis obſtrinxerant & ſeruârant. Erant autem, quos Ditmarus recenſet, Bernardus Dux Saxoniæ, Ditericus Marchio Brandeburgius, Echertus, Bio, Eſico, Bernuardus, fratres Comites Mersburgij: Siffridus item Comes, & eius filij Fridericus, & Gazo Viburgij: item Hugo, Echardus, & Benzo fratres Germani Stadenſes: Brunigus item cum ſuis. His adiunxerat præſidium aulæ ſuæ, virorum fortiſsimorum, Vuilligiſus Antiſtes Moguntinus: quod præſidium, milites diui Martini appellabant. Cum his ſentiebat aliorum principum multitudo: qui cùm præſentes huic negotio non intereſſent, per legatos aut literas ſuam ſignificauerant obſeruantiam. Henricus Bauarus rebus duabus nitebatur: primùm quòd Othonem puerum in ſuâ poteſtate haberet, quem à ſe loco nullo dimiſit, & quantâ potuit lenitate tractauit: deinde quod duces Boemici, omnem illi operam & ſtudium polliciti fuiſſent. Cognito igitur, quòd ſui aduerſarij conuentus agerent: fautores ſuos largitionibus & promiſsis ſibi arctius conciliat: ipſe Vuerlam contendens, eos ibidem adeſſe iubet, & Popponem præſulem ſibi legat; per eumque ad hoſtes miſſum, quid agerent, quidve animi haberent, voluit exquirere: quos cùm in inſtituto pertinaces, & ad pugnandum, ſi res poſtularet, alacres videret: pacis conditiones proponit, & inducias ad tempus impetrat, quamuis difficilimè.

Hala obſeſſa.

Interea à Bauari clientibus, vrbs Hala obſidetur, in quâ educabatur ADELHEIDIS defuncti Imperatoris filia. ECBERTVS Burggrauius, cùm nihil hoſtile metuiſſet, propter puellæ regiæ obſeruantiam; ipſo nihil tale metuente, vrbs capta & direpta eſt, & puella cum mundo & theſauris ſuis abducta, ciuibus mirificè dolentibus.

Eo

Eo facinore nunciato, Bauarus magnam animo capit voluptatem, ſuiſque rebus optimè ſperat: etenim præſules Bauaricos fauentes habebat, & præcipuos de nobilitate ad ſe allexerat.

Otho III. Miraculoſus.

Francos vocat Vueiſſenſtadium, vt & eos partibus ſuis adiungeret: ſed mœnia non auſus ingredi, cum paucis in agro ipſo, de rebus ad vtrunque populum pertinentibus, colloquitur. Id quamuis nouum & inſolitum eſſet: tamen ad eundem locum venerunt, Antiſtes Moguntinus, & Conradus Dux Francorum, & magna reliquorum optimatium frequentia.

Henricus Francos ad ſuas partes pertrahere conatur.

In eo conuentu Bauarus, alios captando & blandiendo, alios terrore & minis ſtuduit ad ſe traducere: in primis efficere conatus eſt, ne Principes fidem Othoni datam ſeruarent: non quòd eos eſſe periuros vellet, ſed magis cautos, propter pueri ætatem ad imperandum ineptam: cui ſe adhærere velint pertinaciter, id ipſos cum Reipubl. periculo facturos: pericula autem ſunt multis ambagibus expoſita. Iniecta itidem mentio eſt turpitudinis, quòd maximi Principes non ſub dominatu Regis, ſed miniſtrorum regiorum ſint victuri: qui quidquid auarè, libidinosè, violenter perpetrauerint: id regiæ auctoritatis prætextu eos facturos nemine impediente: Nulli videlicet antiſtiti aut præſuli ſuam tutam aut certam fore dignitatem: nulli Principi aut ingenuo libertatem, vel à maioribus relictam, vel virtute propria & recenti partam: nulli denique ordini inferiori, agrum aut domum, vxorem aut liberos diu manſuros incolumes: cùm nullum regnum ſit, ſed regni tantùm imago. Talia nulli timenda eſſe, ſi ſapiant, & meliores audiant; & aliorum Principum conſenſu habenas regni ſibi committant.

Oratio plauſibilis viſa multis, nihil aliud conſiderantibus, quàm quod ante oculos eſt: ſed qui in poſterum longiùs proſpiciebant, damnabant eius ſententiam: ſeque citius fortunas & vitam relicturos, quàm vt fidem ſemel datam nomine publico, ſine iuſtâ causâ violarent: ea, quæ proponerentur ad formidinem & dedecus lenocinia eſſe tyrannidis, non conſilia ſalutis.

Vſi igitur ſuâ grauitate Saxones, per Moguntinum antiſtitem Bauaro denunciant, vt ab ambitione deſiſtat, & liberas relinquat ſententias: eique ſeuerè mandant, vt in certum locum ad diem III. Calend. Iulij Regem puerum adducat, matri

Henricus ab ambitione deſiſtere iubetur.

Otho III. Miraculaſus.

atque auiæ eum reſtituat: regiam puellam Halæ raptam, cum ornamentis remittat: vti puerum & matronas regias libertate, dignâ moribus, patiatur: aliter ſi faciat, aut moram fraudulentam trahat, hoſtis eum loco eſſe habituros. In eiuſmodi poſitus anguſtiâ Bauarus, & ſuis ſociis non ſatis fidens; ſe venturum Ramam (ita enim locum nominat Ditmarus) & puerum reducturum, iureiurando affirmat. His omnibus veteri conſuetudine peractis legitimè, ex eo conuentu Principes & præſules domum redeunt, non iiſdem animis atque affectibus, nam qui ſtudioſi erant dignitatis publicæ, lætitia ingenti perfuſi ſunt: qui ſuis inhiabant commodis, ſpe magnâ fruſtrati, mentibus abiectiores erant.

Vilhelmus Turingiæ Comes, legatus eſſe Saxonum ad Bauarum cogitur.

VILHELMVM Comitem Turingiæ, admodum familiarem Bauaro, cum Vinariam venturum Saxones intelligerent, & inde porrò acceſſurum Merſburgum, in qua vrbe GISELA Bauari vxor tùm agebat: ei in itinere ſe obijciunt, & iuxta villam quàndam caſtra locant: die ſequente cum ipſo manus collaturi: nam eum omnem illam actionem impediturum, ſi ad Bauarum veniſſet, ſuſpicabantur. Miſſus ad Saxones à Bauaro eſt Giſilerus Magdeburgius antiſtes; qui pacem ſuaderet, Vilhelmo iter tutum impetraret. Auditâ legationis causâ, nullam dicunt ſe conditionem accepturos; niſi eis Regem & dominum ſuum Bauarus reſtituat: idque ſe cum Bauaro fideliter acturum Comes ſacramento confirmet. Quod ſi promitteret, patere illi iter, quocunque ire vellet: ſin aliâ voluntate ſit, nullum viuenti relictum eſſe ad quenquam aditum. Saxonum ſententiæ Vilhelmus aſſentitur: cuius equitatui certa loca, quaſi hoſpitia deſignata ſunt, Merſburgum, Vualbicia, Fraſunum. Cum ad Giſelam veniſſet, plenam mœſtitiæ & anxietatis, propter commutatam mariti fortunam: conſolatus eam eſt, ne quid timeret: eò enim rem eſſe deductam; vt marito, ſi puerum Saxonibus reddat, & ſua promiſſa non violet, planè nihil ſit pertimeſcendum.

Henricus Othonem ad Saxones remittit.

Bauarus videns ſe veluti de gradu depulſum, ne in maius diſcrimen incideret, non ignorans Saxonum in ſententiâ ſemel perceptâ conſtantiam, cum amicis deliberat; quo modo cum minimo dedecore promiſſa exequatur: cui amici primùm egerunt gratias, quòd à propoſito ſe abduci paſſus ſit, & ſecum in periculum non omnes coniecerit: deinde ſe vnà frequentes acceſſuros Ramam: ne tam ſuo, quàm aliorum iudicio

iudicio muta[illegible] ſententiam videretur: neque timore ab eâ deceſsiſſe, ſed amore in Rempublicam. Ad diem conſtitutum cum inſigni comitatu ad matrem & auiam puerum remittit: quæ eâ de causâ Ticino vel (vt alij ſcribunt) Placentia in Germaniam venerant: ipſe tamen præſens adeſſe noluit, & pro tempore excuſationem inuenit. Eodem, quo reductus die puer eſt, ſtella lucida medio ipſo die viſa, omnium gratulationes & applauſus excitauit: quòd metu belli grauis & inteſtini ſublato, pax de cœlo reddita vniuerſis Germaniæ prouincijs, & toti imperio appareret. Eò etiam firmius eorum, qui antea diſſenſerant, animi coierunt: quòd admoneri à Deo viderentur, ne quod odium aut ne quas ſimultates, ad obijciendas cœlo ſereno & tranquillo quaſi tenebras, reſidere in mentibus ſinerent.

Otho III. Miraculoſus.

Antiſtes Colonienſis diem ſtatim alium indicit Moguntiam: imperij enim vicarij tum temporis erant antiſtites, quorum prudentia & bonitas erat explorata: neque ſuſpecti eſſe poterant de transferendo aut rapiendo ad ſe ſceptro, ad quod aſpirandi nulla ipſis facultas, principibus aliis multa ſæpè cupiditas & infelix voluntas fuit. Ad ea comitia confluxerant Principes penè vniuerſi: partim qui benè imperio volebant, gratulationis causâ: partim qui rebus nouis ſtudebant, propter curioſitatem. Colonienſis petit, vt onus educandi quod ſuſtinuerat antea, à ſe dematur, cui ſubeundo impar ſit: & vt puer Rex alij tradatur, qui ſe & viribus & prudentiâ magis accommodatus ſit.

Comitia Moguntina.

Itaque Antiſtiti VVILLIGISO, vnanimi bonorum conſenſu, & imperij ipſius, & pueri regis cura atque cuſtodia demandatur. Fuerat Vuilligiſus loco, vt ſuprà dixi, humilimo natus: ſed propter virtutis in omni genere laudem quandam eximiam, quaſi à Romanis Naſica Scipio, vir optimus inter Germanos iudicatus eſt. Puer ipſe probato omnium Principum iudicio, ſibi gratulabatur viri talis conſuetudinem: erat autem iſta in eo indoles ſingularis, qui in Sacerdote non ortus præſtantiam, ſed bonitatem & grauitatem veneraretur. De nobilitate eidem cuſtos adhibitus eſt (nunc aulæ magiſtrum nominant) Hoico Comes, ſpectatæ vir integritatis atque innocentiæ. Rex igitur puer cum viro ſobrio, caſto, moderato, cotidiè verſabatur: vno in loco cubabat, & cibum capiebat: vnâ templum frequenter adibat: quâ familiaritate ita aſſuefactus

Ottonis cura demandatur VVilligiſo antiſtiti.

Otho III. Miraculoſus.

factus ad ſtudia, religionem, continentiam eſt, vt eas virtutes totâ ætate poſtea coleret & exerceret: non tantùm conſuetudine, quæ tamen ab annis teneris valet plurimum, verùm etiam voluntate & iudicio.

Conuentus VVeiſſenſtadienſis.

Dictus inde dies iterum eſt Vueiſſenſtadium, quo de confirmando Rege Othone, deque rebus Imperij componendis tractaretur: actum eo conuentu nihil ſalutariter eſt, propter Bauari contentionem & cupiditatem: cui etiam adimendum ducatum, quem Othonum beneficio poſsidebat, nonnulli cenſuerunt. Variæ poſthac inſidiæ & machinæ tentatæ ad Regem euertendum: Nam Henricus cùm aliis fidebat auxiliis, tùm præcipuè, vt dixi, fratrum Boëmorum: ideo è conuentu dubiis rebus, inſalutatisque principibus diſcedens, animos omnium relinquebat incertos: eſtque bellum calamitoſum imminere viſum: ad quos Saxones ſe magis viribus præparabant, neque cogitabant cauſam Regis deſerere. Henricus ſe in Boëmiam eueſtigio contulit; eſtque à Bolislao Duce honorificè exceptus, qui ei omnem operam & ſtudia offert, ſeque cum copiis ſuis, quocunque iturus eſſet, ſecuturum promiſit.

Vicina erat prouincia Miſnia, quam RIDACVS Marchio tùm temporis tenebat: ſed is ſedem habebat Mersburgi, quatuordecim à Miſna milliaribus: is Miſnenſibus Fridericum quendam præfecerat. Comitabantur Boëmi Henricum per agrum Miſnenſem & Thalemincium, vt Ditmarus ſcribit, vſque ad Mogellam: inde cum ſuis porrò ibat Magdeburgum, ſed ſine populatione & maleficio. Vuagio legatus Boemicus in patriam rediturus, qui ante annos aliquot damna Miſnenſibus dederat, FRIDERICVM præfectum Miſnenſem colloquij ſpecie ad ſe euocat: qui in caſtra iturus, ciuibus præcepit, vt portas clauderent, & Boemis nimium ne crederent: ipſe per interuallum erat collocuturus, vt periculum effugeret. Vix vt egreſſus vrbe eſt, portæ poſt Fridericum occupantur: ipſe propè templum diui Nicolai ad amnem Tribiſam perfidiâ occiditur. Ciues territi cùm ſuis viribus diffiderent, & duce deſtituti eſſent, ſe Boleslao tradunt, & Regis præſidium accipiunt. Præſul Volchuldus in exilium actus, ſe Moguntiam, in quâ vrbe educatus erat, confert: & Antiſtitis ſuaſu, vtitur Erfurdienſium hoſpitio: vt è viciniâ cognoſceret, ſi quid ſpei melioris afferretur.

Friderici præfecti Miſnenſis cædes.

Othonis gemina expeditio in Bohemiam.

Hanc iniuriam non ferendam rati, Regis conſiliarij, Bolislao bellum denunciant. Rex igitur prima deponit tirocinia, factâ

factâ expeditione in Boemiam, vbi ferro & incendijs obuia quæque vaſtat, & militi prædam concedit. Huic MESICO Dux cùm ſupplex occurreret: effecit, vt Saxones & Miſnenſes à direptione deſiſterent, & in patriam remearent.

Otho III. Miraculoſus.

Factum eſt anno ſupra noningenteſimum octuageſimo quarto: ſed non quieſcens, vir animi ferocis Bolislaus, Rege contempto, etiam fratrem impugnat. Quamobrem altera expeditio ſuſcepta eſt, anno ſequente, vt Lambertus tradidit, in quâ ipſe Bolislaus deditionem promiſit, & de iniuriâ Miſnenſibus illatâ ſatisfecit, & VOLCHVLDVM præſulem Pragam vocatum, in honore habuit: ſed inter ſacra ante aram paralyſi, ipſo die paraſceues, tactus, & in patriam reportatus, non diu ſuperuixit.

984.

985.

Eo bello ſedato, principes Germaniæ ad Mœnum conueniunt Francofurti: quo in loco Hermani Saxoniæ Comitis ſagacitate & induſtriâ, cauſa Henrici Bauari tranſacta eſt: & Otho animis conſentientibus Rex denominatus: & Henrico, iudiciis prudentiorum, regi nouo ſeſe ſubmittenti, ducatus Bauariæ confirmatus. Rex læticiæ plenus propter placatum Bauarum, & ad conditiones redactum Boemum, diem feſtum Paſchalem celebrat Quedilnburgi, ſingulari magnificentiâ: inſtruensque inquiſito apparatu conuiuium, HENRICVS Bauarus Papiferi, CONRADVS Francus Camerarij, HECILO Palatinus pincernæ, BERNARDVS Saxo ſtabularij munere functus eſt, vt ex Ditmaro liquet. Eôdem venerunt cum amplis muneribus, Duces Boëmici: MESICO inter alia dona præclara, camelum antea in Saxoniâ non viſum regi donauit: fidusque ei ſemper amicus fuit: & bis cum eo militauit fortiter contra Slauos, vt idem Ditmarus teſtatur: quarum expeditionum etiam Comas Pragenſis meminit, ſed de temporibus inter ipſos planè non conuenit. Slauis id bellum admodum extitit calamitoſum, & poſt illud, aut ſub iugum redacti, aut ità deleti ſunt, vt vires non receperint.

Othoni Imperium. Henrico Ducatus Bauariæ confirmatur.

Othonis bella Slauica.

Videor è Lamberto & Coſmâ coniicere, bella Boëmica & Slauica eodem tempore continenter peracta: nempe vt primo bello Boëmis repreſsis, Meſiconem ſecum in Slauos duceret: iterum domitis Boëmis, Slauicum etiam eodem milite continuaret: Boëmis autem iam planè conciliatis, Slauico tandem furori finem bello tertio imponeret. Geſta quidem acriter hæc bella, planè

Otho III. Miraculoſa. planè conſtat: ſed quibus vtrinque viribus, & quâ varietate, dici certò non poteſt, propter ſcriptorum negligentiam: Saxonibus tamen omnia ceſsiſſe ex ſententiâ, partum in gentem Slauicam imperium teſtatur.

Hæc dum in viciniâ Saxoniæ agerent præfecti regij: ipſius mater in Italiâ populos in officio continuit; & poſt electionem filij, per annos propemodum ſex, cum auctoritate & bellica & alia negotia prudenter adminiſtrauit. Inciderunt in hæc tempora, vt in Annalibus legimus, æſtus, & tempeſtates inſolitæ, annonæ caritas, pecorum & hominum lues, prodigioſa piſcium pluuia.

991. Anno ſupra noningenteſimum nonageſimo primo, Rex ſuorum videndi cupidus, auiam, matrem, amitam, ad ſe Halberſtadium accerſit, collocuturus cum ipſis familiariter, & locum quieti domicilij daturus, qui ipſis libuiſſet. Auia ſe contulit Magdeburgum, mater Nouiomagum, amita in ſuum cœnobium Quedilnburgium rediit. Aderant ibidem tres Antiſtites, Vuilligiſus, & Giſilerus ſæpius iam nominati, & Libentius Bremenſis, procurantes dedicationem templi, quod Hildeuardus Præſul de fundamentis extruxerat.

Mors trium Præſulum Hildeshemiorum. Anno regis Othonis primo Præſulem Hildeshemium ODVINVM Cal. Decemb. obiiſſe, & eius in locum electum OSDAGVM Præpoſitum, ſcribit Ditmarus: hunc etiam poſt quinquennij gubernationem vitam clauſiſſe, idem ait, eique ſucceſsiſſe iam antea functum munere GERDAGVM. Hic cum tertio ſedis anno Romam adiret, religionis causâ, VII. Id. Decembris morbo in itinere periit: cuius corpus ſectum ciſtiſque impoſitum, ad Eccleſiam Saxonicam reportatur. Orationes funebres cùm caſu adfuiſſet Antiſtes Magdeburgius, & in Osdagi, & in Gerdagi funeribus habuit. Hæc ex Ditmaro adiecta, quaſi per tranſcurſum ſunt: quæ quantum diſſentiant ab iis, quæ in Metropoli ſcribit Crancius, conferenti apparebit. Fuerunt autem hi præſules Regi probati & accepti. Gerdago autem defuncto non ex Eccleſiâ Hildeshemiâ, vt antè, ſed ex regis aulâ præſul declaratus eſt, BERVARDVS, vt eum Lambertus nominat: Regis magiſter, vt Ditmarus ſcribit: Erchenualdi antiſtitis Moguntini frater, vt annales: Comes Summerſenburgius, vt Crancius. Hic propter vitæ ſanctimoniam in numerum diuorum relatus eſt, & diui Archangeli templum extruxit: in cuius dedicatione BENNO præſul Aldeburgius

burgius ita compreſſus in frequentiâ à populo eſt, vt poſt paucos dies expiraret. *Otho III. Miraculoſus.*

Fuerant antè hoc tempus præſules in ſuo munere ſatis diligentes, quia habuerant tempora periculoſa: neque ſtuduerant voluptatibus, ſed religioni & pietati: & quamuis in aulis atq; etiam in caſtris verſati eſſent nonnulli, tanquam doctores aut conſiliarij: tamen fines ſuos nō immodicè exceſſerant, nec vitam dubitauerāt proiicere, modò religionem vlterius propagarent. Vocabantur tum eorum congregationes & templa, adhuc cœnobia & monaſteria, propter conuictum & diſciplinam: ipſi verò inter ſe fratres, non domini appellabantur. Vnà diſcebant, pſallebant, orabant, epulabantur: erantque mores eiusmodi, vt magis vitâ quàm dignitate, tàm principibus, quàm populo probarentur. Antiſtites ipſi in tuguriis, non arcibus: & iuxta templa, non ſiluas habitabant. *Præſulum munus antiquum.*

Sed iam aucti magnis facultatibus, & acceſsionibus variis ditati, libertatem ſumpſerant, & carceres diſciplinæ perruperant: nam Othone Secundo bellis Italicis occupato, & filio eius Othone Tertio adhuc puero, non habebant, quem obſeruarent aut metuerent; aut qui eorum libidini valeret obſiſtere, aut ſaltem contradicere. Igitur cœnobitarum aut fratrum nomen amplius non admittebant; ſed canonicos ſeſe, & Dominos mutuò ſalutabant: non diſcere, neque ſacra ipſi facere; ſed vicariis operas ſuas committere: ipſi equis ſtudere & opibus, militare, & ordines ducere: in conuiuiis nobilium ſpectari, intereſſe theatris & pompis ſolebant. Neque iuxta Eccleſias in ſacrariis pernoctari, ſed priuatas domos ornare; cocos, ſtructores, fartores alere; cum concubinis & famulabus habitare, ſcurris & morionibus dare præmia, veſte lineâ habitum militarem aut theatricum tegere, ad nuptias plebeias adire, & (quod inauditum antea ſeculis omnibus fuerat) priuilegia de venationibus ferarum ab Imperatoribus petere: tale enim ERPO Antiſtes Verdenſis ſenectute iam delirus, ſed in ſuâ iuuentute præſul eximius, ab Othone III. flagitauit & obtinuit. *Præſules quando & quomodo degenerarint.*

Non viſitabantur pauperes, non egeni alebantur, non hoſpitum cura erat: ſed auaritia eos ita occæcauerat, vt exactionibus & tributis inſolitis, plebem exhaurirent: adeò vt gentes Vandalicæ & Slauicæ, quas HENRICVS & OTHO optimi Imperatores ad Eccleſiam magnis laboribus & ſummâ

pietate

Otho III. Miraculoſus.

pietate collegerant, iam odio religionis exardeſcerent, & mori potius præoptarent, quam â Sacerdotibus tam impuris & auaris ſe deglubi paterentur. Cum remedium talibus malis afferri nullum poſſet: aucta licentia eſt, & è collegiis ſacerdotum exulare iuſſa diſciplina, ſanctitas, pudicitia.

Res geſtæ Othonis cum Slauis.

Venerant Halberſtadium, quò indictus conuentus erat, Saxones primates, qui de Slauis, Obetritis, Lutitijs, Vilzis, querebantur: quorum omnium animi ſpectarent ad tumultum. Rex cupiditatem ſacerdotum & præfectorum fortaſsè neſciebat, & præfectis mandare poterat: ſed Sacerdotes de ſuis reditibus, ad explendas voluptates, planè nihil detrahi patiebātur. Odio igitur & impatientiâ, iugum detrectabant, & more ſolito ſæuiebant immaniter in omnes ordines. Rex ſuos colligens, antequàm coniungerētur hoſtiles copiæ, oppreſsis vbi potuit, occurrit: Orientales, metu atque aſtu continet: cum occidentalibus acriter dimicat, eosque iracundiâ mentium impotes, non amplius conditionibus ad officium reducere, ſed armis domare compellitur. Toties ad nihilum ferè redacti, tamen nullam repugnandi aut liberandi ſui dimiſerunt occaſionem.

Bellum inteſtinum inter fratres Duces Bohemiæ.

Incidit præter opinionem inter fratres Boëmos ingens diſcordia: quæ cùm componi æquitate aut beneuolentiâ non poſſet, bellum alteri alter indicit. Bolislaus auxilio habuit paternos ſocios atque amicos Lutitios, qui circa Brandeburgum habitabant, pòſt Luſatij dicti: Meſico contrà, Saxoniæ Comites, Stadenſem, Summeringium, Ballenſtadium, Summerſenbergium, Nortringium, Stopudenſem ad ſuas partes attraxit, & præcipuæ auctoritatis Giſlerum antiſtitem Magdeburgium: Meſico præterea auiam Othonis, & ipſum Othonem habebat ſuo beneficio ſibi coniunctiſsimos. Exercitus fratrum inter ſe ſpacio disiuncti paruo erant, & prope Selpolim pagum iuxta lacum quendā, qui ponte longo transmittebatur, Saxones caſtra fixerant. Vnus è Comitibus, Vuillo nomine, ad præſidia ſua inſpicienda, miniſtrum fortè miſerat, qui à milite Bolislai interceptus eſt: cumq; in non ſatis arctâ cuſtodiâ teneretur, ipſe viarum notis diuerticulis nocte euadit. Deductus Benzonem ad Stadenſem Comitem, belli totius præfectum; hoſtis potentiam, & quo in periculo res eſſent, expoſuit. Saxones nihil morati, ſe ad pugnā inuicem animant: vt cum luce primâ in caſtra facerent impetum, & quaſi ſtertentes opprimerent. Nec erat incautus aut rerum ſuarum negligens Bolislaus: qui Flopanem quendam ad vires hoſtium explorandas, pecuniâ mouerat. Boëmi & Lutitij inter ſe conuenerant,

rant, ne quem Saxonem viuum dimitterent: nam victoriam, propter hominum multitudinem, ſpe temerariâ præcipitabant. Interrogatus coram militibus explorator retulit, Hoſtes numero eſſe paucos, ſed animis paratos, & armatura omnes ferreos: pugnari cum iis poſſe, ſed non ſine clade & pernicie: nam ducem intuendo, ſi victoria (inquit) penes te fuerit; tuas manus Meſico facilè effugiet, ſed Saxones in perpetuum hoſtes habebis: ſin (quod abominor) ad partem aduerſam fortuna ſe flexerit, de te tuoque regno hodiè actum eſt: nam hoſtem vndique circumuallantem non poteris declinare; neque tuos in locum aliquem, Saxonibus non peruium, ducere. Hoc viri non imprudentis ſermone audito, & Lutitijs animi cecidêre, qui odio Saxonum prælium expetiuerant: & Bolislaus territus, nuncios de pace ſtatim mittit, petitum cum fratre ſuo æquis conditionibus vt agerent, ne bellum gentis vtriusque interitu longiùs traheretur: ſe enim magis moueri damnis populi, quàm ſuâ ipſius fortunâ. Saxones renunciant Bolislao, ſe pacis quàm armorum eſſe ſtudioſiores, ſi pax honeſta ſit: eamque ſi ex animo petat, tutò in caſtra veniat; & coràm cum fratre, quæ ex vtriusque vſu & dignitate ſint, ſtatuat: Saxonibus amicis potiùs, quàm hoſtibus vtatur. Accedentem ad caſtra Ducem honorificè Antiſtes accipit: ſecumque ad Oderam vſque fluuium deducit.

Nuncius ad Meſiconem mittitur, nomine Bolislai: qui dicat, ſi regnum ereptum ſibi reſtituere velit, ſe in poteſtate ſocios habere, qui ſint arma depoſituri: ſin aliter animatus ſit, eosdem ſecum interituros, non ſine internecione aduerſariorum. Quam petitionem, vt inſolentem, Meſico aduerſatur: nuncioque nihilo reſpondet humanius: ſi velit frater ſuos eſſe ſaluos, & hoſtes vlciſci, copiam eſſe id faciendi: ſin hoc effecturus non ſit, pro gloriâ eſſe domum reportaturum infamiam. Hac verborum petulantiâ vtrinque animi magis exacerbati ſunt. Bolislaus, qui fratrem ſperauerat fore ſibi ſupplicem, ditioni quidem Saxonum nullum maleficium infert; ſed loca omnia vicina deprædatur, & ædificia incendit: vrbem Nemizam vi occupat, loci præfectum Lutitijs capite dat puniendum: Hi enim aliud nihil, niſi Saxonum cruorem ſitiebant. Qui comitati Bolislaum erant è Saxonibus, in extremo diſcrimine verſabantur: quos cùm celerrimè ad ſuos redire Dux iuſſiſſet; Lutitij eos agmine expedito voluerunt opprimere: hos

Otho III. Miraculoſu. igitur tumultuantes oratione blandâ Bolislaus vix coërcet: vos (inquiens) pro paternâ neceſsitudine in auxilium vocaui: cauete igitur ne hoc fœdus violetis; inferentes iniuriam iis, quibus fidem dedi, quosque à me dimiſi pacificè: nam qui cuſtodes corporis mei fuerunt, eosdem corpore meo contra tumultuantes defendam.

Quamobrem temerè ne agite, neue ex amicis nobis hoſtes facite, viros acres; & quos veſtro detrimento experti eſtis, perpetuos gentis veſtræ victores. Odium erga Saxones alio tempore perſequimini, cum erit occaſio: cæde paucorum vobis internecionem modò ne accerſite. Inſanientes Lutitios vix repreſsit: qui cùm duos tantùm dies in caſtris vltrà manſiſſent, dimiſsionem petunt, & domum quisque ſe recipiunt: Fœdus tamen antiquum cum Duce renouant, quod illis hactenus valdè lucroſum fuerat: quia ſtipendia ab eo ampla habebant. Sacramento liberati, aliis ad ſua ſe referentibus, ducenti cæteris audaciores, ad Saxones inſequendos inter ſe coniurant, ſi quam ex improuiſo prædam valeant conſequi. Hoſtium conſilium ſi maturius enunciaſſent Comitis Vdonis ſatellites, eorum nullus mortem euaſiſſet: ſed Magdeburgum Saxones venerant antè, quàm rem cognouiſſent, aut illi eos eſſent aſſecuti.

Mors Imperatricis. Obiit paulò pòſt regis mater Theophania: cuius obitum, Calend. Nouembr. Solis horrenda eclipſis anteceſsit, hora diei quinta. Eodem anno, flammæ è Rheno emicantes, villas in

991. *Prodigia.* ripâ poſitas incenderunt: quorum prodigiorum Ditmarus & Lambertus meminerunt. Filius Rex Coloniam profectus, funus Nouiomago deducit, & proſequitur: & eius de more exequias honorificè celebrat: quam in Græciâ natam, in Italiâ deſponſatam, in Germaniâ ſepultam, gentes admirabantur. Socrus auditâ eius morte ad conſolandum filium Coloniam adit: quam Imperator in ſuo comitatu retinens, honore digno habuit: donec calumniis iniquiſsimis optima fœmina grauata, aulam ſequi amplius detrectauit.

992. *Prodigia.* Anno ſupra noningenteſimum nonageſimo ſecundo alia ſecuta prodigia. Cælum ardens viſum, aquilonem verſus, ante Solis exortum: durauitque horam vnam. Viſi itidem ſoles tres, & lunæ totidem: obierunt Antiſtes ECBERTVS

Mors trium præſulum. Treuirenſis, item DODO Monaſtenenſis & ERFO Verdenſis præſules. Secuta ſunt porrò fames & Peſtilentia. Ditmarus ait,

ait, Regem in Obetritas duxiſſe exercitum, & Luſatiorum regionem inuaſiſſe, qui ſe dici & haberi volebant Saxonum hoſtes: ſed petulans audacia cum calamitate ipſorum fortiter repreſſa: nec defuit illis animus ad necem promptus, modò Saxonicam ſeruitutem excuterent: cuius cauſa fuit paulò antè expoſita.

Otho III. Miraculoſus.

Erat iam diuturna inter ducem Bauariæ Henricum, & Gebhardum præſulem Ratisbonenſem, de fundis Eccleſiaſticis controuerſia: inter quos cum conueniri amicis omnia tentantibus, non potuiſſet: arbitrum Regem conſtituunt: ad quem ambo Magdeburgum veniunt, cum ſuis quiſque clientibus. Regis humanitate & prudentiâ annorum multorum lis ita dirimitur & componitur:, vt animis placidis diſcederent: Præſul Ratisbonam contendit, HENRICVS Gandershemium vt ſororem inuiſeret, & fataliter ad locum tumuli ſui feſtinaret: nam morbo vehementi & ſubito correptus finem ſibi vitæ impendére cognouit. Igitur Henricum filium properè accerſit, & eum præſentem ad colendam pietatem, & Regis obſeruantiam oratione & precibus hortatur: cum gemitu declarans, quantùm illum pœnituerit, quòd ſit Regi humaniſsimo aduerſatus: quantamque inde & fortunarum & æſtimationis tulerit iacturam, verboſè exponit. Paucis pòſt diebus in hac vitâ miſerâ, quam ſibi irâ & impotentiâ fecerat acerbiorem, animo tranquillo emigrat. Filius doctrinæ patris memor, & ab eius moribus propter moderationem alienus, poſteaquam iuſta ei officioſè ſoluerat, ad Regem abit: ſua illi obſequia defert: & ditionis paternæ obtinet poſſeſsionem. Annus obitus Henrici fuit ſupra noningenteſimum nonageſimus ſecundus: qui etiam fatalis erat, DITERICO & SIBERTO fratribus, Comitibus Palatinis, vt eſt apud Ditmarum.

Controuerſia inter Henricum Bauarum & Præſulem Ratisbonenſem.

Morbus & mors Henrici Bauari.

992.

Eodem tempore HENRICVS Comes Viburgius, Chriſtiani Comitis egregij filius, Ditmari Mersburgij præſulis, qui Chronicorum libros ſcripſit, auus maternus, Ebergerum Francum quendam nobilem, aduerſarium ſuum, in Herciniis capit: adductumque Lindelocham, propter factam ſibi contumeliam oculis priuat. Bernuardus præſul Vurciburgius, miniſtri ſui caſu dolens, Henricum coram Rege accuſat: cui bona adimuntur, & Ludgero præſulis militi aſsignantur: Henricus verò damnatur exilio. Rex tandem causâ diligentius penſitatâ, non ſolùm Henricum in gratiam recipit: verùm etiam Præſuli eundem reconciliat.

Henrici Viburgij facinus.

Otho III. Miraculoſus.

conciliat. Poſt aliquot menſes præſul Lupoldum Marchionem orientalem,& Henricũ (de quo modò diximus) eius cognatum, ad VII. Idus Iulij inuitat, ad ſacra diuo Chiliano, cui ædem nouam dicauerat, celebranda: ad quæ ſine vllo metu hic accedit. Dicatione templi peractâ Henricus cum æqualibus ſuis in conclaui quodam lætitiæ vacat & luſionibus: cui per feneſtram in tergũ immittitur ſagitta lethalis, à quodam eius amico, cui oculos exſculpendos curauerat: ex eo vulnere tantùm biduò ſuperuixit.

Henrici Viburgij & Leopoldi Bauariæ Marchionis mors.

Accidit idem Leopoldo Bauariæ Marchioni in ſuo hoſpitio, vt eâdem fraude traijceretur VII. Id. Iunij, vt in Chronico Quedilnburgio. Præſul ne cædis particeps aut conſcius haberetur: homicidas præmiis propoſitis inquirit, ſeque per literas Regi excuſat: cui Henricus cariſsimus fuerat: quia prudentiorem & meliorem, teſte Ditmaro, nullum poſt ſe reliquit. Secuta tunc hiemẽ acrem magna æſtatis ſiccitas, & hanc peſtilentia.

Brandeburgum obſeſſum ab Othone.

Hoc tempore Brandeburgum vrbs Vandalorum nobilis, ad amnem Hauelũ ſita, à Rege obſidetur: id quod tali de causâ euenit. CHIEZO Quedilnburgius, ſcientiâ militari inſignis, offenſus à Marchione Diterico, ad Lutitios ſe contulerat, hoſtes nominis Saxonici iuratos. Is cùm multas clades vicinis inferret, & fortitudine fideque iam ſatis eſſet perſpectus: eum Brandeburgo Lutitij vnanimiter præficiunt, vt haberet receptum, & populos Saxoniæ animoſius & tutiùs vexaret: quod cùm læto ſucceſſu faceret: Rex per fidos homines cum eo agit, vt vrbem Imperio tradat, & à ſe præmia tanti beneficij ingentia expectet. Suſpectus Vandalis & Lutitijs Chiezo factus, omnibus eorum viribus in vrbe impugnatur: ipſe cohortibus lectis, quas ſibi variis artibus conciliauerat intra mœnia ſe defendit. Iis cùm exponeret ſuum periculum & crudelitatem Vandalicam: & oſtenderet illis ſpem de Regis promiſsione: aut depugnare cum ipſo, aut mori ſtatuerunt. Interea Rex, qui tum agebat Magdeburgi, promiſſa auxilia mittit, quibus præfecerat viros illuſtres atque fortiſsimos, Fridericum Palatinum, & Echardum Marchionem: eos ſequebantur Siffridus & Lotharius Comites Summeringij: item Henrici, qui Vurciburgi ſagittâ traiectus eſt, filij, Henricus, Vdo, Siffridus, & multi alij viri militares. Audito hoſtium aduentu, Lutitij vt eos ab introitu vrbis prohiberent, audacter in conſpectum iis eunt, manus collaturi, quocunq; in loco in eos incidiſſent. Pugna prope vrbem animis infeſtis committitur: ſuntq; à Lutitijs Saxones primâ congreſsione diſsipati: quorũ pars in vrbẽ ſubito

impetu

impetu venit: pars excluſa, pugnam grauem ſuſtinuit. Siffridus Summeringius, de equo deiectus, ſeruatur quidem: ſed propter accepta vulnera paulò pôſt obiit, Idib. Martij; cæteri qui euaſerāt, Magdeburgum ſe recipiunt. Ecbertus Comes etiam obit, Non. April. ſingulari laude prudentiæ & animoſitatis. Rex ne occaſionem magnam è manibus dimitteret, & tot hoſtium iniurias ſineret inultas; maiore exercitu collecto ad Hauelum celeriter contendit: quem cùm irâ incitatum, & minas ſpirantem, ad ſe rectâ pergere hoſtes intelligerent: vrbem relinquunt, & quò quenq; impetus tulerat, trepidanter aufugiunt. Brandeburgum abſq; prælio in Saxonum poteſtatem venit, & præſidio munitur firmiſsimo. CHIEZONI cùm eſſet gratia delicti facta, eique bona paterna reddita: leuitate quâdam improbâ, patriam rurſus impugnat: eſtque à ſociis ſuis, cùm id minime formidaret, interfectus.

Otho III. Miracula ſus.

993.

Chiezonis Quedlinburgij cædes.

Lutitij clade affecti, & vrbe oportunâ amiſsâ, & decepti à Chiezone, dici non poteſt, quantum in Saxones exarſerint: ideo partim ad Danos, partim ad Vilzos confugientes, omnia experiuntur, quò ſe vindicent, & magnum aliquod malum concitent Saxonibus: quorum perfidiam exaggerabant, & cupiditatem ſignificabāt aliis, qui mox in eodem periculo futuri eſſent, niſi conſilium in tempore caperent. Itaq; manu piratarum collectâ, ad Oderæ oſtium (vt Ditmarus ſcribit) ſunt congregati, vt & mercatorū interciperent nauigia, & loca vicina infeſtarent. Sæpius autem è nauibus confertim egreſsi, prædas è villis agebant, modò abductis agricolis, modò abactis armentis. Erat tum Daniæ Rex SVENO, hoſtis religionis & apoſtata, cuius audaciæ fauebat fortuna: is non tantùm Saxonibus moliebatur interitum, ſed & Germaniæ & Britaniæ litora infeſtabat latrocinando: magniſque ſibi comparatis opibus, metuebatur penè ab vniuerſis. Eius naues tum è Britaniâ prædâ onuſtæ venientes, ad Albis oſtium appellunt: ditionem Hadelenſem ad vrbem vſque Stadium populantur: hæc vrbs ab opportunitate portus nomen accepit; vt Helmoldus tradit. Quidquid agere ferreque non poterant, aut ferro necabant, aut vndis mergebant. Querelis & calamitate incolarum excitati, Henrici Comitis Viburgij filij, Chriſtiani nepotes, iuuenes animoſi, quos paulò nominaui, agmen tumultuariè colligunt: in quorum caſtra Comes EDELGERVS aduenit. Hi viribus communibus ad piratas arcendos, ſeſe accingunt: & in portu Stadensi deprehenſos, adoriuntur: ſed non ſatis exploratâ eorum

Lutitiorum furor.

Saxonum clades.

Otho III. Miraculoſus.

multitudine, & auidiùs congreſsi, tacitè ab omnibus lateribus circumueniuntur. Quamuis autem pugnarent acerrimè tamen à multitudine Danorum obruuntur: qui in prælio non occiderunt, & in hoſtis poteſtatem venerunt, non vt homines liberi tractati, ſed funibus & rudentibus vincti ſunt, & ſeruilem in mo-
994. dum ad remos damnati. Factum hoc eſt IX. Cal. Iulij, vt Ditmarus anno ſupra noningenteſimum nonageſimo quarto, vt Lambertus. Inter alios qui ſunt cæſi, numeratur VDO Viburgius in Chronico Quedilnburgio.

Saxones captiuos & interfectos grauiſsimo ære redimunt.

Cladè miſerabili vulgatâ, BERNARDVS Dux Saxoniæ, pro captiuis redimendis graue pondus argenti promittit, & locũ tutæ collocutionis poſtulat. Dani quamuis reſponderent arroganter: tamen quia genus barbarum cupidiſsimum pecuniæ eſt, conditiones admittunt, ſed Saxonibus grauiſsimas: qui nihil facere recuſabant, vt tot homines generoſos & ingenuos liberarẽt: videlicet, vt domi mòrerentur inter chriſtianos, & poſt fata ipſa, nihil inſolenter à peruicacibus hoſtibus paterentur. Solebat tum inuſitatâ impietate gens Danica homines nobiles inſepultos atq; inhumatos in agris campisque laniandos beſtiis relinquere. CVNEGVNDIS vidua Summeringia, Viburgiorum ſoror, ſuas profudit fortunas, vt fratres redimeret: idem fecerunt de nobilitatẽ, honeſtæ matronæ plures; quæ aut coniuges, aut filios, aut agnatos deſiderabant. Pecunia redemptionis conſtituta circa ſeptem millia talentorum, vt in Chronico Quedilnburgio legitur, cùm iam barbaris eſſet oblata, eam accipere noluerunt: ſed tantundẽ iterum poſtularũt, aut captiuis cruciatus, & fœdam mortem minitati ſunt. Saxones vt vinctos vulneratosque ſeruarent, iis aſſentiuntur, & pecuniam initio promiſſam numerant: & obſides, donec reliqua, quę acta erat ponderetur, tradunt. Legati qui cauſam egerant, domum referentes actionem iniquiſsimam, magnum mærorem & luctum ſuſcitant: nam qui ſe recepturos & amplexuros ſuos ſperauerant, metu gemino percelluntur: & quòd in manifeſto verſarentur periculo abſentes, & quòd ſalus præſentium, & ab humanitate & à religione remotis hominibus, eſſet committenda. Siffridus Viburgius ſui fratris Henrici filium vnicum ſibi cognominem obſidem tradit: eique propter annos pueriles cuſtodes addit, Geruardum & Volfredum familiares. Edelgorum liberant, translatis in ſe vinculis, Ditericus auunculus, & Olauus amitæ filius. Cunegundis pro relicto fratre altero, filios ſuos mittere non poterat, erant enim ordinibus ſacris omnes initiati: Siffridus in cœnobio Bergenſe agebat: Ditmarus

marus Canonicus diui Mauritij erat Magdeburgi: Huſuardus erat Presbyter. Abbas Bergenſis Ridacus cum Siffridum adoleſcentem indolis præſtantis nollet in Danorum manus tradere: Echardus Magdeburgius, Scholæ diui Mauritij magiſter, Ditmaro id expetenti poteſtatem fecit: qui vt eſſet ſaluti ſuo auunculo, habitum ſacerdotis deponit, & ad hoſtes incertâ vitæ ſpe proficiſcitur. Hi fratres poſtea honoribus aucti ſunt: Siffridus præſul factus Monaſterienſis, Ditmarus Mersburgius: huius magiſter Echardus lapſu ſtatuæ in templo colliſus eſt. Caſus quidam hîc interuenit mirificus: nam eo ipſo die quo Ditmarus obſes futurus, Magdeburgo exiret; Siffridus piſcatoris cuiusdam induſtriâ, è vinculis euadit, cum aliis duobus ſociis Ethicone & Hudbaldo. Is piſcator cimbulam vino onerauerat, quod captiui nautis largè propinabant. Siffridus mero depoſitis; cuſtodibus ad littus vt accederent propius, eos allexit quaſi manus lauaturus: deinde cum ſociis in nauiculam diſpoſitam inſiliens, nautam hortatur ne moram trahat. Dani conſpectâ viri nobilis fugâ, citis velis inſequuntur: ſed in littore paratos inueniens equos, oppidum Herslebiam intrat: Prædones ſuſpicati eum Stetinum (quæ nunc Pomeraniæ metropolis eſt) veniſſe, è nauibus exiliunt: & clamore atque furiis vrbem totam percurrunt & excutiunt: fœminis armillas & inaures, & quidquid ſuppellectilis melioris in manus incidebat ſimul detrahunt atque aufferunt. Siffridus fratrem Henricum & vxorem ſuam Editham Herslebiæ inuenit, viri vincula & miſeriam deplorantem. Dani iracundiâ frementes, cùm ad naues rediiſſent, facinus inauditum committunt. Obſides omnes, vnà cum Sacerdote capto productos, ludibrio habent, eosque celocibus & nauiculis ad littus vehunt, nudatos truncant manibus & pedibus, & in portum abiiciunt: horrendo feritatis ſpectaculo: ipſi ſe celerrimè proripiunt, & ſemimortuam nobilitatem relinquunt. Rumor per Saxoniam delatus, animos omnium cum horrore perculit. Vicini accurrentes paucos ſeruauerunt: inde ad maiorum ſepulchra digniores à ſuis deportati ſunt.

Otho III. Miracula fuga. *Siffridi Vi-burgij fuga.* *Danorum crudelitas.*

Dani ex atrocitate ſuâ colligentes, id quod erat, Saxones ad abolendam ignominiam tantam, arma ſumpturos, & vindictæ laxaturos frena: bellum magnis viribus moliuntur, ne imparatos ipſos hoſtis inueniat. Verũ cùm intelligerent homines aſtuti, in Saxoniâ conuentus paſſim agi, & ad vindicandam nobilitatem animis atque armis ſummos & infimos paratos eſſe: eâ parte irrumpere deſtinant, in quâ nullius periculi metus aut hoſtis ex-

Saxonum bellum Danicum.

Otho III. Miraculoſus. pectatio eſſet. Itaque per Vuiram fluuium ſubuecti, omnem illã ripam populantur vſque Leſtmonam, magnam agreſtium multitudinem capiunt, & in quosuis ſæuiunt immaniter. Miles Saxonicus Heruardus, è captiuis electus eſt, cuius ductu & indicio in regione ignotâ vterentur: qui motus caritate patriæ, cum tantâ crudelitate homines interfici, & captos quaſi feras tractari cerneret, de fallendis & euertendis Danis animo ſecum tacitus agit. Itaque cùm ad paludem quandam, quam Helmoldus Glindesmoram nominat, perueniſſet: ad loca maximè inuia, eos perduxit, vt ibi moram itineris impediti traherent: & Saxones, qui ad arma iam concurrebant, eos aſſequi poſſent. Quòd cum eſſet factum, nocte quâdam Heruardus transfugit: Saxonibus hoſtiũ vires, & in quibus locis verſarentur, exponit. Inops conſilij miles Danicus & in loca iniqua deductus, ante ſe paludem habebat tranſitu difficilem: poſt terga Saxonum arma imminere videbat: ad quas moleſtias accedebat metus multitudinis captiuæ & commeatus penuria. Heruardus ſuadebat, vt tempus prælij differretur, donec inediâ vires eorum magis debilitarentur, & diſpendio minore poſſent ſuperari: cuius conſilium ſalutare viſum eſt. Dani nec ordines ſtruere, nec armis vti rectè poterant, nec eſſe ſupplices ſuſtinebant: exercitati autem malis & periculis, ſpem ponebant in ferro & manibus: copiæ Saxonicæ multò ſuperiores iam erant. Igitur impetu Dani ipſi irruentes pugnam committunt: eamque ferocitate tam diu ſuſtinent, donec internecione delerentur: nec Saxonibus quidquam læti contigit, præter victoriæ nomen. Periiſſe è Danis viginti millia Helmoldus ſcribit. *Clades Danorum.*

Otho Rex, vt Saxoniam redderet tranquillam, omne ſtudium & operam impendebat: erãt enim iam Lutitij ſubiugati, Vilzi remoti, Dani interfecti: ideò præfectis ſeuerè mandat, vt intenti in omnem auram ſint, ne quis alius porrò ab Oceano ventus aduerſus oriretur.

995. Anno altero, qui erat noningenteſimus nonageſimus quintus, in villâ Hordorpiâ partus monſtroſus naſcitur, parte ſupernâ homini, inferiore anſeri ſimilis: dentes colore croceo, auris & oculus dexter maiores ſiniſtris: manus ſiniſtra ſolo pollice notabilis. In lucem editus vidit: poſt baptiſmum, priuatus lumine eſt. Fuiſſe tale monſtrum baptizatum, etiam pro portento habitum eſt. Vixit dies quatuor. Secuta aëris corruptio & morbus peſtilens, qui ſenſibus multos mortales priuauit. *Partus monſtroſus.* *Peſtis.*

In huius anni fine natalem Chriſti Rex Coloniæ celebrauit, ſuamq; principibus expoſuit de profectione Italicâ ſententiam: *Otho molitur expeditionem Italicam.*

ad

ad quam cùm hortati eum eſſent more maiorum, eosdem ſibi; ad iter cum dignitate peragendum, menſe Martio adeſſe iubet: ipſe in interiorem Saxoniam ſe recipit Vuildershuſiam, diœceſis Bremenſis, monitu Hamburgij Antiſtitis Adelgadi, viri ſummæ tùm auctoritatis. Acceſsit eò magnis de cauſis: & vt Vitechindi maiorumque monumenta, & quaſi incunabula inſpiceret: & vt ſe illis populis videndum præberet, ad quos nullus adhuc Imperator Saxonicus acceſſerat: quò magis in fide & officio retinerentur, ſi ſe non contemni animaduerterent: prætereà, vt præſens eos adhortaretur, vt Danis & Slauis fortiter reſiſterent. Cùm autem & gubernationis rationem ad ſe deferri vellet: præclarum ſui & amorem & admirationem excitauit: quòd Rex adoleſcens non voluptates ſectaretur, ſed populorum commoda ſuâ inſpectione & diligentiâ procuraret. Leges maiorum ibidem partim confirmauit, partim nouas addidit: ſanciuitque, honorem Sacerdotibus haberi, bona Eccleſiarum non alienari, latrocinia coerceri, exactiones niſi ad bellum neceſſarium nullas fieri voluit. Præſidiariis ſtipendia auxit, & ſupplementum, ſi qua vis ingrueret, conſcripſit. In toto exercitu ſuo Slauum nullum militare permiſit: mancipia præterea vendi prohibuit, permutari conceſsit.

Otho III. Miraculoſus.

Menſe Martiò poſt annum noningenteſimum nonageſimo ſexto, cùm Principes Francofurti iuſſu ipſius conueniſſent, in Italiam per Alpes Iulias tendit: à Venetis inuitatus, eorum vrbem inviſit: & propter hoſpitij beneuolentiam, Duci ipſorum Petro Vrſeolo, Petri Ducis filio, trabeam auream donat: qua in hunc diem, quaſi regio honore atque munere, Duces Veneti vtuntur. Diſpoſitis rebus, quibus voluit, in Marchiâ Veronenſe, quæ tum Duci parebat Bauaro, Ticinum abit, & ibidem more ſolito ferias Paſchales celebrat: inde recto itinere Romam veniens, à Creſcentio Conſule, & prætoribus ſummâ obſeruantiâ in vrbem introducitur.

996. Prima Othonis in Italiam expeditio.

Mortuus fuerat IOHANNES XVI. Pontifex, cui ſucceſſor iubente Rege, primus è Germanis datur BRVNO, Regis agnatus, Othonis Magni Imperatoris pronepos, vir & maiorũ dignitate, & ſuâ pietate illuſtris: quod factũ Regis, qui tum præſentes erant Principes, probauerũt: Itali probare tẽporis causâ coacti ſunt. Ab eodẽ coronâ imperiali ſolẽniter donatus, atq; Auguſtus ꝓclamatus eſt. Habebat tum ſecum Imperator Franconẽ præſulem Vuormaciẽſem, qui in vrbe mortuus eſt: ei rogatu Pontificis ſubſtituit Erfonẽ natũ Halberſtadij, qui poſt triduũ morte ſubitaneâ extinguitur:

Bruno Gregorius V. Pontifex Rom.

Otho coronatur.

Mors Præſulum Vormacienſis & Bremenſis

Otho III. Miraculoſus.

guitur: tum alterum quendam RAZONEM Bremenſem, qui etiam menſem ſupra dimidium non vixit. Quod cùm miraretur Rex fieri: tandem in mentem reuocauit, quid Franconi promiſerit, nempe quod fratrem eius ſucceſſorem nominare vellet: quod quamprimùm in Germaniam rediiſſet, facere conſtituit. Româ religionis causâ in Apuliam iter facit, in montem Garganum, ad templum Archangeli inuiſendum: quo voto abſolutus, magnis muneribus ibi relictis, vrbis Venuſiæ præfecturam, quam Bertholdus Sueuus geſſerat: item Beneuentanā Italis reddit. BERNVARDVS præſul Vurceburgius, miſſus legatus Conſtantinopolim in Achaiâ moritur.

Slauorum in Saxoniā irruptio.

Dùm apud exteros tranquillè agit, Slaui interea è præſidio Berneburgo, quod paulò antè Imperator exædificauerat, vt è Ditmaro liquet, præfectum aſtutè eliciunt: & in ſiluâ vicinâ inſidias diſponunt. Præfectus abſente LOTHARIO Summeringio, cui Berneburgum commiſſum erat, cum paruâ manu ad aliquam ab iis prædam capiendam exit: maximam partem militum intra mœnia relinquit. Eôdem cupidus venerat propter valetudinem, curru vectus, Antiſtes Magdeburgius. Slaui rebus per exploratores cognitis ex omnibus ſiluæ partibus euolant, & Saxones inuadunt. Antiſtes fugâ ſalutem vix inuenit, & intra mœnia venit: cæteri interfecti, prædæ hoſtibus fuerunt. Antiſtitis conſilio ciues ex vrbe fugiunt: & præſidiarij ciuibus nihilo animoſiores eos ſequuntur, & ad Lotharium non procul inde agentem feſtinant, in eo poſito incolumitatis præſidio. Hic Slauorum cognito audace facinore, ad vrbem ſeruandam properè accurrit: & Antiſtitis auxilium, qui vim hoſtilem vix effugerat, fruſtrà implorat. Factus vrbe propinquus, duabus eam partibus incenſam videns, ſocios ad flammam reſtinguendam hortatur: ſed cum nihil proficere videretur, & virium ſatis non haberet, portas hoſtibus patentes relinquit. Factum id eſt VI. Non. Iulij.

Berneburgum à Slauis incenſum.

Beringerus rapit ſponſam Ludgardam.

ECHARDVS Turingiæ & Miſniæ Comes cum Imperatore in Italia erat: cuius altera filia LVDGARDA â Mathilde educabatur Quedilnburgi: eam pater BERINGERO, Lotharij Comitis Turingiæ Septentrionalis filio deſponderat. Cùm autem Echardus animum mutaſſet, & fortaſſe de genero magis nobili conſilia iniret: Beringerus puellam efflictim amans, de eâ rapiendâ conſultat. Turingiæ gubernatio Mathildi tum commiſſa erat: quæ indicto Dorneburgum conuentu de rebus communibus conſilia nobilitatis exquirebat: ea ſecum adduxerat puellam illam venuſtate & moribus conſpicuam. Sponſus cum fidis hominibus

minibus eôdem venit: locoq; & tempore captato virginem rapit, Vuallebecá equis diſpoſitis celeriter deportat. Mathildis ſuos miniſtros inſequi, & raptorem aut viuentem aut mortuum, incolumi modò Ludgardâ, reduci imperat: ſed iam in locũ tutum recepti, armiſſe defendebant: ad quos expugnandos, cùm nõ ſatis haberẽt virium: Mathildis equites, triſte ſuæ dominæ reſponſum retulerunt. Mittuntur protinus ad eam reducendam raptoris pater, & Helfricus, & Ditmarus Comitis Echardi miniſter fidus: ſed neq; minis neq; blanditiis quidquam ab amatore impetrãt. Vocantur Magdeburgũ primates Saxoniæ, qui iudices conſtituti abſente Imperatore erant. Mathildis raptorẽ accuſat, de eorum ſententiâ pœnã decretura. Erat virginis pater, vir acer & iracundus, cuius admoniti violentiâ, reſtitutionẽ petunt: aut ſi eam recuſet, bellũ publico nomine Beringero indicunt. Adoleſcẽs licet in anguſtia poſitus, ob amoris impatientiã: tamẽ ob periculi pręſentiã, meliora audit conſilia: ſupplex veniã petit, & puellã reddit: pœnã Mathildis Principũ rogatu, & puellę lachrimis, vſq; ad Imperatoris reditũ prorogat. Inciderunt in hæc tempora obitus hominum illuſtriſsimorũ, Gregorij V. Pontificis, qui pridiè Non. Feb. vitam clauſit, Imperatoris agnatus: Mathildis amitæ Imperatoris, quæ mortua eſt, VIII. Id. Feb. præfuitq; collegio Quedilnburgio annos multos: auiæ Imperatoris Adelheidis, quæ XVI. Cal. Ian. Ditmarus ponit annũ noningenteſimũ octauũ, Lambertus nonũ. In collegio Quedilnburgio Imperator amitæ ſuã ſubſtituit ſororẽ; miſſo ad ipſã, de more, pedo aureo: Arnulfo item præſuli ſcribit, vt ritu ſolenni virginẽ caperet, & cõſecraret. Statu eccleſiæ conſtituto, & rebus ex voluntate Romæ & per Italiã compoſitis, Imperator in Galliã iter facit. In itinere obuiã habet Regem Hugonem, amitæ ſuæ maioris maritũ: eo ſolutato in Germaniã reuertitur. Ratisbonã accedens, à Præſule Gebhardo, & Henrico patruele perhonorificè accipitur: cùm eum & prætor Romanus & Robertus Cardinalis, & alij qdam patricij & Sacerdotes fuiſſent eo vſq; comitati. Venit eodẽ Giſelerus Magdeburgius, vt ſupplex Imperatori fieret: nam à ſynodo Romanâ accuſatus erat, ꝙ vt homo ꝓphanus, negligeret conſuetudinẽ eccleſiaſticã, & viueret improbè, & vt ambitioſus binos Epiſcopatus teneret per iniuriam. Inciderat idem paucos ante mẽſes in paralyſim: ideo motus miſericordiâ Imperator, dicit, ſe aliorum cenſuræ cauſam eius relinquere: qua differenda, ſeni & ægroto ſpem iniicit, ne ignominia aliqua afficeretur. Conuenit eodem itinere Imperatorem Lotharius Summeringius qui ſe iureiurando purgauit, propter cladem Berneburgiis illatam: Beringerus itidem veniam raptus impetrat, quia virginem ſine contumeliâ reſtituiſſet.

Otho III. Miraculoſum.

Obitus illuſtrium perſonarum.

998.

Otho per Galliam in Germaniã redit.

Circa

Othonis magnificentia.

Circa idem tempus Imperator DITERICVM Comitem Egeshemium, titulo Landgrauij (Comitem prouincialem nonnulli appellant) in Alsatiâ inſigniuit: & ENGELRICVM Comitem Ratisbonenſem, tractu Traſamio in Bauariâ Orientali donauit: alios prætereà viros ſpectatos honoribus amplioribus extulit: nam duobus ex Richardi Saxonicâ, proamitâ ſuâ procreatis Leopoldi Auſtriæ Marchionis filijs, ERNESTO Sueuiæ Ducatum tribuit, ALBERTO Marchionatum paternum confirmauit: qui nepotes ambo erant Alberti Comitis Pabebergici: quem Hatto Moguntinus gladio carnificis ſuâ perfidiâ ſubiecerat: cuius facinoris eſt mentio facta in Henrico Aucupe. Peragratâ deinceps Saxoniâ, Hugonem præſulem Citienſem, & Idonem Miſnenſem inuiſens diminutos Eccleſiarum illarum redditus non ſolùm reſarciuit, verùm etiam ſuâ libertate auxit: & Echardi Marchionis viri ſpectatiſsimi hoſpitio vſus, in prouinciâ Miſnenſe multa conſtituit: & à Boëmicis incurſionibus vt eſſet ſalua, præuidit.

Alberti Antiſtitis Pragenſis vita & mors.

BOLISLAVS Dux Boëmiæ religionis ſtudioſus, cum in vicinia eſſe Imperatorem audiret, eum per literas appellat: vt aliquem ad ſe mitteret, pium & eruditum hominem: quem eccleſiæ Pragenſi Antiſtitem præficeret: nam ALBERTVS è ſcribâ aulico, factus præceptor Imperatoris: è milite Palatino Antiſtes creatus, faſtidio gubernationis difficilimæ, vt alij ſcribunt, in montem Caſsinum in Samnio, vt alij, in Auentinum Romæ, vbi diuus Alexius colitur, ſeceſſerat. Inde crebris petitionibus à Pontifice Romano, quaſi extruſus, Boruſſos docuit: nec longè ab oppido Fiſchuſio, palo alligatus, ſeptem haſtis fuit transfixus. Frater Ducis Boëmiæ STRAQVVTIVS in eius locum adhuc viuentis, dum Romæ erat, ſe ingeſſerat: ſed (vt annales Boëmici teſtantur) inter ſacra dæmonio corripitur, cùm iam infulam & pedum indignè accepturus eſſet: non enim docere, ſed imperare cogitauerat. His intellectis Imperator, probatâ Ducis pietate, THEADAGVM Saxonem, liberalibus ſtudiis apprimè eruditum, & linguæ Vandalicæ exactè peritum, ad Pragenſes mittit: cui Vuilligiſus Moguntinus tiaram magnis omnium votis & gratulationibus imponit.

Straquutius à dæmonio ſtrangulatus.

Othonis iter in Poloniam.

E Miſniâ Imperator, iter religioſum in Poloniâ inſtituit, ſequentibus eum Giſelero Magdeburgio & Echardo Marchione. Dux Poloniæ Bolislaus, certior de eius aduentu factus, ad locum qui Ilua dicitur, ei occurrens tantâ, quantâ maximâ poſſet magnificentiâ, ad Gneſnam vſque proſequitur: eò enim ad viſen- [illegible] das Al-

[illegible]

das Alberti Præſulis (quem modò à Boruſsis interemptum diximus) reliquias, Imperator feſtinabat. Ante vrbem Præſul Vngerus, more ſolenni eum ſalutat & excipit: & nudis incedentẽ plantis, ad templum vſq; comitatur. Inſtituta tunc ibidẽ ſedes metropolitana ab Imperatore eſt propter honorẽ martyris: quod tamẽ eum non legitimè feciſſe annales Saxonici teſtantur: nam nec Antiſtitẽ Magdeburgium audierat, cui ab Othone primo omnes eccleſiæ Polonicæ ſubiectæ erant: nec Poſnanienſem Magdeburgii vicarium, in conſilium adhibuerat. Subiecit autem Gneſnano Eccleſiam Slazocolbergiá, Cracouianam, Vratislauianam: quorum præſulum tum nomina erant, Reinborni, Popponis, & Iohannis: ſed Poſnanienſis cùm de ſuo iure pugnaret, ſub ditione Magdeburgiâ permanſit: & ei per Poloniã ingenuitatis conceſſa Priuilegia. Imperatori Rex inſignem abacum ex auro argentoq; donat, & aulæa veſteſq; marinas precioſas addit: quorum munerum & Cromerus meminit. Primus dies ſacris ſolennibus conſumitur: alter datus eſt ſynodo, in quâ cauſę ad eccleſiã pertinentes excutiebantur: idq; antiquo more, vbicunq; feſta ſtatiua haberẽtur, fiebat. Erat ante dies paucos Magdeburgi rurſus accuſatus Antiſtes: iuſſusq; eſt pontificatum Mersburgium reſignare: ſed ſenex aſtutus non iure, nec cauſæ bonitate, ſed pecuniâ (vt Annales Antiſtitum aſſerunt) euaſit. Cauſa igitur rurſus agitata, vocatusque ipſe mandato Imperatoris eſt ad dicendam cauſam: ſed cum valetudinem prætenderet aduerſam, propter quam ſiſtere ſe non poſſet: Rotmanũ familiarem &, Vualcradum præpoſitum miſit, qui ipſum iuramento, ſi fides non haberetur, excuſarent. Controuerſia iſta, quæ nec in Romanâ ſynodo, nec in aulâ Imperatoriâ poterat componi, ad concilium aliud dilata eſt. *Otho III. Mira aulæ fu.*

Tertius dies datus eſt deliberationibus publicis, quo die de repetendâ Italiâ conſilium ſuũ Imperator ꝓponit: nam expulſum eſſe Pontificem, & ſtatum vrbis planè turbatum, iam conſtabat: & de Creſcentij, & noui Pontificis ſæuitiâ, literæ crebræ perferebantur. Creſcentius enim vrbis dominatum rapuerat vi, & Placentinus Pontifex primatum auro comparauerat. Teſtabatur præterea aduentus Gregorij V. Pontificis pulſi, quanta commutatio rerum facta in Italiâ eſſet. Placentinus iſte, natione Græcus, in Calabriâ ſeruierat, qui per vxorem Imperatoris, cui ſe patriæ nomine inſinuauerat, ſtipendium regium impetrauit, cum ſe pauperem & ſtudioſum fateretur: & Græco ingenio vſus ita gratus in aulâ effectus eſt, vt legatis Comes adderetur, ſi qui Conſtantinopolim, quod interdũ acciderat, mitterẽtur. Defuncto Othone II. *Res Italicæ turbantur.*

Otho III. Miracula ſus. ne II. Imp. adoleſcentiam filij eius putauit ſibi aptam fore ad ſublimitatem: à quo matris commendatione Sacerdotia conſecutus & demum Placentiæ, Præſul deſignatus eſt: in quibus dignitatibus tantum auri corraſit, quantum ſatis eſſet, ad emendum Pontificatũ, Itaq; nactus tempora ſuæ cupiditati opportuna, & conſulem Romanum ambitioſum, & auariciâ perditum: ad ſummum in Eccleſiâ faſtigium, qui conditione ſeruus fuerat peruenit: membrũq; Antichriſti, vt ſcriptor Chronici Quedilnburgij inquit, ſedẽ Petri fornicando potius contaminauit, quàm venerando conſcendit. Quantum damni talis Pontifex, & talis vrbis gubernator dederint, præſertim copioſis hominibus, aut qui ab ipſorum ingenijs diſsiderent, colligi facilè poteſt.

998. *Altera Othonis in Italiã expeditio.* Anno igitur poſt noningenteſimum nonageſimo octauo Imperator iterum parat profectionem in Italiam: & delectum acturus in agro Veronenſe, adeſſe ſibi Principes Germanos ibidem iubet. CRESCENTIVS in vrbe muniendâ, & extruendo caſtro occupabatur, & de ſuo nomine caſtrum ipſum, arcem Creſcentij dixerat: quod neſcio à quo homine, vt Niemus ſcribit, carcer Theoderici nominabatur, ſub Othone primo: nunc diui Angeli caſtellum à multis annis: eſtque ab Alexandro VI. & à Iulio IV. plurimum ornatum magnis operibus. Moles ipſa interior, Hadriani olim Imperatoris ſepulchrũ fuit. Vrbem deinceps Creſcentius Leoninã, cuius muros & portas refecerat Imperatoris auus, eiq; præſidium Saxonicum impoſuerat, munit arctiùs, vt arcis habeat veluti propugnaculum. Eam planiciem inter montem Vaticanum & Tiberim Leo [illegible]. mœnibus incluſerat, ad defenſionẽ templi Apoſtolici, ne à Saracenis ſpoliaretur: & Romam nouam appellauit, quæ poſtea vrbis Leoninæ nomen retinuit. Imperatori Ticinum venienti Pontifex exul obuiam tendit, & de iniuriâ conqueritur: nec paruum ad gratiã Imperatoris afferebat momentũ, quòd Pontificem, more vetere ſuffragiis cõmunibus electum, ſecum duceret: virum etiam Italorum iudicijs nõ improbatum, propter grauitatem & iuſticiam: cui cùm alij fauebant populi, tum inprimis Hetruſci, qui eum fugientem hoſpitio exceperant. Ad vrbis mœnia Imperatori aduentanti Romani portas aperiunt, inuito Creſcentio. Tyrannus cum ſuo ſordido & mercenario Pontifice, arcis præſidium petit. Romanorum quia dubia erat fides, Imperator obſides ab ijs accipit: eoque in loco, vbi anteà Iuliani Imperatoris palatium fuerat (vt Martinus Polonus, & Chronicum Erfurdianum teſtantur) arcem nouam extruit: in quâ tumultu aut vi repentinâ

ſubortâ,

Otho III. Miraculoſus.

ſubortâ, à facinoroſis ſe defenderet. Creſcentium deinceps in arce tamdiu obſidet, donec fame vrgeretur; & ſe ad Imperatorē exiturum diceret. Veniam ſcelerum impetrare nullā cum ſuo Pontifice ſimoniaco potuit. Alij tradunt ſpe veniæ euocatum; ſed ei fidē nō ſeruatā. Eſt de ambobus atrocius, quā de latronib. teterrimis, ſumptū ſuppliciū. Creſcētius truncatus, tractus, ſuſpēſus, & præcipitatus eſt: Simoniacus â vulgo virgis cæſus, oculis priuatus, & demū confoſſus vitam finiuit, antequam de eo Imperator tulit ſententiam. Senatus prætorius Creſcentij, gladio percuſſus: erant illi viri nobiles duodecim. Variant in ſuppliciorū genere ſcriptores: aliudq; alij ponentes, hoc certiſsimè ſignificant nullū genus contumeliæ aut vexationis à milite prætermiſſū, q illis aut furor ſuggeſſerit, aut occaſio aliqua obtulerit. Extinctis merito ipſorū peſſimis hominibus, interficiuntur etiam, qui in eodē præſidio fuerant; & monſtra illa nefaria armis atq; auxilijs defenderant. Nomen Creſcentij vbicunq; aut ſculptum aut fictum inueniebatur, eraſum deletūmq; eſt: ſanctiones Simoniaci omnes abolitæ: Romani pertinaces in vincula coniecti. Gregorius in ſedem Pontificiam nouâ ſolennitate reſtituitur. Soliti fuerant Itali à multis annis Reges creare Imperatoribus ferè aduerſos: quos Othones, pater & filius, ſuâ potentiâ ſuſtulerant aut redegerant in ordinem. Ciues Romani ante hæc creauerant conſulem & prætores: hi poteſtate quaſi tribunitiâ, & vrbem exhauſerant, & nobilitatē malè tractârant, & magnorum bellorū Imperatoribus fuerant auctores: quam tyrannidem omnem Imp. ſuſtulit; & ita in poſterum minuit, vt nullus ad eum honoris gradum, quem habuerant iſti, poſtea vnquam aſcenderet. Inuenit etiam conſilium ſalutare & ſapiens de conſtituendis viris grauibus & prudentibus, in quorum poteſtate eſſet, Regem ſummo in terris honore dignum eligere. Nam cùm imperium affectarent Itali, propter antiquā maiorum gloriam: & Galli ei inhiaſſent, propter recentē Caroli Magni virtutē: ne & Italia tumultibus, & Germania bellis externis impleretur: (q Imperatorū Saxonicorū temporibus factum non erat) exiſtimauit & illorū poſſe ambitionem coërceri, & patriæ quieti cōſuli, ſi certis quaſi limitib. electio eſſet incluſa. Galli hoc tempore impedire conſiliū Imperatoris non poterant, apud quos ſtirps Caroli Magni erat extincta: & Hugo Capetus qui Regnum nuper inuaſerat, contētus fuit, ſi id ſine controuerſiâ retineret, & ad ſuos poſteros transferret, ita vti factum eſt. Itali verò efficere multò minùs id poterant: qui & ſuis hominibus nō æquo animo parebant; & inteſtinis flagrantes odiis, armis ſeſe externorum defende-

Supplicium Creſcentij & Pontifices Simoniaci.

Otho emendat ſtatum Reip. Romanæ.

Othonis Conſtitutio ſeptem virorum.

Otho III. Miracula ſui.

fendebant:qui demum ab iis ſubiugati & oppreſsi ſunt,quos ſibi defenſores temerè parauerant.Itaq; Imperator adhibito in conſiliũ Pontifice,& viris ſapientiâ præditis,ſex viros conſtituit,penes quos eligendi Imperatoris ius & poteſtas, & conſilij publici eſſet auctoritas:ex ordine Eccleſiaſtico tres, Imperij Cãcellarios, Moguntinũ Germaniæ,Colonienſẽ Italiæ,Treuerenſẽ Galliæ:ex Principũ ordine totidem, Imperatoris quaſi ſtipatores & miniſtros, Palatinũ Rheni menſæ præfectum, Saxonem ſtabulo, Brandeburgium cubiculo: ſingulos ſingula inſignia præferẽtes,maieſtatis videlicet effigiẽ.Etenim pomum aureum geſtat Palatinus:enſem,iuſticiæ vindicẽ,Saxo: ſceptrum,gubernationis ſignũ,Brandeburgius. Hos ſacramẽto obligat,ne quid aliud ſpectent, agant, conſultent, conſtituant, quam ꝙ ad cõmunem omnibus dignitatẽ & vtilitatem pertineat,& honore atq; nomine Germanico maximè ſit dignũ & conueniens. Cur autẽ talem Principum Senatum crearet,nõ ſolùm rationes publicæ illũ monebant:ſed etiã priuatæ adducebãt cauſæ:è quibus fuit,ꝙ hærede eſſet deſtitutus: & præuideret fore, vt contentiones naſcerentur:quod ſibi ſuisq; maioribus accidiſſe ab Henricis agnatis,& aliis ducibus ꝓpinquis, memoria tenebat. Eccleſiaſticus verò hos potiſsimũ elegit: quia & præſentiũ conſiderabat ſapientiã, & eorum diœceſes magnas & florentes.Palatinũ de Caroli ſtirpe deſcendentem honore affecit, propter nobiliſsimã proſapiã,& excellentium virtutũ memoriam: Saxonicos & Brandeburgios Principes extulit, propter fidẽ bellis Vngaricis, Boëmicis,Slauicis,Danicis,ſpectatam: eorumq; terram,virorum fortiſsimorum patriam alijs antetulit nationibus. Coniunxit præterea ordines vtrosq;; vt pariter & religioni conſuleret,& imperio: vtq; arma militaria eruditiorum conſilijs aut impedirentur,aut longiùs non procederent; aut progreſſa ne nimium ſæuirent.Nonnulli exiſtimant has duas familias fuiſſe illa ſummâ dignitate ornatas:vt in regionib. ſeptentrionalibus haberet patronos & vindices propagata nuper apud ipſas religio.Qui autem hoc munus eligendi familiis certis datum negant,ſecum ipſi litigant: in multitudine enim iudicium certum eſſe non potuit, nec conſtans electio: quæ ſi eſſe omnium debuiſſet, quorſum nouâ conſtitutione opus erat? quis enim alteri de ſuâ dignitate concederet, ſi aut Franci Saxonibus aut Sueui Bauaris, aut alij aliis præferri voluiſſent? Igitur fuiſſe certas & nominatas familias;res declarat: has autem ipſas fuiſſe, quæ in hunc diem ſunt, confirmant tempora. Non enim ſibi ſummam auctoritatem potuiſſent ſumere per ſe: quia tam potentes non erant: ipſæ etiam quamuis plura ſibi, quàm par fuiſſet,

fuiſſet, ſumpſiſſent ad tempus; tamen durare non potuiſſet iniuſta violentiâ.

Otho III. Miraculoſus.

Quod autem de eo, nihil cupiditate noſtrâ dignum, aut pro tali mutatione referendum, literis & monumentis traditum ſit: mirum mihi non videtur. Itali enim, qui inuiderent alienæ laudi, id facere noluerunt: & nunc in dubium vocant, de quo hactenus dubitauit nemo, ne ex ipſorum quidem ſcriptoribus. Homines verò noſtri, vt tum fuerunt tempora, propter imperitiam & negligentiam vel ſcribere non curarunt; vel quid ſcribendum præcipuum, & potiſsimum foret, non intellexerunt. Quod ſi nihil dignum literis geſtum eſt, nihilque credendum, niſi quod monachi mandarunt memoriæ: exigua certè maiorum noſtrorum gloria eſt, vel omninò nulla. nam eos fuiſſe diligentiſsimos in eo annotando, vbi Reges aut Imperatores Paſcha, Pentecoſten, natalem Chriſti egerint, conſtat: id enim aut ipſorum prouentus auxit; aut eorum ſolitudines celebriores fecit: ſed quid vtile pro patriâ, & pro imperio geſſerint, aut raro commemorant; aut ita frigidè proponunt, vt illis defuiſſe prudentiam ſit fatendum. Valde autem veriſimile eſt, vel plane potius certum, Electores non tantâ pompâ & magnificentiâ tunc conueniſſe, vt in poſterum fecerunt & nunc faciunt. Cum autem HENRICVS VI. imperium facere hæreditarium cuperet: & cum ante FRIDERICVM II. contentiones inſolitæ fierent: & in interregnis cum pernicie publicâ cupidi homines aut audaces tumultuarētur: coacti poſteà ſunt conſilia frequentes conferre; & ſuas tueri ſententias maiore auctoritate, quàm factum fuerat: & interdum obtinere armis, quod æquitate & conſiliis non poſſent. Electionem profectò Germanis eripere Romani Pontifices, non modò furto, ſed & vi contendebant: & erant atrocium bellorum auctores atque altores: & cum ſuis non poſſent facultatibus aut potentiâ, viribus Germanorum ad Germanos frangendos ſunt vſi: tollere tamen aut abolere non potuerunt, & quod Imperator Saxonicus diuino fauore atque impulſu conſtituit; & Deus ipſe ſuâ beneficentiâ, ad hoc vſq; tempus eſſe ſanctum & inuiolabile voluit, & ſupra vires humanas conſeruauit. Sed nunc ad narrationem propoſitam redeundum.

Cur Conſtitutionis Electorum apud hiſtoricos rarior extet mentio.

Imperator Româ diſceſſurus, brachium Alberti Pragenſis in inſulâ æde diui Bartholomæi ponit: tum in arce nouâ à ſe extructâ, præſidium relinquit. Romanos quoſdam conuictos ſeditionis, ſecum in Saxoniam abducit, Pontificem ordinibus omnibus commendat: qui poſt diſceſſum Imperatoris non diu ſuperuixit,

Mors Gregorij V. Pontificis.

 veneno

Otho III. Miraculoſus. Silueſter II Pontifex. veneno ſublatus ab inuidis, vt eſt ſuſpicio. Ei ſuccedit Gilbertus, cognominatus Silueſter II. quẽ & Othonis Imperatoris & Roberti Fráciæ regis magiſtrũ fuiſſe, præter alios Martinus Polonus, & Iacobus Foreſtus teſtantur. Fuit Gilbertus ingenio vario & vafro: quẽ è monacho Cluniacenſe, contra Arnolfum (alij Radolphũ nominãt) præſulem Remenſem extulit Hugo capetus, vt ſcribit Annonius Francus: ſed eum Benedictus VII. remis rurſus expulit: ipſe verò ad Imperatorẽ confugiens, diu in Saxoniâ vixit: & quia aſtrorũ ſcientiam tenebat, Magdeburgi correxit horologiũ, conſiderata (vt ait Ditmarus) per fiſtulam quadam ſtella nautarum duce. Ab Imperatore autem, in cuius gratiâ erat Rauuennæ Antiſtes creatur: tandẽ ore omnis populi poſtulatur Romanus Pontifex: non tantùm ſordibus viciorum inquinatiſsimus, ſed magicis præſtigiis vſq; ad infamiã deditus. In vrbe ex Imperatoris militibus, qui relicti præſidio erant, nulli vixerunt intemperantius, quàm Hermani Comitis Palatini, qui cùm caſtra in pratis Paulinis (erat is olim campus figulinus) iuxta portam Oſtienſem fixiſſent: latrociniis & rapinâ, tam ciuibus quàm aliis moleſti fuerunt, præter alias iniurias non parcentes templo auguſtiſsimo extra mœnia. Obiurgati ob eiuſmodi maleficia, cum indies (vt mos eſt militum) fierent ferociores: orta ſubitâ tempeſtate quatuor ex iis fulmine exanimati ſunt: quorum caſu triſti atq; miſero reliqui territi caſtra mutant, & alium in locum transferunt.

Ezoni Palatino nubit Mathildis Hermani filio Ezoni (vt hoc addam, dum mentio patris facienda eſt) nupſerat Imperatoris ſoror Mathildis: quod connubiũ multis diſplicuit: quia inſciente patre erat contractum: ſed quia legibus canonum diſſolui aut diſcindi nõ potuit; frater id permiſit: cumq; maritus profusè viueret, Imperator ſororẽ ſuis ſumptibus ſuſtentauit. Poſt reditum Imperatoris in Germaniam cõuentus indicitur Aquisgranum, anno à nato Chriſto milleſimo: in quo quid aut propoſitum aut actum ſit, nemo ſcriptorũ exprimit. In eo conuentu (vt Ditmarus prodidit) nouis quibusdam ceremonijs vſus Imperator eſt, nam in hemicyclo ſedit: & thoro altiore, cùm cibum caperet, eleuatus fuit; & menſæ ſolus accubuit: quod priſci Imperatores fecerant, & nunc manet in conſuetudine: tum imprimis cum Imperator eſt proclamatus, & ſuo munere funguntur delecti ad miniſterium Principes.

1000. Conuentus Principum ad Aquiſgranum.

Oſſa Caroli Magni inquirit Otho. Oſſa Caroli Magni quo in loco eſſent Aquisgrani condita, certò non conſtabat: & ſcire Imperator percupiebat: erat autem tum nullus monumentorũ luxus, cùm ſibi ea homines erigerẽt moribus & virtute, non ſaxo aut marmore. Ideo vt, quod vellet, cognoſceret; pauimentũ perfodi iuſsit: donec inuenirentur in capulo regio,

gio. Crucē aureā[illegible], quā de collo ſuſpenſam geſtauerat, & partem veſtimentorum nondū corruptā, apud ſe retinuit: reliqua omnia reponi loco ſuo mandauit. Diſplicuit hoc factum ſapientioribus, qui non ſine piaculo ſepulchra violari ſciebant: & Carolus ipſi in ſomnis apparuiſſe ſcribitur, vultu vindicis: minatus fore, vt non diu viueret, qui vitâ functum inquietare non dubitaſſet. Accuſatus Giſlerus (de quo dictū iam ſæpiſsimè eſt) iterum à Pontifice Romano & Herdone Præpoſito defenditur: ſed rationibus aſtutis, & nouâ prouocatione ad concilium Lateranum: & hoc modo elapſus eſt, donec morte tolleretur: maluit enim honori, quàm conſcientiæ conſulere. Diſpoſitis rebus per Germaniam in Italiā iterum Imperator contendit: Romā ingrediens à Pontifice nouo magnis gratulationibus excipitur: ſtudebat id maximè, vt ſtatum eccleſiæ in dignitatē antiquam redigeret; renouatâ nimirum diſciplinâ & moribus Sacerdotum correctis: in quibus tanta licentia, tanta feritas erat, vt exteros religionis causâ eò venientes, plurimū offenderent. Leges etiam populo præſcribebat: qui talis ferè eſt, quales ſunt ij, à qbus gubernatur. Pontifex magus & plebs libidinoſa indigniſsimè ferebant, ſibi à Germano morē viuendi dari: & quaſi fores occludi ꝓ libitu agendi in ciuitate, vt iactabāt, ſui ſemper iuris & liberrima: quæq; dare, nō accipere leges, ſit ſolita: ideo magno tumultu excitato, ſuam impatientiā & ferociam declarabāt. Pontifex (vt ſcribit Ditmarus) occultas tendebat Imperatori inſidias: populus occiſis aliquot Germanis, palatium eius adoriebatur. Henricus Dux Bauariæ, & Hugo Marchionis Brandeburgij filius, cùm ſuis ad Imperatoris defenſionē accurrunt: & plebem furentem armis arcent. Cum vtrinq; cædes fierent, & iuſtâ penè acie dimicaretur: Imperator conditiones offert: & dum hinc inde migrant legati, cum fideliſsimis hominibus vrbe clam egreditur: relicti ab eo ſocij acerrimè oppugnantur. Impoſito armis fine, & ſedatâ nonnihil multitudine. Imperator de vltionis modo deliberat, neq; ferendā audaciam tantā exiſtimabat. Plebs Romanâ ſceleris manifeſti culpâ erubeſcens, & ſeſe mutuò coarguens; primū obſeſſos in palatio impunè dimittit: deinde Imperatoris gratiā ſubmiſsè implorat: hoc faciebat, quia euaſe Imperatorē audiuit, quem in palatio opprimere ſe poſſe, cōfiſa fuerat. In vrbem regreſſus Imper. valido ſe præſidio munit: interfectos Germanos ſepeliri honorificè iubet. in turbatores grauiſsimè animaduertit: vrbis aliquot regiones & viris, & fortunis omnibus exuit: ignem inijcere tectis volentes milites precibus mitigauit. In agro Romano nobilium poſſeſsiones aut fundi euertuntur, & incenduntur ædificia: ijs tamen, qui iuris Eccleſiaſtici erant,

Otho III. Miraculoſum.

Tertia Othonis in Italiā expeditio.

 parce-

Otho III. Miracula ſua. parcebatur. Etiam in vrbe, omnibus templis parcebatur: nam vrbis defendendæ causâ ſe tot difficultatibus in Italiam veniſſe dicebat. Decedens vrbe, quæ veluti ſub iugum miſſa videbatur, ſimiliter per Hetruſcos animo hoſtili iter facit: quos ad ſe opprimendum communicaſſe cum Romanis conſilia, habitis quæſtionibus cognouerat: verùm nobilitate deprecante in poſterum à vi abſtinet.

Magnificentia Othonis. Familias quaſdam Germanicas hoc tempore extulit: Hetruſcis HVGONEM, de quo modò dixi, præfecit, qui poſt ſexennij adminiſtrationem obit Piſtorij, ſepelitur Florentiæ: qui optimi Principis deſiderium nemini non prouincialium reliquit: eum defunctum non ſecus atque parentem luxerunt, omni genere honoris funeri eius habito, vt ſcribit Foreſtus Bergomas. Picentibus præfecit MALATESTAM, cui vrbs Ariminum tradita, quæ familia magnis honoribus diu floruit, & nunc itidē virtutis & literarum oſtentat monumenta. Præfecit item Montferratenſibus VILHELMVM Alrami filium: Sauonenſibus eiusdem Vilhelmi fratrem: Allobrogibus Beroldum, vtrumque è gente Saxonicâ, & agnatos ſuos.

Othonis Imp. morbus. In itinere ſuſcepto in Germaniam Imperator in morbum fœdum & inſolitum incidit: nam puſtulæ è corpore paſsim erumpebant humentes & liuidæ. Romæ illi propinatum ab inuidis venenum nonnulli ſcribunt: ſed maxima pars tradit à Creſcentij vxore miſſum illi annulum & chirothecas, quibus infectus ſit: nec ſolùm ipſe, ſed etiam miniſter, qui munus ei porrexerat. Acceſsit ad ægrotantem ſæpius Heribertus Antiſtes Colonienſis: cui de Italorū perfidiâ conqueſtus eſt, & ſe malè affici toto corpore teſtatus. Duces & Antiſtites de eius vitâ nullam habentes ſpem: & valde ſolliciti, de nouo rege creando, ne quis tumultus in Imperio, vt factum prius fuerat, oriretur: HENRICVM Bauarum eius patruelem inuitabant, vt ſuos in eligendo Rege conatus adiuuaret: id quamuis ſentiret Imperator ægrotus fieri: tamen diſſimulauit, & fidis quibusdam hominibus ſubiecit, patruelem ſuum Imperio non fore indignum, ſi mores patris ſui & aui non imitaretur. Cum in tàm graui morbo, more conſueto, totos ſæpe dies ieiuniis ſe maceraret; & noctes precationibus conſumeret: Antiſtes hortatur, vt conſulat valetudini: & cibum ſumat; & quantum poſsit, quieſcat. Verùm cum malum vehemens, & omnibus membris latens, non admitteret curam aut medicinam: *Othonis mors.* eius violentia victus hanc vitam ærumnoſam mutat cum ſempiter-

piternâ, anno ætatis ſuæ trigeſimo, IX. Calen. Feb. vt Ditmarus: anno ſupra milleſimum ſecundo, vt Lambertus. *Otho III. Miraculoſus.*

Familiares, qui ei aderant, mortuum eſſe diſsimulabant, donec totus congregaretur exercitus. Significatâ Imperatoris morte, cum querelarum aut lachrimarum tempus non eſſet: deliberatum eſt, quo modo tuti in Germaniam venirent; & Imperatorem ſuum defunctum, ne mortuo contumelia aut vis fieret, deportarent. Itali obitu Imperatoris cognito, paſsim Germanos laceſſere & impedire; & ab agmine diſcedentes, capere aut trucidare ſolebant: ideoque ferro ſibi viam noſtri patefaciebant Veronam vſque: in quam vrbem multi Principes confluxerant, qui Imperatorem honoris causâ vſque ad tumulum deſtinatum ſequerentur: quod more ſolenni fieri couſueuerat. Teſtantur ſcriptores Francici, corpus defuncti delatum in Galliam, & inde deportatum Aquisgranum: ſed ijs nunc præfero Ditmarum Saxonem, ei ætati ſupparem: qui ait Antiſtitis Moguntini mandato, ſubitò Veronam profectum Burchardum præſulem Vuormacienſem; qui per vallem Atheſinam & Alpes corpus vſq; ad oppidum Dillingam, præſulis Auguſtani nunc ſedem, deducit: in quâ vrbe Siffridus præſul, & Henricus Bauariæ Dux, conuenientes, corpus inde Auguſtam ſequuntur. Ibidem inteſtina, quæ fuerant in duabus lagenis conſeruata, humo conduntur in parte auſtrali templi diuæ Afræ martyris: quod monumentum in auguſtiorem formam elatum, talem nunc inſcriptionem marmori candido inciſam habet. *Sepulcrum Othonis.*

IMP. CÆS. OTTONI AVG. III. EX GENTE MAGNI VVITEKINDI SAXON. REG. CÆS. OTTONIS AVG. II. FIL. CÆS. OTTONIS AVG. MAGNI NEP. REG. HEINRICI AVG. AVCVPIS PRONEP. OTTONIS DVCIS SAXON. ET. ROM. IMPERII GVBERNATORIS ABNEP. LVITOLFI. SAXON. D. ATNEP. BRVNONISQVE SAXON. D. ET VVITEKINDI FRATR. TRINEPOTI. OB. X. KLS. FEBR. ANNO SALVT. M. II. REGNI XIX. IMPERII V. QVOD VISCERA EIVS HIC CONDITA IACENT: FRIDERICVS III. DVX SAXONIÆ PRINCEPS ELECTOR, COMES PROVINCIALIS TVRINGIÆ, MARCH. MISNIÆ, ET SACR. ROM. IMPERII LOCVM TENENS GENERALIS PROGENITORIB. DVLCISS. FACIEND. CVRAVIT. SAL. ANN. M. D. XIII. V. IDVS. MAII.

Templo Afrano; ob conceſſum ſepulchri locum, agri iugera centum donata ſunt.

Otho III. Miraculoſus. In ea vrbe, qui ex Italiâ venerant, dimiſsi ſunt, & eis gratiæ actæ: qui vero è Germanis eò confluxerant, corpus longiùs porrò proſequũtur. Henricus Bauarus inſignia imperij, quæ vnà ſecũ vexerat Imperator, in ſuam poteſtatem recipit; exceptâ lanceâ, quam Heribertus Colonienſis domum miſerat: eam repetitã, cum nollet reddere Antiſtes: in cuſtodiâ liberâ detinebatur: datoq; obſide fratre ſuo dimiſſus eſt, & lanceam remiſit. Neuſtadium veniens Henricus è comitatu funus proſequentium diſcedit: Principes cæteri Coloniam vſque cadauer deportant, & ibi ferias palmarũ agunt. Secundo die id collocant in æde Seuerianâ, inde in Pantaleoninâ, tum in diui Gereonis templo, poſtremo die cœnę dominicæ in diui Petri: ibi ſolenni more Antiſtes ſacra facit; & abſolutionem quam vocant, voce magnâ pronunciat. Pridie Paſchatis cum ingenti ploratu, multâ populorũ frequentiâ, defertur Aquisgranum: & in ipſo die ſacro in choro templi Virginis terræ mandatur: orantibus obnixè cunctis, vt Princeps qui in hunc diẽ memoriæ reſurrectionis Chriſti ſeruatus ad ſepulturã eſſet; idem quoq; ad vitam æternam aliquando reſurgeret: quo in hâc vitâ nullus fuiſſet liberalior & clementior. Eius ſepulchro marmor nigrum impoſitum ſine vllâ inſcriptione.

Cometa. Terræmotus. Biennio ante eius obitum eſt, cometa ingens viſus: ſecutus mox terræmotus: & alia quædam in aëre atque terris animaduerſa ſunt prodigia.

HENRICVS II. IMP. SANCTVS.

HENRICVS II. Imp. qui à femore luxato, CLAVDVS: à vitæ integritate, poſt obitum SANCTVS habitus & appellatus eſt, Henrici II. ducis Bauariæ filius, Othonis tertij Imperatoris patruelis, contrà quàm Coſmas Pragenſis, qui Othonis filiũ ſcribit fuiſſe. Dubitat etiã Cario, num Henrici, fratris Othonis filius, an nepos fuerit: & negligentiæ accuſat Sacerdotes Pabebergicos, qui ſui fundatoris genus non inquiſiuerint diligentiùs: ſed nepotem fuiſſe minimè dubium eſt; & Henrici Aucupis abnepotem, planè
972. certum. Naſcitur poſt noningenteſimũ anno ſecundo & ſeptuageſimo Ratisbonæ prid. Non. Maij, vt Ditmarus: baptizatur à diuo Volfgango Epiſcopo, Bauarorum poſt mortem tutelare.

Educatio & fortuna Henrici. Inſtituendus in adoleſcentia traditus, primũ Beruardo præſuli Hildeshemio, viro optimis moribus prædito: deinde Burchardo Vuormacienſi: qui etiã numero diuorum eſt poſt mortem aſſcriptus. Erat in eo adhuc puero virtus & indoles eximia, & modeſtia amabilis, & ſtudium religionis ardens. Ingeniũ ad literas tardius erat; vel aptum potius, ſi tempora illa magiſtros feliciores habuiſ-

ſent. Pater eius etiamſi vir eſſet cupidus & turbulentus: tamen filij educationem non neglexit. Cùm autem pater ab Othone II. è ditione pelleretur, puerũ ſecum in exilium deportat: & cum eodem paulò poſt Patauiæ, quã vrbem fraude occupauerat, captus; ſuo ducatu, Principum iracũdiã exuitur, & filio ſpes ſucceſsionis pariter eripitur. Eunte deinceps in Italiã Othone, in gratiã precibus amicorũ reſtituitur, & in conuentu Veronenſe, antiquum ius filio rurſus obtinet. Fortunæ afflictæ, & beneficij recentis planè immemor, rebellat ſtatim Othoni III. ſed cùm ſuos conatus infelices cerneret, ſpemq; regnandi concipere amplius nullã poſſet: ei ſupplex ſeſe dedidit, & imperata perpetuò facturũ, repromiſit: ſuum quoq; filiũ, de quo iam dicere propoſuimus, iamiã moriturus hortabatur, ſi & Deo & hominibus vellet eſſe acceptus, nè quid vnquã contra Imperatorẽ moliretur: quam orationẽ filius natura optima præditus, ita fixam mente tenuit, vt apud Imperatorẽ ſingulari eſſet in gratia, ꝓpter maieſtatis & legum obſeruationẽ. *Henricus Sanctus.*

Contra Othonem in Italia ægrotantem, morbo (vt diximus) ex veneno contracto, Duces aliquot & Præſules, de Imperatore eligendo conſpirabant, Othone nondũ defuncto: de qua ſententia certiorem faciebãt Henricum: minimè dubitantes, quin is ꝓbaturus eſſet eorũ conſilia, & mox imploraturus auxiliũ, ad ſeipsũ confirmandũ: ſed vt Ditmarus ſcribit, impiã eorum & ſceleratã iudicauit audaciã: ijsq; aſſentiri ne nutu quidẽ voluit: & quod patri recepiſset, ſe conſtantiſsimè præſtiturũ ad eos perſcripſit. Sublato mox è viuis Imperatore, cui mors celerior acciderat, quàm eſſet quisquã opinatus, multorũ animi atq; vota in Henricum inclinabant: nam & prudentia valebat, & erat peritia quadam hominum ſibi conciliandorum mirifica præditus: qua pater eius & auus, vel à natura deſtituti fuerant; vel nimia ambitione, facti à ſeipſis alieniores erant. Quamobrẽ cùm metui, quàm amari mallent, & honores ſibi non debitos poſcerent: id quod contentione flagitabant, non aſſequebantur, ornamenta præterea multa, fortunasq; proprias amittebant. Duces qui interfuerãt curando Imperatoris funeri, Henricũ ſinguli expetebãt: excepto Colonienſe antiſtite Erenberto: qui decretũ de eligendo Imperatore recens factũ, iudicabat exemplo ſanciendum. Quamuis autẽ nihil habebat, quod in Henrico repræhenderet: tamen cauſam aliis præbere contradicendi, ſuo præiudicio noluit: & cæteros hortatus eſt, vt conſilij publicam ſententiã expectarent. Henricus vxorem duxerat Cunegundim, Siffridi Palatini Rheni filiam, non vt Ditmarus ſcribit, Henrici: huius enim fuit ſoror. In nomine quoque Cunegundis deprauato, errores Italorum Cuſpinianus refutat. *Propenſio procerum in Henricum.* *Matrimonium Henrici.*

Henricus Sanctus. Ea cum ſuo ſponſo ſic conuenerat, vt ætatem inter ſe caſtè & incorruptè agerent: nomen coniugij retinerent, munera neſcirent, fructus non curarent: in eaque ſententia ſtabiles ambos permanſiſſe ad vitæ exitum pleriq; autores tradunt.

Cunegunda ſuam innocentiam probat. Adducta aliquando Cunegunde in ſuſpicionem; maritus magnopere animo doluit: ſed ægritudinem forti tolerantia diſſimulauit: quam cùm è vultu mariti nonnihil mutato, ipſa cognouiſſet, & cauſam triſtitiæ atque anxietatis audiuiſſet ex alijs: ſeſe ad probandam innocentiam ſponte obtulit. Quamuis autem coniugi Henricus non diffideret, & ea ipſa promiſsione contentus foret: tamen vt eius integritas & ſanctimonia apud omnes magis innoteſceret, tandem votis optatisq; eius, animo exultante annuit. Die conſtituta, multis ex omni Principum ordine ſpectantibus, & inter hos fratre ſuo Diterico Antiſtite Metenſe, aratrum candens (vt ara Rochlicenſis teſtatur) calcauit: vel, (vt alij) per aratra ſeptem; vt alij, per quindecim, confidenter & impunè ambulauit; vel, vt rurſùs alij, ſingula manibus ſuſtulit. Ea olim ratione probari innocentia, & in ſuſpicione adulterij & criminum aliorum ſolebat. Excitato plauſu ingenti, & Rex ipſe & ſpectatores deuoluti ad genua Reginæ ſunt: vt honorem innocenti haberent, & ſuam pœnitudinem, qui hæc fieri eſſent paſsi, declararent. Reliquit igitur Henricus ex ſe prolem nullam: & coniux eius, ipſo defuncto, cum dote ampliſsima, parentibus integra reſtituitur.

Corpus Imperatoris patruelis cùm Dillingam vſque allatum audiuiſſet, eò properat: quod cùm detegens aſpexiſſet, gemitus & lacrymas non tenuit: & cùm iis, qui id honorificè adduxerant, tùm illis qui obſeruantiæ cauſa in via ſe adiunxerant, gratias verbis agit humaniſsimis. Die altero ſingulos præhendit, vt ſibi in regio honore aſſequendo, ſuffragarentur, ſuamq; operá & fidem ſingulis pollicetur: quibus placidè reſpondentibus, Præſul Auguſtanus ſolus ſpacium ad deliberandum ſumpſit: hoc tamen addens, ſe quidem alium Henrico meliorem non inuenire, ſed & aliorum velle cognoſcere iudicia. *Henricus Imp. creatur.* Colonienſis, de quo dictum modò eſt, cùm ſententiis omnium deſignari Henricum cerneret, & regia inſignia penè omnia ad eum intelligeret translata: lanceam ipſe ſecum aſportauit domum, non ſine offenſa Principũ: fratrem tamen ſuum ad funus proſequendum reliquit. Imperiũ Henrico eſſe ſomnio ſignificatum tradunt. Nam cùm in templo quodam videretur orare intentius, in pariete ſcriptum videre viſus eſt has literas, Poſt ſex: reputans autem ſecum, ſe poſt dies

tot moriturum, deinde poſt tot menſes: tandem reipſa cognouit, poſt tot annos delatum ad ſe honorem regium. Hoc non referrem quaſi futile quiddam, niſi noſtri & externi ſcriptores, tanquam dignum relatu ſcriptum reliquiſſent. *Henricus Sanctus.*

Fama de obitu Othonis Imperatoris iam per omnem Germaniam fuerat diuulgata: quæ multis cupiditatem attulit ſtudendi rebus nouis. Equidem haud ſcio, an vnquam tantus ambitus, vel tam frequens, vel tam impudẽs fuerit. Itali ſanè quem in Germania euentum res eſſent habituræ, attentè auſcultabant: qui cùm Othonis patrueli fauere Principes nouiſſent; eiq; magnæ dignitatis homines eſſe rebelles intelligerent: Romani quidem, prioribus calamitatibus admoniti, moliri nihil auſi ſunt: Hetruſci & Inſubres, Marchionẽ Mediolanenſem Arduinum, vt Onufrius; Harduigum, vt Ditmarus, Regẽ ſalutant: artis deſtruendi magis gnarum, quàm regendi, vt idem Ditmarus ſcribit. In Saxonia ſpẽ Regni concepit, & ad id ſummis viribus cõtendit Echardus Marchio, Othonis I. Imp. ex Ludolfo filio pronepos, & Gregorij V. Pontificis frater vterinus, magnis rebus geſtis, qui in Saxonia, Turingia, & Miſnia potens, & manu ſtrenuus, & bellis exercitatus, & gratia multorũ florens, Ducis etiam Saxoniæ Bernardi gener erat. Is ſi cupiditatẽ tegere potuiſſet, & ad tempus reprimere: eſſet mea opinione, euectus altiùs: ſed cùm eos aut importunitate aut conuicio aut iniuria læderet, à quibus honorandus foret; gratiam effundit, non ſolùm potentum amicorũ, verùm etiam multitudinis. Inſolenter nimis pro rege apud Saxones ſe ferebat, ideo in vrbe Poleda obtruncatus eſt, vt libro ſequẽte dicetur: eius morte, maximo metu vniuerſa Saxonia creditur fuiſſe liberata. Solet videlicet hominibus iniuſtis conatus infelix, & gaudium eſſe momentaneum: & rarò, qui iniqua expetunt, trãquillè moriuntur. Saxones à grauitate maiorũ & fide non diſcedentes, cauſam Bauari defendunt: eiusq; legatis, conuentu Vuerlano, honorificè reſpondent. Eodem tempore erat in Sueuia Hermanus Dux, in Bauaria Henricus Auſtriacus Leopoldi filius, in Palatinatu Ezo, Othonis III. Imp. gener, in Lotharingia Ditericus, omnes aut in Regnum intenti, aut certè Henrici graues aduerſarij. *Imperium multi ambiunt.* *Echardi Marchionis mors.*

Ad ambitum ipſorum impediendum, & ad odium ſedandũ, Moguntinus & Colonienſis Antiſtites, & Siffridus Palatinus, Henrici ſocer (eos enim Ditmarus nominat) Aquisgranum veniunt: & Henricum regio nomine atq; honore ornant: nimirum vt ſuâ auctoritate tot competitoribus ſpem adimerent, quam iniuſtè conceperant, temerè vrgebant. *Henricus Imp. coronatur.*

Slauorum irruptio in Saxoniam.

Ne vnà ad conuentum illum accederent, Saxo & Brandeburgius, populorũ Sclauicorũ facinus impediebat: nam minùs certo ſtatu publico, irruperant in Saxoniam; & cœnobium ad Albim, Hildeslebium, incenderant atq; ſpoliarant; in ſacerdotes virgines turpia & flagitioſa exempla ediderant: qui ne longius progrederentur, vtriuſq; ope communi ſtatim repelluntur. Auctores ſeditionis cùm deprehenderentur; aut interfecti ſunt, aut parentibus virginum violatarũ traditi: populo omni onera grauiora impoſita; & ſumptus ad inſtaurandum maiore magnificentia templum mandati. Henricus Rex declaratus meliorum ſentẽtia, iter ſuum in Saxoniam inſtituit: & Mersburgi ad Salam primos conuentus agit. Eò veniunt Bernardus Dux Saxoniæ, Lotharius frater eius Marchio, Ditmarus Brandeburgius, Gero Luſatius, aliique ordinis amplioris viri: Antiſtites Hamburgius & Magdeburgius: Præſules Beruardus Hildeshemius, Redarius Paderbornẽſis, Bernarius Verdanus: qui de more illũ ſuppliciter ſalutantes, ſuorum honorum inſignia ſolenni pompa accipiunt. Inde ipſum in Veſtoualiam comitantur, vbi non procul à Corbeia Cunegũdim ſuã habuit obuiam: quæ cùm Aquisgranum metu rebellium adire non potuiſſet, Paderbornam profecta, regiam à Moguntino coronam accipit. Eodem tempore ſoror Regis Sophia, à Redario eius vrbis præſule, ſacerdos maxima conſecratur.

Conuentus Mersburgenſis.

Cunegundis coronatur.

Turbæ à Bauarica nobilitate excitatæ.

Publicam illorum dierum læticiam, nobilitas Bauarica turbat: quæ cùm in pabulatione fuiſſet moleſta agricolis, equites aliquot ruſticorum concurſu interficiuntur. Ad arma cùm conclamaretur: & Bauarorum nobiles, & Saxonum agreſtes vtrinque ſuos defenſores haberent: Rex delato rumore, Ducem Bernardũ ad tumultum reprimendum remittit: qui niſi in tempore aduolaſſet, contentiones iratorũ exiiſſent in prælium. Rex ne ſuorum violentia fuiſſe delectatus videretur: Præſuli ſatisfacit: nam non iniuria nulla accepta erat: neue poſthac tale quid fieret, præfectos conſtituit, qui iniurias cognoſcant, & pœnam in tumultuantes capitalem conſtituant.

Vafra purgatio Boleslai Bohemi.

Bolislaus Boëmiæ Dux, qui Miſniam Saxonię prouinciam deuaſtauerat, cùm dicere cauſam iuſſus eſſet; ſubdolè, vt ſemper, reſpondit: id tuendæ regiæ dignitatis cauſa ſe feciſſe, ꝓpter Echardum comitem; qui iniquus omnibus, & Regem impugnaſſet, & in ſuis finibus vim exercuiſſet. Itaq; ſe amicum Regis profeſſus; Saxones amicos retinuit; qui ferendã pro tempore iniuriã cenſebant. Rex è Saxonia contendens Vuormaciã, ab eius vrbis Præſule, olim adoleſcẽtiæ ſuę magiſtro, perquàm honorificè accipitur,

initio

initio menſis Iulij. Erant in eius comitatu præcipui Saxonum, Bauarorum, & Francorum Principes; cum quibus Rhenũ transire, & Moguntiam adire conſtituerat. Verùm HERMANVS Sueuus, ſe in itinere ei obiicit, & fluminis transeundi viam intercludit. Habebatur Sueuus vir bonus atque placidus: vndè eum non ſua cupiditate inductũ, ſed ab aliis, quibus pax ingrata erat, ſubductum fuiſſe, narrat Ditmarus. Eam hominis audacis libidinem, Rex ægro animo ferens; habito cum ſuis conſilio, reditum in Bauariam ſimulat: & Lorshemium adiens, via ſtatim conuerſa, Rhenum transmittit, & præter expectationem Moguntiã ingreditur: & ſacra de more vnctione perfunditur, VIII. Idus Iunij, vt Ditmarus. anno ſupra milleſimum ſecundo, vt Sigebertus. Ea in vrbe è Francis & Moſellanis quidam, qui regi aduerſati erant, veniam erroris petunt, ne pœnas ſtulticiæ luerent.

Henricus Sanctus.

Hermanus Sueuus Henrico viam intercludit.

Henricus Imp. inungitur.

1002.

Communi deinceps conſilio decernitur bellum in Hermanum rebellem: qui cum ad officium reuocaretur literis humaniſsimis; nec errorem agnoſcere, nec deprecari voluit. Igitur eius prouincias, Sueuiam & Alſatiam regius miles vaſtat. Hermanus ſibi legat Conradum generum; & arcem belli eligit Argentinam: Vuincelinus præſul, qui Albegus ab aliis dicitur, pro ſua prudentia animaduertens, difficile fore calces iactare contra ſtimulum; minimè illi aſſentitur: quam ob cauſam Hermani legatus vrbẽ imparatam inuadens, Præſulem fugat: ciuiumq; bona immiſſo milite diripit, templum illud auguſtum, regum Francicorũ opus, ſpoliat & incendit: quã culpam poſtea in Sueuos, qui edicta neglexiſſent, tranſtulit. Res indigna ab omnibus iudicata: ideò ſeſe ad vindictam mutuam extimulabant, vt pares Sueuis vices referrent: qui in vrbe cùm viuerent libidinoſius & ſecurius; à Præſulis militibus, raptim collectis, inuaduntur: è quibus multi vino obruti, & noctis tenebris oppreſsi ſunt: multi aut à ſuis ſociis transfoſsi, aut telis propriis intereunt: inter quos Reinuardus tribunus, præcipuæ virtutis & auctoritatis: cuius occaſu legatus Hermani ita conſternatus eſt; vt vrbem cum dedecore relinqueret, quam fraude occupauerat, & ſcelere ſpoliârat. Auxit ciuium optimorum calamitas iram Regis; qui in Augiam inſulam veniens, natalem diui Baptiſtæ ibidem celebrat. Sueuus vt moram bello iniiceret, & cœpta Regis impediret; ei certamen denunciat, vt vnius caſu aut ſanguine cauſa decideretur, quæ poſsit multos mortales euertere. Id quamuis iuſtiſsimis de cauſis Rex potuiſſet recuſare; tamen aduentum eius ſe, vſque ad feſtum diem Apoſtolorum promiſit expectaturum: coniiciens illum potius ſpe

Bellum contra Hermãnum decretum.

Argentinenſe templum incenſum.

Sueuorum clades.

Henricus Sanctus. gratiæ, quàm armorum fiducia venturum: cùm ignorare non poſſet, rem iniquam & nō concedendam ſe poſtulauiſſe; quamque ipſe, in ſimili locatus gradu, non faceret. Interea ille pergens, Lambertum Præſulem Conſtantienſem, & Vlricum Curienſem, non tam ipſorum voluntate ſibi facit obnoxios, quàm terrore: præſertim cùm intercluſi, de auxilio Regis diffiderét. Rex videns fore, vt neceſsitate quadam cogeretur reſipiſcere: ſuis militibus mandat, vt reliquā Sueui ditionem omnem depopularent, quod cùm fieret maximo hominum detrimento: Hermanus ſuorum factorum pœnitentia ductus, ne & ſeipſum perderet, & fortunarum reliquias amitteret; legatos & literas ſupplices ad Regē mittit, accuſans ſemetipſe: & à Rege veniam petens, qua ſe quidem indignum fatebatur; ſed clementiam dicebat Rege optimo dignam. Pollicetur in poſterum ſe non vitę parſurum, non populis ſuis, pro ſalute Regis, & cauſa publica: & emendaturum obſequio, obſeruantia, virtute, omnia priſtina errata. Rex etiamſi incommodis affectus eſſet plurimis: tamen vt ſuæ æſtimationi & Reip. conſuleret, ſe illi facilem præbet: eſtq; in poſterum eo, non modò amico, ſed etiam conſiliario fido & prudente vſus. Ad officium redit Sueuus, anno ſupra milleſimum tertio, cùm iam (vt Chronicum Quedilnburgium teſtatur) ad extrema veniſſet.

Hermanus Sueuus veniam ab Imp. petit.

1003.

Henricus M. Auſtriæ Bauariæ Ducatum poſtulat.

Reſtabat Henricus, Auſtriæ Marchio, Leopoldi filius, è familia Bauarica Comitum Schierenſium: ante id tempus bene de Rege meritus. Is Ducatum Bauariæ poſtulauerat, eumq; ſibi aiebat promiſſum; & iam importunè vrgebat negotium: ſe præterea tanti beneficij memorem futurum, totius vitæ tempore proteſtabatur. Rex humaniter reſpondet, inter arma, turbato adhuc ſtatu publico, id non poſſe fieri: neque etiam licere, cùm ſit Bauaris poteſtas Ducis eligendi libera: quam eis eripere, ſit periculoſum: violare, iniurium. Expectanda comitia, & audiendas nobilitatis & populi ſententias; ſe ipſius honori ait fauturum, & quidquid Ordines conſtituerint, de ipſorum voluntate conſenſuque approbaturum. Videbat Comes neminem tum temporis eſſe habiturum ſui rationem, niſi ſola valeret Regis auctoritas: ideo tacita quærebat conſilia, quibus ſuæ cupiditati ſatisfieret. Quamuis autem eſſet animatus erga Regem non bene: tamen diſcedere ab eius comitatu aut aula non auſus fuit: ne ſuo odio importuno plures ſibi inimicos faceret.

Henricus Imp. Sueuiam, Franciam, Turingiam pacat.

Rex peragrata Sueuia, adit Franciam: & eadem quoque pacata, in Turingiam venit: quē Vilhelmus Comes tunc potentiſsimus, pompa magnifica ſuſcipiēs, ei ſe ſacramēto obligat: is ſtatim remu-

remunerata eius liberalitate militiæ Palatinæ aſſcribitur, & inter amicos Regis numeratur. Eiuſdem quoq; & populi rogatu, cenſus Turingis remittit: & quædam maiorũ priuilegia rurſus confirmat. Rebus hoc modo in ſtatum quem voluerat placidè redactis, adit vrbem Merſburgum; in quam conuentum Saxonum indixerat. Ante vrbem honoris cauſà illi occurrunt Eſico Comes Merſburgius, & Haimo Petrinus Abbas, Giſileri Præſulis abſentis Vicarius. Interfuerunt his Comitiis, præter eos Duces & Præſules, quos prioribus interfuiſſe diximus, Luizo Bremenſis, Ido Miſnenſis, Hiluardus Citienſis: item Bolislaus Dux Boëmiæ, & Fridericus Palatinus: præterea frequentes Redariorum & Luticiorum legati. Ex his aliqui ſimulauerant amicitiam hactenus: quibus munera data ſunt, & promiſsiones additæ; ſi potius beneuolentiam Regis, quàm vires experiri vellent.

Henricus Sanctus.

Comitia Merſburgenſia.

Diebus ſupplicationum (quos Rogationum vocant, quosq; in Gallia primùm inſtitutos didicimus ab Alcimo) Rex Merſburgi manet: ſibiq; nunciatâ HENRICI Marchionis (qui Rebellis nomen poſtea retinuit) defectione, ſe Halberſtadiũ confert: vt ibi feſto Pentecoſtes peracto, neceſſaria ad bellum compararet. Erat is annus quartus ſupra milleſimum. Seditioſis fauere pręter expectationem cæperat BRVNO, frater Regis vterinus, Auguſtanus Præſul: & ERNESTVS Comes, quem nonnulli non rectè Regis fratrem appellant: nam Henrici Marchionis, quem nominauimus, filius fuit. Ii odium iam diu diſsimulatum, factis tandem prodebant iniuſtiſsimis. Erneſti ditionem menſe Auguſto Rex inuadit: neque ipſum vllo in loco conſiſtere patitur. Ei ſubmiſerat auxilia Boëmus: qui nondũ apertè bellum faciebat, intentus pro ſua aſtutia in occaſionem aliquam, ſuis conſiliis commodiorem. Cùm Erneſtus committere nulli ſuarum vrbium tutò ſe poſſet: fratres Bucconem & Othonem nobiles Auſtriacos arci Cruſiniæ præficit: eiſque vxorẽ Gerbergam, & liberos commendat: ipſe theſauros & ſupellectilẽ precioſam in caſtris ſecum circumfert. Tribunus eius, quem Maganum vocant, id non ignorans; & prædæ grandi inhians, de diripiẽdis domini ſui bonis cogitat: quidue animi habeat, ſociis auidis exponit. Militi ſemper improbo nihil potuit dici acceptius, quàm quod de auro & rapina diceretur. Itaque ne conceptum animo facinus mora longiore emanaret: ad iniuriam accinguntur, & facta ſpe prædæ, quam digitis notabant; theſauros ſubitò inuadunt, & inter ſe diuidunt, & oppidum Mardelam occupant. Eo tempore Rex Haterſburgi copias ſuas recenſuerat: auditoque tanto militum facinore, ad

Henrici M. Auſtriæ rebellio contra Henricum Imp.

1004.

Mardela occupatur & incenditur.

Henricus Sanctus. mœnia oppidi properanter accedit, & tormenta adhibet: milites vt vitam retinerent, vrbem & prædã tradunt: Mardela incenditur: ciues qui portas raptoribus aperuerãt in exilium aguntur. Ad arcem Cruſiniam obſidendam animi omniũ ardebant: qua capta aut expugnata, finem belli iudicabant futurum. Erneſtus propter amiſſam pecuniam ira percitus; & periculo ſuorum, quòd ad Cruſiniam copiæ ducerentur, territus: maluit patri manere fidus, quàm Regis clementiam extrema ſua fortuna tentare. Itaq; vt obſeſsis opem ferret, vel aliquam ſaltem ſpem faceret; equites pabulantes multos excipiebat, multos lædebat, & impreſsionem in ipſa caſtra facere, animo conſtituerat: magnas illi, ſed inanes promiſsiones inijcientibus Auſtriaco & Auguſtano. Regius legatus periclitari videns ſuum militem, cauit ne amplius aut ab hoſte vulneraretur, aut quiſquam interciperetur: nam leuibus prælijs eos fugabat, & cuſtodes diſponebat, qui laborantibus ſuccurrerent. Circumdata ſylu[illegible]erat Cruſinia, in quibus vallis quædam reducta fuit: in ea abdiderat ſuum militem Auſtriacus hominũ quadringentorum. Cum quibus dum hoſtẽ incautũ equitatu ſuo Erneſtus adoriretur: ex improuiſo aduolare ad vallũ hoſtiũ voluit, & ſperatã victoriam adipiſci. Ratio quidem ſatis prudenter excogitata erat: ſed inuidebat bonis conſilijs ſucceſsũ iniqua fortuna: nam Regij à quodam agricola de inſidijs poſitis audientes, hoſtem anteuertunt; & die medio, quo tempore quieſcere milites ferè ſolent, armis captis, in caſtra Erneſti cum impetu irruunt. Ea oppugnabantur, deſuper miſsilibus & telis, in ipſa valle armis cominus. Erneſtus inter primos pugnans capitur: qui cùm ad Regem adduceretur: ſententia militari, capitis damnatus eſt: ſed rogatu Antiſtitis Moguntini vitam impetrat, mulctatusque bonis, relegatur in exilium. *Erneſti M. exilium.*

Tali caſu, affectus dolore vehementi Bucco, ſocios & hoſpites eius, ſententias rogat, quid eiusmodi loco & tempore ſit faciendum, honeſtè & neceſſariò. Alij vitam ponendam potius cenſent, quàm arcem vrbemq; tradendam, cùm vxor Erneſti commiſſa eius fidei ſit, & ipſe in viuis exiſtens opem ferre adhuc laborantibus poſsit. Alij ſuadent potius parendum neceſsitati, vt ſalutem & dignitatem Principis iam capti retinerent: victori enim, vti torrenti cuidam, obſiſti iam non poſſe, & de Erneſto ſperari fruſtra, exuto ſua potentia, & exulante. Itaq; implorandam dicebant Regis clementiam, vt vxoris captiui Principis miſereatur; ipſisq; & eius amicis impunibus abire concedat: quæ ſententia

cùm

cùm illa auſtera ſanior videretur, miſsi in caſtra legati, veniam & diſcedendi licentiam petunt atque obtinent: Bucco arcem, & Otho ciuitatem, & omnia inſtrumenta bellica, victori tradit. Statim atq; miles inde diſceſsit, coniici in tecta vrbis ignem Rex iubet, eamq; deleri funditus: quæ cùm parte ferè media eſſet conſumpta, altera ſuperſtes vel Regis pœnitentia, vel miſericordia militum ſeruatur.

Henricus Sanctus.

Cruſinia crematur.

Dum Rex hoc bello occupatur, Boëmus Miſnenſem præfectum GVNCELINVM, Echardi, qui regnum ambiuerat, fratrẽ, ſollicitat, vt ſibi arcem & vrbem Misnam traderet: quod cùm nõ obtineret, eius legatos violat, & vinctos tenet: & in Miſniam irrumpens agmine quadruplici, exercitum amittit: non tamen ſine incolarum clade: quam narrationem proximo libro perſequemur verboſius.

Domito Erneſto, & ſubacta eius factione, Henricũ, qui Cranam ſe contulerat, inſequitur: nam Siffridi Comitis, Siffridi filij, auxilio Auſtriacus confidebat: ad eum autem veniens, de quanta ſpe ſit depoſitus, Erneſto capto, oſtendit: & quid conſilij ſpeique habeat, porrò aperit: ſe videlicet, in Boëmiam iturum cum Auguſtano, & eius Regis vſurum armis, & ad ſua recuperanda, & ad hoſtem vindicandum. Propoſitum periculoſum & incertum Siffridus non probat: ſeque negat vnà iturum: proſpicere enim ſe, non ſatis adiumenti habituros, vt Regi victori incommodarent & reſiſterent: ideoq; tutius eſſe ait, petere ab eo delictorum veniam, & periculis maioribus ſeſe amplius non obiicere, cum pernicie Reipublicæ, & multorum hominum interitu. Principũ ait de Rege electo iudicia à Deo probari, eſſe manifeſtum: idque compertum interitu miſerabili Echardi Saxonis, & calamitate Hermani Sueui. Hæc monita Henricus quidem audiebat, & eſſe vera atq; honeſta nouerat: ſed rationem vincebat odium & iracundia. Rex Cranam veniens ab Henrico fuga deſertam, Præſulem Henricum Vurciburgium, & Erchenualdum Abbatem Fuldanum, cum copiis mittit, qui Suinfurtum, vrbem ad Mœnum nobilem, in qua Eila, vt Ditmarus; Richardis, vt annales Præpoſiti, mater Henrici habitabat, incenderent. Ipſa nihil tale verita, honoris cauſa ambos inuitat: ſed cùm Regis mandatum graue audiret, fœmina triſtiſsima & exanimata, in templum fugit: inde ſe abſceſſuram negat, etiamſi cum templo & imaginibus ſit ei pereundum. Legati querelis & vociferationibus permoti, ſollicitam & afflictam conſolantur; & contra iuſſum Regis promittunt, ſe vrbem non incenſuros.

Deliberatio Henrici M. cum Siffrido.

Subfurtum incendi iuſſum, ſeruatur ab Henrici matre.

Henricus Sanctus. Mœnia autem & ædificia publica complanant, nequid Rex durius conſtitueret: & ſi maritus eius in gratiam Regis redeat, ſe diruta ſuis ſumptibus pollicentur inſtauraturos. Hac moderatione nonnihil fœmina recreata eſt: & Rex eam pro ſua humanitate approbauit. De Erchenualdo tempora non conueniunt cum Chronico Fuldano: ſed ego Ditmarum ſequor.

Henricus Papebergã venit. Rex hoſtibus ſuis aut ſuperatis aut fugatis, Pabepergam contendit: cuius vrbis amænitate præ alijs delectabatur. Ibi numerato militibus ſtipendio, exercitum dimittit; & Duces honoribus atq; præmiis afficit. Ibidem die natiuitatis Virginis ſolenni celebrato, cum ſuis deliberat, quid ad conſtituendum regnum & vtile & decorum eſſe videretur: Principumque ſententias æquo animo audit atque expendit. Autumnum ibidem venationibus conſumit ſyluæ Herciniæ; quam Speshartam eo loco appellant. Capiebatur, vt dixi, vrbis eius amænitate ſupra modum: & de ea augenda ornandaque ſuſceperat cogitationem: idque poſtea magnificentiſsimè perfecit.

Reuerſus in Saxoniam, ad Milcienos reprimendos, qui excurſionibus vicinos vexabant; præſidia collocat: & ad præfectorum mandata, ſi res exigat, arma ſumere populum iubet. More maiorum diem Chriſti natalem Poledæ agit: quæ tum regia ſedes in Saxonia fuit, & inde Goslariam eſt paulò poſt translata. Vices ſuas in Saxonia mandat Hermano Sueuo, nuper in gratiam receptο, & iam ſuo familiari: cuius obſeruantiam & fidem nunquam poſtea deſiderauit.

1005. *Morbus & mors Antiſtitis Moguntini.* Dornburgum deinde cùm veniſſet in Turingiam, Moguntinum ad ſe accerſit: & ad GISILERVM, lethaliter ægrotantem mittit, admonendum; vt quæ ab Eccleſia Mersburgia abalienauerat, reſtitueret; & de vita futura, in qua ratio factorum reddenda ſit, propinquus iam agoni cogitaret. Antiſtes duplici modo vexatus, & grauitate valetudinis, & mandato Imperatoris, quò ſe verteret, neſciebat: ſed ſolita vſus calliditate, & eorum quos ditauerat, ſubiectionibus; ſe morbo iam nimis impediri ait: daturum autem reſponſum poſt triduum. In arcem ſuam Triburiam lectica deportatus, inualeſcentibus corporis cruciatibus, animam tercio die ponit VIII. Cal. Februarij: funus & Rex ipſe, & Arnulfus Præſul Halberſtadius proſequuntur.

Electio Præſulum, & emendatio Eccleſiarum. Ei ſubſtituitur à collegio VALTHARDVS Præpoſitus: qui mox dignitate ea ſponte ceſsit: & Mersburgium præſulatum adeptus, antequam adiret dignitatem, obiit. In eius locum Magdeburgi à Rege deſignatur Cancellarius THAMMO ſeu DAMIANVS,

ANVS, vt nonnulli appellant, vulgò Dago ſcribitur, hic fuerat diui Vuolfangi Ratisbonenſis diſcipulus, modò propter integritatem Regi Henrico, antea Othoni etiam Tertio charus: Præſulatus Mersburgius, quem Giſilerus poſſederat, quique Valthardo promiſſus erat, traditur VIGBERTO qui Regi tum temporis à ſacris erat. Eligebantur non amplius in collegiis, ſed in aula Regis antiſtites & præſules. Quòd autem largitionibus & gratia fultus obtinuerat GISILERVS, vt duos præſulatus teneret; & alterum per ſe gubernaret, alterum adminiſtraret per vicarium; poſteri (ni fallor) ſuffraganeum nominarunt: id æquo animo illorum temporũ nemo tulit, neque probauit. Nam vt epiſcopus, ſecundũ Apoſtolicam conſtitutionẽ, vnius debet eſſe vxoris maritus: ita iuxta decretũ Canonicũ, vnius tantùm Eccleſiæ ſtatuatur inſpector ac dominus. THAMMO Giſileri ſucceſſor, cum Rege arcem Gibecheſteinam Muldæ imminentẽ adit; theſaurosq; defuncti, de quibus ſermones percrebuerant, inſpiciens, gemitu declarauit, quantùm ſibi luxus & profuſio diſpliceret. Quamobrem, quæ ad Eccleſiam pertinere viderentur, vaſa aurea argenteaq; ſecum antiſtes deportauit: quæ autem eſſent ſuperflua & antiſtite indigna, omnia Regi donauit. Mox à Moguntino conſecratur Mersburgi, in Regis & legati Romani præſentia quarto Non. menſis purgatorij: ita enim Februarium appellat Ditmarus anno itidem ſu- 1005.
pra milleſimum quinto. Agebat Imperator cum Thammone, vt quæ ad Mersburgiam diœceſin pertinerent, ea volens reſtitueret: idq; vt facerent itidẽ vicini præſules, auctor eis eſſet: in quo pietas viri modeſti deſiderata non eſt. Nam eum ſecuti Ido Miſnenſis, & Hildeuardus Citienſis, quædam oppignorata reſtituerunt ſtatim: de bonis autem alienatis & venditis Regi permiſerunt iudicium. Arnolphus Halberſtadius, diu reluctatus eſt: in tot enim diœceſes bona diſperſerat, vt ſibi amicos & defenſores compararet: nec ſolùm ille Præſules multos corruperat in Germania: verùm etiam conſilium Lateranum largitionibus euerterat in vrbe Roma: in qua omnia pecunia vendere mos erat, vt teſtantur annales Præſulum Mersburgiorum.

Henricus Sanctus.

Controuerſiis multis in hunc modum ſapientia & lenitate Regis compoſitis; in Vandalos exercitum comparat: qui aliquoties perrumpere ſeruitutis clauſtra tentauerant. Dum enim Dux Saxoniæ & vicini Præſules, opibus nimiũ ſtuderent: nec religio, quæ debuit, incrementa cepit: nec homines ſunt eos vera beneuolentia ꝓſecuti. Milcieni vltra Albim initium repugnandi præ omnibus faciũt; quos Dux Boëmus credebatur exciuiſſe, q̃ pariter bellum

Expeditio Henrici in Milcienos.

Henricus Sanctus.

bellum Regi clanculum meditabatur: de quo dum Rex factus certior eſſet: milite conſcripto, vſus occaſione temporis, quod gelu duratis lacubus & locis vliginoſis, acceſſum haberet patentiorem, fines Milcienorum inuadit: ſed cùm ventus glaciem & niues intra duas noctes reſoluiſſet; aquarum exundatione, curſum eius impedit; maiuſq; damnum ipſe accepit, quàm hoſti intulit. Defenſionem prouinciarum finitimarum, Marchioni Miſnenſi Guncelino viro forti Rex committit; ne quid Saxonia ſuperior detrimenti acciperet.

Bauaris latrocinijs infeſtatur ob Henricum M. Auſtriæ.

Boëmus cauſæ fauens Auſtriaci, de qua modò dicebamus: incurſionibus & latrociniis Bauaris moleſtus erat: ſemper obſeruans & intentus, vt ſi quo loco Rex diſtentus bello eſſet, ipſe alio quodam populũ improuiſum inuaderet: id quod in Miſnia nuper fecerat. Regis aduerſarij, quorum alter beneficiarius erat, alter frater, de ſuo iam negotio deſperabant: & ipſos pœnitebat ſuorũ conſiliorũ; propter quæ in contemptu & egeſtate vitã degebant, carentes patria & honoribus, quibus fuerant ornati. Exulabat Auſtriacus apud Boëmos, Auguſtanus apud Vngaros: ille Ducis, hoſpitis ſui patrocinio, vti non poterat; quia Regi inuiſus erat: hic Vngaros mouit, vt legatos mitterent de gratia recuperanda, vt mox dicetur. Tandem Auſtriacus Thammonem, Antiſtitem Magdeburgium, & Bernardum Ducem Saxoniæ, exorat; vt ſuam cauſam fideliter agerent: qui Mersburgi Regem adeuntes, & ipſum clam ſeducentes, orant: vt ira depoſita, pateretur locum eſſe veniæ, homini imprudenti & miſero, qui pœnas ſatis acerbas luiſſet animi ingrati: qui nullam amplius dignitatis ſpem haberet, niſi in ipſius clementia: quam etſi meritus non eſſet, tamen ſibi nullam ſalutem, nullam vitam videri reliquam, niſi eo placato & gratioſo rurſus vtatur: nullam ipſum detrectare pœnam, modò nouerit non omnem ſibi eſſe ademptam miſericordiam. Precibus Rex motus, ipſorum ait cauſa ſe facturum, quę peterent: ea tamen conditione, vt ditionem ſuam omnem Henricus traderet: & in cuſtodiã, quæ fuerit demonſtrata, ire ne differret. Precatores exiſtimabãt, liberari eum vinculis poſſe, ſi præſentem adducerent; ideo Regi illum ſiſtunt, habitu & more ſupplicis, pro temporum illorum conſuetudine: qui cùm ad Regis genua ſordidatus aduolueretur; conditiones latas ſeruare iuſſus eſt: datusque Antiſtiti aſſeruandus, in arcem Gibecheſteinam deducitur; eique cuſtodes equeſtris dignitatis viri adhibentur. In eandem arcem poſterioribus temporibus miſſi ſunt viri Principes

Henricus M. Auſtriæ exul veniam petit.

cipes; ab Henrico III. Godfridus Dux Loſannæ: ab Henrico IV. Ludouicus Princeps Turingiæ, qui in flumen deſiliens, Salij nomen accepit. *Henricus Sanctus.*

Rerum ſtatu in Germania turbulento, iam in tranquilliorem reducto, Rex per legatos & literas, omnium ordinum nobiliſsimos hortatur, ad iter Italicũ: nam Harduigus, pro Rege ſe ferens, agebat multa crudeliter: & animos concitabat gentis, ſemper libertatis cupidiſsimæ. Admonebatur autem ab Italis conſtantioribus, ne prouinciam Imperij florentiſsimam, quam eius maiores & defenderant & ornauerant, nouis factionibus diſtrahi & calcari pateretur. Igitur quos in ſuo comitatu habere cupiebat, initio menſis Martij, anno ſupra milleſimum quinto, certis ſibi locis adeſſe paratos & inſtructos iubet: interea Miſnenſes Mersburgum vocat: inde Magdeburgum veniens, delectum habet: tranſiensq; per Turingiam & Franciam, copias auget magnis vbiq; acceſsionibus: aliqui enim ſtipendiis ipſius merebant; alij ſuis ſe adiungebant impenſis, gloriæ cauſa. Ratisbonam dies erat Bauaris dictus, qui in electionem HENRICI Rheni Palatini vnanimiter conſentientes, eum ſibi Ducem creari flagitant: cui Rex inſignia confert XII. Cal. Aprilis, pompa ſolenni. Henricus iſte non gener Regis, vt Ditmarus; ſed affinis fuit, frater ſcilicet Cunegundis, & Diterici Antiſtitis Metenſis. Inde Auguſtam progreſſus obuiam habuit Siffridum Antiſtitem; qui Brunoni rebelli datus erat ſucceſſor: ibidem Cunegundi coniugi valedicens; & ei quæ placuerant, iniungens; commendatam Thammoni, redire in Saxoniam iubet. Exercitum in campo Lyci ampliſsimo recenſet; & agmine toto contendit Schongam, quinto ab Auguſta milliario: occurrunt ibi Bruno frater, & legatio Vngarica, quæ veniam impio & rebelli humiliter flagitaret. Rex enumeratis eius actionibus iniquis, quas parum religioſè aut fraternè perpetraſſet, ait ſe & præſulis honori & fraternæ neceſsitudini hoc deferre, vt ſe clementem præbeat, præſertim rogantibus viris honeſtis, & hominibus exteris: qui ſi cauſam habuiſſent penitus cognitam; fortaſſe à munere legationis obeundæ deſtitiſſent. Ad exemplum autem, ne quis fiducia clementiæ delinqueret audacius, fratri pœnitentiæ tempus & locum conſtituit, etiamſi ei in præſentia ignoſceret. Declarabat verò ſe id dare Vngarorum precibus, & ipſorum honori. Intererat illi ſermoni THAMMO cuius præcipua apud Regem erat auctoritas: & ipſe conciliator animorum ac voluntatum, pro ſuo munere atque officio, præci-

Henrici Imp. expeditio in Italiam.

1005.

Henricus Palatinus, Dux Bauariæ creatur.

Henricus Sanctus. præcipuus erat: qui cum Regem ſuo quoque nomine oraret, nec reſponſum ferrèt; è vultu & ſilentio voluntatem Regis perſpicere potuit. Is Schonga oppido mox decedens, Reginam ſequitur: & ſupplicationes pro ſalute & reditu Regis, diebus ſolennibus paſsim indicit. Rex Tridentum ſuperatis magna difficultate Alpibus venit; eademque in vrbe, Germanos & Italos diſterminante, reficit exercitum fatigatum. Inde in ſolum hoſtile, quod Mediolanenſes occupauerant, progreſſurus; equites expeditos ad loca exploranda præmittit. In agro Veronenſe ſuas collegerat copias HARDVIGVS; montiumq; vicinorum anguſtias præſidiis muniuerat, ad tranſitum intercludendum. Ea loca eſſe imperuia Rex audiens; Ducē Carinthiæ Cunonem, agnatum ſuum, Echardi Marchionis, qui Regnum affectauerat, fratrem cum ſelectis militibus mittit: qui aliis locis, quibus hoſtis non ſuſpicaretur, viam aperiret, & aditum faceret exercitui. Milites Carinthij erant locorum periti, & ad difficultates ſuperandas idonei: quos in duo agmina diſpertit: vnum mittit noctu, quod montem anguſtiis imminentem conſcenderet: idque non ſine diſcrimine multorū fiebat. Alterum iubet ſubſequi, quod ſe hoſtium conſpectui offerat, tanquam per locum anguſtum vi perrupturum. Ii qui montium aſpera ſuperauerant, ſignum ſociis dant, quale inter ipſos conuenerat. Præſidiarij à tergo montis ſe ſecuros exiſtimantes; obuios adoriuntur alacriter, quia pauci multis poterant reſiſtere: ſed cùm claſsicum cani in ipſo cacumine audirent, nouitate percelluntur, & fugam circumſpiciunt. Cùm igitur & à fronte & à lateribus peterentur; partim præcipitantur in flumen Medoacū, quod Ditmarus Brentam appellat, & nomen idem adhuc retinet: partim intra ipſum antrum montanum adiguntur, tanquā in plagas feræ beſtiæ. Captis anguſtiis virtute & ſagacitate Ducis Carinthii: Imperator turba inutili, & impedimentis omnibus relictis, partem exercitus lectiſsimam traducit; & in vallibus ad ripam Medoaci, locum caſtris ponendis opportunū inuenit. Inſtabat tempus, quo & mortis Chriſti & mox reſuſcitationis memoria recolèretur: id antiqua conſuetudine ſacris dare cupiebat, & exercitum itineribus laſſum opere religioſo recreare. Peractis ſtudio tali atque ocio diebus ſex, inſtigante Henrico Palatino, qui nuper creatus Dux Bauariæ fuerat, milites de integro coniurāt, ſe fortiter pro Imperio Germanico pugnaturos: ignauo aut fugienti pœnam capitalem conſtituunt. Imperator quoq;, cùm Deo eiusque filio Chriſto, honorem debitum exhibuiſſet, caſtra vltra fluuium mouet: ſtatimque per certos homines, quid Lombardus

Cuno Carinthiæ Dux, viam ferro aperit.

bardus ageret, aut quid conſilij haberet, diligenter explorat. Inuaſerat eius animum ingens formido, cùm anguſtias Alpiū tam leui negotio expugnatas audiret: Italique cùm iratos aduentare Germanos animaduerterent, partim ad ſua redeunt, vt exitum belli cognoſcerent: partim ad Imperatorem Germanum ſe conferunt, cui obſeruātiam deberent. Veronenſes primi aperuerunt Imperatori aduenienti portas, tanquam defenſori ſuo: ad quem Theodolphus Marchio, cum ſuis copiis accedens, illi gratulatur; ſuumq; ſtudium offert, gauiſus occaſione, qua animum illi propenſum oſtenderet. Brixiani exemplum imitati, in ſuam quoq; vrbem honorificè Imperatorem admittunt: vbi Adelberus præſul, & Antiſtes Rauennas exceptum, in templum de more deducunt: inde ad hoſpitium, quod ei extruxerant, ſinguli comitantur. Ex ea vrbe Bergomum proficiſcitur: eò Antiſtitem Mediolanenſem accerſit, ad dicendam ſententiam; qui coactus Imperatori ſatisfacere, nouo iureiurando fidem obſeruantiamque promittit. Regia ſedes tunc Ticini erat, quæ vrbs fluuij prætereuntis nomine mutato, Papia nunc appellatur: eam ingreſſus, ſedem Regiam antiquam occupat, vt Harduigum excluderet. Gratulationes locis omnibus fiunt: & ab Antiſtite in templum, prælatis funalibus & lychnis ductus, ſacra audit: deinde in hoſpitium palatij ſe recipit. Die inſequente in thronum auguſtum collocatur, eo ritu, quem obſeruatum à maioribus nouerant.

Henricus Sanctus.

Henricus Imp. quomodo ab Italiæ vrbibus exceptus ſit.

Hoſpitem ſuum Arnulfum Imperatorem, ante annos centum Ticinenſes ſeditione populari exagitauerant, multis è Cæſareanis interfectis, vt Luitprandus ſcribit: idem nunc Henrico accidit, cuius turbæ Lambertus tantùm mentionem facit, propter vrbem incenſam: ſed Ditmarus cauſam latius perſequitur. Cùm inter milites Imperatoris, & ciues cuſtodes, leui de cauſa eſſet ortum certamen: ita partis vtriusque concurſu, multitudo exarſit, vt cædes fierent: cumque nemo imperaret, nemo audiret, confligentium ſtrepitu & vocibus, ad arma conclamatur. Tali tumultu noctis tempore excitatus Imperator, homines fidos mittit, qui ſeditionem reprimant: hi è veſtigio fugati, de furore plebis ei renunciant. Ciuium alij cædem ſuorum vindicandam; alij Harduigum Regem iuſtiorem accerſendum vociferantur. Diuerſus vndique ſonus atque fremitus, loca vrbis celebriora replet. Sparſi per hoſpitia Germani malè tractabantur: inſcientes & innocentes quidam, etiam ſopore preſsi, nondum hoſte conſpecto occidebantur: iamque proceſſerat eò vulgi inſania, vt ad palatium ipſum oppugnandum confluerent. Erenbertus Colonienſis Antiſtes,

Tumultus Ticinenſis.

Henricus Sanctus.

ſtes, Italicæ linguæ non ignarus, ad furorem refrenandum, de feneſtra loqui, & plebem ad ſanitatem reducere incipit: ſed conuiciis perturbatur, ſaxisque petitus & miſsilibus, ſeſe retrahit. Familiares & miniſtri Imperatoris, pro ſui defenſione dimicabant fortiſsimè; neq; Imperator patiebatur deſiderari ſuam aut operam aut prudentiam. Rumore per vrbem iam dilato, Palatium obſeſſum eſſe, & in periculo verſari Imperatorem, & cinctum hominum ſeditioſorum peſsima confidentia: gregatim omnes per arma ipſa, ad Palatium contendunt; ſibiq; ferro viam aperientes, modò hos, modò illos de loco deiiciunt. Cùm à multitudine obruerentur pauciores, (nam certus Germanorum numerus intra mœnia admiſſus erat) noctisque tenebræ imperitis rerum & locorum, conſilium adimerent: & quo in loco ſalus Imperatoris, & amicorum eius fidiſsimorum eſſet, plerique ignorarent: globus militum Germanorum ad vicinas domos incendendas accurrit: aliisq; qui extra vrbem agebant, ſigno flammis de murorum propugnaculo dato, quid in vrbe fieret, ſignificabant. Quamobrem qui in ſuburbio & vicinis agris erant Saxones, conſpicati incendium, & diſſono fremitu exaudito, mœnia conſcendunt, & portas disjiciunt, & in vrbem apertam inſtar tempeſtatis, infunduntur. Magna vtrinque confuſio, & miſerrima cædes: neque quem fugeret, aut ſequeretur, quisquam habebat: neque cauſam exquirere, aut adhibere remedium licebat. In eo conflictu GISELBERTVS, Reginæ frater, vulneratus oppetit: quē cùm trahere hoſtes ad ſe vellent, vt ſpoliis viri Principis potirentur; Volframus quidam in eorum cuneum inſilit, & caput interfectoris per galeam æratam, ad iugulum vſque diuidit. Domorum incendio & ruinis læſi & oppreſsi multi ſunt: nullius tamen in pugnando feriendoque, impetus ceſſabat: diceres furias per fora & vicos volitare effrenes; cùm neque ordines ſtruendi, aut reuocandi quenquam ab incepto, eſſet vlla occaſio. Capti ciues aliquot primarij ſunt; aliquot ſponte ſe dediderunt. Eos Imperator cum comitatu ad clientes & populares ſuos ire iubet: vt ſua auctoritate tumultuantes compeſcerent, & ceſſantibus ac quietis incolumitatem promitterent: ſed auditi planè non ſunt, & inſuper maledictis repulſi. Interea Sueui, Franci Lotharingi, per portas fractas, etiam in vrbem alio loco irruunt: quibus conſpectis ciues territi, & inter hoſtes intercluſi; alii domorum latebras, alij templorum adyta, aut clauſtrorum remota petere incipiunt. Animoſiores iracundiam Regis timentes; maluerunt oppetere armati, quàm vincti expectare ſuppliciū: ideo

Giſelberti cædes.

loca

loca munita & edita occupant: deſuper telis & lapidibus multos obruunt. Noua pugnæ ratio, noſtris eripiebat conſilium: qui cùm nihil poſſent armis contra ſuperiores: ipſis propugnaculis ignem ſubiiciunt, & exitus portarum atque viarum frequentes obſident. Aduerſarij pertinaces aut cum tectis crematis concidunt, aut dantes ſeſe præcipites, militum lanceis excipiuntur. Victoria ad regios ſpectante, milites exteri ſine diſcrimine ſæuiunt: nobiles ciuesque occiſos in vicis vrbis iacentes, exuunt ſpoliantque. Cùm iam tenebras nocturnas iubar ſolis depuliſſet: vrbis præclaræ & nobilis & ruinis ædificiorum, & cæſorùm cadaueribus aſpectus miſerabilis fuit: quo ſpectaculo ærumnoſo Imperator dolens; & miſeratione compulſus: milites per præconem à cæde deſiſtere imperat, & fieri rapinas amplius vetat. Palatium imperiale ita diſſipatum erat: vt ſedem inde transferre, & ad propugnaculum, diui Petri dictum, Imperator migrare cogeretur. In eo tumultu crus ipſum fregiſſe, vnde CLAVDVS poſtea cognominaretur, nonnulli aſſerunt: nam qui captum aliquando deſiliiſſe de arcis pinnaculis ſcribunt: nec locum exprimunt, nec temporibus conueniunt, & alii in Italia, alij in Gallia factum innuunt: quæ diuerſitas veritati & certitudini eſt contraria. Qui verò ab Angelo in ſomno luxatum narrant, nugas maximas venditant: quas non puduit Nauclerum, tanquam hiſtoriam dicere: deinde de calculo addere, quem è dormientis veſica Benedictus Caſſinas ferro exciderit, & Imperatori in manum tradiderit. Ticinenſes, qui reliqui in vrbe erant, & quos caſus violentus non abſtulerat, veniam enixè petunt, & vitam orant: qui extra periculum & vrbem fuerant, partim obſides mittunt, partim excuſatione culpam declinant; ne pugnam tam funeſtam ex compacto factam Rex ſuſpicaretur. Caſtigauit Deus, hac calamitate ciues quoſdam ſuperbos, & milites temerarios: vt de ſuo officio alij cogitarent, quibus peccandi cóſuetudo vſitata atq; iucunda, & eſſe impunis videtur. Rex incolumes eſſe iuſsit ſuperſtites: & militem ſuum edictis propoſitis coërcuit. Clade tanta & tam in opinata nemo non doluit, vrbis præſertim tam antiquæ atq; ſplendidæ: & quamuis non ſine ſuorum cæde, ipſi viciſſent Germani: tamē indignè factum eſſe omnes prædicabant. Ad locum à Ponte longo nominatum HARDVIGVS, copias ſuas eo tempore habebat, qui ſi propinquum Cæſarianis habuiſſet exercitum, bello finem imponere illa nocte potuiſſet. Ipſum autem inuadere cùm Imperator ſtatuiſſet, ad turbulentam illam factionem diſſipandam, aut omnino tollendam, multi ex eorū

Henricus Sanctus

Henricus Imp vnde dictus Claudus.

Henricus Sanctus.

numero deditionem pactionibus offerunt: quos in colloquium conuocatos; ſuamq; in poſterum fidem, operam, auxilium promittentes, in amicitiam recipit: Harduigo tamen turbarum auctori vt ignoſcat, perſuaderi nõ poteſt. A quo, cùm ſe fortuna nimis apertè inclinauiſſet, amici quoque eius mutantur: qui ne ſibi conflarent nouũ Imperatoris odium, quod vix effugerant; Harduigum vniuerſi ꝓpemodum deſerunt. Suis igitur militibus diffidens, in loca tuta ſe cõfert, cum amicis fidelioribus. Qui ſcribunt ipſum anno regni ſui ſecundo ſtatim interfectum eſſe; & à Ditmaro, & à veritate longiſsimè abſunt, vt poſtea dicetur.

Imp. venit Mediolanum.

Imperator poſt hanc actionem venit Mediolanum: inſpectaq; ibidẽ diui Ambroſij æde atq; tumulo, ad prata Longepontina reuertitur: mœnibus enim vrbium credere amplius ſe nolebat. Inuitantes eum Mediolanenſes, non permouent, vt in vrbe permaneret diutius: quibus tamen de ſua beneuolentia, ſi diſcordias & factiones fugerent, prolixè loquitur. Inſtabat Pentecoſtes ſolennitas: quã ille peragit Comi, ad lacum Larium: inde in Hetruriam progredienti, vrbium ſenatores aut præfecti obuiã eunt: gratulatiq; fortunam & felicitatem præſentem, officia ſua & obſeruantiam deferunt: apud quos cùm tranquillas inueniret Reſp. & legatos audiuiſſet aliorum Italorum: de reditu in Germaniam deliberat: quod cùm probarent optimates, gratias Italis agit, qui fauiſſent cauſæ meliori, & ſuas quietè rexiſſent ciuitates. Eos qui rebelles ſecuti eſſent, præfectis tradit caſtigandos; & ærumnis admonitos alios, hortatur ad concordiam, & ad pacem Italiæ ſtabiliendam, cuius ipſe conſtans ſit auctor & defenſor futurus.

Reditus Imp. Henrici in Germaniam.

Repetito per oram Atheſinam, Alpesq; Rhæticas & per montem Pyrenæũ itinere, in Sueuia conuentus agit; & Ducis Hermani nuper defuncti filio Hermano, admodum puero, ducatũ paternũ tradit: eiq; tutores viros prudentes addit: quibus cõmoda publica, & præcipuè inſtitutionẽ Principis ipſius cõmendat. Diem Ioannis Baptiſtæ celebrat Argentorati: & Præſuli Aluego immunitates ab Othone III. conceſſas confirmat; eundemque ad tuendam Eccleſiæ diſciplinam, verbis extimulat, quod antea fecerat literis. Erat is Præſul & eruditione excellens, & vitæ conſuetudine admodum grauis. Pridie autem eius diei feſtæ, domus curiæ, in qua Imperator ipſe cauſas ſupplicum audiuerat, & ius viciſſim toto die dixerat, ſubitò corruit: qua ruina nemo oppreſſus eſt, excepto Sacerdote concubinario; qui mulierem alebat, lege Eccleſiaſtica, quòd maritum deſeruerat, damnatam: hic primùm fractis cruribus, tum morte ſubita (vt Ditmarus teſtatur)

ſceleris commiſsi pœnas perſoluit: quod exemplum non parum iuuit præſulem; vt mandatis ſeuerioribus libidinem & licentiam Sacerdotum reprimeret. Præſul ipſe, qui rem antea inuſitatam, ſed eccleſiæ ſalutarem cupiebat inducere; paulò pòſt magno omnium luctu obiit.

Henricus Sanctus.

Imperator Moguntiam inuiſens, diem Apoſtolorum ibidem celebrat: deinceps celeri per Franciam itinere progreſſus in Saxoniam properat, vt bellum Duci Boëmorum faceret; qui fratrem germanum patria eiecerat, & ſubiectos Imperatori populos, & inprimis Miſnenſes, magnis affecerat iniuriis: nécdum deſiſtebat inire clandeſtina conſilia, & pacem publicā perturbare, quibuscunq; poſſet artibus atque inſidiis. Iam pridem Imperator agitauerat animo, de caſtiganda Boëmi ſæuicia, quam hactenus exercuerat impunè, cum dedecore nominis Germanici: ſed propter turbas, à ſuis aduerſariis hinc inde motas, occaſionē nondum inuenerat. Erat in BOLESLAO & belli peritia, & animus acer, & vafrum ingenium: quam ob cauſam iſta expeditio ſic inſtituebatur, quaſi in Poloniā Imperator moturus eſſet; vt minore ſuorum periculo hoſtem adoriretur, & illi adimeret ſui defendendi conſilium. Menſe Auguſto militem Saxonicum adeſſe ſibi præcipit Mersburgi: & Duci Bauarico locum deſignat, quo ſe cum ſuis copiis adiungeret: interea effluentibus extra ripas amnibus, tanta vis aquæ oritur, vt progredi exercitus nuſquam poſſent. Ea inundatio etiamſi prodigioſa videbatur multis; tamen de ſuo propoſito Regem non abduxit. In Boemiam igitur præter omnem opinionem, planè inexpectatus venit: cuius aduentu cognito, ex Leonum familia, vir audax atque nobilis, montem Miriquidum, in ſiliura media ſitum, occupat: eique ſagittarios imponit: qui hoſtem tranſitu prohibeāt, & in prætereuntes tela denſa immittant. Via per illum locum alia non patebat, itaque Imperator immiſsis lancearíis loricatis Leonem deturbat; & ſibi viam armis patefacit. Reinbernus quidam Sacerdos, & Antiſtitis familiaris mittitur, qui Boemum de periculo præſente faceret certiorem: qui cùm inter epulas verſanti nuncium afferret, hoſtes in propinquo eſſet; primùm ridetur, quia Germanus erat: idem cùm aſſeueraret eſſe veriſsimum, reſpondetur ei per cauillum, ſi milites Regis reptaſſent vt ranæ, ab eo tempore, quod tu modò nuncias, iter conficere potuiſſent: nec id latuiſſet, quin nos idem cognouiſſemus. Nullum autem periculum belli eſſe Dux putabat; & adeſſe hoſtem præſentem credere non poterat. Imperator certè

Bellum Imp. Henricy contra Boemum.

 tardius

Henricus Sanctus.

tardius paulò progrediebatur: quia ad ipſum exercitus Bauaricus nondum venerat. Cùm amplius obſcura eſſe hoſtis præſentia nó poſſet, & Ducis frater IARIMIRVS in caſtris Imperatoris verſaretur: tum imprudens trepidare Dux, & fugam circumſpectare, & ſe intra mœnia Pragenſia continere, & conſilium quærere, quod in ſubitis ipſe caſibus ingenii celeritate facilè inueniebat. Spargi igitur rumorem iubet, quaſi captus à ſuis, in vrbe regia detineretur: quo rumore Imperatorem & fratrem ſecuros redderet, & ſuis interea rationibus conſuleret. Iarimirus ſi Pragã rectà contendiſſet, conſuluiſſet ſibi rectiſsimè: ſed Imperatorem primùm deducit Satium, & ciues de ſuo aduentu facit certiores. Erat in ea vrbe præſidium Polonicum: in quod Satienſes ſtatim faciunt impetum, & portas Imperatori atque Duci aperiunt. In vrbem introiens Imperator petit, vt cædis finem faciant: & Polonos adhuc ſuperſtites armis exutos, in templo concludant: donec audiatur Iarimiri, noui Ducis, ſententia. Erat in propinquo arx munitiſsima, qua multùm fidebat Bolislaus: ea deditionẽ ſpontè facit. Iarimirus magnum nactus adiumentum vlciſcendi fratris iniuſti; militem Saxonicum & Boëmicum ad Pragam capiendam mittit, cum mandatis, vt fratrem aut captum aut interemptum ad ſe deducerent. Interea ipſe cum Imperatore agit, gentis more, conuiuia. Boëmi Germanis ferè perpetuò infeſti, de fratris conſilio furtim Bolislao nunciant: vtque vitæ ſuæ conſulat admonent: qui in tantas anguſtias deductus, fugam meditabatur: eumq; hominibus fidiſsimis animum aperiebat. Inter has conſultationes, audit noctu à Vuiſengradenſibus pulſari campanas: quod ſignum tunc erat veluti claſsici: vt in quibusdam locis hodie eſt, cùm ſubita vis aliqua ingruit agro aut oppido. Itaq; nihil cunctatus, nocti ſeſe cum paucis militibus committit. Cuſtodia pontis Multauici erat ZOBISLAO, diui Alberti Antiſtitis fratri, viro honeſto & magnamino, commiſſa: qui cognita Ducis fuga, ſuos ſatellites arma ſumère iubet: ſed in ipſo tumultu trucidatur: & BOLISLAVS è manibus hoſtium, etiam manu ſua vſus, fortiter euadit. Dolorem IARIMIRO ingentem attulit, & viri præſtantis interitus, & fratris tyranni fuga: quem magnis propoſitis præmiis inquiri mandat.

Iarimirus Dux reſtituitur, conſecratur.

Cum prima autem luce ad mœnia Pragenſia aduenienſ, ciues obuios habet; erroris commiſsi petentes veniam: quos humaniter allocutus, in vrbem intromittitur: & cum lætitia totius multitudinis deducitur in arcem. Rogatus vt exulis atq; militis habitu depoſito, veſtem Duce dignam ſumeret: in ſolio patrio, vndè depul-

depulſus iniuria erat, cum exclamationibus & votis collocatur: tum ad templum Georgianum, Imperatore comitante procedens; ſacris intereſt: Deoque æterno exulis & oppreſsi miſerto, gratias agit. Amicis paternis ad conuiuium inuitatis, munera largitur: & de reducendis exulibus fert decretum: iuſsisque Pragam venire optimatibus, à Godeſchallo præſule Friſingenſe, qui in comitatu Regis erat, Dux conſecratur. Præſul habita coram ordinibus concione, omnem à Deo dari poteſtatem affirmat: & primùm Ducem, vt ſui officij meminerit, admonet. Nam quòd ad hunc honorem, fratre impio pulſo, aſcenderit: & in ſedem patriam reſtitutus ſit, id non ipſius virtute, ſed Dei factum beneficentia. Deinde fraterno inſtituit exemplo: ne in quenquam ſæuiat intemperanter & iracundè: ſed ſuos ciues amet: & iuſticiam ſine aſperitate ſic exerceat, ne quid cupiditati dare videatur; ſed omnia referre ad publica commoda atque ornamenta. Ad extremum etiam hortatur, vt aduerſariis æquo animo ignoſcat: imitatus nimirum Chriſtum Deum: qui & ignouit impiis, & pro iis preces ad patrem omnipotentem fudit. Hac poſtrema concionis parte abſoluta, Imperatorem præſentem, intentis in ipſum oculis ſimul alloquitur: vt Henrici Marchionis capti atque detenti, etiam pro pietate ſolita miſereatur: & ad ignoſcentiam pronus ſit: vt cui vitam præter meritum dederit, eidem libertatem poſt pœnam irrogatam reſtituat. Continuans deinceps orationem, populum quoque docet: qua religione & obſeruantia Dux colendus ſit: ſine cuius auctoritate, nulli neq; fortunæ neque vita poſsit eſſe incolumis. Hac præſulis grauitate omnes proceres delectati ſunt: & dignis ipſum laudibus extulerunt: & Imperator animo non iniquo tulit libertatem, quæ ipſum etiam ad miſericordiam impulit. Erat BOLISLAVS in armis aſsiduè verſatus; ideo non parum fuerat violata religio: quæ in caſtris & inter milites raró colitur, pacis videlicet alumna: & principum negligentia tota ſæpe amittitur, piorum tantùm & ſedulorum pediſequa. Iniunctum igitur ambobus eſt, & Gaudentio & Godeſchallo Imperatoris conſenſu: vt Sacerdotes dignos denuò eligerent, & collapſas cæremonias inſtaurarent, & populo docendo diligenter inuigilarent. Huius igitur belli finis admodum ſalutaris fuit, quo & honore affectus Deus eſt, & conſultum hominum ſaluti. *Henricus Sanctus.*

Bolislaũ ad Milcienos confugiſſe, & de repetenda ſua ditione, arma minabundũ capere, certis erat nunciis iam cognitũ: ideoq; *Expeditio in Milcienos.*

Henricus Sanctus. conſentientibus Germanis & Boemis, decernitur in Milcienos expeditio. Rex in Bauariam proficiſcens, quæ placerent conſtituit: datisque ad Antiſtitem Thammonem literis, dimitti Henricum mandat: aliisque eius ſociis delictorum gratiá facit: quod & ipſi Imperatori, & Præſuli Friſingenſi, clementiæ auctori, ſummam apud omnes gratiam conciliauit. Boëmi militem educunt ad Milcienorum vrbem primariam Budiſsiná obſidendam: cum quibus ſuum populum Imperator iungit, præmiſſo Marchione Guncelino, copiarum Miſnenſium præfecto: quem ipſe paulò pòſt cum delecto equitatu ſequitur. In ea obſidione in periculum Rex incidit. Nam cùm ad vallum perluſtrandum propius acceſsiſſet: intenta hoſtis in eum machina eſt: quod cùm ſatelles quidam vidiſſet: ipſum inclamans monuit, & ſuum corpus pro ſalute domini obiecit. Milites ignem in vrbem parant inijcere: ſed eos Guncelini conſilium impediit: ciues fortiter pugnabant, & miſsilibus lædebant multos: occiſus eſt ſatelles vnus regius, & HAIMVSIVS Saxo nobilis: hic ad portam vſque hoſtes inſequens, lapidis fragmine excuſſo per galeam cerebro proſternitur: pro eius cadauere ſocius pugnans, ita vrgetur; vt in amnem Sueuum neceſſe haberet inſilire; in quo laſsitudine & pondere armorum mergitur: quem manipularis extrahere cupiens, haſta in tergum infixa, cum ſocio interit. Haimuſij corpore atque armis hoſtes potiuntur: quem HENRICVS Comes Summeringius, propter fidem ſibi præſtitá, multa pecunia mortuum redimit: & ad maiorum monumenta ſepeliendum transmittit. Budiſsini inopia commeatus laborantes, ad BOLISLAVM literas mittunt: petuntque vt ſe aut auxilio ſuo liberet, aut ſibi quærendæ pacis faciat poteſtatem: ita enim conuenerant, ne quid parte altera inſcia ageretur. Cùm ferre ſuppetias tempore difficilimo nullas poſſet: vti eos conſilio, quod optimum videretur, permittit. Quamobrem cum Imperatore paciſcentes, vrbem tradunt; & deducunt incolume præſidium. Vrbi datur præfectus GVNCELINVS: eidemq; mandatur, vt curam prouinciæ agat, nequid noui motus oriatur.

Budiſsina obſeſſa.

Eſiconis Comitis mors. Rex dimiſis copiis, Mersburgum redit: vbi de morte ESICONIS Comitis, qui Lipſiæ fuerat defunctus, agnoſcit: funeri eius Mersburgum aduentanti, honoris cauſa procedit obuiam: quia valde carum habuerat, corpus conditur in æde diui Iohannis Baptiſtæ, in parte ſeptentrionali: obruuntur vnà ex veterum conſuetudine, inſignia & annulus, propterea quòd ſine hærede deceſſe-

deceſſerat. Pater ESICONIS fuit GVNTHERVS, vir potens in Turingia: patruus RIDACVS, cognomento Diues, quem Otho primus extulerat: fratres ECHARDVS, BIO, BERVARDVS: de quibus nihil legimus, excepto Bione: de quo Annales Vetero-cellenſes & Lauterbergij teſtantur; quòd eius comitatum acceperit DEDO, Zorbecæ Burggrauius, munere Othonis Tertij, fauore Antiſtitis Giſeleri: de quo libro quinto dicendum eſt. Ditmarus ſcribit mortuo Eſicone ſine prole maſcula, Regem dediſſe Comitatus Mersburgij dignitatem, cuidam Burchardo: ſed gentem eius & familiam nomine non exprimit: oppida autem ad Mildam quatuor, data Dietberno, cuius etiam non nominata nobilitas, niſi fortaſſe Dedonem ita appellauerit. Villa Vphuſia in agro Querfurdiano aſsignata Vuigberto Præſuli: aſsignati eidem reditus vrbis Mersburgi, quos à mercatoribus & aliis exteris annuatim habebat; quia Saxonum erat emporium. Donata præterea templo ſunt duo candelabra argentea: partem Comitatus reliquam Rex ſibi propriam ſeruauit. Circa hoc tempus ædes Paderbornia iterum cremata eſt; quæ nuper ex incendio, nondum planè inſtaurata fuerat. *Henricus Sanctus.*

Erant tum inter Præſules & Abbates, talibus ordinibus indigniſsimæ ſimultates: cùm inferiores parêre honoratioribus nollent; & in cœnobiis nimis petulanter omnes viuerent. Sacerdotes in templis verſari rarò, in negotiis prophanis cotidie conſpici, & contendere de honoribus, maioribus diuitiis inhiare. Religioſum antea atque ſolenne fuerat ceremonias funebres quadã pompa peragere, & celebri Sacerdotum frequentia id fieri ſolere: quæ conſuetudo ferè abolita erat, & ad ordines minores redacta: cùm tamen pecunia grandi eſſent emenda illa ſacra: nam (vt Ditmarus conqueritur) Sacerdotibus ſemper omnia fuerunt venalia: idq; ab Eccleſia Romana vicium ait fuiſſe deriuatum. Rex ſacrorum ſtudioſiſsimus, eas querelas, quæ ſæpius deferebantur, præſertim à nobilitate, grauatè audiebat; & fieri talia indignabatur. Quamobrẽ Meinuerdo Paderbornio inſtigante, Synodũ indicit Tremoniam, anno ſupra milleſimũ ſexto: ad quã maxima ſacri ordinis hominũ frequẽtia acceſſerat. Præerat ipſe Rex cum Colonienſe, Magdeburgio, & Hamburgio. In eo conuẽtu obiurgati Sacerdotes ſunt, propter neglectionẽ muneris: & exprobrata profuſio & luxuria è bonis eccleſiaſticis: tum collatis ſententiis decreta facta ſunt, quędã ſuperſticioſa: quia alia temporũ inſcitia non poterant: quædã ad mores honeſtos & ſeueritatẽ ſpectantia, & ad diſciplinam, vt appellant, clauſtralẽ neceſſaria. Imperator adimit

Mores Sacerdotum peruerſi.

Synodus Tremonienſis. 1006.

Henricus Sanctus. adimit cœnobio Fuldano aliquot prædia: vt materia luxuriæ ſublata, ſobriè magis & temperanter viuerent: reliquis etiam, niſi ſuum facerent cum humilitate & abſtinentia officium, pœnam ſimilem minatur. Recenſere decreta non duxi operæ precium, quia ab hoc inſtituto alienum: quædam eorum de miſsis & pompis funebribus enumerat Crancius, nonnullam Ditmarus.

Legati ab Imp in Phryſiam miſsi. Phryſij eodem conuentu accuſantur, quòd litora negotiatoribus facerent infeſta: ideoque è Saxonibus Imperator legatos deligit, & ad Phryſios mittit: qui ex iis iniuriæ cauſas quærerent: eosque rogarent, vt ſi vellent ſalua eſſe iura vetera, ab eiusmodi violentia deſiſterent; Imperatorem enim non neglecturum cauſam Saxonum. Auditis poſtulatis Phryſij ſe excuſant: & in piratas quosdam culpam transferunt; eosque ſe ſummis viribus perſecuturos promittunt: qua ratione audita, manſerunt vetera inter Saxones & Phryſios fœdera: nec ſuam deſiderari fidem Phryſij patiebantur. Nam nauibus piratarum captis, non ſolùm munera ad Saxones de præda miſerunt: ſed etiam aliquos duces latronum eis in ſeruitutem tradiderunt.

Expeditio Henrici contra Polonos. Interea BOLISLAVS Polonus, vel à Bolislao Boêmo exule inductus, vel ſua cupiditate inflammatus in vicinas regiones exercitum graſſantem ducit: & ad fines vſque Saxoniæ progreditur. Annales Polonici teſtantur, eum vſque ad Salam flumen perueniſſe, & in eius ripa palum fixiſſe ferreum, in rei memoriam: de quo in noſtris annalibus planè nihil: ipſum autem ne Albim quidem tranſiiſſe, ſequentia declarabunt. Rex ad arcendum hoſtem iniuſtum, in auxilium vocat Ducem IARIMIRVM, clientem ſuum; qui nihil moratus ſuas copias adducit. Locus, quo conuenire deberent Imperatoris & Ducis exercitus, erat dictus Kirchana & Dobraluca: hic poſtea propter religionem celebris fuit, condito ibi à Comite Bremenſe, Othonis Marchionis Miſnēſis fratre, amplo cœnobio: ſed Polonus de loco factus certior, occaſionem conueniēdi impedit, & ſuum exercitum Kirchanam verſus adducit. Corrupti credebantur pecunia, præfecti Boêmici: quia per ſiluas & paludes agmen ducentes, militem fatigabant; & nullum vſpiam hoſtem conſpiciebant. Superatis tamen viarū difficultatibus, tandem in prouincia Niſſana cum Imperatoris exercitu coniunguntur, & ad Sueuū amnem caſtra ponunt: à quo hoſtis non procul aberat. DIETBERNVS magni nominis vir & generoſus (cuius mentio modò facta

facta eſt) facinus aliquod gerere memorabile, & cum ſelectis ſociis, in caſtra hoſtilia facere impetum decreuit: ſed conatus eius, ſucceſſu optato caruit: nam à ſagittariis Polonicis interceptus, & cum ſociis obrutus, interiit: inter quos Bernardus, Iſinus, & Bruno fuerunt, Arnulfi Præſulis fratres: quos interfectos eſſe doluerunt & Imperator, quia viros fortes amiſerat: & Polonus, quia captos fuiſſe viuentes malebat. Læſi erant à milite Polonico inter Sueuum & Oderam habitantes Slaui: qui ſuæ ſalutis cauſa ad Henricum confugiebant, ne planè perderentur, inter medios hoſtes collocati: nam in quamcunque partem inclinaſſet fortuna melior, futuri erant prædæ victoribus. Eorum animi leues & intractabiles, quamuis eſſent noti; & religio præterea vana atque abſurda, noſtræque in omnibus aduerſaria: tamen in ſocietatem belli neceſsitatis tempore admittuntur. Solebant Slaui ſortes terræ infodere, easque ceſpite viridi tegere: tum equum ex omnibus maximum ſuper duorum miſsilium cuſpides ſolo infixas, ducere: & inde de belli exitu ſumere coniecturas. Tum autem ſibi certum imminere bellum augurabantur, ſi ex vndis phocas, aut (vt Ditmarus) aper marinus, præſtigiis euocatus, exilire, & horribilem dentibus ſe oſtendere videretur. His portentis territi, ſe Germanis credere, quàm aliis, malebant. Erant in æqualium populorum, duces quoq; impares, arma diſsimilia, mores diuerſi. Hoſtem Polonum vaſtitatem locis omnibus inferentẽ, Saxones inſequebantur, ad Poberam vſque fluuium, Caſtorem hunc aliqui nominant: ſed ab eius tranſitu vi prohibebantur. Parabantur nauigia & pontes ad traijciendum: quod dum magno negotio per dies ſeptem ageretur; vadum per exploratorem repertum eſt: ſuntq; ſub crepuſculum turmæ equitum Saxonicorũ ſeptem, furtim transportatæ. Polonus in ripa aduerſa agebat ſecurus: cumq; admonerentur conſpici equites hoſtiũ; ad primum nunciũ cachinnos edidit: ſed aliis atq; aliis nunciis, qui eum hactenus non fefellerant, certior factus, & ſubito terrore perculſus, relictis machinis, commeatu, impedimentis in fugam ſeſe dat præcipitem, neq; conſpectum hoſtis expectat. In flumine transeundo Slaui tardiores fuerunt. Saxones fruſtra Polonorũ celeritatẽ inſecuti, ne in aliquas inſidias inciderent, ſtatim ad caſtra reuertuntur. Interea Slaui ſpoliabant caſtra Polonica deſerta: qui ſi prius ad arma, quàm ad rapinã ſe vertiſſent, multos hoſtiũ adhuc in ipſis caſtris oppreſsiſſent. Henricus Imp. in cœnobiũ Meſentiã diuertens, gratias Deo de victoria incruenta agit: & ibidem diem *Martyrũ* Agaunenſium, qui de legione Thebæa occiſi ſunt, feriatur ſolenniter.

Henricus Sanctus.

Slaui in ſocietatem belli admiſsi.

Poloni fuga.

Metu

Henricus Sanctus.

Metu inde omnes monachi fugerant: ſed ne qua fieret aut ædificiis aut bonis cœnobij iniuria; edicto prohibet, & pœna capitali cauet. Sacris eius diei peractis hoſtem porrò inſequitur: ferroq; & incendiis in ſolo Polonico graſſatur. Milites in cómeatu conuehendo, & legendis ſpoliis paláte incautiùs, multi occiduntur: ideoq; de agmine diſcedere ſunt ꝓhibiti, niſi per centurias aut turmas exirent, vt eſſent inuadentibus pares aut ſuperiores.

Polonus pacem petit ab Henrico Imp.

Aberat miles Saxonicus tantùm duobus à Poſnonia milliaribus: ad eamq; vrbem capiendam, prædæ cauſa cupidè feſtinabat. Ea vrbe ſi potirentur, Polonus ſuorum defectioně metuebat: propterea quòd bellum intuliſſet hominibus quietis, quos propulſare non poſſet amplius. Quocirca ſolicitudine anxius, gratiam Imperatoris per legatos implorat, & veniam facinoris petit: & obſides mittit, vt ſine mora conditiones conſcribi & obſignari poſſent: quas Magdeburgius antiſtes, vrbem vnà cum aliis ingreſſus ferebat, & Imperatori Regis mentem referebat. Nouo inter ipſos fœdere firmato, Saxones domum redeunt.

Imp Henrici ſolicitudo de Slauis conuertendis.

Slaui antequam dimiſsi eſſent, admonebantur, vt veram religionem colerēt; & pietatis ſuæ præmia ingentia primùm à Deo omnipotente, tum ab Imperatore munifico expectarent: qui pro tempore reſpondebant, ſe ad ſuos id reláturos, & futuros Imperatori pro accepto beneficio gratiſsimos. Mersburgum cùm veniſſet Imperator, in quorundam militum, quos ſecum in cathenis ducebat, facta attentiùs inquirit: lataque in reos ſententia, vnum è ſuo ſatellitio Branconem, virum nobilem pœna afficiendum: tum duos Slauorum præfectos Boriſam & Nezemusdam, vnà cum ipſorum complicibus & miniſtris, laqueis ſtrangulandos mandat. Tentabat poſthac vias omnes ad ſocietatem Eccleſiæ Slauos adiungendi: eisque diem dicit Berbenam, ad Albim, nó procul ab Angermunda, ſito oppido: in quo de ſuo erga ipſos animo prolixè loquitur, & de religione ſuſcipienda humaniſsimè agit. Cui reſpondebant, id minimè poſſe perſuaderi multitudini, vt patrium morem abiiceret: quod etiamſi metu facere cogatur, ſtatim tamen ad ingenium ſit reditura. Imperator eorũ pertinacia perſpecta, modò minas addit orationi, modò precibus promiſsisq; ad meliorem ſententiã allicit: tandem ne planè eos abſterreret, aut tumultui nouo cauſam præberet; concedit ad deliberationem tempus, & cum honore legatos dimittit. Quibusdam, ſi multitudini auctores eſſent ſapientes, vt animos feroces deponerent, & rectiora monentes audirent, maximas inter ſuos dignitates pollicetur: alios aliis rationibus inuitat. Eodem conuentu

uentu Bernardo, Bennoni Ducis Luneburgij filio, iniungit: vt quæ Bremenſi & Oldenburgio Præſulibus ademiſſet, ſine cunctatione reſtitueret, nec vlli relinqueret cauſam iuſtè de ſe conquerendi. Id & Imperatoris mandato, & patris auctoritate, quo inuito iſta omnia gerebat, ſe facturũ verbo promiſit, vt præſens periculum effugeret: ſed longè aliud factis oſtendit: adeò vt pater diceret, fore illum eccleſiarum peſtem: quem animum à patris morte impium & nefarium, ſatis probauit. *Henricus Sanctus.*

Hoc tempore arcem Saxoniæ Arnesburgam, ab Henrico Aucupe proauo ſuo conditam, & interea vaſtatam, Rex inſtaurat, atque in meliorem formam reducit. Comitiis deinceps in Saxonia habitis, primùm ſancit, ne quis Chriſtianus permittat ſuos liberos Slauis impiis ſeruire, neue eis ancillam aut ſeruum vendat: deinde ne quis filiam eiſdem in matrimonium collocet: contrà qui faciant, & gladio eccleſiaſtico feriri, & extra patriam mandat infames vitam agere. *Arnesburga inſtaurata.*

BALDVINVS IV. Flandriæ Comes, & ætate iuuenili & opibus elatus, vrbem Valentiam in agro Hannonico capit: contra quem Rex conſcribit exercitum; & vrbem obſidet, auxiliis Roberti Regis Franciæ cognati ſui, & Richardi Normanorum Comitis, vt tradit Sigebertus: nam Lazius, Richardum Flandro militaſſe, cumq; eo victum eſſe, modo ſcribit contrario. Iniquitate autem hiemis & tempeſtatum factum eſt: vt obſidionem ſoluere, & re infecta diſcedere cogeretur: quod cùm Imperatori vincere antehac ſolito, valde acerbum eſſet; nec ſatis tutum credere aut Francis aut Flandris putaret: nouum è Germania magna (ita ſuperiorem plerique vocant) comparat exercitum, eo animo: vt aut totam Flandriam euerteret, aut Balduinum redigeret ad officium. 1007. Æſtate ſequente, cùm copias ſibi locis deſtinatis adeſſe mandauiſſet, mouit paratiſſimus in Flandriam. Ad fluuium vſque Schaldim populabundus proceſſerat: cui tranſitum BALDVINVS negat, & ripam vlteriorem obſidet: ſed requiſitis alio loco nauibus, amnem Flandris incautis ſuperat: qui tranaſſe militem cernentes, fugam capeſſunt, & in loca tuta perfugiunt. Imperator cũ toto exercitu in agrũ Gandauenſem tendit: & cœnobium quoddam extra mœnia occupat: & quia in vrbem multi fugerant, obſidere eam contendit: Flandros nobiles, in agris non paucos intercipit. Adductus in magnum periculum Balduinus, & animaduerſa Imperatoris potentia, & ſuis viribus conſideratis, conditiones offert: & Imperatorem placat: eique reſtituit Valentiam: ſeque in fide manſurum & Imperatoris partes defenſurum *Henrici expeditio in Flandriam.* *Valentia Imperatori reſtituitur.*

 ſurum

Henricus Sanctus. ſurum iurat, & adiungit obſides. Poſt quam pacificationem, maiore honore extollitur, & Comes Valentiæ & Valachiarum ritu ſolenni declaratur.

Mors Giſelæ Imperatoris matris. Obiit eadem æſtate GISELA Lotharingica, mater Imperatoris, anno ſeptimo ſupra milleſimum XII. Cal. Auguſti, ſepulta
1007. honorificè in templo Ratisbonenſe, ad mariti tumulum.

Eccleſiæ Cathedralis Pabebergenſis fundatio. REINOLDO Comite Pabebergio, Henrici filio, absq; hæredibus defuncto, eam ditionem Imperator, coniugi doti dicit: cupiens autem eiusdem voluntate & precibus templum ibi cathedrale erigere; aduerſarios habet HENRICVM Præſulem Vurciburgium, & REGINOLDVM Eichſtadianum: ad quos fundi aliquot eius Comitatus pertinebāt. Cùm à Vurciburgio nihil obtineret ad inſtitutum perficiendum: conuentum indicit Francofurtum, omnibus Præſulibus Ciſalpinis: ad quem frequentes acceſſerunt, excepto Vurciburgio: qui Beringerū Sacerdotem, ſibi à ſacro officio vicarium, ſuo nomine ablegat; qui cauſam abſentiæ ſignificet, & iura eccleſiæ defendat. Imperator eos reuerenter allocutus, animi ſui votum exponit propemodū humilius, quàm pro dignitate ſua excelſa, obſecrat vniuerſos, vt in re ad laudem diuinam pertinente ſint adiumento: ſe nihil vi erepturum cuiquam, ſed compenſaturum honoribus, pręmiis, pecunia; vt liceat hoc conſummare, quod mente conceperit: conſentire ſibi optimam & fideliſsimam coniugem, & Henricum fratrē eius vnicū, nam ad hunc reſpiciebat hæreditas, cùm reliqui duo ſacro fungerentur magiſtratu. Legatus Vurciburgij, nullis pollicitationibus aut precibus motus contradicit: & priuilegia Regis Francorum & Imperatorum legenda exhibet: & obteſtatur ne quid fieri contra ea permittant. Moguntinus audita hominis poſtulatione, rogabat de more ſententiā; cui primo loco Magdeburgius reſpōdet, & id fieri legitimè poſſe teſtatur, ꝓpter acceſsionem honeſtā ad cultus diuinos; quibus Imperator à prima ætate ſemper toto impetu ſtuduerit, & adhuc ſtudeat. Nullo ex aliis contradicente, ſententias obſignat, & ad Regē defert. Is primùm lætitia perfuſus, gratias agi omnibus iubet; & ne quid porro impedimenti incideret, ſtatim Eberhardo Cancellario ſuo curā nouæ eccleſiæ fundandæ committit: & eum Præſulem nominari atq; inaugurari à Mogūtino præcipit: ſumptus ad ædificiū decernit & architectos. Vurciburgius ꝓpter pertinaciā accuſatus, gratia Regis excidiſſet: niſi Erenberti fratris ſui Antiſtitis Colonienſis auctoritate & gratia fuiſſet defenſus. Eſt autem ei, ne de iniuria quereretur, mandato Imperatoris de fundis & agris conceſsis, prope flumen Radiantiam,

diantiam,quod Pegneſum Norici appellant,ex ſententia ſatisfa- *Henricus Sanctus.* ctum. Incepta igitur baſilicæ Pabebergenſis ſtructura hoc anno eſt; & adiuncta ad templi cathedralis latera ſunt, duo operis magnifici cœnobia,alterum Protomartyri,alterum Archangelo dicatum. Dici non poteſt,quàm gauiſus Imperator ſit, id cœptum eſſe,quod iampridem expetiuerat: vtque id ad finem perduceretur,quod maximè finiri atq; ornari deſiderabat.

Anno ſupra milleſimum octauo Imperator Paſchalem ſolennitatem celebrat Ratisbonæ: eò legati à Saxonibus miſsi, de Luticiorum conquerebantur perfidia: legati item Iaromiri Boëmi, de fratris exulis ſeditioſis conatibus, qui eos populos in ſuam ſocietatem pecunia conduxiſſet: bellumq; ambobus populis Saxonum & Boëmorū meditaretur. Itaq; communi Principum conſilio, HERMANVS Rochlicij Comes,ab Imperatore legatus decernitur:qui & fœdera Slauica & Boëmica dirimeret: & Iarimiro, vbi opus eſſet,ſuppetias ferret: & ſocios reliquos defenderet. Veniens primùm ad BOLESLAVM, vt eius animū exploraret, & apparatum cognoſceret: ſententiam publicam ei exponit, & de pace loquens auditur ſine controuerſia. Boëmus vt facilius exequeretur inſtitutū ſuum:planè ſecurum dimittit,adhibito etiam, quod nunquam magnifecerat, iureiurando, nihil ſe contra aliquem moturum;neq; credendum iis,qui calumnias de ſe eiuſmodi in vulgus differret. Hermanus ita ab eo diſcedit,quaſi rem maximam confeciſſet, & multùm rei commodaſſet publicæ. BoëmusLuticiorum opera eueſtigio caſtellum Morezinum,non procul à Magdeburgo depopulatur: & vrbi quoq; ipſi terrorem iniicit. Inde Ceruetium adortus,oppidum antiquiſsimum: ciues partim metu,partim præmiis adducit, vt arma ſecum coniungerent:aliis quoq;,ſi ſe ad patriam recuperandam iuuarent,largiter promittens,vt erat diſsimulator verſipellis. itaq; non minus iam Luticiorum,quàm Saxonū armis,quos aſtutè perſuaſerat,timendus erat. Magdeburgij collecto tumultuanter milite,ad impediēdum hoſtem Iuterbocā eunt: ſed viribus ſuis diffiſi,cum hoſtis eſſet multitudine ſuperior;animos eum inuadendi abiiciunt, & in vrbem redeunt: eos ſequebātur paſsim ex agris atq; oppidis multi,ſuæ vitæ & fortunis timentes. Boëmus nemine obſtante Lubā, Zaram, & Selpolin,pagos tunc non ignobiles populatur: deinde quanta poteſt velocitate,ad Budiſsinam contendit: ea tum milite Guncelini & præſidio Hermani, de quo iam dictum eſt, munitior erat. Ad muros inopinatò veniens Dux exul, deditionem poſtulat: neue crudeliter aut iniuſtè agere exiſtimaretur, dies ad

1008.

Boleslai Bohemi exulis, ſeditioſi conatus.

Budiſſina à Boleslao obſeſſa.

 deli-

Henricus Sanctus.

deliberandum ſeptem concedit. Ciues de ſuo diſcrimine Hermanum Comitem certiorem faciunt, & auxilium flagitant: ſibi inducias dierum ſeptem conceſſas, poſſe etiam totidem alios hoſti reſiſtere, intra quos niſi metu pręſente liberentur, ſe vrbem tradituros: rogant, ne ſe obiiciat hoſti iracundo, & vrbem eius cupiditati oportunam, tali tempore deſerat. Hermanus ſociorum cauſam ad vicinos Principes defert, inprimis ad Vualtardum Præpoſitum Magdeburgium, Antiſtitis abſentis Vicarium. Cùm autem moram nimium Saxones traherent, & Hermani auctoritatem non vererentur, Budiſsini ſeſe dedunt: nam & oppugnabantur quotidie, & præter ſpem à Saxonibus nihil auxilij habebant; & commeatu deſtituebantur: & proditionē, multis ciuibus in hoſtilem partem inclinantibus, pertimeſcebant. Igitur ne cum vrbe vitam ſimul amitterent, ita paciſcuntur: vt liceat ipſis armatis diſcedere: & quæ pro tempore poſſent, de fortunis ſuis ſecum ferre atq; agere. Quod cùm impetraſſent, vrbs in poteſtatem Boleslai venit: ad quem ſtatim ciues aliqui, qui dimiſsi erant, vt vel agellum vel ædiculam reciperent, redierunt, & eius militarunt ſtipendio. Factum hoc eſt menſe Aprili.

Budiſsini ſe dedunt Boleslao.

Turbæ ob præſulatum Treuerenſem.

Erat vita functus LVDOLFVS Antiſtes Treuerenſis: in eius locum ADELBERO, homo adoleſcens eligitur Reginæ frater, non propter reuerentiam eccleſiaſticam, vel adoleſcentis aliquā virtutem inſignem, ſed ad Imperatoris fauorem demerendum: id tamen Imperatori, Principi iuſtiſsimo, non placuit: qui alterū vxoris fratrem, per ambitum electum, ſuo iudicio graui repudiauerat: & in eius locū Meingardum, Vuilligiſio à ſecretis ſubſtituerat; virum non tantùm nobilitate, ſed & doctrina & ætate venerabilē. Diterico repudiato contra Imperatorē fauebant ciues: vndè magni poſtea belli cauſa exorta eſt: nam ius ſuum vterque defendens, quòd alter, vt putabat, libera electione; alter Imperatoria auctoritate conſecutus eſſet; ferro inuicē & incendiis graſſabantur. Imperator indignatione percitus, Adelberonem cenſura eccleſiaſtica puniendum cenſet: & alium Antiſtitē curat Treuerenſibus conſecrandum: huius aduerſarios aut expugnandis caſtellis ipſorum defatigat, aut in præſidiis fame tam diu premit, donec voluntati Imperatoris parerent. Fratri ferebat opē HENRICVS Dux Bauariæ: & quos Imperatoris iracundia interficiendos ſuaſerat, ipſorum vitam conſeruabat.

Erat præterea è viuis ſublatus VVIGMANVS Præſul Merſburgius, ortu nobili è Turingia auſtrali; qui è villis propriis Sidgeshuſia, Vuirbena, Niderlinga, Dalbina, Nunſtadia, Vphuſia reditus

ditus eccleſiæ multùm auxerat; & Belgeram ſaltum (quem pul chrum montem nominat Ditmarus) totum ei dicauerat. In defuncti locum DITMARVS Comes Summeringius, cuius tum Retmeslebæ ſedes erat, è canonico Magdeburgio eligitur, & conſenſu Regis à Brunone Præſule Auguſtano Neuſtadij per manus impoſitionem confirmatur: & Alſteti coronatur, à Thammone Magdeburgio. Huic fœdata facies erat, in maxilla morbo, in naſo ruptura: ſed prudentia & eruditione anteibat: is eſt autem qui libros Annalium reliquit.

Henricus Sanctus.

Ditmarus Præſul Merſbu:gius conſecratur.

Rex Duci Bauariæ, eiusque fratribus propter ambitionem iratus, in patriam iter illis intercludit: & indicto Ratisbonā conuentu, deturbare eum de dignitate modò tradita deliberat. Diuersùm inter ſe Bauari ſentiebant: qui HENRICVM amabant, & ſe Ducem alium electuros negabant: aliqui indulgentes Imperatoris affectui, eum puniendum cenſebant, quòd iniuſtæ cauſæ patronus nimis durus eſſet. Accedebant ad cauſam eius exacerbandam, querelæ Arnulfi Præſulis, & Sacerdotum diui Emmerani, qui ab Arnulfo Imperatore conſtituti ſunt: iique habebant aſſentientem multitudinem, quæ ſemper odit præſentia, & expetit noua. Tractum diſſenſionibus tempus eſt, ita vt negotium in alium conuentum differretur.

Imperator Henricum D. Bauariæ deturbare conatur.

Imperator Magdeburgi ſolennem Pentecoſtes diem celebrat: qua in vrbe dura & acerba contentio fuit inter Dedonem Budſecium, qui nuper Comes Mersburgi factus erat: & inter Beringerum Marchionem Ballenſtadium. Hic enim illum accuſans, quòd Regi tetendiſſet inſidias, ita repulſus eſt, vt vix ipſe periculum effugeret: ſed Rex minimè ad vlciſcendum præceps, rem inquiri mandat; & Burchardum Saxoniæ Palatinum arbitrum conſtituit: quam narrationem libro quinto perſequar prolixius.

Contentio inter Dedonem Merſburgium Comitem, & Beringerum M. Ballenſtadium.

Diſcedens inde Rex, quæ curanda erant Reip. cauſa, aliis locis exequitur, & animos quorundam dubios confirmat, alios à conſiliis prauis deterret: nā in Saxonia inferiore graues erant ſimultates, ſed adhuc latētes & clandeſtinæ: & in populis Slauicis, ad rebellionē natis, nulla poterat expectari fides, aut ſperari conſtātia. Imperator dum locorū illorum duces & præfectos adhortaretur ad æquitatem; neque cenſeret nimiis exactionibus grauandos eſſe eos, qui iugum ſubiiſſent: ex amicis ſibi hoſtes fecit; nam quia ſuſpicioſa omnis eſt improbitas, plura ipſum cognouiſſe exiſtimabant, quàm reſciuerat: neue illius foret pertimeſcenda

ſcenda

Henricus Sanctus.

ſcenda cenſura exactior, ad arma accingebantur, quibus ſuam auaritiam & ſcelera tuerentur: id quod paulò pòſt intellectum eſt. Bauarus hoſtilem ſuum erga Imperatorem animum, multis iniuriis declarabat: cuius furori quaſi ſtimulos addebat Antiſtes Metenſis. Quod cùm Rex animo ægro ferret: eis palam bellum intulit, vt cupidos vi cogeret, quibus clementia imperare nō poſſet: quique ab eo non expectarent beneficia, ſed ea vltro raperent: aliena ætate, non opportuno tempore. Quare cùm eis nō negaret beneficia, ſed ea differret, hoſtes maximos habuit; quibus adimere armis cogebatur, quod ſponte obtuliſſet, ſi fuiſſent officij & modeſtiæ ſtudioſi. Militabant Imperatori Slauicæ cohortes, quas è nobilitate conſcripſerat, ij cœnobium quoddam, agri Metenſis, vaſtant & ſpoliant: quorum factum ipſe improbabat; qui locis parci religioſis ſeuerè præceperat. Itaque illud de ſuis poſtea ſumptibus maiore magnificentia reſtituit: & ne quid tale in poſterum fieret, quo Deus offendi ſacrilegio poſſet; omnibus ſuis militibus pœna propoſita interdicit. Bellum viri prudentes diſſuadebant: quorum ſententiis cognitis, Imperator moueri ſe paſſus eſt: & conuentu indicto, cauſam diſcutiendā relinquit aliorū iudiciis: in eo pertendens, adoleſcentulis impetitis nō eſſe committendas Eccleſias, cùm non ſalutem hominum, ſed opes & dignitates quærerent, neq; exequi grauiſsima munera cum auctoritate poſſent, quibus eſſent deſtinati, propter ſtulticiam. Addebat præterea, in eo violari ſuam conſcientiam, ſi conniueret: labefactari dignitatem, ſi etiam aſſenſu probaret: mox futuros alios, qui exemplo nixi, idem facerent; & bella in Eccleſiis flagitioſa ſuſcitarent. Expoſita Regis ſapientiſsimi oratione, ſani homines improbare eam non poterant: inuidi & ambitioſi carpere apertè non audebant: ſed cùm viderent omni ſpe ſua ſe deiici aduerſarij, multò magis cupiditate incendebantur. Aderant in eo conuentu homines circiter octingenti, exuti fortunis, qui Imperatoris opem implorabant, & ſedem ab eo petebant, in qua vita ſaltem tuta miſeris foret: ea res magnæ inuidiæ Antiſtiti fuit. Dicebant enim conſultum populo Metenſi fuiſſe, ſi iſte aut nunquam Sacerdos fuiſſet; aut etiam homo natus non eſſet. In hoc quoque conuentu cùm negotium non componeretur, induciæ menſium aliquot conceduntur: quibus aduerſarij Regis in loca tutiora ſe reciperent: nam eis impunitas & libertas fuerat promiſſa.

Bellum ab Imp. indicitur Bauaro & Metenſi.

Inſidiæ Verdunenſi Præſuli, & Duci Moſellano ſtructæ.

Diſcedentibus Moguntia, HAIMONI Præſuli Verdunenſi, & DITERICO Duci Moſellano: qui exulum calamitoſorum

miſerti

miſerti erant, & iudicio Imperatoris aſſenſerant: factio Metenſis antiſtitis inſidias collocauerat: eosq; improuiſos adorta, Præſulem interficit, Ducē vulnerat atq; capit; qui datis obſidibus ſe redemit pecunia. Iracundia Imperatoris exarſit vehementius in ſuos: qui nullius ordinis, nullius religionis ratione habita, pariter in omnes crudeles eſſent: ſed diſtractus negotiorum multitudine, quæ vellet, exequi tum temporis non potuit: vicinis tamen Ducibus mandari iubet, vt ab innocentibus iniuſtam immanitatem, quantū poſſent, arcerent. Ipſe Mersburgi cauſam cognoſcebat belli inteſtini, inter duos agnatos GVNCELINVM Marchionem Miſnenſem, & HERMANVM Comitem Rochliciūm, qui Miſniæ vrbis poſſeſsionem iure potiore ſibi vindicabat. Erant vtrinq; leuia facta prælia, & ciues interfecti: inprimis incenſum Rochliciū, nobile oppidum: & arx Guncelini ad Salam cōplanata, in qua magna præda inuenta fuerat. Loco priore ſententiam in patruū dixit Hermanus: eſtq; auditus æquo animo, & eius accuſatio approbata. Guncelinus & virtute & ætate multùm valens, fratris ſui filij lenire quidem accuſationem potuiſſet: ſed multò acerbiùs ab ipſo Imperatore accuſabatur: intentis ei criminibus multis, ad quæ reſponſum neque aptum, neque ſpecioſum inueniebat. Quæ cauſa cùm eſſet aliorum Principum iudiciis diſcuſſa; eiusmodi tandem lata ſententia eſt; vt Hermanus iñ ditionem paternam cum dignitate reſtitueretur, Guncelinus mandaretur cuſtodiæ, nam cùm conuictus eſſet læſæ maieſtatis, vitam retinuit interceſsione & rogatu Principum.

Henricus Sanctus.

Cauſa belli inteſtini inter duos agnatos diſcutitur.

Rex compoſitis denuo rebus Saxonicis, totam æſtatem & hiemem inſequentem in Saxonia manet: ſeque ad bellum Boëmicum, quod auxiliis Slauicis & Polonicis gerebatur, magnis viribus accingit: quod toties tentatum, finire non potuerit, Ducis illius verſutia & mutabilitate; qui vt fabuloſus ille ſerpens, victus ſurgeret, & diminutus augeretur. 1009.

Mortuus erat anno ſupra milleſimum decimo, Imperatoris 1010. decimo (vt Helmoldus ſcribit) BENNO Dux Saxoniæ: cui BERNARDVS filius ſuccedit, iniquo in Regem animo, ſed qui conceptum odium diſsimulauerat. Eius pater atq; auus ab Othonibus ex progenie humili ad ampliſsimam dignitatem euecti, meritorum perpetuò manſerunt memores: & pro Imperatoribus ac patria pugnarunt acerrimè, nec ſpem de ſe conceptam vnquam fefellerunt: ſed hunc futurum Eccleſiarum hoſtem, ac pacis turbatorem, ex eius morum leuitate pater ante mortem, magno animi ſui dolore prædixerat.

Bernardus Dux Saxoniæ degener.

Henricus Sanctus. 1013. *Legati in Boemiam miſſi.* Anno inſequente poſt ferias Paſchales conuentus indicitur Belgrá, Geronis marchionis oppidum: in quo demũ decernitur expeditio in Boemum. Aderat ibidem Iarimirus, exulis frater, amicus Regis, cuius res agebatur maximè. Viſum fuit primùm legatos mittere, ſi redire ad ſanitatem, & cauſam ſuam arbitris relinquere BOLISLAVS vellet, vt poſthac cum fratre concors, & cum Imperatore placidus, ita vti deceret ipſum, viueret; & hoſtium patriæ communium hoſtis eſſet. Legatione fungebantur Bernardus Dux Saxoniæ, & Vualthardus Præpoſitus Magdeburgius: qui ei voluntatem Imperatoris primùm exponunt: tum ab iniuriis dehortantur, plurimarum enim reus erat: poſtremò admonent, vt ſibi conſulat in tempore. Verùm Bolislao vel in fata ſua ruenti, vel legatorum ſocordia, perſuaderi non poteſt, vt Regem audiat, & Germanorum ſe ſubiiciat poteſtati: ita enim ille fœdus cum Imperatore interpretabatur. Ad eundem, alij tum legati veniebant, Hauellorum & Brandeburgiorum nomine: qui ei contrarium ſuadebant, & ad bellum inuitabant; multa iacientes in optimum Imperatorem iniqua & improba. Ii cùm per hanc regionem vagarentur, & explorarent loca; depræhenduntur Ranſtadij, non procul à Lipſia; qui tum ad Geronem locus pertinebat. Interrogati qua de cauſa adeſſent, dubiè reſpondent: ſeparati alter ab alio, etiam loquuntur diuerſa. Ideo ſubiecti quæſtionibus, ſe exploratores eſſe fatentur; & ſubiiſſe legationem contra Imperatorem non negant: aliud verò ex ipſis extorqueri aut cognoſci non potuit. Erant in propinquo Imperatoris milites, ad quos in caſtra miſsi, in colle propinquo erectis furcis cum ſuis famulis, laqueis ſtrangulantur.

Geronis ditio vaſtatur. Ditionem GERONIS iidem milites quaſi hoſtilem vaſtabant, & villas incendebant: quod fieri Imperator paſſus eſt. Gero queri non fuit auſus, fortaſſe quòd hic ſibi conſcius eſſet alicuius delicti: & ideo Imperator conniueret ad iniuriam, quam aliis in locis aut prohibuit, aut factam compenſauit.

Imperatoris morbus. Inciderunt in his motibus in aduerſam valetudinem & Imperator ipſe, & Thammo antiſtes ei intimus: ægrotabant præterea multi milites, quod cùm expeditioné cęptam impedire videretur: conſultũ Imperatori eſt, vt locũ mutaret propter cõtagionẽ; & propiùs ad hoſté accederet: & ſuæ valetudinis cauſa, duces *Bellum Bohemicum.* bello idoneos legeret: ne Bolislaus auctus viribus, & factus aliis formidoloſus, ad defectionem traheret totam Boemiam: & bellum vicinis Germaniæ, quibus nunquam nocere deſierat, ſuſcitaret maximum. Igitur ad eius cœpta impedienda, adduntur

Duci

Duci IARIMIRO, GERO Marchio Luſatius, & HERMANVS Miſnenſis. Imperator ſibi legat Arnulfum & Meinuerum Præſules: qui regionem omnē à Budiſsina depopulabantur, vſq; ad flumen Oderā; vrbem deinceps Glogouiā adoriebātur, in quo copias ſuas Bolislaus collegerat: cuius milites hoſtium aduentū de muris cernentes, Ducis ſui lentitudinē mirantur, ei prius inſolitam: demum per tribunos alloquuntur, cur hoc fieri patiatur: petuntque ab ipſo, niſi aliud conſtitutum in animo habeat, vt ſibi erumpendi & arcendi hoſtē faciat poteſtatem, ne ignaui & timidi habeātur. Ille ſubitò oppreſſus ab hoſtibus, & iam admonitus & quaſi obiurgatus à ſuis, vt maiorē vim haberet oratio, ipſe reſpondere publicè voluit: Hoſtes (inquit) noſtri numero quidē pauci ſunt, ſed eſt flos virorum lectiſsimorum: equidē ſi Imperatorem vinco, nō deerunt illi plures, & meliores quoq; copiæ: ſin aduerſante fortuna victus fuero, hoc tempore alium militem recuperandi ſpem inuenio nullam. Quamobrem vt me ipſum ad fortunam meliorem conſeruem; & vos ſocios fidiſsimos periculo temerè ne ſubiiciam: alia ratione tectiore & nō periculoſa cum hoſte videtur agendum: quæ quidem hactenus rarò me fefellit, & hoc toto exilij tempore plurimùm profuit. Habemus promiſſa ingentia amicorum: Imperatorem oderunt multi apertè: inſidiantur ei, qui in exercitu eius modò ſunt: aliqui tacitè, qui nos facilè non obſidebunt: ſed quomodo locupletati domum redeant, cogitabunt. Mihi proſpecta via eſt, qua rebus noſtris conſulam: quam poſtea intelligetis, cùm eam in medium proferre erit magis idoneum, minus periculoſum. Quamobrem vt alij tempori vos reſeruetis integros, precibus oro iuſtis & neceſſariis. Hoc ſermone repreſsi militum animi ſunt: & intra præſidium ſe ipſe continuit: neue portam quis egrederetur pugnandi auiditate, interdixit. Regij milites prædæ & rapinis intenti, obſidionem tanquam diuturnam & damnoſam intermittunt: oppida, agros, villas ſpoliant: quos neq; aquarum inundatio, quæ propter tempeſtates & imbres continuos, ingens erat: neque metus eruptionis tardabat, vt à propoſito deſiſterent. Præda igitur ingenti comparata, cùm nemo vſpiam reſiſteret: milites IARIMIRI, reditum in patriam feſtinant: idem per Milcienos Imperatorij faciunt: Boleslaum è manibus ſuis elabi, nouam belli relinquentes cauſam, per incuriam patiuntur: quem ſi obſediſſent, debellatum illo tempore fuiſſet, & non minus patuiſſet copia explendæ auariciæ, per totam illam prouinciam, defenſorum inopem atque vacuam.

Henricus Sanctus.

Boleslaus è manibus hoſtium elabitur.

Legati

Henricus Sanctus.

Legati ad Imperatorem præmittuntur, qui ſibi ex animo cecidiſſe negotium nunciarent: quos ille Mersburgi expectabat: eò enim ad curandam valetudinẽ aduectus fuerat. Thammo Antiſtes Strelæ conſtiterat, donec nauigare Albi potuiſſet: tum conſtitutis in ſua diœceſi, quæ voluiſſet; ꝓperè ad Regẽ recurrit: & vnà Poledam proficiſcitur, ad diem Chriſti natalẽ celebrandũ. Eum autem locum Rex elegerat, vt animos quorundã vacillantes, atq; ſuſpectos ad ſuam auctoritatẽ reuocaret: & præfectis, quæ curanda faciendaue eſſent, præſens præſentibus maiore auctoritate iniungeret. Ad oppidum antiquum Lebuſiã veniens, quod Romanum pręſidium fuiſſe exiſtimant, ad Oderam fluuium ſitum, militem recenſet, & ſocios colligit: in eo loco vrbem duodecim portas habentem ſtetiſſe, è ruderibus coniectum fuit. Commotus igitur loci poſitu eximio, ad eam vrbem inſtaurandam, & ſuos hortatur, & vicinos euocat; dimenſusq; agri ſpacium, intra dies quatuordecim ſumma celeritate opus abſoluit. Erectis operibus ad defenſionem aptis, & ductis ingentibus foſsis, ei vrbi imponit præſidium, & areas diuidit: & ſedem ibidem cathedralem conſtituit, quam è bonis Slauorum munerat atq; locupletat.

Circa idem tempus cœnobium Vuallebicium IV. Id. Auguſti conflagrat, cum quatuor ad id pertinentib. eccleſiis. Templũ Pabebergium diuo Archangelo ſacrum, & alterum diuo Benedicto in Munchbergo inde dicto, cùm eſſent abſoluta; Imperator fecit ea conſecrari ab Eberhardo primo præſule, anno Chriſti ſupra milleſimum vndecimo, vt Vrsbergius: duodecimo, vt Schafnaburgius, ipſo die natali ſuo. Dedicationi interfuerunt Antiſtes Aribo Moguntinus, & Peregrinus Colonienſis: ille diui Martini, hic diui Petri apoſtoli aras conſecrauit. Cœnobio abbas datus eſt RABODVS, vir optimus & grauiſsimus. Huic adoleſcentes ingenioſi & nobiles tradebantur, quos literis & pietate inſtitueret, & ritus eccleſiaſticos doceret: qui ſi ꝓgreſſus feciſſent in moribus & eruditione, vocarentur inde ad maiores eccleſias. Tale quoque fuit cœnobium Bergenſe prope Magdeburgum, ad cuius imitationem ſchola Pabebergenſis fuerat inſtituta. Ditmarus ab aliis diſſentiens, teſtatur hanc ædem conſecratam à Ioanne III. Patriarcha Aquileienſe, in præſentia triginta præſulum. Indicta enim pariter ſynodus fuerat: in qua accuſatur à ſuo Antiſtite Gebhardus Ratisbonenſis: & ab Imperatore ipſo exprobratur Diterico Metenſi; quod ſe apud Pontificem falſo crimine detuliſſet: præter viri religioſi officiũ. Thammo quoque admonitus, quæ erant Mersburgio adempta, nonnulla reſtituit.

Conſecratio templorum Pabebergæ. 1011.

Impe-

Imp. Merſburgum rediens ad Pentecoſten peragendã, Thammone ægrotum ſecũ ducit: qui propter morbum ſacra de more facere non potuit, ſed id loci eius præſuli commiſit. Valedicens tũ Imperatori, naui defertur Gibecheſteiniam, inde Rodenburgũ: feſtinans ad ſuam metropolim, inter eundum moritur, præſente Vualthardo Præpoſito, quem ad ſe euocauerat. V. Idus Iunij, anno ſupra milleſimum duodecimo, cùm ſediſſet annos octo, menſes quatuor, dies octo. Obiit eodẽ die, Vngerus cœnobij Poſani paſtor; eius, vt nominari ſolent, ſuffraganeus. Cadauer Fraſam deportatum, inde in vrbem. Ad ſuam diæceſin adiunxerat hæc oppida, Arneburgum, Fraſam, Pretinum, & partem bonorum Eſiconis Comitis Merſburgij, vt & Ditmarus, & annales Antiſtitum teſtantur. Mittitur celeriter Bodo quidam nobilis, qui mortem Antiſtitis in aula Imperatoris nunciaret: mittitur protinus Sacerdos Redingus, qui de electione alterius ſignificaret. 1012.

Thammonis Antiſtitis Magdeburgij morbus & mors.

Imperator ERICVM præſulem ablegat, qui nouæ electioni contradiceret, tanquã illegitimæ: niſi à ſeipſo probaretur, is, quẽ declaraſſent Antiſtitem VVALTARDVS igitur, nobilitate, doctrina, & canicie venerabilis, Gronam ad Imperatorem accedit: collegij de ſe iudicium humiliter indicat: ſtatimq; annulũ à Rege accipit: Redingo nuncio, præpoſitura traditur, quam Vualtardus annos octo & viginti geſſerat. Antiſtes nouus Magdeburgum deducitur, mandato Imperatoris, ab Arnulfo præſule: conſecratur ab Idone Miſnenſe. Facturus iter nouus antiſtes, ad Reginam Merſburgi agentem, in arce Gibecheſteina ægrotare incipit, & ibidẽ moritur pridie Idus Auguſti. Imperator Grona profectus erat in caſtra ad Mediomatrices: nam Metenſis vrbs grauiter obſidebatur: cuius ager cùm longe lateq; exhauſtus omni copia frumẽti eſſet: ciuesq; inopia miſerabili promerẽtur, neq; firmi ſatis ad reſiſtendũ eſſent; de pace cũ Imperatore agere incipiunt. Albero Ducis Moſellani filius, puer adhuc dignitatem præſulis erat conſecutus, fauore clientiũ: Ditericus ei tutor erat conſtitutus, cõſenſu collegij. Verùm cùm hic puerũ vrbe exterminaſſet: & in ſe tranſtuliſſet & beneficiũ & honorẽ alienum: propter ætatem immaturã pueri, & cupiditatẽ ſtultam adoleſcentis: illa diæceſis florentiſsima, populationibus & latrociniis vaſtatur adeò: vt quotidie ad pacẽ faciendã propenſiores, ipſa neceſsitate fierent, cuius & Sigebertus meminit. In caſtris ante Metim Imperator ſit certior, de obitu inſperato noui Antiſtitis Magdeburgij. Aula dignũ iudicat Geronẽ, qui Imperatori à ſacris tum erat: collegam elegerat Ditericũ, Ditmari præſulis Merſburgij, vt ipſe ſcribit, nepotẽ. Hic ne planè contemptus videretur: in Geronis locum aſciſcitur, vt à ſacris Imperatori eſſet.

Electio & mors Antiſtitis Magdeburgij.

Obſeſſa Metis.

BOLIS-

Boleſlaus Bohemus iterum arma induit.

BOLISLAVS qui ſe continuerat, vt diximus; occaſionem rei bene gerendæ nactus, propter Regis abſentiam, & duorum Antiſtitum celerem obitum: militibus ſuis magnos animos, & ſpem felicem iniicit: eoſque ad vrbem nuper conditam, Lebuſiam adducit. Sciebat ille pro ſua aſtûtia Saxones ſuccurrere ciuibus non poſſe, propter fluminum omnium inũdationem; & propter ſuum acceſſum, nulli planè ne cogitatione quidem aut ſuſpicione prouiſum. Erat ſpacium vrbis amplum ſecundum rudera vetuſta, ſed adhuc habitatoribus admodum inane. Itaque vt primùm hoſtis accedebat, portæ ei aperiuntur, quod ſperarent ſe quoque mitius iri habitum, ſi neminem ex aduerſariis telo aut gladio læſiſſent: ſed barbaries irata non mitigatur bonitate aut officio. Itaque graſſatus Boemus ſine pauore atque diſcrimine in omnes, vrbis præfectum grauiter vulnerat, Guncelinum ibi exulantem capit, vel (vt nonnulli ſcribunt) occidit, quingentos homines nobiliores ad oſtentationem victoriæ atque triumphi, in vinculis abducit. Vrbem nouam à fundamentis diruit: ſpoliatamque flammis conſumit XIV. Cal. Sept. anno ſupra milleſimum tertio decimo. Delata ad Reginam, quæ Mersburgi erat, tanta calamitate: copias conſcribi, & ad flumen Mildam conuenire iubet: vt ſi hoſtis Albim tranſiret, eius conatus crudeles impedirentur. Incidit in hunc eundem annum mors ERVINI Camacenſis Præſulis: item CONRADI & HERMANI Ducum puerorum. Imperator bello apud Mediomatrices finito, Magdeburgum venit: & prima de coërcendo Boëmo init conſilia.

Lebuſia diruta.
1013.

Prodigia.

Dum ibi verſatur, partus monſtroſus editur, gemelli nempe dentati, qui loco brachiorum extremorum alas habebant; tertio poſt ortum die rident: & poſtea mutua inter ſe conflictione, vitam ponunt. Viſa eſt futuri alicuius belli ſignificatio oſtendi hoc portento: ad quod acceſsit tale item prodigium. Inuentus miles eſt, quem mures inuaderant, quos ille neque ferro neque fuſtibus arcere potuit: includitur deinceps ciſtæ, & fune in medio conclaui appenditur: ſed nec ea ratione cuſtodiri potuit, quin vſque ad mortem cum cruciatu arroderetur.

Boleſlaus Bohemus excæcatur.

Boëmus interea, qui inſidiis ſemper pugnauerat, inſidiis capitur: & oculis priuatur à Rege Poloniæ, iuriſiurandi ſui immemore: nam cùm ei ad conuiuium inuitato, poſt conditiones & fœdera ſalutem promiſiſſet, nec ferro vim vllam illaturum: admota ad oculos candente lamina, viſum ei adimit: cùm ille nec vitam violatam poſset dicere, nec ferro ſe attactum fuiſſe: eiuſdem conſiliarij inter epulas trucidati, de muris Cracouiæ deiiciuntur.

IARI-

IARIMIRVS eius frater, qui hactenus ſummis beneficiis Imperatoris affectus fuerat, vel neceſsitate coactus domi, vel auxilio deſtitutus foris, ipſe quoq; animum more gentis mutauerat: vtq; fratri ſeſe poſſet coniungere contra Imperatorem; ingentem Bauarorum multitudinem occiderat. Pro eo admiſſo, cùm Imperatoris gratiam ſupplex implorаſſet, nihil impetrauit: ſed datus cuſtodiendus eſt Edelbodo Præſuli, donec iudiciis Principum conſtitueretur, quid agendum de eo foret. *Iarimirus degenerat.*

Caſus BOLISLAI multis acerbus erat, quòd vir fortis & magnanimus, ſpecie religionis & amicitiæ captus, & à ſuo quodam familiare, gente generoſa nato proditus fuerat: qui etiamſi pœna non indignus exiſtimaretur; erat tamen indignus tali contumelia. Accidit ab iisdem proditoribus iniuria inſignis, atque planè noua, Bolislai natu maiori filio IARIMIRO: quem venantem in locum deducunt ſolitarium: & arbori alligatum, ſagittas in eum certatim coniiciunt: iamque multis modis putantes perfoſſum, ſub dio iacentem relinquunt. Dei autem ſingulari clementia, & Angelis ſanctis tela ab eo depellentibus, ſeruatus adoleſcens eſt: & paulò pòſt de omni proditorum factione ſumendum curat gladio ſupplicium: euaſerat tamen ex iis dux atque princeps tanti ſceleris, quem & Polonici & Boëmici annales Cochanum nominant, portentum potius, quàm hominem dicendum: neque ex homine, ſed è robore, ſi mores inſpicias, progenitum. Iarimirus è Regis cuſtodia elapſus, ad ſuos rediit: ſed metu latére cogitur. *Caſus Bolezlai eiusque filij Iarimiri.*

MESICHO Polonus iam ad Boemiam occupandam, acceſſum patere ſibi, iudicans, nouas copias comparat: & omnem ferè Boëmiá ſui iuris facit. Cùm miſerè ſublatus eſſet BOLISLAVS, & Iarimirus metu non auderet progredi: frater illorum VLRICVS ad patriam liberandam à Deo excitatur. Is aliquandiu in aula Imperatoris verſatus honeſtè, ab eo non eſt muneribus venditus Regi Polonorum, vt falsò Imperatorem optimum & innocentiſsimum Olomucenſis accuſat: nam Coſmas Duces ſuos hîc præterit, & nugas alienas recenſet: ſed excitatus (vt dixi) à Deo, & à Boëmis, patriæ oppreſſæ bene volentibus, & ab ipſo Imperatore (vt Ditmarus teſtatur) vocatus Merſburgum: ducatum, quē ſibi iniuſtè exteri vſurpabant, beneuolentia & auctoritate Imperatoris, gratuitò accipit: inde in Boëmiam clàm profectus, caſtellum Dienizum munitum arte & natura, in ſuam poteſtatem redigit. Eius aduentu optatiſsimo populares exciti, ad ipſum ex agris & vrbibus vndequaque accurrunt. Ipſe armatis domi tacite *Vlrici Bohemiæ Ducis magnanimitas.*

Henricus Sanctus. amicis atque ſeruitiis, tantas copias contrahit; quantæ ad pellendos ex vrbe regia Polonos ſatis viderentur. Itaque inopinatò ad Pragæ mœnia accedens, apertis tacitè ſibi portis, claſsicum canit: & quia noctis tempus erat, hoſtes temulentos & ſecuros partim opprimit, partim capit: aliquos pecunia ſe redimentes dimittit: crudelitatis conuictos etiam trucidat: MESICHO opera fidi hominis vix fuga euadit. Potitus vrbe primaria, cætera caſtella faciliùs ſubiugat: quorum præſidiarij magna ex parte fugerant, cùm de caſu ſociorum intellexiſſent.

Vlrici crudelitas. Tali ſucceſſu nimium elatus Vlricus, fratri Iarimiro oculos eruit; vel vt Regem demereretur, è cuius cuſtodia effugerat: vel impellentibus ipſum aduerſariis, ne ille ſibi propter ætatem præferretur: vel quòd in contentione, de diuidendo regno laceſsitus ab eo victor eſſet: ſed qualis tandẽ cunque prætextus fuerit, dum illum ad gubernandum faceret inutilem, facto videlicet oſtendit, quid quæſiuerit. Præcepit eodem furore Boſionem præfectũ ſuum, virum fortiſsimum interfici, eò quòd conſilium moderatius dederat: quem cum fratre conſpiraſſe arguebat. Sæuiit poſtremò in omnes, qui actiones eius non probarent, aut ſuas voluntates diſsimulando non tegerent, aut liberius aliquid loquerentur. Quamobrem is amor, quo populus in eum flagrauerat, ſtatim reſtinguitur; cum ipſum vereri & metuere cogerentur. Nam cùm non parceret coniunctiſsimis, facilè ſuſpicari poterãt, qualis erga plebem eſſet futurus. De hoc Duce, quòd puellam humilem duxerit, & poſtea Iuditham Othonis II. Imperatoris, vt alij ſororem, vt alij filiam rapuerit, Italici, Germanici, Boëmici, ſcriptores tradunt: ſed neſcio quo auctore, in eam erroris opinionem ſint traducti: nam & tempora hanc fabulam refellere poſſunt: & eam refellit vnus ex omnibus locuples ad hanc rem probandam auctor Coſmas Pragenſis: quem Olomucenſis imitatur in eo, quòd non ab Vlrico, ſed à filio eius Bretislao raptam ſcribit: ſed in cæteris in eadem ſalebra hæret. Quæ compertiora de hac re ſint, in Othone II. ſuprà explicauimus.

Interea Imperator in Saxonia tranſigit cum Slauis negotium: & Arnesburgum arcem Vueſtoualiæ renouatam reuiſit: & conuentus ibidem agit. Diem ſanctorum omnium agit Helmenſteti: natalis Chriſti, Poledę: Epiphanias, Alſteti. In hac vrbe eum

1014. *Legati Poloniæ Regis ad Imp.* adeunt legati BOLISLAI Regis Poloniæ, qui primùm veniam petunt eorum, quæ contra ipſum admiſerit: deinde ampla ei munera offerunt, pro reconciliatione & amicitia ſtabilienda: demum orant vt dignitatem & nomen regium tum ipſi BO-

LISLAO,

LISLAO, tum eius filio MESICHONI, confirmet: pollicentur præterea miſſurum Ducem ſuum obſides, & loco certo ad Imperatorem obſeruantiæ cauſa venturum. Legatis reſponſum eſt ex ſententia: qui animum Imperatoris propenſum & facilem Meſichoni, exilientes renunciant. Is igitur poſt ipſos ſtatim iter ingreditur, plenus gaudij: quod vt maturaret, & ad Imperatorem celeriter adiret, adhortantur legati, antequàm illum præueniat calumnia. Imperator Magdeburgum Calendis Februarij venit, vt diem Oblationis Chriſti ibidem ſolennem ageret. Antiſtes Hamburgius è viuis exceſſerat; qui Lieuizo in antiquis Annalibus, Libentius à Crancio dicitur. Is ſucceſſorem ſibi deſignauerat Othonem quendam virum non malum, neq; ineptum: ſed Imperator, ne præiudicium valeret; illo repudiato, VNVANVM declarauit, Paderbornenſem canonicum diuitiis & cognationibus præpotentem; cuius facti eum, paulò pòſt vehementer pœnituit. MESICHO Polonus Magdeburgum inſigni comitatu veniens, Imperatorem humilis alloquitur: quæque à legatis dicta ac promiſſa fuerant, ſua auctoritate ſtabilit: & de ſuo, patrisque in ipſum animo prolixè loquitur: oblatisque nouis donis & muneribus, ſe obſeruantem imperij & amicum Germanorum declarat, ſimulque obſides relinquit. *Henricus Sanctus.*

Erant ſuſpecti Marchiones BERINGERVS Ballenſtadius, & ECHARDVS Miſnenſis; quòd cum Bolislao Rege clandeſtina agitauiſſent conſilia, literasque ac legatos frequentes adhuc mitterent; & Imperatoris honori, propter priuata quædam negotia, & cupiditatem hoſtes vlciſcendi, verbis detraherent. Id iniquè ferens Imperator, eis diem & locum ad ſententiam dicendã conſtituit: qui cùm venire detrectaſſent, ſuſpicionem contumaciã auxerunt: & ideo proſcripti ambo ſunt: eorum ditiones aliis commiſſæ. Beringeri enim accepit BIO Stadenſis; Echardi, HERMANVS eius frater, donec ſe purgarent, & Regi ſatisfacerent. Cùm vocati Magdeburgum eſſent, ille pecunia mulctatus, in gratiam redijt: hic precibus amicorum ditionem paternam gratis recepit. *Proſcriptio Marchionum Ballenſtadij & Miſnenſis.*

Imperator Vuerlæ dum ageret, in grauem incidit valetudinẽ, dolore lateris acuto: qui vt primùm remiſsior factus eſt, vocatu præſulis Meinuardi, quẽ colebat præ aliis, Paderbornam adit, ad feſtum Paſchatis ibi peragendum. Menſe Maio ingens tempeſtas poſt Solis occaſum oritur. Nam ædes ſacræ locis variis de cœlo tanguntur, & in primis Othonis I. Imperatoris ſacellum, quod è ligno rubente factum, ante arcem ſtatuerat, totum conflagrauit. *Imp. morbus.* *Tempeſtas.*

Henricus Sanctus.

Bolislao Polono traduntur inſignia equeſtria.

Diem Pentecoſtes Imperator ſolennem agit Mersburgi: ibidem BOLISLAVS Polonus, ipſo die ſacro inſignia equeſtria accipit: & auratus templum adiens, Imperatori iurat, & ſacris intereſt. Amicitiâ ſanctius confirmatâ, obſides Bolislao obſeruantiæ cauſa redditi: & donis ipſe eſt ampliſsimis cumulatus. Fuit ea Imperatoris humanitas & beneuolentia magno ipſi honori, & Polonis gaudio atq; læticię. Decretum eſt etiam vt conſcriberentur equites; qui illum in regnum comitarentur, & eius ſtipendiis mererent, contra quemcunque hoſtem eos ducturus eſſet. Bellũ Ruthenicum ab eo auſpicatò & feliciter inchoatum erat: quod etiam perfeciſſet: niſi ſuorum obſtitiſſet importuna diſſenſio, qui equiti Saxonico inuidebant gloriam, naturali inter has olim gentes odio, antequam ad maiorem cultum ſunt aſſuefactæ. Saxones miris calumniis grauatos, cùm extra culpam eſſe Rex probè ſciret; ſuis iratus, quos auctores ſeditionis eſſe audiuerat, eos interfici iubet, ne centurionibus quidem parcens nobiliſsimis: vehementer enim angebatur, ſuos conatus fuiſſe impeditos: quia intelligebat quantis ſumptibus conſtaret noua victoria: nam Ruthenos nondum in vnum coactos, celeritate magis quàm viribus ſuperauerat; & opera exterorum ſtrenua & fideli vſus erat, Saxones indignè habiti, & mala ſibi gratia relata, è Polonia diſcedũt: neue iniuriam inferrent alicui, à Rege placantur: quem non libera vti poteſtate, ipſi videbant.

Bellum Ruthenicum.

Monachorum Fuldanorum petulantia.

Erant coram Imperatore ſæpius accuſati de petulantia monachi Fuldani: admoniti quoque, vt ſecundum placita profeſsionis ſuæ, ſe emendarent, aut Imperatoriam cenſuram expectarent: ſed vt ſolet ſecura eſſe improbitas, non priùs Imperatoris audierunt monita, quàm ſenſerunt edicta. Itaque BRANDO abbas (Ditmarus nominat Bronhagum) ab officio remouetur: quem factum poſtea præſulem Halberſtadium Annales tradunt. Eius in locum è Lorishemio ſenex quidam Poppo mittitur: qui mores ſublata luxuria correxit, & reditus ab Imperatore relictos, collocare melius iuſſus fuit.

Antiſtitis Hamburgij peruerſitas.

Nec erat minor de VNVANO Hamburgio Antiſtite querela. Nam cùm antea in collegiis, vetere inſtituto ſimul habitarent Sacerdotes & Monachi; ipſe migrare è collegiis in cœnobia Monachos iuſsit; Sacerdotes tantùm viuere in collegiis voluit: erant enim inter ſe diuerſi, vt alij liberi, alij (vtor ſolitis nominibus) reformati & regulares dicerentur: illi laxiores habenas ſumebant, ferè è generoſis aut nobilibus nati familiis: hi viuere ſeueriùs, & illorum munia obire cogebantur: Rari etiam è vulgo

ampliùs creabantur Sacerdotes; ſed magna parte è nobilitate eligebātur, quæ ſui eſſe iam putabat iuris, occupare honores, & poſſidere bona eccleſiaſtica: quæ illis inuidebat nemo, vulgus etiam augebat: ſed licentia & luxus de æſtimatione illorum multùm detrahebat. Eum literis Imperator caſtigauit; & niſi ipſe reſipiſceret, Othoni adhuc locum eſſe ſcripſit: & niſi Sacerdotes in officio retineret, toti collegio minatur. *Henricus Sanctus.*

Anno à Chriſto nato ſupra milleſimum tertio decimo vrbs Luneburgum terræmotu quaſſata eſt; & in vicinia multis in locis labes terrarum facta. 1013.

Imperator quod diu fuerat meditatus, inuitantibus illum Pontificibus IOHANNE & SERGIO, qui ex eo nomen quærerent, & commoda ingentia exſpectarent, de itinere Italico denuò deliberat; vt more maiorum coronam auream acciperet, ſimulque ab exterorum armis Campaniam & Apuliam liberaret. Igitur Duces & Præſules, quos ad iter elegerat, opportuno quemque loco adeſſe ſibi præcepit: ipſe iter ingreditur vndecimo Cal. Octob. qui Apoſtolo Matthæo eſt ſacer. In equitatu mittendo, ita vti conuenerat, Poloni magnifica promiſſa fefellerunt: nam non modò Rex miſit neminem: ſed etiam literas præmiſit Romam, quibus Imperatorem accuſauit, quòd per eius inſidias ſibi factas ſtaret, quò minus votum Principi Apoſtolorum quod fecerat, hactenus perſoluiſſet: eludens ſua vanitate & Imperatorem & Pontificem. Nam legationis eius cauſa non erat religio: ſed vt exploraret Imperatoris fortunam: quæ ſi fuiſſet aduerſata eius honori aut felicitati, vt pro tempore inuadendi Germaniam ſumeret conſilium. Eum autem Imperatore abſente irruptionem in Germaniam feciſſe, Cromerus ſcribit, nimis impudenter: ait enim torrentis in modum ita obuia quæque ſtrauiſſe & euertiſſe: vt Magdeburgum, Miſnam, Hildeshemiam, Mechelburgum, oppida inſignia, quaſi incendio conſumpſerit. Verùm eas vrbes longiſſimè inter ſe diſſitas, in optatiſſima tum fuiſſe tranquillitate; ex omnibus vrbium iſtarum monumentis notiſſimum eſt: & ita ſimile vero eas expugnatas vna expeditione; ac ſi dicerem, Hermanum tum Miſniæ Marchionem, primùm veniſſe Petrocouiam, inde Vratislauiam, tum Poſnam, poſtremò etiam Leopolim intrauiſſe; potitumq; vno impetu locis iſtis omnibus: quos neque adiri poſſe celeriter hoc ambitu, neq; expugnari ſine vniuerſi regni clade potuiſſe, ipſe Cromerus fateatur neceſſe eſt. In itinere ſuo Romam vſque nullum impedimentum Imperator habuit: ſed in vrbem ſaluus atq; incolumis cum comitatu ſplen-

Henrici Imp. iter Italicum. 1012.

Poloni perfidia.

Henricus Sanctus. didiſsimo peruenit, menſe ipſo Februario. Gerebat tum Pontificatum BENEDICTVS VIII. patria Tuſculanus, ex Hugonis Italiæ Regis genitus proſapia; Gregorij Comitis, Benedicti VII. fratris, filius. Contra ipſum electus fuerat quidam GREGORIVS: qui ea de cauſa ad Imperatorē Poledā venerat, & aduerſarios accuſauerat, ſecumq; ferens crucem & infulam, tradiderat Imperatori cuſtodiēda, eius nimirū expectaturus ſententiam. Imperator ipſum abſtinere à ſacris & aliis munerib. præcepit, donec cauſam cognouiſſet: ſed ſpe Gregorius ampla excidit, & in ordinem redigitur. Benedictus Regē quanto poteſt honore accipit, & Reginā quoq;: quibus diem conſtituit VI. Cal. Martij, quo ipſis nomen Auguſtorū, cum ſolitis votis & gratulationibus tribueret: is tum Paſchatis dies erat, anni ſupra milleſimū decimiquarti. Solet autem pompa vngendi coronandiq; Imperatoris ſemper eſſe celeberrima; ſed illo die frequentiſsima & magnificentiſsima fuit, veneratione Regis & eius coniugis: de quorum pudicitia & caſtitate in matrimonio; de ſanctitate in vita & moribus, rumor non ſolùm Italiam, ſed omnes penè terrarum angulos impleuerat: tales videre atq; audire geſtiebant: eis honorem exhibere optabant: & quòd virtus externa admirabilis, & abſtinentia in Germanis rara videretur, præſertim inter coniuges, in ſumma libertate, & in tanto faſtigio, maximi in terris imperij.

1013. *Schiſma inter Pontifices.*

1014.

Coronatio Henrici Imp. Dies præſtituta cùm illuceſceret; Rex & Regina comitatu illuſtri limen Apoſtolicum adeunt: cingentibus latera duodecim ſenatoribus, qui more veteri & vſitato partim barbas alebāt, partim capillos totonderant: ſequebatur ingens nobilitatis agmen, & populi multitudo. Ad templi portam ventum cùm eſſet, in ianua procedit illis obuiam Pontifex, & Imperatorem antequam introiret, interrogat: Num patronus & defenſor, vel (vt tum loquebantur) aduocatus Apoſtolorum adueniat, eorumq; vicariis & ſucceſſoribus ſit honorem delaturus? cui Henricus cùm reſpōdiſſet, Iura eccleſiæ atq; Pontificum ſe defenſurum: in ædem ſacrā introductus, ante aram ſiſtitur. Traditis ei inſignibus, vnctio regalis adhibetur: poſt eam, ſceptrum, coronam, trabeam, & enſem accipit: tum verbis & precibus conſuetis conſecratur: & lætis fauſtiſq; acclamationibus, primùm à proceribus, tum ab vniuerſa multitudine Auguſtus ſalutatur. Deducitur inde ex Apoſtoli baſilica ad ædem Lateranam, iuxta quam tum ſedes Pontificia erat. Ibidem cum Pontifice cœnat, & non inde procul pernoctat. Tractantur per aliquot dies inter ipſos negotia & ad eccleſiam & ad im-

ad imperium ſpectantia: iuraque vetera inter Imperatores & Pontifices ſancita, renouantur. Imperator querelas ad ſe delatas quaſdam mitigat aut dirimit, quaſdam Pontifici diſcutiendas relinquit: tum præfecturas & dignitates per Italiam diſponit: ſed quibus hominibus honores dederit, nec noſtrorum nec Italorum, quæ extant monumenta, ſatis declarant. Edelbertus Rauennæ Antiſtes, fratrem Imperatoris ARNVLFVM (vt ſcribit Ditmarus) ſede ſua expulerat: is cedere rurſus ea ſede, quam occupauerat, iubetur; redditumque Arnulfo pedum, & ius eccleſiæ Rauennatis: Edelbertus miſſus Ariciam eſt: nam ne in eum ferretur excōmunicationis ſententia, preces amicorum effecere. Redacti tum in ordinē ſunt vrgente Imperatore nonnulli ſacerdotes, qui ante tempus ætatis legitimum, ſacris ordinibus erant initiati: & Leo antiſtes, qui eis contra canones indulſerat, cenſura ſynodi, loco & munere ſuo priuatur. Vinculis quoque mandati ſunt, Imperatore iubente, tres nobiles Germani, qui in ponte Tiberino tumultuati fuerant: quem tumultum niſi nox interrupiſſet, perueniri ad prælium potuiſſet: cùm nec Germani Italis, nec hi illis cedere vellent; cumque auctoribus magnis vtrinq; ſe tuerentur. Vnus eorum è carcere Romæ euadit; reliqui duo in Germaniam vincti reducuntur, alter in Fuldanam, alter in Gibecheſteiniam miſſus cuſtodiam.

Henricus Sanctus.

Tumultus in ponte Tiberino.

Rebus in vrbe compoſitis, & animis inter ſe coniunctis, expeditio decernitur in Campaniā: quam Imperator volens ſuſcipit: ſequitur caſtra Imperatoris ipſe Pontifex. Coniux Imperatoris in cœnobio manet Romæ, cōmendata Vualthero Spirenſi, & Rothardo Conſtantienſi Præſulibus. Italiam tum vlteriorem, trans flumen Lyrim modò Saraceni, modò Græci ſibi vendicabant: Saracenis pugnantibus pro ſuo imperio; Græcis (vt ipſi dicebant) pro religione. Docuerant ante paucos annos Veneti & Normani, poſſe vinci Saracenos, ſi qui eſſent; qui eis cautè & fortiter reſiſterent. Tenebant autem eo tempore Capuam, Salernum, Beneuentum, profligatis vrbium illarum nobiliſsimis comitibus: Apuliam claſſe circumibat Bubaganus, fratrum Conſtantinopolitanorum legatus. Imperatoris & Pontificis cùm aduentus nunciaretur: rumorem tantùm eſſe putauerunt, donec ſonare arma circum ſe audirent. Magna igitur in vrbibus, in præſidiis trepidatio: cumq; ſalutis communis causâ iungere auxilia potuiſſent, id factum non eſt; quia fidere natio perfida, leui non audebat, & vtraque inſidiabatur alteri.

Expeditio in Campaniam.

Henricus Sanctus.

Fugientibus Capua Saracenis, Imperator vrbi imponit præſidium: & rectà contra Græcorum Ducẽ contendit: qui vrbem Troiam (olim Hannibalis caſtra) à fundamentis ædificauerant & munierant, in eamque Græcorum coloniam deduxerant, & locum viribus iam defendebant. Ea poſt menſis quarti obſidionẽ, capitur deditione, poſtea incenditur & deſtruitur.

Troia deſtructa.

His rebus ex ſententia confectis, RICHARDI Normani potentiam Imperator confirmat, qui Gulielmi filius, Tancredi nepos fuit. Iisdem temporibus acciderunt mirandæ & fatales mutationes. TANCREDI familia dignitatibus creſcere maximis incipit, propter merita & fortitudinem: HENGISTI Saxonica ex Anglia expellitur à Suenone rege Danorum. Vrbs Hieroſolyma eripitur Chriſtianis. Liberata Italia à Gregorio Pontifice, à Saracenis item atque Græcis, & legibus antiquis conſtitutis.

Henrici Imp. reditus in Germaniam.

Imperatorem domum reuerſum per Galliam, & collocutum cum Roberto Hugonis Pariſienſis filio, pleriq; ſcribunt: ſed aliter Ditmarus, qui eum per Italiam iter feciſſe teſtatur. Nonnulli tradunt templum extra muros Florentinos in monte Feſularum ab eo conditum; quod familia Medicea ſeculo ſuperiore renouauit. Feſulas autem vrbem Lucumonum antiquiſsimam, nunc deſertam videmus: è cuius ruinis ad Arnum & Munionem fluuios, Florentia diuitiis creuit & dignitate. Ab eodem cœnobium Bobienſe montis Apennini in formam atq; ſpeciem amplíorem eſt redactum, quod initio Theolinda Langobardica condiderat. In Inſubribus titulo adhuc regio HARDVIGVS ſuperbiebat: & tenebat caſtella quædam munita: vndè in præfectos Imperatoris & vrbes imperio fauentes aut ſubiectas, ſæpe excurſiones faciebat: ſed tum, propter Imperatoris aduentũ cauſæ ſuæ diffidens, legatos de pace mittit; & conditiones ſanè tolerabiles proponit, nimirum ſi caſtella & poſſeſsiones aliquot ſibi relinquantur, & vita in tuto ſit: ſe allaturum ſua inſignia, & poſiturum ad pedes Imperatoris, & deinceps victurum ſub poteſtate tranquillè. Hoc cùm ad familiares ſuos detuliſſet Imperator: ei diſſuadent, ne homini fallaci credat, tantumque honoris aut beneficij perduelli tribuat: id enim præter dignitatem videri: ita nunc fractam eius eſſe potentiam: itaque abalienatos ab eo Italorum animos, vt nihil mouere poſsit contra Imperium: & hominem contemptum atque deſperatum mox iturum aut ſponte in exilium, aut ſua ſociorumue manu periturum. Speciosa ſententia viſa omnibus eſt: ſed euentus docuit, nullum hoſtẽ quantumuis

Harduigi perduellio.

tumuis paruum eſſe ſpernendum. Nam vt Imperator ex illa prouincia deceſsiſſet; Harduigus noua ſibi comparat auxilia: accuſat Germanorum tyrannidem, quibus indignè nobilitas Italica pareat: accuſat ſimiliter Imperatorē, tanquam hominem imperitū & inhumanum, qui amicitias magnorum virorum contemnat: ſuam voluntatē in patriam, & labores exhauſtos pro communi ſalute exaggerat: & ſe adhuc paratum vitā ponere pro libertate. Cùm illum iam amplius nemo timeret, & ipſe auderet omnia; Vercellas oppidum in Liguria, ſubita irruptione capit: & Leonem inde fugat præſulem: & ſibi in eo loco præſidium contra hoſtes conſtituit: & hominum animos in nouam expectationē adducit. Taurini & alij vicini populi, ne Alpium incolis collectis, ſibi quoq; cladem inferret, militem conſcribunt: cum quibus ille pactus conditionibus, Vercellas ad obitū vſq; ſuum poſsidet. Cùm autē poſt trienniū in morbo lethali corriperetur; conſcientia violentiæ & libidinis, quā exercuerat, excitus, raſo capillo & barba, ſacro ordini ſe addicit, & veſtem ſumit religioſam. Obiit paulò poſt, anno Chriſti ſupra milleſimum ſexto decimo, XIII. Cal. Ianuarij.

Henricus Sanctus.

Harduigi morbus & mors.

Imperator Argentoratum veniens, cùm templorum labem incendiis factam videret, quam fulmina fecerant, æſtate præcedente, præter modum crebra atque horrenda: ipſe diui Thomæ baſilicam inſtaurat: coniunx eius diui Petri cognomento Iunioris, à fundamentis excitat; Vuernerus quoq; præſul baſilicam diuæ Virginis è lignea facit lapideam: quæ templa deinceps, ſubita & magna ceperunt incrementa.

Argentorati templa instaurata.

Obierat anno quintodecimo, IV. Cal. Maij, CAROLVS Comes, Ridachi Marchionis filius in exilio: qui nullo ſuo ſcelere, poſſeſsiones patrias, calumnijs inuidorum amiſerat: item MATHILDIS Comes Alslebia, Siffridi vxor, Sacerdos maxima Gerenrodia, poſt illud tempus Heduigis dicta: nam religioſis nomina mutare conſuetudo fuit, & quaſi nouo quodam ritu ſacrati eſſent, alia ſibi aſſumere. Huius maritus vir præſtans, ætate iuuenili cùm interiiſſet, ipſa velamen ſumit, ætatis anno quinto & vigeſimo: geſsitque idem cum auctoritate annos quinque & quinquaginta. 1015.

Eodem anno BERINGER Comes Ballenſtadius, rapuit REINHILDIM Beichlingiam: quam maritus moriens Imperatori comendauerat; & cui absque conſenſu eius nubere, fas non erat. Vna ex pediſequis in ipſo tumultu, cùm ſe ſimul abduci rogaret: Alcuinus quidā adoleſcens, forma eius captus, obſequitur.

Beringer Ballenstadius rapit Beichlingiam.

Fama

Henricus Sanctus. Fama clamoribus citò vulgata eſt: & ſatellites qui arcem ſeruabant, ad inſequendos raptores, confeſtim aduolant: & ex iis, Vilhardum grauiter vulnerant; & Alcuinum adhuc in arce morantem, vt pediſſequam equo imponeret, occidunt: alter qui ad eum adiuuandum accurrerat, primùm ſauciatur, deinde haſta transfixus parieti affigitur. Beringer cum ad ſuos liberandos recurreret: tradita miniſtris fidelibus Reinhildi, vt eam in locum deſtinatum deducerent, etiam circumuallatur; ſeſeque incluſum in arce videns, equum dimittit: & de muro deſilit, lapidisq; ruina vehementer læditur. Socij eum celeriter deportantes, in caſam ruſticam confugiunt, noctis expectantes beneficium; quo poſſent euadere, & dominum liberare. Reinhildis in locum tutum adducta, vehementer gemebat atque angebatur: cùm à raptore abſente nullum ſolatium haberet, & iram Imperatoris impensè metueret. Ruſticus, in cuius domo latebat, clàm egrediens, Mersburgum adit; & raptorem hoſpitem prodit: & de iniuria fœminæ nobili illata, in aula nunciat. Mittitur iuſſu Imperatoris Comes Vinarienſis Vilhelmus, & alij Comites duo Bernardus & Guncelinus; qui raptorem ad ſe deducerent: quem, vt alij facinus ſimile fugerent, & exemplo deterrerentur, aut pœna publica afficiendum, aut ingenti ære mulctandum exiſtimauit. Erat circa idem tempus, BRVNO quidam in domo patria interfectus, à Mila quodam nobili: quamobrem & Beringeri raptu, & Milæ audacia, incenſus iracundiâ Imperator iurauit, ſe more maiorum vindicaturum flagicia. Vilhelmus ad Beringerum veniens, mandatum exponit: qui ſe in eius poteſtate, ſui olim amici atque neceſſarij fore, promittit: cæteris dicens eius ſociis, dum gladium manu tenere poſſet, ſe non facturum, vt illis ſeſe dederet: alligatis à Vilhelmo ipſo vulneribus, Elerſtedam deducitur; & in domo bene firma appoſitis cuſtodibus, propter dolorem vulnerũ deponitur; nam putabant viuum ad Imperatorẽ deduci vix poſſe. Interea ab eius amicis atque familiaribus, cauſa ſic eſt transacta, vt ſi inuitam rapuiſſet, capite plecteretur: ſin volenti, vt ſequeretur, perſuaſiſſet, eam vxorem duceret: ſed antequàm id ei eſt ab Henrico Comite Summeringio renunciatum, *Beringeri mors.* ipſe fatis conceſsit. Erant qui ſuaderent, in mortui corpus eſſe ſæuiendum: qua de cauſa Imperator viros aliquot generoſos, qui factum excuterent, Alſtetam vocauerat. Bernardus Comes magna cõtentione agebat, vt corpus defuncti plecteretur, & honore ſepulchri careret: cui Vuigmanus Comes, tanquã crudeli contra-

contradixit, & obtinuit. Facta coniectura eſt, Beichlingiam ſui honoris gratia dixiſſe, quòd rapta fuerit inuita: eius tamen minus valuiſſe orationem, quòd mortuus is eſſet, cui reſpondendi fuiſſet poteſtas. Corpus mortui depoſitum Memlebij; & inde à Reinoldo abbate deductum ad cœnobium Vuallebecam, diœceſis Halberſtadiæ, & ad latus prioris eius vxoris depoſitum. Socrus eius SVANHILDIS, die poſt eius obitum decimoquarto, dolore & luctu etiam extinguitur, VI: Cal. Decemb. *Henricus Sanctus.*

Hiemis tempus tranſigit Imperator Poledæ: & anno ſequente feſtum Paſchatis celebrat Mersburgi: eò ad communem ſolennitatem Vlricus Dux Boemiæ accedit. Hermanus Miſniæ Marchio iram Imperatoris incurrit, qui præſens ibi non affuit: per id autem tempus fuit cum BOLISLAO Boëmo, ſocero ſuo, Imperatoris hoſte. Polonus Rex, qui contra Imperatorē ſe egiſſe nouerat, MESICONEM filium ad eum ablegat: qui Mersburgum veniens ad Imperatorem, acceſſum non difficulter impetrauit. Is quamuis amicitiam ſimulabat, & multa polliceretur: tamen clàm perſuadere Boemo conabatur, vt bellum viribus communibus Imperatori faceret. quem VLRICVS ſuſpectum habens, quòd etiam ſibi inſidiaretur; in agrum colloquij ſpecie deducit, ſocios eius interficit, ipſumq; vinctum in Boemiam trahens, in carcerem compingit. Factum Imperatori non placuit: qui Meſiconi honorem habuerat, & quaſi vnus ex aulæ ſuæ familiaribus eſſet, tractarat liberaliſsimè. Itaq; deteſtatus facinus, in hoſtem commiſſum, virum fortitudine præſtantem DITERICVM, defuncti Beringeri fratrem, ad Boemum mittit: qui eum violentiæ cauſa obiurget, eique cædem contra ius gentium perpetratā exprobret: admoneatq; ne captum iniuria aliqua indigniore afficiat; ſed ipſum in ſuam poteſtatē quam primū tradat. Id Boemus ratus nō eſſe faciendū, Imperatori in hanc ſcribit ſententiā. Nihil vnquā optatius mihi fuit, Imperator, amicitia tua; quam etiā violare nefas exiſtimo, & in poſterum ea obſeruantia colam, vt fructū non minorem inde percipiant, qui tuo ſub imperio viuunt, quàm ciues mei, aut clientes cæteri. E manu Meſiconis, tanquam leonis catuli in me immiſsi, quòd ſum liberatus; id Deo omnipotenti acceptū fero: inſidiarum autem Polonicarum, non dubia teneo indicia. quem ſi liberum dimitto, hoſtes habeo pro vno binos, patrem videlicet & filium: neuter enim vnquam fidem ſeruauit: ſin in cuſtodia detineo filium, patri ſimul animum eripiam, & ſpem vltionis: eamque inde conſequar vtilitatem, quam potes pro tua maxima prudentia intelligere.

1014. 1015.

Meſico Polonus ab Vlrico Duce Bohemiæ capitur.

Literæ Bohemi ad Imp.

Experta

Henricus Sanctus.

Experta eſt patria mea ſenis crudelitatem & perfidiam; ego ipſe animum filij ſimulatum atque peruerſum. Tibi autem, Imperator, tuum non adimo iudicium: quod enim fieri cenſueris bonũ atque commodum, id exequar, cum incommodo etiam meo. Deus faciat, ne tu quoque experiaris, quod ego ſuſpicor atque diuino. Lectâ epiſtolâ, Imperator Ditericum ire rurſus iubet; qui Duci nunciet, vt omni ſolicitudine depoſita, Meſiconem ad ſe transmittat: ſe curaturum, vt pax eiuſmodi ineatur, quæ ſit futura iuſta atque vtilis omnibus. BOLISLAO deinceps Polono ſignificat, quo in loco filius eius ſit, & quo animo Dux eum dimiſerit: ipſum tamen ad patrem remittere, adhuc differt, donec aliorum etiam Principum voluntates audiret. Polonus ira ingenti percitus: & hactenus inter ſpem metumque dubius, gratias Imperatori agit, qui filium captum liberauerit, & ad ſe receperit: eidemque miſsis muneribus ſupplicat, vt remittere ad ſe ne moretur, ſtudiique propenſi & animi grati venerationem & memoriam promittit; eaque ſe factis declaraturum confirmat. Imperator negat eum dimitti poſſe abſque Principum conſenſu: ideo diem patri dicit, quo Mersburgum veniat; vt audiat præſens Principum ſententiam, de qua deinceps ſe facturum ait, quæ eſſent ex vtriuſque re & dignitate futura. Nuncio hoc accepto, Polonus magis ira inflammatur: cumq; ſuis deliberans, duas filij liberandi vias inuenit; alteram rege forti & magnanimo dignam; alteram aſtutam & minùs periculoſam: nam miſſo ad filium graui auri pondere, Principibus & Præſulibus nonnullis corruptis, ſuam cauſam & filij ſalutem committit. ipſe enim Mersburgum accedere, ſibi non honeſtum, aut ſatis tutum iudicauit. Ad diem præſcriptum cùm Principes conueniſſent: Imperator de capto reddendoque adoleſcente rogat ſententias. Prima ſententiæ dictio erat Geronis Magdeburgij: Cùm, inquit, occaſio eſſet amicitiam Regis retinendi: idque cum honore veſtro potuiſſet fieri, vt captum ei filium reſtitueretis, minore dolore & offenſione patris: tum mea vobis diſplicuit oratio: hoc autem tempore cùm Rex alienatus non immeritò ſit; & quòd filium eius vinciri abducique paſsi eſtis, & quòd eum ſupplicanti non remiſiſtis: vereor equidem, ſi abſque obſidibus & fide publica illum reſtituatis, num ſit manſurus in officio, vel pater contéptus & irritatus; vel filius læſus iniuria, & dehoneſtatus carcere. Videre autem videor, Regé æquè in vobis atque in Boëmo, facti non laudabilis auctore, iniuriam vindicaturum. Quamobrem iſtis reſtituite adoleſcentem conditionibus, quibus maximè putatis poſſe coërceri & placari

Henricus Imp. Meſiconem ad patrem remittere differt.

Regem

Regem ferocem: ne vis nobis omnibus inferatur, & ſubitum in Germania bellũ exardeſcat. Huic ſententię contradicebant ij, qui non Reipublicæ, ſed ſibi conſulebant; & qui auidiùs aurum Poloni concupiuerant, quàm eius dignitatem ornatam cupiebant. Illi itaq; oratione inſolenti: Nobis (aiunt) imputabitur, non Imperatori, ſi Rex intelligat, parum ſibi eſſe fidei. Si promittat adoleſcens, ſe nulli facturum bellum, nihil vltrà poſtulandum eſt: ne Rex maiore odio & iracundia exardeat. Indignum certè eſſe, quòd is, qui in numerũ familiarium Imperatoris receptus fuerit, captus atque abductus è Germania ſit: eſſe verò propemodum indignius, quòd non ſtatim armis repetitus: ideo ne faciendam quidem obſidum mentionem: ſatis eſſe magnum beneficium, ſi ſocios adoleſcentis Rex non vlciſcatur, contra ius gentium interfectos: ex eo verò eius elucere virtutem magnam, quòd precibus agat, qui bellum poſſit facere: extare animum excelſum, qui legatos mittat, non fæcialem: qui de ſua iniuria diſputet, & non cum exercitu irrumpat: Talem Regem offendere & prouocare eſſe ſuperbiæ cuiusdam & maliciæ, trahentis ſecum aliquam Imperij ruinam. Valuit nummata ſententia: & auri perſtrinxit aura, virorum aliâs non inſipientium animos. Itaque cum honeſto comitatu regius adoleſcens reducitur, qui gratiam auro comparatam, fidem ſimulatione datam, ſtatim atque domum rediit, neglexit & violauit.

Henricus Sanctus.

Imperator ſedem ſuam Caſſalana tranſtulerat Capungam: eoque ſe cum Antiſtite Colonienſe contulit: inde Malichuſiam cum Præſule Paderbornio proficiſcitur, & diem ſacrum Pentecoſtes ibidem peragit. Accuſatus Vualo Abbas Corbeienſis, quòd ſuum improbè & intemperanter munus adminiſtraret, in ordinem redigitur; eique Drutmarus Lorishemius ſubſtituitur; qui diſciplinam ſeueriorem inſtitueret, & ſecundum iura præſcripta cœnobitas cogeret viuere: quos ſtudiis, non armis nobiles; conſpici debere in templis, habitu humili & honeſto: non in nobilium arcibus molliter aut ſcurriliter veſtitos viuere. Idem Fuldano (ut dixi) acciderat, quibus duobus collegiis in tota olim Saxonia, non fuerunt ſanctiora.

Monachorum Corbeienſium diſciplinæ emendatio.

Nunciatur Imperatori mors ERNESTI Sueuiæ Ducis, qui Hermano puero ſucceſſerat. Is die feſto venationi indulgens, & ſacra negligens, dum templum fugit, locum ſibi funeſtum adit. nam Albero Comes, telum in ceruam dirigens, Ducem traiicit: qui in ipſo nemore inter manus trepidantium vitam ponit; primum flagitans, vt Alberoni ignoſceretur, qui non ſpontè peccaſſet, ſed

Erneſti D. Sueuiæ mors.

Henricus Sanctus. 1016. ſet, ſed caſu: deinde amicis mandans, quæ uxori Giſelæ vellet mādari. Accidit hoc pridie Cal. Iunij, anno ſupra milleſimū vt Vrsbergius, decimo quarto: vt Ditmarus, decimo ſexto: cū hoc conſentiunt annales Auſtriaci. Morituro nullus aderat ſacerdos, neq; in ꝓpinquo erat, neq; id Princeps venator curauerat: ideo cuidā ſuo miniſtro, quē ex omnibus amauerat, ſua delicta palàm cæteris audientibus confitetur: quod factū Ditmarus Præſul cōmendat. Corpus eius delatū Vurciburgum ad aui ſui Leopoldi monumentū, vt idem Ditmarus: nam Præpoſitus ſcribit in Melca cœnobio conditum. Fuit hic Erneſtus Henrici rebellis filius, Leopoldi nepos. Hactenus Principes Auſtriæ, etiā Sueuiæ ducatum obtinuerant: ſed poſt Erneſti interitū, quamuis duos is filios reliquerat, Imperator Bertholdum Zaringiæ Comitē, agnatum ſuum, ea prouincia donat; eiq; in Saxonib. Goslariæ, inſignia de more tribuit VIII. Cal. Iulij. Meſico ſtatim vt in patriā rediit, à patre inſtigatur, vt bellum Germanis faciat: quod cùm eſſet Imperatori per fidos homines ſignificatum, conuentū indicit Magdeburgum: in quo de expeditione Polonica deliberat. Inuehebantur viri prudentiores in eos, qui adoleſcentem ſine obſidibus ſuaſerāt dimittendum; nam eorum conſiliū peſſimum fuiſſe narrabant: ipſi autem, contra quos dicebatur, omnia diſsimulabant: ſuamque operam fidam contra adoleſcentem perfidum pollicebantur, ne ſuſpecti videlicet haberentur, & conuincerentur auaritiæ atq; ſordium. Fauebant Polonis aliqui adhuc ex Germanis, & inter præcipuos GERO Marchio. Igitur collecto exercitu ſuo Imperator, eum ad Oderam adducit: & quia de ſuis conſiliis nihil mutare intelligebat Marchionē, agrum circa Francofurtum militi concedit depopulandum. Id videntes fieri, præſidiarij arcis cuiusdā, cum fiducia erumpunt; ſed ab Imperatoriis occiduntur: è quorum numero Ericus quidam capitur, cognomento Superbus, qui propter factam cædem proſcriptus erat; is ſtatim in vinculis ad Imperatorem mittitur, vt ex eo hoſtium conſilia cognoſceret, & ſceleris immanis pœnas de eo expoſceret. Cùm iam ad Croſnam oppidū exercitus conſediſſet, in caſtra Imperator aduenit: & de communi ſententia ad Meſiconē legatos decernit, notos olim illi homines, qui ipſum accepti ab Imperatore maximi beneficij, tum fidei & religionis placidè admonerent. Hi cùm veniſſēt, primùm ægrè admiſſi ſunt, & de die in diē ſuſpenſi: demum cùm eis poteſtas adeūdi data eſſet; in memoriā adoleſcenti reuocāt, quòd Imperatori & vitā & libertatem deberet, qui eum hoſtili ferro & carcere eripuerit: amicis quoq; eiusdē animum deberet gratum, qui

Expeditio Imp. in Poloniam. 1015.

qui honeſtè & ſine precio & ſine obſidibus dimittendum perſua-ſerint. Quamobrem rogant, vt ab armis diſcedat, & eorum colat amicitiam; quorũ eum pœnitere non poſsit: neq; fortunas euertat amicorum, quorum fauore & conſilio ſit expertus Imperatorem clementiſsimum; cùm homines inuidi longè aliud in eum ſtatuiſſent. Meſico vafri erat ingenij & diſsimulator aſtutus: idq; vultus eius ad riſum ſemper compoſitus ſignificabat: is legatorũ oratione audita, callidè reſpondens, ait, ſe recordari meritorum & fidei, & gratiam debere Saxonibus fatetur: verùm ſe patriæ poteſtati ſubiectũ, neq; aliud poſſe facere nunc, quàm quòd & mãdatũ patris, & militum voluntas exigat; neq; ſe in iſto bello ducis, ſed legati tantùm fungi munere, quod detrectare non potuerit, impulſus à patre, vocatus à populo. Referri iam ipſis beneficiũ ingens, quòd incolumes dimittãtur: id enim à patre ſe vix precibus extorſiſſe, & difficulter à vindicta ſuũ retineri militem. Cùm autem ad Poloniã inuadendam, exercitum Imperator ducat: ſe lares patrios teſtatur defenſurum, donec aliud pater præcipiat: qui ſi in caſtra venturus ſit, ad gubernandum bellum; ſe de gratia Imperatoris recuperanda, cum ipſo verba facturum. Nunc vt ſuam oſtendat Saxonibus beneuolentiam, ſe monere atque hortari; vt in caſtris diutius ne morentur, propter iratos milites, quorũ ſint amici in Germania interfecti: nam ſe iniuriam ſibi illatam, non imputare Germanis; ſed iis hominibus, qui ſemper ignaui & malefici ſint habiti. Hæc Imperatori vt ſunt renunciata: valde animo ſollicitus fuit. Nam nõ his ſolùm curis implicabatur, verumetiam à BERNARDO Duce Saxoniæ, magnum illi imminebat periculum. Præterea VLRICVS Boëmus, rurſus Luticios concitauerat, & iuſtas ad præliandum copias habebat. Hoſte igitur triplici veluti circumuallatus, ſuos alloquitur, ne animos abiiciant: ſe nullis præbuiſſe occaſionem belli, quæſiuiſſe pacem & amicitiam; conſuluiſſe aliquorum vitæ atque honoribus: ſed nullam ſpem factam honeſtam ab hominibus iſtis malis & ingratis, qui enumerare ſinguli poſſent, quæ accepiſſent beneficia, ſi eſſe homines ſe meminiſſent. Deum teſtatur conuerſurum numen ſuũ aduerſum eos, qui bellum expetant ſine cauſa: arma nudẽt, ſumma temeritate: quod cùm in priuatis certaminibus contingat, vt prouocatores turpiter ferè diſcedant, aut victi occumbant: minime nunc dubitandum eſſe, quin audaciȩ iſtius peſsimum ſint habituri exitum.

Henricus Sanctus.

Saxonum Dux ſocios habebat Marchiones Miſtiboium Vinulorum, & Ditericum Slauorum, qui Bremenſem & Hamburgiam

Henricus Sanctus.

giam diœceſes vaſtabant; quæ ita procul aberant, vt tali tempore nõ poſſet eis auxilio Imperator eſſe. Prædixerat autem ante mortem (vt ſæpius dictũ) Saxonis pater, ſuum filium peſtem eccleſiæ fore: id quod iniuriis nefariis declarauit, quarum Hermoldus & Annales antiſtitũ meminerunt. Slaui occaſionẽ nacti, quod diu optauerant, conſequuntur: ſimulq; & religionis iugum, & externorum dominatum, quem vltra annos ſeptuaginta tulerãt, crudeliter excutiunt: multa hominum millia occidunt: templa & ſacra Chriſtiana, non relictis veſtigiis euertunt: Sacerdotes alios excoriãt, aliis clauos per cerebrũ agunt; nulli hominũ generi parcunt: quicquid inter Oderã & Albim ſitum erat, in ſuam poteſtatem redigunt. Auctores iſtorum malorũ ſuas quisq; pœnas non longè pòſt luit: Bernardus Saxo, inopia & contemptu, qui tamen per Vnuanum antiſtitẽ Imperatori reconciliatur. Ditericus verò Slauus omni honore priuatur, & Magdeburgi victũ mendicans moritur. Miſtiboius ſponte in exiliũ abiens, apud Bardos conſenuit. Facta tum magna religionis iactura, quam animis propenſioribus tota gens Vandalica & Slauica retinuiſſet; niſi Ducum rapacitas, & ipſorum quoque Præſulum libido atq; ſocordia eos auertiſſet, de quo ſumus & antea conqueſti. Duorum Antiſtitũ inſignis tum virtus & pietas fuit, in recolligendis eccleſiarum reliquiis, Vnuani Hamburgij, & Bennonis Oldeburgij.

Slauorum tyrannis.

Imperator bellum Polonicum perſequitur. Sed in transeundo Odera flumine, milites multùm laborabãt. Nam cùm nec naues eſſent, nec pontes ſtrui tanta celeritate poſſent, ex vtraq; ripa hoſtibus imminentibus: audendũ aliquid Saxones rati, Dei implorato numine, vadum in loco non vadoſo ingeniis efficiunt: oppoſitis enim vndæ equis fortioribus, & obliquo natatu tranãtes, flumen tandem ſuperant eo in loco, quo Poloni minimè fuerant ſuſpicati. Id quamuis fieri ſerò animaduertiſſent; ad ripam tamen confluunt, eos qui traiecerant, inuadunt: reliquos prohibere exitu nituntur. Saxones ita agmen inſtruxerant, vt pugnarent denſati, itaque irruentes in ſe Polonos excipiunt, nonnulli ſeſe colligentes, ſuis in ripa occurrunt, & hoſtem alia ex parte aggrediuntur. Duplici prælio commiſſo, ita Polonos vrgent, vt certamen vltra horam non duraret: nam Poloni fugæ ſeſe mandarunt, & vix caſtra miſsilibus defenderunt. Deſiderati ex illis equites ſexcenti, vel (vt Quedilnburgium Chronicon) noningenti: è noſtris ceciderunt VDO & Ericus viri nobiles. Suſpecti hactenus fuerant quaſi cum Polonis colluderent. Siffridus Luſatius,

Saxonum victoria de Polonis.

Vdonis Marchionis interitus.

Luſatius, & Guncelinus Marchio Miſnenſis: ſed eo die in prima acie fortiſsimè dimicantes, factis refellebant calumniam. Pater Siffridi, VDO Marchio longius hoſtem inſecutus erat; primùm ſagitta immiſſa amittit oculum: tum obrutus multitudine, & laſſatus dolore vulneris, inter cuneos hoſtiles interficitur. Dum Meſico apud Imperatorem ageret; ei à cura corporis miniſter, Siffridus conſtitutus fuerat, eique præ Saxonibus cæteris familiaris: qui cùm Vdonis occiſi corpus agnouiſſet, de vitæ humanæ conqueſtus miſeria, id honeſtè habuit, & ad ſepeliendum in caſtra Imperatoris cum muneribus miſit. Laudata Meſiconis humanitas eſt à toto exercitu: dolentibus multis, quòd vel inſania patris, vel leuitate adoleſcentiæ ſuæ, non potius vti Imperatore amico, quàm hoſte mallet. Hæc victoria Imperatori contigit, III. Non. Aug. vt Ditmarus: anno ſupra milleſimum quintodecimo, vt Lambertus, & chronicon Quedilnburgium. Meſicone autem impetum Germanorum non ſuſtinente, regio trans Oderam longè lateque vaſtabatur.

Henricus Sanctus. Vdonis Marchionis interitus.

1015.

Boëmus interea caſtra ſua ad Oderam locauerat, euentum pugnæ Polonicæ expectans: vt ſi res aliter cecidiſſet Imperatori, quàm ceciderat, ipſum intercluderet: & eandem fortunam Bernardus Saxoniæ Dux expectabat. Nunciata autem Imperatoris victoria, hoſtes perturbati ſunt; & Boemus loco amplius certo caſtra non fixit, vt quid conſilij haberet, neſciretur: Dux Saxoniæ ab eo, metu ſe ſubduxit; quodque auxilio Imperatori non veniſſet, excuſauit neceſsitatem: interea tamen immiſsis in fortunas Præſulum & vrbes vicinas peditibus, exhauriebat rapinis oppidanos & agricolas. VDALRICVS Bauarorum præfectus, ſimiliter tempore ſtatuto ad Imperatorem non venerat: is quoque ne ſuſpectus haberetur, alio in loco præſidia hoſtium aggreſſus, vrbem Buſinam diripit: captisque hominibus plus mille, exceptis vxoribus & liberis, eandem incendit. Boëmus mittit, qui Marchiam inuaderent orientalem, & inde prædas agerent: quibus HENRICVS Marchio, Henrici ſagitta in cubiculo interfecti, vt dictum ſuprà eſt, filius cum eodem præfecto Bauaro, obuiam iens, manus conſerit: hoſtes octingentos cædit: eisque hominum & iumentorum prædam extorquet. Boëmus audita ſuorum clade non deſiſtit à propoſito: ſed ea loca, quæ ad Oderam occupauerat, præſidiis munit: peditumque manum è regione, vbi Imperatoris exercitus conſederat, collocat: eisque mandat, vt nocendi hoſtibus occaſionem nullam prętermittant: ipſe cum equitatu vltra vnius aut alterius diei itèr non aberat: ſed ripam

Bellum cum Boemo.

Boemorum clades.

Henricus Sanctus. fluminis legens, loca omnia explorabat, ſi quod rei bene gerendæ tempus ſe offerret. Imperator non ignarus eius conſilij; vicinas paludes, & Oderam flumen, pontibus ſtructis, alio in loco ſuperat: & totum exercitum die vno traducit: ſtatimque agros populationibus & incendiis adortus, ad hoſtem contendit. Hoc cùm præter ſpem Boëmo eueniſſet: quod potentia non poterat, id arte ſolita voluit efficere. *Boemi calliditas.* Nam Abbatem quendam Cunonem exploratum in caſtra ablegat, linguæ vtriusq; peritum, & ad omnē ſimulationem peropportunum: ei mandat, vt vires Imperatoris, & locum caſtrorum per ſuos comites inueſtigaret: Cunonem autem iubet de pace cum Imperatore loqui, ne fraus deprehenderetur. Ipſe ſubſecutus equitatum in ſiluas propinquas abdit; & quid animi haberet, militi ſuo exponit, & ſpes optimas inijcit. Cuno verba de pace faciens, non auditur, neq; audiri cupiebat: mox ad Boëmum reuertens, inuentam tandem inuadendi Imperatoris occaſionem narrat: quia nihil tale metueret ab hoſte, vt videbatur, ſupplice.

Meſico itidem diſcedentem è Polonię finibus Imperatorem, infeſtis animis ſignisque inſequebatur, ſi ſe vlciſci in ſolo alieno poſſet. Cùm autem Boëmum territum, & Meſiconem fractum, & amborum vires non putaret metuendas: neque ſuſpicari de magno aliquo poſſet periculo, ipſe quietis cauſa Merburſgum ſe confert: Antiſtitem Geronem, Bernardum Palatinum, Ditmarum Luſatiæ Marchionem ad exercitum legatos relinquit: præcipitque vt prouideant, ne quid prouinciæ Saxonicæ detrimenti caperent.

Prælium Saxonum cum Boemis. Boëmus vt diſceſſiſſe Imperatorem cum parte copiarum reſciuit, quem Saxonum quorundam enunciatione nihil latebat: exercitum iuxta locum planè inuium, in ſilua quadam abſcondit, quæ erat copiis Imperatoris prætereunda. Saxones quòd hoſtem viderent nullum, iactare ſe, & Boëmum tanquam profugū accuſare. Interea cincti vndiq;, vias cæſis arboribus occluſas, & ſtrepitum à longinquo audiebant: ideoq; territi non prius periculum imminere credunt, quàm è latebris hoſtes prorumpentes vident. Dux Boemus agmen tripliciter diſpoſuerat: vtq; maior iniiceretur Germanis trepidatio, irrumpere ſuos cum clamore & vlulatu iubet. Voces autem interdum remittentes, interdum clamores impetu quodā repetentes, territis Imperatoris milites inuadunt, & miſsilibus laceſſunt; ſtatimq; ſe mandantes fugæ violentius recurrunt; vt fatigarent militē, tali pugnæ generi non aſſuetum. Cadebant ex vtraq; parte plurimi, alteris celeriter inſili-

entibus, alteris ſuſtinentibus viriliter. Saxones hoſtium conſilia imitati, etiam ipſi inuadentibus cedunt, & in medium incurrẽtes omnes occidũt: quod cùm ſępius facerent; neſcio qua imprudẽtia vnũ latus in exercitu Saxonico nudatũ eſt. Vlricus Dux verſipellis & aſtutus, cùm id primus animaduertiſſet: milites hortatur, vt ſe ſequantur, & certam reportent victoriam. Boemi ſeſe glomerãtes inſtar tempeſtatis, cum Duce incurrunt: cumque ex vna parte ordines diſsipaſſent, aditũ ad victoriã non difficilem inueniunt. Sagittarij rem præclarè agunt cominus: nã minus roboris aduerſum Saxones eminus habebant. In hac pugnæ contentione FRIDERICVS quidam maximi nominis inter Duces ſternitur. Occiditur item GERO Luſatiæ Marchio, Ditmari filius, Chriſtiani nepos: fuerant hi de familia Viburgia, viri virtute & meritis magni. Palatinus vulneratus, cum Antiſtite Gerone vix euadit, tribuni antiſtitis appellati Mauriciani, mori malunt, quàm fugere, ita enim cõnſpirauerant. Oppetierunt præterea Albero, Ido, Ditmarus, Dedo, Volcmarus; qui in chronico Quedilnburgio recenſentur, & alij non pauci. Mittuntur ad Imperatorem ſtatim nuncij: qui edoceãt quo in loco res ſit, nempe aduerſo & difficillimo.

Henricus Sanctus.

Boemorum victoria: Saxonum clades.

Itinere mutato, redire ad locum pugnæ Imperator voluit, & viros fortiſsimos petere ad ſepulturã: ſed ne id faceret, ei conſultũ eſt; quòd nihil tutũ ſit, cæſis ſociis, & exultante adhuc victore; qui magis inſidiis, quàm viribus ſit metuendus. Onus legationis imponitur duplex Idoni Præſuli Miſnenſi: primùm vt eat in caſtra Boemica, deinde iter in Poloniã continuet. Legationis Boemicæ caput erat, vt ab hoſtibus admonitis humanitatis, cæſorum corporũ ad honorem extremum repeteret: Polonicæ verò, vt Regẽ fœderis commonefaceret, & à bello detineret. Vtraq; legatione functus honeſtè eſt: ſed apud Polonos laborauit fruſtrà, Boemos verò ſua auctoritate mouit, & cæ ſos ſepeliẽdos impetrauit. Multi igitur nobiles ad corpora ſuorũ repetenda, miniſtros mittunt: reliquis terrã ipſe præſul inijcit, & GERONIS Marchionis corpus Miſnam deportandum curat: inde Munchneuburgum ad patris auiq; tumulos defertur: nam Othonis II. temporibus Gero antiſtes Colonienſis, & Ditmarus Marchio frater eius, in ea vrbe, diuo Cypriano ædem erexerant. Funus tres fratres Marchiones Miſniæ, quos in eius vrbis Annalibus nominaui, proſequuntur: quod antiſtes Magdeburgius terræ mandabat. Intererat interfecti vxor Adelheidis, & Ditmarus filius. Imperator Albi transmiſſo, Strelæ ſe continebat: & cùm clade ſuorum, tùm aduentu Polonorum cognito, valde angebatur, neç accuſare

Ido Præſul Miſnenſis legatus mittitur in Boemiam & Poloniam.

Henricus Sanctus.

quenquam audebat: monet tamen duces & præfectos, vt ſuum tempore neceſſario officium fideliter faciant, & patriæ animosè ſuccurrant.

Miſna à Polonis oppugnatur.

In primis HERMANVM properare Miſnam iubet, vt eam tueretur contra Polonum; qui rectà ad vrbem contendere dicebatur, & in ſermonibus habere, non diſceſſurum priùs, quàm ea regionis tanquam metropoli potiatur. Ita autem celeriter equitum Polonicorum turmas ſeptem adduxit, vt ad mœnia eodem illo die veniret, quo Marchio iam intrauerat: qui niſi conſpectu ſuo confirmaſſet ciuium animos, amiſſurus vrbem videbatur. Poloni non ſatis prudentes, diuidunt copias: pars ad agros diripiendos feſtinat, pars vrbem cum prima luce adoritur: ſuburbani relictis fortunulis ſuis, intra mœnia confugiunt: nam exportandi tempus non relinquebatur. Suburbium primo impetu ſpoliatur & incenditur: & caſtellum vrbis montanum oppugnatur. Hermanus ciues adhortando, & hoſtes loco pellendo, nihil prætermittebat, quod ad virum præclarum pertineret. Cùm duobus iam locis caſtellum iactu flammarũ incenſum arderet; & ciues tam pugnando quàm ignem reprimendo, valde fatigarentur: ipſe de arce decurrit, ætatem & ſexum imbellum hortatur, vt iaciendis ſaxis & aquis portandis militem iuuent: & patriam pro ſua quoque parte defendant: hoſtique improbo non faciant timore aut negligentia ſuorum corporum poteſtatem. Fuga è tectis omnibus ad mœnia fit: & voces lachrimantium, in adhortantium clamores ſubitò permutantur. Ad mala præſentia accedebat aquæ inopia: fractis igitur cellariis, flammam medone (ita hydromel appellat Ditmarus) reſtinguunt, & ſuo ſtudio operaque viris quoque animos addunt. Propugnantiũm virtutem & impetum de colle vicino, arci oppoſito, Meſico proſpiciebat, & admirabatur: cumque lædi ſuorum multos cerneret, canit receptui. Interea ſocij, qui ad Ianam vſque flumen prædatum excurrerant, & ipſi feſſi reuertuntur. Suos largius cœnare Polonus mandat, vt oppugnationem die altero ſummis viribus repetant: quem diuiſiſſe exercitum, iam pœnitebat. Eadem nocte tantus imber, tamque horridus cooritur, vt & equis & militibus eſſet moleſtiſsimus: cumque Albis caperet incrementum; veriti Poloni ſunt, ne reditus intercludertur, & ſarcinæ vltra ripam eriperentur ab agricolis. Quamobrem hoſtes feſtinabant ad flumen traiiciendum: vt ſe vndè venerant, tutius reciperent: affluebant vndique Miſnenſibus auxilia; & Imperator curabat, vt iuſtum exercitum quamprimùm adduceret. Erant iam in

itinere

itinere GERO Antiſtes, & Præſules duo Arnulfus Halberſtadius, & Ditmarus Mersburgius, iisque additi de nobilitate multi: qui etiamſi hoſtem fugiſſe audiuerant; Miſnam tamen eunt; turrim caſtelli ambuſtam, & totum ſuburbium intra dies quatuordecim inſtaurant, & reficiunt: præfecto operarijs & militi, Comite quodã Friderico. Accidit illa à Polonis calamitas vrbi Miſnæ, anno ſupra milleſimũ quintodecimo, Idib. Sept. Eius liberationis memoria adhuc ante annos paucos fuit celebris, circa diem natalem Virginis beatæ: pridie enim eius diei ſenatus totus in curia conuenire ſolitus eſt, & matronæ in domo eius conſulis, cuius eſſet gubernatio annua; inde agminatim proceſſum eſt ad templum, vt preces fierent, & ſacra vſitata celebrarentur, quæ vota & ſupplicationes, pro vrbis incolumitate ad patrum vſq; memoriã durauerunt. Poloni cùm timerent, ne copiæ Imperatoris eos aſſequerentur in itinere, in loca tutiora ſe recipiunt: quorum tum regnum finibus remotioribus, quàm nunc, Germaniam verſus terminabatur. In agris quidquid inueniunt, vaſtant aut rapiunt. *Henricus Sanctus.* 1015.

Antiſtes Magdeburgius Miſna pergit Mogeliam: & à Ditmaro rogatus, confirmat illi Bichinæ & Vurcinæ poſſeſsiones, quæ ad Miſnienſem eccleſiam poſtea translata ſunt oppida: inde Ceruetium adit, & ibidem alias ei parochias confirmat Ileburgiam, Pauenem, Dibenam, Lubanicam, Geſericenſem. Diem Calendarum Nouembrium celebrat Magdeburgi Antiſtes Gero: IDONEM ægrotantem Lipſiæ inuiſit Præſul Mersburgius Ditmarus: nam à legatione Polonica febricitans reuerterat. Morbus cùm augeretur indies, non ſine deſiderio ſuorum, ibidem moritur XIII. Cal. Ian. funus procurat Præſul Citienſis Hilliuardus. Ido in vrbe Miſna, ſede ſua, ſepeliri ſe vetuerat: quia eius excidium vaticinabatur, ideo Colditium ſe ferri voluit: idq; à Comite Miſnenſe Hermano obtinuit. *Idonis Præſulis mors.*

In eiusdem anni fine nocte ipſa natalis domini Treuerenſis Antiſtes Meinuardus in oppido ſuo Confluentia, anno ſedis octauo, menſe ſeptimo obit: inde ad Antiſtitum tumulos defertur. Cùm natalem Chriſti Padelbornæ Imperator ageret, deliberatum eſt, qui Præſules defunctis poſſent ſurrogari. Itaque Miſnenſi ſuccedit EILVARDVS, vt Ditmarus ſcribit: Treuerenſi, POPPO Auſtriacus, vt Lambertus: hic Lupoldi I. Marchionis filius, & Henrici rebellis erat frater. In hac electione bonitas Imperatoris perſpiciebatur, qui immemor iniuriæ, odium erga ingratos omne depoſuerat, & inimicorum cognatus benefaciebat. EILVARDVM conſecrat Magdeburgius, *Meinuardi Treuirenſis mors.* *Eiluardus Præſul.*

Poppo-

Henricus Sanctus. Popponem Moguntinus: huic cùm ſe iurgio Antiſtes opponeret Metenſis: Imperator in Metenſem excandeſcit, & ambitionem eius ſeuerè repræhendit.

1016. Anno ſupra milleſimum ſextodecimo diem ingreſſus Chriſti in vrbem ſacram, Imperator celebrat Vurciburgi: præſentibus duobus fratribus, Henrico eius loci præſule, & Orberto Antiſtite Colonienſe, è Comitibus Rotenburgiis. Erat ipſorum frater tertius, homo nefarius, qui inediæ tempore è ſua ditione collectos homines famelicos, in quandam domum incluſit; ignibusq; ſubiectis eam multitudinem cremauit crudeliter: ad quã noxam diluendam, & ad pœnam, quam ab Imperatore timebat, euitandũ, iter religioſum Romam ſuciſpit: & (vt perhibent annales Vurciburgij) in morbum acrem incidens, & dolores inenarrabiles ſentiens, inedia ipſe quoque moritur. *Comitis Rotenburgij ſcelus*

Cœnam & Reſurrectionem Domini feſtam agit Imperator Pabebergæ: non (vt in Quedlinburgio) Paderbornæ: eodem Rodulfus VI. Burgundionum Rex, & Imperatoris (vt Ditmarus & Sigebertus tradunt) auunculus, literis euocatur: ſed non venit: iuſſus deinceps venire Argentinam; vxorem mittit ADELTRVDIM, filios item HVGONEM & IOHANNEM; & Gerbirgæ ſororis filium, Vdonem: ipſe ſuæ abſentiæ cauſam ſcribit, & quid agendum cum Imperatore eſſet, ſuis mandat, vt puta coniunctiſſimis & cariſsimis. Fuit autem conſpectus iſtorum omnium Imperatori ſuauiſsimus: quos & liberaliſsimè habuit, & omnia ſummæ pietatis officia, quibus ſe vinci ab iis turpe iudicabat, per dies multos exhibuit. Fuit ADELTRVDIS, ſingulari prudentia fœmina, & fida concordiæ ſalutaris adiutrix: quæ & filios præſentes indolis generoſæ, & mariti priuignos abſentes, Imperatori ſtudioſè commendauit. Imperator munera ab ipſa accepta, grandi cum voluptate, inter miniſtros ipſius rurſus diſtribuit: & Vilhelmo Pictauienſi, qui comitatus eam honoris cauſa fuerat, quæ regio munere habebat, ſua quoque auctoritate confirmat; viro admodum potenti, ſed paulò pòſt malè grato. *Adeltrudis Regina Burgundiæ.*

RODOLPHVS Regnum Burgundiæ, Imperatori per manus tradiderat: vt ſi quid ei humanitus accideret, & nullo hærede relicto moreretur, id aut retineret, quaſi Imperij prouinciam, aut in cognatis, cui vellet, idem reſignaret: promiſerat præterea, ſe abſque Imperatoris voluntate aut ſententia nihil facturum. Id eo conſilio egit, vt ſuis defenſores pararet: & cauſam belli inteſtini ne relinqueret: neue Reges Francici, quorum cupiditatem nouerat, prouinciam nobilem affligerent, & ſibi vendicarent, quæ magnis *Burgundiæ Regnum Henrico Imperatori traditur.*

magnis ad Imperium fuerat adiecta laboribus. Propter eam ſui diffidentiam Rodolphus Ignaui cognomento notatus eſt; eaque de cauſa & ipſum, & Imperatorem multi impugnarunt; & inter præcipuos Pictauienſis. nam præſulem quendam in Burgundiã miſſum, cum Imperatoris mandatis, ſtatim fugauit: cumque in agro lateret, per canes ſagaces inueſtigauit, vt in eo puniendo exteris daret animi ſui ſignificationem: præſul autem manus eius ſanguineas, & canum rictus auidos Dei bonitate euadit. Id quod Rodolphus promiſerat, filij quoque eius promittunt: & ſe in patrocinium Imperatoris tradunt, HVGO videlicet præſul Lauſanenſis, & Iohannes futurus patris ſucceſſor. *Henricus Sanctus. Rodolphus Ignauus.*

Is igitur aduerſus Pictauienſem, comparat exercitum: & præfecti Imperatorij ad Baſulam vſq; proficiſcuntur: quod cum fieri videret Pictauienſis, prælium inire noluit: ſed ſe continuit locis munitis: & vt hoſtem eluderet, locum ſæpius mutauit: qua arte efficiebat, vt neq; commeatu deſtitueretur, neque milite, quanto ſibi opus eſſe exiſtimabat. Imperatorij quia ſequi eum non poterant: & præſidiorum atque vrbium diuturnas fore oppugnationes prouidebant: & copias quantæ ſatis eſſent tantis difficultatibus, non habebant: ad populandam prouinciam ſe conuertunt: & occurrente nemine, agros & villas longè lateque impunè deuaſtant: nec tamen aut è latibulis elicere, aut ad prælium euocare Pictauienſem potuerunt. Quibus rebus geſtis feliciter, ne hoſtem ſecurum poſt tergum relinqueret Imperator: Comiti Vilhelmo aliquot præfecturas tradit, & ſibi eum fore fidelem promittit. *Bellum aduerſus Pictauienſem.*

Interea coniunx Imperatoris in Saxonia patriæ ſuſcipiebat defenſionem: nam tres atroces hoſtes Imperio imminebant: externi duo Boemus & Polonus, & domeſticus cæteris quodammodò iniuſtior, Dux Luneburgius: de quibus omnibus præclarè meritus Imperator erat, huic etiam honorem habuerat. Boemus, cui nunquam conſilium deerat, ſe imparem videns, abſente Imperatore, ſua tantùm munit præſidia: turbat præterea nihil, ſimulans ſe gratiam Imperatoris quærere: ſi eam obtineat, ipſi militare velle. Polonus non deſiſtebat ab incurſionibus; & prædas quacunq; poterat, agebat. Luneburgius occupabat itinera, & curabat ne ad Imperatorem querelæ deferrentur: nam præſulibus grauis admodum erat, non alens quidem iuſtum exercitum, ſed prædones tantùm & graſſatores: ita vt cui reſiſterent, aut quibus ſuccurrerent, non facile reperirent. *Motus in Saxonia.*

Burgundus diſceſſu Imperatoris, infeſtatur ferè ab omnibus: qui cùm animum viro humiliorem habere diceretur, in contem- *Rebellio contra Burgundum.*

Henricus Sanctus. contemptum venit. nam omnia omnibus indulſit, & officio functus regio non eſt: vndè tanta licentia ſecuta eſt, vt ipſe ſceptro tantùm & nomine, alij ditione & reditibus fruerentur, adeo etiá vt Præſulum impenſis & liberalitate viueret. Ea de cauſa ſeditioſi & rebelles illum non timebant: & amici auctoritate eius ad defenſionem ſui, vti non poterant: imò onere potius indigno premerentur. nam vt Regem alerent, & ſeipſos ſeruarent, cogebantur ſingulis ferè primatibus obſequi & manus tendere. Pictauienſis, qui regium præfectum ſe nominabat, regnum reuera tenebat, & ditabat amicos ſuos, & pro arbitrio gubernabat omnia: id eam ob rem faciebat, vt ſpem Imperatoris eluderet: cui tamen & blãdis literis, & interdũ muneribus ſe venditabat: factis verò & ſermonibus inter amicos ſuos, ſe longè oſtendebat alium.

Obierat in Saxonia Bernarius Præſul Verdanus: qui & carus Imperatori præcipuè, & in munere ſuo, quod annos quatuor & viginti tenuerat, fuit ſpectatus. Ei mittitur ſucceſſor Vuidgerus Præpoſitus Colonienſis: qui tamen propter ſtatum Saxoniæ turbulentũ, diu reluctabatur, amans quietis. Reinoldus abbas Memlebius, homo profuſus, ſua libertate excidit: & Monachi ſectatores malarum libidinum ſunt expulſi: & cœnobium Abbati Hirsueldio ſubiectũ, & alij ſodales in collegium inde vocati. Etenim copia & dulcedo voluptatum muneris commiſsi parit neglectionem: hæc autem maturat aditum ad perniciem.

Varij tumultus in Saxonia & vicinis regionibus. Erant in Saxonia & vicinis regionibus ferè omnia, dum abfuerat in Burgundis Imperator, perturbata. Bernardus Marchio, amicitiæ & hoſpitij ſpecie, ingreſſus Magdeburgum, ſeditionem mouet; quoſdam Antiſtitis familiares capit, quoſdam vulnerat. BERNO etiam Heſſus, ſtirpe generoſa iuuenis, laceſsitus à ſuis aduerſariis, viros centum vno congreſſu occidit, capita eius factionis Germanos quatuor Dedonem, Burchardum, Ditericum, Popponem de medio tollit. GERHARDVS item Francus tumultuatur, interfectis ciuili gladio plurimis. GOTFRIDVS Lotharingus agrum Montenſem depopulatur; LAMBERTVS Comes Louanienſis interficitur: ſocij eius capti, laqueis de campanis eccleſiarum detractis, more barbarico, ſtrangulantur. Frater Godfridi REINHERVS filios Vdonis Vuernerum & Reniconé circumuentos interficit. Pater eorum, qui exulauerat in Boëmia, ibidem moritur: filiorum morte dolebat nemo, niſi quòd commiſerationem multis mouebat, interitus hominum innocentum, qui vnà ſublati erant. BALDERICVS Comes, Antiſtitis Colonienſis familiaris, Vuigmano Comiti ad ſe inuitato, inter quos

quos gratia nuper coierat, venenum per vxorem maleficā propinat: quem cùm nō ſubitò concidentem eo hauſtu cerneret, exeuntem è domo ſua, manu famuli obtrūcandum curat. Miniſter occiſi, ad vlciſcendum dominum ſuum, facinus inſpicientem, & non vetantem Baldericum, rurſus enſe transigit; ſed à multitudine & ipſe opprimitur. Bernardus Dux Vuigmano fauens, Vplā arcem Balderici obſidet: & captam vxorem eius callidam & nequam, cum pediſequis (quod omnes admirati ſunt) liberam dimittit, & arcē incendit. DITERICVS Antiſtes, & Comes HERMANVS, Gerbirgæ filius, inter ſe diſsidentes, etiam miſcent cædes ciuium, & incendia villarum. Inter amicos Imperatoris moriebatur BERNARDVS Comes Palatinus paralyſi; & adoleſcēs GEBHARDVS Heriberti Comitis filius, febri. Exercitus Danicus in ANGLIA, mortuo Rege CANVTO potentiſsimo, Regis Ethelredi fugati coniugem obſidet Londini: Edelſtanum eius filium ſternit in prælio: obſides trecentos, hominū nobiliſsimorū filios, truncat membris: Antiſtitem Cantabrigienſem Dunſtanum obruit lapidibus. In GALLIA tria nobilium millia extinguuntur, qui ad arma conclamaſſent, Rege Roberto inſciente. In Hetruria Saraceni Lucam, vrbem maritimam & ſplendidam diripiunt: & ſuæ Reginæ ſedem in ea collocant, ad omnem Italiam deuexandam: tempore idoneo mox redituri. Recepta ab Italis vrbe, milites barbari ad vnum omnes occiduntur; & Regina ſecuri percutitur: de cuius ornamentis partem dimidiam, mille videlicet auri libras, Benedictus VIII. Pontifex, dono Imperatori mittit. Acciderunt præterea prodigioſæ res multæ, nam anno ſupra milleſimum octauo decimo IV. Id. Febr. ſub ipſo crepuſculo tanta grādinum fulminumq; vis fuit, vt multi homines, in agris præſertim, culminum tectorumq; ruina opprimerentur. Viſus item cometa eſt: & ſecutus autumnus peſtilens; & fatalis annus fuit multorum Præſulum interitu, quos in vrbis Miſnæ Annalibus enumerauimus. Ad Augiam inſulam XVII. Cal. Nouemb. merguntur naues nouem, cum promiſcua hominū multitudine.

Henricus Sanctus.

Prodigia varia. 1018.

In tanta varietate rerum & perturbatione, quæ iſto anno acciderant, pulſatus querelis & accuſationibus Imperator; Poledā venit, ad Chriſti natalem celebrandum; & ad diſcutiendas controuerſias. BERNARDVS Marchio habitu ſordidato, pedibusq; nudatis, ſtans in templo, ſatisfacit Magdeburgio: eiq; quingenta argenti talenta mulctæ loco numerat. Alſtetam accedens, alios eò vocat, vt violatam reſarciret concordiam: ibidem Marchio, de quo iam diximus, & Comites Summeringij in amicitiam rede-

Henricus Sanctus.

unt: odia quoque deponere iubentur, Ditericus Antiſtes, & Comes Hermanus. Audiuntur Echardus Comes, & Vdonis filij: itẽ Gebhardus & Vilhelmus Comites: in eos qui conuicti erant, pœna ſtatuitur: cæteri admonentur, ne in poſterum de vindicta priuata cogitent; ſed quomodo hoſtes imperio, & ipſorum libertati imminentes arceantur; minimo ſingulorum periculo, & ſingulari omnium honore atque emolumento.

Boemi ſuperbia & pertinacia.

Boëmus enim, qui intra ipſorum ſolum, arces adhuc & præſidia tenebat, quieſcebat quidem ab armis: ſed robur accipiebat otio. Nam tempus illud conſumebat opere militari apud ſuos: animis conciliandis, apud exteros hoc efficiebat partim indulgẽtia & humanitate, quod eorum fortunis parceret, quos inuadere potuiſſet: partim donis & largitionibus, vt quos ad ſuos conatus iuuandos eſſe exiſtimabat idoneos. Impetratæ ab Imperatore induciæ ſunt, vt cauſa eius ageretur: multi enim virum fortem, & conſilij plenum eſſe dicebant: & eius operam fore vtilem, ſi cum eo pax iniretur, & Imperatore ipſo, & illo non indigna. Arbitri dati ſunt antiſtites Moguntinus & Magdeburgius, præſul Halberſtadius, item Siffridus & Bernardus Comites: qui ad Mildam vſque accedentes, eum ad colloquium vocant: ſed modò his, modò illis vtens excuſationibus, dies quatuordecim eos morabatur. Igitur tergiuerſanti alium locum conſtituunt prope Albim: & niſi ſuis ipſe obſtet commodis, ſpem gratiæ amplam ac propemodũ certam iniiciunt. Præſidium erat Schichianum, in quo tunc erat: quem cùm legati cõueniſſent, & arbitrorum oſtendiſſent voluntatem propenſam: ipſe venturum ſe, propter metum hoſtium inſidiantium, negabat. Inſtantibus legatis ne occaſionẽ pulcherrimam negligeret; magis etiam recuſat ſe diſceſſurum è præſidio. Legati rurſus, Quid ſi (inquiunt) ad Eliſtrum vſque (hic fluuius Luſatiæ, Niger dicitur, ad differentiam Oſterlandiæ fluminis cognominis) tibi noſtri procedant obuiàm, quidnam facturus es? vltra hunc (ait) pontem (arcis pontem ſublicium demonſtrans) nolo præterire. Cognita iam eius pertinacia, & animo à pace abhorrente, qui miſsi erant, arbitris id renunciant: qui ſe videntes ſperni atque eludi, Imperatori de hoſtis ſuperbia exponunt: & hominem captioſum, humanitatis atque fidei expertem, bello frangendum cenſent.

Feſtum oblationis Chriſti Imperator tum Mersburgi agebat, qui audiens legatorum narrationes cum indignatione, decernit; nequis porrò nuncius ad Boemum mittatur, neue vllus

ab eo

ab eo miſſus audiatur: addita decreto pœna eſt, vt ſi quis aut ſocietatis cũ eo, aut collocutionis vllius reus deprehẽdatur, perduellis ſit. Ad eam quoq; rem cognoſcendam, deſignati ſunt clandeſtini exploratores. Non obſcurum erat, multùm iuuari audaciam Boemi à Bernardo Luneburgio: ſed id temporis eſt cauſa diſſimulatum: quia vir bellicoſus & potens, laceſſendus non erat, præſertim cùm apertum hoſtem non ageret: ſed hoſtilia tamen omnia, tàm in præſules Imperatori fauentes, quàm in Slauos, ſuæ ditioni commiſſos, tacitis iniuriis perpetraret: vndè etiam religionis nuper inſtauratæ magna vaſtitas, & Slauorum non iniuſta exarſit indignatio: & diœceſes Bremẽſis, Hamburgia, Aldenburgia plurimum ſunt ab eius graſſatoribus diminutæ: quorum violentiæ vt iretur obuiàm: (nam vias totius Saxoniæ popularibus & exteris faciebant infeſtas) miſsi ſunt duarum cohortium firmiſsimarum Mersburgiæ & Mauricianæ præfecti & milites, qui eos inquirerent, & viatoribus quantùm poſſent, ſaluti eſſent. *Supplicium de graſſatoribus.* Capti ſunt paſsim multi, & vinculis vſq; ad Imperatoris aduentum detenti; è quibus tormentis veritas extorta, & conſilia hoſtium mala cognita ſunt: hi publicè pœnis afficiebantur in duabus vrbibus Mersburgo & Magdeburgo. Nam in eas vrbes mitti Imperator volebat: ne ſocij ipſorum cauſam quærerent, eos per vim liberãdi, cum multi loco honeſto nati homines, in illo grege crudeli eſſent. Supplicij ratio hæc fuit, vt bini nobiles inter ſe ferro congrederentur: qui pugna cecidiſſet, pœnam manu ſocienni ſui tulerat: ſuperſtes verò manu carnificis ſtrangulabatur, in homines minoris ordinis ſine congreſſu, ſuppliciũ laqueo ſumebatur. Tale ſpectaculum terroris cauſa propoſitum, vt nemo poſthac exteros hoſpitio reciperet, quod multi fecerant inſcientes; eosq; armis aut pecunia, tanquam exules aut egenos, quales ſe mentiti fuerant, iuuaret.

Henricus Sanctus.

Cùm Magdeburgi ageret Imperator: tumultus inter miniſtros antiſtitis & Bernardi nouus exoritur: ſed reprimitur virtute ciuium abſque cæde. 1019. Controuerſia inter Miſnenſem & Mersburgium Præſulem, multis annis agitata, tum demum dirimitur, hoc modo: vt in ditione Bichena & Vurcinenſe, partem Transmildanam in ripa orientali Eiluardus Miſnenſis; Ciſmuldanam in occidentali Ditmarus Mersburgius poſsideret: quæ permutatio traditis inuicem de more baculis, licet Ditmaro eſſet grauiſsima, confirmatur. Arbitri erant Gero Antiſtes, Meinuardus, Vuigo, Ericus Præſules: dies tranſactionis VIII. Cal. Martij. Ab ijsdem probante Imperatore Guntherus quidam poteſtatem ac-

Tranſactio controuerſiæ inter Præſules.

Henricus Sanctus.

cipit docendi Luſatios: quem ad gregem infidelium, tanquam paſtorem in lupos, dimiſerunt; & pompa ſolenni ſalutaria ei precati ſunt. Rebus hoc modo tractatis, Imperator petit Halberſtadium, vſus hoſpitio Arnolphi præſulis per biduum: inde ſe contulit Quedilnburgum, vbi ab agnata ſua ADELHEIDE, Othonis Tertij ſorore, benignè inuitatur. Conſecratum ibidem templũ in monte Occidentali III. Cal. Martij. Imperator talentum auri muneris loco offert.

Siffrido Summeringo Comitatus fratris conceditur.

Goslariæ toto deinceps Aprili manſit. SIFFRIDO Summeringio fratris Henrici Comitatum concedit, ibidem locum pomærij ampliat, & ad domos extruendas deſignat areas, & vrbi placitæ noua priuilegia concedit, quæ antea quaſi per villas habitata fuerat. Hoc iniquè ferens Lotharij filius Bertholdus, ſtatim atq; Imperator pedem inde mouerat, vrbem in ſuam poteſtatem redigit: limites fixos diſsipat: Vuigmani Comitis præfectum Baldericum, diu ſibi repugnantem occidit. Hoc vt nunciatum eſt, Imperator vltores eius temeritatis, Principes aliquot ablegat: ſed Bertholdus fuga ſibi conſuluerat. Naſcitur eodem tempore Luneburgi ouis pedum quinque: & luna quæ iam plena erat, hora diei tertia, vt noua apparuit, VI. Id. April.

Expeditio in hoſtes Imperij paratur.

Expeditio tum valida parabatur, contra hoſtes Imperij: ſed nominibus ſupprcſsis omnia fiebant. Copię Saxonum conuenire iuſſæ ſunt, aliæ Magdeburgi, aliæ Miſnæ. nam quò præcipuè eſſet verſurus impetum Boëmus, neſciebatur. Imperator ne vnam ſolùm Reip. partem curaret, in Franciã proficiſcitur. Cùm ad Mœni oſtium veniſſet: coniux eius in valetudinem aduerſam incidit, & inde ſe Capungam contulit: ipſe progrediens, diem Palmarum Moguntiæ; Paſchatis, Ingelhemij; Albatorum Aquisgrani celebrat, tanta frequentia, vt maiorem illis in locis fuiſſe multitudinem, nemo hominum meminiſſet. Conſultabat autem cum ordinibus de Saxonia liberanda, à Boemicis, Slauicis, & Polonicis incurſionibus: deinde de votis ſoluendis, quorum reus coram Deo ſummo erat: hoc eſt, de erigenda baſilica Pabebergenſe, de qua & ipſe & coniux nocte dieq; cogitabant: quæ in morbo, in quem Francofurti inciderat, etiam vota noua fecerat, de cœnobio puellarum extruendo. Aquisgrani dum cauſas aliorum audit: ipſius etiam cauſa cum Metenſe antiſtite, & eius fratre Henrico transigitur ſtudio & prudentia Colonienſis: quæ transactio maxima lætitiæ illius communis cauſa fuit.

Theadagi mors.

Eodem anno vitam claudit Theadagus, IIII. Id. Iunij, vt Ditmarus ſcribit, Antiſtes Pragenſis, diui Alberti ſucceſſor: cui, vt

Coſmas

Coſmas teſtatur, non diſsimilis fuit, qui etſi non corpore, vt ille; animo tamen ſubiuit martyrium. A Bretislao duce aliquoties in exilium pulſus, Echardi Marchionis Miſnici hoſpitio vſus eſt. Hic Corbeiæ educatus, & præter Philoſophiæ cognitionem, medicinæ ſcientia inſtructus fuit, vt idem Ditmarus. Ei ECHARDVS patria Olomucẽſis, ſucceſſor declaratus eſt, è noua eccleſia Numburgana in Turingia, quam annos ſupra tres & viginti magna laude rexerat: pileum & baculum accipit ab Erchenualdo Moguntino, & Ditmaro Mersburgio prid. Non. Nouembris. *Henricus Sanctus.*

Boëmus interea, qui parari contra ſe exercitum non ignorabat, præſidium Bauaricum, quod ei oppoſitum erat, milite Morauico aggreditur: quod cùm ſecurè ageret in otio, opprimitur inſidiis, ita vt vix vllus ſalutem fuga reperiret. Hæc Paderbornam Imperatori nunciantur: in quam vrbem, morbo coniugem liberatam vocauerat, vt ſecum Magdeburgum traduceret: quò venit Non. Iulij. Ea nocte tanta imbrium & grandinum tempeſtas fuit, vt ædificia collabentia vicos & plateas obruerent: euerſæ in ſiluis arbores, vias occuparent. Fruges in agris à culmo vſque ſtratæ, & agricolæ extincti ſunt. Conuenerant ibidem Boëmi, & Luticij euocati ſtipendiis; quos die ſequente trans Albim traducit, & ad Liſcam cœnobium, olim Præſulis Vigenis domicilium, caſtra iubet ponere: ibidem Saxonum quoq; copias expectat: qui cùm moram traherent, poſt biduum caſtra mouet. Henricus Dux Bauariæ exul, à Bretislao reuertit: quos cum eo de pace ſermones habuerit, refert: nec parum gratiæ ab Imperatore offenſo init: redire ad eundem iuſſus, ſi fortè ad ſtudia quieta traducere animum viri peruicacem poſſet; negotium quamuis periculoſum ſuſcipit: ſed nihilo ſanius reſponſum refert, quàm pridem acceperat. Henrico gratiæ aguntur quòd operam ſuam non negaſſet Reip. & ei reditus ad ſuos conceditur, & ſpes iniicitur fore breui, vt facilimo erga ſe Imperatore vtatur. *Incurſio Boëmi.*

MISECO Polonus, Duce Boëmiæ abſente, Morauiæ & Boemię partes peruagatus fuerat, magna præda hominum pecorumque abacta: captiuos milites Vngaris vendebat; quòd ſciret à nullo hominum genere tum tractari crudeliùs ſeruitia, præſertim Chriſtiana. Imperator dolore non exiguo affectus, legato ſuo ſignificat, vt cum exercitu quamprimùm progrediatur: is magna ex parte è Boëmis exulibus, & Luticiis conductis conſtabat: pugnabantque in eo VLRICVS Dux Boëmiæ exul, & Marchio Miſnenſis HERMANVS. Omnem regionem ad vrbem vſque Glogoniam legatus vaſtat; ad cuius mœnia V. Id. Auguſti acceſ- *Polonus Boemiam vaſtat.* *Glogonia vaſtatur.*

 ſit. Ab

Henricus Sanctus.

ſit. Ab ea non procul abeſſe ſciebat BRETISLAVM Boëmum: verebatur autem ne cum MESICONE ſe coniungeret: neue omnem audaciæ impetum, duo barbari homines, in Germaniam conuerterent: aut vicinam Boëmiam, quæ in ipſius erat clientela, furore communi perderent. Boëmus cognita hoſtium præſentia, feſſum eius militem ad pugnam laceſsit, & immittit ſagittarios: ſed Imperatoris legatus, militem ſuū continet, neue excurreret in hoſtē, pœna ſtatuta interdicit. Simulabat autem ſe Glogouiam obſeſſurum: ſed interea mittit, qui vrbē Nemiſam occuparent, nouerat enim illam nondū habere præſidium: eam autem capere expetebat, vt eſſet ſuarū copiarum receptus. Hanc ciuitatē conditam à Germanis ſcribit Ditmarus: eiq; nomē à monte quodam prælto inditum: in quo peragere ſoliti ſunt frequenti multitudine ſua olim ſacra populi illi gentiles. Accidit vt vno temporis momento ad eam aduentarent vtrique exercitus: ſed nox appropinquans tardata legatum eſt, quia obſcura erat pluuia: vndè factum eſt, vt intra mœnia Boëmus miles reciperetur, noſtris prohibere nō valentibus. Quamobrem ad eam obſidendam milites ſe accingebant: qua expugnata, putabant magnum ſe aditum aſſequi ad reliquam victoriam: neque quidquam omittebat legatus laboris aut induſtriæ, qua voti compos fieret. Machinas qualeſcunque Germani faciebant, tales ex aduerſo videbant ipſi mox extructas: hoſtibus omnia imitantibus, & repugnantibus acerrimè. Creditum eſt ꝓditꝰ cōſilia legati; ſed auctor deprehendi nullus potuit. Ex ea vrbis parte, qua Luticij caſtra habebant, à religione homines alieni, vexillum efferebatur, quod crucis Chriſti inſigne habebat: idq; in opprobrium Imperatoris, qui tali milite vteretur: & in terrorem hoſtis, nam id auſpicatum ſuis eſſe, experiebantur. Accepta aliquoties clade, ita diſsimulabant omnia oppidani: vt nulla triſticiæ aut gemitus vox ad legatum perueniret. Miles Morauicus, qui Bretislai ſtipendijs merebat, & quo ipſe confidebat maximè, viuebat præda & rapinis: & inſtinctu Ducis ſui, in Boëmiam incurrebat, trahens & conuaſans omnia. Id HENRICVS Marchio cùm fieri audiret: inſecutus prædones equitatu ſuo, mille ex iis interficit, & cæteros in fuga diſpergit.

Nemiſa obſeſſa ab Imperatoris legato.

Hæc dum in Boëmia agerentur, manum prædatricem alio in loco mittit in Miſniam, quæ traiecto Albi, oppidū Belgram ſpoliaret: ſed præmoniti illi à ruſticis, qui rumorem detulerant, ſuos penates tuentur, & Boemū reiiciunt. factum hoc eſt XIIX. Cal. Sept. Capti ex iis aliquot, ſpoliati & nudati coniiciuntur in flumen.

Luticij

Luticij qui domi reſederant, abſente Imperatore ſecuriores, vrbem quandam Marchionis oppugnare tentant: in cuius oppugnatione cùm vltra ſocios centum amiſiſſent: veriti ne pœnas imprudentiæ luerent, vaſtato circumquaque agro, domum reuertuntur. *Henricus Sanctus.*

Fuerat annorum multorum ſimultas inter GODFRIDVM Ducem Lotharingiæ, & Comitem GEBHARDVM: hic autem congrediendi cum hoſte auidus, Ducem prouocat non ſolùm literis & nunciis, verumetiam iniuriis manifeſtis: neue illi ſe excuſandi cauſam relinqueret; locum congreſſus deſignat, & tempus nominat. Godfridus ne ignauia homini inferiori ceſsiſſe videretur, ſocios & clientes ſuos armat, & in conſpectum prouocatoris progreditur. Datis vtrinque ſignis concurritur & fortiter pugnatur. Gebhardus prouocator, vt ferè ſolet accidere, vulnus accipit: eius filius Siffridus, vt ſcribit Gemblacenſis, occiditur: vt Ditmarus, in hoſtis poteſtatem viuens venit. Ceciderunt in eodem conflictu circiter trecenti: inter quos omnium lætitiam auxit, cædes Vualteri cuiusdam Burgundi: qui ſeruitutem ſeruierat apud Gebhardum: factus is è Sacerdote miles, è captiuo graſſator fuerat: qui quoties gladium hoſtis ſanguine conſperſum viderat, cachinnos edidit: & quia loca hoſtilia, quocunque perueniret, flammis in puluerem redigebat, eam ob cauſam, cognomento Puluerem, reliqui milites appellabant. De Lotharingi exercitu non plures, quàm triginta occiſi ſunt: ſed vulnerati viri ſplendidiſsimi duo: BALDERICVS Imperatricis agnatus, & CONRADVS, qui Erneſti Ducis viduam in matrimoniũ duxerat, & poſt Henricum imperabat. Facta hæc pugna eſt VI. Cal. Sept. vt ſcriptum reliquit Ditmarus, anno ſupra milleſimum octauo decimo. Gemblacenſis neſcio quàm conſideratè annum ponit decimum quartum. 1018. *Pugna inter Lotharingum, & Gebhardum Comitem.*

Imperatoris legatus in obſidione Nemicenſe ſpacium longius conſumens, quàm exiſtimauerat, ſuos ad vrbem oppugnandam hortari cœpit, idq; tribus inſtituit partibus facere: negotium illud dedit Duci Boemiæ exuli, & Marchioni Miſnenſi, & Luticiis: qui cùm inſtrumenta ad id parata admouerent, iniecto ab oppidanis igne, cremata ſunt: nihil territi præfecti, ſcalas adhibent, & muros conſcendunt: ſed virtute hoſtium, nihil dignum laude agunt. Poſtquàm expertus omnia legatus fruſtra eſſet; cum quibusdam intimis de diſceſſu deliberat: præſertim cùm Vratislauiæ agens Bretislaus, militem nouum colligeret. Iter igitur cum VLRICO in Boëmiam ſuſcipit, vt ibi animos populárium *Irrita oppugnatio Nemeſ[illegible].*

 confir-

Henricus Sanctus.

confirmaret. Erat orta inter milites diſcordia, quòd à Miſnenſibus Luticij eſſent irritati. Nam iactu lapidis miles quidam diſciderat Luticiorum vexillum; in quo neſcio quæ ipſorum Baba fuerat depicta: quam diſcordiam vt tolleret legatus, & impios feroſque homines à ſe dimitteret placatos; duodecim talenta argenti, mulctam Hermano dicit mandato Imperatoris: propterea quòd ſuis tantum licentiæ conceſsiſſet contra ſocios. Imperator certior factus de ſtatu Reip. difficili, vt rebus conſuleret inclinatis auctoritate & præſentia ſua, Miſnam accedit: ibique ſtatim nuncium accipit de obitu HENRICI Marchionis, Francorum (vt Ditmarus ait) decoris, qui XIV. Cal. Octob. vitam Sueinfurti clauſerat. Is & ab Henrico Vurciburgio & à duobus alijs Præſulibus Eberhardo & Ricculfo, extra fores templi conditus eſt, quod viuens ipſe fieri præceperat.

Henrici Marchionis mors.

Bretislai præda in Bohemia & Miſnia.

BRETISLAVS allato Vratislauiam nuncio, de hoſtium diſceſſu, præ læticia exiliit: & equites mox ſexcentos ire iubet, qui prædam ex Boëmia, quantam poſſent, auferrent. Id enim fauente illis fortuna aliquoties impunè fecerant. Ire iuſsit & alios, qui Miſniam deprædarentur: nunquam enim paſſus eſt, militem eſſe ocioſum. Illis qui in Boemiam iuerant, conatus malè ceſsit: nam magna ex parte interfecti captique ſunt, cùm in armis adhuc Boëmi eſſent: hi verò in Miſnia inter Albim & Mildam fluuios vltra mille homines in agris captos, ſumma celeritate abducunt, & multa in agris incendunt ædificia. Erat hæc Boëmi conſuetudo, non copiis iuſtis dimicare, neque ſe hoſti armato offerre obuiàm: ſed quærere occaſiones incurrendi, vbi minimè putaretur id poſſe fieri: ideo rarò iter faciebat toto exercitu, aut in vnum aliquē locum militem colligebat: ſed diſperſum hinc inde habebat in præſidiis; & viuere permittebat raptu, cùm iuſta non poſſet ſtipendia propter inopiam ſoluere, aut bellum rationibus legitimis gerere.

Luticiis interea aliud accidit incommodum, ſimili prodigio. nam vnius (vt dixi) deæ vexillum lapide ruptum erat, temeritate militis Miſnenſis: alterius vnda periit, cum quinquaginta militibus in Milda fluuio, quem prope Vurcinam oppidum, fortaſſe Boëmorum metu, nimis feſtinantes tranſire parauerant. Superſtites reuerſi domum, exponunt, quantum illis contumeliæ acciderit, & quàm parum ſpei ſit in armis Imperatoris: ideoque ſuis nituntur ſuadere popularibus, vt ſe à Germanorum amicitia ſeiungerent: & ſtatu rerum dubio, & occupato paſsim magnis bellis Imperatore, ad priſtinam libertatem

tatem aſpirarent. Hæc dicebantur valde cupidis & ſuſpenſis: verùm qui longius prouidebant, & temporum priorum repetebant memoriam, viri prudentes, ſermones de pace faciebant: & plebẽ nutantem abducebant à propoſito leui, & ferendam ſeruitutem ſuadebant, donec ſua numina haberent magis præſentia. *Henricus Sanctus.*

Imperator Cal. Octob. iterum adit Mersburgum: ad quem Boemiæ Ducum legati veniunt: Primùm VLRICI, qui amicus Imperatoris erat, petitum, vt Pragenſibus dignus Præſul mitteretur, qui ex eccleſia Numburgana (vt antea dictum eſt) Echardum acceperant, ſenem, eruditum & bonum: Deinde BRETISLAI, qui rogabat, vt captiui dimitterentur. quòd ſi Dux impetraret, ſe quoq; Ludolphum, virum nobilitatis præcipuæ, dimiſſurũ. Explorabat idem tacitè animos Principũ, num de pace fieri ſermones commodè poſſent: dicebat enim nõ ſui domini culpa factum, quo minus pax proceſſerit antea; ſed aliorum aut iniquitate, aut potius metu, qui credere ipſi noluerint. Idem etiam explorabat, cur Ruthenorum Dux, ita vti clàm promiſerat, auxilio Imperatori non venerit: erat enim ei minatus Bretislaus; & auxilia fratri ipſius & genero promiſerat, qui expulſi à Rutheno erãt, & tandem Bretislai opibus viribusq; reſtituti. Facta iterum pacis ſpes Boemo eſt, & legatus honorificè dimiſſus: & vrbs Budiſsina deſignata, in qua de pace vtrinque ageretur. Menſem ibi totum legatis dederat Imperator: inde profectus Alſtetam, ſolennem omnium Sanctorum diem peragit. Eadem in vrbe Herduigum Abbatem Numburganum, iubet conſecrari à Gerone Antiſtite: Mersburgio Præſuli Rochlicianam, Lipſienſem, & Oſchatianam eccleſias, cum certis fundis & reditibus aſsignat. *Boemiæ Ducũ cum legatis ad Imp.*

Profectus è Saxonia in Franciam, Pabergæ conſiſtit: Henricũ Bauariæ Ducem, Antiſtitis Treuirenſis rogatu, & Guncelinum Marchionem Miſnenſem, in gratiam recipit: ille exul iam fuerat annos octo & menſes totidem: hic in vinculis Imperatoris, etiam Ducis Boemiæ detentus, annos propemodum ſeptem. *Henricus Bauarus & Guncelinus Marchio in gratiam recipiuntur.*

Eodem menſe publicæ calamitates acciderunt locis diuerſis: Templum Traiectenſe, & Edbaldi Præſulis domus incendio cremantur: aula item imperialis Poledæ in Saxonia: præterea Ileburgum, Comitis Diterici oppidum. *Calamitates publicæ.*

Inuiſens deinceps Imperator Vurciburgum, quo Gundegarum Eiſtadium euocauerat, ad natalis Chriſti celebrationem, Francofurtum properat. Hanc vrbem Caroli Magni temporibus, quibus de ſumma rerũ inter ſe Franci & Saxones pugnarunt, eſſe conditam plerique ſcribunt: inter quos etiam Ditmarus, *Vurciburgũ quando conditum.*

qui

Henricus Sanctus. qui ait Carolum à Saxonibus pulſum ad Mœnum veniſſe, nec reperiſſe tranſitum: donec cerua fortè oblata, vadum monſtrauerit, à quo vado vrbs nomen acceperit. Alij à Saxonibus tradunt impulſos Francos, vt abitum maturarent, & inde ſe fuga proriperent: à qua impellentium voce, quæ Germanis idem quod traiectus ſignificat, vrbem deinceps vocatam. Hæc ego refero, nõ quia credo veram eſſe aut hanc cauſam, aut illud de cerua prodigium: ſed quia monumentis teſtata meliora non habeo. Caſtra è ripis aduerſis gentem olim Francicam & Saxonicam habuiſſe; & inde vrbium relicta nomina, negari non poteſt: nam in hunc diem in Francia, Saxonia, Turingia, Miſnia aut villas, aut arces aut oppida, ad fluminum ripas eorum populorum appellationibus extare, manifeſtum eſt.

1019. *Pax Imperatoris cum Boemo.* Legato Boemico ſpem pacis factam, paulò antè meminimus. Peractis igitur illorum dierum ſolennibus, Budiſsinam cum poteſtate eunt Antiſtes Magdeburgius, & Præſul Halberſtadius, iiſque adiuncti Hermanus & Ditericus Comites, & Fridericus quidam Imperatori à cubiculo. Hi cùm Imperatoris mentem expoſuiſſent, & viciſsim Boemi voluntatem cognouiſſent: conditiones inueniunt, quibus ſancita pax eſt: Boemus obſides dat, & Odam Echardi Marchionis Miſnenſis filiam ſe ducturum promittit: quæ cùm à cubiculario nunciata Imperatori eſſent, conditiones approbauit. Publicata pacis capita ſunt III. Cal. Febr. anno ſupra milleſimum nono decimo. Otho ſponſæ frater, puellam Bolislao deſponſatam, Citium ſtatim deducit.

Liberatus eodem menſe in Longobardia eſt EZELINVS, qui in cuſtodia quadriennium egerat: cauſa nec vinculorum, nec liberationis, nuſquam quod ſcio, expreſſa.

Luticiorum rebellio. Luticij homines effrenes, cum Obetritis & Vuaris conſilia inierunt, quomodo iugum religionis excuterent, quo illis grauius nullum videbatur. Ipſi ſe belli auctores affirmant: reliquos paratos & quaſi ſuccenturiatos eſſe iubent, ſi vis aut periculum maius ingruat. In ditionem primùm Micislai irruunt, & vxorem ac matrem eius ex arce fugant: ipſe intra mœnia Suerini ſe recipit. Sæuierunt paſsim in barbarum morem, & Sacerdotes ſuppliciis penè inauditis ſuſtulerunt, & templa fregerunt omnia: vt ſcelera libidinum & iniuriarum alia omittam. Multi qui eorum arma & manus euaſerant, exules facti, ad Bernuardum Hildeshemium, qui è collegio Magdeburgio electus fuerat, confugiunt: quos ille hoſpitio non grauatè excipit: & Imperatorem de ſtatu eccleſiæ miſero & indigno, certiorem facit, & auxilium

implorat.

implorat. Dilata deliberatio eſt, ad feſtum vſque Paſchatis, quo frequentem eſſet habiturus Principum conuentum: Interea moneri & confirmari iuſsit eos homines, vt ſe viros recordarentur: nec, inſtar pecorum, fugæ ſe cõmitterent, aut arma deſperabundi abiicerẽt: tantus enim terror plebem inuaſerat, vt inermes capita ferienda præberet, nec vlli hoſti cogitaret reſiſtere: tantùm inſtare diem extremum, & perditum iri omnia clamaret. Bernuardi adhortatione cùm exules quidam animoſiores ſe ad ſuos reciperent, & arma ferre contrà auderent; fortuna mutata eſt: & ſperare cæteri melius cœperunt. *Henricus Sanctus.*

Detinebatur adhuc apud Phryſios in vinculis Dux Lotharingiæ GODFRIDVS. Nam cùm ARNOLPHVM Gandauenſem occidiſſet, filius eius DITERICVS, Flandriæ Comes, eam vlciſci iniuriam ſtatuit. Quod cùm efficere ſoli eſſet difficile: ab Imperatore petit auxilium: qui Godfridum ei adiungit, virum militarẽ & ſibi probatum. In pugna neſcio qua voce prodigioſa, quaſi terrore (vt dicitur) Panico perculſi Lotharingi & Flandri, fugam capeſſunt: multi eo prælio cadunt, & Godfridus in tumultu capitur. Transacta poſtea res eſt: vt Phryſiis ignoſceretur, & dimitteretur Godfridus. Hunc paulò pòſt morbo oppreſſum & mortuũ, & ei fratrem GOTHILONEM ſucceſsiſſe, tradit Gemblacenſis: ſed non ſatis, vt ſolet, accuratè. Rudolphus Dux Burgundus Imperatoris auunculus, ſceptrum & coronam, conſentientibus vxore, & priuignis ad Imperatorem defert, & præſtat eidem obedientiæ ſacramentum: id factum optimatium voluntate & aſſenſu, Ditmarus ait: ſed aliter Gemblacenſis, qui ait ipſum irritatum ſuorum iniuriis, id feciſſe: quas cùm agnoſcerent, & ei ſatisfacerent, ab eo propoſito fuiſſe reuocatum; quam tamen ſatisfactionem ſimulatam fuiſſe, idem non negat. Sed Ditmaro accedo, qui inter conſiliarios vtriusq; actam rem teſtatur Moguntiæ, menſe Februario, anno ſupra milleſimum vndeuigeſimo: Gemblacenſis vigeſimo. *Gotfridi Lotharingi è vinculis liberatio, & mors.* 1019.

Secuta eſt Synodus Nouiomagenſis XVII. Cal. April. in ea quid ſit actum, non exprimitur: excepto diuortio inter Othonẽ Summeringium, & Irmigardim eius vxorem, quod propter ſanguinis propinquitatem diuulſum coniugium eſt: item excepto decreto illo eccleſiaſtico, quòd in ſacris faciendis corpus Dominicum ad altaris dexteram, calix ad ſiniſtram locandus eſſet. Antiſtes Mediolanenſis, & Volcmarus Abbas Fuldanus eodem vere ex hac vita deceſſerunt: illi ſucceſſor datur Eribertus, eiusdem templi præpoſitus: huic Ricardus. Annales Fuldani Volcmarum *Synodus Nouiomagenſis.*

non

Henricus Sanctus.

non habent, ſed habet Ditmarus: gubernauit autem vtranq; eccleſiam Lorishemiam & Fuldanam: ideo fortaſſe in annalibus nomen eius præteritum.

BALDERICVS de nece Vuigmani ſe purgare iuſſus, cùm nihil humiliter diceret, aut faceret: ſolum mutare ad tempus cogitur.

Conuentus Gatterſlebien.

Altero conuentu Gatterslebio reconciliantur GERO antiſtes, & BERNARDVS Marchio, ne quid Saxoniæ mali ex ea ſimultate oriretur. Coëunt etiam concordia GODFRIDVS dux & GERHARDVS Comes auctoritate Imperatoris: & ſe iniuriarum depoſituros memoriam confirmant. Bertholdus quidam Munnam ciuitatem inuadens, cremauerat cum oppidanis: ideo ad Imperatorem ſponte acceſſit, quaſi re bene geſta. Quamuis autem digni ſupplicio ciues mali & rebelles fuiſſent: tamen lata capitali & admodum ſeuera in Bertholdum ſententia, Imperator declarauit, id factum ſibi non placere: cùm bellum non legitimè illatum, & pœna nimis atrox eſſet conſtituta: ideo & Bertholdum & ſocios eius rogis imponi, & tolli eodem ſupplicio mandabat.

Lamberti Præſulis Conſtantienſis mors.

Interea Nouiomago Imperator diſcedens, die Rogationum celebrat Aquisgrani, Pentecoſten Ingelhemij. Obiit præſul Conſtantienſis LAMBERTVS, XVII. Cal. Iun. morbo fœdo, erumpentibus è corpore vermiculis: cui Rodhardus ſubſtituitur, quem à ſacris habebat Imperator, & amabat inter præcipuos.

Confluentiam accedens denuo, audit cauſam OTHONIS Comitis: qui cùm humilis atque ſupplex appellaret Moguntinum, ne facere diuortium cogeretur, cum vxore ſibi cariſsima, nihil omnino impetrat. Cùm ſe ſubiturum pœnam eccleſiaſticam profiteretur: & promitteret, quam vellet antiſtes, ſatisfactionem: exire è conſpectu Antiſtitis iubetur. Erat illorum temporum mos grauis, vt in animaduertendo ſeueritatem dignam bonis moribus obſeruarent: & ideo à flagitiis abſtinebant homines, & magiſtratus erãt in maiore obſeruantia. Veniam autem homicidij Baldericus impetrauit: & quòd coactus facinus admiſiſſet, & quòd cædem ſe piaturum polliceretur.

Sublatus è viuis eſt VIII. Cal. menſis prædicti, HENRICVS Dux, qui limites inter Vngaros & Bauaros tuebatur, vir fortis & gratioſus: cuius morte nunciata, dolorem animo cepit Imperator. Burgũdi diœceſim Argentoratenſem rapinis & incendiis vaſtauerant: ideo Imperator Baſileam properabat, vt Burgundos reijceret. Coniugem intereà mittit Capungam, quæ eo loco delectaba-

lectabatur, & collegium ibi Veſtalium inſtituerat. Inde itinere per Franciam facto, diuertit Ratisbonam ad fratrem HENRICVM: qui reconciliatus iam erat, & Bauaris commendatus. Fuit ea æſtate tota, aëris perpetua intemperies: quæ cùm ſpem frugum maturandarum adimeret, rerum venalium caritatem induxit. *Henricus Sanctus.*

Abſente Imperatore, iniuriæ Præſulibus vndique ſunt illatæ, Bruno Mersburgius à quodam Alberto, in ſua arce obſeſſus eſt: Bernuardus Hildeshemius, ab Altmano Comitis Brunonis milite, ſuum quendam familiarem vidit interfici, nec ſeruare carum ſibi hominem potuit. Suidgerus ſeu (vt alij) Siffridus Monaſterienſis ab aduerſario petitus enſe eſt: cui cùm ſe villicus fidus obiectaſſet, in eo veſtigio occiditur, & eius ſanguine veſtis Præſulis contaminatur. Meinuerdum Paderbornium, Bernardi Ducis frater, Ditmarus inuaſit: & ex eius ditione prædas pro lubitu egit. Colonienſi bellum denunciauit HENRICVS Comes Hermani filius: eò quòd matrem ſuam detineret captiuam. Harum iniuriarum omnium querelæ deferuntur ad Imperatorem: qui cùm viris illis faueret, animo admodum ægro inſolentiam nobilitatis tulit. Acceſsit GERHARDI iniquitas, qui Francos turbauit, ſpoliatis aliquot ipſorum oppidis. *Præſulibus illatæ iniuriæ.*

Hæc in abſentia Imperatoris fiebant, qui bello Polonico, cuius Lambertus meminit, ſupra milleſimum decimo quinto, contra Boleslaum intentus erat: quod tamen propter contagionem peſtis, quę exercitum penè exhauſerat, perficere non potuit. Cùm à propoſito deſiſteret, vltione quadam diuina: Polonus non ignarus, eum neceſsitati ceſsiſſe, non armis ipſius; prouidebat ipſum non quieturum, ſi cœlum fortè nactus foret clementius & occaſionem aptiorem. Itaque ratus ſibi eſſe vtilius, gratiam potentioris quærere, quàm fortuna incerta bellum perſequi, legatos de reconciliatione mittit in Saxoniam: quos cùm Imperator admiſiſſet; impetrata pax eſt, & propoſitæ conditiones. 1015. *Polonus pacem ab Imp. petit.*

Solus obſtabat publicæ tranquillitati BERNHARDVS Dux Luneburgius, ſtrenuus quidem Princeps, ſed totus (vt ait Helmoldus) infectus auaritia: eum iuuabat Ditmarus frater: magnis vterq; vſus priorum Imperatorum beneficiis: hi gentes ſibi commiſſas crudeliter opprimebant, & ad quandam neceſsitatem Paganiſmi redigebant, exigendis iniuſtè pecuniis & oneribus grauiſsimis imponendis. Accidit vt Miſtiuoius Dux Vinulorum Bernhardi neptim ſibi vxorē peteret: nec eam conditionem Bernhardus recuſauit: ſed Ditericus Marchio Stadenſis, virginem ingentiam cani (hoc enim nomine Semipaganum Principem appellabat) 1020. *Slauorum defectio.*

Henricus Sanctus. pellabat) non eſſe dandam, dixerat. Inde aperta Slauorum defectio conſequitur: & adoleſcens cupidus, ignominiaque affectus, & ſibi factam & toti genti iniuriam putabat magnopere vindicandam. Quamuis autem initiò conuiciis proſcinderetur, quòd genti Saxonicæ auaræ & perfidæ, vt Slaui dicebant, ſe crediďiſſet, eique eſſe voluiſſet affinitate iunctus: tamen perſuaſi facilè ſunt, vt arma cum ipſo iungeret: nec tam contra Saxones, quàm contra religionem dimicabant: idq; declarabant vaſtandis templis, & interficiendis ſacerdotibus. Duplex vexabat eo tempore rempublicam Chriſtianam calamitas: gentis Slauicæ tumultus; & Bernhardi Ducis ab Imperatore defectio. Slauis ſe opponebant, pauci Saxones; quos iuuabat opibus & conſilio Vnuanus Antiſtes Bremenſis: hi enim honeſtius putabant mori in armis, quàm more pecudum trucidari. Bernhardi factio obſidebatur in arce Schaldenburgia, vt Ditmarus & Helmoldus eam nominant: ad quam expugnandam, Imperator aliquot cohortes mandauit conſcribi.

Bernardus Luneburgius veniam petit. Videns tandem Luneburgius ſibi audaciam & temeritatem fore detrimento, veniam petit: & facit deditionem, & cum Vnuano in caſtra proficiſcitur: & amplectitur manum Imperatoris, & in poſterum fidelis Principis munere atq; officio fungitur. Slaui in propinquo eſſe audientes, Imperatorem, ad Vuerbenam accedentes, vbi ipſum agere intellexerant, ſe arma depoſituros promittunt; ſuaque ipſum aſtutia ne quid grauius paterentur eludunt: nam ſtatim vt abierat, redeunt ad ingenium.

Dedicatio Baſilicæ Pabebergicæ. Cùm iam reparata in Germania pax eſſet, HENRICVS Imperator Benedictum VIII. Pont. ex vrbe pollicitationibus euocat, ad templum Pabebergicum dedicandum, quod ſumptibus magnificis extruxerat. Ea dedicatio tot hominum exterorum, & aliorum mortalium celebritate, facta eſt: vt nihil ad eum vſque diem Germania viderat ſplendidius atque frequentius. Aderant ſimul oratores multarum gentium, & omnium nationum finitimarum. Habitum miraculo ſimile eſt, in tanta multitudine, tamq; diuerſa, nullum non modò tumultum, ſed ne minimam quidem cõtentionem fuiſſe coortam: quod fieri inter miniſtros ſolet: vndè etiam dominorum apparuit grauitas & diligentia. *Pabeberga vnde denominata* Datæ præterea publicæ epulæ ſunt omnibus hominibus, quotquot aduenerant; & diſtributa vicatim donaria. Vrbem Pabebergam, à Paba puella Saxonica nominatam, tradunt annales noſtri: à duce Pabone, Coſmas Pragenſis: ab augurio in oppoſitis montibus capto, alij nonnulli aiunt.

Poſt

Poſt diſceſſum ex eo conuentu Erchenualdo Antiſtiti Moguntino, OTHO comes Turingiæ in via poſuerat inſidias. Antiſtes comitatum amplum ducebat, partim terra, partim flumine: ſed admonitus, cum equitatu inſidias Othonis effugit: qui autem Rheno vehebantur, in eum inciderunt; quos aggreſſus telis, cum naui obruit: quos autem ex iis ceperat, in eos animaduertit eò crudelius, quò magis dolebat Antiſtitem, cuius ſanguinem expetebat, euaſiſſe. Arx ad Rhenũ Hammerſteina, munita erat natura & ingenio, quæ fuit ab Othone electa propugnaculum: in q vxorem & fortunas, & ſupellectilem precióſiorẽ contulerat. Ad eam expugnandam præfectos mittit Imperator: fameque atque inedia adigit, vt deditionem faceret, VII. Cal. Octob. anno ſupra milleſimum vigeſimo. *Otho Thuringiæ Comes inſidias ponit Moguntino*

Imperator Saxoniam peragrans, operam dabat legatis audiendis, & paci ſtatuendæ: affluentibus, vt in Chronico Quedilnburgio, è tota ferè Europa, hominibus. In vrbe Quedilnburgo reſiſtit propter dedicationem templi, præſente Adelheide patruele, ſorore Imperatoris Othonis III, item Cunegundi coniuge, & ſorore Sophia, Sacerdote Paderbornia. Ibidem congreſſu ſuorum optatiſsimo, & ſermonibus dulciſsimis, dies aliquot cum ſumma lætitia perfruitur. Baſilica dedicatur VIII. Cal. Octob. anno ſupra milleſimum primo & vigeſimo. 1021.

Expetiuerat nuptias ſororis Cæſaris, TOXIS Vngariæ Rex, Geiſæ filius; quibus Regibus exuere feritatem Scythicam Vngaria cœperat, & Chriſto Redemptori colla ſubmittere. Multa obiiciebantur impedimenta, ab ipſorum Regum popularibus, qui turpe ducebant, ab iis iugum accipere prouinciis, quas ipſi ſpoliarant: & eorum ferre leges populorum, quos multo ſanguine ſuperauerant. Erant videlicet Vngari magis Regibus ipſorum timendi, quàm vlla alia vllius hominis potentia. Venerat in Vngariam temporibus illis Albertus Antiſtes Pragenſis, & nobilitate, & doctrina, & vitæ inſtituto vir grauiſsimus. Alij vocatum à Rege ſcribunt: alij vt iter illud ſuſciperet, incitatum aiunt diuinitus. Is in plantanda religione ſancta, omne ſtudium adhibuit: & ad eam propagandam omni occaſione vſus eſt. Ab eodẽ ferunt, ſacris vndis ablutum Regem Toxim, & vocatum STEPHANVM, & inſtitutum moribus melioribus: qui Rex cùm in poteſtatem ſuam rebelles redegiſſet, vt ſe ampliſsima affinitate muniret, propoſitum perſequitur de adducenda Imperatoris ſorore: ſed cùm timeret vulgi leuitatem & contumaciam Imperator: & à Rege Stephano, & à populo eius vniuerſo, iuramentum petit; *Giſela Toxi Vngaro deſponſatur.* *Toxis baptiſmus.*

 affir-

Henricus Sanctus.

affirmans non cogi ipſos ad vllam ſeruitutem, ſed proponi eis vitam liberrimam, quæ eſt in cultu Dei, & in obſeruantia maieſtatis cœleſtis: nec enim vocari Chriſtianos ad fidem, tanquã mancipia: nec obligari fideles ipſis hominibus, ſed Domino cœli æterno & omnipotẽti: qui animos volentes, & cultores liberos poſtulat, & ſuo quidẽ iure: cui omnia, ſupera, media, ima, hoc eſt, cœli, terræ, mariaq; ſubſunt atq; obediũt: quẽ quidẽ qui ſincerè agnoſcit, colitq; fideliter, ab omni ſeruitute improba & immani, imò à Sathana ipſo, perpetuo generis humani hoſte, liberatur: tũ ſponte pâret, quibus parendum eſt: veroq; Dei & Chriſti amore, per Spiritũ ſanctum inflammatus, magiſtratũ obſeruat, omnibus benefacit, nulli nocet, vitã & opes pro Rege, pro patria, pro religione ipſa confidenter profundit. Hæc legatis Vngarorũ cùm eſſent propoſita: & cùm vires opesq; imperij ſibi affore, ad tuendos ſitus Chriſtianos, & religionis commune vinculum intelligerent: Regis ſui nomine Germaniæ Principes orant; vt Regem in propoſito ſalutari confirment atque adiuuent, & vires ſuas in propaganda religione, ſi res poſtulet, experiantur. Reſponſum iis ex ſententia eſt, & tradita puella ad deducendum. De nuptiis Stephani alij aliter: ipſum coniuges habuiſſe duas, dicendum eſt, aliter enim Germanorum & Vngarorum annales nequaquam cohærent.

Stephani Regis Vngariæ matrimonium.

Prima fuit Giſela, de qua nunc loquimur, Imperatoris ſoror, quod maior pars affirmat: altera ei cognominis, Guilelmi ducis Burgundiæ filia, qui Sigiſmundi frater perhibetur, & qui inter diuos relatus eſt: nam eum cum duobus filiis Galli in puteo merſerunt. Meminit huius diuerſitatis etiam Bonfinius: ſed quid tribuendum ei hac parte ſit, non poſſum certò ſtatuere. Aliqui è noſtris ſcribunt Giſelam Henrici II. ſororem, ſæuiente Aba, in Germaniam reductam, ab Heinrico III. Imp. ne quid ei indignum accideret, ætate iam grandi: nec ſepultam in Vngaria, ſed in monumentis Ducum Bauariæ. In cœnobio Niderburgio Paſſauiæ, vt alij: ſeu, vt alij in Paulino, Ratisbonæ. Hoc ſi ita ſe habet, habere aliam vxorem nullam Rex Stephanus potuit quàm Bauaricam. Si quis certiora aliquando inueſtigauerit, his rebus obſcuris lucem inferet.

Conuentus Alſtetenſis.

Abſoluta dedicatione templi Quedilnburgij, Imperator conuentum indicit Alſtetam: ibique & cum Principibus aliis, & in primis cum Saxoniæ Ducibus deliberat, de Italia vendicanda, cùm victi ante annos decem Saraceni, nouos iam motus

cieuiſſent.

Henricus Sanctus.

cieuiſſent. In illis comitiis, cùm alia multa cum Saxonibus eſt honorificè locutus: tùm illud dixit præcipuè, ſe poſt ſceptrum Imperij, nihil habere in terris gente Saxonica carius. Facta deinceps mentio eſt collocutionis, quæ ante biennium ſuper Carum fluuium (vt Gemblacenſis ſcribit) habita fuerat, inter Imperatorem & Robertum Galliæ Regem: in qua de conſtituenda & conſeruanda pace in Italia, fuerat actum: eius fœderis Regem rurſus eſſe admonendum Principibus placuit. Quid conſecutum ſit, literis non eſt planè mandatum: ſed in Saracenos arma ſumpta, & vrbem Troiam denuo à barbaris tentatam: è Mariano Scoto, & Chronico Quedilnburgio poteſt intelligi; & exercitum peſte dilapſum, aut conſumptum, & rem relictam infectam, etiam tradunt alij.

Mors aliquot Præſulum. 1023.

Obierunt hoc tempore Antiſtites & Præſules, Moguntinus, Pragenſis, Magdeburgius, Halberſtadius, Megalburgius: quod cùm ſingulæ eccleſiæ ad Imperatorem de more detuliſſent, Pabenbergæ tunc agentem diem nati Chriſti ſolennem: Moguntinis Aribonem Comitem Andechſium, Pragenſibus Hizonem, Magdeburgiis Humfridum Francum, Halberſtadiis Brandagũ, vel (vt Ditmarus) BronhagumFuldanum, Megalburgiis Hubertum dedit.

1024. *Morbus & mors Henrici Imp.*

Cœpit laborare valetudine aduerſa Imperator: eſtq; de ſucceſſore idoneo inter Principes actum die Palmarum Alſtetæ: die paraſceues Numburgi: inde Magdeburgi, Halberſtadij, Goslariæ, Groningæ. Non dubijs autem ſententiis declaratus eſt Conradus II. Dux Franciæ, egregiæ videlicet gentis, & egregiæ libertatis, vt idem ait Gemblacenſis. Morbus Imperatoris, cùm grauior indies fieret: Groningæ vitam cum morte commutat, anno ſupra milleſimum quarto & vigeſimo, III. Idus Iulij, vt rectè noſtri annales, Nam Itali pr. Id. ſcribunt. Factum id anno ætatis ipſius ſecundo & quinquageſimo: imperij ſupra tertiũ & vigeſimum, menſe quinto, vt Marianus. Corpus è Saxonia magnificè transfertur Pabebergam: & ibidem inſigni monumento conditur in templo Petrino. Ipſius coniux poſt mariti obitum velamen ſumit Cophungi; quod erat cœnobium ab ipſa extructum: moritura autem vetuit, ne quid auri eius feretro imponeretur: vtque ad tumulum fratris, & ad mariti latus conderetur, amicis præſentibus mandauit.

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS

ORIGINVM SAXONICARVM
LIBER III.

DE DVCIBVS BAVARIÆ, SVEVIÆ, ET Carinthiæ, è gente Saxonica natis.

DVCES BAVARIAE, ET MARCHIONES Turingiæ.

HENRICVS I. IMP.
vxores duæ:

1. *Hatburgis, Eruini C. Merſburgij F.*
2. *Mathildis, Diterici Comitis Ringelhemij F.*

Dangmarus Comes Turingiæ.

OTHO I. Imp. vide fol. ſeq. — *Henricus I D. Bauariæ. vx. Iuditha Arnolphi D. Bauariæ F.* — *Bruno Antiſtes Colonienſis.*

Conradus ab Vngaris cæſus. — *Henricus II. D. Saxoniæ & Bauariæ. vxor Giſela Conradi D Lotharingiæ F.* — *Gerberga Ab. Ganderſheimia.* — *Helica Ab Pataujenſis.* — *Bruno I. M Saxoniæ. vx. Hildeſuinda C. Croatiæ F.* — *Iuditha vx. Burchardi C Helfenſtenij.* — *Heduigis vx. Burchardi D. Sueuiæ.*

Henricus adoleſcens obijt. — *HENRICVS III D. Bauariæ, IMP. II. vx. Cunegundis Siffridi Pal. Rheni F.* — *Bruno Præſul Auguſtanus.* — *Filiæ quinque.*

Bruno II. M. Saxoniæ vxor Giſela Lotharij Franciæ R. F. — *Ecbertus puer obijt.*

Ludolphus Dominus Brunſuigi. vxor Hilda Balduini II. Com. Flandriæ F.

Bruno III. M. Saxoniæ. — *Hermannus Saxoniæ Palatinus.* — *Ecbertus I. M Turingiæ & Miſniæ. vx. Gerbirga Lansbergia.* — *Otho D. Saxoniæ & Bauariæ. vxor Cuniſſa Arnulphi Bauariæ D. F.* — *N filia, vxor Duerni.*

Henricus Præſul Hildeshemius.

Ecbertus II. M Saxoniæ & Miſniæ — *Mathildis vx. Bonifacij M. Lombardiæ.* — *Gertrudis vx. Henrici Craſſi.*

Henricus Craſſus D. Gothing. — *Cuno C. Beichlingi. vx. Cunegundis.* — *Siffridus C. in Bomenburg.* — *Filiæ quinque.*

Otho infans mortuus — *Gertrudis vx. Conradi Palatini Rheni.* — *Richiſa vxor LOTHARII Imp.*

Cunegundis vx. Viperti C. Oſterlandiæ. — *Siffridus.*

DVCES

DVCES SVEVIÆ ET CARINTHIAE.

OTHO I. IMP. VXORES eius duæ:

- 1. *Editha Edmundi Angliæ R. F.*
  - *Ludolphus [illegible] Sueuiæ. vx. Ida Hermanni [illegible] Sueuiæ F.*
  - *Ludgardis vxor Conradi [illegible] Franciæ & Lotharingiæ.*
    - *Otho D. Sueuiæ & Bauariæ. vx. Himeltrudis Sifridi Ducis Lotharingiæ F.*
      - *Echardus I. M. Saxoniæ. vxor Suanhildis Bernardi D. Luneburg. F.*
        - *Hermannus. vx. Hemmildis Boleslai D. Boemiæ F.*
        - *Echardus II. Marchio Saxoniæ.*
          - *Oda vxor Bretiſlai D. Boemiæ.*
          - *Otho.*
        - *Mathildis vx. Ditrici M. Lambergi & Vuitini.*
        - *Guntherus.*
      - *Guncelinus M. Miſniæ.*
      - *Bruno II.*
      - *Cuno D. Carinthiæ. vx. Mathildis Com. Quernfordij F.*
        - *Cuno II. D. Carinthiæ.*
          - *Cuno III. Dux Carinthiæ.*
            - *Cuno IV. Dux Carinthiæ.*
              - *Hermannus P. Patauienſis.*
              - *Vlricus Patriarcha Aquileienſis.*
              - *Ludolphus ſine herede.*
            - *Vlricus C. Carinthiæ. vx. Ioiada Bela R. Vngariæ F.*
        - *Bruno P. Virciburgius.*
        - *Henricus C. Lutheriorum.*
    - *Bruno P. Verdenſis.*
    - *Ludolphus P. Oſnabrugenſis.*
    - *Mathildis.*
- 2. *Adelheidis Rudolphi Burgundiæ R. F. De huius ſtirpe ſuprà lib. 2.*

Comites Turingiæ.

COMITES TVRINGIÆ E' GENTE SAXONICA.

DANGMARVS.

DANGMARVS Henrici I. Imp. natu maximus filius, Comes Turingiæ: hunc ex HATIBVRGI (quam non rectè Mathildim ſcriptores exteri nominant) genuit: prima videlicet vxore, quam ob propinquitatem dimittere coactus fuit. Ditmarus eum, quod miror, Dammonem nomine, Regisque & Ludgardis filium nominat. Adoleſcens magni animi, & (vt ait Vrsbergius) manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus: ſed eum ſuſcepta cum fratre Othone ſimultas euertit: quæ eiuſmodi de cauſa cepit initium.

Simultatis cum Othone Magno origo.

Mortuo Siffrido Comite Mersburgio, Hatiburgis conſobrino; ditionem Mersburgiam Geroni Luſatiæ Marchioni, Otho Imp. confirmat: quam ditionem ſe impetraturum à fratre Dangmarus, iure propinquitatis ſperauerat. Quamuis autem Henricus pater, Turingicis fundis, & reditibus ſatis amplis eum ditaſſet, quo etiam viuente nihil molitus eſt: tamen mortuo eo, ſorte ſua contentus non fuit: ſed & cupiditate prouectus, & fratris ſplendore offenſus, Mersburgum quaſi poſſeſsionem ſibi debitã, poſtulare non dubitauit. Mater autem Dangmari, filia erat materteræ Siffridi: hunc Saxonum optimum, & ſecundum à Rege fuiſſe memorant. Quòd ſi Otho paulò liberalior initio in eum fuiſſet; ſocium habuiſſet fidum, & amicum fortem: ſed cùm iure ſummo experiretur; factus ab eo alieniſsimus Dangmarus, nimirum, vt hæreditatem, quam eſſe ſuam & propriam exiſtimabat, armis obtineret. Itaque Eberhardo Rheni Palatino, qui tunc rebellis Othoni erat, ſeſe adiungit: & collecto exercitu, præſidiũ Badalicenſe (in quo etiam erat Henricus frater Othonis vterinus) expugnat: oppidum diripit: Henricum mancipij more tractat, & Palatino tradit cuſtodiendum. Supplementum Reginonis Dangmari non meminit: ſed iſta omnia tradit acta ab Eberhardo Palatino. In illo ipſo motu interficitur Francorum Dux GEBHARDVS, Vdonis filius: quæ cædes magnarum diſcordiarum

rum inter Francos cauſa poſtea fuit. Facta cædes eſt, vt ſcribit Hermanus Contractus, anno ſupra noningenteſimum octauo & trigeſimo. *Comites Turingiæ.* 938.

Miles Dangmari, prædæ dulcedine, ad facinora omnia fit paratior: nam ſucceſſu elatus, etiam vrbem Mersburgum capit: in quo ſibi domicilium Dangmarus, propter loci naturam conſtituens; in finitimos excurrit: eosque vexat rapinis & latrociniis. Collegerat ſibi præterea Vandalorum & Vngarorum reliquias, nomini Saxonico inprimis infenſas: quibus inſtigatis, & ſuas & illorũ iniurias vindicaturus, iuſtum penè contrahit exercitum. Nullis precibus, nullis conditionibus acquieſcens; ſed in armis & fortuna ponens omnia, Othonem fratrem penè inuitum eò impellit: vt bellum ſuſcipere cogatur, ad ſuorum populorum vitam & fortunas defendendas. Sperauerat fore OTHO, vt ad mentem rediret: & ideo ei ad tempus aliquid indulſerat. *Bellum Dangmari cum Othone Magno.*

Statuit igitur Mersburgum, quo ille præſidio vtebatur, oppugnare: in quo etiamſi multi ciues fideles & boni eſſent, quos ſeruatos cupiebat: tamen eorum haberi ratio non potuit, propter Dangmari tyrannidem. Miſsis ad fratrem & ciues legatis de deditione, nihil æqui impetrat: nam Dangmarus pertinax erat, & ciues pœna propoſita hiſcere non audebant. Sed tacitè conferebant de tradenda vrbe conſilia; cùm foris Regem beneuolum, intus hoſtem importuniſsimum haberent. Cœpta oppugnatione, Dangmarum ciues conuiciantur; & portam vi aperiunt: & id conantes prohibere, non ſecus ac hoſtes inuadunt. *Oppugnatio Mersburgi.*

Dangmarus deſperatione vrbis retinendæ, ad aram confugit: quem inſecutus miles regius, & inprimis ſatellites Henrici capti, qui dominum ſuum vlciſci cupiebant, ſacræ ædis repagula perfringunt: emotisque poſtibus, in templum armati irruunt. Ipſe cingulo & torque aurea depoſitis, aram & ſanctorum ſimulachra ſupplicis vultu tenebat: quem Ditbaldus quidam, Cobbonis viri nobilis ſpurius, conuiciis inceſsit, & vulnus ei lethale infligit: quod Manicius fieri cernens, per feneſtram aræ vicinam, à tergo haſta eum traiicit. Tales temeritatis ſuæ pœnas perſoluit DANGMARVS, teſtibus DITMARO & VVITICHINDO: percuſſor ſeius DITBALDVS, qui torquem eius raptã collo ſuo geſtabat, bello Lotharingio miſerabiliter interiiſſe ſcribitur. Alij tradunt, quòd cum tribus amitinis ad *Dangmari cædes.*

dicendam

Comites Turingiæ. dicendam cauſam poſtulatus ab Othone ſit: eosque conuictos, quòd Dangmarum non more militari interfeciſſent, lege Francica ſtrangulatos eſſe; vel, vt in chronico Quedilnburgio, primùm truncatos, poſtea ſuſpenſos. Nec Manicius ſupplicium effugit, qui in prælio ad Rhenum oppetijt. OTHO de fratris caſu temerario ſæpe eſt conqueſtus: & tali eius interitu doluit: nec ex interfectoribus Dangmari quiſquam euaſit, qui ſit cum honore aut placidè mortuus.

Tam ſubitum & triſtem exitum habuit vir præclarus: qui ſi temperare potuiſſet cupiditatibus, vixiſſet inter diuites Principes fortunatiſsimus: inter fortes, maximè honoratus. Sepultus in eo loco eſt, in quo vulneratus ceciderat: nec vlli poſtea nomen Dangmari fuit ex Imperatorum filiis impoſitum.

BRVNO ANTISTES.

BRVNO Henrici Imperatoris natu minimus filius, è Mathilde genitus; adoleſcens ingenio, induſtria, & virtute excellens: traditur educandus Vuigfrido Antiſtiti Colonienſi: cui etiam in dignitate ſucceſsit, tempore admodum periculoſo: quo videlicet Moguntinus rebellis Imperatori erat; & Ludolphus Imperatoris filius, bellum contra patrem graue gerebat. Fuit Bruno in literis ſacris & ſtudiis philoſophicis præclarè inſtructus: vtque tales eſſent eius Sacerdotes elaborauit: quos eſſe cognouit ſtudioſos, donandis libris & promittendis honoribus ſolitus excitare fuit.
953. Sumpſit infulam, vt ſupplementum Reginonis, anno ſupra noningenteſimum tertio & quinquageſimo.

Cùm autem Lodolphus armis concitaret Germaniam, vt Imperio patrem excuteret: Bruno non ſolùm munera ſacra, ſed & ciuilia ſibi imponi paſſus eſt: quòd cui Rex fideret, vir melior & prudentior non eſſet: neque alius facile inueniretur ad res gerendas accommodatior.

Erat ſtatuta prælio dies, qua BRVNO Rimlingæ, in pago Bellenſe cum Lotharingis congrederetur: ſed diuina
958. factum clementia eſt, ne ad manus veniretur. Cæſo tandem Duce Lotharingorum CONRADO, anno (vt Gemblacenſis) quinquageſimo & octauo; Bruno in ea prouincia latrocinia compeſcit, quietem otiumque reſtituit, vt Vuitichindus
959. auctor eſt. Altero anno Normaniæ principes cum magna populi multitudine ad Eccleſiæ ſinum adiungit, & ſacris vndis
960. abluit.

Anno mox inſequente, Raginerium Comitē Montenſem, cognomento

gnomanto Longicollũ euocat Valentiam: quē criminis, de quo accuſabatur, conuictum capit, & in exiliũ perpetuum relegat in Slauos. Exilij cauſæ memorantur, quòd nouas in Lotharingia res moliretur; & quòd Duce Giſelberto, conſanguineo ſuo defuncto, vxoris eius Gerbergæ fundos dotales inuaderet. Filij eius RAGINERIVS & LAMBERTVS, bonis paternis publicatis, cùm præſidium non inuenirent, in Galliam ſeſe conferunt, ne amiſſa dignitate & fortunis, de vita etiam periclitarentur. *Comites Turingiæ.* *[illegible]*

Bruno in Galliæ profectus, amitæ ſuæ filium LOTHARIVM, Galliã Regem, & HVGONEM Comitem Pariſienſem, inter ſe diſſentientes, reconciliare voluit; eſtque conſultoribus malis eò deductus, vt Hugoni ſpem Regni faceret: die etiam conſtituta, qua ſua ipſi manu coronam imponeret. Hæc res cùm obſcura eſſe non poſſet: Volcmarus ſecretorum eius particeps cœpit id diſſuadere: quia inter fratrem Imp. & Antiſtitem futurum eſſet magnæ contentionis & fortaſſe perpetuæ ſimultatis principium. Ægritudinem animi Antiſtes & conſilij ſui pœnitudinem celare aut diſſimulare amplius non potuit: ſed Volcmaro temeritatem ſuam confitetur liberè. Tempus coronationis in alterum iam diem erat conſtitutum: quo etiam ſummo mane corona inſignis aræ impoſita fuerat. Antiſtes vt ſuæ voluntatis claram daret ſignificationem; in templum venit: & coram omni plebe teſtatur, ſe Hugoni non daturum inſignia, neque dari legitimè aut firmiter poſſe, niſi accedat Imperatoris conſenſus & auctoritas. Dici non poteſt quantum Hugo doluerit illa repulſa ignominioſa. Tradit Ditmarus coronam ipſi eſſe allatam: ſed Volcmarũ ſponte impegiſſe, vt lapſu eam frangeret, ne progreſſum res turpis haberet. Antiſtes non longè poſt, non ſine veneficij ſuſpicione, in febrim Compendij incidit: inde Remos deductus, in eccleſiam, quidquid in re mancipi habebat, diſtribuit.

Eius in morbo curam geſsit dictus modò Volcmarus: cui eum honorem tribuit Imperator, vt in fratris ſui locum ſuccederet. Defuncti Brunonis corpus Ditericus præſul Metenſis eius agnatus, Coloniam deducit: quod ſepelitur in cœnobio Pantaleonino, id quod, decimo ante obitum anno, ipſe extruendum inchoauerat. Vitam Brunonis deſcripſiſſe Rogerium presbyterum nonnulli tradunt, ſed is liber in meas manus non venit. *Brunonis morbus & mors.*

Brunonis æmulus fuerat GERO, Chriſtiani Comitis Viburgij filius: cuius mater Hidda Ieroſolymis obijt: cui ea de cauſa Imperator aduerſabatur: qui fratri, vt dixi, Volcmarum ſucceſſorem dedit: & hoc quoque poſt quadriennium mortuo, *[illegible]*

GERO-

Henricus Saxon. qui ait Carolum à Saxonibus pulſum ad Mœnum veniſſe, nec reperiſſe tranſitum: donec cerua fortè oblata, vadum monſtrauerit, à quo vado vrbs nomen acceperit. Alij à Saxonibus tradunt impulſos Francos, vt abitum maturarent, & inde ſe fuga proriperent: à qua impellentium voce, quæ Germanis idem quod traiectus ſignificat, vrbem deinceps vocatam. Hæc ego refero, nō quia credo veram eſſe aut hanc cauſam, aut illud de cerua prodigium: ſed quia monumentis teſtata meliora non habeo. Caſtra è ripis aduerſis gentem olim Francicam & Saxonicam habuiſſe; & inde vrbium relicta nomina, negari non poteſt: nam in hunc diem in Francia, Saxonia, Turingia, Miſnia aut villas, aut arces aut oppida, ad fluminum ripas eorum populorum appellationibus extare, manifeſtum eſt.

1019. *Pax imperatoris cum Boemo.* Legato Boemico ſpem pacis factam, paulò antè meminimus. Peractis igitur illorum dierum ſolennibus, Budiſsinam cum poteſtate eunt Antiſtes Magdeburgius, & Præſul Halberſtadius, iisque adiuncti Hermanus & Ditericus Comites, & Fridericus quidam Imperatori à cubiculo. Hi cùm Imperatoris mentem expoſuiſſent, & viciſsim Boemi voluntatem cognouiſſent: conditiones inueniunt, quibus ſancita pax eſt: Boemus obſides dat, & Odam Echardi Marchionis Miſnenſis filiam ſe ducturum promittit: quæ cùm à cubiculario nunciata Imperatori eſſent, conditiones approbauit. Publicata pacis capita ſunt III. Cal. Febr. anno ſupra milleſimum nono decimo. Otho ſponſæ frater, puellam Bolislao deſponſatam, Citium ſtatim deducit.

Liberatus eodem menſe in Longobardia eſt EZELINVS, qui in cuſtodia quadriennium egerat: cauſa nec vinculorum, nec liberationis, nuſquam quod ſcio, expreſſa.

Luticiorum rebellio. Luticij homines effrenes, cum Obetritis & Vuaris conſilia inierunt, quomodo iugum religionis excuterent, quo illis grauius nullum videbatur. Ipſi ſe belli auctores affirmant: reliquos paratos & quaſi ſuccenturiatos eſſe iubent, ſi vis aut periculum maius ingruat. In ditionem primùm Micislai irruunt, & vxorem ac matrem eius ex arce fugant: ipſe intra mœnia Suerini ſe recipit. Sæuierunt paſsim in barbarum morem, & Sacerdotes ſuppliciis penè inauditis ſuſtulerunt, & templa fregerunt omnia: vt ſcelera libidinum & iniuriarum alia omittam. Multi qui eorum arma & manus euaſerant, exules facti, ad Bernuardum Hildeshemium, qui è collegio Magdeburgio electus fuerat, confugiunt: quos ille hoſpitio non grauatè excipit: & Imperatorem de ſtatu eccleſiæ miſero & indigno, certiorem facit, & auxilium implorat.

implorat. Dilata deliberatio eſt, ad feſtum vſque Paſchatis, quo frequentem eſſet habiturus Principum conuentum: Interea moneri & confirmari iuſsit eos homines, vt ſe viros recordarentur: nec inſtar pecorum, fugæ ſe cõmitterent, aut arma deſperabundi abiicerẽt: tantus enim terror plebem inuaſerat, vt inermes capita ferienda præberet, nec vlli hoſti cogitaret reſiſtere: tantùm inſtare diem extremum, & perditum iri omnia clamaret. Bernuardi adhortatione cùm exules quidam animoſiores ſe ad ſuos reciperent, & arma ferre contrà auderent; fortuna mutata eſt: & ſperare cæteri melius cœperunt. *Henricus Sanctus.*

Detinebatur adhuc apud Phryſios in vinculis Dux Lotharingiæ GODERIDVS. Nam cùm ARNOLPHVM Gandauenſem occidiſſet, filius eius DITERICVS, Flandriæ Comes, eam vlciſci iniuriam ſtatuit. Quod cùm efficere ſoli eſſet difficile: ab Imperatore petit auxilium: qui Godfridum ei adiungit, virum militarẽ & ſibi probatum. In pugna neſcio qua voce prodigioſa, quaſi terrore (vt dicitur) Panico perculſi Lotharingi & Flandri, fugam capeſſunt: multi eo prælio cadunt, & Godfridus in tumultu capitur. Transacta poſtea res eſt: vt Phryſiis ignoſceretur, & dimitteretur Godfridus. Hunc paulò pòſt morbo oppreſſum & mortuũ, & ei fratrem GOTHILONEM ſucceſsiſſe, tradit Gemblacenſis: ſed non ſatis, vt ſolet, accuratè. Rudolphus Dux Burgundus Imperatoris auunculus, ſceptrum & coronam, conſentientibus vxore, & priuignis ad Imperatorem defert, & præſtat eidem obedientiæ ſacramentum: id factum optimatium voluntate & aſſenſu, Ditmarus ait: ſed aliter Gemblacenſis, qui ait ipſum irritatum ſuorum iniuriis, id feciſſe: quas cùm agnoſcerent, & ei ſatisfacerent, ab eo propoſito fuiſſe reuocatum; quam tamen ſatisfactionem ſimulatam fuiſſe, idem non negat. Sed Ditmaro accedo, qui inter conſiliarios vtriuſq; actam rem teſtatur Moguntiæ, menſe Februario, anno ſupra milleſimum vndeuigeſimo: Gemblacenſis vigeſimo. *Gotfridi Lotharingi è vinculis liberatio, & mors.* 1019.

Secuta eſt Synodus Nouiomagenſis XVII. Cal. April. in ea quid ſit actum, non exprimitur: excepto diuortio inter Othonẽ Summeringium, & Irmigardim eius vxorem, quod propter ſanguinis propinquitatem diuulſum coniugium eſt: item excepto decreto illo eccleſiaſtico, quòd in ſacris faciendis corpus Dominicum ad altaris dexteram, calix ad ſiniſtram locandus eſſet. Antiſtes Mediolanenſis, & Volcmarus Abbas Fuldanus eodem vere ex hac vita deceſſerunt: illi ſucceſſor datur Eribertus, eiuſdem templi præpoſitus: huic Ricardus. Annales Fuldani Volcmarum *Synodus Nouiomagenſis.*

non

Henricus Sabſtus. non habent, ſed habet Ditmarus: gubernauit autem vtranq; eccleſiam Lorishemiam & Fuldanam: ideo fortaſſe in annalibus nomen eius præteritum.

BALDERICVS de nece Vuigmani ſe purgare iuſſus, cùm nihil humiliter diceret, aut faceret: ſolum mutare ad tempus cogitur.

Conuentus Gatterslebiu. Altero conuentu Gatterslebio reconciliantur GERO antiſtes, & BERNARDVS Marchio, ne quid Saxoniæ mali ex ea ſimultate oriretur. Coëunt etiam concordia GODFRIDVS dux & GERHARDVS Comes auctoritate Imperatoris: & ſe iniuriarum depoſituros memoriam confirmant. Bertholdus quidam Munnam ciuitatem inuadens, cremauerat cum oppidanis: ideo ad Imperatorem ſponte acceſsit, quaſi re bene geſta. Quamuis autem digni ſupplicio ciues mali & rebelles fuiſſent: tamen lata capitali & admodum ſeuera in Bertholdum ſententia, Imperator declarauit, id factum ſibi non placere: cùm bellum non legitimè illatum, & pœna nimis atrox eſſet conſtituta: ideo & Bertholdum & ſocios eius rogis imponi, & tolli eodem ſupplicio mandabat.

Lamberti Præſulis Conſtantienſis mors. Interea Nouiomago Imperator diſcedens, die Rogationum celebrat Aquiſgrani, Pentecoſten Ingelhemij. Obiit præſul Conſtantienſis LAMBERTVS, XVII. Cal. Iun. morbo fœdo, erumpentibus è corpore vermiculis: cui Rodhardus ſubſtituitur, quem à ſacris habebat Imperator, & amabat inter præcipuos.

Confluentiam accedens denuo, audit cauſam OTHONIS Comitis: qui cùm humilis atque ſupplex appellaret Moguntinum, ne facere diuortium cogeretur, cum vxore ſibi cariſsima, nihil omnino impetrat. Cùm ſe ſubiturum pœnam eccleſiaſticam profiteretur: & promitteret, quam vellet antiſtes, ſatisfactionem: exire è conſpectu Antiſtitis iubetur. Erat illorum temporum mos grauis, vt in animaduertendo ſeueritatem dignam bonis moribus obſeruarent: & ideo à flagitiis abſtinebant homines, & magiſtratus erât in maiore obſeruantia. Veniam autem homicidij Baldericus impetrauit: & quòd coactus facinus admiſiſſet, & quòd cædem ſe piaturum polliceretur.

Sublatus è viuis eſt VIII. Cal. menſis prædicti, HENRICVS Dux, qui limites inter Vngaros & Bauaros tuebatur, vir fortis & gratioſus: cuius morte nunciata, dolorem animo cepit Imperator. Burgūdi diœceſim Argentoratenſem rapinis & incendiis vaſtauerant: ideo Imperator Baſileam properabat, vt Burgundos reijceret. Coniugem intereà mittit Capungam, quæ eo loco delectaba-

lectabatur, & collegium ibi Veſtalium inſtituerat. Inde itinere per Franciam facto, diuertit Ratisbonam ad fratrem HENRICVM: qui reconciliatus iam erat, & Bauaris commendatus. Fuit ea æſtate tota, aëris perpetua intemperies: quæ cùm ſpem frugum maturandarum adimeret, rerum venalium caritatem induxit. *Henricus Sanctus.*

Abſente Imperatore, iniuriæ Præſulibus vndique ſunt illatæ, Bruno Mersburgius à quodam Alberto, in ſua arce obſeſſus eſt: Bernuardus Hildeshemius, ab Altmano Comitis Brunonis milite, ſuum quendam familiarem vidit interfici, nec ſeruare carum ſibi hominem potuit. Suidgerus ſeu (vt alij) Siffridus Monaſterienſis ab aduerſario petitus enſe eſt: cui cùm ſe villicus fidus obiectaſſet, in eo veſtigio occiditur, & eius ſanguine veſtis Præſulis contaminatur. Meinuerdum Paderbornium, Bernardi Ducis frater, Ditmarus inuaſit: & ex eius ditione prædas pro lubitu egit. Colonienſi bellum denunciauit HENRICVS Comes Hermani filius: eò quòd matrem ſuam detineret captiuam. Harum iniuriarum omnium querelæ deferuntur ad Imperatorem: qui cùm viris illis faueret, animo admodum ægro inſolentiam nobilitatis tulit. Acceſsit GERHARDI iniquitas, qui Francos turbauit, ſpoliatis aliquot ipſorum oppidis. *Præſulibus illatæ iniuriæ.*

Hæc in abſentia Imperatoris fiebant, qui bello Polonico, 1015.
cuius Lambertus meminit, ſupra milleſimum decimo quinto, contra Boleslaum intentus erat: quod tamen propter contagionem peſtis, quę exercitum penè exhauſerat, perficere non potuit. Cùm à propoſito deſiſteret, vltione quadam diuina: Polonus non ignarus, eum neceſsitati ceſsiſſe, non armis ipſius; prouidebat ipſum non quieturum, ſi cœlum fortè nactus foret clementius & occaſionem aptiorem. Itaque ratus ſibi eſſe vtilius, gratiam potentioris quærere, quàm fortuna incerta bellum perſequi, legatos de reconciliatione mittit in Saxoniam: quos cùm Imperator admiſiſſet; impetrata pax eſt, & propoſitæ conditiones. *Polonus pacem ab Imp. petit.*

Solus obſtabat publicæ tranquillitati BERNHARDVS 1020.
Dux Lüneburgius, ſtrenuus quidem Princeps, ſed totus (vt ait Helmoldus) infectus auaritia: eum iuuabat Ditmarus frater: magnis vterq; vſus priorum Imperatorum beneficiis: hi gentes ſibi commiſſas crudeliter opprimebant, & ad quandam neceſsitatem Paganiſmi redigebant, exigendis iniuſtè pecuniis & oneribus grauiſsimis imponendis. Accidit vt Miſtiuoius Dux Vinulorum Bernhardi neptim ſibi vxoré peteret: nec eam conditionem Bernhardus recuſauit: ſed Ditericus Marchio Stadenſis, virginem ingenuam cani (hoc enim nomine Semipaganum Principem ap- *Slauorum defectio.*

 pellabat)

Henricus Sanctus.

pellabat) non eſſe dandam, dixerat. Inde aperta Slauorum defectio conſequitur: & adoleſcens cupidus, ignominiaque affectus, & ſibi factam & toti genti iniuriam putabat magnopere vindicandam. Quamuis autem initiò conuiciis proſcinderetur, quòd genti Saxonicæ auaræ & perfidæ, vt Slaui dicebant, ſe credidiſſet, eique eſſe voluiſſet affinitate iunctus: tamen perſuaſi facilè ſunt, vt arma cum ipſo iungeret: nec tam contra Saxones, quàm contra religionem dimicabant: idq; declarabant vaſtandis templis, & interficiendis ſacerdotibus. Duplex vexabat eo tempore rempublicam Chriſtianam calamitas: gentis Slauicæ tumultus, & Bernhardi Ducis ab Imperatore defectio. Slauis ſe opponebant, pauci Saxones; quos iuuabat opibus & conſilio Vnuanus Antiſtes Bremenſis: hi enim honeſtius putabant mori in armis, quàm more pecudum trucidari. Bernhardi factio obſidebatur in arce Schaldenburgia, vt Ditmarus & Helmoldus eam nominant: ad quam expugnandam, Imperator aliquot cohortes mandauit conſcribi.

Bernardus Luneburgius veniam petit.

Videns tandem Luneburgius ſibi audaciam & temeritatem fore detrimento, veniam petit: & facit deditionem, & cum Vnuano in caſtra proficiſcitur: & amplectitur manum Imperatoris, & in poſterum fidelis Principis munere atq; officio fungitur. Slaui in propinquo eſſe audientes, Imperatorem, ad Vuerbenam accedentes, vbi ipſum agere intellexerant, ſe arma depoſituros promittunt; ſuaque ipſum aſtutia ne quid grauius paterentur eludunt: nam ſtatim vt abierat, redeunt ad ingenium.

Dedicatio Baſilicæ Pabebergicæ.

Cùm iam reparata in Germania pax eſſet, HENRICVS Imperator Benedictum VIII. Pont. ex vrbe pollicitationibus euocat, ad templum Pabebergicum dedicandum, quod ſumptibus magnificis extruxerat. Ea dedicatio tot hominum exterorum, & aliorum mortalium celebritate, facta eſt: vt nihil ad eum vſque diem Germania viderat ſplendidius atque frequentius. Aderant ſimul oratores multarum gentium, & omnium nationum finitimarum. Habitum miraculo ſimile eſt, in tanta multitudine, tamq; diuerſa, nullum non modò tumultum, ſed ne minimam quidem cõtentionem fuiſſe coortam: quod fieri inter miniſtros ſolet: vndè etiam dominorum apparuit grauitas & diligentia. Datæ præterea publicæ epulæ ſunt omnibus hominibus, quotquot aduenerant; & diſtributa vicatim donaria. Vrbem Pabebergam, à Paba puella Saxonica nominatam, tradunt annales noſtri: à duce Pabone, Coſmas Pragenſis: ab augurio in oppoſitis montibus capto, alij nonnulli aiunt.

Pabeberga vnde denominata

Poſt

Poſt diſceſſum ex eo conuentu Erchenualdo Antiſtiti Moguntino, OTHO comes Turingiæ in via poſuerat inſidias. Antiſtes comitatum amplum ducebat, partim terra, partim flumine: ſed admonitus, cum equitatu inſidias Othonis effugit: qui autem Rheno vehebantur, in eum inciderunt; quos aggreſſus telis, cum naui obruit: quos autem ex iis ceperat, in eos animaduertit eo crudelius, quò magis dolebat Antiſtitem, cuius ſanguinem expetebat, euaſiſſe. Arx ad Rhenū Hammerſteina, munita erat natura & ingenio, quæ fuit ab Othone electa propugnaculum: in qͣ vxorem & fortunas, & ſupellectilem precioſiorē contulerat. Ad eam expugnandam præfectos mittit Imperator: fameque atque inedia adigit, vt deditionem faceret, VII. Cal. Octob. anno ſupra milleſimum vigeſimo.

Otho Thuringiæ Comes inſidias ponit Moguntino

Imperator Saxoniam peragrans, operam dabat legatis audiendis, & paci ſtatuendæ: affluentibus, vt in Chronico Quedilnburgio, è tota ferè Europa, hominibus. In vrbe Quedilnburgo reſiſtit propter dedicationem templi, præſente Adelheide patruele, ſorore Imperatoris Othonis III, item Cunegundi coniuge, & ſorore Sophia, Sacerdote Paderbornia. Ibidem congreſſu ſuorum optatiſsimo, & ſermonibus dulciſsimis, dies aliquot cum ſumma lætitia perfruitur. Baſilica dedicatur VIII. Cal. Octob. anno ſupra milleſimum primo & vigeſimo. 1021.

Giſela Toxi Vngaro deſpondetur.

Expetiuerat nuptias ſororis Cæſaris, TOXIS Vngariæ Rex, Geiſæ filius; quibus Regibus exuere feritatem Scythicam Vngaria cœperat, & Chriſto Redemptori colla ſubmittere. Multa obiiciebantur impedimenta, ab ipſorum Regum popularibus, qui turpe ducebant, ab iis iugum accipere prouinciis, quas ipſi ſpoliarant: & eorum ferre leges populorum, quos multo ſanguine ſuperauerant. Erant videlicet Vngari magis Regibus ipſorum timendi, quàm vlla alia vllius hominis potentia. Venerat in Vngariam temporibus illis Albertus Antiſtes Pragenſis, & nobilitate, & doctrina, & vitæ inſtituto vir grauiſsimus. Alij vocatum à Rege ſcribunt: alij vt iter illud ſuſciperet, incitatum aiunt diuinitus. Is in plantanda religione ſancta, omne ſtudium adhibuit: & ad eam propagandam omni occaſione vſus eſt. Ab eodē ferunt, ſacris vndis ablutum Regem Toxim, & vocatum STEPHANVM, & inſtitutum moribus melioribus: qui Rex cùm in poteſtatem ſuam rebelles redegiſſet, vt ſe ampliſsima affinitate muniret, propoſitum perſequitur de adducenda Imperatoris ſorore: ſed cùm timeret vulgi leuitatem & contumaciam Imperator: & à Rege Stephano, & à populo eius vniuerſo, iuramentum petit;

Toxis baptizatur.

cieuiſſent In illis comitiis, cùm alia multa cum Saxonibus eſt honorificè locutus: tùm illud dixit præcipuè, ſe poſt ſceptrum Imperij, nihil habere in terris gente Saxonica carius. Facta deinceps mentio eſt collocutionis, quæ ante biennium ſuper Carum fluuium (vt Gemblacenſis ſcribit) habita fuerat, inter Imperatorem & Robertum Galliæ Regem: in qua de conſtituenda & conſeruanda pace in Italia, fuerat actum: eius fœderis Regem rurſus eſſe admonendum Principibus placuit. Quid conſecutum ſit, literis non eſt planè mandatum: ſed in Saracenos arma ſumpta, & vrbem Troiam denuo à barbaris tentatam: è Mariano Scoto, & Chronico Quedilnburgio poteſt intelligi; & exercitum peſte dilapſum, aut conſumptum, & rem relictam infectam, etiam tradunt alij. *Henricus Sanctus.*

Obierunt hoc tempore Antiſtites & Præſules, Moguntinus, Pragenſis, Magdeburgius, Halberſtadius, Megalburgius: quod cùm ſingulæ eccleſiæ ad Imperatorem de more detuliſſent, Pabenbergæ tunc agentem diem nati Chriſti ſolennem: Moguntinis Aribonem Comitem Andechſium, Pragenſibus Hizonem, Magdeburgiis Humfridum Francum, Halberſtadiis Brandagũ, vel (vt Ditmarus) Bronhagum Fuldanum, Megalburgiis Hubertum dedit. *Mors aliquot Præſulum.* 1023.

Cœpit laborare valetudine aduerſa Imperator: eſtq; de ſucceſſore idoneo inter Principes actum die Palmarum Alſtetæ: die paraſceues Numburgi: inde Magdeburgi, Halberſtadij, Goslariæ, Groningæ. Non dubijs autem ſententiis declaratus eſt Conradus II. Dux Franciæ, egregiæ videlicet gentis, & egregiæ libertatis, vt idem ait Gemblacenſis. Morbus Imperatoris, cùm grauior indies fieret: Groningæ vitam cum morte commutat, anno ſupra milleſimum quarto & vigeſimo, III. Idus Iulij, vt rectè noſtri annales, Nam Itali pr. Id. ſcribunt. Factum id anno ætatis ipſius ſecundo & quinquageſimo: imperij ſupra tertiũ & vigeſimum, menſe quinto, vt Marianus. Corpus è Saxonia magnificè transfertur Pabebergam: & ibidem inſigni monumento conditur in templo Petrino. Ipſius coniux poſt mariti obitum velamen ſumit Cophungi; quod erat cœnobium ab ipſa extructum: moritura autem vetuit, ne quid auri eius feretro imponeretur: vtque ad tumulum fratris, & ad mariti latus conderetur, amicis præſentibus mandauit. 1024. *Morbus & mors Henrici Imp.*

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS

ORIGINVM SAXONICARVM
LIBER III.

DE DVCIBVS BAVARIÆ, SVEVIÆ, ET Carinthiæ, è gente Saxonica natis.

DVCES BAVARIAE, ET MARCHIONES Turingiæ.

HENRICVS I. IMP.

vxores duæ:

1. Hatburgis, Ervini C. Merſburgij F.
2. Mathildis, Diterici Comitis Ringelhemij F.

Ex 1.: *Dangmarus Comes Turingiæ.*

Ex 2.: *OTHO I. Imp. vide fol. ſeq.* — *Henricus I. D. Bauariæ. vx. Iuditha Arnolphi D. Bauariæ F.* — *Bruno Antiſtes Colonienſis.*

Henrici I. D. Bauariæ liberi: *Conradus ab Vngaris cæſus.* — *Henricus II. D. Saxoniæ & Bauariæ. vxor Giſela Conradi Lotharingiæ F.* — *Gerberga Ab. Gandersheimia.* — *Helica Ab. Patauienſis.* — *Bruno I. M. Saxoniæ. vx. Hildeſuinda C. Croatiæ F.* — *Iuditha vx. Burchardi C. Helfenſtenij.* — *Heduigis vx. Burchardi D. Sueuiæ.*

Henrici II. liberi: *Henricus adoleſcens obijt.* — *HENRICVS III. D. Bauariæ, IMP. II. vx. Cunegundis Siffridi Pal. Rheni F.* — *Bruno Præſul Auguſtanus.* — *Filiæ quinque.*

Brunonis I. liberi: *Bruno II. M. Saxoniæ. vxor Giſela Lotharij Franciæ R. F.* — *Ecbertus puer obijt.*

Brunonis II. filius: *Ludolphus Dominus Brunſuigi. vxor Hilda Balduini II. Com. Flandriæ F.*

Ludolphi liberi: *Bruno III. M. Saxoniæ.* — *Hermannus Saxoniæ Palatinus.* — *Ecbertus I. M. Turingiæ & Miſniæ. vx. Gerbirga Lansbergia.* — *Otho D. Saxoniæ & Bauariæ. vxor Caniſſa Arnulphi Bauariæ D. F.* — *N. filia, vxor Duerici.*

Brunonis III. filius: *Henricus Præſul Hildesheimius.*

Ecberti I. liberi: *Ecbertus II. M. Saxoniæ & Miſniæ.* — *Mathildis vx. Bonifacij M. Lombardiæ.* — *Gertrudis vx. Henrici Craſſi.*

Othonis liberi: *Henricus Craſſus D. Gotthing.* — *Cuno C. Beichlingi. vx. Cunegundis.* — *Siffridus C. in Bomenburg.* — *Filiæ quinque.*

Gertrudis et Henrici Craſſi liberi: *Otho infans mortuus.* — *Gertrudis vx. Conradi Palatini Rheni.* — *Richiſa vxor LOTHARII Imp.*

Cunonis filia: *Cunigundis vx. Viperti C. Oſterlandiæ.*

Siffridi filius: *Siffridus.*

DVCES

DVCES SVEVIÆ ET CARINTHIAE.

OTHO I. IMP. VXORES eius duæ:

- 1. *Editha Edmundi Angliæ R. F.*
  - *Ludolphus D. Sueuiæ. vx. Ida Hermanni Sueuiæ F.*
    - *Otho D. Sueuiæ & Bauariæ. vx. Himeltrudis Siffridi Ducis Lotharingiæ F.*
      - *Echardus I. M. Saxoniæ. vxor Suanhilda Bernardi D. Luneburgij F.*
        - *Hermann. vx. Hemmildis Boleslai D. Boemiæ F.*
        - *Echardus II. Marchio Saxoniæ.*
          - *Oda vxor Bretislai D. Boemiæ.*
          - *Otho.*
        - *Mathildis vx. Diterici M. Lambergi & Vuitini.*
        - *Guntherus.*
      - *Guncelinus M. Miſniæ.*
      - *Bruno II.*
      - *Cuno D. Carinthiæ. vx. Mathildis Com. Quernfordij F.*
        - *Cuno II. D. Carinthiæ.*
          - *Cuno III. Dux Carinthiæ.*
            - *Cuno IV. Dux Carinthiæ.*
              - *Hermannus P. Patauienſis.*
              - *Vlricus Patriarcha Aquileienſis.*
              - *Ludolphus ſine hærede.*
            - *Vlricus C. Carinthiæ. vx. Ioiada Belæ R. Vngariæ F.*
        - *Bruno P. Vurciburgius.*
        - *Henricus C. Lutharinorum.*
    - *Bruno P. Verdenſis.*
    - *Ludolphus P. Oſnabrugenſis.*
    - *Mathildis.*
  - *Ludgardis vxor Conradi Franciæ & Lotharingiæ.*
- 2. *Adelheidis Rudolphi Burgundiæ R. F. De huius ſtirpe ſuprà lib. 2.*

COMI-

Comites Turingiæ.

COMITES TVRINGIÆ E' GENTE SAXONICA.

DANGMARVS.

DANGMARVS Henrici I. Imp. natu maximus filius, Comes Turingiæ: hunc ex HATIBVRGI (quam non rectè Mathildim ſcriptores exteri nominant) genuit: prima videlicet vxore, quam ob propinquitatem dimittere coactus fuit. Ditmarus eum, quod miror, Dammonem nomine, Regisque & Ludgardis filium nominat. Adoleſcens magni animi, & (vt ait Vrsbergius) manu promptus, acer ingenio, bellandi peritus: ſed eum ſuſcepta cum fratre Othone ſimultas euertit: quæ eiusmodì de cauſa cepit initium.

Simultatis cum Othone Magno ori go.

Mortuo Siffrido Comite Mersburgio, Hatiburgis conſobrino; ditionem Mersburgiam Geroni Luſatiæ Marchioni, Otho Imp. confirmat: quam ditionem ſe impetraturum à fratre Dangmarus, iure propinquitatis ſperauerat. Quamuis autem Henricus pater, Turingicis fundis, & reditibus ſatis amplis eum ditaſſet, quo etiam viuente nihil molitus eſt: tamen mortuo eo, ſorte ſua contentus non fuit: ſed & cupiditate prouectus, & fratris ſplendore offenſus, Mersburgum quaſi poſſeſsionem ſibi debitã, poſtulare non dubitauit. Mater autem Dangmari, filia erat materteræ Siffridi: hunc Saxonum optimum, & ſecundum à Rege fuiſſe memorant. Quòd ſi Otho paulò liberalior initio in eum fuiſſet; ſocium habuiſſet fidum, & amicum fortem: ſed cùm iure ſummo experiretur; factus ab eo alieniſsimus Dangmarus, nimirum, vt hæreditatem, quam eſſe ſuam & propriam exiſtimabat, armis obtineret. Itaque Eberhardo Rheni Palatino, qui tunc rebellis Othoni erat, ſeſe adiungit: & collecto exercitu, præſidiũ Badalicenſe (in quo etiam erat Henricus frater Othonis vterinus) expugnat: oppidum diripit: Henricum mancipij more tractat, & Palatino tradit cuſtodiendum. Supplementum Reginonis Dangmari non meminit: ſed iſta omnia tradit acta ab Eberhardo Palatino. In illo ipſo motu interficitur Francorum Dux GEBHARDVS, Vdonis filius: quæ cædes magnarum diſcordiarum

rum inter Francos cauſa poſtea fuit. Facta cædes eſt, vt ſcribit Hermanus Contractus, anno ſupra noningenteſimum octauo & trigeſimo.

Comites Turingiæ. 938.

Miles Dangmari, prædæ dulcedine, ad facinora omnia fit paratior: nam ſucceſſu elatus, etiam vrbem Mersburgum capit: in quo ſibi domicilium Dangmarus, propter loci naturam conſtituens; in finitimos excurrit: eoſque vexat rapinis & latrociniis. Collegerat ſibi præterea Vandalorum & Vngarorum reliquias, nomini Saxonico inprimis infenſas: quibus inſtigatis, & ſuas & illorū iniurias vindicaturus, iuſtum penè contrahit exercitum. Nullis precibus, nullis conditionibus acquieſcens; ſed in armis & fortuna ponens omnia, Othonem fratrem penè inuitum eò impellit: vt bellum ſuſcipere cogatur, ad ſuorum populorum vitam & fortunas defendendas. Sperauerat fore OTHO, vt ad mentem rediret: & ideo ei ad tempus aliquid indulſerat.

Bellum Dangmari cum Othone Magno.

Statuit igitur Mersburgum, quo ille præſidio vtebatur, oppugnare: in quo etiamſi multi ciues fideles & boni eſſent, quos ſeruatos cupiebat: tamen eorum haberi ratio non potuit, propter Dangmari tyrannidem. Miſsis ad fratrem & ciues legatis de deditione, nihil æqui impetrat: nam Dangmarus pertinax erat, & ciues pœna propoſita hiſcere non audebant. Sed tacitè conferebant de tradenda vrbe conſilia; cùm foris Regem beneuolum, intus hoſtem importuniſsimum haberent. Cœpta oppugnatione, Dangmarum ciues conuiciantur; & portam vi aperiunt: & id conantes prohibere, non ſecus ac hoſtes inuadunt.

Oppugnatio Mersburgi.

Dangmarus deſperatione vrbis retinendæ, ad aram confugit: quem inſecutus miles regius, & inprimis ſatellites Henrici capti, qui dominum ſuum vlciſci cupiebant, ſacræ ædis repagula perfringunt: emotiſque poſtibus, in templum armati irruunt. Ipſe cingulo & torque aurea depoſitis, aram & ſanctorum ſimulachra ſupplicis vultu tenebat: quem Ditbaldus quidam, Cobbonis viri nobilis ſpurius, conuiciis inceſsit, & vulnus ei lethale infligit: quod Manicius fieri cernens, per feneſtram aræ vicinam, à tergo haſta eum traiicit. Tales temeritatis ſuæ pœnas perſoluit DANGMARVS, teſtibus DITMARO & VVITICHINDO: percuſſor eius DITBALDVS, qui torquem eius raptā collo ſuo geſtabat, bello Lotharingio miſerabiliter interiiſſe ſcribitur. Alij tradunt, quòd cum tribus amitinis ad dicendam

Dangmari cædes.

Comites Turingiæ. dicendam cauſam poſtulatus ab Othone ſit: eosque conuictos, quòd Dangmarum non more militari interfeciſſent, lege Francica ſtrangulatos eſſe; vel, vt in chronico Quedilnburgio, primùm truncatos, poſtea ſuſpenſos. Nec Manicius ſupplicium effugit, qui in prælio ad Rhenum oppetijt. OTHO de fratris caſu temerario ſæpe eſt conqueſtus: & tali eius interitu doluit: nec ex interfectoribus Dangmari quisquam euaſit, qui ſit cum honore aut placidè mortuus.

Tam ſubitum & triſtem exitum habuit vir præclarus: qui ſi temperare potuiſſet cupiditatibus, vixiſſet inter diuites Principes fortunatiſsimus: inter fortes, maximè honoratus. Sepultus in eo loco eſt, in quo vulneratus ceciderat: nec vlli poſtea nomen Dangmari fuit ex Imperatorum filiis impoſitum.

BRVNO ANTISTES.

BRVNO Henrici Imperatoris natu minimus filius, è Mathilde genitus; adoleſcens ingenio, induſtria, & virtute excellens: traditur educandus Vuigfrido Antiſtiti Colonienſi: cui etiam in dignitate ſucceſsit, tempore admodum periculoſo: quo videlicet Moguntinus rebellis Imperatori erat; & Ludolphus Imperatoris filius, bellum contra patrem graue gerebat. Fuit Bruno in literis ſacris & ſtudiis philoſophicis præclarè inſtructus: vtque tales eſſent eius Sacerdotes elaborauit: quos eſſe cognouit ſtudioſos, donandis libris & promittendis honoribus ſolitus excitare fuit.
953. Sumpſit infulam, vt ſupplementum Reginonis, anno ſupra noningenteſimum tertio & quinquageſimo.

Cùm autem Lodolphus armis concitaret Germaniam, vt Imperio patrem excuteret: Bruno non ſolùm munera ſacra, ſed & ciuilia ſibi imponi paſſus eſt: quòd cui Rex fideret, vir melior & prudentior non eſſet: neque alius facile inueniretur ad res gerendas accommodatior.

Erat ſtatuta prælio dies, qua BRVNO Rimlingæ, in pago Bellenſe cum Lotharingis congrederetur: ſed diuina
958. factum clementia eſt, ne ad manus veniretur. Cæſo tandem Duce Lotharingorum CONRADO, anno (vt Gemblacenſis) quinquageſimo & octauo; Bruno in ea prouincia latro-
959. cinia compeſcit, quietem otiumque reſtituit, vt Vuitichindus auctor eſt. Altero anno Normaniæ principes cum magna populi multitudine ad Eccleſiæ ſinum adiungit, & ſacris vndis
960. abluit.

Anno mox inſequente, Raginerium Comitē Montenſem, cognomento

gnomanto Longicollũ euocat Valentiam: quę criminis, de quo accuſabatur, conuictum capit, & in exiliũ perpetuum relegat in Slauos. Exilij cauſæ memorantur, quòd nouas in Lotharingia res moliretur; & quòd Duce Giſelberto, conſanguineo ſuo defuncto, vxoris eius Gerbergæ fundos dotales inuaderet. Filij eius RAGINERIVS & LAMBERTVS, bonis paternis publicatis, cùm præſidium non inuenirent, in Galliam ſeſe conferunt, ne amiſſa dignitate & fortunis, de vita etiam periclitarentur. *Comites Turingiæ.*

Bruno in Galliæ profectus, amitæ ſuæ filium LOTHARIVM, Galliã Regem, & HVGONEM Comitem Pariſienſem, inter ſe diſſentientes, reconciliare voluit; eſtque conſultoribus malis eò deductus, vt Hugoni ſpem Regni faceret: die etiam conſtituta, qua ſua ipſi manu coronam imponeret. Hæc res cùm obſcura eſſe non poſſet: Volcmarus ſecretorum eius particeps cœpit id diſſuadere: quia inter fratrem Imp. & Antiſtitem futurum eſſet magnæ contentionis & fortaſſe perpetuæ ſimultatis principium. Ægritudinem animi Antiſtes & conſilij ſui pœnitudinem celare aut diſsimulare amplius non potuit: ſed Volcmaro temeritatem ſuam confitetur liberè. Tempus coronationis in alterum iam diem erat conſtitutum: quo etiam ſummo mane corona inſignis aræ impoſita fuerat. Antiſtes vt ſuæ voluntatis claram daret ſignificationem; in templum venit: & coram omni plebe teſtatur, ſe Hugoni non daturum inſignia, neque dari legitimè aut firmiter poſſe, niſi accedat Imperatoris conſenſus & auctoritas. Dici non poteſt quantum Hugo doluerit illa repulſa ignominioſa. Tradit Ditmarus coronam ipſi eſſe allatam: ſed Volcmarũ ſponte impegiſſe, vt lapſu eam frangeret, ne progreſſum res turpis haberet. Antiſtes non longè poſt, non ſine veneficij ſuſpicione, in febrim Compendij incidit: inde Remos deductus, in eccleſiam, quidquid in re mancipi habebat, diſtribuit.

Eius in morbo curam geſsit dictus modò Volcmarus: cui eum honorem tribuit Imperator, vt in fratris ſui locum ſuccederet. Defuncti Brunonis corpus Ditericus præſul Metenſis eius agnatus, Coloniam deducit: quod ſepelitur in cœnobio Pantaleonino, id quod, decimo ante obitum anno, ipſe extruendum inchoauerat. Vitam Brunonis deſcripſiſſe Rogerium presbyterum nonnulli tradunt, ſed is liber in meas manus non venit. *Brunonis morbus & mors.*

Brunonis æmulus fuerat GERO, Chriſtiani Comitis Viburgij filius: cuius mater Hidda Ieroſolymis obijt: cui ea de cauſa Imperator aduerſabatur: qui fratri, vt dixi, Volcmarum ſucceſſorem dedit: & hoc quoque poſt quadriennium mortuo,

GERO-

Duces Bauariæ.

GERONEM impediit; donec viſione admonitus in eius electionem conſenſit.

BRVNONIS Antiſtitis temporibus illa pernicioſa in eccleſias Germanicas conſuetudo inualit: vt Antiſtites & Præſules gladium ſumerent, & bella gererent extra Eccleſiam: & contra veterem morem atque modeſtiam, armati conſpicerentur in caſtris. Hoc etiamſi neceſsitate quadam tributum ſit Brunoni: cùm fidos Otho homines, etiam ex agnatis nullos haberet: tamē cùm pro apice galeam, pro pedo gladium ſemel ſumpſiſſent: ita apud poſteros exemplum valuit, vt quemadmodum nihil agi dicitur vulgi ſermone abſque Monacho: ita in curiis, in ſubſelliis, in bellis nihil inciperetur, aut ageretur, ſine Præſule aliquo: quod in Regnis adhuc externis fieri conſtat. Ditmarus Mersburgius ſcribit, Sacerdotem fuiſſe quendam extaticum, cui ſomnianti viſus ſit Chriſtus pro tribunali ſedens: adductum autem eſſe Brunonem, & accuſatum ob nimium Philoſophiæ ſtudium: qui cùm ſupplex iacêret & pronus, ſurrexiſſe Paulum Apoſtolum, qui cauſam pro eo dixerit & obtinuerit. Commentum quidem inane & ridiculum: ſed quod teſtimonio eſt, doctrinæ antiſtitis & diligentiæ. Ipſum certè diuinis humaniſq; ſtudiis pollentem, ait Ditmarus; & ſe vidiſſe ipſum in ſuo munere ſanctè & præclarè vixiſſe, ſcribit Vrsbergius: & auctor ſupplementi Reginonis ait, virum illum fuiſſe, & ducatu & præſulatu digniſsimū. Obiit V. Idus Octob. ſupra noningenteſimum quinto & ſexageſimo.

Præſules armati.

DVCES BAVARIÆ ex gente Saxonica.

HENRICVS I.

HENRICVS, Henrici I. Imperatoris ex Mathilde vxore ſecundus filius; ſed ei primus in Imperio natus. Vxorem duxit IVDITHAM, Arnolphi cognomento Mali, Bauariæ Ducis filiam: ex ea genuit CONRADVM annis adoleſcentiæ ab Vngaris interfectum, & HENRICVM Ducem Bauariæ, dictum Rixoſum, & BRVNONEM Marchionem Saxoniæ: Filias GERBERGAM Sacerdotem Gandershemiam: quibus addit Lazius præter Annales noſtros, HELICAM Sacerdotem Patauienſem, & IVDITHAM vxorem Burchardi Comitis Helfenſtenij: alij etiam HEDVIGIM, vxorem Burchardi Ducis Sueuorum: horum nihil in Annalibus & originibus noſtris.

Indoles Henrici.

Iam inde ab adoleſcentia animus HENRICI eminuit ferox & im-

& impatiens: cùm aliâs in eo eſſet impetus ad bene merendum, & laborum tolerantia: ſed nimia tamen imperij cupiditas, etiam illas virtutes obſcurauit. Vrsbergius ſcribit fuiſſe gratioſum vultu, prouidum conſilio, fortem atque induſtrium. Teſtantur etiã facta, fuiſſe iuſtum & recta ſentientem: nam Dangmaro Othonem impugnante contra fratrem conſanguineum, pro fratre Germano Othone arma ſuſcipit: non ſine periculo. nam in vrbe Mersburgo captus, propter Othonis odium, non more Principis cuſtodia liberali habetur: neque traditur cuſtodiendus nobilitati, ſed carceris plebeij lictoribus. *Duces Bauariæ.*

Poſt id tempus, perſuaſus ab aſſentatoribus, animum erga fratrem & ipſe mutauit: & Eberhardum Rheni Palatinum ſequens, de Imperio inuadendo mala cœpit agitare conſilia. In eandem ſententiam inductum à matre, nonnulli autumant: cui vt ante Othonem electum fauerit mater; ita poſtea diſcordiam inter filios optima matrona non aluit. Gubernabat tum Turingiam, tanquam prouinciam paternam: in ea arces & oppida muniebat, & comparabat ſibi auxilia atque gratiam, quorumcunq; poterat: largiebatur etiam multis militibus, vt eos haberet beneficiis obligatos. Salueldiæ ludos indicit equeſtres: & ad eos aliquot Præſules & Principes inuitat, quos putabat ad turbandum animos habere promptos & intentos: iisque, qui ſuo rogatu eo venerant, munera varia largiter diſtribuebat. Ea in vrbe primùm deliberatum eſt, de bello faciendo: & excogitatæ viæ, quibus ad illud perueniri commodè potuiſſet: & prætextus quæſiti, quibus vulgus induceretur, vt iuſtè id ſuſcipi exiſtimaret. Rex OTHO quamuis intelligeret, ipſos conſuſurrare, & voces quaſdam inſolentes iacere: tamen minimè tantæ libidinis & audaciæ ſuſpectos habuit: quòd in illo numero nemo eſſet, qui non ſibi aut propinquitate aut priuato beneficio obſtrictus eſſet. Antiſtites verò, qui faces erãt diſcordiæ, ſi quis apud ipſum accuſaſſet; ne auditus quidem fuiſſet, propter obſeruantiam, qua eos ſuſpiciebat. Intererãt illis ludis aliquot viri boni & prudentes, qui factum improbabant, & bellum omnibus rationibus diſſuadebant: ſed cùm illis reſponderetur atrociter; pro amore ſuo in patriam id curabant, ne in Turingia inchoaretur: cauſas afferebant, conſilia hoſtilia non poſſe cælari Regem, propter viciniam: nec ſatis eſſe virium in prouincialibus, cùm non omnes idem ſentirent: militem non poſſe cogi, quanto ſatis eſſet ad reſiſtendum in ipſo conſpectu Regis: qui quaſi præ foribus ſtatim oppreſſurus eſſet rebelles, & intercluſurus aditum ſociis, ſi qui vellent opem ferre. Viſum itaq; *Rebellio Henrici.* *Coniuratio Henrici cũ proceribus in Othonem.*

Duces Bauariæ.

eſt Lotharingo, qui tum aderat, id negotij dare, vt initium bello faceret: qui eam ſententiam pro animi ſui leuitate non improbauit. Quamobrem cùm HENRICVS, GISELBERTVS, EBERHARDVS ea quę videbantur adornaſſent: arma aperte ſtringũt; Henricus in fratrem Germanum, Giſelbertus in affinem, Eberhardus in ſuæ libertatis vindicem. Imperium dicebat HENRICVS ſibi deberi, quaſi nobiliori, & à patre iam Imperatore nato: diminutam ſuam potentiam, quòd frater obtineret prouincias, quæ ad ipſum ſpectarẽt: addebat his bullis alias ratiunculas valde leues & futiles. GISELBERTVS affirmabat, ſe non poſſe deſerere cauſam affinis, quæ eſſet iuſtior: EBERHARDVS ſe iuramẽto illi obligatum dicebat, non poſſe Deo & hominibus fidem fallere. Sollicitauerant multos alios Principes, qui malebant exitum ſpectare otioſi, quàm cum periculo arma tractare: nec tamen ab illis, potentia Othonis offenſi, animo planè abhorrebant: ſed habebant ſuſpectam fortunam. Seditioſi illi diſpergebant rumores de cauſæ ſuæ bonitate, & ſociorum multitudine, & armorum viribus, per omnes prouincias, non ſolùm Germaniæ, verùm etiam Galliæ & Italiæ. Slauorum & Vngarorum populos, rerum nouarum cupidos, promiſsis inuitabant: quibus aut ad ſuas partes gentes feras allicerent, aut certè illis tumultuandi occaſionem præberent. Antiſtitem Moguntinum FRIDERICVM, hominem ſceleratum, & iſtius factionis Principem, in aula Imperatoris habebant: ex quo non ſolùm facta, ſed dicta, & nutus eius cognoſcerent. Illos in armis eſſe, cùm videret Imperator, qui tale nihil de hominibus coniunctiſsimis, pro ſua integritate metuebat: cumq; iam armatos ad Rhenum aduentare audiret: antequam traijcerent, contra eas copias mittit: quamuis viribus minimè tum par erat. Cohortes aliquot Othonis, primi agminis, ſcaphis oblatis Rhenum tranſierant: reliquus exercitus in ripa citeriore ſtabat. Qui iam tranſierant, erant ita obſeſsi, vt non pateret ſpes effugij: quibus ſocij propter nauium inopiam (id enim hoſtes proſpexerant) ferre opem nullam poterant. Quamobrem cùm ſe excluſos ab amicis, intercluſos ab hoſtibus viderent: depoſitis impedimentis, in Burgundios locis duobus impetum faciunt; in conſpectu videlicet ſui Regis cum gloria morituri, & ſalute deſperata, quantùm poſsint, nocituri hoſtibus. HENRICVS admiratus ſingularem audaciam, quod pugnare ſuſtinerent tam pauci, dimicat cum iis acriter: ſed ictibus ita afflictus eſt, vt arma tractare amplius non poſſet: vulnera-

Bellum coniuratorum contra Othonem Magnum.

Othonis M. de coniuratis victoria.

vulneratus tamen non eſt, quòd amuleto & ſignis quibusdam vti perhiberetur. Lotharingus & Palatinus, quaſi cæci & amentes effecti, qui paulò antè terrarum imperium ſe habere in dexteris narrauerant, cum ſua omni multitudine turpiter fugiunt. Literas ante victoriam ſparſerant, OTHONEM non fuiſſe auſum eos aggredi; & ipſum ſeſe metu abdidiſſe in intimam Saxoniam: quæ fama ita citò peruolauit & Alpes & maria, vt Romæ & Conſtantinopoli diuulgaretur: ſed mendax ſuperbia probro illis & ignominiæ fuit. Turingis Henricum obiiſſe, pro certo relatum eſt: ideo ad Regem ſe conferunt, duabus vrbibus exceptis, quæ præſidium habebant. Ipſe ne tota prouincia exueretur, à plagis nondum curatus, quas bello acceperat, Merſburgum ingreſſus, vt ſuis animos adderet: ibi obſeſſus tam diu eſt, donec ſeſe dederet. Petenti Rex frater iterum parcit: & quia fidere illi non audebat, ire mandat in exilium; ſecumque ducere, quicunque ipſum velint milites comitari: nam ne victum quidem, aliis nudum obiicere voluit: & meritum pœnam, adhuc præſidio munitũ dimiſit: ne ſanguinis fraterni reus vlla ex parte iudicaretur. HENRICVS ad ingenium reuerſus, tranſit ad priores belli ſocios, qui nondum deſtiterant viribus ſuis confidere: nam maximam adhuc partem exercitus habebant, & fugam atque ignominiam nouo penſare facinore ſtudebant.

Ducis Bauariæ.

Moguntinus facilitatem Regis, animo ficto & peruerſo increpat, quòd paucis ſeditioſis nimia indulgentia parcens, Reip. noceret, & tumultum è tumultu ſereret: hortatur vt contumaces & rebelles ſeuerè puniat: magis ſuæ auctoritatis, quam propinquitatis habeat rationem: nulli in poſterum malo & ingrato ignoſcat: & bellum pro tuenda maieſtate contra victos inſtauret: neque moram faciat, donec ſe recolligerent; & alios, ad ſe improbos attraherent. Videbatur omnibus vera & ſalutaria loqui: & quia pro Imperatore diceret, & contra propinquum Lotharingum (alij fratrem eius eſſe ſcribunt) cauſam ageret: & quoniam Antiſtes erat, nihil niſi ſincerum & religioſum ab eo expectabatur. Tali aſtutia bellum renouandum ſuadebat, vt eius auctorem faceret ipſum Regem: & ſuam factionem perditam, ſuſpicione liberaret & calumnia. Ipſius hortatu Briſacum oppidum Palatini obſidione cingitur: ſuos idem milites eò adducit, & in ipſis caſtris omnia Regis gubernat conſilia: donec occaſionem nanciſceretur, eum prodendi & tradendi aduerſariis. Rege nihil ſuſpicante ſiniſtri, quia ſiniſtrũ in eo nihil erat: nocte quadam ex eius caſtris Moguntinus, & Argentoratenſis cum ſuis o-

Moguntini aſtutia in conſilio dando.

Duces Bauariæ. mnibus militibus diſcedunt: quos ſequuntur alij quidam: qui, metu & ignauia, cauſæ Regis deſerti diffidebant.

Eodem tempore Lotharingus & Palatinus in prouinciam vltra Rhenum, pertinentem ad Imperium, incurſant: & eam petulanter vaſtant & diripiunt. In caſu tam ſubito & inopinato, cùm clamarent penè vniuerſi, redeundum in Saxoniam, & hoſtibus perfidis cedendum: Rex id nolle facere ſe, apertè teſtatus eſt: ſuis animos addidit maiores, quàm quiſquam putauerat, ſua perſeuerantia & virtute. Ipſe à Deo regi omnia non ignorans, obſidionem continuat cum Saxonibus: ſed duce quodam Vdone cohortes Francorum, ſibi fideliſsimas, contra Lotharingum & *Palatini & Lotharingi interitus.* Palatinum emittit. Hi in conſpectum hoſtium venientes, prælium committunt feliciter: nam Palatinus in ripa Rheni occiditur: & Lotharingius fugiẽs, voragine fluminis abſorbetur. Antiſtites capti mittuntur in caſtra regia, & inde ablegantur in cœnobia exulatum.

HENRICVS expulſus è Turingia à fratre, non receptus in Lotharingia à ſorore: neque ſatis tutò agens in Saxonia, aliquandiu inter Slauos vixit, noua ſpargens diſcordiarum ſemina: nam & Regis præfectos calumniatur, & ſibi auctoritatem qualemcun*Henrici facinus.*que comparat. Aggreſſus demum facinus fœdiſsimum, in templo fratrem ſacris vacantem meditatur interficere: qua coniuratione patefacta, ſocij cæteri capite plectuntur, alij truncatos & ſuſpenſos eſſe memorant: ipſe Ingelheimum mittitur aſſeruandus, omni iam ſpe abiecta redeundi in fratris gratiam. E cuſtodia autem Rudberti cuiuſdam, Sacerdotis Moguntini, euadit: vtque rurſus ſibi fratrem conciliaret, qui aliis ignouerat, primùm animum eius, matris interceſsione mitigat: deinde quorundam antiſtitum, qui gratioſi apud Regem erant, precibus nititur: quorum conſilio ad fratrem veniens Francofurtum, cùm nudus in templo ſtare diceretur, nocte ipſa natalis Domini: admittitur in conſpectum, & in gratiam recipitur: præſcribuntur ei conditiones, quibus viuat; locus, vbi habitet.

Hærede carebat GISELBERTVS Lotharingus, qui nuper perierat. Eius ducatum opinione multorum adeptus eſſet HENRICVS, niſi tot motuum atq; turbarum auctor fuiſſet *Lotharingia traditur Conrado Franco.* improuidus. Cùm autem eam prouinciam tribueret Rex Conrado Franco, genero ſuo: Henricus matri inſtitit, vt aliquando ſui etiam ratio haberetur: ea enim quæ feciſſet, impetu nimis ſtulto & iuuenili eſſe facta: quòd ſi frater poſthac experiri vellet ſuam fidem & virtutem, ſe emendaturum ætatis &

temeritatis errata omnia. Hæc per tres ferè annos modò per amicos, modò per literas agebat: interea Bauariæ Dux Bertholdus fatis concedit. Rege deliberante, cui ditionem ampliſsimam traderet: aliis aliud ſuadentibus, mater obtinuit, vt Henrico daretur: à quo die, nulla vnquam ne minima quidem inter fratres aut ſimultas aut cõtrouerſia extitit: vndè ſuſpicari licuit, aut eum corruptum ab improbis conſultoribus, & extimulatum ad iniuriam: aut à fratre nimis arctè habitum, qui nullam ei conceſsiſſet dignam ortu illuſtriſsimo potentiam. Erat in Henrico vis animi atque ingenij, & quocunq; mentem intenderet, magna conſtantia: in conſuetudine inhumanior videbatur ignotis, ſed eum diligebant familiares: quos ita ex animo obſeruabat, vt viro forti & ſpectato Gerbergam ſororem ſuæ coniugis, quò ipſum coniunctiorem haberet, in matrimoniũ traderet. Sedato etiam bello Boemico, nequid Bolislaus Rex noui moliretur, eius quaſi cuſtos & patronus à fratre conſtituitur: nam vt ad eius ſpectaret auctoritatem, Regi iniunctum eſt.

Duces Bauariæ.

Henrico traditur Bauariæ ducatus.

Circa idem tempus, cùm Rex Italiæ LOTHARIVS, præfectos regios læderet: Henricus in Inſubriam miſſus, ei reſiſtit, cumque eo ſignis felicibus dimicat. Beringarius tum apud Vngaros exulabat: qui audito Henrici ſucceſſu, & Lotharij morte nunciata, propere contendit in Italiam. Henricus autem & Vngaros ceciderat in Carnia: & Aquileiam ceperat: & oram omnem Citrapadanam redegerat in poteſtatem: ſed Beringario fauentes Itali, eum partim manifeſtis, partim clandeſtinis iuuant auxiliis, & Henricum redire in Germaniam vi compellunt. Vxor Lotharij Adelheidis (Alundam ſcriptores Itali linguæ ignoratione nominant) diſceſſu eius in periculum venit, quæ à Beringario per inſidias capta eſt: & in cuſtodiam Veronenſem; vel (vt alij) in Vicentinam cum ancillula vnica detruſa. Rex prætextu Reginæ liberandæ, in Italiam cum exercitu mittit LVDOLPHVM filium: eique commendat præfecturas, ita vti ab Henrico conſtitutæ erant: ea de cauſa Ludolphum Henricus odiſſe, eumque in inuidiam & contemptum apud Italos variis artibus abducere: ita vt propemodum pro ignauo haberetur, & ab exteris, & ab ipſo patre. Ad res Italicas conſtituendas, quas non ſatis proſperè gubernabat Ludolphus, ipſe Rex in Inſubriam proficiſcitur: captiuam ADELHEIDIM liberat, & in thorum ſuum ducit, & cum eius coniugio, vrbe regia Papia, quam antiqui vocant Ticinum, & regno Longobardiæ ſeu Inſubrum potitur. Filius & nouis pa-

Henrici expeditio in Inſubriam.

Ottonis M. in Inſubriam expeditio.

Rebellio Ludolphi.

Duces Bauariæ. tris nuptiis irritatus; & fraude Henrici patrui cognita, per quam & gratiam apud patrem amiſerat, & apud exteros auctoritatem: primùm patri furtiuas inſidias tendit, deinde arma palàm infert: ſedem ad ducendum bellum Moguntiam eligit: cuius antiſtes regios hoſtes fouebat perpetuò. Ad mœnia exercitum Rex adhibet, non ſine ſuorum clade: ad quem in caſtra Henricus venit, & bonam ei nauat operam.

Henricus Bauariam ereptam recipit. Tota deinceps belli moles deuoluta in Bauariam: quæ Henrico erepta eſt, impulſu & conſilio Ludolphi; armis verò Arnolphi II. Schierenſis: vxor præterea, liberique eius, cum iniuria & dedecore, fugati in exilium ſunt: ſed à fratre Rege & prouinciá & dignitatem non longè poſt recipit: & ſe de hoſtibus durante bello, ſatis grauiter vlciſcitur. Capta Ratisbona, quæ belli arx erat, LVDOLPHVS ſpem ampliùs nullam videns reliquam, patri ſupplicat: quem audientibus optimatibus HENRICVS, animi impotens, verbis acerbis exagitat. Regi & fratri extitit auctor, vt ei Sueuiæ ducatum adimeret.

Bellum Othonis Magni Vngaricum. Fratres Schierenſes, VVERNERVS & OTHO) nam ante Ratisbonæ portas, alter frater ARNOLPHVS II. oppetierat) ad Vngaros confugiunt: quorum etiam mater è gentis illius ſtirpe erat genita: & Vuernerus, patris exemplo, Vngaram & ipſe vxorem habebat. Conqueſti de vi & iniuria fratrum Saxonum, & ius cognationis atq; ſanguinis prætendentes; mentione ſolitudinis & exilij ſui, facilè concitant gentem inquietam & prædæ auidam, & Saxonibus tum præcipuè inimicam: quia vinci à nullis aliis potuerant. Cum Vngaris OTHO Imperator, collecto è Germania flore nobilitatis, depugnat in campo Lyci fluminis: cui prælio HENRICVS morbo impeditus non interfuit: ſed legatos & tribunos ſuos miſit; qui re cum aliis præclarè geſta, tres principes Vngarorum captos ſecum ducebant domum, quos Henricus ſuſpendi reſtibus mandauit.

Henrici mors. HENRICVS, qui vitam parum quietam, variaque fortuna
955. vixerat, eodem anno obit, ſupra nongenteſimum quinquageſimo quinto. Sepelitur prope ſocerum Ratisbonæ, ad diuum Emeranum: in quo eodem templo ARNOLPHVS itidem & LVDOVICVS Imperatores pater atq; filius ſunt cõditi. Ditmarus in æde diuæ Virginis, quam ipſe extruxerat, terræ mandatum ſcribit; & addit morienti affuiſſe Michaëlem Præſulem Ratisbonenſem, qui eum inter cætera delicta admonuerit, quàm grauiter peccaſſet in caſtrando Patriarcha Aquileienſe Redualdo, & in excæcando Heroldo, Antiſtite Salisburgio. Cùm autem ſatisfactio

tisfactio ab eo flagitaretur: reſpondit, duci ſe maxima pænitentia propter mutilatum Patriarcham: ſed in Antiſtite improbo puniendo, nihil feciſſe contra Principis boni & iuſti officium: qui etiam in ſynodo Rauennate ſit damnatus, tanquam hoſtis eccleſiæ & Imperij. IVDITHA vidua eius ſuſpecta vulgo fuit, ꝑpter familiaritaté cum Abrahamo Præſule Friſingenſe: quæ vt infamiæ notam publicè tolleret; ſumpto corpore & ſanguine Chriſti, Deum ſuæ innocentiæ teſtem inuocauit: tandem ipſa quoque ad mariti latus tumuli locum elegit. Dotes Bauariæ.

CONRADVS.

CONRADVS Henrici I. primus filius; dum exerceret tyrocinia, interficitur ab Vngaris ad Lycum, anno ſupra noningenteſimum ſexageſimo ſexto. 966.

HENRICVS II.

HENRICVS, Henrici I. ſecundus filius, cognomento Rixoſus, Dux Saxoniæ & Bauariæ: Saxonum idiomate, quo blandientes vtuntur, Hezilo dictus: patrem moribus & ingenio referés, multarum ſeditionum auctor in Imperio fuit: iis videlicet conſultoribus vſus, quos hoſtes rectius habuiſſet, quàm amicos. Vxor eius Giſela (ita eam Ditmarus nominat, in carmine præfationis libri quinti) Conradi Ducis Lotharingiæ filia. Hanc chronicum Magdeburgiũ, & Cuſpinianus BERTHAM, alij Bertradam: Lazius quidem & ipſe Giſelam appellat, ſed addit Conradi fuiſſe neptim: verùm alio loco, oblitus eorũ, quę ſcripſerat, nominat GERTRVDIM, Diterici Ducis Moſellani filiam. Nos Ditmarum ſequimur, vt puto rectiſsimè. Filios habuit tres: HENRICVM I. poſtea Imperatoré, ordine ſecundum, Ducem Bauariæ tertium: alterum ſibi cognominem etiã HENRICVM II. in adoleſcentia mortuum. Tertium BRVNONEM Præſulem Auguſtanum. Filias quinq;, ADELHEIDIM, GISELAM, SOPHIAM, HEDVIGIM, GERBERGAM, ADELHEIDIS vxor fuit Burchardi Comitis Geiſenhuſij; mater Henrici, Præſulis Auguſtani. Giſela Stephano Regi Vngariæ, ea conditione tradita, vt veræ religioni ſeſe Rex addiceret. Bonfinius in hiſtoria Vngarica hanc Giſelam ait fuiſſe Henrici II. Imperatoris filiam, cùm fuerit eius ſoror: & mox addit Vilhelmi Burgundi filiam fuiſſe, ſibi non ſatis conſtans in oratione. Hæc Giſela Baſilicam Veſpriniam in Vngaria, Patauienſem veterem in Bauaria extruxit: in hac poſt mariti obitum vitã tranſegit, atq; ſepulta eſt. SOPHIA tertia filia Sacerdos maxima Paderbornenſis: quæ eodem die infulã accepit, quo ipſius fratria CVNEGVNDIS coronam regiam: huius in metropoli Crancius meminit. Henrici Bauari.

Duces Bauariæ. Quarta filia HEDVIGIS, nupta Lothario, vel (vt alij) Ludberto Burggrauio Mageburgio. His addit Gerbergam Lazius, Sacerdotem Chiemenſem.

Henrici rebellio. Henricus patris imitatus audaciam, inuadere Imperium tentauit: ad quam inſaniam Præſul Friſingenſis Abrahamus, vir caſtris quàm eccleſiæ aptior, eum impulit: qui ſocium ſibi adiunxit Bertholdum Schierenſem: præſul etiam regia ei dedit inſignia, aliis omnibus factum improbãtibus. Conſpirat Henricus in Imperij perniciem cum Rege Daniæ: item cum Poloniæ ac Boemię Ducibus: quorũ tum opes ſatis florẽtes erant. Accuſatus ea de cauſa, Regem patruelem ſuum, diſsimulatione decipit, vt veniã facinoris conſequeretur: factum id eſt anno ſupra noningenteſimũ
974. quarto & ſeptuageſimo: interea nihil omittit, quò ſuæ ambitioni indulgeat. Iterum rebellis factus à Poppone Vurciburgio Præſule ad Regem vocatur, ad dicendam ſententiam: verùm cùm temeritatem ſuam nequaquam poſſet defendere, Principum cenſura damnatur exilio: neue quid moliretur in certem traditur cuſtodiam, relegato etiam Præſule. Locum cuſtodiæ fuiſſe Traiectum, ſcribit Ditmarus: Treuerim verò, Lazius: alij exiſtimant duabus illis cuſtodiis detentos, altera patrem, altera filium: quorum opinio à vero non abhorret: ſed aliter ſentit
976. Auentinus, qui Ingelhemiam nominat cuſtodiam, factum id eſt anno ſeptuageſimo ſexto. Bauariæ dominatus, quem tenuerat, committitur Othoni, Ludolphi filio, Othonis I. Imperatoris nepoti; qui paulò antè Sueuiæ Ducatum acceperat.

Sextum iam annum vixerat in exilio & cuſtodia Henricus, cùm Otho II. expeditionem in Italiam moliretur. Igitur vt aduerſarium ſibi beneficio deuinciret, & belli cauſas domi quaſi præcideret: in comitiis ad Mœnum Francofurti, ſuum Principibus de liberando patruele animum exponit: quam beneuoli pectoris ſignificationem cæteri Principes probauerunt, nec Otho illi cedere recuſauit, qui prouincia eius potiebatur. Acceſsit deinceps cum Imperij Principib. ad conuentum Veronenſem: in quo ſuam Regi fidem de integro obligauit: & filio ſucceſsionis poteſtatem impetrauit. Fuit meritò admirationi omnibus & bonitas
Henrici affectatio Imperij. Regis, & humilitas Henrici, & æquitas Othonis: ſed vt animi mutabiles ſunt; eorum præſertim, quos ambitio & inuidia occupauit, Henricus poſt obitum Othonis, ad rapiendum Imperium rurſus animum applicat: incitatus ab iis, à quibus antea non modò aſtu circumuentus, ſed etiam deſertus in periculis fuerat. Factio eius Ducum prudentia reprimitur, præſertim Antiſtitum:

quorum & potentia & auctoritas tum temporis maximè valebat: ij ſanè fortiter & Romanam & Bauaricam ſuſtulerunt de Imperij dignitate contentionem. *Duces Bauariæ.* OTHO III. annis puericiæ, Brunoni antiſtiti Colonienſi cùm datus eſſet educandus, donec ad iuſtam ætatem adoleſceret, & oneri gubernationis par eſſet: Henricus Dux militibus diſpoſitis ex aula Brunonis, violenter eum rapit; & tutelam eius ſuſcipit, & nomen Auguſti ſimul vſurpat. Eam tulerunt iniuriam Principes indigniſsimè: quorum communi decreto ſtatuitur, vt puer repetatur: qui ſi voluntate traditus non ſit, ſe pro ipſius dignitate armis dimicaturos. Itaque cum ſine periculo capitali eum retinere non valeret: tandem paratum ſe oſtendit, puerum ſiſtendi quocunq; in loco vellent: ſimul conqueritur, quòd ſibi non plus fidei, quàm extrario habeatur: ad quem cura, dignitas, ſalus pueri ſpectet præcipuè. Puer duriuſculè habitus redire ad Colonienſem noluit. Erat tum temporis Antiſtes Moguntinus VVILLIGISVS, ortu quidem humili, nam carpentarij filius fuiſſe ſcribitur: ſed vir omnium iudiciis probatiſsimus, cui in tutelam & diſciplinam traditur: additi iuuenes generoſi & ingenui: qui vnà literas linguasque diſcerent, & eum obſeruarent. Expetebant auia & mater, vt liberaliter & ſtudioſè, & cum aliqua libertate educaretur: quarum honeſto & pulcherrimo amori, Principes Germaniæ, qui & ipſi libertatis & honeſtatis erant ſtudioſiſsimi, animis libentiſsimis iudulſerunt. Henricus malè cogitabat multis: ſed & potentia & cauſæ æquitate ſe vinci intelligebat. Transactum eius negotium eſt, Francofurti ad Mœnum: & ab Othone III. reſtitutus eidem Bauariæ ducatus, quo antea ſuis importunis moribus, & iniuſta cupiditate bis exciderat.

Erat eidem alia cum Gebhardo Præſule Ratisbonenſe controuerſia: quæ & ipſa Comitiis Magdeburgiis in præſentia Imperatoris ſedatur, anno ſupra noningenteſimum nonageſimo quinto. 995.

Diſcedens Magdeburgo ſororem ſuam Gerbergam inuiſit Gandershemij, ſummo Sacerdotio fungentem. Ibidem in morbum grauem incidit: cumque de vita ſe periclitari animaduerteret, HENRICVM ad ſe filium accerſi iubet. *Morbus & mors Henrici.* Eius aſpectu nonnihil recreatus, tandem poſt multos ſermones beneuolos: Tu (inquit) fili domũ redi, & diſpone Reip. negotia: Imperatori, domino tuo, ne aduerſeris, vlla adductus calumnia aut iniuria: id enim me feciſſe ſæpius, iam pœnitet: & quoniam me amplius in his terris viſurus non es, hæc mea admonitio verſetur ante

animum

animum tuum perpetuò. Cùm augeretur vis morbi indies, vitam hanc deſerit V. Cal. Sept. anno, quo modò diximus. In eodem cœnobio conditur in templi medio, ante aram ſanctæ Crucis. Lazius ſcribit mortuum in exilio: & alibi ait relatum Ratisbonam, in paternum mauſoleum: alibi deportatum eſſe Altachium. nos Ditmarum auctorem rectiùs ſequimur.

BRVNO I.

BRVNO Henrici I. filius tertius, Henrici II. frater, ex Iutta Bauara, Arnolphi filia. Vxorem habuit HILDESVINDAM, Comitis Croatiæ filiam: ex qua genuit, ſecundum annales Brunſuigios, BRVNONEM & ECBERTVM filios: quorum natu minor prima ætate eſt extinctus. BRVNO caſtra patrui ſui Othonis I. Imp. ſecutus, propter fortitudinem & fidem, ei admodum charus & acceptus fuit, à quo Marchionatum accepit Saxoniæ: nam præter Hercinios etiam Meluerodam, & Hoënuartam, non procul à Brunſuigo poſſedit, & in Bauaria ditionem Duncheslarienſem tenuit. Interfuit anno Chriſti ſupra noningenteſi-
968. mum ſexageſimo octauo, Troiamini Conſtantienſi, ad lacum Podamicum.

BRVNO II.

BRVNO II. Marchio Saxoniæ, filius Brunonis. Vxor eius GISELA, filia (vt Crancius) Principis Vuerlaeſis: vt alij, Lotharij regis Franciæ: vidua Erneſti Senioris Ducis Sueuorum: qui frater Alberti fuit, tertij Marchionis Auſtriæ: ERNESTO gemellos peperit ERNESTVM II. & HERMANVM: BRVNONI marito ſecundo filium vnicum LVDOLPHVM: nam Bruno ætate florente vitam cum morte commutauit: eum ludis equeſtribus
998. Mersburgi interfuiſſe, anno ſupra noningenteſimum octauo & nonageſimo, liber Troiaminis teſtatur. Poſt obitum Brunonis, GISELA mulier de Caroli Magni ſtirpe nobilis & fortunata, CONRADO II. Imp. nubit: cui peperit HENRICVM III. Imp. Sepulta cum marito eſt, in ampla illa baſilica Spirenſi, anno poſt vltimi mariti mortem quarto. Hæc ex auctoribus certis retulimus: nam Lazius more ſuo, ſibi non ſatis conſtat. Hic BRVNO interfecto Ecberto Marchione, agnato ſuo, Othonis Magni Imp. abnepote, eius in Saxonia prouinciam, Henrici II. Imp. beneficio impetrat: quod chronica Magdeburgica teſtantur, & nos planius dicemus infrà.

LVDOLPHVS.

LVDOLPHVS Brunonis II. vnicus filius, Princeps & ſua & fi-

liorum

liorũ virtute celeberrimus, frater vterinus Henrici III. Imp. Vxor eius HILDA, Balduini II. Flandriæ Comitis filia: ex qua procreauit BRVNONEM Marchionẽ Saxoniæ, HERMANVM Saxoniæ Palatinum, OTHONEM Ducem Saxoniæ ad Viſurgim, ECBERTVM Marchionem Miſniæ & Turingiæ. Filiam quoq; habuiſſe legitur Diterico nuptam: ſed nec ipſius nomen, nec mariti ſtirpis expreſſum vſquam inueni. *Duces Bauariæ.*

LVDOLPHVS Conrado II. Imp. vitrico ſuo non renitente, vrbis Brunſuigæ poſſeſsionem & ius ſibi vſurpat: nam maiores ſuos, Imperatores videlicet quinq;, eam ſemper tenuiſſe aſſeuerabat: Dancuerodam vrbis arcem ædificiis & templo exornat, & vrbis muros partim renouat, partim de integro extruit; eamque tranquille poſsidet, beneficio fratris Imp. Henrici III. quos niſi agnatos habuiſſet, parta veterum vix retinuiſſet. In eadem vrbe ludos equeſtres ſolenniter celebrauit: vir & magnanimitate & opibus præcellens. Ipſe autem Marchionem Saxoniæ, & Dominum Brunſuigi ſe nominabat, vt in annalibus Brunſuigiis legitur. Illis enim temporibus titulum Principatus Saxoniæ nullus per ſe habuit: excepto Bernardo Duce Luneburgio. Eius autem quisq; terræ aut ditionis nomen aſſumpſit, quam ipſe poſſedit, aut cuius iura defendit: quæ obſeruatio neglecta magnos in Annalibus noſtris errores, apud exteros ſcriptores peperit. nam dum loca mutata ſunt, quod belli temporibus frequenter accidit, etiam nomina familiarum fuerunt abolita.

BRVNO III.

BRVNO III. Ludolphi primus filius, Marchio Saxoniæ, vir cõſilio & animo magno præditus. Vxoris eius nomen nondum legi: ſed ipſe tamen filiũ reliquit HENRICVM, vel (vt Annales) HEZILONEM, Præſulem Hildeshemium.

Brunoni incidit magna controuerſia cum OTHONE Marchione Turingiæ, cuius frater Vilhelmus erat à Luticiis interfectus. Nam Bruno ſibi vendicabat poſſeſsionem Turingiæ, & eam ſibi eripi nolebat Otho: is neſcio qua de cauſa exulauerat in Boemia, & erat natus è matre Slaua. Animos illi addebant aliquot Saxoniæ principes, qui Regem puerum non amabant: & Othone quaſi face belli cupiebant vti, & ſpes illi magnas faciebant. Erat Otho vir acer ingenio, & manu impiger, vt ait Lambertus: & ſtimulos illi ad occupandam Turingiam mouebant, qui turbare ſatagebant pacem publicam: nec minore cupiditate, Bruno flagrabat, eisque omnibus acriter hoſtis erat: qui aut ſibi reſiſtebant, aut ſuum inceptum impediebant.

Incenſa

Duces Bauariæ.

Incenſa tum erat magno in Regem nouum odio Saxonum nobilitas, vt dixi; quę ſibi ducem belli oblatum rata, Turingi cauſam contra Brunonem non obſcurè defendit: & eò furentem hominem impulit, vt de tollendo Rege puero conſilia pernicioſa agitaret: iamque ſpem inanem atque vacuam regni conciperet, qui nondum fratris poſſeſsiones & fundos in Turingia vendicauerat. HENRICVS IV. Rex patre nuper defuncto, & ſub tutela matris Agnetis adhuc degens, ſibi ab Othone metuit: & rumoribus variis de audacia eius edoctus, conuentum per tutores indicit Mersburgum; ad quem frequentes adeſſe mandat Saxoniæ Principes: ad eadem comitia Otho cum ſatis inſtructo comitatu properabat. Id ſiue Bruno per exploratores ſciuerit, ſiue caſu in eum inciderit, in itinere, incertum eſt: in Francia autem non procul à pago Neudorfo, Bruno & Ecbertus fratres, Othoni obuiam veniunt: quem cùm & publica de cauſa, quòd turbator eſſet quietis, & propter priuatas iniurias perditum cuperent: ſuos arma expedire & pugnare imperant, acieque inſtructa in agmen Othonis pugnam non detrectantis, procurrunt. In prima dimicatione Bruno & Otho tam acriter alter in alterum impetum facit, vt confecti vulneribus mutuis, & de equis excuſsi, ambo conciderint mortui. ECBERTVS cæde fratris incenſus, ſuos milites adhortationibus extimulat, vt domini ſui cædem vlciſcantur: & quamuis ipſe quoque eſſet grauiter ſaucius, tamen prælium inſtaurat: & Comitis Bernardi filium, nondum armis aptum, ſed magna virtutis indole præditum, manu ſua interficit: hoſteſque ducibus ambobus iam orbatos, partim in fugam coniicit; partim captos vinctoſque Dancuerodam deducit. Brunonis interfecti ingens deſiderium relictum, quòd de eius virtute omnia ſumma homines ſibi pollicerentur: ſed tamen quia ſuo caſu, vnà tyrannum oppreſſerat, patriam ingenti liberat calamitate. Sublato enim homine audace & ſeditioſo, Saxones quieuerunt: quia ſocios Othonis pœnituit facti turpiſsimi: quòd & ignobilius natum, & non iuſta tentantem, ducem ſibi legiſſent, & iuuiſſent vel opera vel conſilio. Occiſus Bruno eſt, anno ſupra milleſimum quinquageſimo ſeptimo, vt Lambertus ſcribit.

Cædes Brunonis, & Othonis Turingiæ Marchionis in mutuo conflictu.

1057.

HENRICVS PRÆSVL.

HENRICVS, Brunonis III. filius, ab aliis HEZILO, vulgato Saxonum idiomate, appellatus, primùm Præpoſitus Goslarienſis; tum Anſelmo Præſuli Hildeshemio ſucceſſor datus.

Inter

Inter Præſulem hunc, & Abbatem Fuldanum Vuideradum, pugna illa importuna & cruenta in templo Goslariano extitit: dum primum quisque locum in ſedendo vult occupare, & alteri videri dignior. Moris erat in conuentibus publicis, quibus aut Imperator, aut legati eius intereſſent: vt abbas Fuldanus locum haberet ſecundum ab Antiſtite Moguntino: id Fuldano in ſua & vrbe & diœceſi non concedebat Hildeshemius: nam in ea ſe ſolum obtinere locum principem, maiorum conſuetudine dicebat. Res cum primùm inter ipſos eſſet agitata verbis & rationibus: à Siffrido antiſtite Moguntino, ne quid pateretur de ſua dignitate detrahi, Abbas admonetur: nam eiusdem profeſsionis ipſe Antiſtes fuerat, & ex eodem cœnobio ad gradum honoris altiſsimum conſcenderat. Contrà Hildeshemius in ſua ditione, ſi ceſsiſſet Præſul Monacho, Princeps priuato, infamiæ ſibi fore exiſtimabat. Die ipſo natalis Chriſti, inter amborum miniſtros, in medio templo contentio ſuſcipitur: quæ ne in tumultum prorumperet, Otho Dux Bauariæ, Præſulis patruus, ſuo interuentu prohibuit. Feſto deinceps die Pentecoſtes, quem eadem in vrbe Rex celebrabat, animis magis infeſtis illa concertatio renouatur: cumque neuter hominum piorum & prudentum admitteret conſilia: ſtatuerunt armis negotium tranſigere: magna partis vtriusque ſtulticia & cæcitate: quòd neque Deum, neque Regem præſentem venerarentur. Præſul qui locum antea per vim tenuerat, abbate denuo repulſo, Ecbertum alterum ſuum patruum, cum cohorte militum in adyto templi diſponit, & alios milites occultat, loco infra aram ſubterraneo. Cùm ſellæ Pontificiales de more locarentur; inter miniſtros clamor & tumultus ſuſcitatur: quo audito milites Præſulis aduolant, & Fuldanos bene mulctatos loco ſacro eiiciunt: hi contrà, nullo prohibente, arma comportantes, in templum irruunt: & ante ipſas aras, in conſpectu Principum, cum factione aduerſaria hoſtiliter cõfligunt. Præſul furioſus in locum editiorem aſcendens, ſuos oratione inſtigat, hoſtes trucidare iubet, veniam delictorum omnium pollicetur, præmia victoribus promittit. Adeò nulla fuit, propter ambitionem, neque religio loci, neque Regis obſeruantia, neque Principum præſentium formido. Rex facto inuſitato attonitus, voce manibusque ſilentium & pacem imperans, cùm à nemine exaudiretur, inter conflictum è templo egreditur. Sanguine & aræ & ſtatuæ diuûm conſpergebantur: ſanguine totum fluebat pauimentum; quem nonnulli è foribus quoque profluxiſſe ſcribunt. Ex vna parte Regenbodus Fuldani ſignifer, ex altera ſatelles Ec-

Duces Bauariæ.

De ſeſsione controuerſia & conflictus in templo.

 les Ec-

Duces Bauariæ. les Ecberti Bero, ipſi chariſsimus, interficitur. Vicit demum Præſulis factio, quæ parata inſtructaque venerat. Eiectis Fuldanis templum clauditur: cuius atrium cùm denuo obſediſſent Fuldani: ipſa demum nox, ne pugnam renouarent, prohibuit. Præſul interfectos proiici mandauit, quaſi honore ſepulchri indignos: neque ſolùm eos, ſed & viuentes damnauit, qui pugnæ interfuerant. Viſa res omnibus indigniſsima, ſed odium tandem omnium, in Abbatem minus potentem deriuatur.

Henrici Præſulis mors. Præſul poſt illud tempus, in grauem ſtatim incidit valetudinem: quæ cùm auctior fieret cotidie: in cœnobium Mauricianum ſe deportandum curat: in eoque vitam finit, anno poſt natum Chriſtum, ſupra milleſimum ſexageſimo tertio, ſuæ ſedis decimo ſeptimo. Vitam eius producunt longiùs Annales præſulum Hildeshemiorum, qui mortuum ſcribunt, anno ſedis ſuæ vigeſimo quinto.

1063.

Fuit aliâs in hoc Præſule magna liberalitas, & in rebus eccleſiaſticis ſingularis cura: nam coronam auream ingentem eccleſiæ dicauit, eique nomen ſuum inſcripſit. Collegium ſanctæ crucis fundauit intra vrbis mœnia, olim ad ſcalas dictum: & diui Mauricij in monte, in quo ſepultus eſt, extra mœnia. Illi præfecit Adoldum, virum optimis moribus, huic Cunonem abbatem, ſororis ſuæ filium: (quem nepotem non rectè nominat, vulgari videlicet errore, Crancius) qui poſtea Præſul Brixinenſis creatur, vt annales Hildeshemij. In cœnobio ſanctæ crucis aluit Sacerdotes quindecim, in Mauriciano viginti.

HERMANVS.

HERMANVS ſecundus Ludolphi filius, Saxoniæ Palatinus fuiſſe legitur, de quo nihil præterea, relatu dignum, vſpiam in monumentis inueni.

OTHO.

OTHO tertius Ludolphi filius, Dux Bauariæ, animi excelſi & inuicti Princeps; & niſi tempora obſtitiſſent virtuti aduerſa, omnibus anteferendus. Fuit hic frater patruelis (fratruelem barbari dicunt) Imp. Henrici IV. & auus maternus Imp. Lotharij II. Vxor eius CVNISSA Ducis Bauariæ filia: ex qua genuit filios tres, HENRICVM Craſſum, Ducem Gotingenſem, CVNONEM Comitem Beichlingi, & SIFFRIDVM Comitem de Bomenburg. Filias quinque ETHELINDAM vxorem Guelfi IV. Ducis Bauariæ; quam repudiatam à marito, gratiam Regis aucupante, duxit Hermanus Comes Vueſtoualiæ: VDAM vxorem

Thimonis Comitis Vuettini, & primi Marchionis Miſniæ. Trium reliquarũ non extant nomina: ſed vna nupta fuit (vt è Crancio liquet) Friderico Comiti Arnsbergio: altera Othoni Capelndorfio, poſtrema Hermano Comiti Calbio.

Duces Bauariæ.

OTHO Dux Saxoniæ ad Viſurgim, ſeu Dux Gotingenſis dictus fuit: Gotingam enim & Northemum, & vicina aliquot loca tenuit, poſteaquàm ducatus Bauariæ ei ademptus fuit: quẽ Agnes Henrici III. Imp. vxor, cùm poſt mariti mortem, Imperiũ adminiſtraret, vſq; ad filij ętatem adultam, ei conceſſerat: cùm propter nobilitatem, quam ex familia Imperatoria habebat, tùm propter præclara in Remp. merita: nam maiorum exemplo in publica re defendenda, & curandis Imperij negotiis, ſtrenuum ſemper & induſtrium ſe geſſerat.

Otho cur Dux Gothingenſis fuerit dictus.

Rex HENRICVS adhuc puer, eo tempore à matre educabatur, & ab Henrico Præſule Auguſtano: qui cùm propter morum faſtum & inſolentiam in omniũ odio eſſet, & Imperatoris vxorem faceret vulgò ſuſpectam: conſilium communiter capiunt, Anno Antiſtes Colonienſis, Otho Dux Bauariæ, Ecbertus Saxoniæ Marchio, vt matri filium eripiant, & in dignam nomine regio libertatem, puerum reſtituant. Verſabatur tunc HENRICVS in Rheni inſula, diuo Suidberto ſacra: ad eam accedentes cum Antiſtite, nominati modò Principes, ſe officij cauſa veniſſe dicũt: quibus cùm honor haberetur, & puer eorum aduentu factus eſſet hilarior, quibus poſſunt rationibus, ad lætitiam porrò eum inuitant: quibus cum animi cauſa in inſula ſpatians, vt nauim ipſorũ nouo artificio paratam inſpiceret, perſuadent: id cùm non renuentibus cuſtodibus, ſimplicitate puerili factum eſſet: nemine ſuſpicante, oram repente ſoluunt, & nautis vt remis incumbant imperant. Puer vehemẽter perturbatus, & ſaluti formidans ſuæ, quamuis & antiſtes, & patrueles, ipſi animum adderent, ſeſeque eius libertatis auctores profiterentur: tamen verbis illorum credere non potuit, & metu nonnihil diſsimulato, cùm nauis eſſet paululùm progeſſa, in aquã ſeſe coniecit. Perculſis omnibus Ecbertus Comes de prora deſilit, vt puerum ſeruaret: idq; Dei beneficio eſt conſecutus: puer ereptus è morte præſenti, & perſpecta Ecberti voluntate, qui vitæ ſuæ non pepercisſet, animum recipit: blanditiisq; multis delinitus, Coloniam incolumis deducitur, & more regio accipitur atque tractatur. Colonienſis ne vi perpetrata, maieſtatem læſiſſe diceretur, ſcripto ſe publico excuſat: ſuamque & ſociorum Principum cauſam ita exponit, vt omnibus ſatisfaceret: idque communis commodi cauſa ſe feciſſe, facto comprobaret.

Henrici IV. Imp pueri in libertatem reſtitutio.

Duces Bauariæ.

Reginæ AGNETI, Imperatoris viduæ, quæ ſibi magnam vulgi inuidiam propter Auguſtanum conflauerat, adimitur poteſtas gubernandi: quæ pudore ſe contulit in Italiam, & in cœnobio Friceriæ vixit, & Romæ tandem obiit. Auguſtano in arce Falchenſteinia capto, ſcrotum ligneis fiſcellis colligatum atque perfoſſum eſt: quem poſt paucos dies, antequam in vrbem rediret, in itinere obiiſſe, annales præſulum teſtantur: ſed Lambertus adhuc annum ſuperuixiſſe ſcribit.

Summam deinceps gubernationis tenuerunt Colonienſis & Bauarus, tanquã libertatis vindicẽs, qua Rex adoleſcentulus frueretur: & ſanè ipſi non deerat neq; in conſultando peritia, neq; in agendo fortitudo. Acceſſerunt ad eos Moguntinus & Bremẽſis, Antiſtites: penes hos quatuor regia poteſtas erat, & ipſorum arbitrio omnia in imperio fiebant. Rex interea ſuo arbitratu viuebat. Qui cùm Goſlariam eſſet perductus, & conclaue eius fulmine tangitur: gladius & ſcutum de lecto ſuſpenſa, igne fulguris corripiuntur, maximo prodigio.

HenricusIV. Imp. puerilis incogitantia.

Videns autem Rex ſtatum Saxoniæ florentem, & ſplendorem ipſorum principum, & populi animos feroces, quid in animo haberet, puerili quadam incogitantia protulit. Dixiſſe enim eum Otho Friſingenſis ſcribit, ſe mirari, quòd nullum inueniret in tanta Imperij amplitudine locum, in quo poſſet vires ſuas oſtendere & exercere: ſe enim non futurum Regem ignauum. Hunc ſermonem multi non ſatis intelligebant, nec pro ætate ipſius putabent animi eſſe malefici indicem. Idem cùm de caſtello totius Saxoniæ & munitiſsimo & ornatiſsimo aliquãdo in regionem ſubiectam proſpiceret, præſente, (vt Marianus ſcribit) Othone patruele ſuo: Saxonum quidem regio (inquit) pulcherrima eſt: ſed ſerui eius ſunt nequiſsimi. Hanc vocem OTHO Dux audiens, expalluit: & tam altè animo ſuo impreſsit, vt nunquam poſtea exciderit è memoria. nam quaſi diuinabat id euenturum mali: quod poſtea cum pernicie & euerſione patriæ, fataliter (vt iudicatur) euenit.

Antiſtitis Bremenſis aſſentatio & πλεονεξία.

Antiſtes Bremenſis, Friderici Comitis Gozecenſis filius, qui è quatuor viris adoleſcẽtem regem gubernantibus, vnus erat, poſt exiguum tempus cæteris omnibus gratioſior & acceptior Regi fit, nam lenitate, obſequio, indulgentia, ita ſibi animum imperitum deuinxit: vt neminem magis amaret atque obſeruaret, nulli ſuas omnes cogitationes alij cõmitteret: idem ſibi aſciuerat Vuernerum Comitem, cum quo omnia per imperium agebat de ſua ſententia. Id iniquiſsimè ferebant cæteri aulici: ſed nec

aſtutia

aſtutia nec conſilio illum impedire potuerunt. Bremenſis ad fortunas augendas, cupiditate & auaritia occæcatus, in cœnobia opulenta inuadebat: ſibique Corbeianum & Lauriſſanum Regis conſenſu iam ſubiecerat: ſed ad declinandam inuidiam, alios in eadem culpa eſſe volebat: exiſtimans rapinam fore immunem atque indemnem, ſi eam multi & potentiſsimi exercerent. Coloníenſi promittit cœnobia, Malmendienſe & Endanum, Moguntino Selingſtadianum, Othoni Bauaro Altenſchenſe, Rodolfo Sueuo Chenbetenſe, Vuernero Comiti oppidulum Kirchbergum, cœnobij Hirsueldij fundum antiquũ. Bauarus animaduertens iſta pſæter fas & æquum agi, poſthabitis ſuis commodis Abbatem Corbeianum defendit: Monachi Lauriſſani à legatis Regis aliena occupaturis, vix manus abſtinuerunt. *Duces Bauariæ.*

Non longe poſt tempore, Bremenſis ex aula accuſationibus eiicitur: & Vuernerus Comes, in diœceſi Hirsueldia, orto propter militum eius rapinas, agreſtium tumultu, claua à vili homine obtruncatur, auctoritas Bauari rurſus cœperat in aula regia eſſe præcipua: ſed ſtatim excitatur contra ipſum calumnia, quaſi de Rege interficiendo conſilia nefaria agitaſſet: eſtque inuentus non obſcuræ nobilitatis, ſed famæ propudioſæ. Hegmanus quidam (ſeu vt ab aliis nominatur, Hegeno) qui id crimen contra ipſum defenderet: ſeque ſolicitatum eſſe ad ſceleris ſocietatem ſanctè affirmaret, ſicam etiam proferret, ſibi ea de cauſa traditam: præterea vt fidem verbis faceret, ſi id OTHO negare auderet, paratum ſe certamine ſingulari cum ipſo decertare. Perfidiam Hegmani adiuuabat Lupoldus quidam (Mersburgius), quo Rex familiariſsimè, Lamberto teſte, vtebatur. *Otho calumnijs impetitur.*

Giſo item Comes Hollandius, & Albertus quidam, vnà cum filijs ſuis quatuor: quos omnes malè periiſſe poſtea dicemus. Scribit etiam Crancius Albertum Antiſtitem Hamburgium, partes Othonis impugnaſſe: vt fratri ſuo Alberto ducatus Bauariæ traderetur, quod etiam poſtea factum eſt. Inuidis & inimicis Othonis, quorum in illa ampla dignitate non paucos habebat, nihil accidebat opportunius. Nam quos boni publici gratia aliquando offenderat, hi omnes ſuas vires, omnes copias in ipſo opprimendo (vt fit) conferebant. Vocatus Moguntiam, accuſatur Regis nomine, propter cogitatum facinus: teſtis producitur Hegmanus, & ſica in medium affertur. Princeps cùm ſibi conſcius nullius praui conſilij eſſet, factum conſtanter negat: & à Rege petit, vt memor fidei & meritorum, homini vano ne crederet: ſed nihil æqui obtinet, niſi vt Goslariam poſt menſis & dimidij

Dux Bauariæ.

ſpacium veniat, & die Calendarum Auguſti cum accuſatore ſuo congrediatur; manuq; conſerta, ſuſpicionem purget; aut à Deo, iudice iuſtiſsimo, vindictam expectet publicam. Cæteri qui Moguntiæ aderant, Duces ac Principes, duriſsimam videbant eſſe conditionem à Rege oblatam: nec eam tamen quiſquam improbare audebat, vt iniquam: quamuis homo antiqua nobilitate, auctoritate, potentia cum viliore compararetur: & is qui nullam vnquam ſceleris aut malitiæ ſuſpicionem dederat, cum homine propter probra & latrocinia perdito, quòd paulò pòſt euentus docuit. Otho nihil recuſans aut durum aut indignum, ad teſtandam ſuam innocentiam, ad diem conſtitutam cum honeſto comitatu nobilium hominum, & militum ſuorum aduentat. Cum ad Regem precatum mitteret, vt ſibi tutò liceret Goſlarium intrare, & conditione propoſita crimen illatum refellere: acceſſus liber atq; ſecurus ei negatur: & à Rege importunum reſponſum accipit: primùm quòd videret Rex, Hegmanum & animo & vſu armorum Duce Othone longè inferiorem: deinde quòd de Othonis pœna iam intra ſe conſtitutum haberet.

Othonis proſcriptio.

Quocirca Otho ne aut in vincula ſponte manus traderet, aut veluti pecudem iugulandum hoſtibus ſe obiiceret; amicorum hortatu, diſcedit: & ſuæ ſaluti, quantùm poteſt, proſpicit. Cùm vrbem introire recuſauiſſet: lata in eum læſæ maieſtatis ſententia eſt: & tanquam in proſcriptum poteſtas omnibus facta; & ipſum vexandi, & eius ditionem euertendi. Itaque non hominibus, non agris, non templis deniq; hoſtes parcere: & quò quiſque ſe geſſiſſet crudeliorem, eò maiorem laudem à Rege merebatur: Haneſteinum arcem ipſe Rex demolitur: Teſenbergi milites ſponte ſe dediderunt: reliqua deinceps ditio metu in poteſtatem venit, & miſerrimè ſpoliata eſt: & homines multi paſsim interfecti: fundos quoque dotales vxoris eius aggreſſus Rex, cùm ciues & agricolæ ſiluas & montes formidine petiiſſent: in eorum vxores, liberos, familiam ita furioſè ſæuitum eſt: vt vix acerbiora olim ab hoſte Vngarico pertulerint.

Othonis expeditio in fines Turingiæ.

In tanta calamitate OTHO circiter tria millia armatorum colligit, quos partim prædæ & rapinarum ſpe propoſita conciliauerat, partim veteribus beneficiis deuinctos habebat. Inuadens autem fines Turingiæ, vſque ad Eſchenuegam progreditur: ad quem paulatim plures confluxerũt, ij præſertim, qui agris & fortunis à Rege exuti, crudelitatem eius effugerant. Turingi iniuria inopinata laceſsiti, ad arma conclamant; & hoſti in conſpectum veniunt, duce Rudgero Comite: nec Otho moratus, cum ſuis

animos oratione addidiſſet, ſignum pugnæ dedit. Rudgerus qui plebem confuſè armauerat, fugæ facit initium: ſuntque interfecti circiter trecenti: Othonis milites duo vulnerati, vnus tantùm occiſus eſt. Ipſe vnica victoria contentus, ne & ſociis exitio foret, & prædando priſtinum integritatis nomen amitteret; ſuos milites rurſus dimittit, & Regis eos quærere gratiam præcipit: ſeque in Saxoniam citeriorem confert: vbi eum opibus Magni Saxoniæ Ducis, qui eius innocentiam nouerat, & fortunam miſerabatur, fuiſſe ſuſtentatum, Lambertus prodidit. Crancius hos Duces diu ante inter ſe conflictatos ſcribit, cùm Otho repeteret maiorum prouinciam, ab Othonibus Imperatoribus poſſeſſam: Magnus eam defenderet, tanquam à patre & auo relictam atque traditam: ſed ea contentione, iampridem ſopita, amicitiam modò inter ſe colebant: & Magnus Dux ipſi opem exercitumque promittebat; ſiue iniuriam ſuam perſequi, ſiue gratiam potius recuperare vellet: nam quidquid honoris atque potentiæ hic habebat, id à maioribus Othonis ſe accepiſſe, non fuerat oblitus. *Duces Bauariæ.*

Alienati erant à Rege vehementer, propter Othonem proſcriptum, Principum Saxonicorum animi: ideo ipſe ſeſe Goslariam conferebat, vt è vicinia hoſtium obſeruaret actiones. Dum ibi ageret, Bauariæ ducatum, de quo Othonem Rex vi deiecerat, tradit VVELFONI, Azonis Itali Marchionis Eſtenſis filio: quem tamen alii emptum potius, quàm honoris cauſa traditum ſcribunt: in qua ſententia, idem Lambertus eſt. Noſtri annales hunc Vuelfonem, nō Azonis, ſed Conradi filium fuiſſe tradunt, Vuelfonis videlicet nepotem: Is ETHELINDAM Ducis Othonis natu maiorem filiam, modeſtia & pudicitia fœminam præſtantem, vxorem habebat: verùm vt Regi gratificaretur, eam dimiſit, quam enixè diligebat: illam repudiatam Hermanus Comes Vueſtoualiæ in matrimonium petiit. *Bauariæ ducatus Othoni eripitur.*

Otho dolebat non minus ob filiam iam dehoneſtatam, quàm propter ditionem ereptam: ideoq; vt & generum vlciſceretur, fœderis coniugalis violatorem: & de Rege ſe vindicaret, oblitus muneris atq; grauitatis ſuæ: caſtellum Haſungam, in quo receptū haberet, vallo & foſſa, aliisq; operib. munit, & paſsim conſcribit exercitū: eo propoſito, vt ſi legibus aut precibus nihil impetraret, quòd inter tot actiones inuictas, & apertam vim non omittebat tentare: tandem ad opem extremam confugeret, & contra hoſtē ſignis collatis dimicaret. Erant Saxonum omnium oculi tum temporis in Othonem coniecti: quem ſibi ducem belli contra *Otho exercitum conſcribit.*

Duces Bauariæ.

Regem elegerant: & nomen ipſum regium ad eum ſtatuerant deferre. Quod cùm illi non obſcurè ſignificaretur: eundemque probarent & alij nonnulli Principes ſocij: ipſe perſuaderi non potuit, vt in illorum ſententiam iret: hoc tantum dicebat, ſe non regni auidum, ſed patriæ amantem eſſe: neque ſe obſtare dignitati Regis, ſed violentiæ & cupiditati.

Eberhardi Ellenburgij induſtria in reconciliando Othonem Cæſari.

Cùm vtrinque ſtarent acies paratæ, Eberhardus Comes Ellenburgius, legatus Regis, vir prudens atq; fortis, Othonem adit: oratque, ne ſe atq; ſuos in diſcrimen coniiciat. Si præſidium Haſunga vellet deducere, & à bello quieſcere, ſe curaturum, vt Rex depoſita iracundia, eum in priſtinam dignitatem reſtitueret. Igitur verbis pluribus precatur, vt ſeſe Regi ſubmittat, veniam petat, iuſtas conditiones ne recuſet. Quod ſi fiat, iureiurando promittit, ſeſe effecturum, vt crimine calumniæ penitus abſoluatur, ditionem amiſſam recipiat, inter amicos Regis loco ſuperiore habeatur. Miles Saxonicus audita Comitis oratione, pacem ſuadentis; & ſententia Ducis, ad pacem inclinata; indignabatur & fremebat, clamans Regi adoleſcenti non eſſe fidendum, qui non in ſua poteſtate ſit, ſed malorum & leuium hominum arbitriis regatur. Illis OTHO humaniter, caram ſibi dicebat æſtimationem ſuam; ſed longè carius bonum publicum: ſe nihil recuſare æqui, nec velle cuiusquam vitam prodere: modò cognitio cauſæ ſuæ fiat, & iis conſulatur, qui propter ipſum iam ſint patria & domo exules; aut fortunis exuti miſere viuant. Eberhardus quid egerit, & quàm æquum inuenerit Othonem, Regi renunciat: eoque adducto in ſuam ſententiam, inducias Othoni impetrat, vſque ad diem Paſchatis, quo die Coloniam veniat; & ea lege, quam Principes æquam cenſuiſſent, faceret deditionem. Laudata eſt Eberhardi induſtria, & Othonis bonitas; mox pace proclamata, exercitus vtrinque dimiſſus, ad ſua reuertitur. Prolatæ deinceps induciæ ſunt vſque ad diem Pentecoſtes: quia grauiora Regi inciderant negotia in Flandria. Die ſtatuto Halberſtadium Otho & Magnus Duces accedunt, vnà cum nobilibus, qui arma cùm ipſis ſumpſerant: facta deditione, aſſeruandi traduntur Imperij Principibus, donec eos dimitti Rex iuberet.

Pœna diuina Othonis aduerſariorum.

Interea Othonis cauſam, quaſi publicis teſtimoniis Deus confirmabat. Nam qui ei iniquiſsimi fuerant, Hegmanus & Ludolphus: eodem anno ille dignitatem, hic vitam amittit. Hegmanus enim conuictus furtorum & rapinarum, cathenis vinctus, & per loca publica ſpectaculi cauſa deductus eſt: iterum dimiſſus, & de-

& deprehenſus in latrocinio, oculis priuatur, & deinceps panem hoſtiatim mendicauit: Ludolphus de equo cadens, gladio Othonis, quod à Rege muneri acceperat, ſe ipſe confodit. Nec multò pòſt Giſo Comes, item Albertus & filij, de quibus ſuprà dictum eſt, flagrantibus belli Saxonici initiis, in Holleda caſtello Giſonis, priuatas quasdam ob cauſas interficiuntur: Hamburgius Antiſtes ad inopiam redactus eſt, non ſine infamia: ita vti nemo ex aduerſariis Othonis, vel morte violenta non abierit, vel non in calamitatem extremam inciderit.

Ducis Bauariæ.

Exacto demum anno integro, OTHO in gratiam recipitur; ſed ei maxima pars prædiorum adimitur. Cùm igitur illius fortunæ planè diminutæ eſſent: & huius dignitas violata iniuſtè videretur: Saxones intelligebant Regem id agere, vt gentem ſemper liberam in ſeruitutem redigeret: iisque relicta à maioribus ornamenta auferret: quod etiamſi apertè hactenus non feciſſet; tamen nouis cotidie in ipſos iniuriis declararet: nullos ſibi homines magis eſſe inuiſos, quàm Saxones. Rex Duci MAGNO ignoſcere nolebat, niſi Ducatu Saxonico ſeſe abdicaret in perpetuum: pro redimẽdo eo offerebat patruus Hermanus villas multas, & pecuniam propè infinitam: OTHO cuius cauſa in periculum venerat, eius vincula in ſe transferre volebat. Accedebant multæ multorum ſupplices literæ, & iuſtiſsimæ preces: ſed nihil impetratum eſt; imò minæ inſuper additæ ſunt contra eos, qui eius defenſionem liberiùs ſuſciperent. Rex magna ex parte ſe dominum Saxonum putabat, & ditione Luneburgia ſe potiturum exiſtimabat: nam ORDOLFVS (quem Lambertus errore Othonem vbique nominat) Magni pater, nuper defunctus erat, & hæredem prouinciæ in vinculis tenebat: Othonem autem ita caſtigauerat, vt reliquam eius potentiam ad ſe impugnandum, non amplius ſibi timendam pro certo ſtatueret.

Henrici IV. Imp. iniuſtitia erga Saxones.

Magdeburgo Rex decedebat, vbi Pentecoſten egerat: noua rurſus conſpiratio fit in Saxonia: quæ vniuerſa dolebat, OTHONEM ita ſpoliatum eſſe, & MAGNVM præter omne fas captũ teneri: meminerãt enim, quibus ille maioribus progenitus eſſet; & qbus hic meritis euectus, quantis acceſsionibus populorũ barbarorũ, à maioribus ſuis deuictorũ, gentis terminos atq; limites amplificaſſet: ſciebãt in eo animũ eſſe, ipſius nomini conuenientem: nouerãt quantũ in eo eſſet toti Saxoniæ momentum. Auctores cõſpirationis erãt Bucco Præſul Halberſtadius, Hermanus Ordulfi Ducis Saxoniæ nuper defuncti frater, & Otho è Bauaria

Saxonum conſpiratio in Henricũ IV. Imp.

eiectus

Duces Bauariæ. eiectus: qui cùm de violentia Regis paſsim conquererentur, & doloſè ſecum agi probarent, & dignitatem minui ſummorum hominum oſtenderent, acceſſerunt ad ipſos VVEZELO Antiſtes Magdeburgius, HENRICVS Hildeshemius, Vuernerus Mersburgius, EILBERTVS Mindenſis, IMMEDVS Paderbornenſis, FRIDERICVS Monaſterienſis, BENNO Miſnenſis. E Principum ordine ECBERTVS Saxoniæ Marchio, VDO Stadenſis, DEDO Miſnenſis, FRIDERICVS Sumerſenburgius, Saxoniæ Palatinus: Comites item DITERICVS, Albertus, Otho Conradus, Henricus, quorum cognomenta expreſſa non legimus. Ad Regem ſe contulerunt Limarus Antiſtes Bremenſis, Eppo Præſul Citienſis, Benno Oſnaburgenſis, qui à cæteris Saxonibus diſſenſerunt: & quia cauſam communem deſeruerant, pulſi ſedibus erant. *Saxones ſe in Henricum Imp. armant.* Saxones collecto hominum ſexaginta millium exercitu, legatos ad Regem mittunt, & conditiones ipſi præſcribunt: ad quos cùm pro auctoritate ſua, non ex ipſorũ voluntate reſpondiſſet, ipſi ſtatim longiùs progreſsi, adegerũt, vt Goslaria fugiens, ſe præſidio Hartesburgo cõmitteret, donec auxilia iuſta contraxiſſet. Cùm Saxones iam vaſtare agros & incendere ædificia inciperent: Bertholdum Ducem Carinthiorum, qui fortè de priuato negotio eum conuenerat, item Citienſem & Oſnaburgenſem Præſules, legatos in caſtra eorũ ablegat, qui ab armis dehortarentur, & bonam ſpem in clementia atq; emendatione Regis habere iuberent. Ipſi cùm ſe ſuasq; fortunas nollent ei credere, toties ſpe optima fruſtrati; nec Rex eis cuperet mori gerari: tutiſſimum putauit, vt ſe ſubduceret ex præſidio & iratorum furorẽ paulisper declinaret, idq; fidorum hominum ductu & comitatu effecit. Quòd ſi Saxones eodem feruore, quo arma ſumpſerant, vſi continenter eſſent; finem bello potuiſſent imponere, & Regem vel captum vel interclusum compellere ad conditiones aut ſatisfactionem. Regis fuga cognita, ſummis viribus auxilia comparantur. Saxones adiungunt ſibi vicinos Turingos: præterea Fuldanum & Herueldium Abbates, & Siffridum Antiſtitem Moguntinum, Erfurdiæ compræhenſum, qui illis obſides dedit. Caſtella Regis quædam occupant, aut in iis obſidendis omnes difficultates perferunt, vt Hartesburgum, Vuiganſteinum, Moſſeburgum, Saxeſteinum, Spatebergum, Heimeburgum, Aſenbergum: vt ea recenſet Lambertus: quædam dominis iuſtis reſtituunt, vt Luneburgum Hermano fratri Ordulfi: Volchenrodam Friderico Saxoniæ Palatino, in quo vxorem Regis prægnantem cum ſcirent ſeruari, caſtellum ſubigunt; ipſam Abbati Herueldenſi honeſtè deducendam committunt. Turin-

Turingi quos milites in præſidijs ceperant, impunè dimittunt: vt oſtenderent ſe, nō odio Regis arma ſumpſiſſe, ſed ſuæ ſalutis gratia: quæ militum iniuriis periclitata fuiſſet. Saxones Comitem Eberhardum, de quo antea dictum eſt, & filium ei cognominē, Luneburgi captum, nolunt dimittere: niſi Dux Saxoniæ MAGNVS è vinculis quam primùm liberetur. *Duces Bauariæ.*

Conuentus tandem indicitur oppido Gerſtunga, in Turingiæ & Haſsiæ finibus ſito: quo conuentu controuerſia inter Regem & Saxones diiudicaretur. Cauſa multis hinc inde rationibus penſitata & diſcuſſa, Principum pœnè omnium iudiciis, iuſtiſsima Saxonum viſa eſt: & re ipſa perſpectum, neceſsitate impulſos ad arma confugiſſe. Congeſtæ præterea in Regem tales & tantæ accuſationes ſunt; quas honoris cauſa referre pudet, maieſtatis non licet: præſertim cùm perſcriptæ nonnullæ ſint à Lamberto & Mariano, qui illis temporibus vixerunt: & in Antiſtitū Magdeburgiorum legantur Annalibus. Eas cùm refutare Regis amici minimè poſſent, & ab earum auditione animi abhorrerent: exauctorato HENRICO, ad RODOLPHVM Sueuiæ Ducem, nomen & titulum Imperatoris deferendum cenſuerunt; & niſi ipſe reſtitiſſet pertinaciſsimè, omnium conſenſu fuiſſet electus. Rex Henricus etiamſi variis curis & anguſtiis premeretur: tamen in tam ancipiti fortuna animum nō abiiciebat. nam cùm hactenus ſæpius hoſtes & aduerſarios ſuos ſimulatione decepiſſet, eadem adhuc arte videbat eos ludi poſſe: itaque rurſus animos & voluntates Saxonum tentauit. Qui cùm remiſsiùs agerent, paſſus eſt ſibi conditiones nouas præſcribi: eæque dum tractarentur, vt ipſe ſe confirmaret, & copias ſuas diſperſas in vnū cogeret: ad Viſurgim enim amnem vterque exercitus iam conſederat, & Saxonum ſuo longè firmior erat. Nutabant plærique & amici eius: quos niſi confirmaſſet Sueuiæ Ducis conſtantia & integritas: periculum fuiſſet, ne Rex deſereretur ab omnibus. Igitur rebus tam dubiis & vacillantibus, pacem etiam ſibi iniquam Rex ſuſcipit: ſeſeque iureiurando obligat: neue id temporis cauſa feciſſe videretur, pacis auctores exoſculatus eſt: & dona pro regio ſplendore digniorib9 diſtribuit. Duci Othoni intra ſpacium annuum redditurum ſe Bauariam promiſit: caſtella in Turingia, quæ antea diruta non erant, præcepit incendi: arcis Hatisburgiæ muri tantùm complanati ſunt. *Conuentus Gerſtungenſis.* *Henricus Imp. pacem confirmat.*

Milites Regis, qui eā tenebant, puellas, fœminasq; pluris quàm viginti ſtuprauerant: & in ludibrium Saxonum, lacernis & veſtibus ad cingula vſq; diſciſsis miſeras expulerant: vt Marianus *Militum Imp. ſcelus & Saxonum furor.*

Scotus

Duces Bauariæ.

Scotus ſcribit. Eo ſpectaculo irritatũm vulgus Saxonicum inſcientibus Principibus, arcem illam totam euertit: fundamenta eruit atque diſſipat: cœnobium item adiunctum cremat: cineres & manes defunctorum violat: Conradum Regis filium in infantia mortuum, & (vt annales Magdeburgiorum) Regis quoque fratrem effodiunt: tumulos ne agnoſcerentur, parietibus obruunt: inuentos ibi theſauros tam arcis quàm templi, inter ſe diuidunt. Tanta cõtumelia commotus Rex, indignari ſupra modum cœpit: Saxonum Principes furorem vulgi non probantes, ſe excuſant; & contra voluntatem ſuam factum teſtantur: & de plurimis exquiſita ſumunt ſupplicia.

Henrici Imp. minæ in Saxones.

Verùm Rex, quoniam pertinaciter Saxones oderat, ſe iniuriam vindicaturum minatur: neue iniquus videretur toti nationi Saxonicæ, dicebat, ſe de certis Principibus, qui multitudinem contra ſe inſtigarent, & quaſi faces eſſent Reipub. inflammandæ, pœnas ſumpturum, tam armis quàm legibus: deſignabãtur autem non obſcurè Antiſtes Magdeburgius, Præſul Halberſtadius, Magnus Dux Saxoniæ, & Otho, de quo nunc loquimur. Non erat illis ignotus Regis ſenſus: qui pertendere in ꝓpoſito ſoleret, ſi quid animo ſuo impreſſiſſet penitus: igitur quiduis potius ſubire ac perferre volunt, quàm bello Saxoniam inuoluere: modò honeſtis conditionibus ſibi poſsint proſpicere. Cùm autem vulgi inſaniam neq; probaſſent neq; adiuuiſſent: obtulerunt ſe publico aliorum Principum iudicio: nam ipſos innocentes eſſe Regi perſuaderi non potuit. Primùm legatos ad Regem mittunt deprecatũ, ne violenter ageret: ſed iuſta ipſorum cognoſceret. Quibus dubiè cùm reſponderetur: cumque certas minas, incertam ſpem, domum ſemper referrent: implorarunt deinceps Principum eorum patrocinia, qui paulò antè ab ipſorum partibus Gerſtungæ ſteterant: hi placari Regem poſſe dicebant, ſi de iniuria ſatisfacerent, & auctores facinorum nominarent ac dederent: nec leui pœna Regem fore contentum: cuius & æſtimatio læſa eſſet horrẽdis delatorum criminibus: & cuius fratri ac filio defuncto, in ipſo ſepulchro tanta illata vis ſit: quam nec agreſtes vlli, aut barbari homines ſtomacho facili concoquerent. Inde coniicere poterant, Regem plenum iracundiæ ac furoris, cogitare de excidio Saxonum, & perpetua gentis nobiliſsimæ ſeruitute.

Saxonum auxilij diuini imploratio.

Igitur cùm tam grande malum nec ſuis propulſare conſiliis, nec amicorum auertere opera poſſent: in extrema calamitate & anguſtia, Dei omnipotentis quærunt perfugium; ſiquam ipſe Regem mitigandi, & ſui conſeruandi viam miſeris non planè

aſperam

aſperam & cruentam cœlitus oſtenderet. Indicitur per omnes vicos, oppida, ciuitates ieiunium: diſcurritur per omnia templa & ſacella, nudis pedibus & veſtitu ſordidato: erogatur in pauperes atque egenos pecunia: non dies ſatis ſunt ad preces fundendas: adduntur noctis intempeſtæ tempora; communibus votis & eiulatu omnium ordinum, omnis ſexus homines quiritantur & obſecrant; vt propicius Deus (vtar Lamberti verbis) manum ſuam, quæ humano vbique ceſſante auxilio, ſola iam poſsit opitulari, vndique concluſis: ad ereptionem extenderet. Interea ne planè exuiſſe viros, aut deſpondiſſe animos reprehenderentur: conſilium ineunt de conſcribendo quamprimùm exercitu; armis fugari turpitudinem, virtute miſeriam finiri, letho deponi ſeruitutem. Regem paſsim delectus agere, & copias expeditas habere ſciebant: easque Bredingæ conuenturas, pago diœceſis Hirsueldiæ. *Duces Baenat par.*

Exercitu collecto, Haſsiæ & Turingiæ vrbes ferro & incendiis crudeliter & fœde Rex depopulatur. Saxones minimè ſegnes, cùm ſuos milites etiam recenſuiſſent, & in vnum congregaſſent: ductu Othonis, Negelſtadium veniunt, non procul à Salza oppido ſitum pagum; & iuxta caſtra Regis ſua caſtra collocant: dirimente tantùm acies ambas, fluuio Vnſtruta. Deliberantes autem ante conflictum decernunt, ſe de integro precibus atque ſupplicationibus acturos, ſi quibus rationibus flecterent aut mouerent Regem pertinacem: quòd ſi quid boni æquive impetraſſent; arma depoſituros, & acturos Deo immortali gratias: ſin ad extrema compellerentur, pugnaturos confidenter, & Deo inſpectori atque arbitro commiſſuros dignitatem & ſalutem ſuam. Quid multis? ventum poſt actiones pacis atque amicitiæ, ad manus atque arma eſt: & Saxones negligentiores primo congreſſu, propemodum oppreſsi ſunt, antequàm ſigna & legiones diſpoſuiſſent more militari: nihilo minus tamen memores antiquæ virtutis & gloriæ, acerrimè dimicant: & fauente ipſis Deo, legionem Rodolphi Sueui fundunt: è legione Vuelfonis Bauarica, ERNESTVM Bauariæ Marchionem, & Eberhardi Ellenburgij Comitis duos filios, item Engilbertum Comitem, & plurimam nobilitatem occidunt: gladiis quibus ſinguli duobus vel tribus erant accincti, vniuerſos penè vulnerant. Virtus Othonis Ducis in eo prælio, quod horas octo durauit, præcipue enituit: qui & egregij militis, & optimi Ducis ſemper officio functus eſt, vt idem Lambertus memoriæ prodidit. Duabus legionibus propemodum deletis, Hermanus Comes Glisbergius, Regis legatus, Got- *Conflictus Saxonum cum Caſarcanis.*

Duces Bauariæ. tus, Gotfridus Lotharingus, Vratiſlaus Boemus, qui tantum agmen ducebat, vt bello Saxonico ſufficere ſolus putaretur, ſuas legiones immittunt: equitatus Lotharingicus & Boemicus iam feſſos Saxones coëgit cedere: quos cùm Otho Dux retinere contenderet, neque hortando neque increpando quidquam effecit. In Regis tamen exercitu plures de principibus & optimatibus occubuerant. In Saxonico cecidit GEBHARDVS Comes Supplinburgius, pater Lotharij poſtea Imperatoris, vt ſcribit Marianus Scotus: item Volcmarus, & Suiggerus Comites, vt annales teſtantur Magdeburgij: Vdo Marchio Stadenſis, & Præſul Mersburgius capti ſunt. Vdo ipſe conſobrinum ſuum, quem in acie non agnouerat, ita graui ictu percuſſerat in frontem, vt tegmen galeæ diuideret. Duces & Præſules reliqui Saxonum omnes euaſere: vndè victores quàm victos maius tuliſſe incommodum conſtitit. Multi è regiis ſe iactauerant, quod hos aut illos Saxonum Principes ſua manu obtruncaſſent. quos cùm intellectum eſt viuere, illorum vanitas riſui fuit. Commiſſum prælium eſt Idib. Iunij, anno ſupra milleſimum, ſexageſimo quinto.

1065. *Agrorum Saxonicorum deuaſtatio.* Rex ſucceſſu elatus Goslariam contendit: & agros Saxonicos igne deuaſtauit, eo animo: ſi quos è ducibus capere, aut ad ſuas partes trahere contingeret. Cùm autem laboraret penuria commeatus, exercitum ibi diu continere non potuit: ſatis & frumentis parci iuſsit; quia ſtatim ad ſubiugandam totam prouinciam, & ad euertendos homines ſeditioſos, ſe reuerſurum propoſuerat. Saxones & prælio ſuperati, & inopia laborantes, quâ ſe verterent, neſcire; & finem ærumnarum nondum ſpectare: inprimis autem Turingos attigerat calamitas, in quorum ditione vterque exercitus verſatus fuerat, & prælium commiſſum cum detrimento erat: itaque inteſtina inter Turingos & Saxones diſſenſio exorta tam acerba: vt niſi Præſul Halberſtadius, & Otho Dux animos multitudinis ad ſanitatem reduxiſſent; actum videretur fuiſſe de ſalute vtriuſq; populi.

Saxonum legati ad Cæſarem. Antequam igitur Rex nouam expeditionem ſuſciperet; & bello fameq; fatigatos, planè opprimeret: aut alterius gentis plebe ſibi reconciliata, alteram euerteret: alij ad Regem legati ire iubentur, Antiſtes Bremenſis, & Vdo Marchio, qui recenti Regis beneficio vſus, plus auctoritatis habere videbatur, cauſam Saxonum & alij Principes agebant: ſed minus apertè aut confidenter; ne Regem iratum magis incenderent. Reſponſum eſt, vt antea, vt quid ſibi ſperandum eſſet, non intelligerent: quid metuendum denuò, non leuiter ſuſpicarentur.

Interea

Interea Rex aliam & remotiorem viam Saxones expugnandi excogitat atque aggreditur. Nam adiuncto ſibi Gliſbergio legato, virtutis & fidei ſpectatæ homine; omnibus aliis inſcientibus, abit in Boemiam cum quingentis equitibus ſelectis: Regem beneficiarium, & à ſe nunquam alienum, facilè inducit, vt ſuum inſtitutum adiuuet: præmiaque victoriæ commoda promittens, efficit, vt ſeſe totius regni viribus ſequeretur, in Miſniam finitimā irrupturum. Itaque Francicus & Boëmicus miles coniunctus, qui nuper in Turingia, ſpolia armatis Saxonibus detraxerat, iam prædam à Miſnenſibus incautis ſperans, per Albis ripam nemine obſtante deſcendit: nullum iniuriæ aut maleficij genus intermittit: villas ſpoliat: ab vrbibus pecuniam exigit: agros vaſtat: incendiis miſcet omnia, donec ad gentis metropolim Miſnam veniret. Ciues portas clauſerant, & ſe loci opportunitate defendebant: ſed cùm nihil vſquam viderent auxilij, regium præfectum recipiunt, qui nihil crudelius in oppidanos ſtatuit: Bennonis autem Præſulis, qui poſtea inter diuos relatus eſt, bona diripienda, & templum ſpoliandum militi permittit: Præſul enim vnà cum cæteris Saxonibus conſpirauerat.

Duces Bauariæ.

Miſniæ direptio.

[illegible]

Vt Regem Saxones cognouerunt rationem belli mutaſſe, & florentem prouinciam ſubigerē, ſuoſque ſocios in periculo verſari: hominum millia quindecim per tumultum armant. Id cùm Rex non putaſſet fore, vt auderent ſibi occurrere: cumque circum ſe ſtrepere arma perciperet: Miſnenſibus reliquit præfectum & præſidium: ipſe perturbatus redit in Boemiam. Multi nobiles & honeſti viri bona & agros amiſerant; & ſuos ludibrio affectos acerbè dolebant: reliquas igitur fortunulas in vnum colligentes, contraxerunt equitatum, hoſtili quidem imparem viribus, ſed audacia & contemptu mortis longè ſuperiorem. Vagabantur diſperſi Regis milites; alij in præda occupati, alij ſecuritate quadam tardius euntes: in eos impetum Saxones fortiter faciunt, nec paucos & ſpoliis & propriis armis exuunt: tali nempe arridentis fortunæ ſucceſſu, vt opprimere potuiſſent militem Regis præſentem: niſi Botho Comes Regis orator, in eos incidiſſet. Is oratione ſua cohibuit ardentes: & impetum repreſſit, cum diceret, ſpem pacis ab eis non eſſe impediendam; neque totam effundendam Regis gratiam: quod ille tamen non amore Saxonum, ſed Regis cauſa loquebatur, vt poſſet ſaluum eum è manibus iracundorum & feſtinantium, mora interiecta eripere.

Saxonum impetus in Cæſareanos.

Rex interim per Boemiam celerans venit Ratiſbonam: rurſus

Cæſar aliam in Saxones expeditionem adornat.

Duces Bauariæ. rurſus ibi inuentos Saxonum legatos, tam diu differt; donec iam ad aliam expeditionem multò grauiſsimam adornaſſet omnia. Mortuus eodem erat tempore DEDO Marchio Miſnenſis: eius ditionem tradit Vratiſlao Boëmo: nihil curans quòd obſidem haberet defuncti filium HENRICVM: quem Adela mater aſtuta & animoſa fœmina, multò antè ad Regem miſerat; vt & marito ægroto, & filio pubertatis annos nondum egreſſo, in tumultu publico conſuleret; donec aliquis bello finis commodus contigiſſet. Rex copias in vnum ſuas contraxerat, Gerſtrungæ in Haſsia; rurſus cum Saxonibus de ſumma rei depugnaturus: ſed ei nimis crudeliter vtenti victoria, auxilium negauerant ſummi antea amici, Rodolphus Sueuus, Vuelfo Bauarus, Bertoldus Carinthius. Saxones & Turingi, quid animo verſaret, certiores facti; illi obuiàm progrediuntur: nec procul à Northuſa vrbe imperiali caſtra collocant.

Saxones per legatos pacem petunt. Mittentes autem de pace legatos Bremenſem, & Hildeshemium, & Vdonem Marchionem; multis difficultatibus vix obtinent, vt collocutio habeatur, & arbitris committatur totum negotium: vt potius legibus & iuſtitia, quàm cædibus & ſanguine bello finis imponeretur. Petitio viſa non iniqua eſt: & quamuis Rex, niſi excidium Saxonum, nihil cogitaret: tamen adductus à ſuis eſt, vt homines ſupplices, & qui in eius clementia ſuam ſe ſalutem ponere dicerent, audiret: eisque daret viros non ſuſpectos, cum quibus tutò & liberè agerent.

Poſtularunt autem ipſi eos, qui apud Regem ſummæ auctoritatis erant, & ſuæ quoque innocentiæ non ignari: quorum ſapientia & bonitate confiſi, etiamſi Rex iniquiſsimus eſſet, aut hoſtis capitalis nominis Saxonici: tamen ſperabant ſe æqui aliquid impetraturos, qui eſſent non alieni à iuſtitia, & pars non contemnenda Imperij, & maximis periculis pro Repub. cogniti & ſpectati. Acceſſerunt ad colloquium Antiſtites, Vuezolo Moguntinus, Gebhardus Salceburgius, item Præſules, Siffridus Auguſtanus, & Menhardus Vurciburgius, & Gotfridus Gibboſus Dux Lotharingiæ. Horum aduentu atque conſpectu omnis gens Saxonica, ſibi gratulatur: iisque de ſe liberrimum permittit iudicium: & de eorum tandem ſententia, deditionem Regi pollicetur. Legati ſanctè compromittebant, ſi ſuæ fidei crederent, nihil ipſos laturos præter dignitatem: non periculum fore libertatis, ſalutis, fortunarum, modò ſeſe ſupplices Regi ad pedes proiicerent, & in poſterum eum [illegible]; vt do-

vt dominum venerarentur, & eius ſe hoſtibus adiutores nó præberent. Saxones auctoritate & promiſsis hominum ſummorum conditionem, licet periculoſam, accipiunt: & die altero ſe in caſtra regia venturos ſpondent. *Duces Bauarici.*

Planicies ibi latè patens fuit, quam Spiraugiam nominant: in qua Rex in ſolio ſuo, auro purpuraque fulgens, ſolenniter aſſedit: quem exercitus ad ſpectaculum diſpoſitus, circumſtetit, relicto per medium ſpacio: quò prætereuntes Saxonum Duces atq; Antiſtites, omnibus conſpicui eſſent. Incedebant habitu lugubri Præſules Vuezelo Magdeburgius, Bucco Halberſtadius, Benno Miſnenſis, Vuernerus Mersburgius. Inter Duces erant Otho Gotingenſis, Bauariæ exul, Magnus Elector Saxoniæ, Hermanus patruus eius Saxoniæ Comes, Fridericus Saxoniæ Palatinus, Ditericus Comes Catelnburgi, Albertus Turingiæ: Comites item Rudigerus, Sizzo, Beringarius, Berno, & alij quinque, vt Siffridus: ſed eorum cognomenta expreſſa non ſunt. Eos hominum generoſorum, ingenuorum, nobilium magna ſequebantur agmina. In conſpectum Regis venientes, ad eius pedes ſordidati prouoluuntur: qui eos iacére tum diu paſſus eſt, donec ipſorum miſeria animum atque vultum ſuum expleuiſſet. Singulos deinde Principibus ſingulis dedit aſſeruandos: donec communi ſententia ſtatueretur, quibus eſſent conditionibus dimittendi. *Saxones Cæſari fiunt ſupplices.*

Rex fidei per amicos datæ immemor, eos per Italiam, Galliam, Burgundiam, Sueuiam, Bauariam, Franciam, Carinthiam, Boemiam, diſtribuit: eorum prædia, arces, oppida iis dat poſsidenda, qui ſibi operam bello nauauerant. Qui nondum ſupplices affuerant, eis diem præſcribit, quo ſe præſentes ſiſtant, aut vt perduelles proſcribantur: nemo mandatum auſus negligere fuit, exceptis Brenæ Comitibus Diterico & Vilhelmo, Geronis filiis, qui vltra Albim conceſſerant: quos tamen propter inopiam nemo curabat. Obſides miſerant filios impuberes, Vdo Marchio Stadenſis, & Adela Dedonis Miſnenſis vidua: quia ille valetudine impeditus, venire non potuit; hæc verò ſolitudinem & ſexum prætendit.

Anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo ſexto Rex Goslariam conuocat Principes Imperij: vt eorum conſilio de Saxonibus dedititiis decerneret: ſed excepto Duce Boemiæ, cliente eius fideli, pauci admodum venerunt. OTHO Gotingenſis obſides offerens, dimittitur; & ad intimam Regis familiaritatem rurſus admittitur: eique Saxoniæ præfectura commendatur. Reliquis *1076. Conuentus Goslarienſis.*

Duces Bauariæ. Ducibus tale nihil contigit, ſed cuſtodia iis diligentior adhibita: nam cum iam excommunicatus Rex eſſet ab Hildebrando Pontifice Romano: non parum ab iis metuebat, quos tot iniuriis exhauſerat, & tanta atrocitate vinxerat.

Iniebant noua conſilia, qui Regi antea fuerant coniunctiſsimi: quique eum iuuare, abutentem rebus ſecundis, in bello Saxonico noluerant, Sueuus, Bauarus, Carinthius: item Adalberus Præſul Vurciburgius, & Hermanus Metenſis: iis enim timendum idem erat, quod Saxones iam experiebantur. Igitur quos ipſi in poteſtatem acceperant Principes, ſponte ad ſuos remittunt. In hac patriæ calamitate, iuuenes fortiſsimi DITERICVS & VILHELMVS Comites Brenæ, de quibus modò dicebam, vltra Albim conceſsiſſe, erant in id omni ratione & vigilantia intenti: vt Principibus & nobilitati oppreſſæ opem ferrent, ſi poſſent; aut in exilio ſine turpitudine morerentur, & animũ ſaltem liberum retinerent. Cùm deſtituerentur ipſi, neruis rerũ agendarum, pecunia: rapto victum quærebant è regiis prouinciis & ſibi cohortes exulũ, & aliorum qui pericula non horrerent, comparabant: iis etiam qui à regiis præfectis vltra modum vexarentur, aliquoties ferebant auxilium, & multis idem largè pollicebantur. Erat in adoleſcentibus virtus & tolerantia: & æquali cum ſociis aſcitis iure viuebant: cumque ſucceſſus iuuaret virtutem, & animum patriæ ſuccurrendæ cupidum; magna eorum fama & admiratio eſſe cœpit: multiq; eorum ſe fidei & tutelæ committebant.

Diterici & Vilhelmi Comitum Brenenſium virtus.

Euaſerat eodem tempore è cuſtodia HERMANVS Comes Saxoniæ, ſpectatæ vir integritatis. Regius tum erat in Saxonia præfectus, OTHO Gotingenſis: quem Bauaria exutum, nuper in gratiam & familiaritatem Rex aſtutus receperat. Is arcem Hartesburgiam & aliam quandam iuxta Goslariam regio mandato extruebat. Id ægro animo ferentes Saxones, eum ab incepto iubent deſiſtere: niſi fiat, vim minantur, tanquam regiæ crudelitatis carnifici, patriæ proditori, libertatis communis hoſti, ſociorum deſertori: appellationibus enim non minùs atrocibus per indignationem vtebantur. OTHO non ignarus ſenſus ipſorum; & quantum Regi contumacia nimia incommodare poſset: & milites dimittit de præſidiis, & fabros ab opere: ne iratis cauſam daret violenter aliquid patrandi, cuius poſſet ipſos vehementer pœnitere. Quamobrem ſuos admonet, vt temerè ne agant; laceſſendo fortunam toties iniquam: & irritando Regem, tanto hactenus ſucceſſu vſum, & cupiditatibus ſuis neſcientem moderari.

Othonis prudentia.

rari. Legatos inde ad Regem ipſe mittit: qui omnibus modis ſtudeant, vt reliquos Saxoniæ Principes dimittat, caſtella noua diruat, iura & priuilegia à prioribus Imperatoribus accepta reſtituat, nouo tumultui obuiàm prudenter eat, æquitate potius & clementia nationem potentiſsimam ſibi deuinciat, quàm armis & vi, in quibus non ſemper eſt felicitas, experiatur. Addit alia plura, quæ valitura apud ipſum putabat. Saxonum etiam genti de ſe pollicetur, niſi Rex ſalutaria conſilia admittat, & ſpem optimam libertatis faciat: ſe nec indulti honoris amore, nec mortis metu, nec iuriſiurandi religione inhiberi poſſe: quin communem patriæ parentumque ſuorum cauſam vſque ad extremum ſpiritum, quanta poſsit virtute, defendat, iuuet, tueatur. hæc præclara fuit Othonis, vt eam de Lamberto retulimus, oratio. *Othonis legati ad Cæſarem.*

In tanta anguſtia Rex, Principes primùm ſibi adeſſe Vuormaciæ, deinde Moguntiæ imperauit: ſed contempta eſt eius, tanquam à Pontifice proſcripti, & ab eccleſia abrepti, auctoritas. Inter Antiſtites & Præſules, qui aderant, maxima fuit contentio: aliis defendentibus Regis partes, aliis tuentibus edicta Pontificis: quibus Saxonum cauſa, qui Pontificem defendendum iudicarent, continebatur. Liberatur interea Hermanus Saxoniæ Comes ab Antiſtite Metenſe: liberatur item per hominem fidelem, Bucco Halberſtadius, quem è cuſtodia Pabebergica Rex per Danubium in Vngariam deportandum curauerat, quoue neminem magis omnium hominum vnquam oderat. Veritus Rex, ne alij aut vi eadem, aut inſidiis euaderent, per ſe dimittit Magdeburgium, Miſnenſem, Merſburgium: item Magnum Electorem Saxoniæ, & FRIDERICVM Saxoniæ Palatinum, qui in Inſubribus exulauerat Ticini, vt in Gozecenſibus legitur Annalibus. Iis repetito ſæpius iureiurando iniungit: vt ſuos in Saxonia hoſtes vlciſcantur: dataque ſumma poteſtate OTHONI Gotingenſi, quem Salueldiam ad Salam vocauerat, ei per Epponem Præſulem Citienſem mandat: vt parato exercitu in prouincia Miſnenſe ſibi occurreret, è Boëmia militem adducturo. *Cæſaris auctoritas contemta.*

Otho cùm hoc diceret eſſe difficillimum; Præſulem multis precibus obteſtatur, vt à tali propoſito Regem auerteret: addit ſuos ipſe ad Regem legatos, qui priora poſtulata repetant, & pericula imminentia edoceant. Rex neminem audiens, omnibus ignorantibus, in Boëmiam proficiſcitur: conſcriptoq; per tumultũ *Cæſaris pertinacia.*

Duces Bauariæ. milite,in Miſniam,irrumpit: ſed nec Otho,nec alius Principum quiſquam ad eum acceſſit,vt ipſe ſperauerat.

Miſnia vaſtata. Fama pervulgata, à Rege & Boemis populari Miſniam, tota Saxonia ad arma conclamatur: Comites Brenenſes, relicta pedeſtri multitudine,cum ſeptem equitum milibus Regi obuiàm còntendunt. Milda fluuius extra ripas tum immodicè ſeſe effuderat: quæ eluuio Regi ſalutem attulit, qui diſpoſitis Boemorum per Miſniam præſidiis, celeriter manus Saxonum effugit: transmeare enim fluuium nec equis,nec pontibus poterant. Aquis decreſcentibus, Ecbertus Marchio, Othonis Gotingenſis fratris filius,præſidia Boemica pellit: & ab hoſtibus externis Miſniam omnem liberat.

Animi à Rege omnium ferè Principum erant alienati: videbanturque Saxones, & in Geronis filiis, & in Ecberto Marchione, quamuis adhuc adoleſcente, ſpem libertatis nouam concepiſſe: præter eos autem duces, quos Regem contra ſe adiuuare noluiſſe,antea diximus: Moguntinus & Vuormacienſis Præſules, & alij quidam,ad Saxones ſe adiunxerant. In vrbe Sueuiæ Vlma inter ſe colloquentes de Imperij ſtatu, in eam veniunt ſententiam; vt Triburiæ XVII. Calen. Nouemb. conueniant: de iis comitiis omnes Principes faciunt certiores, vt qui patriam amarent,eô ſe conferrent: neque ſibi quidquam obſtare paterentur. Virtus & ingenium Othonis Gotingenſis perſpecta Regi erant: quem vt amicum & beneuolum retineret, alterum filium obſidem ei remittit: alter enim ab eo, qui ſeruandum acceperat,erat patri iampridem redditus. Fugerant iam itidem, cuſtode ſuo per ſolertiam eluſo, Vdonis Stadenſis, & Dedonis Miſnenſis Marchionis filius: quos Antiſtes Moguntinus contra vim defendit, & parentibus reſtituit.

Conuentus Principum Triburiæ; & Oppenhemij. Congregatis Triburiæ Principibus, Sueui & Saxones de Rege exauctorando conſultant: erant cum illis legati Romani, Sighardus Patriarcha Aquileienſis, & Almanus Præſul Patauienſis. Rex cum amicis ſuis conſiſtebat Oppenhemij trans Rhenum: circum quem erant Præſules Colonienſis, Pabebergicus, Strasburgius, Baſilienſis, Spirenſis, Lauſanus, Bremenſis, Citienſis, Osnabrugius, & nonnulli Comites. Legatos inter ſe viciſſim mittebant partes ambæ: qui accuſationes in Regem deferrent, & eius reſponſa itidem reportarent. Nihil actum eſt,quod ad pacem ſpectaret: & Principes Rheno transmiſſo Regem ſtatuerant armis de gradu deiicere. Rex prælium minimè detrectauit, in ſuis maximis periculis contumax: cuius rigorem admirati, arma de-

ponunt

ponunt: & has ei conditiones ferunt. Amicos ſuos quos Pontifex excommunicarit, ex aula dimittat: Præſulem Vuormacienſem reſtituat: exercitu dimiſſo Spiram concedat: præter Ditericum Verdunenſem Præſulem, ſecum neminem habeat: Auguſtam ad dicendam ſententiam vocatus accedat. His conditionibus à Rege præter opinionem acceptis, Duces Triburia abeunt, tranquillitatem & concordiam in poſterum ſibi pollicentur, & animum Regis diuina bonitate mutatum prædicant. *Duces Bauariæ. Conditiones pacis.*

Rex interea anni tempore iniquiſsimo contendit in Italiam; & ſibi Pontificem ſolertia ſolita, & ficta humilitate reconciliat: quod nunquam fore ſperauerant eius aduerſarij. Indicitur à Ducibus dies alius Forchemium ad III. Idus Martij, anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo ſeptimo: in eo conuentu, dignitas regni traditur RODOLPHO Sueuo, affini Regis: isque Moguntiæ à Siſtrido Antiſtite more ſolenni coronatur. 1077. *Rudolphus Sueuus, Cæſar.*

Rex quamuis in extremo conſtitutus, tamen nullo caſu inferior, copias conſcribit; & RODOLPHVM in Sueuia aggreſſus, è præſidio primùm Simmeringio, deinde è tota Sueuia expellit: ſociumque eius Vuelfonem Neuburgi ad Danubium ad deditionem adigit. Geſsit HENRICVS Rex cum RODOLPHO æmulo ſuo bellum continuum; in quo prælia memorabilia quatuor commiſſa ſunt: quibus flos nobilitatis Germanicæ aut interiit, aut redacta ad indignas conditiones eſt, aut certè fortunas & dignitates amiſit. Multis deinceps vilibus antea & obſcuris hominibus aſcenſus patuit ad præcipuos & excellentes honorum gradus. Præliorum tempora, vt in Chronicis Turingicis, & in ſupplemento Lamberti, quod penes me eſt, annotata reperi, ita deſcribam: in quibus tamen hîc commiſſus error eſt; quòd RODOLPHVM, non Sueuiæ, ſed Saxoniæ Ducem nominant; ea fortaſſe ratione, quòd cauſam & iura Saxonum defenderit: vel quòd à Saxonibus electus ſit. Primum prælium geſtum eſt V. Idus Iunij, anno modò dicto, in Turingia non procul à Salza oppido inter Hamburgum & Negelſtadium, in quo Saxones fugati ſunt, & Bucco Præſul Halberſtadius captus. *Prælia Henrici Cæſ. cum Rudolpho æmulo.* I.

Alterum anno mox ſequente commiſſum, VII. Idus Auguſti, non procul à Melrichſtadio Franciæ oppido: in quo Saxones non expectato ſociorum auxilio, ad arma feſtinarunt: quæ pugna anceps diu ſtetit: tandem victoria ad Saxones inclinauit, virtute OTHONIS Gotingenſis, & FRIDERICI II. 1078.

Palati-

Duces Bauariæ. Palatini Saxoniæ: qui Francis aut in fugam datis, aut occiſis, pugnare non deſtiterunt: donec intra mœnia Vurciburgia hoſtem compellerent.

Palatinus inſciens, quid Otho egiſſet, campum in quo cœptum erat prælium, occupat: is enim qui pulſis hoſtibus, locum cædis obtinet, victor iudicatur. Otho reuerſus, & ſimul ignarus facti Friderici, viſa in illo loco magna hominum tripudiantium frequentia, hoſtes eos eſſe exiſtimabat: & quia Francis inſequendis fatigatus erat, pugnam recentem inire, ſibi aut ſuis vtile non exiſtimabat. Miſſum exploratorem, cùm tardius, quàm pro ipſius cupiditate reuerteret, interceptum eſſe exiſtimans, neque ex ſociis notum quempiam obuiàm habens, vndè certum reſciſceret, domum cum ſuo equitatu reuertitur. Fridericus hoſtibus ſpoliatis, & tumulatis cæſorum cadaueribus, copias itidem reducit Smalachaldiam: vicoſque & agros circum eam vrbem ſitos, quòd incolæ pridie prætereuntes Saxones iniuriis affecerant, incendiis vaſtat: multoſque ſociorum captos liberat. E Saxonibus ceciderat VVEZELO Antiſtes Magdeburgius, Annonis Colonienſis frater: & Bernardus legatus Romanus, captus erat. In caſtris regiis oppetierunt Dux EBERHARDVS cognomento Barbatus, POPPO Comes Hennebergius, Theobaldus & Henricus Lechsgemundi.

III. 1079. Tertium prælium, tertio poſt primum anno eſt rurſum commiſſum in Turingia V. Calend. Febr. prope pagum Fladichemium, ad flumen Vnſtrutam. Ante paucos prælij dies Rex quoſdam è Saxonibus, viros nobiliſsimos ad ſe allexerat, Dìtericum Brenenſem Vilhelmi fratrem, & Comites Vuitechindum ac Vipertum: quos vt ſpectatores tantùm eſſent, & neutram partem adiuuarent, perſuaſerat: in quorum numero fuit, vt in annalibus Magdeburgiorum Antiſtitum legitur, ECBERTVS Saxoniæ Marchio. Diſpoſitis vtrinque agminibus, mandatum erat Othoni Gotingenſi, vt primus ſigna inferret: ſed Franci à tergo Saxones aggrediebantur: quamobrem Othoni Rodolphus per hominem fidum nunciat, vt aciem conuertat: & tempus rei præclarè gerendæ elabi ne patiatur. Pugna illa acerrima fuit: ex qua neutra pars diſceſsit læta. Hermanus Saxoniæ Comes, & Meinfridus Burggrauius Magdeburgius cæduntur: tres Præſules capiuntur, Moguntinus, Vuormacienſis, Merſburgius: ſed qui Regis faciem intueri, & ſupplex eſſe nolebat, Vuormacienſis, cathenis ligatur. Moguntinus dimiſſus, ſtatim in Rodolphi caſtra redit: Merſburgius ab agricolis

ſpoli

ſpoliatus, & nudus dimittitur: ſpoliatus itidem eſt Magnus Dux Saxoniæ: quibus vitam ſeruauit, quòd non ſunt cogniti. Haſta Regi Rodolpho extorta, donatur Vratislao Boëmo: quam eius gentis Reges adhuc in pompis ſolennibus præ ſe geſtari curant. Regis Henrici caſtra in ipſa pugna diripiuntur: & vulgus imbelle in iis inuentum occiditur: ipſe intra Erfurdiæ mœnia cum parte militum ſe recipit: templa diui Petri, beatæ Virginis, diui Seueri cum eorum collegiis & ædibus, milites cremarunt, vt eſt in annalibus Turingicis. Ludouicus Regis præfectus diſsipatam exercitus partem recolligit prope Vuartbergum: quod cùm præſidiarij eius arcis vidiſſent; eruptione facta hoſtes fugant: eisque equos, arma, vaſa aurea & argentea, ſupellectilem precioſam, pallium etiam Patriarchæ repertum adimunt. *Duces Bauariæ.*

Prælium poſtremum anno ſupra milleſimum octuageſimo fit prope pagum Volshemum in Oſterlandia, inter Eliſtrum fluuium & Gronæ paludes, Idib. Octob. vt Marianus Scotus; vel, vt Saxonum & Turingorum annales, IV. Idus, menſis eiuſdem: alij enim perperam in Iulio collocant. In quo tanta auiditate manus conſertæ ſunt: vt cornua vtrinque nudata laborarent, & prælium ſæpius foret inſtaurandum. E Francis Rabado Comes, Regi gratiſsimus occiſus, cùm è prælio efferretur: ij qui ſcutis (vt fit) baiulabant, obuiis omnibus fugam ſuadent & terrorem iniiciunt. OTHO Gotingenſis, qui rebus aduerſis neſciebat animum demittere, Saxones dictis & exemplo incitat: aſſumptaque virorum fortium cohorte, Francos partim cædit, partim compellit in fluuium: militem à præda abſtinere iubet, donec certus de victoria nuncius perferatur. Dum ex vna parte vicerat, & hoſtes altera iam tentaret aggredi: in Henricum Lacham incidit, de victoria & voce & clamoribus à parte Regis exultantem: cuius impetum temerarium alacri milite, & ſua ingenti virtute frangit atque comprimit. IV. 1080.

Militem ſuum victorem, prædæ inhiantem, caſtra opulentiſsima iubet inuadere: theſauri ducum, antiſtitum, Præſulum, comitum, nobilium diripiuntur: ſpolia Saxonibus & Turingis erepta, ad Saxonem & Turingum militem redeunt. RODOLPHVS ex alia parte pugnans, contra Sueuicas Friderici Staufenſis copias; exercitum Regis à Milſena villa vſque ad Vuiderhouiam inſequitur: & dum pertinacius conflictatur, altero vulnere deformi feritur circa ilia: altero lethali, amputata

manu

Duces Bauariæ.

manu dextera. Victoriæ igitur, quæ iam propemodum parta erat, gaudium in luctum grauiſsimum conuertitur. Rodolphus Mersburgum (non Herbipolim, vt Crancius) deportatus, dies tantùm tres ſuperuixit: & Præſulibus impietatem & perfidiã exprobrauit, qui ſe ad arma compulerint: ſibi verò iudicio Dei iuſto impoſitam pœnam, quòd mutilatus manu ſit, qua Regi fidem dederit, confeſſus eſt. Hæc ex Magdeburgiis, Miſnenſibus, & Turingicis Annalibus bona fide collegi: nam exteri cum noſtris nõ planè conſentiunt. Rodolphi corpus regio honore tumulatur: cuius ſepulchrum ad noſtra vſque tempora in loco templi ſubterraneo magnificè ſtetit: donec Michael Sidonius, Præſul ibi cellam vinariam effodit: nihil terrente ipſum aut loci religione, aut reuerentia ſummi Principis: quem videlicet Præſules olim perdiderunt viuentem, & nunc iſte dehoneſtauit, in cauſa Pontificia fortiter mortuum.

Rodolphi Sueui Cæſaris mors.

Regis ipſius exercitus diſperſus locis variis erat: ipſe Vratislaum Boemum ſequebatur, habens in comitatu Vipertum Groicium. Manens autem aliquandiu in Boemia Rex, euentum ſpectabat. Saxones ſublato Rodolpho in magna perturbatione erant: & rurſus reſpiciebant in Othonem, genti ſuæ ſemper fidiſſimum, & in bellis felicem, & in periculis inuictum: ſed ille operam ſuam fidemque promiſit, nomen regni ſuſcipere nunquam voluit.

Henrici Cæſ. legati ad Saxones.

HENRICVS Rex, qui etiam non ſine ſuorum clade vicerat, in Franciam reuerſus, quia ſublatus æmulus ſuus ſit, à Saxonibus per legatos petit, vt Principum decreto ante annos quatuor Goslariæ facto, ſubſcribant: ſuumque filium, vt fecerint alij, Regem pronuncient: & Deum ipſis infeſtum pertinacia ne offendere pergant, & ſe in periculum coniicere. Id ſi fiat ſine tumultu, ipſorum delictis ſe ignoſcere; & eorum prouincias poſthac nunquã infeſtare velle promittit. Cùm expoſuiſſent Saxonibus legati Regis ſententiam: OTHO Gotingenſis lepidè reſpondit, ſe non credere, quòd è boue calcitrante poſsit generari placidus vitulus: ideo ſibi neque patrem placere, neque filium. Qui ſermo tantùm valuit, vt Saxones nihil aliud reſponderent legatis ſeriò, quàm quod ipſe ioco effuderat.

Rex Henricus, diſsimulauit iracundiam: & quoniam ipſum Pontifex diris exagitarat, & deuouerat: iter in Italiam inſtituit, vel ad eum placandum, ſi fieri poſſet: vel ad debellandum, ſi nihil veniæ impetraret; neue Saxonibus iratis videretur obiicere in abſen-

abſentia ſocios & clientes ſuos, nunciis eos ſollicitat; qui colloquium peterent, & de bono communi ac publica tranquillitate cum ipſis tractarent. Locus dictus eſt ad ſiluam Capuanam, vltra Viſurgim fluuium. Conſtituti quaſi arbitri ex vtraq; parte erant, viri & vſu rerum periti, & in his negotiis cum dignitate aliqua ſemper verſati: è Saxonibus Vuezelo Moguntinus, Bardeuicus Magdeburgius, Gebhardus Salceburgius, Poppo Paderbornenſis, Vdo Hildeshemius. Regis nomine affuerunt Seguinus Colonienſis, Engelbertus Treuerenſis, Henricus Pabebergenſis, Hermanus Spirenſis, Conradus Traiectinus: ideo autem adhibiti eccleſiaſtici ſunt, quia eos plura cognouiſſe eruditione & diſciplinis; & pacis atque concordiæ fore cupidiores præ cæteris ſperabant. Volebant regij amici huic deliberationi nullos intereſſe, niſi qui ad eam peculiariter forent delecti: Saxones contrà admittendos dicebant ſummos & infimos: quia teſtes adeſſe cupiebant innocentiæ ſuæ; & actionum cognitores plurimos, quia decepti & eluſi ſæpius erant. Ea diſceptatio ne tumultum initiò ſtatim pareret, aut Saxonibus, qui vocati acceſſerant, cauſa abeundi eſſet, eorum voluntas valuit. In ipſo conſeſſu, qui extructus ſub dio in modum theatri erat, ex vtraque parte ſilentium diu fuit. Saxones quid dicturi eſſent ii, qui eos euocauerant, expectabant: regij vt viderentur rogati veniſſe, non rogaſſe, quid peteretur, auſcultabant. Tandem de Saxonum, nihil ſimulatè agentium, ſententia, ſic verba facit Salceburgius: Notum vobis eſt amici, diſceſsiſſe à Rege Saxones, non audacia, ſed neceſsitate: non detrectandi Imperij, ſed euitandi exitij gratiâ. Teſtes enim vosmetipſi eſſe poteſtis, quàm grauibus & indignis calamitatibus atque contumeliis ſimus affecti: non ignoratis, quoties veſtro & conſilio & auxilio vſi ſimus, vt ſi non tolerabilis, ſaltem honeſta eſſet ſeruitus, nos contemptos, nos irriſos recordamini: ſubiecimus corpora noſtra, tradidimus libertatem, ſupplices iacuimus: quid aut veſtræ promiſsiones magnificæ, aut noſtra nos ſubleuauit penè infima humilitas? abſtracti ab vxoribus & liberis, in omnes terrarum partes, contra fidem publicam diſperſi ſumus: in qua miſeria noſtra, aliquos veſtrûm ſcimus doluiſſe, & veſtra miſericordia liberi nunc nonnulli aſtamus: qua certè pietate & manſuetudine veſtra regiam damnaſtis tyrannidem. Præſules noſtri ſicut latrones, vincti: ſicuti anathemata, de gradu deiecti: quaſi ſcurræ eſſent, ita ſunt ludibrio habiti. Arſerunt templa, arſerunt domus noſtræ: caſtella & prædia ante oculos diſsipantur, & in iis luxuriantur homines viliſsimi: quid hominum ingenuorum,

Duces Bauariæ.

Colloquium Cæſareanorum cum Saxonibus.

Salceburgij oratio.

Duces Bauariæ.

quid ciuium bonorum liberis & vxoribus acciderit, horreo dicere: & video animos aſtantium ſola cogitatione percelli, & tacito gemitu declarare indignationem & dolorem ſuum. Principum virorum & hominum liberorũ filios, mancipia habere Rex voluit: de imperandi ratione maioribus noſtris vſitata, & de dominatu benefico nunquã cogitauit. Vos noſtro nomine obſecraſtis non ſemel, vt non armis, ſed legibus: non violentia, ſed iure Rex experiretur: veſtro iudicio ſtetimus, veſtris ſententiis paruimus, ad partes nonnulli veſtras acceſsimus: quid per Deum immortalem aut æquitatis, aut clementiæ, aut quietis nobis inde acceſsit? Si vera non loquerer, voce tam contenta non loquerer: ſed reſpiranti ignoſcite: non enim acceſsi accuſator, ſed horum ampliſsimorum virorum nominè, horum ducum fortiſsimorum voluntate, ſupplex hic aſto. Vos Præſules pedum tenetis nunc, & paſtores vocamini, non vt iuguletis gregem, ſed vt conſeruetis: vos Principes gladiis cincti eſtis, & domini appellamini, non ad oppreſsionem ſubditorum, ſed ad defenſionem. Itaque fratres veſtros, ciues veſtros, ſocios & agnatos, eundem vobiscum Deum inuocantes, eandem in cœlis ſalutem expectantes: tamen aliquando reſpicite iram Dei vltricem: conuerſionem rerum humanarum conſiderate: cauſam Saxonum, vt decet Chriſtianos rationibus Chriſtianis cognoſcite; non cædibus, incendiis, aut aliis iniuriis perſequimini: & quod vos flagitauimus ante tot cædes & funera; ſaltem nunc impleti cruore noſtro præſtate: vt tandem placidè & tranquillè viuere, & ſuum quemque munus citra impedimentum facere, & poſt tot præliorum naufragia, tabulas ſaltem colligere liceat. Regi parebimus cum obſeruantia & fidelitate: vos contrà probate, quomodo cum bona conſcientia Regem habere poſsimus: & præterea efficite, vt & Sacerdotibus liceat ſuis ſacris perfungi, & reliquis ordinibus ea libertate degere, qua cæteri in Imperio populi degunt. Quòd ſi firmis rationibus defendetis, poſſe eum more maiorum imperare, nos ſimul ſocios eſſe veſtros permittite; & in poſterum, ſicuti in hoſtes, aduerſus nos ferrum ne ſtringite: & deſinite, ſi placet, publicam ſalutem euertere.

Hæc oratio viri acris & non indiſerti, animis ſuſpenſis audita eſt: ſed à regiis reſponſum, cauſam ipſis maiorem viribus proponi, quæue ſine conſenſu aliorum iam abſentium Principum, agitari aut diſcerni non poſsit. Igitur petunt, vt tota actio ab initio Februarij (eo enim tempore hic conuentus fuit) in [illegible] Iunij

[illegible]

Iunij menſis medium differatur: interea neutra alteram pars lædat, donec iuſtis omnium Principum comitiis, quod ex vſu omnium ſit, conſtitueretur. *Duces Bauariæ.*

Temporis ſpacium longiuſculum petere regij videbantur, vt ipſi tempore interiecto tuti eſſent: & rebus in Italia ex ſententia confectis, nouum bellum pro libitu ſuſcitarent. Itane igitur, Otho Gotingenſis dux ait, nos exiſtimatis fatuos, vt dolos veſtros non ſentiamus? Pacem petitis vobis, vt eccleſiam & Pontificem, ſub cuius poteſtate ſumus omnes, malè tractetis: egregia verò pax corporis, dum crudeliter abſciſſo illuditur capiti? Aut igitur nobis & ſociis noſtris pacem date, & viciſſim vobis veſtrisque accipite: (pacem enim integram, aut nullam volumus) aut hinc dimiſsis nobis, iter, quod inſtituiſtis, maleſani pergite. Nos rectorem primo tempore eligemus, qui nos, Deo iuuante, defendat: & veſtras vrbes atque agros, dum contra fas & fidem vexatis Pontificem, vaſtos & deſertos faciat. *Othonis oratio.*

Henricus Rex, qui Pontifice vel non conciliato, vel armis non deuicto, nihil effecturus in Germania videbatur: menſe Martio cum hominibus ſelectis expeditionem in Italiam facit; curatque diligenter, vt ſi quid ſe abſente Saxones molirentur, eis maturè obuiàm iretur: quamuis nihil ſuſpicabatur eos poſſe, qui iam virium penè fractarum eſſent. In Italia omnia turbarum plena oſtendebat: quibus ſatis feliciter ſedatis, cum Clemente, quem ipſe Pontificem legerat, Romam proficiſcitur: vrbem primùm Leoninam capit, quæ erat olim montis Vaticani ſuburbium: deinde montem Eſquilinum occupat, quem Petrus Leo defendebat: Gregorium Pontificem fugat: & de ſceleratis ac maleficis quibusdam ſupplicium ſumit: tum à Clemente Pontifice à ſe electo, præſulibus Bononienſe & Mutinenſe aſtantibus, regni coronam & alia inſignia & nomen Augusti accepit. *Henrici Caeſ. in Italiam expeditio.*

Interea inſtigante alterius Pontificis factione, Saxones per Germaniam legatos mittunt: Regi Henrico, & filio eius ad empturi ſupremam poteſtatem & creaturi nouum Regem de ſua ſententia. Induciis finitis in fine menſis Iunij in Franciam hoſtiliter tendunt, agroſque Pabebergam vſque vaſtant & ſpoliant: & ibidem obuiàm habentes Sueuos, de Rege nouo creando conſultant: dictis de more ſententiis, in HERMANVM Lucelburgium conſentiunt: qui paulò pòſt Islebij in Herciniis Rex declaratur: & Goſlariam ſolenniter deducitur: Princeps (ſi *Hermanus Lucelburgius Caeſar.*

Dux Bauariæ. Mariani verum iudicium eſt) ſapientia, modeſtia, genere & fortitudine præſignis. Coronatur tandem à Siffrido Antiſtite Moguntino VII. Calend. Ianuar. anno ſupra milleſimum octuageſimo ſecundo. Hunc aduerſarij irridentes Cluflochi-
1082. um, ab allio nimirum appellarunt, vt ſcribit Helmoldus presbyter: quia copia allij in eo agro fuit, in quo Rex proclamaretur: ſed vt initiò eius expectatio magna fuit, ita auctoritas paulò pòſt nulla: hanc enim legitimis gubernatoribus Deus ſolet tribuere: homines, quicunque eam non bono titulo ſumunt, fruſtra & inauſpicatò ſolent ſumere. Ab ipſis igitur Saxonibus ſpretus, in arcem ſuam Lindbergiam ſe contulit: & Hermani Antiſtitis Treuirenſis liberalitate vixit.

In ea arce à ſuis militibus ipſum eſſe interfectum, annales antiſtitum Magdeburgiorum tradunt: portæ è cardinibus euulſæ ruina oppreſſum, ait Helmoldus: à muliere, lapidem in ipſius caput iaculante necatum, alij nonnulli ſcribunt. Bruno, qui vitam deſcripſit Henrici Quarti, ab ipſis Saxonibus pulſum eſſe ait: Crancius ſupplicem Imperatori fuiſſe, nomineque Regis depoſito, gratiam impetraſſe confirmat. In iſta dubitatione quid ſequendum, alij videant: anno tyrannidis occupatæ ſeptimo, periiſſe certum eſt: corpus eius Metim deportatum, & ſplendidè ſepultum eſt.

Othonis mors. Eodem anno quo regnare cœpit Hermanus, Othonem defunctum ſuſpicor: quia eius amplius non inueni memoriam: ſepultum autem in cœnobio Northemio, à ſe condito, Chronica Magdeburgia teſtantur.

HENRICVS.

HENRICVS Othonis modò nominati primus filius, à corporis obæſitate Pinguis ſeu Craſſus cognominatus. Fuit Henrici V. Imperatoris patruelis minor, & Lotharij Imperatoris ſocer. Vxorem duxit GERDRVDIM, Ecberti Marchionis Miſniæ patrui ſui filiam: è qua genuit OTHONEM, in pueritia mortuū: & filias duas, GERDRVDIM Conrado Rheni Palatino nuptá: & RIXAM, ſeu (vt alij) Richiſam, Lothario Saxoni Imperatori. Domicilium ſuum habuit Alerſteti: pater enim filiis ſingulis certa loca aſsignauerat. Conuentui Quedilnburgio, quem Hermanus Rex nouus deſignatus indixerat, cum fratre Cunone interfuit. Henricum in Saxonia locum ſecundum à rege tenuiſſe, ex Vrſpergenſe manifeſtum eſt.

Dum autē Phryſię præfectura propter virtutē illi cōmitteretur: in ſi[illegible]ta M[illegible] à multi-

à multitudine acceptus ſimulanter eſt: nam ei obſequij & honoris ſpecie, exitium meditabantur. In itinere ad Nordam oppidum, cùm poſitas ſibi inſidias intelligeret, ad mare confugit: ibi vulneratus à nautis, & fluctibus ſubmerſus eſt. Vxor percepto rumore, fuga ſaluti ſuæ conſuluit, anno ſupra milleſimum centeſimo: vel vt in ſupplemento Lamberti, centeſimo primo. Eius cædem indignam grauiter tulerunt vniuerſi Principes, vt idem Vrsbergenſis ſcribit. Eius ditionem in Saxonia ad Lotharium generum ſuum, Gerdrudis tranſtulit, qui poſt Henricum V. imperium adeptus eſt: de quo LOTHARIO Itali ſcribunt, quòd totius imperij ſui tempore, nihil egerit repræhenſione dignum: noſtri verò teſtantur, ſi vixiſſet diutius, eius virtute & induſtria potuiſſe Imperium in veterem dignitatem & gloriam reſtitui. Sed erit de hoc ſummo viro & Imperatore fortiſsimo, dicendi locus opportunior.

Ducis Bauariæ.

1100.

Lotharij Imp. laus.

CVNO.

CVNO Othonis ſecundus filius, à recentioribus quibusdam CONRADVS dicitur, Comes Northemi & Beichlingi: à quo Comitum Beichlingiorum, qui annis ſuperioribus ditioné ſuam, gubernante Duce Saxoniæ Georgio, Iohanni Vuertero Equiti vendiderunt, deducta fuit progenies. Hunc ait Vrsbergius vnum de magnis Principibus fuiſſe, cui nihil in omni rerum humanarum dignitate defuerit: literarum videlicet ſcientia, fortitudine & diuitiis præpollentem, elegantia & facundia amabilem. Hic contra Henricum IV. militauit Rodolpho Sueuo, & Hermano Lucelburgio, & Ecberto patrueli ſuo: prælijsque octo contra Regem virtus eius ſpectata fuit. Cùm autem Rex coram ordinibus Moguntiæ, per Præſulem Euerhardum, publicè iuberet proclamari, ſe relicturum filio Regnum, & iter ingreſſurum Palæſtinum: multi odium in illum conceptum depoſuerunt; & ſe fore ſocios peregrinationis religioſæ polliciti ſunt: inter quos Cuno vel primus extitit. Suum domicilium de paterna diuiſione habuit Konigeshouij: fundauitq; Catelnburgum, quod poſtea Hirsueldenſi tradidit cœnobio.

Oppidum Vdonis Marchionis Aleslebiam obſidebant Saxones: in quorum caſtra proficiſcens CVNO, à ſuis familiaribus, pecunia Imp eratoria corruptis, Edelgero Ilueldio, & Chriſtiano Rotenburgio (vt Chronicum Peganum nominat) exceptus noctu in cubili ſuo nefariè interficitur: anno, vt ſcribit Vrsbergius, ſupra

Cunonis cædes.

Duces Bauariæ. ſupra milleſimum centeſimo tertio; vt ſupplementum Hirſueldenſe, quarto. Cranciusin comitiis Moguntinis occiſum memorat.

CVNEGVNDIM eius viduam duxit VIPERTVS Comes Groicius in Oſterlandia: cuius etiamſi nuptias principiò recuſaſſet, tanquam patris ſui olim hoſtis grauiſsimi: tamen quia ab inimicis potentibus vexabatur, propter prædia ampla atque fertilia: de cognatorum amicorumque conſilio, tandem ei conſenſit: eſtque in honore habita à Viperto: qui eius quoque filiam matri cognominem, & præ aliis quatuor ſororibus, ſpecie & moribus elegantiſsimam, Viperto filio ſuo, natu maximo, deſpondit. Nuptiæ matris ac filiæ eodem die in arce Groicia magnificè ſunt celebratæ. Matrimonium ea conditione ſancitum ratumue fit: vt ſi vxor priùs, quàm maritus moriatur, eius ipſe poſſeſsiones omnes obtineat.

Viperti Groicenſis nuptiæ.

Erat in fide & tutela CVNEGVNDIS cœnobium Oldeslebium, ad Vnſtrutum flumen, ſupra arcem Saxenburgiam ſitum, quod marito inprimis commendabat: eius enim fructus & reditus minuerat abbas LVPERTVS, homo profuſus: cui ipſe VINDOLFVM Peganum dedit inſpectorem; deinde ei Hillinum Corbeienſem ſubſtituit. Filiæ quatuor Cunegundis reliquæ, viris in Saxonia nobilibus, Viperti beneficio ſunt collocatæ.

SIFFRIDVS.

SIFFRIDVS Othonis tertius filius, Comes in Bomenburg, duobus à Northeimo milliaribus, habitauit Hetteualdæ: & reliquit filium SIFFRIDVM: qui fundum illum ſedis paternæ donauit cœnobio Hamelsbornio.

SIFFRIDVS.

SIFFRIDVS, filius Siffridi, à Lazio Comes Beichlingius nominatur: quod ſi rectè dicitur, Cunoni patruo ſucceſsit: ſed nos certi quid afferamus, è monumentis habemus nihil. Nunc autem poſtquàm Othonis quondam Ducis Bauariæ ſtirps, in nepote eius planè deſiit, ad fratrem ipſius ECBERTVM, ex inſtituto noſtra redeat oratio.

MARCHIONES MISNIÆ E GENTE SAXONICA.

ECBERTVS I.

ECBERtus Lodolphi natu minimus filius, Brunonis II. nepos, Bruno-

Brunonis I. pronepos, Henrici I. Ducis Bauariæ abnepos: ECBERTVS igitur Othonem I. Imp. atauum habuit: Marchio Miſniæ & Turingiæ. Vxor eius GERBERGA Lansbergia: de qua genuit ECBERTVM filium: & duas filias, fœminas præſtantes, MATHILDIM nuptam Bonifacio Marchioni Longobardio: & GERDRVDIM Henrico Craſſo nuptam, Duci Saxonum Gotingenſi ad Viſurgim: auiam LOTHARII Imperatoris, proauiam Henrici Superbi, Bauariæ & Saxoniæ Ducis, abauiam Henrici Leonis, atauiam Othonis IV. Imperatoris. *Marchiones Miſniæ.*

Sed antequam de Ecberto pergam: perpaucis & veluti in transcurſu dicendum de MATHILDI eſt: quæ primo marito fortunata, opes ingentes poſſedit in Tuſcia & Longobardia: deinde Azoni Eſtenſi nupta, quem legibus eccleſiaſticis repudiare propter agnationem, coacta eſt: poſtremo accerſitum Vuelfonem Bauarum, ipſa reiecit: tanquam viri nomine indignum. Annales Saxonici, vndè ſua deſcripſit Crancius; & annales Boemici quos collegit Coſmas Pragenſis Decanus, hæc ita ſe habere teſtantur, vt nos modò ſcripſimus. *Mathildis matrimonium.*

Iacobus Foreſtus Bergomas ait, parentes Mathildis fuiſſe BONIFACIVM Marchionem, & Beatricem Henrici primi filiam: cuius pater Lucam, Parmam, Regiolepidum, Mantuam, Ferrariam tenuerit: nuptam autem Godfrido Principi, qui cum fuerit ab Henrico, Henrici IV. filio, ad Parmam cæſus, duxiſſe AZONEM Eſtenſem: poſt id tempus vixiſſe cœlibem in Bondeno agri Mantuani; & obiiſſe anno ætatis tertio & ſexageſimo. Foreſtus autem Blondum & Sabellicum, vt ſolet, imitatus eſt. Bonifacium Marchionem Mathildis patrem fuiſſe, & Godfridum maritum, hoc Foreſtus non probauerit: Beatricē autem eius matrem, Henrici I. fuiſſe filiā, hoc planè falſum eſt, & cum temporibus pugnat. Henrici etiam filius, qui Italiam gubernauit, non Henrici, ſed Conradi nomen habuit: neque in pugna cæſus eſt, ſed morte ſublatus placida: non tamen abſque veneni ſuſpicione. Mathildis maritum ſecundum AZONEM Eſtenſem fuiſſe, vno ore loquuntur & conſentiunt omnes: poſteà vixiſſe eam cælibem non negauerim. Nam de repudio Vuelfonis talem quandam hiſtoriam refert Coſmas Pragenſis. *Mathildis parentes.*

Cùm amplum & florens Langobardiæ regnum vidua ipſa teneret, ætate adhuc iuuenili & viribus integris: perſuaſum illi eſt, vt marito alij nuberet, ne dominatus ampliſsimus ad *Mathildis repudium.*

Duces Bauariæ.

alienos tranſiret. Legatos igitur ad Vuelfonem & literas deſtinat, quibus ipſi connubium & regnum offert: is nuncios honorificè accipit, & honeſtè dimittit, & apparatu in Italiam inſigni proficiſcitur. Sacris de more ritibus, magno populorum variorum concurſu coniuges copulantur: & celebrantur nuptiæ, ſummo luxu atque ſplendore: ſed euentus tali expectatione dignus, & fructus nuptiarum nullus eſt conſecutus. Sponſa maritum nouum accuſat, vt frigidum: ſponſus veneficij crimen in eam regerit. Hæc cùm vno & altero die fierent: deducto in conclaue, nudam marito ſe ſiſtit, veneficium abeſſe dicit: verùm cùm munere mariti nullo fungeretur; cum contumelia verborum illum reiicit: Pragenſis addit ignominiam, quòd in manum expuens, colaphum illi incuſſerit, & thalamo atque domo expulerit. Hæc de illius ſententia.

Mathildim fuiſſe conſanguineam Regis Boemiæ Vratiſlai, & Gebhardi Præſulis Pragenſis, idem Coſmas refert: fuiſſe item Henrici Regis cõſanguineam, omnes Itali & Germani ſcriptores aſſerunt: quod tum verum eſt, ſi annales Saxonicos ſequimur, & Mathildim Ecberti huius filiam affirmamus, ſicuti adhuc aliter affirmare non poſſumus; neque in alia ſententia fuit celeberrimæ famæ atque eruditionis vir Georgius Agricola, quem in his originibus habemus ducem atque Principem.

Ecberti conflictus cum Turingiæ Comite.

Verùm ad narrationem inſtitutam vt redeamus: ECBERTVS Princeps ſtrenuus & excellentiſsimus fuit, qui (vt antè dictum) cum Othone Turingiæ Comite, pugna tumultuaria congreſſus, fratrem Brunonem amiſit: ipſe licet ſaucius, prælium tam diu continuauit, donec hoſtibus fieret ſuperior. In illa dimicatione Vilhelmum & Othonem fratres, Turingiæ Comites, captos eſſe, non ſatis certò ſcripſit Crancius: nam Lambertus, illis temporibus ſuppar, tradit Vilhelmum à Luticiis cum infinita Saxonum multitudine cæſum fuiſſe, vno anno antè, quàm Otho à Brunone vulnere eſt mutuo interfectus: cuius prælij cauſam, initium, & euentum ſuprà retulimus. Othonis certè mortem nec ſocij luxerunt, quos ſecum in diſcrimen adduxit: nec hoſtes eum cecidiſſe non gauiſi ſunt; quia totam Saxoniam ſua cupiditate perturbauerat, & ad ſeditioſa excitarat conſilia. Itaque homine tam peſtifero, liberatam Rempublicam, Ecberti beneficium fuit: qui fratrem vlciſcendo non ceſsit: & eius etiam loco Turingiam obtinuit, vt ex eodem Lamberto conſtat.

Cùm Rex è Rheni inſula à matre nimium illi indulgente, abduceretur: Othonem fratrem ſuum, & Annonem Antiſtitem Colonienſem Ecbertus fideliter iuuit; Regem in aquam ſe metu deijcientem, vitæ ſuæ periculo confidenter eripuit. Idem diui Cyriaci templum extra Brunſuigam inchoauit, & arcem Vuolfenbütelam, Ducum Brunſuicenſium propugnaculum firmiſsimum, extruxit. *Duces Bauariæ.*

Obiit ætate adhuc florente, anno ſupra milleſimum quadrageſimo ſexto; catarrho ſuffocatus, vt Lambertus: hæredem ſcripſit HENRICVM III. Imperatorem ſuum patruum, vt Hermanus Contractus teſtatur: ſed vt ego arbitror, tutorem illum conſtituit, vxori grauidæ: quæ poſt mariti obitum, filium poſthumum peperit. Sepultus eſt in æde diui Cyriaci, quam ipſe inchoauit, & filius eiuſdem tandem abſoluit. *Ecberti mors.* 1046.

ECBERTVS II.

ECBERTVS vnicus Ecberti filius poſthumus, ætate nondum ad militiam apta, res ſupra ætatem gerit: indole fortitudinis eximia. nam iam inde à puericia Regi Henrico IV. veluti alter Hannibal, hoſtis iuratus, ita fortiter & feliciter reſtitit: vt Rex ipſum timeret, ne aliquando ad Imperij ſublimitatem aſpiraret. Dederat Rex prouinciam Miſnenſem, Duci Boëmiæ Vratislao: cuius fide & opera ſtrenua vſus perpetuò fuerat. Quare vt eam ditionem, Boemiæ confinem, retineret; præſidium firmum impoſuit: & metropolim Miſnam munitiſsimam reddidit, anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo ſexto.

ECBERTVS infra annos adhuc militares (vt Lambertus teſtatur) ægerrimè ferens, ab extero poſsideri partem agri Saxonici opimam; cum iniuria populi antea liberi: collecta ſociorum fortiſsimorum manu, in Miſniam proficiſcitur: cum Boemis prælia leuia facit: & eorum præſidia eiicit, ſua imponit: munitiones ab hoſtibus erectas diſsipat aut incendit: & alienum militem omnem vniuerſa exterminat prouincia. Erat Ecberti potentia non contemnenda: nam Turingiam & Miſniam poſsidebat, & ſimul circa Brunſuigam, aliquot tenebat arces & oppida. Turingiam ipſius pater, cæſo Othone Landgrauio, vendicauerat: Miſniam Boëmis ipſe eripuerat: Saxonicas arces & vrbes à maioribus poſsidebat. 1076. *Ecberti bellum cum Boemis in Miſnia.*

Erat eodē tempore, Pontificis Romani & Principū plurimorū aucto-

Duces Bauariæ.

auctoritate, in locum Henrici, legibus eccleſiaſticis & ciuilibus proſcripti, Rex declaratus RODOLPHVS Sueuus, qui cum Henrico IV. manus quater conſeruit: poſt vltimum etiam prælium vita defunctus fuit. In his præliis omnibus ECBERTI, bellicis euentibus ſemper inſignis, vt in Chronico PEGANO legitur, virtus eſt nullo in loco deſiderata. Rodolphi morte cùm amici Regis nonnihil reſpirarent, & ſibi quietem partam arbitrarentur: de recuperanda Miſnia Boëmus conſilium iniit: & VIPERTVM Groſciæ Comitem, generum ſuum, prouinciam ad Mildam deprædari milite Oſterlandio iuſsit: eam, quæ ad Albim fluuium ſita, ipſe Boemico aggreditur. Vipertus Regi obſecutus, Vurcinenſem & Lipſienſem agrum depopulatur: Dux Boemiæ iuxta ripas Albis vſque ad oppidum Belgram procedit: exercitus deinde coniungunt prope Vurcinam: ita enim inter ipſos conuenerat. Saxones de ſociorum damnis facti certiores, copias ſubitas colligunt, & obuiam Boemis tendunt. Vipertus Boemos metu Saxonum fugituros confirmat: & ſigno dato cum hoſtibus, antequàm iſti abirent, ſubitò congreditur. Acies Boemorum inclinata erat, cui Vipertus animosè ſuccurrens, è Saxonibus non paucos manu ſua interficit: ita vt iis fugatis aut repreſsis, Boemos recolligeret; & iter illis cum præda in patriam redeundi patefaceret.

Viperti Groicenſis animoſitas.

Eadem occaſione VIPERTVS ſuos hoſtes vlciſci cupiens, & oppidum Groizam recipere, arma de manibus non poſuit, donec compos ſui voti fieret. Habebat Petrum & Hetuigium clientes, qui ad hoſtes profugerant, ſimulatione, & de omnibus rebus, quæ ad ipſius commodum ſpectarent, clàm edocebant, & conſilia hoſtium enunciabant: horum fide & opera Groizam ſine cæde recuperat: & duo in ea propugnacula extruit: deinde ad hoſtes reliquos penitus delendos, animo pertinace contendit. Inter eos, ſibi præcipue aduerſantes, Ecelinum Prebiuium, & Hugonem Tubechinum Citij eſſe; iiſque datam fidem publicam ab Eppone præſule audiebat.

Vipertus Groiziam recuperat.

In id oppidum ciuibus inopinatis armatus irrumpens, hoſtes ſibi tradi poſtulat: ni faciant, ignem ſe in tecta iniecturum minatur: obſeſsis deinceps hoſpitiis, Ecelinum & fratrem eius, & ſocios ſeptemdecim transfodi iubet, Hugonem ex æde Petrina extrahi: qui cùm ſe defenderet, & aram teneret; templum incendens, ipſum cum ſociis omnibus cremat. Bedericum Teucherinum in villa Quizana oppreſſum, ſimiliter interimit.

Friderici

Friderici Chutſeſij, Georgij & Petri Trebniciorum, qui fuga ſibi conſuluerant, bona omnia ſibi vendicat: & totum agrum circum Groizam in ſuam redigit poteſtatem. *Duces Bauariæ.*

Tantam hominis audaciam ECBERTVS reprimere, vicinorum inſtinctu voluit: nam de eius violentia querelæ cotidianæ deferebantur. Quamobrem auxilia contrahit: & arcem Grolziam, tanquam iniuriæ receptaculum, tentat euertere. Ad oppidum Teucheram nondum acceſſerat, cùm de eius aduentu VIPERTVS cognoſcit: ſuiſque celeriter ad arma conuocatis, non expectat, donec ad ſe veniatur: ſed iuxta Teucheram (erat enim ad omne facinus paratiſsimus) fortiter ei occurrit. Saxones tanta eius confidentia territi, cùm maiores ipſum copias habere putarent, referre pedem cupiebant: ſed ita ad eos aduolauit feſtinanter, vt pugnam detrectandi facultas non amplius relinqueretur. *Ecberti cum Viperto conflictus*

In conflictu, Viperto ſcutum haſta traijcitur, & duo præterea dentes anteriores excutiuntur: ipſe nihilo factus languidior; ſed pudore vires incendente, militem, qui ſe vulnerauerat, non deſtitit premere, donec mediam eius frontem gladio diſſecuiſſet. Coniectis in fugam Saxonibus, eo quoque die reportat victoriam, ſed non incruentam: alioquin hoſtes non deſiiſſet infeſtare & perſequi.

Regem iam elegerant Saxones HERMANVM Lucelburgium: nam Otho Turingus, qui Regnum affectabat, à patre Ecberti occiſus: Rodolphus Sueuus, qui pro Rege ſe geſſerat, à legato Henrici Regis ſuperatus. Indicitur Principum conuentus in Herciniis Quedilnburgum: in quo Vuezilonis Antiſtitis Moguntini auctoritate damnati ſunt, qui Hermanum Regem nouum non probarent, & qui factionem Pontificis Hildebrandicam impugnarent & abominarentur: erant autem venerandi & illuſtres viri, Limarus Antiſtes Bremenſis, Vdo, Hildeshemius, Rudgerus Spirenſis, Siffridus Auguſtanus, Burchardus Baſilienſis, Norbertus Curienſis: item Ditericus, qui Ecberi Marchionis ſororem habebat coniugem, & Conradus Comes Aleslebius, Geronis Burggrauij Magdeburgij frater, & nonnulli alij. ECBERTVS poſt illum conuentum, quæ Præſulis Hildeshemij erant oppida & caſtella, ſuæ poteſtati ſubiicit: & affinem quoq; Ditericum bello perſequitur. *Hermanus Lucelburgius, Cæſar.* *Conuentus Quedilnburgius.*

Alius mox indicitur cõuentus Moguntiæ: in quo acta Quedilnburgia reſcinduntur: & ſacris interdicitur Præſulib. quatuordecim: ... & no- *Conuentus Moguntinus.*

Duces Bauariæ. & nominatim proſcribuntur Hermanus Rex, Ecbertus Marchio, Vuelfo Dux Bauariæ. Ibidem VRATISLAVS Boëmiæ & Poloniæ Rex declaratur: cui ſua manu Imperator diadema imponit: & Antiſtiti Treuerenſi Engilberto mandat, vt Regem honorificè Pragam deducat, & ritu ſolenni ſellæ regali imponat. GEBHARDVS quoque Regis frater, Boëmicarum & Morauienſium eccleſiarum Antiſtes tum conſtituitur, ſecundum decretum Benedicti Pontificis, & Othonis I. Imperatoris. Vratislaus Rex coronatur Pragæ, XVII. Cal. Iulij, anno ſupra milleſimum

Vratislai Regis Bohemiæ coronatio.

1086. octuageſimo ſexto. Frater eius OTHO Dux Morauiæ, die poſt coronationem quarto & vigeſimo moritur.

Altero anno Boemus nouam expeditionem parat in Miſ-

1087. niam: & ibi caſtellum Guozedecum inſtaurat: & BRACISLAVM filium ſibi legat ad faciendum tirocinium. Addit eidem ſelectas cohortes duas: cum quibus ad Henricum IV. Imp. profectus, alios ſibi milites adiungit: vt tam de Imperatoris, quàm Regis hoſtibus vindictam ſumeret. Pernoctans in pago Chilebia, inter milites & agreſtes tumultus oritur: ſuntque Thazij Comitis Boemici filij duo, fortes adoleſcentes, ab agreſtibus interfecti. Rex inde mouens, ira diſsimulata, agreſtes tertium poſt diem nihil metuentes inuadit: bona diripit: agricolas cædit: vxores denudat: iumenta abigit: villas incendit.

Vratislai Bohemi expeditio in Miſniam.

Bracislai temeritas.

Ipſo meridiei tempore iuxta fluuium quendam iter faciens, amænitate loci captus Bracislaus Alexium, virum grauem & expertum, quem pater adoleſcenti comitem quaſi rectorem addiderat, cum præda præmittit: ipſe cum nobilibus aliquot ſtruit in ripa conuiuium: tandem etiam calore æſtuans, in profluente lauat. Alexius morum regij adoleſcentis non ignarus, & ſuſpectam habens temeritatem: mittit qui ei dicerent, non iam in Vultaha aut Egra, patriis fluminibus ipſum lauare: ſed arma & veſtes depoſuiſſe in terra hoſtili, oneratum virorum fortium præda; quos pro ea repetenda, à tergo mox inſequentes ſit viſurus. Iuuenis in Alexio, ipſum admonente, ſenilem reprehendens ignauiam & timiditatem, nihil mouetur: & ecce, dicto citiùs, equites viginti illi in conſpectum ſeſe obiiciunt. nam quid hoſtes agerent, Miſnenſibus iniuria affectis, ignotum non erat: ideoque turmis aliquot equitum coactis, è veſtigio ſequebantur, vt prædam excuterent ſecuris, & ſupplicium de illis ſumerent, perpetrati latrocinij. BRACISLAVS paucitate Miſnenſium contempta, cum ſociis alacriter equos conſcendit, vt facinus aliquod ederet: & Alexio quod exprobraret, inueniret. Miſnenſes equi-

tatum

tatum in inſidiis collocauerant, & erumpenten iuuenem regium, cum ſuis omnibus circumuallant. Alexus, qui id præuiderat fore, in ſalutem ſuorum intentus, auxilio cum expeditioribus illi accurrit: prælium graue committitur. Sternuntur præcipuiè Boemis, Alexius & Radiborus eius gener, item Branis & Zlauata, viri equeſtris dignitatis. Breda Comes, cui pes amputatus erat, à fido miniſtro ſeruatur, ne in hoſtium veniret vincula. Rex ipſe iuuenis vulneratur in manu dextera & brachio. Profligatis Boemis, prædam Miſnenſes recuperant. Accidit hæc Boemis clades VI. Non. Iulij, anno ſupra milleſimum octuageſimo octauo, vt Crancius tradit: nam Olomucenſis non videtur tempus rectè obſeruaſſe.

Marchiones Miſniæ. *Boemorum clades.* 1088.

Beneda Thazij Comitis nepos, eques auratus, neſcio quo facto Regem Boemum offenderat, & ſe contulerat in Poloniam: cumque ibi exul biennio vixiſſet; VIPERTVM Regis generum adiit, rogans, vt pro ſe cauſam diceret: & in Regis gratiam, ſi poſſet, reſtitueret. Iubetur à Viperto Bennonis Miſnenſis Præſulis hoſpitio tam diu vti, donec daretur & ſibi & Præſuli opportunitas Regem placandi.

Anno ſequente Rex alium in Miſniam ducit exercitum: vt Guozedecum propugnaculum, à Miſnenſibus ſæpius tentatum, firmius & munitius redderet; idque in locum aptiorem transferret. Audiens autem Benedam apud Præſulem agere: promiſſa fide publica, ex vrbe in caſtra ipſum euocat: qui nihil ſuſpicans hoſtile, ad Regem accedit. Rex in locum ſolum, quaſi ſecretioris ſermonis cauſa cùm ſeduxiſſet: variis illi perſuadet modis, vt gladium de femore poneret, quaſi admirans artificium, & ſibi depoſcens donum. Beneda id ſine vlla ſuſpicione faciens, & iam inermis aſtans, compræhendi iubetur: Regis cubicularius, mandatum domini executurus, accurrit: cuius gladium, antequam manum inieciſſet, Beneda extrahit: ipſumque vna plaga obtruncat, Regi quoque ſibi aſtanti, vulnera tria infligit. Audito extra Regis tentorium tumultu, ſatellites aduolant: cubicularium cæſum Regem cruentatum vident: ſicam Benedæ frequentes extorquent: quem obrutum armis, & coniectum in vincula Rex altero ſtatim die capitis damnat. Corpus eius equo per caſtra trahitur, & ante ingreſſum baſilicæ Miſnenſis ſepelitur, V. Idus Iulij. Caſus Benedæ effecit, vt Rex nihil uſpiam tutum exiſtimans, loco ſibi caueret: & relicta Miſnia, in qua plures ſe habere ſuſpicabatur aduerſarios, domum reuerteretur.

1089. *Bohemi altera in Miſniam expeditio.* *Benedæ facinus, & mors.*

Marchiones Miſniæ. HenriciIV. Caeſ in Saxones expeditio. Interea fortuna rurſus Henrici Imperatoris fauit partibus: qui magno prælio victis ad Vurciburgum Saxonibus, & HERMANO Rege profligato, victrices in Saxoniam ducit copias. Rumore perlato de morte Hermani, & de clade Saxonum, nobiles & Principes viri cogitarunt, quibus modis honeſtè ſeſe dederent: ne tam præcipiti tempore, in vitæ fortunarumque periculum grauiſsimum inciderent. Fuerunt inter præcipuos HENRICVS Stadenſis Marchio, & ECBERTVS, antehac Imperatori infeſtiſsimi: qui ſupplices in gratiam recipiuntur, & conditiones accipiunt: ſed paulò pòſt ECBERTVS mutat ſententiam. Tanta erat apud omnes huius auctoritas, & animus pro populo Saxonico defendendo tam ſæpe ſpectatus: vt aliqui cenſerent ipſum eſſe Regem eligendum: quod cùm ſine armis fieri nõ poſſet: & euentus doceret, futurum infirmum atq; infelix conſilium, prudenter repudiatum eſt. *Conuentus Goſlarienſis.* Saxones enim malorũ magnitudine, & præliorũ frequentia debilitati, bellum iam oderant: & Goſlariæ conuentũ agentes, quid eſſet porrò agendũ, ad retinendam aliquã dignitatem, inter ſe deliberabant. Hartuigus Antiſtes Magdeburgius ſuadet; ne ſe in exitium extremum coniiciant: Deum Imperatori ſua præſentia adeſſe: & eius tueri dignitatem, probat exemplis & interitu eorum, qui aut eius locũ inuaſiſſent, vt Othonis, Rodolphi, Hermani: aut Ducum iſtorum cauſam defendiſſent: nam extinctam fortiſsimã nobilitatem, ciues præſtantiſsimos peremptos, plebẽ omnibus fortunis exhauſtã: reliquias non plane eſſe proiiciendas, ne nomen Saxonicũ interiret, & patria tandẽ hominibus externis traderetur: fruſtra repugnari nunc à fractis & imbecillis ei, cui incolumes & integri nihil detraxiſſent, & toties iã victori reſiſtere, amplius nõ valerent. Huic ſẽtẽtiæ contradicebãt Buccho Halberſtadius, Marchio Miſniæ Ecbertus, Comes Supplinburgi Lotharius, iis videlicet rationibus: quas homines ſuę ſententiæ tenaces, facile inueniunt, & præfractè defenſitant. Inter alias autẽ ſummi Pontificis auctoritas, & gentis libertas perſonabant, vt Eccleſiæ & patriæ amantes viderentur. Oriebatur tum ſeditio Goſlariæ, non incruenta: quam cùm reprimere conaretur Præſul, vir minimè timidus, ſagitta traiectus eſt, III. Idus Aprilis, vt annales Saxonum teſtantur: alij ſcribunt tumultu eſſe pulſum ex *Gleicha ab Henrico Imp. obſeſſa.* vrbe Halberſtadio, & poſtea occiſum. Reſtabat ex hoſtibus Imperatoris inter Saxones, propemodum vnus ECBERTVS: cuius potentiam vt euerteret, arcem eius Gleicham magno exercitu obſidet: & quia in caſtris pro ſua conſuetudine verſari Imperator vellet, vt interea in tuto vxor Adelheidis eſſet, quam anno ſuperiore duxerat, ad ſororem ſuam Adelheidim mittit Quedilnbur

dilnburgum; eamque ciuibus commendat. Obſidio cœpta eſt XIX. Cal. Septemb. vt Dodechinus annotauit, & durauit vſque ad VIII. Cal. Ian. Ecbertus vt Imperatorem ab incæpto reuocaret: ipſe rurſus Quedilnburgum obſidione cingit: nam non dubitabat, Imperatorem vxori atque ſorori, ne qua afficerentur iniuria, ſuppetias laturum. Mittitur ab Imperatore cum magna copiarum parte Antiſtes Magdeburgius, qui Ecberto reſiſteret: eumque ab obſidione repelleret. Antiſtes qui putabatur poſſe hoſtem opprimere, viribus nondum parem; cum eo colludit: & brumæ tempus ac viarum iniquitatem cauſatus, tardiùs ad eius caſtra progreditur: vt quaſi viam monſtraret, & occaſionem præberet viro non ſtupido, Imperatorem arte aliqua aggrediendi: qui eiuſmodi opportunitate vſus ſapientiſsimè, noctis tempore itinere peracto, cum ortu ipſius diei in caſtra Imperatoris irrumpit, eo die profeſto, quo Chriſti Dei natalis ſollenniter colitur. Pars exercitus, vt dixi, cum Antiſtite erat: pars ob diei celebritatem, miſsionem domum eundi impetrauerat. Ii, qui cum Imperatore adhuc erant, nihil minus quàm hoſtem eo tempore atque loco expectare: ideo pauci aut officium aut opus vſitatum faciebant: aut arma atque ſcuta præ manibus habebant. Caſtra cùm oppugnari cæpta eſſent, Imperator animos ſuis addit: hortaturque, vt audacter dimicent: ſibi fortunam in periculis maioribus præſto fuiſſe: & nunc vnico iſto hoſte ſuperato, nullum reſtare amplius, qui ſit pertimeſcendus. Durauit oppugnatio & inter ipſa caſtra prælium integro die: donec Imperator ſuis propulſatis atque cedentibus, noctis & tenebrarum beneficio euaderet. Cæſus eſt Burchardus Præſul Loſannenſis, qui haſtam Imperatori eo die prætulerat, vt ſcribunt omnes: cæſi etiam ſunt Seguinus Colonienſis, & Otho Ratisbonenſis Præſules, vt Sarctorius annotauit. Limarus Bremenſis, à Lothario Comite Ecberti ſocio captus eſt: qui pro ſe redimendo argenti duo pondo numerauit: & ius quod in vrbe Brema tenebat, reſignauit Lothario. Alij multi nobiles interfecti, caſtra Regis direpta, præda ingens parta eſt. Ecbertus ſucceſſu vſus hoſtes inſequitur: in fuga multos opprimit, aut viuos capit: Gleicha arce & oppido liberato, præmia militi diuidit. Puduit eos, qui ad Imperatorem paulò antè tranſierant: quòd diffiſi rebus ſuis & viribus, comparatam apud Saxones gloriam amiſiſſent: & laudem virtutis atque conſtantiæ vni reliquiſſent homini: cuius manu & conſilio videbantur poſſe reſtitui res Saxonicæ: de quibus tantopere omnes, fœminarum in morem, deſperauiſſent.

Marchionis Miſniæ. 1088.

Quedilnburgum ab Ecberto obſeſſum.

Prælium Henrici Cæſ. cum Ecberto; eiuſdemque clades.

Marchiones Miſniæ.

Hildeshemium ab Ecberto obſeſſum.

Curſum victoriæ vrgens Ecbertus oppidum Hildeshemium, quod à Præſule defecerat, obſidere pergit: miſſa parte exercitus, ipſe cum paucis equitibus ſequitur. Propoſita præmia ducibus & aliis ſunt, qui contra Ecbertum aliquid poſſent conſilio aut armis: quibus illorum temporum nemo ipſi par erat: & niſi fraude captus atq; conſumptus eſſet, potuiſſet rebus Saxonum conſulere.

Ecberti interitus.

1090.

Iter aliquando faciens, æſtu circa meridiem intento, in quoddam molendinum, non procul à pago Eiſenbergo diuertit, quietis gratia: loci dominum ad potum afferendum in villam viciná ablegat. Is in itinere in equites Imperatoris incidens, de ſuo hoſpite, & eius comitatu, quàm firmus ſit, & quàm hoc tempore ſecurus edocet: & quò ſit miſſus & qua de cauſa, exponit: & ad illum capiendum vel necandum, ſi præmium dignum ea præda numeretur, ducem ſe itineris offert. Imperatorij tali nuncio accepto hilares, & optatam gloriæ occaſionem nacti, ad molendinum aduolant: alij ne quis euaderet, aditus obſeruant: alij in incautos impetum faciunt: alij ædificium ipſum terroris gratia incendunt. In hoc tumultu Ecbertum fortiſsimè pugnantem, nonnulli occiſum tradunt: alij noctu oppreſſum, & vnà cum ædificio crematum ſcribunt.

Pax Henrici IV. Cæſ. cum Saxonibus.

Sublatis breui tempore motuum auctoribus Antiſtite Buccone, & Marchione Ecberto: qui veluti claſsicum aliis ceciniſſe videbantur, & nullum certè vnquam periculum Saxonum cauſa detrectarant: gentis Saxonicæ ſtudia atq; animi rurſus ad pacē inclinare viſi ſunt: quam Imperator eò illis libentiùs conceſsit: quòd non ſine clade cum ipſis hactenus pugnaſſet, & quòd moleſtiis atque ætate confectus, etiam ipſe otium & tranquillitatem optaret.

1090.

Mors procerum quorundam.

Interitus Ecberti incidit in annum Chriſti ſupra milleſimū, nonageſimum: quo tempore eodem HVGO Comes Egeshemius, ratione ſimili à miniſtro proprio circumuentus interiit: & Rodolphi Regis gener, Dux Zaringiæ BERTHOLDVS fatis conceſsit: & CONRADVS Præſul Traiectinus in templo, à mercatore Phryſio interfectus eſt: & alij Præſules obierunt multi; Gebhardus Salceburgius, Almanus Patauienſis, Adalberus Vurciburgius, Albertus Vuormacienſis, Hermanus Colonienſis, Hermanus Metenſis: quorum mors ſubita. Imperatori odium & maleuolentiam parauit: quia eius aduerſarij plerique fuerant: vulgo quoq: ſuſpicionem attulit, eam violentam potius, quàm naturalem fuiſſe.

Ecberti ditio in Miſnia, THIMONI Lansbergio Marchi-

oni,

oni, Diterici filio, Dedonis nepoti, tradita eſt: cuius poſteritas hoc ipſo nunc tempore rerum potitur feliciter: vt lib. V. docebitur. *Duces Sueuiæ.*

DVCES SVEVIÆ E GENTE SAXONICA.

LODOLPHVS.

LODOLPHVS Othonis Magni, Imp. I. ex Editha Angla primogenitus, IDAM Hermani Ducis Sueuiæ vnicã filiã, duxit vxorem: expetente eam affinitatem Duce Hermano, puellæ patre; cùm propter adoleſcentis præſtantiam & virtutem, tùm propter publicam concordiam: quia Imperatoris ſemper obſeruantiſsimus fuerat. Genuit ex ea filiam MATHILDIM, anno ſupra noningenteſimum quadrageſimo nono, vt teſtatur Hermanus Contractus: & filium OTHONEM quinquageſimo quarto, vt auctor ſupplementi Reginonis. Huic annales Saxonici adiiciunt BRVNONEM Præſulem Verdenſem. Ludos equeſtres Troiaminis in Heluetijs, vrbe Tiguri, quæ tum præfectura Sueuiæ erat, celebrauit. Abbatem ſancti Galli Crabonem, ſede ſua pepulit; & illi Annonem ſucceſſorem dedit, anno ſupra noningenteſimum quinquageſimo ſecundo. 949. 954. 952.

Imperator Otho, vxore EDITHA defuncta, cùm animi cauſa ad deſiderium leniendum venationibus ſe oblectaret, neſcio quo caſu lethaliter vulneratur: nam Ditmarus, qui id ſcribit, an a fera ſit vulnus acceptum, an imprudentia inflictum, non exprimit: ideo LODOLPHO filio ad ſe accerſito, ſibi eum dignitatis atque nominis conſortem, amicis, quos tum ſecum habebat, aſſentientibus, aſſumit: neque aliter cuiquam perſuaſum erat, quàm eum aliquando futurum in imperio ſucceſſorem. Nam & omni virtute floruit: & nobilitatem moribus tantopere ornauit, vt cunctis placeret principibus, teſte Ditmaro: iudicatum quoque eſt tanti patris tantique filij gubernatione fortunatum eſſe imperium. Ipſe à patre in Italiam miſſus, vt Beringarij tyrannidem coërceret, viri prudentiſsimi ac fortiſsimi functus officio eſt: Inſubriam, Thuſciam, Vmbriam, quarum regionum magna erat coniunctio, & præcipuum erga Beringarium ſtudium, armis peragrauit; & ad imperium adiunxit. *Lodolphus ab Othone M. Imp. in regni conſortium aſciscitur.*

Initia habuit optata & feliciſsima, ſubiugatis paſsim caſtellis & ciuitatibus: ſed vel propter iniquorum inuidiam, vel propter aliquam aſperitatem morum, exiguo tempore gratia illa omni *Lodolphus gratia excidit.*

Dux Sueuiæ. excidit, non ſolùm Principum & optimatium, verùm etiam plebis & militis ſui. Qui de inuidia loquuntur, eius cauſam referunt in HENRICVM, Lodolphi patruum: quòd is apud Italiæ nobilitatem eum calumniaretur & traduceret, modò per literas acerbas; modò per amicos ſuos, qui præfecturas Italicas, Imperatoris nomine adminiſtrabant. Qui verò aſperitatem accuſant, dicunt eum fuiſſe nimis rigidum, non tantùm erga victos, quorum nulli ignoſcebat: ſed etiam aduerſus eos, quorum opera vtebatur, quos neque artibus neque indulgentia, neque munuſculis nouerat allicere: ſed ſummo erga illos iure vtebatur: ideo in tantum contemptum venit: vt ad quoſcunque populos acceſsiſſet, eius miniſtris plus beneuolentiæ & honoris, ne id odio Imperatoris videretur fieri, quàm ipſi Principi exhiberetur: ſæpe etiam milites eius in vrbes & oppida admitterentur, ipſi tantùm in ſuburbiis aut villis dato hoſpitio: commeatu quoque interdum deſtitutus erat, vbi abundarent cæteri.

Othonis M. in Italiam expeditio. In tali deſpectu & contemptione eius, BERINGARIVS & vires & animos recolligebat: nec finita res eſſet bono exitu, niſi Imperator de rebus his omnibus factus certior, ipſe in Italiam maturè aduenisſet. Beringarij igitur factionem præſens reprimit, tam virtute quàm beneficentia, & Reginam ALHEIDIM è cuſtodia liberat: eaque in thalamum ſuum deducta, regnum pariter Italiæ ſibi vendicat.

Lodolphus ſeditionem concitat. Lodolphus eas nuptias ita animo ægro tulit, vt ex Italia iratus ſtatim decederet: nam & à patre reprehenſus propter duriciem; & ſuſpicatus eum à ſe alienum, propter nouam cum Italis coniunctionem, ſeditionem nocentiſsimam ſuſcitat. Salueldiæ in Turingia Chriſti natalem celebrat: & ſpecie religionis bellum tacitè mouet. Aſſcitis enim aliquot Principibus, quibus putabat ſe probare poſſe, quæ intenderet, cum iis tractat atq; deliberat, quæ ſuæ putabat cauſæ conducere. In patrem acerbè loquitur, qui ſibi fidem non ſeruet: qui ne minimam quidem pro labore & bellis Italicis ſuſcepto, gratiam referat: qui nouis nuptijs ſpem Imperij eripiat: qui aures & animum malis conſultoribus præbeat: ſe decreuiſſe, talibus conatibus occurrere: non quidem patrem impugnaturus, ſed vlturus eos, qui voluntatem paternam à ſe abalienent, & ſibi immerenti faciant iniuriam; fortaſſe patrem tandem cogniturum, plus ſibi auxilij in filio eſſe, quàm in amicis perfidis. Perſuadet hac oratione, nõ eos tantùm, qui res nouas ſponte quærebant: ſed & affinem ſuum CONRADVM Francum, quo non alius tum erat aut animo aut conſilio

m aior

maior, & antehac Imperatori fidelior, in ſuam ſententiam flectit, nam & ipſe nuper propter Beringarium factus iratior Imperatori erat. Erant alij quidam ſocij propter auctoritatem amborum ducum, nempe Comites, Hugo, Ecbertus, Vuigmanus: quorum alibi facta mentio eſt, libro ſuperiore.

Duces Sueuiæ.

Initur deinceps conſilium, qua aſtutia quove prætextu negotium aggrediendum ſit: apertè agere, nimis erat periculoſum: bellum excitare videbatur impoſsibile, tali tempore. Tandem eiuſmodi coniuratio fit: vt Lodolpho acquiratur Imperium, quod ei videlicet debeatur, & ratione ortus, vt filio primogenito: & patris pollicitatione, vt paulò antè deſignato. Quem quiſque locum obtinere apud eum velit, minimè cælant: & in eam ſententiam eunt vniuerſi, vt Imperatorem tanquam hoſtem publicum de vita tollant: locum tempuſque conſtituunt & per quos cædẽ nefariam committant, furtim conſultant. Ad parricidium legunt diem, qui memoriæ natalis Chriſti celebris eſt; & templum, quo Imperator ſacris intereſſe ſoleat, homines tanto magis impij, quòd prætextu honoris, & ſpecie religionis ſceleratiſsima agerent: tantò magis perditi, quòd Deum non cernere flagitia atque in ea animaduertere putarent. Imperator delatis ad ſe inſidiis, earumque auctoribus, eſſe calumniam ratus eſt: eos autem cùm ſibi frequentius adeſſe, quàm erant conſueti, diebus illis cerneret; crebra mutatione locorum fallendos atq; eludendos cenſuit. Interea cuſtodes ſibi apponere, excubias agere, in eodem conclaui non pernoctare: publicè autem nihil omittere in templo, quod facere ſolebat; donec eò rem deduxiſſet, vt coniuratorum nomina & conſilia iam omnia fuiſſet expiſcatus. Cùm fallere iam amplius non poſſent, & ſe proditos intelligerent, ad arma concurrunt: & intra mœnia Moguntiæ ſua contrahentes auxilia, ſeſe defendunt: quam Imperator non ſine clade ſuorum militum oppugnauit duobus ferè menſibus. LODOLPHVS diffidens ſuis viribus, militi veniã à patre petit, ſed non impetrat: quia & ſibi, & ſociis pariter omnibus ignoſci volebat: quæ quidem non ſupplicis, ſed imperantis poſtulatio viſa eſt: percuſſus etiam patrui HENRICI acerbo conuicio, in vrbem penè furioſus redit, extrema demum tentaturus. Caſus deinceps mirificus ad ſpem illum ampliſsimam erexit: nam milites patrui, propter pacem impeditam, ſtatim vniuerſi ad Lodolphum tranſeunt: qui felicitate inſolita & inſperata elatus, relicta Moguntia, bellũ transfert cum ſummo Reip. periculo, in Bauariam. à ciuibus Ratisbonenſibus intra mœnia admiſſus, de raptis patrui fortunis, ſtipendia

Coniuratio aduerſus Othonem M. Imp.

Bellum Lodolphi & coniuratorum aduerſus Othonem Imp. parricidiale.

Duces Sueuiæ.

militi ſoluit: & vxorem eius cum liberis è ditione confeſtim expellit: Vngaros præterea promiſſionibus euocat, ad bellum maximum faciendum. In re tam atroci, ſuæ virtutis non oblitus Imperator; relinquit, qui obſideant Moguntiam: ipſe feſtinanter hoſtem inſequitur, non relicturus ei ſpacium aut locum ſui confirmandi, aut fidis ciuibus nocendi. Bauari ab Arnolphi filiis ad veterem libertatem erecti, ſeſe Imperatori atrociter opponunt: quibus cùm parceret, & eos tamen dicto audientes non haberet, viam ſibi flammis & armis aperit. Vngari inſultabant tam amicis, quàm hoſtibus: cumque propter duos ingentes exercitus patris & filij in Bauaria, parum ſibi prædæ relinqui viderent: hortantibus ad id, qui Lodolpho pugnabant, ducibus, in Franciam irrumpunt: quam veluti calamitas quædam tempeſtuoſa omnem penè proterunt atque euertunt: etenim in ſumma ſecuritate hoſtem nemo metuebat, & in hoſtium pernici celeritate, manus ipſorum, vix extremis in finibus habitantes, euadebant. Tandem defatigati Ratisbonenſes, quorum vrbs validis copiis obſidebatur, inducias certorum menſium impetrant. CONRADVS gener Imperatoris, propter ſuum delictum ſupplex, in gratiam recipitur: vita ei donatur: fortunæ, quibus ſoceri beneficio auctus erat, eripiuntur. Negata ſibi venia, LODOLPHVS depugnare cupit: ſed belli ſociis præcipuis amiſſis, & plebe famelica intra mœnia vrbis ipſum vrgente, pacem iterum atque iterum petit: ſed à patre nimis offenſo, ſupplex bis repudiatur. Tot repulſis attonitus, amicos paternos ſollicitat, & in primis fratrem, nuper admodum creatum Antiſtitem Moguntinum.

Lodolphus patri reconciliatur.

Ipſe igitur & Hardbertus Præſul Curienſis Imperatorem appellantes, patri filium reconciliant; fide interpoſita, ipſum fore patris poſthac obſeruantem perpetuò. Lodolpho tamen propter temeritatem Sueuiæ adimitur ducatus, quem dotis nomine acceperat, & alij traditur, vt ſuprà copioſius eſt expoſitum.

Lodolphi in Italiam expeditio.

Dato iureiurando, mittitur cum exercitu in Italiam, ne planè omni honore priuatus videretur: adduntur promiſſa, ſi hoſtibus victis redeat, patêre illi ad nouas dignitates aditum. Quamobrem cùm & priſtinam infamiam, & recens facinus malum, abolere iuſticia & virtute niteretur: Beringarij filio acriter reſtitit, & multas ſibi apud Italos amicitias conciliat: nec fortuna in bello, nec gratia apud alios deſtitutus eſt: & dum Vngaris in Germania ſummis viribus reſiſteret Imperator; ipſe Italiæ fines ab hoſtibus externis eximia prudentia defendit. Vires ALBERTI,

qui

qui regium nomen gerebat, ita debilitauit, vt poſtea vinceretur ſine negotio. Duces Sueuiæ.

Obit Papiæ poſt alterum annum, quàm in Italiam venerat, VIII. Idus Sept. anno ſupra noningenteſimum quinquageſimo ſeptimo: inde transportatus Imperatoris iuſſu, Moguntiæ conditur in æde diui Albani: cuius exequias honorificè egit frater Antiſtes. Huius mortem immaturam, propter memoriam excelſæ virtutis, deplorat Lutprandus, cum exclamatione & voto; Aut nunquam naſci illum debuiſſe, aut tam maturè non extingui. Lodolphi mors. 957.

VILHELMVS ANTISTES.

VILHELMVS Antiſtes, Lodolphi ex alia matre frater, Othonis Magni filius, è nobili concubina Slauica genitus, teſte Vuitechindo & Ditmaro. Annales Moguntini & Magdeburgij, & chronographi Italici, Edithæ filium fuiſſe perhibent. In adoleſcentia bonas literas, & ritus eccleſiaſticos didicit, datusq; ſucceſſor eſt Friderico Antiſtiti Moguntino. Hunc propter leuitatem cognomento Perfidum, annales Saxonum: propter naturæ conſuetudinem, Abſtemiũ, Ditmarus nominat. Erat tum vrbs Moguntina, & tota illa diœceſis, variis bellorũ caſibus miſerabiliter exhauſta: quia Antiſtes perpetuò contra Imperatorem ſteterat: & ære alieno multo grauarat collegium: & cœnobiorum reditus valde diminuerat: imò cœnobia eſſe ſublata, propter inſignẽ auaritiam cupiebat. VILHELMVS tam profuſo & turbulento homini ſuccedens, nihil prius habuit; quàm vt ſua potentia ita vteretur, vt commodis & vtilitatibus vniuerſorum proſpiceret. Electus eſt XVI. Calend. Ian. vt ſcribit Marianus, anno ſupra noningenteſimum quinquageſimo quarto, in oppido Turingiæ Arenſtadio: inde Moguntiam IX. Cal. Ian. cum frequenti Saxonicæ, Turingicæ & Francicæ nobilitatis comitatu venit. In vrbem cùm vocati eſſent, quicunque parerent Antiſtiti: primùm ignoſcit omnibus: qui vel neceſsitate vel imprudentia ſecuti Antiſtitem, contra Imp. arma iniuſta tuliſſent: iis deinde, qui metu aberant, ad ſuos fundos & poſſeſsiones redeundi, liberam facit poteſtatem. Collegio cui diſplicebat, propter neſcio quas ſuſpiciones, obiecit Hattonem Antiſtitem: qui auum ſuum, Ducem optimum, tollere de vita per fraudem voluerit: & Fridericum nupèr mortuum, qui patrem ſuum, bene de ipſo meritum inſidiis, perfidia, transfugio læſerit. Inuehitur deinceps in eos, qui tam temerarios & facinoroſos antiſtites (ſi ſicarij & perduelles, antiſtites nominandi ſint) iuuerint conſilio, opibus, 954.

opera,

Ducei Sueuiæ. opera, ſententia: proponit tamen omnibus ſpem lenitatis & gratiæ, ſi officio ſuo ita functi fuerint in poſterum, vt viros eccleſiaſticos & moderatos deceat. Abbatibus & religioſis promittit, ſe curaturum, vt ſi quid damni detrimétiue acceperint, id ipſis tempore ſarciatur: ſiue ad ædificia quid, ſiue ad prouẽtus annuos pertineat. Hæc cùm in concione dixiſſet, vultu grauitatis & honeſtatis pleno, dici vix poteſt, quanta lætitia & gratulatio ſit conſecuta: nam quem metuerant propter potentiam; quemue ſuſpectum habuerant propter florentem adhuc ætatem: eum iam amabant propter prudentiam & manſuetudinem: nec ille ſolùm verbis eos lactauit, quod plerunq. ſolet à nouo magiſtratu fieri: verùm etiam plura expectatione ipſis præſtitit beneficia.

Imperator eius rogatu atque inſtinctu veteres immunitates, quas à Francorum olim Regibus acceperant, collegiis tam Sacerdotum, quàm religioſorũ, ſua auctoritate ſtabiliuit: quædã præterea noua iura liberaliter addidit. Poſtea verò quàm Burchardus Dux Turingorum, ab Vngaris in acie cæſus eſſet, Moguntinæ diœceſi magnam eius prouinciæ partem ſubiicit: quam vt in poteſtate Antiſtes retineret faciliùs; tres præfecturas conſtituit, Erfurdianam, Deberſtetenſem, & Schilderodiam: in quas mittit viros prudentes & fortes: qui & ius dicant ſuis quisque temporibus: & arceant imminentia pericula, ſi qua vis celeriter ingruat.

Eodem tempore Meingothus Abbas Hirſueldius, Vuachſenburgum ædificat: qui etiam (vt annales Erfurdiani teſtantur) Gotham vrbem condidit: quã poſtea Suarceburgij & Arnshaugij Comites, demũ Turingiæ Landgrauij poſſederunt. Gotha condita. Vilhelmus cum patre Imperatore Romã bis adiit: primò cum imperij acciperet inſignia: iterũ cum ſuo filio eadem curaret tribuẽda. Synodis duabus Romanæ & Veronenſi in Italia interfuit: in quibus de Italia defendenda, & pace ſalutari ſtabilienda actum eſt: cura præterea Saxoniæ tuendæ ipſi eſt impoſita. Sedem tenuit annos quatuordecim. Obiit anno Chriſti ſupra noningenteſimũ ſexageſimo octauo VI. Non. Martij: ſepelitur in baſilica diui Albani,
968. in colle extra Moguntiæ mœnia. Eius mortem Mathildis Imperatrix dicitur præuidiſſe; quæ die poſt ipſum duodecimo, nempe pridie Id. eiuſdem menſis obiit.

LODOLPHVS PRÆSVL.

LODOLPHVS, primus Lodolphi filius, Præſul Oſnabrugenſis, ſucceſsit Drogoni: vir ſingulari grauitate & beneficentia fuit, qui eccleſiæ ſuæ reditus auxit; nam Othoni II. Imp. patruo ſuo per-

ſuo perſuadet, vt triũ villarum prouetus ei concederet, quos Crãcius nominat in Metropoli: vbi etiam ait ab Othone II. appellatum hunc Lodolphum, ſuum conſanguineum; ſed originem & cauſam indicare non potuit, quæ nunc appâret. Mater Lodolphi fuit IDA Hermani Sueuiæ Ducis filia: auia Editha Regis Angliæ filia, Othonis I. Imp. vxor.

Duces Sueuiæ.

BRVNO PRÆSVL.

BRVNO Lodolphi ſecundus filius, Præſul Verdenſis: ſucceſsit Amelungo, Hermani primi Ducis Luneburgij fratri germano. Cœnobium prope Vlſenum, non procul à Luneburgo condidit, & Alſtadium nominauit. Hunc Brunonem alibi Verdenſem, alibi Eiſtetenſem Præſulem nominat Lazius: aitq: factum Pontificem Romanum: quam ſententiam Bruſchius etiam defendit: ſed Brunonem Præſulem Verdenſem, & Brunonem Romanum Pontificem diuerſos fuiſſe, ipſis temporibus facile probaueris.

OTHO.

OTHO Lodolphi filius tertius, Othonis Magni Imperatoris nepos, Princeps animi maximi, & fortunatiſsimus. Vxorem duxit HIMELTRVDIM Siffridi Ducis Lotharingiæ filiam vnicam: ex ea genuit BRVNONEM I. Pontificem Romanũ, ECHARDVM Marchionẽ Saxoniæ, GVNCELINVM Marchionẽ Miſniæ, BRVNONEM II. CVNONEM Ducem Carinthiæ.

OTHO & patris ſui ducatu Sueuico & patrui magni Bauarico & Carinthio potitus eſt: & vxoris nomine hæres Lotharingici fuit. Ducatum Sueuiæ, patrui ſui Othonis II. Imperatoris beneficio accepit, vt Comes Veringenſis, anno noningenteſimo vigeſimo quarto, poſt obitum ſcilicet Ducis Burchardi, qui honoris loco eundem acceperat, propter Lodolphi rebellionem, vt iam aliquoties dictũ eſt. 924. Quamuis autem BVRCHARDVS vxores duas habuerit: primam LVTGARDIM, Hugualdi Comitis Kiburgij & Dillingenſis filiam, Ducis Vlrici Auguſtani Præſulis ſororem: alteram HEDVIGIM Henrici Ducis Bauariæ, fratris Othonis I. Imperatoris: è neutra tamen prolem ſuſtulit.

Otho quando & vnde potitus ducatu Sueuico, Bauarico, & Carinthio.

Ducatum Bauariæ & Carinthiæ ſimul accepit, anno vt Lambertus ſupra noningenteſimo ſeptuageſimo ſexto, Othonis II. 976. munere; cùm inde expuliſſet Henricum cognomento Rebellẽ, patruum ſuum: verùm cùm hic rediiſſet ad officium, & veniam conſecutus eſſet, rurſus ei de prouincia Bauariæ ceſsit; ſed Carinthiam retinuit.

In Bauaria inſtaurauit cœnobium Tegernſchenſe, quod Vngari vaſta-

vaſtauerant, item Altenſehenſe: illi cœnobio dedit Abbatem Harduicum: hoc autem conſilio Gothardi in meliorem formam reduxit. Hic GOTHARDVS factus poſtea præſul Hildeshemius (Himenſis ſcribit Natalis Venetus, cum Hildeshemenſis legiſſet) in numerum diuorum relatus eſt.

Otho Dux Imperatoris fuit obſeruantiſsimus: nec ei vnquã contradixit, niſi in comitiis Magdeburgiis, cùm Imperator Geronem Comitem poſt duellum capitis damnaſſet: quam eius ſententiam, tanquam rigidam nimis non probauit; & inuectus in eos eſt, qui auctores fuiſſent Imperatori, vt tali atrocitate vteretur in mortuum. Imperatorem in Italiam ſecutus, cùm Saraceni eam vaſtarent, ordines præcipuos duxit: & vrbem Tarentum ſuo milite expugnauit & cepit. Prælio deinde illi infeliciſsimo interfuit, quo Chriſtiani à barbaris victi ſunt. Othonem in Calabria interfectum, non rectè ſcribit Lambertus: nam eum in fuga ſeruatum tradit Ditmarus, & rediiſſe in Germaniam, in Originibus
982. eſt perſcriptum. Obiit anno ſupra noningenteſimum, octuageſimo ſecundo.

BRVNO PONT. MAX.

BRVNO Othonis nominati Sueuiæ Ducis primus filius, Othonis Magni Imperatoris pronepos, in cœnobio Corbeienſe, vt Ditmarus teſtatur, literis & religione inſtituitur. Defuncto Iohanne XVI. Pontifice Romano, ipſe Pontifex eligitur, & Gregorius Quintus nominatur: quod factum eſt anno
995. Chriſti ſupra noningenteſimum nonageſimo quinto. Marianus Scotus & Martinus Polonus aliter numerant. Cùm autem CRESCENTIVS conſul Romanus & prætores, à quibus tunc vrbs regebatur, pro libitu omnia agerent: & in ſummos Pontifices, qui ipſis non placerent, aut improbitate illis ſimiles non eſſent, ſceleratè ſæuirent: & modò vinculis, modò exilio, quoſcunque vellent, plecterent: Imperator OTHO III. indignum eccleſia id eſſe dicens, & ampliùs non ferendum ratus, hunc patrui ſui nepotem, clarum præſtantemque eruditione & integritate virum, conſenſu antiſtitum & præſulum, pontificem legit: à quo etiam inſignia & coronam Imperij accepit. Eo tempore Eccleſiæ Romanæ patronus eſſe cœpit Imperator: vt ſine eius voluntate atque approbatione creare Pontificem non liceret.

Creſcentij audacia. Creſcentius vrbis conſul, cui audacia par nemo erat, vt Italorum (ſicuti ipſe dicebat) dignitatem vendicaret: & ſibi potentiam

tentiam in vrbe, regiæ non imparem, acquireret: tumultum excitat: Gregorium Pontificem Roma cedere cogit: & Græco cuidam homini tum præſuli Placentino, pontificatum graui auri pondere vendit: cuius pecunia inſtructus, præſidium Imperatoris eiicit: & dominatum vrbis cum factione temulenta & inſana inuadit: molem Hadriani iuxta Tibrim muniens, arcem Creſcentij de ſe nominat. *Ducus Sueuiæ.*

Gregorius exul, primùm profugit in Hetruriam: ſed tota Italia concitata, cùm tutum fore ſe nullibi animaduerteret, & inſidias timeret: celeriter in Germaniam properat. *Pontificis fuga.*

Commotus tali iniuria Imperator, negotio cum Principibus deliberato, communi omnium indignatione & rogatu exercitum conſcribit: & ſelectas ducit in Italiam ad reſtituendũ Pontificem copias: eaſdem Italis ad ſe confluentibus in itinere paſsim auget. Cùm eſſet per prouincias Italicas ſuſceptus honorificè, & neminem cœpto ſuo inueniſſet obſtantem: Romæ à ciuibus trepidatum eſt: qui cognito eius ad vrbem aduentu, conſulem & Pontificem deſerunt: & ipſum ad liberandam Eccleſiam, & libertatem ſuam per legatos inuitant. Creſcentius & Ioannes XVII. in arcem confugiunt. Itaque poſt exilij menſem vndecimum GREGORIVS in ſellam Pontificialem, è qua eiectus erat, reſtituitur. Obſeſſa arce, cùm Creſcentius annonæ aliarumque rerum inopia premeretur, deditionem offert. Ex arce egreſſus à multitudine lapidibus petitur: deinde vulneribus plurimis, cadauere confecto, à plebe illuditur: Placentino falſo Pontifici primùm oculi effoſsi, poſtea vita quoque truncatis manibus pedibusq; adempta eſt. Tradunt nonnulli Creſcentium per vias tractum, & ad valuas arcis ſuſpenſum fuiſſe: Siffridus Miſnenſis & Theodericus Niemus addunt; & Creſcentium & Pontificem de rupe Tarpeia præcipitatum: alij Pontificem iumento impoſitum ludibrij cauſa vectum per vrbem, & loris flagelliſque cæſum, idque plebis inſania, non iuſſu Imperatoris. Scriptores Italici Creſcentium & Placentinum meritas fuiſſe auaritiæ & ambitionis pœnas plærique tradunt. Sublatis ſeditionis auctoribus, plebi Romanæ ignoſcitur, & pax omnibus exoptata datur. *Othonis III. in Italiam expeditio.* *Creſcentij ſupplicium.*

Vſus illius Pontificis, agnati ſui conſilio Imperator, Sexuiros creat: qui Regem Romanorum & Imperatorem ſuis nominent ſuffragiis, qui olim Commiſſari: & Officiales: nunc Electores imperij Principes appellantur. Id fecit, vt Eccleſiæ quieti & dignitati conſuleret: & ambitioſis tumultuandi, auaris ſum- *Electorum conſtitutio.*

Ducis Suniæ. mam dignitatem licitandi, quaſi anſam præcideret & auferret. Nam ſi vrbis Romanæ ſtatum conſideres, & bella propter imperium reputes: nihil vnquam prudentius aut vtilius excogitatum, quàm illius ſenatus ampliſsimi conſtitutio: de qua ſuprà in Othone III. dictum.

Gregorij V. mors. Sedit Gregorius annos duos, menſes nouem, vt Hermanus Veringenſis; menſes ſex, vt Martinus Polonus; menſes quinque, vt Platina. Mortuum veneno perhibent, VI. Cal. Iunij, & de more in templo diui Petri ſepultum, anno ſupra noningenteſimum
998. nonageſimo octauo.

ECHARDVS I.

ECHARDVS Othonis ſecundus filius, Saxoniæ Marchio, nulli temporum ſuorum Principi re vlla inferior: regnandi cupiditate elatus, ipſe ſibi cauſa ruinæ & exitij extitit. Hunc plerique ſcriptores, ſimilitudine nominum decepti, Ecbertum nominat: ſed arx in Turingiæ finibus ab eo ædificata, nomen Echardi in hunc vſque diem retinet. Hunc cognomento Rebellem aliquĩ appellant. Vxor eius SVANHILDIS, Hermani Ducis Luneburgij filia, Ditmari Marchionis Luſatiæ vidua: matrona nobilis & excellens. Ex ea genuit HERMANVM, ECHARDVM II. GVNTHERVM: quos omnes ponit Ditmarus, & in initio Annalium Lauterbergiorum iisdem nominibus leguntur. Male igitur annales Brunſuigij, & eos ſecutus in ſua Saxonia Crancius, mortuum ſine hærede dicunt, & eum prole tam generoſa faciũt orbatum. nam præter hos, & filias duas genuit, MATHILDIM nuptam Ditetico Marchioni Lansbergio & Vuitino, Thymonis primi Marchionis Miſnenſis matrem; & LVDGARDIM, quam Comes Turingiæ Beringerus vi rapuit, & ſuo dedecore reſtituit: vt libro ſuperiore in Othone III. Imp. eſt prolixè expoſitum.

Cùm eodem Imp. in Italiam profectus eſt, turbante ſtatum publicum Creſcentio, & eius filio Iohanne: ſimulque & Apuliam, & deinceps Poloniam, religioſis itineribus adiit: carus Imperatori atq; acceptus propter fidem & fortitudinem. Ducem Boemiæ Bolislaum, à barbæ cognomento, dictum Rufum, ſibi & blanditiis & officiis conciliat, & minis in amicitia retinet: cuius auxiliis Milcienos Transalbinos, gentem Slauicam domat, & libertate exuit. Multorum meritorum gratia, & gloria nominis atq; factorum Gunthero Comite Turingorum defuncto, eam prouinciam Imperatoris auctoritate, & eius populi propenſa voluntate conſequitur. Guntheri igitur ſucceſſor, non filius, vt in

Ditmaro legitur fuit: neq; hæreditate, ſed fortuna, ei Turingia eſt oblata: quæ tum Imperatorum erat propria, licet eius parte Antiſtites Moguntini gubernarent. Hic arcem Echardbergam, ad tuendos fines prouinciæ extruxit, & Fidi cognomē in ea gente habuit: quod adhuc in ſermone & memoria vulgi manet. Eſiconi Mersburgio propinquus quidem erat: ſed eius tamen ditionem non obtinuit: quæ tum Mersburgo, Alſteta, Dornburgo, eorumque viculis & agris continebatur: cui autem tradita ſit etiam eſt dictū ſuperiùs. Non contentus autem felicitate præſenti, omnia ſumma expetebat: & ſublato de viuis Imperatore, ad regnum ipſum aſpirabat: cui animos tantos faciebat vt gratia apud homines, & inſignis nobilitas: patrem enim Principem potentiſsimū, & fratrem Romanum Pontificem habuerat, & ex familia Imperatoria erat procreatus. Morte Othonis III. nunciata, in Fraſa vrbe regia, cuius præfectus tum Guncelinus frater eius erat, & eius partem Imperatoris beneficio poſſidebat, Saxones conuenerunt: Antiſtites primùm, Dago Magdeburgius & Vnuanus Hamburgius, qui alios diœceſibus ſuis ſubiectos euocauerāt: tum etiā Bernardus Dux Luneburgius, & Lotharius eius frater: item Echardus Marchio, de quo nunc loquimur: & Gero, qui vnà cum Echardo Marchio Miſniæ appellatur à Ditmaro: ſed Gero partem Tranſalbinam, Echardus Ciſalbinā, hoc eſt, Miſnenſem tenebat. Cum de ſtatu publico conſultaretur: Echardi cupiditatem primus quaſi ſubodoratur Lotharius; qui eam, ſeuocatis aliquot à vulgo Principibus, tacitè ſignificauit: hoc ſimul conſilij imperticns, vt iureiurando ſe obſtringerent, neminē vel tacito conſenſu, vel conſilio publico electuros; antequàm Vuerlæ, quā in vrbem reliqui Principes erant vocati, de communi re deliberaſſent. Placuit ſententia, & in eam iuerunt omnes, collaudata Lotharij cura atque prudentia. Echardus præ ambitione, animi impotens, cùm ſuam differri cauſam, quā ſe obtenturum ante comitia frequētia ſperauerat, animaduertiſſet; cum Lothario acerbè expoſtulat, quod in regno acquirendo prę aliis ſolus ſibi impedimento eſſet: cui vrbanè Lotharius. An neſcis Echarde, rotis quatuor currui eſſe opus? quarū tibi tres adhuc deſunt? quod dictum Echardus ita tulit inſolenter, vt Lothario mortem minitaretur. Opinio fuit, niſi ei obſtetiſset tum Lotharius, ſuffragia ipſum fuiſſe laturum vel omnium, vel plurimorum: nam Ditmarus ſcribit, vnius noctis interiectionem, fieri anni vnius dilationem. Conuentu per hanc altercationem ſoluto, ſe Vuerlam adituros compromittunt.

Duces Sueuiæ.

Echardi ambitio. 1001.

Echardi vindicta & odium erga preteres.

Echardus contumeliæ inſolens, & ſpe ſua fruſtratus, de Lo-

Duces Sueuiæ.

thario vindicando dies noctesque cogitat. Interea Bennonē Borthæ filium Huſuardi Canonini Magdeburgij, fratrem captum, oculis priuat: vel quòd Lotharij familiaris eſſet; vel quòd ab eo alia de cauſa iniuriam accepiſſet: nam pœnæ cauſam Ditmarus nullā exprimit. Oderat Echardus omnes, quos aut potentiores ſe cerneret, aut ſibi nocere poſſe exiſtimaret: in his etiā ipſum Antiſtitē Magdeburgiū, ſuum neceſſarium, virū (vt Crancius teſtatur) ſine controuerſia optimum. Is ſubditos quoſdam Echardi, in furto depræhenſos, in oppido Goreſino, ſuſpendi mandauerat: neq; prius ad ipſorum dominum cauſam detulerat, quod facere par fuiſſet. Echardus ſui contemptū vindicans, Antiſtitem non præmonitum iniquitate ſimili impugnat: miſſoq; Ramboldo tribuno ſuo, Goreſinum repente circumdat: factaq; improuiſis omnibus irruptione, ciues bonis exuit, vinctos abducit, nec ſine grandi precio redimendum quènquā dimittit. Hæc interregni tempore quaſi impunè fiebant: cumq; ſuum quiſq; ius violentia, non legibus exequeretur, factum eſt, vt extra ordinem rectum nimis vagaretur licentia. Saxones Vuerlam ad tempus præfinitum frequētes cōuenerant; de cōmuni ſententia acturi, ad cuius partes ſe adiungerent, cùm iam pleriq; Antiſtites, Henricum Bauarum aliis prætuliſſent: & Echardum cupidum regni, ſed virū virtute præſtantem & iracundum, ſtuderent ratione à propoſito auertere; maiorum, ſibi beneficiis charum, & vtilem Reip. futurum, ſi reſipiſceret. Erant tum in eadem vrbe Henrici Bauari ſorores, Sophia & Adelheidis: vel quòd eas in Saxonia, quàm in Bauaria fore exiſtimauerat tutiores: vel quòd ibi fortaſſe inſtituerentur: vel quòd aliquam ex agnatis viſerent. Bauarus eodem mittit Henricum Comitem Summeringium, & eiusdē auunculū Rigbertum: cùm vt ſorores ſuas ſalutarent, tum vt Saxonum animos explorarent & confirmarent. In publicum conſilium ſe admitti rogantes, quid in mandatis habeant, exponunt: de Henrici virtute & fide loquuntur grauiſsimè: quantum de eo ſit ſperandum, viro integro & liberali, ſignificant: quantum aceptus fuerit Othoni, notum eſſe aiunt: qua gratia ſit apud omnes homines, non eſſe dicendum, cùm res loquatur. Cauſam autem eius honorificè agentes, iudicium permittunt pręſentibus: ſine quorum voluntate & conſenſu ipſe Henricus nihil ambiat: quorum iudicio & prudentia, etiam meliori parêre non detrectet. Hac oratione audita, Bauaro acclamatum eſt: eum videlicet regno dignum, & maiorum nobilitate, & ſua virtute, & Principum communi ſuffragio. Mox ſublatis omnium manibus, cum gratulatione abſens

Conuentus Verlæ.

Rex

Rex nominatur. Echardus qui tum conſiliis intererat: placere ſibi actionem ſimulabat. Erant eodem die inuitati ad cænam à ſororibus Bauari, Bernardus Luneburgius, & Præſul Arnolphus Halberſtadius: quod cùm non ignoraret Echardus; eò quàm cæteri maturiùs veniens, locum in menſa honoratiorem occupat: conuiuis inuitatis honorem nullum habet: vertitque lætitiam conuiuij in mærorem atque triſticiam: multi enim metuebant, ne pugna ab eo exitaretur. Quę ibi in alios dicta iecit, in vino ſcripta ſunt à Duce & à præſide: ſed auctum ea temeritate vehementer odium omnium in Echardum, aliâs inuiſum: & iam ſorores regiæ, lachrymis teſtabantur dolorem ſuum: & ſe excuſabant, nulla ſui culpa id factum eſſe. Echardus inde ad Hermanum Sueuiæ ducem ſe conferre cogitauit, vt cum eo ſe coniungeret: & fortunam tentaret, ſi qua ſeſe oſtenderet explendi odij atq; vindictæ. Venit primùm Hildeshemium, ibi ſe pro Rege apertè gerit: cui Bernardus præſul, vir ſimplex, metu honorem habet. Iter proximum inſtituit Paderbornam: ſed ciues cognito eius aduentu, portas clauſerant: tandem admittitur intra mœnia, Recharij præſulis rogatu: nam illius ingenium nouerat; & iracundiam pertimeſcebat: ibi de equo deſcendens, more regio, ædem ſacram adit: tum à Præſule inuitatus, cum eo cænat. *Duces Sueuiæ.* *Echardi ambitio.*

Erant conuenturi nonnulli Principes Duſſeldorpij: quod conſilium cùm mutaſſent, animi Echardo non parum cecidere. Cernens autem ſe vbique ingratū & moleſtum hoſpitem, quòd & Principibus plerisque inuiſus, & Præſulibus ſuſpectus eſſet: ad Siffridum Comitem Northemium diuertit. Ibi Ethelinda ei denunciat, à duobus ſuis filiis Siffrido & Vdone, item à fratribus Othone & Henrico, inſidias illi parari: dolebat enim optima fœmina caſum viri nobilis: & eum ſeruari cupiebat, ne ſuorum manus ſanguine Principis perfunderentur: metuebat etiam, ſi res cecidiſſet infeliciter, & filiorum & fratrum crudelem exitum. Rogatus vt vſque in craſtinum apud ſe maneret: aut in aliquem locum diſcrimine vacuum, ſe maturè reciperet: ait ſe propter tales inſidias ſuum propoſitum nec poſſe, nec velle mutare, iterque ſuum inſtitutum ſine trepidatione perficere. Nocte eadem Northemo diſcedens, ſuos hortatur, vt cautè iter faciant, & ſiquid ſtrepitus audiant, ne alter ab altero diſcedat: ſe cum ipſis & mori & viuere conſtituiſſe. Erat certè in eo animus excelſus, & contemptor periculi: ſed præ ira & cupiditate minus videbat, aut ſuis rationibus conſulebat: milites ducebat ſecum valde audaces & exercitatos. In itinere illo inſidiantes fefellit: & vrbem Poledam, *Echardo inſidiæ parantur.*

Ducis Sueuiæ. quo ire deſtinauerat, ingreditur. Feſſus itinere, cœnam ſtrui ſubitò iubet: & in conclaue quoddam tabulatum, ſe cum paucis, iiſque fidiſsimis confert cubitum: cætera miniſtrorum turba per domum iacebat, ſomno obruta. Aduerſarij eius, quaſi concluſum iam habituri, eodem veniunt: & collatis ſententiis atq; armis, domum noctе inuadunt. Miniſtri Echardum arctè dormientem, ſuſcitantes clamoribus, conclaue non pulſant: ne locum hoſtibus domini inueniendi monſtrarent, & proditionis poſſent argui. Ipſe quid fieret, è tumultu colligens, cùm euadere per feneſtram vellet, hoſtibus aditum ſui inuadendi faciliorem patefecit. Ante fores occiſi ſunt eius centuriones Hermanus & Hatolphus, viri fortes: vulneratus lethaliter Erminoldus cubicularius: ipſe mor-*Echardi interitus.* tem ante oculos proſpiciẽs, pugnauit pro ſua ſalute acerrimè. Siffridus tãdem, haſta in eum ſummis viribus contorta, nodos ceruicis frangit, vt in terram pronus caderet. Miniſtri qui per domũ ſparſi erant, nec pugnantem iuuare, nec mortuum vindicare audebant, præ terrore & tumultu. Percuſſor eius nihil antiquius habuit, quàm vt interfecti caput ſecum auferret. Factum hoc eſt pridie Cal. Maij (vt Ditmarus, & annales Quedilnburgij) anno ſupra milleſimum ſecundo, vt Lambertus: quarto, vt Chronica
1002. Magdeburgia, quibus hoc loco minus fidei tribuo. Cadauer tuncum Alferus eius loci abbas, honorificè in templum deportat: quod Suanhildis vxor, & Hermanus filius Ienam vrbem Turingiæ, quæ illorum ſedes erat, ferentes, terræ condiderunt. Caput *Cauſa mortis Echardi.* ludibrio habetur, & oſtentatur ab aduerſariis. Cauſa necis eius, non exponitur vniusmodi: nam chronica Magdeburgia referũt, quòd à Lotharij Comitis Saxoniæ miniſtris interfectus ſit, cui ipſe ſtruxerit inſidias, propter ſermonem in conuentu Fraſano habitum. Ditmarus ait, autumare nonnullos, quòd à ſororibus Regis, quas Vuerlæ in cæna contumelia affecerat, percuſſores immiſsi ſint. Eam autem, quam de ſua ſententia Ditmarus cõmemorat, magis iudico veriſimilem. Henricus è coniuratis vnus, Siffridi auunculus, Echardi Comitis ſuaſu, aliquando cædi flagellis iuſſus ab Othone Imperatore eſt: inde ait eum ſemper quęſiuiſſe vindictæ occaſionem: quam nunc honeſtam nactum ſe arbitrabatur, dum impunè opprimeret & hoſtem Regis creati, & ſuum inimicum capitalem. Echardũ ipſum, niſi ambitione ſe euertiſſet, decus regni, ſolatium imperij, terrorem hoſtium, ſpem ſuę ſtirpis, ac virum in omnibus laudandum fuiſſe, idem Ditmarus memoriæ prodidit. Eius ditionem in Saxonia obtinuit Bruno, nõ Othonis III. frater, vt annales Magdeburgij (fratrem enim Otho nullum habuit

habuit) ſed patrui Ecberti frater patruelis, qui Conradi II. Imperatoris vitricus fuit: nam vidua Brunonis GISELA, digna regio thalamo habita eſt. SVANHILDIS vxor eius vidua, cum filiis orbis, ſe Miſnam contulit: quæ inde etiam bello Boemico mox eſt eiecta. *Ducis Saxoniæ.*

Interregni enim tempore Miſniam propè omnem peruagatus fuerat Bolislaus: ad quem cùm de iniuria mitterentur legati à Saxonibus; reſpondit, ſe non inſciente Rege Henrico id feciſſe: cuius hoſtem Echardum, eiusque filios pro hoſtibus habuerit. Si aliter Regi videatur; quem vnanimes elegerint, ſe facilè quieturũ; & quæ ipſis placerent, eadem celeritate & promptitudine facturum. His dictis imponens omnibus cauſam ſuam, quaſi iuſtiſſima fuiſſet, obtinet, ipſo Rege probante, & nõ diſſentientibus, qui cum Rege facerent, Saxonibus. Duplicem igitur ſuæ victoriȩ fructum cepit Bolislaus: cùm & raptoris partes egiſſet, ditatus præda: & nunc venditoris ageret, cùm erepta aliis, non niſi mercede & precio reſtitueret. Nunc de Echardi fratribus dicendum porro eſt, antequam ad filios eius perueniamus. *Bolislai Boemi excurſiones in Miſniam.*

GVNCELINVS.

GVNCELINVS III. Othonis filius, vxorem nõ habuit, quod proditur: varij ingenij atque fortunæ vir: Marchio Miſenæ, vrbis nõ poſſeſsionem, ſed præfecturam habuit. Coluit præcipuè Bolislai Ducis Boemi amicitiam: qui hoſtis Regis apertè erat; & magnã viciſsim ſpem ponebat in Guncelino, cuius opera, cõfidebat ſe vrbem Miſnam vel precio, vel vi adepturum. Ideo illum & beneficiis ſæpe cumulabat: & ad renouandã priſtinam inter ipſos & vtrorumq; (vt dicebat) maiores amicitiam & ſocietatem inuitabat. Coram eo Regem ſæpius Dux accuſat iniuſticiæ: & reuocat in memoriam fratris, viri fortiſsimi, indignam cædem: & timorem ipſi quoq; iniicit: præterea breui futurum prædicebat, vt à ſuis quoq; Rex deſeratur amicis & propinquis: ſe non neſcire conſilia eorũ, qui de Rege meliore eligendo deliberent; & factorum ſuorũ non futiles habeant rationes. Hæc illi & per literas, & per amicos ſæpe occinebat: præterea amplificabat cõmoda, quæ eſſet percepturus, ſi à Rege diſcederet, & ſuo auxilio atq; patrocinio vteretur. Omnia hæc tanto ſtudio agebat Boemus, vt vrbem Miſnam ſuæ ditioni (vt dixi) acquireret, quam cupiebat ſedem belli contra Saxones eligere: auſus quoque legatos ad eum eadem de cauſa mittere. *Amicitia Guncelini & Bolislai Boemi ſimulata.*

His veluti machinis GVNCELINVS impugnatus, interdũ nutabat:

Duces Sueciæ.

tabat: ſed cùm reſpiceret ad beneficia, quæ à rege acceperat, rurſus damnabat priorem ſententiam: cùm externo ſeſe totum credere, nec honeſtum ſatis, nec tutum omnino videretur. Legatorum Boemicorum aduentu gauiſus minime eſt: ne in ſuſpicionẽ Regi & Saxonibus veniret: & proditionis argueretur, & præfecturam inſignem amitteret. Quamobrem vt & Regi fidem ſeruaret, quam debebat: & Ducem aſtutum, quem timere cogebatur, non planè offenderet: ſe paratũ oſtendebat, ad colendam veterẽ neceſsitudinẽ: neq; negabat ſe Boemo debere plurimùm: ſibi tamen ad gratificandum, non ſolùm poteſtatẽ, ſed etiam omnem opportunitatẽ eſſe ademptam, militem enim ſuũ, quem haberet in præſidio, ita eſſe deditum atq; addictũ Regi: vt ſi modò mentio fieret, legatos publica de cauſa adueniſſe; neque legatos tutos, neq; ſe fore incolumem ideo rogat Ducem, ſibi etiam hoc ignoſcat, quòd non maiore honore eos acceperit; quos quaſi hoſpites tractauerit, & priuati negotij prætextu, in vrbe adierit, ad ſeſe venire nõ permiſerit. Conſiderans autẽ Guncelinus fratris exemplũ atrox, ſe à rege humaniſsimo noluit ſeiungere, & ad partem iniquiorem tranſire: quamuis è Ditmaro intelligatur, eius animum ferè fuiſſe propenſiorẽ erga Boemum, quàm ipſum ſatis decebat: nam paulò pòſt ad Boëmum ipſe legatos miſit, qui ſignificarent: ſe nihil eorum poſſe facere, quæ rogaretur: ſed illud petere, ne nuncios aut literas ad ſe crebriores mitteret; & ſuſpicionem de ſe conceptam, ſi ſua dignum amicitia iudicaret, magis augeret. Eos legatos Boemus præhendit, & cuſtodiæ mandat: & Guncelinum ſuæ ſententiæ planè relinquit incertum: ſperabat enim quòd precibus non obtinuiſſet, id ſilentio & aſtu, quo plurimùm confidebat, ſeſe effecturum.

Boemi in Guncelinũ expeditio.

Igitur antequàm quidquam poſſet intelligere præfectus Miſnenſis: duas militum legiones, celeriter conſcriptas, itineribus nõ ſolitis Strelam præmittit; quod oppidum dotale erat Boemi filię: ipſe continente itinere cum alijs copiis conſequitur: vadoque per Albim monſtrato, omnem exercitum traducit, ea agit quanta maxima poteſt cautione; neue ad vicinos querela aliquã, quæ ſuis obſtaret conatibus deferretur, hominum nulli ne mininam quidem patitur vim fieri aut iniuriam. Guncelinus propter moram legatorum, id quod eſſet, ſagaciter ſubodoratus; arma & ipſe expedit; & in procinctu eſſe vicinos iubet, propter Boemos, hoſtes, ſui Ducis ingenio, ſimulatores & callidos; nec non erga Germanos, ſua natura crudeles. Agmen ſuũ Boemus diuidit quadrifariam. Vnam partem mittit per ſiluam opacam ad pagum

Cerenum, vrbi Miſnæ propinquum, quæ primo crepuſculo ad eum locum improuiſa adueniens, ita pagum obſidet: vt ne cui fuga pateret, aut fraus aliquo modo detegeretur. Altera pars Lomacium aggreditur oppidum, teſte Ditmaro, optimè tum excultũ: idque eodem quo venerat momento, enſe & flamma totum euertit. Ea agminis pars, quæ iræ Mogellam iuſſa fuerat, loci eius ciues habuit obuios: qui ſimulata deditione, cladem auertunt: nam ſe ſocios fore Boemorum, & in caſtra Ducis ituros, promittunt: tantuli modo temporis ſpacium impetrent, vt rebus collectis arma ſumerent, & agmen parati ſequerentur. Boemi ad Miſnam capiendam intenti & feſtini, Mogellanis credunt, & coniungere agmina properant: iamque vrbem interclusam & captam opinione ſibi perſuadent. Interea quantum præ foribus periculum ſit, & quàm inopinatum, & quid hoſtes moliantur, Guncelino Mogellani ſignificant. Bolislaus motis caſtris, cùm Mogellanorum ceſſationem animaduerteret; tanquam perfidis extrema minitatur: miſsiſque paucis equitibus eos meminiſſe promiſſorum iubet: qui moræ prætextum inuenientes, nocte interiecta, vicinos quos poterant, euocant & colligunt: eoſque ad ſe tuendos, & patriam defendendam hortantur: ne idem illis mox accideret, quod Lomaciis accidiſſet. Igitur ſumptis confeſtim armis ante ſolis ortum in caſtra Boëmica tendunt: & cùm amici aduentare putarentur: præter omnium ſpem, in hoſtes feſſos & dormitantes clamoribus irruunt: cumque multò plures eſſe eorũ crederent Boemi, fugam diſperſi capiunt: quorum in nocturno tumultu, & locorum ignoratione occiſi ſunt tria millia, nec pauciores capti: præterea in Albi non exiguus eorum numerus periit. Dux ipſe BOLISLAVS, animi incertus, & ſpe temeraria deluſus, aufugit: & exercitu paſsim cæſo aut capto, aut in hoſtili loco relicto, cum dedecore ad ſuos reuertitur. Mogellani defeſsi, nec vltra Albim conſequi hoſtem potuerunt, nec erumpere Guncelinus auſus fuit, vt qui Cerenum obſeſſum tenebant, profligaret: quæ pars agminis noto fluminis traiectu, tutiùs euaſit. Strela capitur, & Boemis adimitur, quam Hermanus Echardi filius, quodo obtinuerit, perſpicuè ſatis non eſt perſcriptum.

Duces Sueuiæ.

Clades Boemorum.

Decreta in Boemiam expeditione, Guncelinus vnà cum Rege proficiſcitur: Rex felici auſpicio Iarimirũ Bolislai fratrẽ reſtituit: & cum eo Pragam adiens, in maiorum ſolio collocat. Bolislaus in anguſtias magnas inſperatò coniectus, ad Milcienos gentem Slauicam fugit: in quos expeditio decernitur, & Budiſsina obſidetur: ad quam vrbem copias adducit Guncelinus, antequam veniret

Henrici Cæſaris & Guncelini in Bohemiam expeditio.

Duces Sueuiæ. veniret Rex, qui intereſſe illi obſidioni voluit. Vrbs deditione tandem capitur: & nequid noui moliretur Boemus, Guncelino mandatur: vt finium cuſtodiam diligenter agat: & Hermano Comiti Rochilicio, Budiſsinorum præfecto, quacunque in re ſit opus, auxiliũ ſubminiſtret. Secutum eſt bellum grauius Bolislai, Regis Poloniæ filij: qui vſq; ad fines Saxoniæ populabũdus venerat. In eo bello magna virtus Guncelini fuit, tùm vt Regi Romanorũ ſe probaret, & virtutem declararet; tùm, vt ſuſpicionem de ſe ortã, quòd cum hoſtibus externis colluderet, facto inſigni refutaret. Non deſiſtebat Boemus, qui iam nouas copias è Slauis & Boemis contraxerat, prouincias Imperij vexare, & populos inprimis Tranſalbinos. Cum ſuarum autẽ factionum miniſtris & ſatellitibus vrbẽ Budiſsinam recipiebat. Igitur ad Regẽ ſcribit Guncelinus, & auxiliũ poſtulat: veritus ſi progrederetur, ne Ciſalbinis quoq; noceret, & ſibi maiora ad bellum cõpararet præſidia. Rex acceptis eius literis, mandat cæteris Marchionibus limitaneis; vt vicinos iuuent, & fieri iniuriam ſubditis imperio, ne patiantur: & vim vni fraudulenter illatã, ope mutua repellant. Bolislaus quieſcere neſcius, nec Regem curabat; & Marchiones, quibus conſueuerat artibus, detinebat. Rex tandẽ calliditate & tyrannide eius offenſus, militem conſcribit, vt ꝓuincias vicinas defenderet: ſed iniuria temporis fiebat; vt nihil aut expectatione militũ, aut voto ſuo dignum efficeret; & propter tempeſtatem ſubitam vix exercitum reduceret. Guncelino maiores copias relinquit: eumque hortatur, vt hoſti reſiſtat, & pro viribus tueatur prouinciam. Apud Boemum exulabat adhuc Auſtriacus, qui eum extimulare credebatur: ei autem nihil tribuebat Boemus ſtipendij, niſi quod ex hoſtili agro quæſiuiſſet: receptum igitur tantùm habuit, nec vllo in honore fuit: & è præda miſerorum viuens, ipſe quoque miſerè conſcientia excitus, Regis gratiam implorauit: cuius cùm facta ſibi ſpes eſſet, tacitè à Boemo diſcedit, ne in vitæ incideret periculum.

Bellum Polonicum.

Bellum Boemicum.

Interea Rex in Burgundos proficiſcitur: qua occaſione Boemus vſus, quibus potuit iniurias intulit, nulli æquus aut fidus, dum ſuam expleret in armis libidinem. Erat inter Guncelinum Marchionẽ Miſnenſem, & inter Hermanum Comitem Rochliciũ de maiorũ bonis contentio, quæ ad arma vſq; proceſsit: quia patrui (vt ait Ditmarus) ſemper in fratrũ filios ſunt ſęuiores. Hermanus Regi tum militabat in Burgundia: interea Strelam oppidũ eius, Guncelinus oppugnat; ſed ab Hermani milite repellitur: ſubitò autem contendens Rochliciũ, ciues incautos adoritur: vrbẽq; captam

Contentio Guncelini cum Hermano Rochlicio.

captam incendit, nec à magna iniuria abſtinet. Extruxit poſt id tempus Guncelinus caſtrum ad Salam, quod ornatum munitumque & ædificiis & propugnaculis erat: in quod fortunas ſuas conferebat, metu Polonorum & Boemorum, qui armis in vicinia graſſabantur. Reuerſus è caſtris regiis Hermanus, cum fratre Echardo deliberat, quomodo vindictã de patruo ſumeret, tam violento & iniuſto. Non neſcientes igitur Guncelini theſauros, in caſtro illo nouo depoſitos, clàm conuocatis ciuibus & ſociis ſuis, locum illum improuiſis omnibus expugnant: pręſidium cędunt: & fortunis rapto quæſitis, raptu potiuntur. Aedificia deinde incendunt, & arcem diſturbant. Animis vtrinq; ardentibus, arma ſæuiiſſent: niſi interceſsiſſet mandatum regium: quod pœnam perduellis ei ſtatuebat, qui contra alterum quid committeret, donec cauſa publicè diſcuſſa, aut regia auctoritate deciſa eſſet. Erat venturus Rex intra dies paucos Merſburgum: eò agnatos vocat: pœna ei indicta, qui venire recuſauiſſet. Rochlicius auctorem iniuriæ, patruum accuſat: ſuam erga Regem fidem commemorat: pro quo dum foris propugnaſſet, in diſcrimen veniſſet fortunarum domi: læſus videlicet ab eo, cui tutelam rerum ſuarum præcipuè debuiſſet cõmendare: inprimis cõquerebatur de occiſis ciuibus optimis Rochlicienſibus. Grauis erat hæc accuſatio Hermani: ſed longe grauior ipſius Regis, quòd Boliſlao Duci magis fauiſſet, quàm par erat: quòd cum eo per legatos & internuncios agitaret conſilia: quòd Iaromirum eius fratrem, Regis amicum, impediiſſet: quòd ingenuos & liberos homines captos, Iudæis aut Slauis vendidiſſet: quòd latrocinia, pro ea quam haberet poteſtate, non ſeuerè ſatis coërcuiſſet: quòd homines denique quietos laceſsiſſet, & pacem publicam, cuius defenſor conſtitutus ſit, violaſſet. Propter has accuſationes, reus maieſtatis iudicatur, de aliorum Principum conſilio. Cùm autem factorum ſuorũ cauſas afferre idoneas ſatis nequiret: à Principibus petit mitigationem ſententiæ: ſeque iis ſupplex committit, rogans, vt animum Regis flecterent ad clementiam: ſuaque merita aliqua recenſet, quæ non erant in Remp. nulla aut obſcura. Igitur Regi ſeſe dedens, vitam impetrat. Traditur Arnolpho Antiſtiti cuſtodiendus: & in vrbe Libuſſa, quam Rex inſtaurauerat, vitam degere iubetur. Præfectura Miſnæ interea committitur Friderico cuidam Comiti: & paulò pòſt HERMANO Guncelini fratris filio aſsignatur: vndè alia controuerſia, inter Guncelini exulis fratrem Brunonem, & Hermanum ipſum exorta fuit, vt mox dicetur. Capta in his motibus Libuſſa à Boemo, atque cremata

Duces Sueviæ.

Accuſatio-nes Guncelini.

Libuſſa cremata.

Duces Sueuiæ. cremata eſt: & Guncelinus cum reliquis abductus, vt Ditmarus ait: ſed mox eundem ſcribit in vinculis detentum Pabebergæ; ac ſeptimo demum anno liberatum menſe Decembri, nati Chriſti
1018. ſupra milleſimum octauo decimo. De eius obitu nihil amplius nobis conſtat: & eum vixiſſe cælibem, dictum in initio eſt.

BRVNO II.

BRVNO Othonis quartus filius natu maximus, Brunonis Romani Pontificis frater, animi vir ferocis: cùm Guncelinum alterum fratrem dignitate priuatum & mandatum cuſtodiæ cerneret: ad Ducem Boemum confugit, cuius nomine in periculum frater venerat: cupiebat enim eius adiumento ademptum fratri Miſniæ principatū recuperare, & eum agnato eripere: cui Boemus ſtatim operam & auxilium obtulit. Cùm non neſciret Bruno agnatum Hermanum, per regium legatum breui deducendū eſſe Miſnam: id iniit conſilium, vt in via ipſum interciperet: & talibus inſidiis præfectum vrbis loco pelleret, & vrbe opportuna potiretur. Ita verò cum Boemo conuenerat; vt poſſeſsionem vrbis Bruno, prædam ex ea captam milites exteri retinerent: ciues non amplius in fide Regis, ſed in Ducis Boemiæ tutela eſſent. Itaque explorare Brunonem omnia, & occaſione vti iubet: equitatum ipſe colligit è Boemis & Polonis (vt Ditmarus narrat) cum quo cis Albim manet in inſidiis: nam intereſſe ei periculo ipſe voluit, quod ſibi & gloriam & fructum ſperabat allaturum.

Dies præſtituta publico conſilio erat, qua Miſnam HERMANVS pompa ſolenni introducendus eſſet; & præfectus regius, qui controuerſiæ tempore vicariam poteſtatem habuerat, dimittendus. Eodem die Bolislai turmæ, quibus Brunonem præfecerat, ad Albim infra Miſnam aduentant: & flumen cum prima luce tranſeunt: vt Hermanum exciperent, & præfectum vi exturbarent: cùm nemo ſuſpicari poſſet, hoſtem in propinquo latêre. Erant duo Vuetinij, qui in ſuburbio Miſnenſe habitauerant: quos captos Brunoni Boemus tradidit; & eos minis adegit, vt ſibi ad mœnia iter maximè peruium monſtrarent: quibus ducibus fiſus, noctis ſilentio, ad vrbem propius accedit, ſe ſpem in manibus habere exiſtimans, vrbis tali dolo potiundæ. Hermanus pro ſua ſagacitate paulò ante præſidium miſerat: idque in ſuburbio locauerat, vt ſe contra inſidias muniret: quia animum patrui, è fuga ipſius, coniiciebat eſſe iniquiſsimum: nec credendum intelligebat Boemo, ad quem ſe contulerat: quemque præcocia

cocia inire conſilia non ignorabat. BRVNO transmiſſo Albi, cùm per exploratores loca omnia plena eſſe militibus audiret, pedem celerrimè refert: ne ſi Miſnenſes hoſtium præſentiam ſentirent, reditu ipſos prohiberent. Bolislaus euentum vltra ripã expectabat: qui cùm redeuntes ſuos cerneret: propter ſpem deluſam indignatur: & exercitum reducit, nõ ſine maleficio agrorum, per quos redeundum erat. BRVNO fortunam expertus malignam, creditur reliquam exegiſſe vitam in exilio. Nam quid poſt hoc tempus egerit, aut quid poſtea poſſederit, ex Annalibus inueſtigare nondũ potui. Hermanus igitur Echardi Rebellis filius, patruis duobus repulſis, & ſine hærede viuentibus, firmam vrbis Miſnæ accipit poſſeſsionem: de quo iam porrò dicendum eſt. *Duces Sueuiæ.*

HERMANVS.

HERMANVS Echardi Rebellis primus filius: habuit vxorem HEMMILDIM, Ducis Boemiæ Bolislai è prima vxore filiam. Etenim Bolislaus tres vxores habuit, primam Miſnenſem HEMMILDIM, Ridachi Comitis Mersburgij filiam, quam repudiauit: alteram Vngaram, quam etiam neglexit: tertiam Dobremiri filiam, è qua MISECONEM & DOBREMIRVM filios; & tres filias ſuſtulit, teſte Ditmaro. Duxit Boemi filiam, HERMANVS, ſi illa fortè affinitate res ſuas ſtabilire poſſet, & virum fortem, his terris infeſtum, ſibi conciliare. Verùm vt per filiæ nuptias transferre ad ſe has regiones ſtudebat: ita prudentia & virtute Hermani factum eſt, vt fruſtra niteretur. Vndè magis Hermani patruis fauit, per quos ſperabat ſe Miſnam conſecuturum: quàm genero ſuo, qui patrias poſſeſsiones, vt ipſum decebat, defendebat acriter.

Hermani pater cùm res ſupra vires moliretur; multorum ſibi conflauit, nec iniuſtum quidem odium: nec paucos ſanè læſit, ambitione excæcatus. Occidebatur quidam eius familiaris, Vilhelmus Comes Turingiæ, & viri nobiles Vuitechindus & Hermanus: quorum obitu ita dolebat, vt ad filium mitteret militem: mandaretq; vt Vinarienſes obſideret, qui vel hoſtes receperant, vel illius cædis conſcij & conſortes erant: nec ſanè ceſſauit patris imperium filius exequi. In ea obſidione dum eſſet, acerbum de cæde patris immani, nuncium accipit: quo territus obſidionem ſoluit: & patris caſu ad matrem delato, cum ea in Saxoniam proficiſcitur: cadauer Ienam deportat; factiſque exequiis in ea vrbe tumulat. Miſerationem mouebat plurimis vxor Echardi, fœmi- *Echardi Rebellis cædes.*

Ducis Sueuiæ.

na pia & illuſtris: quia cædes tanti viri indigna non paucis videbatur: qui caſu eius gemebant: accuſantibus tamen in eo impietatem, qua ſe in exitium ſponte coniecerat, qui toti Reipub. potuiſſet prodeſſe & factis & conſilio. Temperans gemitibus & querelis Hermanus diſsimulabat ægritudinem: neue in diſcrimen incideret, cauſam, patris minimè probare videbatur: ſuamque Imperatori operam non negabat. Vrbem Rochlicium ad Muldam flumen, ipſe tum poſsidebat, Miſnam tenebat patruus eius Guncelinus.

Boleslai Boëmi Munſores in Luſatiam & Miſniā.

Dux Boemiæ morte Echardi audita, cuius veritus erat & arma & auctoritatem, ſtatim GERONEM Marchionem Luſatium inuadit: & ei vrbem præcipuam Budiſsinam eripit: nec contentus eo ſucceſſu, arma vltra Albim transfert: & Miſnenſes non valde paratos territat, & populando Strelam vſque peruenit: cùm Miſnenſes ne agri vaſtarentur, ſe redemiſſent pecunia.

Simultates inter Hermanum & Guncelinū.

Studebat idem Dux Hermano genero ſuo, vrbis illius poſſeſsionem adiungere; & inde ſibi quaſi ianuam patefacere, ad reliquam regionem ſubiugandam, quam inprimis exiſtimabat ſuis cupiditatibus opportunam. Eade cauſa ortæ ingentes ſunt ſimultates, inter Hermanum & Guncelinum eius patruum; & hunc quidem ſæpe allexit Boemus de vrbe ſibi tradenda, ſed nihil efficere potuit: non quòd eius ſocietatem non optaret: ſed ne deprǽhenſus, gratiam Regis amitteret, & in diſcrimen fortunarum veniret: quòd agnati vlciſcendi cauſa, cum exteris ſe videretur coniungere; & priuato aliquo prætextu, demum etiam Regi conaretur moleſtus eſſe. Eo tamen rem deduxit Boemus, vt in arce Miſna præſidium haberet Hermanus: vrbem Guncelinus defenderet: & inter ipſos quaſi æquata adminiſtratio eſſet: quod inprimis malè habere Guncelinum nouerat. Erat inter ipſos agnatos (vt fieri ferè ſolet inter patruos & fratrum filios) odium valde aſperum: ſed animi ciuium Guncelino addictiores erant, propterea quòd Hermani culpa erant mulctati pecunia, & multa in agris amiſerant.

Tumultus in vrbe Miſna.

Die quodam Hermani præfectus, pabulatum ex arce miſerat magnam ſui præſidij partem: equites cùm longiùs progreſſi eſſent, ciues occaſione arrepta, ad arcem accurrunt, & portam orientalem oppugnant.

In eo conflictu cuſtos arcis Brecio quidam occiditur: ciues inde ad Ozeri præfecti conclaue, vno impetu feruntur:

feneſtras

feneſtras ſaxis & miſsilibus deſtruunt: ipſumque ſibi tradi clamore inuſitato poſtulant. *Duces Sueuiæ.*

Ditmarus quidam, genere nobilis, & apud ciues antea gratioſus, furentes de loco editiore appellans, hortatur vt memores beneficiorum Echardi, qui eos aduerſus Boëmos ſemper defenderit, eius filio abſenti parcant: ſi cauſam iracundiæ iuſtam habeant, eam proferant: ſe paratum & Hermani, & ſuo nomine ipſis ſatisfacere, & temeritatis iſtius meminiſſe amplius nolle. Factioſi dari ſibi præfectum, magis etiam importunè, quàm antea fecerant, flagitant. Ditmarus ſtrepitu ac clamore accenſus: Quem, (inquit) tam inclementer poſcitis, me viuente non accipietis: cum Ozero aut vi erumpemus, aut cum eo vitam ponemus: Vos quid Hermano reſpondeatis, circumſpicite. Territi ciues ſermone animoſo, cum iis, qui in arce erant, paciſcuntur: Ozerum & præſidiarios abire permittunt: qui ad Bolislaum proficiſcentes, de iniuria conqueruntur, & ſe orant reſtitui.

Quod diu optauerat Boemus, iam ſe conſecutum ſperat: itaque Ozerum armis eiectum, quàm poteſt celerrimè, armis reducit. Statim vt ad mœnia Dux acceſsit; portam ciues aperiunt, & veniam ſui furoris petunt. Eiluardus Præſul cum ſacerdotibus collegis paulò ante exceſſerat: potius fortunas linquens diripiendas, quàm vt ab ea gente vexaretur; quam eſſe infenſam nomini Saxonico & Miſnenſi ſciebat: nam quid ſuis accidiſſet anteceſſoribus, recordabatur. Bolislaus voti diuturni factus compos, de ſua ſententia in vrbe capta, res omnes diſponit: & ad dicendã cauſam ciues turbulentos vocat. Hi nec occaſionem temeritatis ſatis ſpecioſam habebant, quòd Hermanum impugnaſſent: nec conferre in GVNCELINVM culpam poterant, quòd in eiuſdem abſentia facinus perpetraſſent. Hoc culpam eorum nonnihil mitigabat, quòd dicerent initium ab vtriusque partis militibus fuiſſe ortum. Præterea Ditmarus, qui allocutus eos in tumultu fuerat, pro iis intercedebat: ideo mulcta pecuniaria paucis indicta, qui auctores fuiſſe conuincebantur, cæteris parci iuſsit ſi quieſcerent, & militem petulanter poſthac non tractarent. *Ozeri restitutio armis Bohemi.*

Ex vrbe deinceps ſtatim excurſiones facit, & prædas agit, ad Eliſtrum vſque fluuium: locis paulò munitioribus, quæ ſubità impreſsione ceperat, præſidia imponit. Hoc videntes fieri, non ſine ſuorum incommodo, Eſico Comes Vurcinenſis, & Ditericus Marchio Lansbergius: copiis Boemi ſeſe obiiciunt, & impetum nonnihil retardant. Ad reliquos verò Saxones, quo in pe- *Bohemi excurſiones ex vrbe Miſena*

Ducis Saxoniæ.

riculo verſentur, literas mittunt: & opem in caſu tam ſubito expetunt. Decernuntur legati; qui cauſam iniuriæ ab hoſte exquirerent: cumque vt abſtineret à vi, admonerent: alioquin ſe amicos & ſocios ſummis viribus defenſuros. Boemus verſutia quadam ita Saxonibus reſpondet, vt placati diſcederent: propterea quòd Hermani cauſam tutatus eſſet, contra ſeditioſos quoſdam & militem ſuum continere non potuiſſet. Vrbe tamen Miſna excedere, & deducere præſidium fuit coactus, minis Saxonum: ſed Dux ſine iniuria ſuorum domum nunquam rediit: quaſi inſito odio, quod iniuriæ inuicem factæ vtrinque excitauerant.

Guncelini rapinæ in ditione patrui.

Erat Hermanus cum Rege profectus in Italiam, qui Harduigum impugnabat, nomen ſibi regium in Inſubribus vſurpantem: cum eodem rurſus iuerat in Burgundiam, cùm Rodolphus Rex ſceptrum eſſet traditurus Imperatori. Abſente ipſo Hermano, patruus eius, ſuis non ſatis fidus, & à Boemis ipſe quoque ex vrbe primaria eiectus, acri dolore cruciatur: & in primis propter vrbem captam indignatur: cumque à Boemo vindictam ſumere non liceret: ditionem Hermani abſentis inuadit, cuius milites in ea ſeruanda negligentes fuerant: itaque primùm oppidum Strelam adoritur: inde cùm à præſidiariis, præter ſpem reiiceretur: eodem itinere Rochlicium contendit; antequàm ſcire poſſent ciues, quo animo eſſet is, quem defenſorem citius, quàm hoſtem fore ſperauerant. In vrbem improuiſò irrumpens, ciues obtruncat, tecta incendit, & planè hoſtilia perpetrat.

Vindicta Hermani de Guncelini iniuria.

Allato nuncio de rebus in ſua ditione geſtis, Hermanus Imperatori iam creato cauſam exponit: orat vt ſibi ad tuendos ſuos liceat accurrere: eum præfectis ſuis per literas Imperator etiam atq; etiam cõmendat. In patriam reuerſus, aduentum ſuum cælatum eſſe voluit: vt præter opinionem, patruum violentum & iniuſtum, qua maximè ratione & occaſione daretur, vindicaret aut opprimeret. Collatis cum ſolo fratre Echardo ferocis animi viro, conſiliis, ſtatuit de eius iuſſu atque voluntate, caſtrum Turingicum, quod Guncelinus ſupra ripam Salæ extruxerat firmiſſimum, expugnare. Echardus conuocatis amicis & clientibus Hermani, reditum iis ſignificat: ſimul ex iis quærit, quid ei conſilij impertiant ad ſua recuperanda: deinde conuocari populos ſuos Hermanus iubet: ad quem maximè frequentes confluunt, partim gratulaturi felicem ex Italia Burgundiaque reditum, partim ab eo officij & obædientiæ gratiam inituri; partim expoſituri querelas, de illatis iniuriis ac contumeliis; ſimulq; petituri, ne

ipſorum

ipſorum cauſam negligeret. Eis primùm gratias agit: deinde quid ſit facturus explicat: & miram omnium, in vlciſcendo Guncelino, alacritatem animaduertit. Conſtituto igitur die, caſtellum eius aggreditur & expugnat, theſauros rapit, ædificia incendit, muros complanat: confectoque ex ſententia negotio literas ab Imperatore ſibi datas, ad præfectos mittit. Guncelinus vt clancũlùm aliis nocuerat; ita ſuos oppreſſos cognouit, antequàm ſciret fratris filium in Germaniam rediiſſe. Duces Saxoniæ.

Reuerſo poſt aliquot menſes ipſo Imperatore in Saxoniam, dies Guncelino dicitur: in quo grauiſsimè non tantùm ab Hermano, ſed ab aliis quoq; accuſatus, cauſa cadit, & vitam difficulter impetrat: Hermano Miſna redditur: & in eam vrbem præfectus regius interea mittitur, donec Hermanus transactis rebus cæteris, cum dignitate reduceretur. Id cùm fieret, ab ingreſſu vrbis, alter patruus Bruno, arcere eum ſtuduit: quem milite & facultatibus iuuit Boemus contra generum: ſemper enim fauere eis viſus eſt, qui rebus Miſnenſium in commodarent, eamque vrbem, quam ſæpius ſpoliauerat, rurſus ad prædam expectabat. Multùm cauſam Hermani iuuabant fauor Reginæ, & Thammonis Antiſtitis Magdeburgij auctoritas, quibus carus multis nominibus erat. Itaque cùm Miſnam per legatum Imperatoris deduceretur, diſcrimen magnum euaſit ſua prudentia: quòd eò præmiſiſſet fortiſsimum quenque è ſuis militibus. Receptus à ciuibus eſt ſingulari gaudio & lætis acclamationibus: quos in arcem ſe comitatos, humaniſsimè alloquitur, & animo eſſe bono iubet: iniurias omnes omnibus ignoſcit; ad fidem in poſterum adhortatur: cuius diei læticia, & Principis bonitas, metum ademit vniuerſis: fuitq; eius gubernatio quieta, & ciuibus aliquoties iam exhauſtis ſalutaris.

Cùm bellum aduerſus ſocerum eius ab Imperij ordinibus decerneretur, inter cæteros belli duces ipſe nominatus eſt: parteſq; Iarimiri affinis ſui defendit: ſed eius expeditionis maior apparatus fuit, quàm gloria: nam cùm Saxones è vaſtata prouincia Glogouiana, pecuniam & prædas congererent; vrbis eius obſidionẽ intermiſerunt, in qua ſumma verſabatur victoriæ: nec ſine dedecore repedarunt domum. Collata in HERMANVM culpa eius rei aliqua eſt, quòd ſocero nimium fauiſſet: nec duces reliqui crimine caruerunt: qui reuera periculum fugientes, prædæ copiam ſecuti erant: non commodum publicum ſpectauerant. Auxit aliquo modo ſuſpicionem illam de HERMANO conceptã: Bellum Bohemicum.

Ducis Sueuiæ.

quòd ipſum Poledum Imperatore vocante, non ſtatim veniſſet: ſed abſentiæ cauſam ſpecioſam poſtea attulit: cùm diceret, ſe apud ſocerum moratum longius; quòd is pietatis nomine conueniendus & viſendus fuiſſet: quodque à Polono, hoſte perfido, oculis priuatus, eguiſſet ſua conſolatione atque auxilio. Quam excuſationem Imperator ſibi placere & vultu & ſermone oſtendit. Timebatur adhuc Bolislaus, etiam luminibus effoſsis: quia putabatur aliis conſilia turbulenta ſubminiſtrare, vt ſemper ſolertis ingenij & callidi fuit. Iterum exercitus in agrum Glogouianum contra Polonos ductus, aggredi hoſtem auſus non fuit.

Expeditio Nemicenſis.

De Nemicenſe expeditione, libro dictum ſuperiore eſt: in qua non modò Saxones, ſed & Luticij, religionis noſtræ hoſtes infenſi, Imperatori militarunt: qui cùm ſuarum dearum effigies in militaribus ſignis ferrent: Hermanus irridens, iactu lapidis vnum vexillum diſcidit. Tumultuatum eſt ab hominibus prophanis, religionem ſuam violatam, & ipſis illatam ignominiam eſſe, dicentibus: cumque auctor non latêret, ad Regem communiter cauſam deferunt, & vindictam cum vociferationibus expetũt. Veritus Imperator, ne barbari tumultu aut diſceſſu damnũ darent, Hermanum producit: & de temeritate vehementer obiurgat: vtque furori cupidorum ſatisfaceret, aliquot argenti talenta ab eo numerata, in Luticios diuidit: qua ſeueritate factum eſt, vt acquieſcerent.

De HERMANO & eius ſobole nihil equidem legi amplius: ipſum ſine coniuge vixiſſe ſcribunt nonnulli: & à Vandalis tandem occiſum tradunt.

ECHARDVS II.

ECHARDVS Echardi Rebellis, ſecundus filius, efferatis (vt ait Lambertus) moribus, & patri haud multùm aſperitate diſsimilis, Vxorem habuit Othonis Ducis Sueinfurti viduam, quam recentiores SVANHILDIM nominât, quibus auctoribus ignoro: ex ea genuit filium OTHONEM, & ODAM filiam, Bolislai Boemo nuptam, Cæci filio.

Henrico II. Imperatori adoleſcens militauit in Inſubria, non exigua fortitudinis indole: domi controuerſias grauiſsimas habuit, cum patruis duobus Guncelino & Brunone: à quibus iura vetera ſibi & fratri erepta, non immeritò querebatur: ſed Guncelino proſcripto, & Brunone exilium ſibi ſponte indicente, Comitatum Rochlicium, præter ea bona, quæ in Turingis tenebat, quietus obtinuit.

Cum Brunone Præſule Merſburgio contendit de finibus: nam cùm Præſul citra Muldæ ripam, ſiluarum & fundorũ quorundam poſſeſsiones ad ſuam diæceſim pertinere diceret: id Echardus ei non conceſsit: qui cùm ſui iuris tuendi gratia, in iis locis venaretur: præſulis miniſtri retia diſsipant, & rurſus aperta vi Echardi miniſtros loco depellunt. Echardus impatiens iniuriæ, ſuis Chorinam conuocatis, mandat: vt viciſsim in Præſulis miniſtros vim faciant: à quo cùm nonnulli diſſentirent, & Præſulem prius appellandum cenſerent: iis minatur, niſi dicto ſtatim parerent, ſe bona erepturum. Cùm igitur præſul, ſuos armatos venatum miſiſſet: Echardus manu itidem inſtructa eos fugat, caſſes & retia aut aufert aut conſcindit. In conuentu tandem Magdeburgio coram Imperatore à legatis Præſulis Echardus accuſatur: cum propter patrem, quem imitari ferocitate videretur, timeret iram & vehementiam Imperatoris, accedere recuſauit: ſed ab Hermano fratre tandem permouetur, vt ſecum vnà proficiſceretur: cùm cauſa ipſorum communis quodammodo eſſet. Literæ immunitatis, cùm publicè lectæ eſſent, cauſam Præſul obtinet. Hermanus ingenio mitiore, temporis cauſa ſe ſatisfacturũ accuſatori promittit: ſed Echardus id cõſtanter negat ſe facturũ: & vim à Præſule profectam conqueritur: & de cauſa prolixius, & nõ ſine acerbitate atq; inuidia diſputat. Frater veritus, ne ad indignationem moueretur Imperator, nimia pertinacia: hortatur vt contentione depoſita, cauſam patiatur tranſigi: deque fundis & ſiluis Præſuli cedat: ne, de agris pugnans alienis, ſuos præterea amittat. Cùm igitur errorẽ fatetur Echardus, cauſa componitur.

Dicta Sulauiæ.

Controuerſia Echardi cum Præſule Merſburgio.

Erat Heico quidam Ameslebius, antiqua vir nobilitate: qui neſcio qua verborum contumelia, hos fratres ambos offenderat: quam quidẽ ita tulerunt iracũdè, vt placari nullis precibus, nulla interceſsione poſſent: qualis ea fuerit, Annales præſulum Merſburgiorum non exprimunt: ſed eis fuiſſe non tolerandam conſtat: quòd ab eorum armis & inſidiis, vindictam expetentium, tutus nuſquam poſſet, extra aliquem locum munitum, conſiſtere: Heico vt ſuæ ſaluti conſuleret, Merſburgum ſe contulit: quæ vrbs iis temporibus (vt dicti modò Annales teſtantur) & murorum firmitate, & Imperatoris præſidio, & Præſulis item patrocinio, in his terris potentiſsima erat. Fratres ambo Præſulem & præmiis & pollicitationibus tentant, atque inuitant, vt hoſtem ſibi dedat: Hermanus de præpoſitura Merſburgia, quam recenter inſtituerat, & eius conferendæ ius habebat, ſe illi ceſſurum promittit: Echardus abbatiam Ienenſem

Heiconi Ameslebio fit infenſus Echardus.

Dotes Sum-niæ.

offert, atque eius diœceſi ſubiicit: ſed quidquid agebant in hac cauſa, fruſtra agebant. Reſpondebat enim Præſul nolle ſe, cum ſui honoris detrimento, augere honores aut reditus poſterorum: neque decere ſe, vt prodat clientem, virtute & factis nobilem. Hunc præſulis ſermonem amici eius non probabant: decuiſſe enim magis hominem ciuilem, quàm eccleſiaſticum: ipſius muneris atque humanitatis fuiſſe, vt eſſet auctor concordiæ, non incentor tumultuum, cùm non ignoraret fratrum iſtorum & fortunam ſplendidam, & animos præferoces.

Echardus ab Imperatore fit alienior.

Præſulis reſponſo improuido laceſsitus Echardus, & fortaſſe quòd eius querelæ in aula Imperatoria minùs valerent: ab ipſo Imperatore incipit eſſe alienior, & præſuli malè cogitare, vir alioquin à religione non abhorrens: id enim declarauit, quòd Theadagum Pragenſem antiſtitem, obſeruauit: & à Bolislao Bolislai filio pulſum, ſua auctoritate reduxit in gratiam. Credebatur itidem poſt hoc tempus (vt eſt apud Ditmarum) cum Boleslao Rege Poloniæ, inire conſilia, parum ſibi decora, nec patriæ ſanè vtilia: quòd cùm iniqui homines ſuſpicarentur, ad Imperatorem id deferunt; & patris eius mentione iniecta, cui nec animo impar videbatur, magnis eum grauant calumniis: animumque Imperatoris eò deducunt, vt valde eum ſuſpectum haberet, quem virtute & ingenio valere plurimùm ſciebat, & nocere ſibi poſſe exiſtimabat: præſertim ſi vir tali nomine & vſu, ad hoſtem externum ſe aliquando aut occaſione temporis, aut certa aliqua animi inductione contuliſſet. Igitur decretum in eum promulgat, & ditionem quoque ei eripit, donec ad dicendam ſententiam accederet: ereptam ditionem, ne cupidè agere videretur, Hermano fratri eius, gubernandam committit. Echardus in vrbem Magdeburgum venit eo tempore, quo Imperatoris ſalutandi cauſa, Meſicho filius Boleslai Poloni ibidem erat: num autem regij iuuenis excuſatione, an amicorum precibus, an ſuæ cauſæ æquitate reſtitutus in dignitatem ſit, memoriæ proditum non memini: & calumnia oppreſſum, à factione aduerſaria fuiſſe, non victum argumentis, coniecturis ad credendum adducor; quia magna virtus rarò caret inuidia: & ſæpe viri iuſtiſsimi iniquitate & contentione incidunt in pericula.

Templi Numburgani quis ſit auctor.

Hunc ego eundem in ſumma omnium Annalium; incertitudine & varietate, templi Numburgani, & (vt alij volunt) ædis etiam Georgianæ ſtatuo auctorem: qui enim ad patrem eius referunt, Suanhildis Saxonicæ maritum, temporibus falluntur: in quo numero ſunt Annales Lauterbergij, & Veterocellenſes: q̃bus

in re-

in reliquis plurimùm tribuo. Qui autem id collegium & templũ, à Conrado II. Imperatore autumant fundatum, Annalibus omnibus contradicunt. Qui Comites Kefernbergios ſuſpicantur fundatores, quòd eorum ibi extiterint inſignia: probatione nimis infirma vtuntur. Echardum cum matre Suanhilde auctorem fuiſſe, conueniens maximè temporibus eſt; & eius ibidem ſtatua palliata indicat, in qua gladius & ſcutum ſiniſtra ipſius cõtinentur; manus dextera pallium obuolutum habet ſupra manũ ſiniſtram: alioquin libera & implicita: tunica longitudine pallium æquat. *Ducis Saxoniæ.*

Facies imberbis & læta, capilli criſpantes, cum pileolo rodundo & plicato diuerſorum colorum. Reprehendenda autem meritò inertia atque ignauia Sacerdotum eſt, qui virorum optimorum fortunis & largitionibus, honores & diuitias poſſederunt, & nomina interire paſsi ſunt; quæ ſingulis celebrare horis, ac propemodum momentis debuerunt. Aliis igitur hac monitione inquirendi anſam dare volui: nam aliquid audacius aſſerere in communi ignorantia non debeo.

ECHARDVS, vt ad rem redeam, ad bonam ſenectutem peruenit: in qua Lambertus eius repræhendit delirium, quòd ætate ingraueſcente de vxore repudianda cogitarit: propterea quòd ducere ſtatuiſſet, Othonis Turingiæ Marchionis nuper defuncti viduam, quòd ea (vt idem auctor ſcribit) forma eſſet elegantior, & moribus eius videretur opportunior. Verùm ne ipſe & contra leges, & ſtatuta eccleſiaſtica ageret, conatus eius improbos mortis violentia intercepit. Nam cùm Henricum IV. Imperatorem, Goſlariæ ægrotantem conueniſſet, feriis natalis Chriſti ab eo digreditur: cumque domum veniſſet, in febriculam ſtatim incidit; & vitam hanc mortalem clauſit, anno natalis Chriſti, ſupra milleſimum ſexageſimo octauo, ætatis circiter octuageſimo ſexto. 1068.

OTHO

OTHO Echardi ſecundi filius, fortaſſe tenera ætate eſt extinctus: quia eius nulla vſpiam, quod ſciam, extat aut memoria aut mentio.

Duces Carinthiæ.

DVCES CARINTHIÆ E GENTE SAXONICA, & Sueuica.

CVNO I.

CVNO V. Othonis filius, Lodolphi Sueuiæ Ducis nepos, Othonis Magni Imp. pronepos. Vxorem habuit MATHILDIM è Comitibus Quernfurdiis: è qua genuit filios tres, CVNONEM Ducem Carinthiæ, & BRVNONEM Præſulem Vurceburgium, & HENRICVM Lotharingiæ Palatinum. Scribit Hermanus, Comes Veringius Cunonem regnaſſe cum patre annos triginta. Nouerit lector in hoc nomine nō conſentire chronographos, Conradus Vrsbergius enim & Lambertus Schafnaburgius, Cuno ſcribunt: ſed Veringius & recentiores, Conradus: diſtincta eſſe illa nomina intelligunt, qui linguæ noſtræ vernaculæ non ſunt expertes: illud enim ſimplex eſt, & audacem ſignificat; hoc compoſitum, & denotat conſilium audax ſeu præceps. Auentinus fallitur in eo, quòd hunc Conradum, vt ipſe appellat, ſcribit de ſtirpe Conradi fuiſſe, qui Comes Vuormaciæ fuerit: à quo etiam Conradus Saliquus Imperator originem trahat. Verùm ad rem.

CVNO Carinthiæ dominatum, agnati ſui Othonis III. beneficio & auctoritate retinuit; quia cauſam Imperij contra Ducis Bauariæ filios rebelles, fideliter & conſtanter defenderat; patris nimirum morem atque veſtigia imitatus. Erant tum in ducatu Carinthio Marchiones duo; alter in limite orientali aduerſus Vngaros, alter in limite meridionali, contra Slauos conſtitutus: Erant præterea Palatini totidem, vnus in finibus Italiæ Goricenſis, alter in Bauariæ finibus Crainburgius: ſed hi omnes Duci parebat: cuius ſuprema erat auctoritas. Obiit Cuno anno Chriſti ſu-
1012. pra milleſimum duodecimo: vt ex eodem Veringio docemur; cæſus in prælio, cui nullæ circumſtantiæ ſunt additæ.

CVNO II.

1035. CVNO II. Cunonis I. filius. De nomine aut ſtirpe eius vxoris, nihil legimus: obiiſſe ipſum idem Veringius ſcribit, anno ſupra milleſimum trigeſimo quinto.

BRVNO

BRVNO PRÆSVL.

Duces Carinthiæ.

BRVNO Cunonis I. ſecundus filius, vt Veringius, quem hîc ſequimur, Præſul Vurciburgius: quem etiã Annales eius vrbis, Ducis Carinthiæ filium fuiſſe aſſerunt. Cum Conrado II. Imperatore anno ſupra milleſimum trigeſimo quarto, in Inſubriam proficiſcitur, ad obſidendum Mediolanum: à qua vrbe ventorũ & tonitruum tempeſtate portentoſa, Germani repulſi ſunt; & huius Brunonis conſilio obſidionem ſoluerunt. Nam cùm die Pentecoſtes ſacra in caſtris faceret: & illa tempeſtas militem, equos, tentoria, machinas obrueret: dixit, ſibi diuum Ambroſium apparuiſſe, minantem, niſi de vrbe ſua decederent, omnes mala morte perituros. Imperator igitur cum Mediolanenſibus paciſcitur: & traditis ipſi ad pœnam auctoribus, domum redit. Cùm in Germaniam ſaluus rediiſſet, de bonis matris ſuæ reditus templi ſui auxit: adiectis prædiis & arce Sonnericha, ſita in Veſtualia: nam eam eccleſiæ dicauit cum toto prouentu annuo.

Expeditio Mediolanenſis. 1034.

Aliam deinde expeditionem ſuſcipit cum Henrico III. Imp. in Vngariam anno ſupra milleſimum quadrageſimo quinto. Cùm autem Imperator in Auſtria in arcem Boſenburgiam è regione arcis Ipſenſis, cum ducibus ſuis præcipuis diuertiſſet: inter cænandum locus, in quo accumbebant, concidit: Imperator in feneſtram quandam confugiens, ſeruatur incolumis: eius miniſtri magna ex parte obruuntur ædificio. Hæc ruina facta eſt XIII. Cal. Iunij. Bruno cum aliis vehementer læſus, die ſeptimo in arce eadem moritur, & Vurciburgum defertur: ſepultus in æde diui Chiliani, quam ipſe ædificiis ornauerat.

Expeditio Vngarica. 1045.

Brunonis mors.

Hunc Brunonem eſſe memorant, qui in Pſalmos Dauidis commentarios ſcripſit, qui adhuc extant. Item in omnia veteris & noui teſtamenti cantica: qualia ſunt Moiſis, Annæ, Eſaiæ, Ezechiæ, Abacuc: item Zachariæ, Mariæ, Simeonis: item in Ambroſij & Athanaſij Symbola: è quibus & ingenium eius excellens, & peritia in rebus ſacris, & ſtudium diuini amoris mirificum cognoſcitur. Vita eius in omni laude ſanctitatis & religionis eminuit, cum placidiſsimis moribus, & ſermone grauiſsimo: vt eum obſeruarent Imperatores, admirarentur cæteri Præſules.

Brunonis eruditio.

Obiit VI. Cal. Iunij: vt in eius legi epitaphio Bruſchius commemorat.

HENRICVS.

HENRICVS Cunonis primi tertius filius, Comes Palatinus Lotha-

Duces Sueuiæ. veniret Rex, qui intereſſe illi obſidioni voluit. Vrbs deditione tandem capitur: & nequid noui moliretur Boemus, Guncelino mandatur: vt finium cuſtodiam diligenter agat: & Hermano *Bellum Polonicum.* Comiti Rochilicio, Budiſsinorum præfecto, quacunque in re ſit opus, auxiliũ ſubminiſtret. Secutum eſt bellum grauius Bolislai, Regis Poloniæ filij: qui vſq; ad fines Saxoniæ populabũdus venerat. In eo bello magna virtus Guncelini fuit, tùm vt Regi Romanorũ ſe probaret, & virtutem declararet; tùm, vt ſuſpicionem de ſe ortã, quòd cum hoſtibus externis colluderet, facto inſigni refutaret. Non deſiſtebat Boemus, qui iam nouas copias è Slauis & *Bellum Boemicum.* Boemis contraxerat, prouincias Imperij vexare, & populos inprimis Tranſalbinos. Cum ſuarum autẽ factionum miniſtris & ſatellitibus vrbẽ Budiſsinam recipiebat. Igitur ad Regẽ ſcribit Guncelinus, & auxiliũ poſtulat: veritus ſi progrederetur, ne Ciſalbinis quoq; noceret, & ſibi maiora ad bellum cõpararet præſidia. Rex acceptis eius literis, mandat cæteris Marchionibus limitaneis; vt vicinos iuuent, & fieri iniuriam ſubditis imperio, ne patiantur: & vim vni fraudulenter illatã, ope mutua repellant. Bolislaus quieſcere neſcius, nec Regem curabat; & Marchiones, quibus conſueuerat artibus, detinebat. Rex tandẽ calliditate & tyrannide eius offenſus, militem conſcribit, vt ꝓuincias vicinas defenderet: ſed iniuria temporis fiebat; vt nihil aut expectatione militũ, aut voto ſuo dignum efficeret; & propter tempeſtatem ſubitam vix exercitum reduceret. Guncelino maiores copias relinquit: eumque hortatur, vt hoſti reſiſtat, & pro viribus tueatur prouinciam. Apud Boemum exulabat adhuc Auſtriacus, qui eum extimulare credebatur: ei autem nihil tribuebat Boemus ſtipendij, niſi quod ex hoſtili agro quæſiuiſſet: receptum igitur tantùm habuit, nec vllo in honore fuit: & è præda miſerorum viuens, ipſe quoque miſerè conſcientia excitus, Regis gratiam implorauit: cuius cùm facta ſibi ſpes eſſet, tacitè à Boemo diſcedit, ne in vitæ incideret periculum.

Interea Rex in Burgundos proficiſcitur: qua occaſione Boemus vſus, quibus potuit iniurias intulit, nulli æquus aut fidus, *Contentio Guncelini cum Hermano Rochlicio.* dum ſuam expleret in armis libidinem. Erat inter Guncelinum Marchionẽ Miſnenſem, & inter Hermanum Comitem Rochliciũ de maiorũ bonis contentio, quæ ad arma vſq; proceſsit: quia patrui (vt ait Ditmarus) ſemper in fratrũ filios ſunt ſęuiores. Hermanus Regi tum militabat in Burgundia: interea Strelam oppidũ eius, Guncelinus oppugnat; ſed ab Hermani milite repellitur: ſubitò autem contendens Rochliciũ, ciues incautos adoritur: vrbẽq;

captam

captam incendit, nec à magna iniuria abſtinet. Extruxit poſt id tempus Guncelinus caſtrum ad Salam, quod ornatum munitumque & ædificiis & propugnaculis erat: in quod fortunas ſuas conferebat, metu Polonorum & Boemorum, qui armis in vicinia graſſabantur. Reuerſus è caſtris regiis Hermanus, cum fratre Echardo deliberat, quomodo vindictã de patruo ſumeret, tam violento & iniuſto. Non neſcientes igitur Guncelini theſauros, in caſtro illo nouo depoſitos, clàm conuocatis ciuibus & ſociis ſuis, locum illum improuiſis omnibus expugnant: præſidium cędunt: & fortunis rapto quæſitis, raptu potiuntur. Aedificia deinde incendunt, & arcem diſturbant. Animis vtrinq; ardentibus, arma ſæuiiſſent: niſi interceſsiſſet mandatum regium: quod pœnam perduellis ei ſtatuebat, qui contra alterum quid committeret, donec cauſa publicè diſcuſſa, aut regia auctoritate deciſa eſſet. Erat venturus Rex intra dies paucos Mersburgum: eò agnatos vocat: pœna ei indicta, qui venire recuſauiſſet. Rochlicius auctorem iniuriæ, patruum accuſat: ſuam erga Regem fidem commemorat: pro quo dum foris propugnaſſet, in diſcrimen veniſſe fortunarum domi: læſus videlicet ab eo, cui tutelam rerum ſuarum præcipuè debuiſſet cõmendare: inprimis cõquerebatur de occiſis ciuibus optimis Rochlicienſibus. Grauis erat hæc accuſatio Hermani: ſed longe grauior ipſius Regis, quòd Bolislao Duci magis fauiſſet, quàm par erat: quòd cum eo per legatos & internuncios agitaret conſilia: quòd Iaromirum eius fratrem, Regis amicum, impediiſſet: quòd ingenuos & liberos homines captos, Iudæis aut Slauis vendidiſſet: quòd latrocinia, pro ea quam haberet poteſtate, non ſeuerè ſatis coërcuiſſet: quòd homines denique quietos laceſsiſſet, & pacem publicam, cuius defenſor conſtitutus ſit, violaſſet. Propter has accuſationes, reus maieſtatis iudicatur, de aliorum Principum conſilio. Cùm autem factorum ſuorũ cauſas afferre idoneas ſatis nequiret: à Principibus petit mitigationem ſententiæ: ſeque iis ſupplex committit, rogans, vt animum Regis flecterent ad clementiam: ſuaque merita aliqua recenſet, quæ non erant in Remp. nulla aut obſcura. Igitur Regi ſeſe dedens, vitam impetrat. Traditur Arnolpho Antiſtiti cuſtodiendus: & in vrbe Libuſſa, quam Rex inſtaurauerat, vitam degere iubetur. Præfectura Miſnæ interea committitur Friderico cuidam Comiti: & paulò pòſt HERMANO Guncelini fratris filio aſsignatur: vndè alia controuerſia, inter Guncelini exulis fratrem Brunonem, & Hermanum ipſum exorta fuit, vt mox dicetur. Capta in his motibus Libuſſa à Boemo, atque

Duces Sueuiæ.

Accuſationes Guncelini.

Libuſſa cremata.

cremata

Duces Sueuiæ.

cremata eſt: & Guncelinus cum reliquis abductus, vt Ditmarus
ait: ſed mox eundem ſcribit in vinculis detentum Pabebergæ; ac
ſeptimo demum anno liberatum menſe Decembri, nati Chriſti
1018. ſupra milleſimum octauo decimo. De eius obitu nihil amplius
nobis conſtat: & eum vixiſſe cælibem, dictum in initio eſt.

BRVNO II.

BRVNO Othonis quartus filius natu maximus, Brunonis Romani Pontificis frater, animi vir ferocis: cùm Guncelinum alterum fratrem dignitate priuatum & mandatum cuſtodiæ cerneret: ad Ducem Boemum confugit, cuius nomine in periculum frater venerat: cupiebat enim eius adiumento ademptum fratri Miſniæ principatũ recuperare, & eum agnato eripere: cui Boemus ſtatim operam & auxilium obtulit. Cùm non neſciret Bruno agnatum Hermanum, per regium legatum breui deducendũ eſſe Miſnam: id iniit conſilium, vt in via ipſum interciperet: & talibus inſidiis præfectum vrbis loco pelleret, & vrbe opportuna potiretur. Ita verò cum Boemo conuenerat; vt poſſeſsionem vrbis Bruno, prædam ex ea captam milites exteri retinerent: ciues non amplius in fide Regis, ſed in Ducis Boemiæ tutela eſſent. Itaque explorare Brunonem omnia, & occaſione vti iubet: equitatum ipſe colligit è Boemis & Polonis (vt Ditmarus narrat) cum quo cis Albim manet in inſidiis: nam intereſſe ei periculo ipſe voluit, quod ſibi & gloriam & fructum ſperabat allaturum.

Dies præſtituta publico conſilio erat, qua Miſnam HERMANVS pompa ſolenni introducendus eſſet; & præfectus regius, qui controuerſiæ tempore vicariam poteſtatem habuerat, dimittendus. Eodem die Bolislai turmæ, quibus Brunonem præfecerat, ad Albim infra Miſnam aduentant: & flumen cum prima luce tranſeunt: vt Hermanum exciperent, & præfectum vi exturbarent: cùm nemo ſuſpicari poſſet, hoſtem in propinquo latêre. Erant duo Vuetinij, qui in ſuburbio Miſnenſe habitauerant: quos captos Brunoni Boemus tradidit; & eos minis adegit, vt ſibi ad mœnia iter maximè peruium monſtrarent: quibus ducibus fiſus, noctis ſilentio, ad vrbem propius accedit, ſe ſpem in manibus habere exiſtimans, vrbis tali dolo potiundæ. Hermanus pro ſua ſagacitate paulò ante præſidium miſerat: idque in ſuburbio locauerat, vt ſe contra inſidias muniret: quia animum patrui, è fuga ipſius, coniiciebat eſſe iniquiſsimum: nec credendum intelligebat Boemo, ad quem ſe contulerat: quemque præ-

cocis

cocia inire conſilia non ignorabat. BRVNO tranſmiſſo Albi, cùm per exploratores loca omnia plena eſſe militibus audiret, pedem celerrimè refert: ne ſi Miſnenſes hoſtium præſentiam ſentirent, reditu ipſos prohiberent. Bolislaus euentum vltra ripā expectabat: qui cùm redeuntes ſuos cerneret: propter ſpem deluſam indignatur: & exercitum reducit, nō ſine maleficio agrorum, per quos redeundum erat. BRVNO fortunam expertus malignam, creditur reliquam exegiſſe vitam in exilio. Nam quid poſt hoc tempus egerit, aut quid poſtea poſſederit, ex Annalibus inueſtigare nondū potui. Hermanus igitur Echardi Rebellis filius, patruis duobus repulſis, & ſine hærede viuentibus, firmam vrbis Miſnæ accipit poſſeſsionem: de quo iam porrò dicendum eſt.

Duces Sueuiæ.

HERMANVS.

HERMANVS Echardi Rebellis primus filius: habuit vxorem HEMMILDIM, Ducis Boemiæ Bolislai è prima vxore filiam. Etenim Bolislaus tres vxores habuit, primam Miſnenſem HEMMILDIM, Ridachi Comitis Mersburgij filiam, quam repudiauit: alteram Vngaram, quam etiam neglexit: tertiam Dobremiri filiam, è qua MISECONEM & DOBREMIRVM filios, & tres filias ſuſtulit, teſte Ditmaro. Duxit Boemi filiam, HERMANVS, ſi illa fortè affinitate res ſuas ſtabilire poſſet, & virum fortem, his terris infeſtum, ſibi conciliare. Verùm vt per filiæ nuptias transferre ad ſe has regiones ſtudebat: ita prudentia & virtute Hermani factum eſt, vt fruſtra niteretur. Vndè magis Hermani patruis fauit, per quos ſperabat ſe Miſnam conſecuturum: quàm genero ſuo, qui patrias poſſeſsiones, vt ipſum decebat, defendebat acriter.

Hermani pater cùm res ſupra vires moliretur; multorum ſibi conflauit, nec iniuſtum quidem odium: nec paucos ſanè læſit, ambitione excæcatus. Occidebatur quidam eius familiaris, Vilhelmus Comes Turingiæ, & viri nobiles Vuitechindus & Hermanus: quorum obitu ita dolebat, vt ad filium mitteret militem: mandaretq; vt Vinarienſes obſideret, qui vel hoſtes receperant, vel illius cædis conſcij & conſortes erant: nec ſanè ceſſauit patris imperium filius exequi. In ea obſidione dum eſſet, acerbum de cæde patris immani, nuncium accipit: quo territus obſidionem ſoluit: & patris caſu ad matrem delato, cum ea in Saxoniam proficiſcitur: cadauer Ienam deportat; factisque exequiis in ea vrbe tumulat. Miſerationem mouebat plurimis vxor Echardi, fœmi-

Echardi Rebellis cædes.

Ducis Sue-nia. na pia & illuſtris: quia cædes tanti viri indigna non paucis videbatur: qui caſu eius gemebant: accuſantibus tamen in eo impietatem, qua ſe in exitium ſponte coniecerat, qui toti Reipub. potuiſſet prodeſſe & factis & conſilio. Temperans gemitibus & querelis Hermanus diſsimulabat ægritudinem: neue in diſcrimen incideret, cauſam, patris minimè probare videbatur: ſuamque Imperatori operam non negabat. Vrbem Rochlicium ad Muldam flumen, ipſe tum poſsidebat, Miſnam tenebat patruus eius Guncelinus.

Boleslai Boemi Munſtores in Luſatiam & Miſniã. Dux Boemiæ morte Echardi audita, cuius veritus erat & arma & auctoritatem, ſtatim GERONEM Marchionem Luſatium inuadit: & ei vrbem præcipuam Budiſsinam eripit: nec contentus eo ſucceſſu, arma vltra Albim transfert: & Miſnenſes non valde paratos territat, & populando Strelam vſque peruenit: cùm Miſnenſes ne agri vaſtarentur, ſe redemiſſent pecunia.

Studebat idem Dux Hermano genero ſuo, vrbis illius poſſeſsionem adiungere; & inde ſibi quaſi ianuam patefacere, ad reliquam regionem ſubiugandam, quam inprimis exiſtimabat ſuis cupiditatibus opportunam. Eadé cauſa ortæ ingentes ſunt *Simultates inter Hermanum & Guncelinũ.* ſimultates, inter Hermanum & Guncelinum eius patruum; & hunc quidem ſæpe allexit Boemus de vrbe ſibi tradenda, ſed nihil efficere potuit: non quòd eius ſocietatem non optaret: ſed ne depræhenſus, gratiam Regis amitteret, & in diſcrimen fortunarum veniret: quòd agnati vlciſcendi cauſa, cum exteris ſe videretur coniungere; & priuato aliquo prætextu, demum etiam Regi conaretur moleſtus eſſe. Eo tamen rem deduxit Boemus, vt in arce Miſna præſidium haberet Hermanus: vrbem Guncelinus defenderet: & inter ipſos quaſi æquata adminiſtratio eſſet: quod inprimis malè habere Guncelinum nouerat. Erat inter ipſos agnatos (vt fieri ferè ſolet inter patruos & fratrum filios) odium valde aſperum: ſed animi ciuium Guncelino addictiores erant, propterea quòd Hermani culpa erant mulctati pecunia, & multa in agris amiſerant.

Tumultus in vrbe Miſna. Die quodam Hermani præfectus, pabulatum ex arce miſerat magnam ſui præſidij partem: equites cùm longiùs progreſſi eſſent, ciues occaſione arrepta, ad arcem accurrunt, & portam orientalem oppugnant.

In eo conflictu cuſtos arcis Brecio quidam occiditur: ciues inde ad Ozeri præfecti conclaue, vno impetu feruntur: feneſtras

feneſtras ſaxis & miſsilibus deſtruunt: ipſumque ſibi tradi clamore inuſitato poſtulant. *Ducem Sueuiæ.*

Ditmarus quidam, genere nobilis, & apud ciues antea gratioſus, furentes de loco editiore appellans, hortatur vt memores beneficiorum Echardi, qui eos aduerſus Boëmos ſemper defenderit, eius filio abſenti parcant: ſi cauſam iracundiæ iuſtam habeant, eam proferant: ſe paratum & Hermani, & ſuo nomine ipſis ſatisfacere, & temeritatis iſtius meminiſſe amplius nolle. Factioſi dari ſibi præfectum, magis etiam importunè, quàm antea fecerant, flagitant. Ditmarus ſtrepitu ac clamore accenſus: Quem, (inquit) tam inclementer poſcitis, me viuente non accipietis: cum Ozero aut vi erumpemus, aut cum eo vitam ponemus: Vos quid Hermano reſpondeatis, circumſpicite. Territi ciues ſermone animoſo, cum iis, qui in arce erant, paciſcuntur: Ozerum & præſidiarios abire permittunt: qui ad Bolislaum proficiſcentes, de iniuria conqueruntur, & ſe orant reſtitui.

Quod diu optauerat Boemus, iam ſe conſecutum ſperat: itaque Ozerum armis eiectum, quàm poteſt celerrimè, armis reducit. Statim vt ad mœnia Dux acceſsit; portam ciues aperiunt, & veniam ſui furoris petunt. Eiluardus Præſul cum ſacerdotibus collegis paulò ante exceſſerat: potius fortunas linquens diripiendas, quàm vt ab ea gente vexaretur; quam eſſe infenſam nomini Saxonico & Miſnenſi ſciebat: nam quid ſuis accidiſſet anteceſſoribus, recordabatur. Bolislaus voti diuturni factus compos, de ſua ſententia in vrbe capta, res omnes diſponit: & ad dicendã cauſam ciues turbulentos vocat. Hi nec occaſionem temeritatis ſatis ſpecioſam habebant, quòd Hermanum impugnaſſent: nec conferre in GVNCELINVM culpam poterant, quòd in eiuſdem abſentia facinus perpetraſſent. Hoc culpam eorum nonnihil mitigabat, quòd dicerent initium ab vtriusque partis militibus fuiſſe ortum. Præterea Ditmarus, qui allocutus eos in tumultu fuerat, pro iis intercedebat: ideo mulcta pecuniaria paucis indicta, qui auctores fuiſſe conuincebantur, cæteris parci iuſsit ſi quieſcerent, & militem petulanter poſthac non tractarent. *Ozeri reſtitutio armis Bohemi.*

Ex vrbe deinceps ſtatim excurſiones facit, & prædas agit, ad Eliſtrum vſque fluuium: locis paulò munitioribus, quæ ſubitâ impreſsione ceperat, præſidia imponit. Hoc videntes fieri, non ſine ſuorum incommodo, Eſico Comes Vurcinenſis, & Ditericus Marchio Lansbergius: copiis Boemi ſeſe obiiciunt, & impetum nonnihil retardant. Ad reliquos verò Saxones, quo in pe- *Bohemi excurſiones ex vrbe Miſnena.*

 riculo

ipſorum cauſam negligeret. Eis primùm gratias agit: deinde quid ſit facturus explicat: & miram omnium, in vlciſcendo Guncelino, alacritatem animaduertit. Conſtituto igitur die, caſtellum eius aggreditur & expugnat, theſauros rapit, ædificia incendit, muros complanat: confectoque ex ſententia negotio literas ab Imperatore ſibi datas, ad præfectos mittit. Guncelinus vt clanculùm aliis nocuerat; ita ſuos oppreſſos cognouit, antequàm ſciret fratris filium in Germaniam rediiſſe. Duces Sueuiæ.

Reuerſo poſt aliquot menſes ipſo Imperatore in Saxoniam, dies Guncelino dicitur: in quo grauiſsimè non tantùm ab Hermano, ſed ab aliis quoq; accuſatus, cauſa cadit, & vitam difficulter impetrat: Hermano Miſna redditur: & in eam vrbem præfectus regius interea mittitur, donec Hermanus transactis rebus cæteris, cum dignitate reduceretur. Id cùm fieret, ab ingreſſu vrbis, alter patruus Bruno, arcere eum ſtuduit: quem milite & facultatibus iuuit Boemus contra generum: ſemper enim fauere eis viſus eſt, qui rebus Miſnenſium in commodarent, eamque vrbem, quam ſæpius ſpoliauerat, rurſus ad prædam expectabat. Multùm cauſam Hermani iuuabant fauor Reginæ, & Thammonis Antiſtitis Magdeburgij auctoritas, quibus carus multis nominibus erat. Itaque cùm Miſnam per legatum Imperatoris deduceretur, diſcrimen magnum euaſit ſua prudentia: quòd eò præmiſiſſet fortiſsimum quenque è ſuis militibus. Receptus à ciuibus eſt ſingulari gaudio & lætis acclamationibus: quos in arcem ſe comitatos, humaniſsimè alloquitur, & animo eſſe bono iubet; iniurias omnes omnibus ignoſcit; ad fidem in poſterum adhortatur: cuius diei lætitia, & Principis bonitas, metum ademit vniuerſis: fuitq; eius gubernatio quieta, & ciuibus aliquoties iam exhauſtis ſalutaris.

Cùm bellum aduerſus ſocerum eius ab Imperij ordinibus decerneretur, inter cæteros belli duces ipſe nominatus eſt: parteſq; Jarimiri affinis ſui defendit: ſed eius expeditionis maior apparatus fuit, quàm gloria: nam cùm Saxones è vaſtata prouincia Glogouiana, pecuniam & prædas congererent; vrbis eius obſidionẽ intermiſerunt, in qua ſumma verſabatur victoriæ: nec ſine dedecore repedarunt domum. Collata in HERMANVM culpa eius rei aliqua eſt, quòd ſocero nimium fauiſſet: nec duces reliqui crimine caruerunt: qui reuera periculum fugientes, prædæ copiam ſecuti erant: non commodum publicum ſpectauerant. Auxit aliquo modo ſuſpicionem illam de HERMANO conceptã: Bellum Bohemicum.

Ducis Sueuio. quòd ipſum Poledum Imperatore vocante, non ſtatim veniſſet: ſed abſentiæ cauſam ſpecioſam poſtea attulit: cùm diceret, ſe apud ſocerum moratum longius; quòd is pietatis nomine conueniendus & viſendus fuiſſet: quodque à Polono, hoſte perfido, oculis priuatus, eguiſſet ſua conſolatione atque auxilio. Quam excuſationem Imperator ſibi placere & vultu & ſermone oſtendit. Timebatur adhuc Bolislaus, etiam luminibus effoſsis: quia putabatur aliis conſilia turbulenta ſubminiſtrare, vt ſemper ſolertis ingenij & callidi fuit. Iterum exercitus in agrum Glogouianum contra Polonos ductus, aggredi hoſtem auſus non fuit.

Expeditio Nemicenſis. De Nemicenſe expeditione, libro dictum ſuperiore eſt: in qua non modò Saxones, ſed & Luticij, religionis noſtræ hoſtes infenſi, Imperatori militarunt: qui cùm ſuarum dearum effigies in militaribus ſignis ferrent: Hermanus irridens, iactu lapidis vnum vexillum diſcidit. Tumultuatum eſt ab hominibus prophanis, religionem ſuam violatam, & ipſis illatam ignominiam eſſe, dicentibus: cumque auctor non latêret, ad Regem communiter cauſam deferunt, & vindictam cum vociferationibus expetũt. Veritus Imperator, ne barbari tumultu aut diſceſſu damnũ darent, Hermanum producit: & de temeritate vehementer obiurgat: vtque furori cupidorum ſatisfaceret, aliquot argenti talenta ab eo numerata, in Luticios diuidit: qua ſeueritate factum eſt, vt acquieſcerent.

De HERMANO & eius ſobole nihil equidem legi amplius: ipſum ſine coniuge vixiſſe ſcribunt nonnulli: & à Vandalis tandem occiſum tradunt.

ECHARDVS II.

ECHARDVS Echardi Rebellis, ſecundus filius, efferatis (vt ait Lambertus) moribus, & patri haud multùm aſperitate diſsimilis, Vxorem habuit Othonis Ducis Sueinfurti viduam, quam recentiores SVANHILDIM nominãt, quibus auctoribus ignoro: ex ea genuit filium OTHONEM, & ODAM filiam, Bolislai Boemo nuptam, Cæci filio.

Henrico II. Imperatori adoleſcens militauit in Inſubria, non exigua fortitudinis indole: domi controuerſias grauiſsimas habuit, cum patruis duobus Guncelino & Brunone: à quibus iura vetera ſibi & fratri erepta, non immeritò querebatur: ſed Guncelino proſcripto, & Brunone exilium ſibi ſponte indicente, Comitatum Rochlicium, præter ea bona, quæ in Turingis tenebat, quietus obtinuit.

Cum Brunone Præſule Mersburgio contendit de finibus: nam cùm Præſul citra Muldæ ripam, ſiluarum & fundorũ quorundam poſſeſsiones ad ſuam diœceſim pertinere diceret: id Echardus ei non conceſsit: qui cùm ſui iuris tuendi gratia, in iis locis venaretur: præſulis miniſtri retia diſsipant, & rurſus aperta vi Echardi miniſtros loco depellunt. Echardus impatiens iniuriæ, ſuis Chorinam conuocatis, mandat: vt viciſsim in Præſulis miniſtros vim faciant: à quo cùm nonnulli diſſentirent, & Præſulem prius appellandum cenſerent: iis minatur, niſi dicto ſtatim parerent, ſe bona erepturum. Cùm igitur præſul, ſuos armatos venatum miſiſſet: Echardus manu itidem inſtructa eos fugat, caſſes & retia aut aufert aut conſcindit. In conuentu tandem Magdeburgio coram Imperatore à legatis Præſulis Echardus accuſatur: cum propter patrem, quem imitari ferocitate videretur, timeret iram & vehementiam Imperatoris, accedere recuſauit: ſed ab Hermano fratre tandem permouetur, vt ſecum vnà proficiſceretur: cùm cauſa ipſorum communis quodammodo eſſet. Literæ immunitatis, cùm publicè lectæ eſſent, cauſam Præſul obtinet. Hermanus ingenio mitiore, temporis cauſa ſe ſatisfacturũ accuſatori promittit: ſed Echardus id cõſtanter negat ſe facturũ: & vim à Præſule profectam conqueritur: & de cauſa prolixius, & nõ ſine acerbitate atq; inuidia diſputat. Frater veritus, ne ad indignationem moueretur Imperator, nimia pertinacia: hortatur vt contentione depoſita, cauſam patiatur tranſigi: deque fundis & ſiluis Præſuli cedat: ne, de agris pugnans alienis, ſuos præterea amittat. Cùm igitur errorẽ fatetur Echardus, cauſa componitur.

Ducis Sueuiæ.

Controuerſia Echardi cum Præſule Mersburgio.

Erat Heico quidam Ameslebius, antiqua vir nobilitate: qui neſcio qua verborum contumelia, hos fratres ambos offenderat: quam quidẽ ita tulerunt iracũdè, vt placari nullis precibus, nulla interceſsione poſſent: qualis ea fuerit, Annales præſulum Mersburgiorum non exprimunt: ſed eis fuiſſe non tolerandam conſtat: quòd ab eorum armis & inſidiis, vindictam expetentium, tutus nuſquam poſſet, extra aliquem locum munitum, conſiſtere: Heico vt ſuæ ſaluti conſuleret, Mersburgum ſe contulit: quæ vrbs iis temporibus (vt dicti modò Annales teſtantur) & murorum firmitate, & Imperatoris præſidio, & Præſulis item patrocinio, in his terris potentiſsima erat. Fratres ambo Præſulem & præmiis & pollicitationibus tentant, atque inuitant, vt hoſtem ſibi dedat: Hermanus de præpoſitura Mersburgia, quam recenter inſtituerat, & eius conferendæ ius habebat, ſe illi ceſſurum promittit: Echardus abbatiam Ienenſem

Heiconi Ameslebio fit infenſus Echardus.

 offert,

Dotes Suaniæ.

offert, atque eius diœceſi ſubiicit: ſed quidquid agebant in hac cauſa, fruſtra agebant. Reſpondebat enim Præſul nolle ſe, cum ſui honoris detrimento, augere honores aut reditus poſterorum: neque decere ſe, vt prodat clientem, virtute & factis nobilem. Hunc præſulis ſermonem amici eius non probabant: decuiſſe enim magis hominem ciuilem, quàm eccleſiaſticum: ipſius muneris atque humanitatis fuiſſe, vt eſſet auctor concordiæ, non incentor tumultuum, cùm non ignoraret fratrum iſtorum & fortunam ſplendidam, & animos præferoces.

Echardus ab Imperatore fit alienior.

Præſulis reſponſo improuido laceſsitus Echardus, & fortaſſe quòd eius querelæ in aula Imperatoria minùs valerent: ab ipſo Imperatore incipit eſſe alienior, & præſuli malè cogitare, vir alioquin à religione non abhorrens: id enim declarauit, quòd Theadagum Pragenſem antiſtitem, obſeruauit: & à Bolislao Bolislai filio pulſum, ſua auctoritate reduxit in gratiam. Credebatur itidem poſt hoc tempus (vt eſt apud Ditmarum) cum Boleslao Rege Poloniæ, inire conſilia, parum ſibi decóra, nec patriæ ſanè vtilia: quòd cùm iniqui homines ſuſpicarentur, ad Imperatorem id deferunt; & patris eius mentione iniecta, cui nec animo impar videbatur, magnis eum grauant calumniis: animumque Imperatoris eò deducunt, vt valde eum ſuſpectum haberet, quem virtute & ingenio valere plurimùm ſciebat, & nocere ſibi poſſe exiſtimabat: præſertim ſi vir tali nomine & vſu, ad hoſtem externum ſe aliquando aut occaſione temporis, aut certa aliqua animi inductione contuliſſet. Igitur decretum in eum promulgat, & ditionem quoque ei eripit, donec ad dicendam ſententiam accederet: ereptam ditionem, ne cupidè agere videretur, Hermano fratri eius, gubernandam committit. Echardus in vrbem Magdeburgum venit eo tempore, quo Imperatoris ſalutandi cauſa, Meſicho filius Boleslai Poloni ibidem erat: num autem regij iuuenis excuſatione, an amicorum precibus, an ſuæ cauſæ æquitate reſtitutus in dignitatem ſit, memoriæ proditum non memini: & calumnia oppreſſum, à factione aduerſaria fuiſſe, non victum argumentis, coniecturis ad credendum adducor; quia magna virtus raró caret inuidia: & ſæpe viri iuſtiſsimi iniquitate & contentione incidunt in pericula.

Tēpli Numburgani quis ſit auctor.

Hunc ego eundem in ſumma omnium Annalium, incertitudine & varietate, templi Numburgani, & (vt alij volunt) ædis etiam Georgianæ ſtatuo auctorem: qui enim ad patrem eius referunt, Suanhildis Saxonicæ maritum, temporibus falluntur: in quo numero ſunt Annales Lauterbergij, & Veterocellenſes: qbus

in re-

in reliquis plurimùm tribuo. Qui autem id collegium & templū, à Conrado II. Imperatore autumant fundatum, Annalibus omnibus contradicunt. Qui Comites Kefernbergios ſuſpicantur fundatores, quòd eorum ibi extiterint inſignia: probatione nimis infirma vtuntur. Echardum cum matre Suanhilde auctorem fuiſſe, conueniens maximè temporibus eſt; & eius ibidem ſtatua palliata indicat, in qua gladius & ſcutum ſiniſtra ipſius cōtinentur; manus dextera pallium obuolutum habet ſupra manū ſiniſtram: alioquin libera & implicita: tunica longitudine pallium æquat. Ducis Saxoniæ

Facies imberbis & læta, capilli criſpantes, cum pileolo rodundo & plicato diuerſorum colorum. Reprehendenda autem meritò inertia atque ignauia Sacerdotum eſt, qui virorum optimorum fortunis & largitionibus, honores & diuitias poſſederunt, & nomina interire paſsi ſunt; quæ ſingulis celebrare horis, ac propemodum momentis debuerunt. Aliis igitur hac monitione inquirendi anſam dare volui: nam aliquid audacius aſſerere in communi ignorantia non debeo.

ECHARDVS, vt ad rem redeam, ad bonam ſenectutem peruenit: in qua Lambertus eius repræhendit delirium, quòd ætate ingraueſcente de vxore repudianda cogitarit: propterea quòd ducere ſtatuiſſet, Othonis Turingiæ Marchionis nuper defuncti viduam, quòd ea (vt idem auctor ſcribit) forma eſſet elegantior, & moribus eius videretur opportunior. Verùm ne ipſe & contra leges, & ſtatuta eccleſiaſtica ageret, conatus eius improbos mortis violentia intercepit. Nam cùm Henricum IV. Imperatorem, Goslariæ ægrotantem conueniſſet, feriis natalis Chriſti ab eo digreditur: cumque domum veniſſet, in febriculam ſtatim incidit; & vitam hanc mortalem clauſit, anno natalis Chriſti, ſupra milleſimum ſexageſimo octauo, ætatis circiter octuageſimo ſexto. 1068.

OTHO

OTHO Echardi ſecundi filius, fortaſſe tenera ætate eſt extinctus: quia eius nulla vſpiam, quod ſciam, extat aut memoria aut mentio.

Duces Carinthiæ.

DVCES CARINTHIÆ E GENTE SAXONICA, & Sueuica.

CVNO I.

CVNO V. Othonis filius, Lodolphi Sueuiæ Ducis nepos, Othonis Magni Imp. pronepos. Vxorem habuit MATHILDIM è Comitibus Quernfurdiis: è qua genuit filios tres, CVNONEM Ducem Carinthiæ, & BRVNONEM Præſulem Vurceburgium, & HENRICVM Lotharingiæ Palatinum. Scribit Hermanus, Comes Veringius Cunonem regnaſſe cum patre annos triginta. Nouerit lector in hoc nomine nō conſentire chronographos, Conradus Vrsbergius enim & Lambertus Schafnaburgius, Cuno ſcribunt: ſed Veringius & recentiores, Conradus: diſtincta eſſe illa nomina intelligunt, qui linguæ noſtræ vernaculæ non ſunt expertes: illud enim ſimplex eſt, & audacem ſignificat; hoc compoſitum, & denotat conſilium audax ſeu præceps. Auentinus fallitur in eo, quòd hunc Conradum, vt ipſe appellat, ſcribit de ſtirpe Conradi fuiſſe, qui Comes Vuormaciæ fuerit: à quo etiam Conradus Saliquus Imperator originem trahat. Verùm ad rem.

CVNO Carinthiæ dominatum, agnati ſui Othonis III. beneficio & auctoritate retinuit; quia cauſam Imperij contra Ducis Bauariæ filios rebelles, fideliter & conſtanter defenderat: patris nimirum morem atque veſtigia imitatus. Erant tum in ducatu Carinthio Marchiones duo; alter in limite orientali aduerſus Vngaros, alter in limite meridionali, contra Slauos conſtitutus: Erant præterea Palatini totidem, vnus in finibus Italiæ Goricenſis, alter in Bauariæ finibus Crainburgius: ſed hi omnes Duci parebāt: cuius ſuprema erat auctoritas. Obiit Cuno anno Chriſti ſu-
1012. pra milleſimum duodecimo: vt ex eodem Veringio docemur; cæſus in prælio, cui nullæ circumſtantiæ ſunt additæ.

CVNO II.

1035. CVNO II. Cunonis I. filius. De nomine aut ſtirpe eius vxoris, nihil legimus: obiiſſe ipſum idem Veringius ſcribit, anno ſupra milleſimum trigeſimo quinto.

BRVNO PRÆSVL.

BRVNO Cunonis I. ſecundus filius, vt Veringius, quem hîc ſequimur, Præſul Vurciburgius: quem etiã Annales eius vrbis, Ducis Carinthiæ filium fuiſſe aſſerunt. Cum Conrado II. Imperatore anno ſupra milleſimum trigeſimo quarto, in Inſubriam proficiſcitur, ad obſidendum Mediolanum: à qua vrbe ventorũ & tonitruum tempeſtate portentoſa, Germani repulſi ſunt; & huius Brunonis conſilio obſidionem ſoluerunt. Nam cùm die Pentecoſtes ſacra in caſtris faceret: & illa tempeſtas militem, equos, tentoria, machinas obrueret: dixit, ſibi diuum Ambroſium apparuiſſe, minantem, niſi de vrbe ſua decederent, omnes mala morte perituros. Imperator igitur cum Mediolanenſibus paciſcitur: & traditis ipſi ad pœnam auctoribus, domum redit. Cùm in Germaniam ſaluus rediiſſet, de bonis matris ſuæ reditus templi ſui auxit: adiectis prædiis & arce Sonnericha, ſita in Veſtualia: nam eam eccleſiæ dicauit cum toto prouentu annuo.

Duces Carinthiæ. *Expeditio Mediolanenſis.* 1034.

Aliam deinde expeditionem ſuſcipit cum Henrico III. Imp. in Vngariam anno ſupra milleſimum quadrageſimo quinto. Cùm autem Imperator in Auſtria in arcem Boſenburgiam è regione arcis Ipſenſis, cum ducibus ſuis præcipuis diuertiſſet: inter cænandum locus, in quo accumbebant, concidit: Imperator in feneſtram quandam confugiens, ſeruatur incolumis: eius miniſtri magna ex parte obruuntur ædificio. Hæc ruina facta eſt XIII. Cal. Iunij. Bruno cum aliis vehementer læſus, die ſeptimo in arce eadem moritur, & Vurciburgum defertur: ſepultus in æde diui Chiliani, quam ipſe ædificiis ornauerat.

Expeditio Vngarica. 1045. *Brunonis mors.*

Hunc Brunonem eſſe memorant, qui in Pſalmos Dauidis commentarios ſcripſit, qui adhuc extant. Item in omnia veteris & noui teſtamenti cantica: qualia ſunt Moiſis, Annæ, Eſaiæ, Ezechiæ, Abacuc: item Zachariæ, Mariæ, Simeonis: item in Ambroſij & Athanaſij Symbola: è quibus & ingenium eius excellens, & peritia in rebus ſacris, & ſtudium diuini amoris mirificum cognoſcitur. Vita eius in omni laude ſanctitatis & religionis eminuit, cum placidiſſimis moribus, & ſermone grauiſſimo: vt eum obſeruarent Imperatores, admirarentur cæteri Præſules.

Brunonis eruditio.

Obiit VI. Cal. Iunij: vt in eius legi epitaphio Bruſchius commemorat.

HENRICVS.

HENRICVS Cunonis primi tertius filius, Comes Palatinus Lotha-

Duces Carinthiæ.

Lotharingorum. Hîc deſerta coniuge, & curis domeſticis relictis, clauſtro religioſo in oppido Goritia ſeſe abdidit: cuius facti cùm ductus eſſet ſera pœnitentia, ad vxorem & ſuas poſſeſsiones redi-it: verùm in furorem verſus, non longè pòſt vxorem ſua manu interficit: & in cœnobium Endernacenſe relegatus, & animi dolore immenſo, atque vexatione conſcientiæ conſumptus eſt. Eius mentio eſt apud Lambertum.

CVNO III.

Cuno Ducatum Bauariæ accipit.

CVNO, Cunonis II. filius, Carinthiæ Dux ſeu Noricorum, vt Vrsbergius, antiquo vtens nomine: filios habuit CVNONEM & VLRICVM: vxoris nomen ignotum. Ille autem propter fidem Henrico III. Imp. præſtitam, ducatum quoque Bauariæ accepit, anno ſupra milleſimum quadrageſimo nono. 1049.

Imperator cùm quarto anno pòſt, conuentum indixiſſet Triburiam: & Henricum filium in ſocietatem imperij aſſciſceret, & ſibi ſucceſſorem crearet: ad eum, cùm cæteri Principes vocati acceſsiſſent, Cuno venire detrectauit: ideo Carinthiam ei Imperator decreuit adimere: & ipſum propter rebellionem exauctorare: eam ambiebant Albertus orientalis Carinthiæ Marchio, Vuelfo Dux Bauariæ, Bertholdus Comes Zaringiæ, qui operam ſuam in Cunone pellendo ſinguli deferebant. Cuno ſuæ defenſionis gratia, arcibus imponit præſidia; & Andream Regem Vngariæ implorat, & auxilia impetrat: pacem deinde & fœdus inter Regem & Imperatorem turbat. Inſtructus igitur milite Vngarico, non ſolùm poſſeſsionem in Carinthia ereptam recuperat: verùm etiam multos ibi nobiles, ſibi infeſtos, expellit; & bona eorum occupat. Imperator in Bauariam ſuas duces copias, eam ſubigit: ademptamq; Cunoni, recens Regi Romanorum declarato, filio ſuo, donat: vt ex eodem Veringio intelligitur. 1053.

Cuno Ducatum Bauariæ iterum amittit. Cunonis mors.

Obiit anno ſequente, nempe ſupra milleſimum quinquageſimo quarto, vt Vrsbergius memoriæ prodidit: vtrum iracundia, quòd ditionem amiſerat; an dolore animi, quòd recuperandi ſpe exciderat; an aliquo caſu alio acerbo: literis non eſt expreſſum. 1054.

CVNO IIII.

CVNO IIII. Cunonis III. primus filius. Huius quoque vxor quæ fuerit, annotatum nondum legi: ſed filij fuerunt, HERMANVS, VLRICVS, LVDOLPHVS. Pater Cunonis Vngarorum

rum auxilio ſuam prouinciam contra Regem Henricum IV. & Vuelfonem Bauarum cui promiſſa beneuolentia Regis erat, defendit: VVELFO quidem nomen ſolùm Ducis Carinthiæ vſurpabat: ſed nondum in poſſeſsionem eius venerat: ideo implorato vicinorum Principum auxilio, adiutus etiam fauore Regis, ducit in Carinthiam exercitum: ei Cuno viribus longè inferior celeritate oppreſſus ceſsit: & vt alio tempore ſuis rationibus conſuleret, in exilium ſpontè abiit: ſibique opes atq; amicicias hinc inde & præſertim ab Vngaris collegit.

Duces Carinthiæ.

Cuno Carinthiam amittit.

Vuelfone interea defuncto, cui Carinthiam Rex rurſus ademerat; eamque BERTHOLDO Zaringio iam obtulerat: Cuno iuſtis copiis inſtructus, prouinciam à maioribus acceptum, cupit recuperare: ſed in ipſo conatu, in morbum incidens, morte inopinata tollitur, anno ſupra milleſimum quinquageſimo 1057.
ſeptimo.

Eius filij ſupplices Regi facti, veniam petunt: patris & aui culpam deprecantur, ſe in officio fore ſanctè promittunt, quos Rex humaniter ſpe bona iniecta dimiſit: cui deinceps tam ſtrenuam & tam perſeuerantem operam nauarunt: vt & honoribus augerentur maximis: & apud eum efficerent, vt Zaringius quoque ipſis cedere cogeretur: quæ fraus tantopere hunc mouit, vt à Rege etiam deficeret. Supererat Marquardus Palatinus Crainburgius, Alberti filius, Henrici IV. gener: qui certas pollicitationes habebat accipiendi totius ducatus, cùm ipſi Palatinatum iam aſsignaſſet hereditarium: ſed Cunonis filij cùm ſe emendaſſent, ipſe Imperator dixit de genero, eſſe hominem ineptiſsimum ad gubernandum; quia ſoleret priuata confidentia fines alienos inuadere. LVDOLPHVS igitur Cunonis minimus natu filius, ad Carinthiæ poſſeſsionem venit: & fratrum opera, dum vixit, retinuit.

Cunonis filij Carinthiam recuperant.

VLRICVS.

VLRICVS Cunonis III. filius ſecundus, Marchio Carinthiæ, creatus orientalis. Vxorem habuit IOIADAM, Belæ Regis Vngarorum filiam: hæc antea deſponſata fuerat Vilhelmo Marchioni Turingiæ: qui cùm eam domum iam deduceret, morbo in itinere periit: ſponſam eius Vlricus iſte coniugem expetiuit, anno ſupra milleſimum ſexageſimo ſecundo, vt in Lamberto le- 1062.
gimus. Vlricus cum Vngaris coluerat amiciciam; Vilhelmus contra ipſos pugnauerat: ita puellam regiam hoſti prius deſponſatam, nunc ſocius gentis in thalamum, nō ſine ipſorum gaudio & gratulatione deducit.

ceſſu,ac antea Lutholdum,armis ſuperat: & vſque ad ſuæ diæce-
ſis terminos perſequitur. Bertholdus pudore ſuffuſus,propter in-
iuriam,quam coniunctam cum ignominia putabat, vt Abbatẽ
vlciſceretur, quidquid is redituum in Briſgauia habebat, ad ſe
transfert violentia:idem faciebat Vuelfo in finibus Bauariæ.Mo-
nachi inopia victus cùm laborarent; querelis ſuorum aſsiduis
Abbas incitatus,ſua ipſe natura impatiens, & vindictæ cupidus,
& aduerſariis quaſi circumuallatus,arma ſumẽda cogitat. Igitur
delectus Heluetiorum agit: & quorum poteſt cunq; auxilia im-
plorat,ferente illi ſuppetias quauis fratre Ludolpho: & Imperatore fi-
nitimos monente,ne fidum ſibi hominem,ſuis opibus deſererẽt,
quicunq; tandem eſſent,qui ipſum oppugnarent; aut ſe eius ini-
micos vel hoſtes oſtenderent & profiterentur. Abbas collectis in
vnum non contemnẽdis copiis, ſtatuit de omnibus, quos vnquã
habuiſſet moleſtos,aut ſibi iniquos,pœnam armis ſumere. In ri-
pa lacus Veneti,qui Podamicus nunc nominatur, oppidũ Marc-
dorfum oppugnat,non ſine difficultate: captum deinceps ſpoli-
at & incendit: Otho Comes,inde appellatus, è manibus eius vix
elabitur. Inde vrbem Bregantiam,defenſoribus non ſatis muni-
tam,occupat; & eandem diripit: & arcem Turgouiæ celebrem
Chiburgum expugnat & ſolo complanat: & eodem ſucceſſu op-
pidula alia in ſuam poteſtatem redigit: villas agroſque vexatos,
ignibus conſumit: tanta omnium trepidatione, vt fuga ſibi po-
tius incolæ conſulerent,quàm ferro ſæuienti reſiſterent. Expleta
cupiditate ſua,captiſque duobus antiquæ nobilitatis viris, Mar-
quardo Comite Bregantino, & Hartmani Comitis Chiburgij fi-
lio,quaſi triumphans domum proficiſcitur.

Duces Carinthiæ.

Echardus interea Abbas Reichenauienſis, quem mortuum
fama nunciauerat,à Præſule Parmenſe dimiſſus, qui eum captũ
detinuerat, ex Italia redit; & cænobium, ab Vlrico occupatum,
amicorum adiutus tacitis auxiliis,recuperat: caſtella quæ extru-
xerat Vlricus,demolitur, & ex eius diæceſi prædam agit: & in
cœnobium Sanctogallinum impetum armatus faciens, Luthol-
dum abbatem exulem reſtituit. Incidit hæc Vlrico calamitas,quã 1080.
miniméprouiderat,in eum annum, quo Henricus IV. extremũ
prælium cum Rege Rodolpho commiſit. Echardus nihil inter-
mittens,quò Lutholdum reſtitutum defenderet; propugnaculũ
extruxit Bernercum in alto montis præcipitio: eique præſidium
validum imponit. Iam excluſum Echardus omni ditione ſua exi-
ſtimabat Sanctogallinum: cùm ille è Turgouia & Zurgouia mi-
lite collecto,ſubitò aduolans; extructum modò præſidium ex-

Vlrici calamitas.

Vlrici bella cum Echardo Reigenauienſi.

 pugnat,

Dotes Ge-rauhie. pugnat, & euertit: præfectum Toggenburgij Volchardum capite punit: nonnulli in oppugnatione oppetiiſſe ſcribunt: nobiles cæteros vinctos abducit. Hermanus Lucelburgius Rex nuper à Saxonibus deſignatus, illos ſeditioſos Lutholdũ & Vlricũ, qui ambo Abbates Sanctogallinos ſe appellabant, damnat & proſcribit; vt Vuernerum quendam Reichenauiũ ei loco præficeret, inſtinctu Echardi: hic autẽ odio inueterato percitus, Dithelmum quoq; Volchardi interfecti fratrem extimulat, vt bellum Vlrico inferret, & cædem crudelem vlciſceretur. Vlricus animo nihilo demiſsior, neq; ſuas ſolummodo, ſed Regis ſimul partes defendens, cùm non neſciret, quid hoſtes molirentur; contra Dithelmũ celeriter mouet: eumq; Toggenburgo expellit: & arcem illam vſq; ad fundamenta diſsipat: quam iurisdictionẽ & quos fundos in hunc vſq; diem Abbas Sanctogallinus poſsidet. Dithelmus Reichenauiam ſe confert, ſuorum ſubditorum magna parte occiſa, abbatem cuius inſtinctu bellum ſuſceperat, accuſat, quòd ipſius culpa & fratrem amiſerit, & ſede maiorum exterminatus ſit, & nihil certius cum ſuis poſthac ſit habiturus, quàm perpetuum exilium. Abbas ad eum confirmandum bellum Vlrico viciſsim infert; & celeriter ſuis expeditis, in hoſtem incidit ad fluuium Zittaram, eodem in loco, in quo antea diximus, arcem Cracerã fuiſſe ædificatam. Signo vtrinque dato, animis infeſtiſsimis concurritur, magna vtriusque partis clade: ſed Vlricus inter primos pugnans, tandem decedit ſuperior: Dithelmum verò ita intercludit, vt nulla eſſet euadendi copia: cui quantumuis grauiſsimas conditiones tuliſſet: eas tamen accipit, modò vitam redimeret atque auferret.

RODOLPHVS Rex Romanorum nouus, annitente Vuelfone Bauaro, Othonem Præſulem Conſtantienſem, quòd Gregorio VII. adimenti vxores legitimas ſacerdotibus, non ſubſcriberet, ſede expellit: Gebhardum Zaringiæ Marchionis fratrem, in locum eius vi introduci iubet. HENRICVS Imperator cùm pro expulſi reſtitutione laboraret; Otho redire noluit, & Baſileæ priuatus obiit. Miſit igitur idem Baſilienſibus Ropertum, quem repudiarunt: miſit Bertholdum, quem ipſe à ſacris habuerat, repudiarunt eundem. Vlrics abbas ferre non poterat, Imperatoris auctoritatem contemni: ideo Gebhardum Conſtantienſem impugnat: & Baſileam, Othonis hoſpitium, obſidet, & ſuburbia incendit: & Gebhardo cedere coacto, Arnolphum Sanctimontanum, Comitem Sueuum, è ſuo cœnobio præſulem declarat; quem Imperator poſtea confirmauit.

Poſt hoc factum vetus Vlrici æmulus, Abbas Echardus, & Marchio Zaringius, propter repulſum fratrem, recenti laceſsitus iniuria, denuo in Vlricum conſpirant: & vt vires hominis audaciſsimi frangerent, exercitibus diſpertitis, ditionem eius adoriuntur. Agmen Zaringius ſuum ipſe ducebat, qui ab oppido Bregantia vſque ad Conſtantiam, & abbatis & præſulis noui, agros omnes rapinis & incendiis deuaſtabat: nulli alij rei parcens, niſi vitæ hominum, non repugnantium. Alteri agmini Echardus præfecerat Adelgaſtum, ex equeſtri ordine virum clarum: qui in Turgouia, à Vualdkircha vſque ad flumen Vrnecham, & Alpes Abbacellenſium, omnia depopulabatur ſine diſcrimine. Vlricus miſertus calamitatis ſuorum: totam Turgouiam vſque ad lacum Podamicum peruadit: qui dum in ſolo hoſtili inter militũ turbam præſens ipſe graſſaretur: interea Burchardus Comes Nellenburgius, Abbatis Reichenauienſis, & Antiſtitis Treuerenſis frater, in cœnobium Sanctogallinum violenter irruptionem facit: & quidquid circũ id erat, nihil relinquit inviolatum & illæſum: religioſos veſtibus nudatos virgis cædit, agreſtes quaſi iumẽta copulatos abigit, omnem penum & ſupellectilem inuentam aufert: quæ agere & ferre nequit, aut corrumpit aut incendit. Tanta vtrinque & data & accepta damna iam erant, vt abbates pertinaces cogerentur arma deponere, & modeſtiores eſſe: donec ciues & agricolæ, qui erant ad extremam inopiam & neceſsitatem redacti, vires recolligerent, & res collapſas nonnihil inſtaurarent.

Duces Carinthiæ. *Conſpiratio in Vlricum Marchionis Zaringiæ.*

Non duo planè anni præterierant, cùm in conuentu Ratisbonenſe inter Præſulis Baſilienſis, qui in exilio tum erat, & inter Vlrici abbatis nobiles, qui ab illis capitaliter diſsidebant, contentio oriretur: ſed præſentia Regis arma illis ſubitò extorquet, pœna gladij propoſita, qui arma ad præconis vocem non ſtatim depoſuiſſet. Comitiis finitis, factio præſulis in agro Sanctogallino ciuium aliquot prædia incendit: ſed ſibi eueſtigio fuga conſulit, ne opprimeretur. 1082.

Circa hoc tempus interfectus eſt Patriarcha Aquileienſis Sighardus, qui Regi Henrico olim à libellis fuerat, quique Rauengero ſucceſſerat. In huius locum Vlricus (Henricum Leander Bononienſis non rectè nominat) ſurrogatur: propter fidem, quá Imperatori conſtantiſsimè præſtiterat: & propter induſtriá, quam in omnibus actionibus adhibebat: ne autem cœnobium eius Echardus & Vuernerus iniuria aliqua afficerent; arci Rachenſteiniæ præſidium imponit: & vt hoſtibus aliis metum

Vlricus fit Patriarcha Aquileienſis.

Ducis Carinthiæ. incuteret, arcē Tuilam in Hegouia ante diſceſſum occupat, quæ Ducis Zaringiæ erat. Vuernerus cùm Vlrici potentiam cerneret; ſe ſponte abdicauit; quòd eſſet Eccleſiæ, quàm contentionum cupidior: ne reliquias cœnobiorum, ſui aut honoris aut commodi gratia, planè euerteret: ſed Zaringius abſente Vlrico, diæceſin eius antea vaſtatam, nouis incurſionibus exhaurit. Baſilienſes itidem iniuriæ veteris memores, ſe vlciſci ſtatuebant: ideo quæ Vlrici bellum cum Zaringio & Baſileenſibus. Abbatis erant, arces & oppida ſpoliabant, & ad cœnobiū ipſum atque vrbem Sanctogallinum propiùs accedebant: ciues ad arma conclamantes, ſecuris hoſtibus ad flumen Thuram occurrūt; & conſerto prælio, eos vincunt. Baſilienſes multi occiſi ſunt, multi etiam capti. Hæc ferè ex Annalibus Reichenauienſibus & Sanctogallinis Iohannes Stumpius collegit: quibus addidimus nonnulla in aliorum monumentis inuenta.

VLRICVS, quàm diu ſedem illam ampliſsimam tenuerit, & quo in loco mortuus aut tumulatus ſit, in Aquileienſibus fortaſsis Annalibus eſt perſcriptum, quos Antonium Contarenum Patriarcham habere, Venetiis me audire memini: & Danielem Barbarum pro ſua egregia doctrina & copia excoluiſſe & auxiſſe, planè mihi perſuadeo.

LVDOLPHVS.

LVDOLHVS Cunonis IV. poſtremus filius, cum patre aliquandiu exulauit adoleſcens: eoque ante tempus, quàm hoſtes è prouincia fugaret, defuncto; Henrici IV. Imp. beneficentia, eandem recipit: cui poſtea fidus ſemper exiſtit. Obiit anno
1090. ſupra milleſimum nonageſimo, ſine hærede.

Ludolphi itaque Othonis Magni Imp. filij poſteritas, in filij eius Othonis Ducis Sueuiæ & Bauariæ trinepote finem habuit: durauitque ab eodem Othone ad huncvſq; Ludolphum, annos circiter octo ſupra centum.

BRVNO HENRICVS.

BRVNO & HENRICVS Othonis Magni Imp. è ſecunda vxore Adelheide, ſecundus & tertius filius præter Othonem II. Imp. ponuntur à Vuitichindo Corbeienſe: ſed de illis, quia nihil vſpiam extat, ipſos prima ætate extinctos fuiſſe, eſt veriſimile.

FINIS LIBRI III.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS

ORIGINVM SA-XONICARVM

LIBER IV.

DE DVCIBVS SAXONIÆ, ET AB HIS PROGENITIS MARCHIONIBVS MONT-FERRATENSIBVS, ET SABAVDIENSIBVS, COMITIBVS SAVONAE ET SALVTIARVM.



IENÆ

Anno D. M. XCVII.

SERENISS. PRINCIPI
ac Domino

D. CAROLO EMANVELI

DVCI ALLOBROGVM, PEDEMONTIS PRINCIPI, MARCHIONI SIZAE,
COMITI MARENNÆ, TARENTESIÆ, BRESSAE, &c.
PRINCIPI SAPIENTISS. FORTISS. Q. DOMINO CLEMENTISS.

ORIGINVM SAXONICARVM

Volumen Quartum

TVM OB ANTIQVÆ PROSAPIÆ CVM INCLYTA SAXONVM FAMILIA COMMVNIONEM SVSPICIENDAM

TVM OB PATERNI DESIDERII IN OPERE ISTO PVBLICANDO VOTVM PERPET.

TVM OB AVCTORIS PRAEDEFVNCTI IN EODEM OPERE DEDICANDO, DE QVO SEQVENTES LITERAE TESTANTVR, ELOGIVM PLANE DESTINATVM

M. JACOBVS FABRICIVS
VOTI REVS PATERNI

PERP. OBSEQVII MON.

D. D.

AD SERENISS. SABAVDIÆ Principem Epiſtola.

QVanto in precio olim, & quàm neceſſarium atq; vtile omnibus temporibus à ſapientiſſimis Philoſophis, aliiſque viris honeſtis & doctis habitum fuerit ſtudium hiſtoricum; & quantum lucis ex eius cognitione literis accedere adhuc ſoleat, nemini ignotum eſt: neque tuam Celſitudinem ſereniſſime Princeps, Domine clementiſſime latere arbitror. Cum enim id circa diligentem & veram geſtorum & actionum omnium inquiſitionem & narrationem verſari videatur: & veneráre rerum ac viciſſitudinum humanarum, atque adeò omnis antiquitatis quaſi iucunda quædam perluſtratio ſit: eaq; de cauſâ lux veritatis, vitaque magiſtra appelletur: dici vix poteſt, quam vehementer ad id amplectendum omnes ſummi viri, & eruditæ doctrinæ clariſſimi hactenus accenſi & rapti fuerint, neruosq; ſuos omnes intenderint. Trogum Pompeium, virum aliàs ab omni eruditione & eloquentiâ politiſſimum, Iuſtinus celebrat hiſtoricus, ob ſummam eius conſtantiam hoc in ſtudio adhibitam: qua difficilem illum ſcribendi laborem, & laborioſam iſtam eo in genere difficultatem minimè ſubterfugerit. M. Catonem Princeps ille Latinæ linguæ Cicero ſummis laudibus euehit: quòd magnorum & clarorum virorum non tàm negocij, quàm otij rationem extare oportere magnificum & præclarum reputauerit: idq; ſine literarum monumentis minimè fieri poſſe iudicauerit. Commendant nonnulli admodum C. Iulium Cæſarem; quòd vehementer eo fuerit ſtudio delectatus: quodque non ſolùm in bello attentè clariſſimorum auctorum ſcripta doctiſſima legerit: verùm etiam rerum ſuarum in Gallijs & alibi geſtarum commentarios tàm ſuccincta & erudita perſpicuitate conſcripſerit, & ad poſteros propagauerit. Neq; hoc ſanè tempore ingrata inacceptaq; eſſe debet eorum diligentia & alacritas: qui, quantum poſſunt, ſtudium ſuum omne conferunt ad hiſtoriarum conſeruationem, & rerum geſtarum deſcriptionem. Quæ quidem in parte, cùm & ab illuſtriſſimo Saxoniæ Electore Auguſto, domino noſtro clementiſſimo, inclytæ memoriæ, parenti quondam noſtro Georgio Fabricio, ſatis diligenti aliàs omnis antiquitatis indagatori, opus hoc de illuſtriſſima proſapia & genealogia Saxonica euoluendum impoſitum fuerit: quod tamen poſt interiectum ſatis longum à morte auctoris (proh dolor) temporis interuallum nunc demum in vulgus emittitur. Cumq; non tam admonitus ab ampliſſimo, nobiliſſimo, & plurimarum rerum vſu præſtantiſſimo viro, Cæſareo & Electorali, dum in viuis erat, conſiliario, S. R. Imperij hæreditariorum Equitum Quatuoruiro, ac Hiſtorico ſummo, Dn. Chriſtophoro Carolouicio; quàm literis illuſtris & magnifici viri Dn. Iohannis Thomæ Langij Comitis Stropianæ, ſupremi tum aulæ Sabaudicæ Cancellarij, ex mandato Sereniſſimi & illuſtriſſimi Ducis Emanuelis Philiberti, domini ſui clementiſſimi, ad dictũ Carolouiciũ manu propria, ſcriptis excitatus; ac multorũ aliorum precibus, certisq; quibusdam de cauſis adductus; cum hac illuſtriſſima & vetuſtiſſima domo Saxonica coniunctionem familiæ Sabaudicæ, cuius autor Geroldus Immedi filius, è ſtirpe Vitechindi ortus, perhibetur: & Montferratenſis, quæ autorem ſuæ habet originis Alramum vel Aldramum (vt ab Italicis vocatur ſcriptoribus) peculiari libro, & quidem hoc in ordine quarto, cõplexus ſit: eundem tam ſub Serenitatis tuæ quàm ſub cæterorum illuſtriſſimorum Electoralium hæredum, & Saxoniæ Ducum nomine iuris publici fieri; & in eo defendendo auctoritatem veſtrarum omnium Celſitud. implorare, viſum omninò nobis fuit. Vt igitur hunc parentis noſtri in illuſtriſſima hac ſtirpe deducenda adhibitum laborem benigne & clementer Serenit. tua ſuſcipere; nosq; ipſius hæredes relictos ſuo proſequi fauore, & beneuolentia amplecti dignetur; humili animi ſum-

miſſione petimus & contendimus. Quantam autem celebritatis & laudis huic veſtra ſereniſſime Princeps familiæ inde emerſurum ſit; quantumq; laboris, vigiliarum, & ſumptuum opus hoc parentem noſtrum conſtiterit: id per ſe ſerenitatem tuam ponderaturam eſſe omninò confidimus & ſperamus. Pegauiæ Nonis Iulij Anno per Chriſtum reparatæ ſalutis M. D.XCVI.

Sereniſſ. Celſitud. tuæ

Subiectiſſ.

M. Iacobus Fabricius Georgij F. ſuo & fratrum ſuorum nomine.

Doctrinâ virtute & pietate præſtanti viro D. Georgio Fabricio, Ludi Miſnenſis Rectori, amico ſuo plurimum deamando.

S. Quod ex libri Syriaci inſpectione nullam te vtilitatem cepiſſe ſcribis, equidem facile credo: ſed de eo dubito, aſſentiaris ne Lucretio affirmanti, hanc ipſam & non Hebraicam linguam eſſe, quâ Chriſtus in terris dum verſatus eſt, uti ſit ſolitus. Quod autem non Saxones ſolùm, & Dalmatæ, quos nominas; ſed etiam multæ aliæ gentes, ſacras literas iam inde à multis ſeculis in ſua lingua legerint: id non modo verum eſſe credo; ſed valdè vtile atq; adeò neceſſarium etiã eſſe ſtatuo. Quale verò ſit factum Heluetiorum, quos nuper translationem Germanicam concremaſſe ſcribis; quibusq; in vrbibus, quoq; conſilio id ſuſceptum fuerit: de eo me abs te certiorem fieri cupio. Ac interim diſſimulare apud te non poſſum, mihi nec factum ipſum, nec exemplum probari. Quod ad Genealogiam Saxonicam attinet, eſt ita, vt ſcribis: quòd cognatus meus in ijs, quæ meo nomine ad te perferre debuit, memoriâ lapſus ſit. Nam mandata, quæ ad te dederam eò pertinebant; cùm & à Sabaudiæ, & à Ferrariæ Ducibus toties tamq; benignè rogatus eſſem: vt coniunctionem Domus Saxonicæ cum domibus ipſorum, alterius quidem à Geroldo quodam Saxone, qui filiâ Othonis (ſi rectè memini) Secundi, clàm patre raptâ, in Allobrogibus conſedit; alterius verò à filiâ poſtremi Guelphi, quæ Azoni Eſtenſi nupſit, deſcendentes ab Agricolâ noſtro, me potiſſimum authore, deſcribi cœptam, ad ipſos tranſmitterem: cumq; Agricolâ mortuo tibi operis ab illo inchoati abſolutio impoſita eſſet, me abs te petere, vt quæ tibi de eâ coniunctione hactenus comperta eſſent, ea mihi pro amicitiâ noſtrâ communicare velles: nam me viciſſim tibi non ſolùm ea, quæ ab Erneſto Brotuffio ijsdem de rebus notata haberem, queq; tibi ad abſoluenda cætera fortaſſe non omninò nulli vſui eſſe poſſent, communicaturũ: verùm etiam honorariũ nõ contemnendum hoc nomine impetraturum eſſe. Quæ cùm ille minus rectè ad te detulerit, hiſce literis repetenda duxi: teq; magnoperè rogo, vt ſi quid fide dignum his de rebus notatum habueris, ſicuti haud dubiè habes, id mihi per ocium ſignifices. Nã vbi primùm mihi à reliquis negocijs tantum vacui temporis conceſſum fuerit: cogito tibi currum aut equos iſthuc mittere, quibus ad me in Hermannianum meum, quod non pluribus, quàm Dreſda miliaribus à Miſenâ diſtat, excurrere; & chartas tuas huc pertinentes tecum ferre poſſis. Libros autem, quos ſignificas, omninò te habere oportet: nec diſſuaſerim, vt præter eos, quos tibi Princeps emendos curare debet, illos etiam, quos Agricola habuit, & haud dubiè alicubi notis peculiaribus inſigniuit, tibi commodato dari roges. Vale, & me tibi amiciſſimum eſſe, tibi perſuade. Dreſdæ 19. die Octobris Anno 1556.

Chriſtophorus à Carlobitz.

MAGNI-

Magnifico viro, nobilitate, virtute, eruditione Ornatiſſimo, D. Chriſtophoro à Carolouitz, Illuſtriſs. Saxoniæ Electoris Conſiliario primario etc. Domino & patrono ſuo colendo.

TYrij olim nobilium vrbium ſe conditores ferebant, Carthaginis, Leptis, Vticæ, Gadium: nec minùs domus Saxonica apud exteros propagata per illuſtres familias, à quâ profecti paternâ maternâq. progenie ſunt Duces Montferratenſes in Liguribus: paternâ verò Sabaudici, apud Allobroges: maternâ tantùm Principes Ferrarienſes in Aemiliâ. Montferratenſes & Sabaudicos ſuæ inſeruit hiſtoriæ Georgius Agricola, Ferrarienſes propter Originem paulò remotiorem planè omiſit: quorum tamen ſtemma in mentione Leutgardæ, Othonis Magni filiæ, poſſet obiter explicari. Verùm de meo inſtituto nihil affirmo, qui nihil volo anticipare: ſed ordinem ſequar ipſius Genealogiæ: quod mihi & ad conſiderationem rerum, & ad vitandam confuſionem eſt accommodatius, præſertim alijs quoq. negotijs in curâ doctrinæ atq. morum cotidiè occupatiſſimo. Montferratenſes auctorē habent Alramum, Vuitekindi III. filium: & Adelheidim, ſeu (vt Itali ſcriptores) Alaſiam, Othonis II. Imperatoris filiam: quam Alramus, vt alij, è monaſterio Quedilnburgenſi rapiens; vt alij, è regiâ abducens; exul in Albingaunos puella non inuita proficiſcitur: ſed is Othoni ſocero reconciliatus, ſuis etiam liberis (ſeptem autem filios habuit) & honores, & principatus ſingulis impetrauit: inter quos vnus Marchio Salutiarum fuit: quam adhuc audio durare familiam. Sabaudici ſuæ nobilitatis principem habent Geroldum Immedi filium. Is cùm aulicum quendam Othonis I. in adulterio deprehenſum interfeciſſet, Arelatem profugit: propter fortitudinem à Galliæ Rege Seuſæ & Morionis dominatum accipit: propter vitæ integritatem, in Diuorum numero habetur. Poſteri eius omni Allobrogum imperio potiti ſunt. Ferrarienſes qui, vt ſuperiores, ſtemma non ducunt, duplici ſunt affinitatis nomine Ducibus noſtris coniuncti; gradibus tamen remotioribus. Leutgarda enim Othonis I. filia, abnepotem habuit Conradum Francum Imperatorem, trinepotem Henricum III. Imperatorem: cuius ſoror eſt Beatrix, mater Mathildæ, ſeu (vt noſtri) Mechtildis: huius autem celebre nomen & ſingularis exiſtimatio, & propter virtutis & fortunarum ſplendorem, per totam Italiam fuit. Eius maritus erat Godfridus: cuius familia non exprimitur, nobilitas ab Italis laudatur: eo defuncto Guelphum per literas è Germania vocauit: ſed is quanto cum dedecore repudiatus ſit, ex Coſmæ Pragenſis ridicula admodum narratione cognoſces, quam ad has literas adiunxi. Alius igitur deinceps electus maritus eſt, Azo Eſtenſis, qui Ducum Ferrarienſium primus auctor perhibetur. Prima itaque affinitas cum noſtris eſt propter Leutgardim: altera propter Marchionem Salutiarum, cuius filia (nomen illius nō inuenio) Herculis I. mater, Alphonſi auia, Herculis II. qui nunc Imperium obtinet, proauia fuit. Salutij autem ex Alrami & Othonis II. ſunt poſteritate pregnati. Minimè igitur rectè Titus Stroza, Gallos eſſe ſcribit, ſanguinis Eſtenſis auctores: cùm ſint reuera Germani & Saxones, materna videlicet proſapia. Plura hactenus non cognoui: ſed vt quodq. ordine incidet, ita à me aut inueſtigabitur, ſi obſcurum ignotumvè eſt: aut tractabitur, ſi obuium atq. expoſitum. Tibi, vir ampliſſime, pro humanitate tuarum literarum ago gratias: ad quas prolixius reſpondere volui: vt quæ notata haberem de initiis iſtarum familiarum, intelligeres. Vnum tamen in literis tuis non aſſequor, de familia poſtremi Guelfi, quæ Azoni Eſtenſi nupſerit. O-

muinò Azones tres fuerunt: primus uxorem habuit Mechtildim, de quo non eſt dubium: alterius ab Italicis ſcriptoribus etiam Mechtildis nominatur, ſed ij non conſiderant tempora: tertius bigamus fuit, prima uxor nominata non eſt, ex quâ genuit Friſcum paricidam: altera Beatrix Caroli II. Regis Siciliæ filia, quæ peperit Raynaldum & Nicolaum. In hac igitur parte adhuc hæreo.

Ab illuſtriſſimo Electore triginta nummos unciales, ad emendos libros, impetraui: Agricolæ hæredes aſperiores fuerunt, à quibus ſine mandato Principis nihil impetraſſem. Caſtigationes in libros eius philoſophicos diligentiſſimè collegi, & typographis impertiam: nec inueni quidquam, niſi quendam libellum medicum nondum editum, de putredine partes humani corporis corrumpente. Quod me inuitas in Hermanianum tuum, benignè facis: & quia meus non ſum, ſi unum alterumve diem præſciero, fruar eruditione & ſapientiâ tuâ cum voluptate. Vale, & tuum me eſſe clientem patere. Miſenâ è ludo illuſtri Calend. Novemb. M. D. L V I.

Georgius Fabricius.

Doctrinâ virtute, & pietate præſtanti viro D. Georgio Fabricio, Ludi Miſnenſis Rectori, amico ſuo plurimum deamando.

S. *Quoniam liber, quem Brotuſius de Velphonum, quiq; ab iis deſcendunt, genealogiâ congeſſit, tàm citò deſcribi non poteſt: viſum eſt interim ipſum autographon ad te mittendum eſſe, ſi tibi fortaſſis ad ea, quæ de Ferrarienſium cum noſtris Principibus cognatione in hiſtoria tua tibi attingenda erunt, alicui uſui eſſe poſſit. Tametſi bonus ille vir, cum Velphonum ſeriem & numerum explicat, ſæpè à ſe ipſo diſſidere videtur. Nam cætera nondum cum aliorum ſcriptis conferre potui. Sed de Velphonibus nos non parum Auentinus adiuuare poteſt: cuius libros hiſtoricos, ſi non habes, equidem non grauatè meos tibi in menſes aliquot commodato mittam. Quod verò ad Sabaudicam familiam attinet, cuius autor Geroldus è ſtirpe Vitechindi ortus perhibetur: magnoperè te rogo: ut ea, quæ hac de re vel ab Agricola noſtro conſignata, vel à te ipſo collecta habes, in formam Arboris redacta, quàmprimum, & ſi fieri poſſit, per hunc præſentem tabellarium ad me mittas. Cum enim intra paucos dies ad quendam Ducis Sabaudiæ Conſiliarium literas ſum daturus: cuperem ſanè aliquod illi operis ab Agricola inchoati, & abs te aliquando abſoluendi, ſpecimen unà transmittere: ne prorſus nihil à nobis hactenus actum aut laboratum eſſe ſuſpicari poſſet. Quod ipſum eò etiam pertinebit, ut nomen tuum Duci illi meliùs innoteſcat: quem planè tibi confirmo non ingratum in te futurum eſſe. Tu modò da operam, ut maturata abſolutione operis tibi ad benignitatem & liberalitatem illius, quàmprimum ipſe aditum patefacias: in quo nec noſtram tibi commendationem defuturam ſenties. Vale. Dreſdæ 26. Ianuarij, Anno à Chriſto nato M. D. L V I I.*

Chriſtophorus à Carolobitz
tuus.

Magni-

Magnifico viro, nobilitate, virtute, eruditione Ornatiſſimo, D. Chriſtophoro à Carolouitz, Illuſtriſs. Saxoniæ Electoris Conſiliario primario etc. Domino & patrono ſuo colendo.

S. D. Stemma Vitechindi Saxonum Ducis, cum ipſius poſteritate Ducum Montſerratenſium & Sabaudicorum depinxi: & quæ de iis collegit doctiſſimus vir Georgius Agricola, deſcribenda curaui. Vides autem multa deſiderari, & in proſapia, & in hiſtoria. Quamobrem, ſi quid aut conſilio tuo, aut opera, aut authoritate, qua vales apud omnes plurimùm, prodeſſe mihi potes, & ad ornandum & ad abſoluendum opus inceptum; à te peto, ne id intermittas: quod iam pro tua virtute ac humanitate ſpontè facere cœpiſti. De Brotufianis miſſis gratias tibi ago: quæ vbi perlegi, recipies. Auentini libros hiſtoricos proximè comparabo. Vale feliciter Miſenæ è ludo illuſtri 4. Cal. Febr. M. D. LVII.

Georgius Fabricius.

Doctrina pietate & virtute præſtanti D. Georgio Fabricio, Ludi literarij Miſenæ Moderatori amico ſuo non vulgari.

S. Genealogiam Sabaudiæ Principum, & cætera quæ inchoaſti eiuſdem generis, vt quamprimum abſoluas oro: Nam ipſe in me recipio tibi hunc laborem & gratiæ & præmio futurum. Vale, ex Hermaniano noſtro XX. Iulij Anno M. D. LVII.

T. Chriſtophorus à Carolobitz.

Magnifico viro nobilitate, doctrina, virtute ornatiſſimo D. Chriſtophoro à Carolobitz, Illuſtriſs. Saxoniæ Electoris conſiliario primario, Dn. & patrono ſuo obſeruando.

S. D. &c. Genealogia noſtrorum ducum partem extremam primùm abſoluere iuſſus ſum; & in ea nunc verſor. Serior igitur erit ad Duces Sabaudienſes acceſſus. Brunſuicenſem Erneſti Brotufii remitto & tibi gratias ago pro libro mecum communicato ingentes. Adiunxi exemplum Virgilianum: in quod præfationem ſcripſi, quâ iuuare ſtudeo adoleſcentes ad poetæ ſapientiſſimi aſſiduam lectionem: mutatæ quoque lectionis cauſas in aliquot locis ſubiunxi eorum gratia, qui auctorem iſtum profitentur. Si tibi homini politiſſimo & acutiſſimo probata fuerit opera noſtra; facilè ſuſtinebo aliorum iudicia. Vale, Miſenæ è ludo illuſtri die XXI. Iulij M. D. LVII.

T. M. deditiſs.

Georgius Fabricius.

Pietate, eruditione, ac morum integritate ornatiſs. viro Dn. Georgio Fabricio: Illuſtris Scholæ Miſenenſis moderatori optimo: amico ſuo incompatabili.

S. Mitto tibi, doctiſſ: Fabrici, literas Illuſtris D. Alphonſi Carretti Principis, ac Finarij Marchionis, nudius tertius Pragâ per veredarios ad me miſſas: ex quibus intelligere poteris, quid velit Celſitudo ſua. Memini me olim huius Principis mentionem per epiſtolam apud te feciſſe, ac oraſſe, vt, ſi fieri poſſit, eius Celſitud. genealogiam, hiſtoriæ Principum Saxoniæ quam texendam annis aliquot præ manibus (vt fertur) habuiſti, inſereres: cùm ſtemma ſuum, ex proſapia Ducum Saxoniæ

ducere, glorietur. Recepiſti tùm temporis id ipſum facturum, ſi prius de quibuſdam quæſitis certior fieres. Quæſita verò illa ſua Celſitud. procuratori, ſiue agenti, Auguſtino Sumaripæ, viro bono & docto, in aula Cæſarea commoranti, ſtatim ſignificaui: ſed nihil reſponſi ab illo accepi hactenus. Quæſo itaq; te etiam atq; etiam, vt lectis hiſce literis ad me ſcribas, num in ea hiſtoria aliquid annotaueris: vt habeam, quid Principi reſpondeam: atq; illas perlectas, unà cum tuis, au me remittas. Vale vir opt. cum vxore & liberis tuis. Ex arce Dresdenſi IIX. Calend. Aprilis Anno Salutis M. D. LXVII.

Iam pridem te monere huius rei debuiſſem, precante Principe; ſed certè per obliuionem, ſenij comitem, à me prætermiſſum & neglectum fuit. Rogo ſcribas, an adhuc aliquid tuis inſeri poßit, quum lucubrationes tuæ ſub prælum nondum ſint datæ.

Ioannes Næuius.

Illuſtri & Excellenti Viro Domino Chriſtophoro à Carolovvitz Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario etc. Amico præcipuo, & vti fratri Colendiſſimo.

EX literis D. V. plenis officij & omnis in me beneuolentiæ, quas mihi Dominus Chriſtophorus Pfirtz Cæſ. Maieſt. aulicus reddidit, magna & incredibili ſum lætitia affectus: quæ enim optabam de D. V. ſalute intellexi; cum antea multis annis, quamvis ſtudioſè à multis ſciſcitatus, nihil tamen certi de veſtra incolumitate comperiſſem. Addidit verò huic meæ lætitiæ cumulum, quod longo interuallo in aula ſacratiſsimi Imperatoris vos intelligam reuocatum: cui propter egregiam veſtram virtutem, quemadmodum & clariſsimus & meritiſsimus Procancellarius Zaſius noſter, ſis cariſsimus.

Quod ego cum ſereniſſ. Duce Domino meo cui optimè utriusq; veſtrûm ſingularis præſtantia eſt cognita, cum magna eius voluptate crebris ſoleo uſurpare ſermonibus: cui etiam nuper ſalus nomine veſtro, & Clariſsimi Vicecancellarii nunciata fuit iucundiſsima: cumq; ei literas D. V. ad me ſcriptas perlegiſſet: mirum eſt, quanto gaudio fuerit perfuſus, ſuperiorum temporum & veſtræ benevolentiæ recordatione: mihiq; diligenter mandavit, ut D. V. & Illuſtri Domino Zaſio ſalutem plurimam referrem: & ſuum omne ſtudium ac benevolentiam veſtræ dignitatis & utilitatis augendæ & tuendæ, quæcunq; uſquã ſe dabit occaſio: pollicerer; eiusq; verbis D. V. ſignificarem, ſi quidpiam veſtra diligentia inveſtigatum, quod ad familiam Ducum Subaudiæ cum Saxonica pertineat, ad nos tranſmiſerit, ut ad priora noſtra reperta adiungamus. De rerum autem noſtrarum ſtatu & conditione Aulicus hic veſter, qui ad vos mandatis ex animi ſententia confectis revertitur. Quam ſupereſt ut obnixè rogem veſtram conſuetudinem & memoriã (quod adhuc ſua humanitate fecit) in poſterum retineat; & ſibi perſuadeat, nihil mihi eſſe optatius, quam ut aliquando oblata occaſione vel opportunitate illi aliqua in re uſui eſſe poßim. Vale amicorũ præcipue & D. colendiſsime.

Deus

Deus Optimus Maximus omnia ſemper læta & fauſta (vt precor) concedat. Perilluſtrem Dominũ meum Zaſium meo nomine ſalutabis diligenter. Auguſtæ Taurinorum tertio decimo Kalend. Maij 1569.

Illuſtris & excellentis D. V.

Addictiſsimus & propenſiſsimus ſeruus Io. Thomas Lang. Comes Strepianæ ſupremus Cancellarius Ducis Sabaudiæ.

Viro optimo ac doctiſſimo D. Georgio Fabricio, Illuſtris Scholæ Miſenenſis, Rectori; amico ac ciui ſuo chariſs.

S. Nolo, mi D. Fabrici, vt pro exiguis illis meis erga te officijs exhibitis, gratias agas mihi: tua enim pietas, doctrina, ac morũ integritas, maioru exigunt, quàm referre gratiam tibi poſsim. Gratulor tibi plurimum reſtitutam tuam priſtinam corporis bonam valetudinem: atq; precor Deum, vt firma ac conſtans maneat, quò prodeſſe Eccleſiæ ac iuuentuti diu poſsis. Moneo etiam, vt rationẽ ſanitatis tuæ ipſe habeas, nec te tàm multis ac improbis laboribus maceres: ſed facias, quæ citra corporis noxam, commodè fieri queant. Cum D. Quæſtore primario tua cauſa ſum loquutus: pollicetur ſuam operam. Heri, mi Fabrici, ab Illuſtriſs. D. Marchione Finarij è Praga accepi literas: quas tibi legendas offero, illas mihi reddes, vbi perlegeris: Ex ijs enim intelligis, quæ abs te poſtulat. Si etiam volueris Celſitud: ſuæ reſpondere: ad me epiſtolium tuum mittas; & ego curabo, vt vnà cum meo, ſuæ Celſitud: per veredarios præſentetur. Vale vir opt: cum vxore ac liberis tuis ſuauiſsimis. Ex Dresda ipſa vigilia diei Sacratiſs: reſurrectionis Chriſti ſeruatoris. Anno ſalutis M. D. LXXI.

Ioannes Nauius.

GEOR-

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS

ORIGINVM SAXONICARVM

LIBER IV.

DE DVCIBVS SAXONIAE, ET AB HIS PROGENITIS MARCHIONIBVS MONTFERRATENSIBVS ET SABAVDIENSIBVS, COMITIBVS SAVONAE & Salutiarum.

DVCES SAXONIÆ.

Vuitechindus Magnus.
vxores eius duæ:

1. GEVA Sinardi Regis Daniæ ſoror.

- *Vuigbertus. vxor Sindacilla Rabadoni R. Phryſiorum F.*
  - *Vualbertus. vxor Reinhildis Com. Mersburgo.*
    - *Regebertus cælebs.*
    - *Dithericus. vxor Heduigis M. Cleuenſis filia.*
      - *Mathildis vxor Henrici I. Imp.*
    - *Vuitechindus. vxor Iutta Ducisſa Burgundiæ.*
      - *Valramus Dux Montſerratenſis.*
    - *Immedus. vxor Hemma Duciſſa Bauariæ.*
      - *Geroldus Dux Sabaudienſis.*
  - *Armegardis vxor Ludouici I. Pij Regis Franciæ & Imp.*
- *Haſula vxor Bernonis C. Ballenſtadij.*

2. SVADANA Lecki Ducis Boemiæ F.

- *Vuitechindus, auctor STIRPIS BVDSECIAE.*

VVITECHIN-

VVITECHINDVS MAGNVS.

Vuitechindus Magn.

VVITECHINDVS MAGNVS, Vuernechini Regis filius, à Ditmaro Rex, à Gemblacenſe Dux Saxonum nominatur; ab Vrsbergio vnus è primoribus Vueſtualorum: Annonius & Regino ſine honoris appellatione eius nomen ponunt. Origines & chronicum Brunſuicenſe vocant Ducem Angriuariorum. Vxores duas habuit. Primam vocant Annales Brunſuigij Geuam ſororem Regis Daniæ Siuardi ſeu Sigefridi; vt Annonius, Vrsbergius, Crãcius. Ex hâc geniti Vigbertus, & Haſala filia, vxor Bernonis Comitis Ballenſtadii, vnius è nobiliſsimis Duodecimuiris Saxoniæ. Hæc eſt ſepulta Bertilshemij, vt Origines: in diœceſi Oſnaburgiâ, vt Sarctorius. Alteram ponunt Origines, Suatanam, Lechi Ducis Boemiæ, item Soraborum & Taleminciorum Principis filiam. Ex eâ prodiit VVITECHINDVS prima ſtirps Marchionum Miſnenſium, vt proximo libro ſequente dicetur.

Vuitechindi Magni bella cum Carolo Magno.

VVITECHINDVS Magnus, de quo modò nobis ſermo eſt, bella geſsit annos continuos tres & triginta, (vt Eginhardus ſcriba Caroli, & Helmoldus Præſul Lubecenſis ſcribunt) cum CAROLO Rege Francorum I. Carolus enim amore religionis Saxones cupiebat imbuere, & eis veram ſalutis rationem tradere: vt omni reliquâ Germaniâ in cognitione Dei inſtitutâ, & ipſi ab errore & vanitate deſiſterent: & Deum omnipotentem, qui ſe in filio patefecit, & ſuo Spiritu pectora illuminat, adorarent. Erant enim tum Saxones (vt idem Helmoldus) gens ferociſsima, vt Annonius, diriſsima & ſæuiſsima: & cultu deorum vano dedita atq; obcæcata: quâ re fiebat, vt neque diuina neque humana iura vel polluere vel transgredi inhoneſtum arbitrarentur, vt idem teſtatur Eginhardus. Quamuis autem per ſuos præfectos Francicos, ſæpè in agros illorum & regionem incurrerat: (nunquam enim ceſſare ab iniuriâ & rapinis ſolebant:) tamen conuentu primùm Vuormacienſi, iuſtam expeditionem de multorũ Principum conſenſu facit, & bellum magnum in Saxones decernit, anno à nato Chriſto ſupra ſeptingenteſimum ſeptuageſimo ſecundo, vt eſt apud Reginum & Lambertum. 772.

Primum bellum Caroli Magni cum Saxonibus.

Igitur opinione ipſorum celerius, ad Viſurgim fluuium contendit: agrum vaſtare incipit; & Hartesburgum, maximum ipſorum præſidium, ad Lippam euertit. Ibidem idolum gentis CRODVM nomine (Saturnum eſſe volunt) diruit & cremat. Tum proficiſcitur ad templũ auguſtum, & illis celeberrimum ac frequen-

Vuitechindus Magn. Irmeſulum. frequentiſsimum, donis etiam opulentum Irmeſulum; vel à Mercurio Græcorum, vel à Marte nomen habens. Imago ſtatuæ erat vir armis terribilis, & gladio accinctus. In galea ſtabat gallus, loco coni: in thorace expreſſus vrſus: in clypeo, leo. Manu dextera ferebat vexillum, cum inſigni roſæ rubeæ: in ſiniſtra, bilancem æquilibrem: quæ item in clypeo ſpectabantur. Hoc numen gentis erat tutelare & commune, ſed & popularia alia multa. Hoc templum Carolus initio ſpoliat, magnis theſauris inde aſportatis: deinde cremat, etiam ſublatis loci religioſi veſtigiis. Cum ad idem demoliendum, moram traheret: aquæ inopia triduum laborat exercitus: effuſa autem protinus, miraculo quodam aqua torrentis; militem recreat: & quod cupiebat, perficit ex ſententiâ. Euocatis deinceps primatibus Saxonum, quos imparatos fuerat aggreſſus, & qui ſe in loca tuta contra primum impetum abdiderant, cum iis paciſcitur: inde in Franciam prædâ onuſtus redit: & duodecim ſecum ducit obſides, è nobilitate. Hiberna tum traducit Dedenhouam, olim Dedonis villam appellatam.

773. *Saxonum defectio à Carolo M.* Ineunte vere bellum facit DESIDERIO Regi Longobardorum in Inſubriâ atque Liguriâ. Saxones abſente Carolo, non ſolùm vniuerſi deficiunt, & ſe aſſerunt in libertatem: verùm etiam ſponte in Franciam proficiſcuntur: & vlturi templi ſui vaſtationem, Friteslarianum in Heſſorum finibus, incendere moliuntur: ſed miraculo ab iniectione ignium defenſum locum ſacrum, Regino & alij ſcribunt: immiſſa ipſis diuinitus turpi trepidatione confuſos fugiſſe, tradit Annonius. Arce quoque Brunoburgiæ à Brunone, Vuitechindi fratre cognominata, in quam Franci confugerant, cum flammas illaturi eſſent: neque ſtuppæ neque ligna arſerunt. CAROLVS intellectâ ipſorum defectione & maleficio, per præfectos ſuos, ter dimicat cum Saxonibus, & totidem victoriis potitur. Circa hoc tempus conditam ad Mœnũ Saxenhuſiam è regione Francoforti, nonnulli ſcriptum reliquêre, quòd è diuerſis ripis caſtra habuerint vtrique populi: idque non ſolùm eſt in Franciâ factum, ſed in aliis quoque prouinciis, vel illo ipſo tẽpore, vel poſteriorib. Henrici IV. ni Haſsiâ, Turingiâ, Miſniâ: vt circa ripas fluminum villæ & oppida ſint, quæ à caſtris Saxonum & Francorum nomina retinuerint. Poſt illa prælia rurſum irruentes Francici præfecti, cùm obuium hoſtem non haberent, prædas latè agunt in agris & miſcent incendia.

774. *Altera expeditio Caroli M. in Saxones.* Cum ipſe bellum Longobardicum confeciſſet, & cepiſſet DESIDERIVM, & filium eius ADALGISVM fugaſſet: expeditionem

tionem in Saxoniam facit: Sigeburgum caſtellum capit. Hartes- *Vuitekindus Magnus.*
burgum inſtaurat, & in formam ampliorem reducit: & prope arcem Brunoburgiam, de tranſitu Viſurgis, cum hoſte contendit: & ripam vtranque non ſine multorum cæde occupat. Exercitu igitur diuiſo, alteram partem mittit in Saxones orientales, verſus Vueſtoualiam: alteram in ſeptentrionales, verſus ericetũ Luneburgium. Ad Ocram fluuium orientales omnes acceſſerant, cum Haſinone duce ipſorum, qui ſe Regi parituros ſacramento confirmabant, & clementer à Carolo dimittebantur. Acceſsit poſtea Angriuariorum Dux Bruno ad pagum Buccium, qui iiſdem legibus ſe Carolo Regi tradidit. Hæc initia ſatis auſpicata, magnam Carolo gloriam & beneuolentiam peperêre. Interea ſummis viribus pugnatum eſt in eos, qui trans Viſurgim erant: vtranque enim, vt dixi, ripam Franci tenebant. Itaque his vlterioribus victis ac remotis, illis factis obedientibus, Carolus & prædâ & ditione auctus eſt: & acceptis obſidibus, ac munitis præſidiis, iam pacatam in poſterum fore Saxoniam ſperabat.

Miles Francicus ad Viſurgim Hudbeccium tenebat: qui in otio viuens, & cuſtodias negligenter agens, & in pabulatione ſæpè ſerò domum rediens, animaduertebatur à Saxonibus: qui facinoris præclari nacti occaſionem, certo die circa crepuſculum ſe colligunt; & vnà cum incautis & diſperſis hoſtibus, præſidium ingrediuntur; cumq; alios inermes viderent, alios dormientes; & alios inter pocula ludentes offenderent; enſibus ſtrictis eos petunt; nec paucos in clamore & tumultu occidunt, donec aliis exſuſcitatis, propter paucitatem cedere rurſus cogerentur; ſed antequam illi ſeſe expediiſſent, & ad arma veniſſent, in locum tutum Saxones ſeſe tum receperant.

Dum Carolus id temporis detineretur bello in Italiâ; rurſus in ſeptentrionali Saxoniâ motus noui. nam dominatus Fran- 776.
cicus erat Saxonibus intolerabilis, qui & religione, & victu, & vitæ reliquæ conſuetudine, plurimùm inter ſe diſcrepabant. Ad Hartesburgum expugnandum toto impetu agmina Saxonum contendebant, primum pollicitationibus magnis conantes perſuadere, vt de præſidio Franci decederent; deinde maximis terrentes minis, ſi in propoſito pertenderent; cumque ad oppugnationem ſeſe accingerent omnibus viribus, nihil laude dignum præſtiterunt. Idem cùm tentarent ad arcem Diſemburgiam; etiam cum dedecore & clade ſuorum reiecti, & fugati vſque ad Lippam fluuium ſunt.

Vuitechindus Magn. Eam ob cauſam altera comitia Carolus indicit Vuormaciam, quarto anno poſt, quàm priora eſſent habita. De bello Saxonico præcipua fuit diſputatio: nam ei reliqua negocia poſtponebãtur. Principes ſuadebant, id porrò ducendũ longius, cùm iam res Frãcicæ meliore ſtatu eſſent: toties violatam à Saxonibus fidem, non relinquendã impunem. Eſſe, tot victorias de iis partas, fauoris diuini indices: aliquas enim oblatas cælitus & miraculosè. Præterea vires gentis magnâ ex parte debilitatas, interfectis viris fortiſſimis. Religionis iacta fundamenta, in quam vir Princeps cõſenſerit Bruno, frater Vuitechindi; plurimos adhuc eſſe eâdem mente atque ſententiâ. Obſtare vnicum Vuitechindum, & qui eius ſequantur factionem: de hoc explorandum, corrigi, an euerti malit. Decernunt omnes rem bene feliciterq; cæptam oportere continuari. Euocantur Saxones, vt in vrbe Padelbornâ ſe ſiſtant: cui mandato parent cæteri, qui frequentiſsimè aderant, excepto Vuitechindo, quem Francorum conſilia non latebant: &
777. ipſe declinare cupiens magnum periculum, ad ſororium ſuum Regem Danorum, ſeu (vt illorum temporum ſcriptores) Normanorũ, ſe conferebat. Vuitechindi abitu è patriâ nemo dubitabat nouos aliquando tumultus fore: ideo Carolus Rex maiore humanitate erga gentem Saxonicam vtebatur: & Præſulibus, quibus curam ipſorum mandauerat, præcipuè iniungebat: vt mentes rudes & aſperas tenerent ſeueritate quâdam leni ac paternâ: mitigari eos & tractari poſſe: cogi ac frangi, futurum perdifficile: ſe videlicet non fortunas eorum aut libertatem quærere, ſed illis animorum cultum & ſalutem cupere inſerere. Proponi igitur iubet mandata quædam, plena beneuolentiæ; & inuitari multitudinem ſpe præmiorum, ſi in fide Chriſtianâ perſiſteret, & errores ac ſuperſtitionem veterem mutari permitteret. Igitur cùm voluntates erectas vulgi cerneret: prope Lippæ fontem maxima hominum turba, virorum atque mulierum, iuuenum item ſenumq;, ad Eccleſiæ ſocietatem aggregatur: tum præſulatus tres conſtituuntur, Bremenſis, Verdenſis, Padelbornius: quibus dati ſunt paſtores Vilradus & Suibertus Angli, & Saxo Harimarus: vt in diœceſes Eccleſiaſticas Saxones diuiſi, faciliùs parerent: & res ſacras rectiùs diſcerent: & minùs grauarentur, ſi viri eruditi & prudentes eis præeſſent.

778. Carolus propter incurſionem Saracenorũ vocabatur, ad defendendam Hiſpaniam: idq; iter & animo magno ſuſcipit, & perficit felici auſpicio, & Saracenorum tyrannide regnum illud præclarum liberat. In eâdem expeditione Hunoldum Aquitaniæ turban-

Caroli Magni expeditio Saracenica.

turbantem capit: & Lupum, pernicioſa ineuntem conſilia, compeſcit. Abſentiâ Regis permotus Vuitechindus rumorem ſpargit de Carolo in Hiſpaniâ à Saracenis occiſo: quâ ratione effecit, vt aliqui deficerent, ſpe inani recuperandæ libertatis. Exercitu igitur tumultuario comparato, percurrit totam Saxoniam: templa nuper condita incendit: præfectos Francos occidit: Præſules expellit: auſus etiam progredi longius, totam Rheni à Vueſaliâ vſque ad Tuitium infeſtat: (Tuitium autem Coloniæ ciuitati contiguum eſt, vt ſcribit Regino, è regione videlicet illius Vrbis ſitum:) inde vſque ad Confluentiam & Moſellæ oſtium, vicos villasque ferro & igne vaſtat: nulli ſexui aut ætati parcit: vt facilè appareret, eum non prædandi, ſed vlciſcendi ſui ſuorumque causâ, è patriâ excurriſſe. Eius aduentus, quo minus opinatus, tantò fuit calamitoſior.

779. *Vuitechindus Saxones ad defectionem ſollicitat.*

Rumore illo delato ad ſe, CAROLVS Antiſsiodoro cohortes Francicas & Alemanicas mittit, qui Saxonum furorem & arma coërceant: hi viſis hoſtibus perterriti, ſe palantes in fugam dant: quos Franci in Haſsiâ comprehendunt ad Aternam fluuium, cuius tranſitu eos prohibere Saxones conabantur. Pugnâ cōmiſſâ, victoria ad Francos diuertit: qui ſtragem ingentem edunt; timidiores in flumen agunt: repugnantes ſternunt.

Francorum de Saxonibus victoria.

CAROLVS interea Tuitium veniens, conuentus agere, & in Saxoniam rurſus properare: cui ſe iuxta ſiluam, nomen à Fagis habentem, Saxones audent opponere: & fortiter quidem ipſi pugnant: ſed & eo prælio, quod nouum iam erat, ſuccumbunt. Tota igitur Saxonum ditio citra & vltra Viſurgim, in poteſtatem redigitur: obſides imperantur: ſacramentum exigitur: leges ſeueriores dantur. Templa quæ violauerant, inſtaurare coguntur: eâque de causâ capitis pœnas nonnulli luunt. Qui euaſerant è Francorum manibus, inter Vandalos ſibi ſedes conſtituunt: quæ pars poſtea nuncupata Oſtoualia eſt: aliqui etiam ad oram Balthicam ſe conferunt, & ad ſinum Codanicum.

780. *Caroli M. tertia expeditio in Saxones.*

Alterius anni initio, ſolutis Vuormacia hibernis, rurſus in Saxoniam CAROLVS contendit: vt tandem illam totam prouinciam, toties tantoq; ſuo incommodo rebellem, in ſtatum aliquem certum redigat: & commodis rationibus omnem componat. Veniens Heresburgum firmiſsimum propugnaculum, ibique habitans aliquandiu; circum id copias domeſticas diſtribuit. Ad Lippæ fontem populum Saxonicum denuò conuocat, vbi ſe inſertos Eccleſiæ nouerant: ibidem admonendos curat fœderis & officij: & quam fidem Deo dederint, & quam obedientiam

781. *Quarta expeditio Caroli M. in Saxones.*

Vuitechindus Mag. tiam ſibi polliciti ſint, in animos illis reuocat: & ſatis acerbè perfidiam ac leuitatem arguit: & ſi in poſterum rebelles fiant, & Vuitechindi partes foueant, minitatur & fortunarum, & libertatis, & patriæ rerum in vitâ cariſsimarum amiſsionem. Hoc modo de integro placatur Saxonia: & ad cõfluentes Oræ atq; Albis fluminum, multi rurſus Saxones colliguntur ad Eccleſiæ ſinum. Conſtituit annuos porro conuentus in Saxoniâ: vt turbulentis & factioſis hominibus occaſionem rebellandi adimeret: & qui modeſtiores haberentur, in officio retineret: ideo & Regem Danorum, & Principes Slauorum, qui legatos miſerant, benignè dimittit: neue receptum aut hoſpitia ſeditioſis darent, adhortatur.
783. *Saxonum rebellio.* Vitechindus in omnia conſilia & opera Caroli intentus; ipſo abeunte, res nouas ſubitò molitur: nec enim potuit animum ſuum vincere, vt Francis obtemperaret, aut patrios ritus atq; religionem maiorum relinqueret. Accedebat alius tumultus à Sclauis excitatus. Nam ii, qui inter Salam & Albim habitabant, prædæ causâ primùm Turingiam, tum etiam Saxoniam ſunt ingreſsi: non leui ſuſpicione, ipſos aut allectos aut accerſitos à Vitechindo, homine aſtutiſsimo; vt eorum viribus ſe tueretur, qui iam certò ſuis confidere non audebat. Sperabat Carolus ſe Saxones habituros adiutores, quos & armorum cupidos & auidos prædæ nouerat: tres igitur duces eligit Adalgiſum à cubiculo, Geilonem ſtabuli comitem, & Volradum Palatij magiſtrum: quibus belli curam & adminiſtrationem mandat. Saxones odium ſuum in Francos, tegere aut diſsimulare non poterant; cumque duces Caroli non ſatis inſtructos milite cernerent: in ampliſsimam prædam intuentes; & Francos primum vlciſci ſtatuunt, & Slauos arcere ſe poſſe confidunt. Igitur duce & impulſore
Francorum clades. Vuitechindo, copias Francicas in Sunthalâ inuadunt: & loco pugnæ ſuperiores, viros ſpectatos & illuſtres, Adalgiſum & Geilonem, in acie cædunt: reliquum exercitum in fugam coniiciunt: Slauos, ne progrediantur in ſuam prouinciam longius, prælij iſtius ſucceſſu terrent.

Quinta Caroli in Saxoniam expeditio. Carolus animo ferens hanc cladem iniquiſsimo, in Saxoniam properat, plenus iracundiæ: & ad fluuij Alaræ oſtium, quo ſe in Viſurgim exonerat, caſtra metatur: & auctorem illius ſeditionis curioſè inueſtigat: tantique facinoris caput, omnium indicio atq; ore, depræhendit Vuitechindum. Eum cùm vinctum ſibi tradi ſine recuſatione & morâ poſtularet: ille iam in Saxoniam interiorem ſe abdiderat: & ad loca maritima, ſinumq; Balthicum apud amicos latebat: non antè aut obſeruatus, aut hoſti

conſpicuus,

conſpicuus, quàm damno aliquo ſe præſentem fuiſſe demonſtraſſet: inſidiis videlicet inuictus, pertinaciâ importuniſsimus. Cùm Vuitechindum deditione conſequi, ſe non poſſe cerneret, eius militem ſocium tradi ſibi poſtulat: quod niſi fiat, genti internecionem minitatur: nec mitigari aut leniri animus Caroli aliâ ratione potuit. Fortes enim antea viros, & modò duces cariſsimos ſe amiſiſſe, vehementer dolebat: iamque gentis toties domitæ ſæuiciam perpetuam, & omnis iuris violationem odiſſe iracundè cæperat. Miſsi in caſtra regia ſunt captorum Saxonum millia quatuor & quingenti: deuota in pœnas capita: quos vno die in conſpectu exercitus Francici, gladiis cædi iuſsit ad pagum Fredam iuxta Alaram. Territi exempli grauitate, & animaduerſionis conſtantiâ, populi Saxonici, animos demittunt: & humilitatē coram Carolo ſubmiſsè profitentur: & ſe iuſſu atque auctoritate ipſius victuros iurant: ſeq; facti ſui duci pœnitentiâ, habitu lugubri oſtendunt. Ipſe ad Albim exercitum promouens, vltra Ocrā fluuium, in Orheimo oppido Bardogunos, Hutangos, & Nordlingos, (alij Norduitas vocant) quos ſuæ ditionis & poteſtatis fecerat, vndis ſalutaribus abluendos ritu Chriſtiano imperat: hominum poſtea decem millia cum vxoribus & liberis, per Belgiū atque Galliam in colonias more ſeruili diſtribuit: ne à certâ religione deficere, aut tumultus noxios facilè ciere poſſent.

Vuitechindus Magn.

Hominum odium crudelitate ex animis non extirpatur. Igitur quamuis hic annus ſupra ſeptingenteſimum octuageſimus tertius, Saxonibus valde fuiſſet calamitoſus: altero tamen ſtatim neſcio quâ inſaniâ rebelles fiunt; parati aut interire prorſus, aut iugum Francicum de ceruicibus excutere. Carolus iam laceſsitus, & adhuc ardens, in fine Maij menſis, in Saxones properat: & eorum exercitum in campo Thitemallo non procul à monte Oſnego, vt Eginhartus vocat, magnâ potentiâ diſsipat atque deiicit: qui mox recollectus, ad Aſam flumen, non procul ab vrbe Aſaburgo, quæ nunc Oſnaburgum dicitur, Hengeſti & Horſti antiquorum Saxonum patria, pugnæ accingitur. Carolus caſtra habebat Padelbornæ: & copias è Francia, & è populo Rhenano maiores expectabat. Verùm cùm certior de Saxonum apparatu fieret: eas, quas habuit præſentes, recenſet, & in conſpectum hoſtiū alacriter ducit: nec Saxones Francorum præſentiâ territi, alacriter pugnæ ſignum dant, & viribus maximis dimicant: quam pugnam durauiſſe dies continuos tres chronicum Brunſuigium teſtatur: ego ſæpius repetitam, & ſemper (vt fit) inſtauratam intelligo. Cæſo exercitu ſuo, Vuitechindus in arcem à ſe dictam ad

784.

Sexta Caroli in Saxones expeditio.

Vuitechindus Magn. Viſurgim, veſte vili indutus, ſe recipit, quietis cauſâ: ſed tertio mox die in locum tutiorem ſe confert: audiuerat enim ſequi Francos ad ſe obſidendũ, eius diſceſſu per hominem certum cognito, oppugnatio intermittitur.

785. *Saxones Friſios in belli ſocietatem vocant.* Saxones extrema adhuc omnia tentantes, Phryſios in ſocietatem vocant, hoc maximè prætextu: ſi victores eſſent Franci futuri, itidem ipſorum libertatem ac patriam fore in periculo: ſe ſuperbiam Francicam omnibus hominibus intolerandam, vel internecione excuſſuros: nec Phryſij ab illorum conſilio abhorruerunt. Hæc agi cùm animaduerterent Franci, & atrociſsimarũ diſcordiarum ac factionum nullum eſſe finem viderent: de opprimendis omni ſæuitiâ Saxonibus, attentè cogitant. Itaque exercitum duplicem CAROLVS conſcribit: vnum qui in Vueſtoualiam irrumpat, cui præfecit CAROLVM filium, adoleſcentem paternæ virtutis imitatione animoſum: ipſe per Turingos atque Hercinios in Oſtoualiam meditatur irruere. *Carolus duplici exercitu in Saxoniã mouet.* Vueſtouali & Phryſij conſederant Lippenhemij, qui pagus in ripâ fluminis iacebat: ad quos adoleſcens tyro profectus, agros villasque incendiis & cædibus exhaurit: ipſos loco pellit: & ad Ducium pagum totum equitatum in eos immittit: manusque acerrimè conſerens, diſcedit ſuperior: in fugâ capit neminem, ſine diſcrimine cædit omnes: & miles, odio atque impetu etiam in multitudinem imbellem arma ſtringere cæperat, quod adoleſcens prohibebat. Similiter exercitus in Oſtoualiâ, quaſi tempeſtas grauis, obuia omnia proſternit: & parcit nulli, quamuis eluuionibus aquarum, quæ è pluuiis continuis excreuerant, plurimùm impediebatur: progreditur tamen vſque ad Tangiſuream & ſcammingam. Erat iam annus ſupra Septingenteſimũ octuageſimus quintus: quo Carolus natalem Chriſti celebrabat in caſtris Saxonicis ſuper Ambram fluuium, & pagum quendam (in cuius nomine Annonius & Regino non conueniunt) propè arcem Kideſburgum, ad confluentes fluminum Viſurgis & Vaharnæ: quod præſidium Saxones adhuc tenebant, & eò vſque populantes Franci peruenerant.

786. *Caroli M. irruptiones in Saxonia.* Poſtquàm ſacra erant peracta; propter aſperitatem hyemis, & impedimenta aquarum, Ereſburgum in hyberna concedit, accerſitâ ad ſe vxore & liberis: iis addit virorum fortiſsimorum, & quos fidos ſemper inuenerat, præſidium: ipſe modò in hanc, modò in illam regionis partem irruptiones faciens; hoſtibus eripit & conueniendi & conſultandi poteſtatem: villas multorum expugnat, aliorum bona prædæ dat militibus, arces incendit;

graſſato-

graſſatores & latrones interficit: hoſtiliter contra omnes, niſi fidem chriſtianam profeſſos agit: idq; non ſolum per ſe faciebat; ſed & per duces ſuos: quos eandem vim exercere, ad hoſtium pœnam & terrorem, præceperat. Quamuis autem prælium nullum fieret, tamen nõ minores ex hoſtibus pertinacibus occidit, quàm ſi iuſtâ aliquâ acie fuiſſet dimicatum. Tot præliis, quorum facta erant iam quatuordecim: ſed duobus tantùm ipſe interfuerat Carolus, Tithemallio, & ad Aſam fluuium, vt Eginhartus: & vna iſta hiberna vaſtatione, quidquid virium adhuc atque roboris, quidquid virtutis in gente Saxonicâ reliquum fuit, fractum aut deletum eſt. Pertinaciâ enim ſalus aut libertas non paratur, quâ Saxones gentili conſuetudine, obſtinatè nimis & præfractè vtebantur. Erat iam in extremas anguſtias redactus Vuitechindus; nec locum habebat tutum; nec quò ſe verteret, inueniebat conſilium: igitur pro audaciâ ſolitâ facinus ſingulare aggreditur. Nauiculam pannoſus conſcendens, & habitu ſeruili per Ocram fluuium delatus, venit Vuolmerſtetam; vbi tunc eſſe Caroli copias audiuerat, & ipſum rebus diuinis operam dare non ignorabat: cupidus autem erat & exercitum eius inſpiciendi; & actiones ipſius atque conſilia, ſi quâ poſſet fieri, explorandi. Cùm inter mendicos ſtaret, & ſacris intereſſe cuperet: viſo quodam admonitus, cœpit de religione noſtrâ melius ſentire; cùm infantem tenerum & pulcherrimum, quaſi inſeri in ora hominum precantium, ac manus attollentium videret. In Chronico Magdeburgio ſcribitur, eum digiti diſtorti indicio in manu dextera, tum agnitum; & ad Carolum Regem adductum: quod etiam Cranzius affirmat: ſed nullus alius eorum temporum Scriptor, quod ſciam, iſtius mentionem facit. Tradunt enim Annonius, Regino, Vrſbergius, admonitum Vuitechindum, cum patruele ſuo Albrone (aut, vt recentiores, Albione) vltrò veniſſe ad CAROLVM: cum literas tuti itineris, & impunitatis ad ipſos miſiſſet: & ipſum quoq; Carolũ profectum Bardegunum, vt loco propinquiore colloqueretur. Contulerant ſe illi vltra Albim, & metuebant hoſti irato ſe committere: quia conſcij ſibi erant, quantopere illũ prouocaſſent: cùm contra fidem atq; pacta, ſæpius ſumſiſſent arma: ſed ipſe rurſus eos confirmat; ne ad ſe accedere, deliberandi causâ, dubitarent: ſe enim & ipſorũ dignitati, & Saxonũ ſaluti cupere conſultum. Erat inſignis virtus & humanitas in CAROLO; ad quæ accedebat, tributa à Deo victoriarum felicitas: hæc illum faciebat, etiam apud aduerſarios, venerabilem & auguſtum. Saxones igitur cùm viderent & populorum

Vuitechindus Magnus.

Vuitechindus literis ad Carolum vocatur.

Vuitechindus Magn. ſuorum calamitatem; & ſuam ipſorum conſiderarent miſeriam, quæ illis è peruerſitate conſiliorum, & contumaciæ ſpiritu, tot annos acciderat: ſpondent ſe venturos, ſi de vitâ & incolumitate ſua certi ſint & ſecuri. Re intellectâ, de eorũ volũtate Carolus ſibi gratulatur: & ne quid deſiderari pateretur in ſe, mittit Amalbinũ, ſpectatæ fidei hominẽ, ſuum familiarem, per quẽ obſides illis adduci & tradi iubet; & ne ſuum congreſſum vereantur, inuitat. Locum in quẽ illos euocauit, Origines appellant Atthẽdorium, vrbem Vueſtualiæ: ſcriptores Francici, Attiniacũ, vrbem prouinciæ Transrhenanæ, cum his ego nunc ſentio, licet initiò fuerim alterius opinionis. Vuitechindus ſecum duxit Geuam, vxorẽ Danicam: Albro multos nobiles adoleſcẽtes, quia cælebs erat. Carolus hoſpitio eos honorifico excipi iubet: cumq; in conſpectũ admiſiſſet, inprimis coniectis in Vuitechindũ oculis, ait: Miror vos, noſtrâ beneuolentiâ & facilitate, cum veſtrâ ipſorũ infamiâ, & populi Saxonici euerſione toties abuſos: cùm intelligere poſſetis, etiam veſtros vos habere Deos iratos, quorũ iura & fidem violaſtis; & nunc lugentẽ ac ſqualidã veſtrâ impietate contemplamini patriam. Sed deletâ præteritorũ malorum memoriâ, patet vobis adhuc locus veniæ; & reditus ad mentem meliorem conceditur: ſi noſtra conſilia non negligitis, & bonitate ac fauore noſtro non abutimini. Vuitechindus naturâ aſperior: Patrios (ait) deos, & patriam defendimus: & nos infenſiſsimo in Francos animo fuiſſe, non negamus: nec deſiſteremus ab incepto, quamuis afflicti: niſi tua reuocaret auctoritas & moderatio. Igitur tuæ nos fidei committimus, quam experti ſumus præſtantem: & recta atque vtilia ſuadenti, vltro parebimus, non minore conſtantiâ atq; virtute, atq; à maioribus didicimus: amicitiam etiam recentem ita colemus, vt intelligas vigere apud Saxones beneficiorum recordationem ſempiternam. Auditus cum admiratione vir militaris eſt, nam qui armis nondum victus erat, victum ſe manſuetudine fatebatur. Cùm aliquot dies Franci moram ducerent, & cum Vuitechindo conſilia agitarent, & eius aſpectu cum ſtupore fruerentur, & de religione multa loquerentur: attentè omnia audit, & de viſione illâ, quæ inter ſacra in templo oblata erat, interrogat, & doceri deſiderat. Ex Francis aliqui valdè ipſum ſuſpectum habebant; & temporis causâ loqui, & callidè agere omnia exiſtimabant: deque fide & aſſenſione religionis, dubitabant maximè: Carolo etiam ipſi ſuadebant, vt pro ſuâ incredibili ſapientiâ, ſibi caueret: nec hoſtem lubricum elabi pateretur, aut è manibus dimitteret, non planè reconciliatum. Etenim in

Colloquium Caroli M. cum Vuitechindo.

animis magnis non regnat ſuſpicio: qui quò ſunt excelſiores, eò minus aliis diffidunt: è ſuâ videlicet bonitate & alios iudicantes, non ex opinione. Conſtitutus dies ſolennis eſt, quo & Vuitechindus cum vxore, & Albro cum nobili comitatu, vndis ſacris tingerentur; vtque nomen darent maieſtati cœleſti, & iurarent ſe in eâ religione permanſuros, quæ Deum patrem, cum filio & ſpiritu ſancto adorat atque profitetur: ſe quoque fidos genti Francicæ in poſterum fore promitterent. Carolus ipſe, plenus gaudij & obſeruantiæ fideiubēdo aſtabat Vuitechindo: Geuæ vxori eius, ipſa regina Faſtrada: aliis, Caroli Principes aliquot & præfecti & familiares. Lætiſsimus atq; optatiſsimus omni populo dies viſus eſt, quo tanta fiebat ad Eccleſiam acceſsio & hominum tantorum. Baptizauit eos Lullus, olim Bonifacio datus ſocius, Antiſtes Moguntinus. Transacta iſta celebritas eſt, concurſu multorum mortalium, ſupra annum ſeptingenteſimum, octuageſimo ſeptimo: quo ipſo anno Lullus quoq; mortem obiit. 787.

Vuitechindus Magnus.

Vuitechindi baptismus.

Nullum vnquam fuit bellum Francis diuturnius & laborioſius; Saxonibus triſtius & lethalius: nullum vtrinque ſuſceptum aut geſtum ſimili animoſitate; ſed tamen maiore, Saxonicæ gentis diſpendio, quod ſcilicet ad fortunas corpusq; petinet: quod verò ad animorum ſalutem, maximo omnium fructu atq; conſolatione. Finiri citiùs potuiſſet, ſi Saxonum fuiſſet paſſa inſtabilitas atque temeritas. Etenim à regiis præfectis ſuperati aut domiti, ſupplices ſæpè fuerunt: ſeſe ipſos dediderunt: obſides obtulerunt: iureiurandum interpoſuerunt: legatos ad ſe miſſos admiſerunt: in religionem iurarunt: ſed ſtatim vt aliqua ſpes affulſit prædæ aut libertatis, ad mutanda omnia illa fuerunt promptitudine leuiſsimi: & ad ſeipſos euertendos, ſemper animis pertinaciſsimi: vt poſt bellum inchoatum, pæne nullus euolutus aut elapſus annus ſit, in quo non aliqua eiusmodi mutatio acciderit. Viſa fuit occaſionem præbere vtriuſque regionis vicinitas: nam erant aut planicie & campis inter ſe contigui; aut montibus ſiluisque diſcriminati, locis videlicet valdè oportunis ad rapinas, cædes, iniurias. Cùm igitur hi non deſiſterent vicinos impugnare aut moleſtiis afficere: illi rurſus maleficiis obſtarent, & vim repellerent: rara quies, & concordia nulla coaluit: ſed velut in Hydræ capite, ſecundùm fabulam, bellum è bello propagatum eſt; & fortiſsimæ nationes inter ſe miſerrimè attritæ ſunt; donec ad hanc pacificationem eſt per religionis ſanctitatem & caſtitatem peruentum. VVITECHINDO arx ſua dimidia eſt adempta, quæ ad Viſurgim ſita, nomen ab ipſo habebat: Principis ipſi Angriuariorum poteſtas & nomen eſt

relictum:

Vuitikindus Magn. relictum: filio cognomini data præfectura Budſecia: patrueli Alboni, Palatinatus Saxoniæ. Viſam tum Carolus inter virgines Saxonicas Gerſuindam amauit, vnius ex Duodecimuiris filiam pulcherrimam. *Præſulatuum fundatio.* Inſtituti circa hæc tempora præſulatus Mimigardenſis, poſtea Monaſterienſis dictus; item Mindenſis & Magdeburgius: qui primum aucti è bonis Saxonum ſunt, poſtea Vandalorum. Carolus animo gratiſsimo faſſus eſt, ſe non ſuâ virtute fuiſſe gentis Saxonicæ victorem, ob perfidiæ pertinaciam ſemper indomabilis: ſed Dei virtute & potentiâ factum, vt & bellis eos domaret, & ad baptiſmi gratiam perduceret, & libertate priſtinâ donaret, & à cenſu debito liberaret: factos præterea ipſos non ſibi, ſed Eccleſiæ tributarios: idque ſe libentiſsimè fateri pro amore illius, qui ſibi victoriam contuliſſet. Statuit igitur, vt Saxones, qui ſuæ poteſtatis iugum ferre, tot annos detrectaſſent: victi iam Deo omnipotenti, & armis & fide gratias agerent; ac ſacerdotibus Ieſu Chriſti Domini & ſeruatoris noſtri, decimas perſoluerent iumentorum, fructuum, agrorum: eius meminit Chronicum Quedilnburgium, & abundè teſtantur monumenta templi Bremenſis.

Reductâ ad quietem Saxoniâ, CAROLVS ire Romam contendit: & copioſam ſecum ducit Saxonum multitudinem. Ibi ſedes ipſis conceſſa eſt intra vrbem, campo Vaticano, iuxta viam olim nominatam Triumphalem: vt contra hoſtes Eccleſiæ, & *Caroli M. bella alia.* præcipuè Saracenos quaſi præſidio ibi eſſent: cùm è portu oſtienſe, ſæpe ad mœnia vrbis excurrerent. Saxonum virtus & opera in poſterum Carolo profuit plurimùm, cùm ad vincendos Vandalos, tum etiam ad Auares ſubiugandos, qui tum præcipui hoſtes erant Germaniæ: quam vexarunt iam inde à Carolo vſque ad Heinrici I. Imp. tempora: qui poſt vaſtata Europæ regna nobiliſsima, vincere primus eos poſt Carolum docuit. Diſtrictus Rex bellis diuerſis, Beneuentano in Italiâ, Bauarico in Germaniâ, Veleborum ſeu Vuilzorum in Slauoniâ: ſolitâ felicitate ea conficit: ſed & domeſticâ conſpiratione iunioris filij Pipini, ex Himeltrude concubinâ geniti, agitatus eſt: quam auctoribus ſublatis, intra
792. ſua limina ſedauit celeriter: & filium tonſum relegauit in clauſtrum religioſum, diui Galli apud Heluetios.

Nunciatur ei eodem tempore, de Saxonum defectione: qui copias eius, quas Diterico Comiti ducendas commiſerat in Pan-
793. noniam, in Phryſia occidiſſent; & concitaſſent totam illam regionem, quæ eſt inter Viſurgim & Albim. Latebant in Daniâ, & inter Vandalos multi: qui Vuitechindum acerbè oderant, & mo-

ris ma-

ris maiorum ac libertatis proditorem nominabant: primùm quòd ſuos faſces ſubmiſiſſet Francis, populo ſuperbo & crudeli: deinde quòd abiuraſſet religionem, & ſacra paterna cõculcaſſet. Draſico furioſæ factionis dux, ferro & ignibus Saxoniam populabatur, militem limitaneum è Francis occidebat, in Saxones iam factos Chriſtianos ſæuiebat, Obetritas Francis fœderatos bonis eiiciebat: ſed à præfectis Caroli, furor ipſius celeriter reprimitur, in eo loco, qui à Stabulis Principum Herrẽſtelle, appellatus fuit. 794.

Vuitechindus Magn. Draſico tumultuatur in Saxonia.

Altero anno rurſus tumultuatur multitudo turbulenta: & quidquid antea ſaluum relictum à Francis erat, id euertebant Saxones: in quos bipertitum exercitum mittunt præfecti Francici, vt omnibus locis eos ab iniuriâ inferendâ propulſarent; & ſocios iam in tutelam ſuſceptos, incolumes ſeruarent. Cum iis pugnabant illi Saxones, qui iam Caroli poteſtate regebantur. Conuenerat turba illa contumax & efferata in agro Kunigueldio, ſeu (vt Chronicum Quedilnburgium) Suntueldio; quæ nihil ſpirabat, niſi minas & cædes: ſed cùm adeſſe copias Caroli inſtructas, & multos in iis Saxones viderent armatos verſari: ſpes illis de victoria minuebatur: & Draſico deliberabat, num manus conſerendæ eſſent. Cùm militum ſententiæ diſcreparent; in ipsâ conſultatione, alium audiunt aduentare exercitum: ceciderunt omnibus animi; & Draſico audaciæ timiditatem adiunctam habens, tacitè ſe ſubducit, & prælium detrectat, nondum perceptis omnium vocibus aut ſententiis. Reliqui conuicia in fugitiuum iacere: & interclusi vtrinque Regis beneuolentiam implorare: qui ſupplices recepti, obſides offerunt: & ſeſe iureiurando abſoluunt, culpâ in Draſiconis caput coniectâ: quem auctorem tanti periculi accuſabant, & deuouebant diris & maledictis omnibus. Sedato tumultu graui ſine cæde, & bello confecto ſine prælio: ad ſua aliique reuertuntur.

Altero mox anno alia in Saxonia turbatio; quam ciebant væſani & perditi homines, qui contumaciâ & odio cæcati, contra 795.
fortunam pugnant: nec poſſunt acquieſcere, donec & ſibi & aliis perniciem extremam accerſant: & qui in rebus deſperatis, atque conuulſis, ac planè depoſitis, inſanientem (vt poëta vocat) adhibent ſapientiam: quod vt Carolus intellexit; è conuentu Moguntino, quem habebat iuxta Konigſteinam, in Saxoniam mouet; & Vuillungum Obetritarum Regem ſocium ſuum, à Saxonibus illis furioſis per inſidias interfectum, cupit vindicare. Igitur ab Hiluno oppido vſque ad Bardouicum, vrbem hodiè deſertam, è cuius interitu & ruderibus Luneburgum creuit,

omnia

Vuitechindus Magn. omnia populatur in agris atque vrbibus: nec quenquam dimittit impunem, qui in fide Chriſtianâ, aut ipſius, non manſerat: quos cùm redegiſſet ad obedientiam, rurſus obſides ſecum abducit. Mirum fuit exemplum contumaciæ in populo illo fero & agreſti: qui nec beneuolentiâ mitigari, nec debilitari armis potuit; vt & ad ſe ipſe reſpiceret, & ſuam aliquando incolumitatem conſideraret: in armis ſola ſalus poni videbatur, quibus vſus toties tam infeliciter fuerat. Etenim laborabat, quaſi fatali inſaniâ, omnis multitudo: ſtatim enim vnâ calamitate remotâ, alterius grauioris occaſionem quærebat. Itaque Carolus timens deteriora & finem contentionum nullum cernens; Saxones aliquot ſuſpectos præhendi iubet, & in carceres coniici; accuſatos iniuriæ manifeſtæ, affici ſupplicio. De Vuitechindo inueſtigans, qui adhuc ab omni ſuſpicione nondum liberatus erat, nihil comperit, quod illi infamiæ eſſe poterat. Præſidiariis mandat, vt hoſtes apertos compeſcant: & inſidioſos inter ſe conuenire, & colloqui ne patiantur: inprimis vt defendant, vbicunque opus ſit, alicuius fœderis inſidioſi, aut religionis peruerſæ ſocios.

Erat tum annus ſupra ſeptingenteſimum ſeptimus & no-
797. nageſimus: & ſemper è Saxoniâ aliquid inſoliti ſibi nunciabatur: iamque rurſus eam ſumpſiſſe arma, cognouerat: ideo comparato exercitu firmiſsimo ſuperauit vniuerſam. Nullus locus tam inuius paludibus, aut tam impeditus ſiluis atque nemoribus erat, quem non peragraret, aut patefaceret, aut à latrociniis redderet tutum: manſitque in Saxoniâ tamdiu, donec perueniſſet ad ipſum Oceanum. Ibidem ad montem Adulum, omnem populum congregat: qui religioni ſeſe obligare, & obedientiam & cætera boni ciuis officia ſanctè promittere cogitur: hoc qui facere dubitarent, aut penitus recuſarent, illos locum mutare iubet; ita tamen vt ſeparati & diſperſi, non gregatim aut per cohortes abeant; & id faciant vnius menſis ſpacio, relictis agris & poſſeſſionibus. Menſe Nouembre in hyberna diſcedit Heriſtellum ad Viſurgim; & per Saxoniam iam iterum ſubactam, & in ſtatum tranquilliorem redactam, quæ videntur, diſponit: & capitalem ſententiam in rerum nouarum cupidos, item in turbatores & graſſatores promulgat: cultores religionis Chriſtianæ modis omnibus imperat defendi.

798. His ita conſtitutis, antequam è hibernis ſe moueret, quod ante Paſchatis tempus rarò fiebat: nouum in Tranſalbinâ regione oritur incendium, Nordlingi enim regios legatos, quos illis adminiſtrandæ iuſtitiæ causâ præfecerat, vel quòd atrociores in

punien-

puniendo erant, vel quòd ad exigenda tributa iniquiores, facto concurſu partim interficiunt; partim vinculis, vt eoſdem pecuniâ darent redimendos, includunt. Reuertebatur tùm temporis legatus è Daniâ, vir maximæ auctoritatis GODESCHALLVS; qui cùm per eorum fines iter haberet, & ipſe interceptus occiditur; & comites contumeliâ affecti trucidantur. Delato ad ſe tanti facinoris rumore, ſtatim exercitum promouet; ad legatos alios vlciſcendos, alios verò liberandos: & iam quartò inter Albim & Viſurgim flumina, cædes incendiis, vaſtationes rapinis, miſcet: Transalbini propter vim barbaram, iracundiam eius metuentes, cùm villas ardere, agros ſpoliari, oculis cernerent; ſubito furore conſpirant: & vehementem in Obetritas, ſocios Francorum, faciunt irruptionem: quibus Thaſco, Dux ipſorum, & Helbinus Regis legatus, celeriter occurrunt: & vnâ congreſsione quatuor millia hominum occidunt: reliquos fugant; alios de pace tractantes, non audiunt, & ſedibus auitis omnes expellunt. Nordlingi anno vno exacto miſsis Padebornam legatis, cùm ſedatum nonnihil animum Regis cognoſcerent, veniam ſupplices orant, & ſe recipi flagitant, & ſubiectionem promittunt: quibus agri Bardenguni pars permittitur habitanda. Caroli filius ad Albim accedens, negocia cum Vilzis & Obetritis expedit.

Duces Saxonum.

799.

Erant adhuc inquieti, & facinoroſi aliquot Saxones Transalbini, qui Vuimadi habitabant: eorum pagos in Obetritas diuidit: ipſos cum vxoribus & liberis transfert in Galliam: nec alio modo eorum coërceri audacia potuit. Mox Sorabi, Slauorum gens, ſuperatur: ad quam in officio retinendam duo caſtella, alterum ad ripam Salæ, alterum ad Albis erigitur. Vſus igitur perpetuis Rex victoriis, nihil habebat, quod amplius à Saxonibus eſſet timendum: & Vuitechindus poſt reconciliationem, fidemque datam, præter omnem opinionem, ſuamque priſtinam conſuetudinem, manſit in officio; & nullâ in re, quantum ego legi, aut conſilio aut factis iuuit Regis aduerſarios; nec poſtea fuit in vllo maleficio repræhendendus. Templum Angriuariorum condidit.

804.

In extremâ ſenectute bellum geſsit, neſcio quâ causâ excitatus, cum Nothardo Duce Sueuorum: quod prælium cum durasset ſatis diu: fatigatus grauitate armorum, & contentione pugnæ, oppetiit: & in templo à ſe ſtructo ſepultus fuit: quod cum Heinricus primus Imperator deſtrueret: & Vallerslebam non procul à Bremâ, transferret: etiam cineres eius loco moti ſunt, &

Bellum Vuitechindi cū Sueuis, & mors.

Duces Saxonum.

Padelbornæ repoſiti, vt Chronicũ Cellenſe: in quâ vrbe Diui honore cultus eſt, vt Origines. Diẽ, menſem, annũ, & obitus & trãslationis, vetuſtas locorumq; illorũ vaſtitas, obliuione obruerunt. Hæc autem partim è Francicis ſcriptoribus, partim ex Annalibus Saxonicis, atq; aliis collecta diligenter ſunt: ex quibus etiã liquet, paucis ante Carolũ annis defunctum fuiſſe. Vſus pro inſigni eſt, gentis more credo, Equo ſaliente, & in pedes priores erecto, qui coloris nigri fuit: quẽ Carolus ab ipſius baptiſmo in candidũ mutauit: vſus præterea, more familiæ, tribus foliis nymphеæ, vt vulgus interpretatur: vel, vt alij opinantur, tribus fibulis; quibus ornatur in fine pugio aut gladius: quod inſigne proprium eſt comitatus Brenenſis, qui non procul abeſt ab Hali Saxonicâ.

Inſignia Vuitechindi.

VIGBERTVS.

VIGBERTVS, Vuitechindi è Geuâ Danicâ filius, Dux Angriuariorũ, eximius (vt ait Vrsbergius) cultor religionis. Vxorẽ habuit Sindacillam, vt Origines & Chronica Saxonica, Rabadonis Regis Phryſiorũ filiã. Is Rabado à Carolo Magno perſuaſus, vt baptiſmo ſacrari ſe pateretur, cùm iã in flumen pede deſcendiſſet, Volframũ Præſulẽ interrogat, quo in loco verſentur maiores ſui, quorũ ante ſe quinq; regnũ tenuerint? cui præſul; quia cognitione Dei caruerint, eos apud inferos calamitoſè viuere, reſpondit: cumq; ibi plurimã eſſe hominũ multitudinem audiret, pedẽ ex aquâ extrahit: & eodem ſe migraturũ, vbi ſuorũ maxima ſit multitudo, affirmat. E Sandacillâ genuit Valbertum, filium vnicum. Crancius in errore verſatur, qui eiusdem Vigberti filiũ aſſerit eſſe Brunonem, & hunc Valberti fratrẽ: cum Bruno reuerâ filius ſit Vuernechini, & frater Vuitechindi Magni, vt eſt libro primo expoſitũ. Genuit ex eâdem Armegardim; quam ignorantiâ rerum exterarũ ſcriptores Francici (vt fit in dubiis) alius Ermentrudim, vt Ado Viennenſis; alius Harmigardam, vt Annonius, nominat. Hunc ſequitur etiam Cuſpinianus. In patris item nomine errant: quem Annonius eodem vicio, Nigrannum libro quinto; Cuſpinianus Ingramũ appellat, in Ludouico I. Lazius vocat ipſam Irmengardã, & comitiſſam dicit eſſe Ringelhemiam. Hæc in nominibus auctorũ controuerſia, vel ex ignoratione, vel ex inopiâ Annaliũ, nata eſt; & exterorũ exagitationẽ non requirit. Hæc Armegardis, vt in Originibus, quas ſequi in tantâ varietate tutiſsimũ eſt, vxor prima fuit Ludouici Pij, Caroli Magni filij, & neptis Vuitechindi Magni; & tàm patris, quàm mariti nomine, fœmina excellentiſsima: quæ tumulum habuit Moguntiæ in monte diui Albani extra mœnia: vbi etiam Faſtrada regina Franciæ, Caroli Magni vxor ſepulta, antequã is locus noſtrâ memoriâ ab Alberto

Bran-

Brandeburgio igne vaſtatus eſt. De Vigberto nihil aliud reſtat, quod dicam, quàm quod gubernatione tranquillâ vſus eſt: & quòd templum Vuildershuſium, in diæceſi Bremenſe cæpit ſtruere, in quo ipſe conditus eſt, anno ſupra Octingenteſimum ſexto decimo, vt obſeruauit Viglius Zuichemus.

Duces Saxonum.

816.

VALBERTVS.

VALBERTVS Vigberti filius, & ipſe ab infantiâ, ſecundum Vrsbergium, religioſus. Vxor Reinhildis, vt in Originibus, Comitis Mersburgij filia: ex quâ genuit Reinherum, Ditericum, Vuitechindum, Immedum: quos filios chronicũ Brunſuigiũ planè omittit; & cælibem Valbertum fuiſſe, non rectè tradit Crancius. Verùm Vuitechindus Corbeienſis hæc ipſorũ nomina verbis exprimit, & eos eſſe ſtirpem Vuitechindi agnoſcit: eius videlicet, qui contra Carolum Magnũ per triginta annos potenter dimicauerit. Idem facit Conradus Vrsbergius: idem Matthæus Sarctorius. Leguntur expreſſa nomina eadem in Originibus, & in Chronico Veterocellenſe, quod è Conrado Lauterbergio presbytero collectum eſt. In hoc tamen error eliminandus eſt, quòd Valbertus adhuc vnus ponitur, huius filius: id enim verum non eſt, vt ex eodem Vuitechindo & Vrsbergio conſtat. In chronico Brunſuigio alius error; quòd Valberto frater additur Bruno. In Crancio tertius: quòd eidem adimũtur filij illi generoſi, qui ſtirpium nobiliſsimarum ſunt auctores, Montferratenſis, & Sabaudienſis, & Miſnenſis conſeruatores; propter Diterici filiam, Othonis primi matrem. Quartus in Sarctorio error, qui omittit Immedum; falsò ponit Conradum.

Redeo ad Valbertum, quem ſtudio religionis, primum è ſuis maioribus Romam iuiſſe, ad loca ſacra inſpicienda, cõſtat ex eodem Vrsbergio; vt quæ domi audiuerat, ipſe coràm contemplaretur; & eam vrbem videret, in quâ antiſtes Eccleſiæ haberet ſedem & dominatum: inde ipſe onuſtus rediit oſsibus, & reliquiis ſanctorum, quæ in Saxoniâ Vuildeshuſij depoſuit, & adorandos pontificio inſtituto collocauit. Idem templum à fratre inchoatum, ipſe abſoluit, & auxit reditibus: eſtq; in eodem conditus poſt mortem. Peruenit ad ætatem grandem, annum obitus nondum inueni. Conditor clariſsimus eſt duarum ſtirpium illuſtrium: Montferratenſis in regione Pedemontanâ, è Vuitechindo filio tertio; Sabaudienſis in Allobrogibus, ex Immedo, filio quarto.

REINHERVS.

REinherus, vt in Originib., in aliis dicitur, Regingerus, in aliis

Duces Saxonum. Reginbernus: in recentioribus, qui proximè accedunt ad verum, Rainerus: quæ diuerſitas è pronunciatione variâ idiomatum ſolet prouenire. Hic primus Valberti filius, adoleſcens fortis & magnanimus, qui vexatam bellis Danicis Saxoniam conſtanter defendit: & ab hoſtium incurſionibus longo tempore liberauit, vt ſcribit Corbeienſis. Obiit poſt annum noningenteſimum decimum octauum, vt Sarctorius, ſine liberis; ſed quo genere mortis
918. obierit, memoriæ non eſt traditum.

DITERICVS.

DITERICVS alter Valberti filius Dux Angriuariorum, & Comes Ringelhemius, ſocer Heinrici I. Imp. vxor eius prima HEDVIGI. Marchionis Cliuenſis filia, cuius meminerunt Origines: altera REINHILDIS, cuius Ditmarus Mersburgius; hæc ſingularis prudentiæ fæmina, vt idem, ex hâc genita eſt MATHILDIS, vxor Heinrici I. Imp. Aucupis, & Othonis I. Imp. Magni mater.

VVITECHINDVS.

VVITECHINDVS tertius Valberti filius. Hunc mortuum fuiſſe cælibem teſtantur eædem Origines: eius alia in Annalibus Saxonicis mentio aut memoria nulla extat. Solus Georgius Rixnerus vxorem eius annotat, IVTTAM Ducis Burgundiæ filiam; & vnicum filium VALRAMVM, ipſius fortunæ victorem atque dominum.

IMMEDVS.

IMMEDVS quartus Valberti filius, ſtirps Marchionum & Ducum Allobrogum ſeu Sabaudiæ: de quo dicetur, enumeratâ priùs & explicatâ ſtirpe fratris eius Vuitechindi.

DVCVM

DVCVM ALBIGAVNORVM SEV MONTFERRATENSIVM LINEA PRIMA E GENTE SAXONVM GERMANIAE.

Vuittechindus Vxor Iusta Burgunda.

Vualramus vxor Adelheidis Othonis I. Imp. F.

Bonifacius M. Saonæ & Finarij. | *Otho C. Cevæ.* | *Vilhelmus I. vxor Helena D. Gloceſtriæ filia.* | *Dedo C. Inciſæ.* | *Ludouicus Com. Boſchi.* | *Vualterus C. Salutiarii. Vx. Griſeldis.* | *Volramus Com. Pongoni.*

Bonifacius I. vx. Maria, Philippi R. Franciæ F.

Vuilhelmus II. vxor Iciha Leopoldi M. Auſtriæ F.

Reinherus I.

Vuilhelmus III. vxor Iulia Conradi II. Imp. ſoror.

Vuilhelmus IV. vxor Sibylla Balduini IV. R. Ieroſolymitani f. | *Reinherus II. Rex Theſſaliæ. vxor Calomaria Imp. Conſtantinop. f.* | *Bonifacius II. vxor Eliſabetha Iſacij Comneni Imp. Conſtantinopolitani filia.* | *Iordana vxor Imperatoris Conſtantinopolitani.* | *Agnes vxor Guidonis Com. Blandrati.*

Balduinus Rex Ieroſolymitanus.

Conradus vxor Iſabella Balduini R. Ieroſolymitani f. | *Bonifacius III. Rex Theſſaliæ & reliquæ Graciæ. vx. Maria Emerici Regis Pannoniæ filia.* | *Vilhelmus V.*

Bonifacius IV. vxor Conſtantia Amedæi I. Ducis Sabaudiæ F.

Bonifacius V. vxor Beatrix Regis Caſtiliæ F.

Violantilla vxor Andronici Imp. Conſtantinopolitani. | *N. vxor Alfonſi Regis Caſtiliæ.* | *N. vxor Pontelli Vrſini Patricij Romani.* | *Ioannes vxor Margareta Philippi Ducis Sabaudiæ filia.* | *Rumboldus.*

VALRAMVS.

Marchiones Monſerratenſes.

VALRAMVS, Vuitechindi filius, Valberti nepos. Valramum filiũ Hugonis cuiusdam fuiſſe, præcipui è nobilitate viri, alij comminiſcuntur: quem Hugonem Othonis II. Imp. fratrẽ ponit Cuſpinianus, ſimili commento: ſed iſta inſcitè contra Annales, & ſcriptores Saxonum vetuſtos afferuntur. Alramum principẽ inſignẽ & eximium, ſcriptores Italici celebrarunt; & memoriã eius ad poſteros miſerunt: quãuis in nomine omnes diſſentiant: quod ſępe accidit in obſcuris atq; exteris narrationibus. Quẽ igitur Rixnerus Bauarus Valramum rectè dicit, quod nomen in aliis etiã familiis Germanicis incorruptè inuenitur: hunc Philippus Foreſtus Bergomâs vocat Alaramum; Antonius Sabellicus literis immutatis, Almarum: Raphael Volaterranus verbo magis deprauato, Alidramum. Quemadmodũ autem in nominum notione diſcrepant: ita ipſum prouinciæ Albigaunenſis Principem, & Marchionatus Montisferratenſis auctorem, & Ducis Saxoniæ filium, faciunt omnes: & filium vnicum Foreſtus: cuius pater & religioni fuerit deditiſsimus; nec ſolum morũ, ſed principatus dignitate excellens, vt idem ſcribit. Narrant vno ore Itali de eo hiſtoriam dignam relatione, propter eius fortunã mirabilem: & noſtris animaduertendã hominibus, propter familiæ amplitudinem, & ſecuta plurima ornamẽta. Cùm prole careret Vuitechindus, votũ fecit, ſe iter Compoſtellam facturũ cum coniuge, religionis gratiâ. Alij ſcribunt hanc grauidã domo exiuiſſe, & peperiſſe filium in Inſubribus, in eo loco, in quo condita poſt annos centum ſexaginta ſeptem eſt à Friderico I. Imp. vrbs Alexandria, ditionis Mediolanenſis. Exactis diebus, qui puerperis & mandato Dei, & ratione imbecillitatis conſtituti ſunt; ad iter in Galeciam, vltimam Hiſpanię partem, ſe rurſus accingunt, voti perſoluendi gratiâ: infanti adhibiti nutrices & cuſtodes ſunt, ſummâ curâ & diligentiâ, vſq; ad parentum reditum. In profectione longinquâ, ambo parentes dicũtur interijſſe: & adoleſcentulus ſuo regno extra patriã orbatus, à quodã præſule fuit omni literarũ virtutisq; genere inſtitutus: in quo, cùm eſſet indoles & vigor ſingularis, & præſtãs ingeniũ; eiusdem operâ in aulam Othonis I. Imp. mittitur: cui & dignitate, & moribus, & modeſtiâ ita placuit, vt eum Adelheidi filiæ (Itali Alaſiam, Alundam, Aleſtam vocant) magiſtrũ & cuſtodem adhiberet, quod ita eſſe factum, Sabellicus quidem dubitat: nam ei hoc munus, puellam videlicet inſtituendi & obſeruãdi, vile nimis videtur, in tali homine. Progreſſu temporis Imperatoris filia adoleſcẽtem amare impenſe cœpit: nec animum cupidum

pidum cælare illum potuit: verita autem patrem, in nuptias fortaſsè non conſenſurum: regali habitu mutato, clam ex aulâ cum eo diſcedit: apud exteros omnia perpeſſura, modò cum ipſo eſſe & viuere ſibi liceret. Factum puellæ imprudens & callidũ, Deus ſuâ gubernauit prouidentiâ. In Alpibus maritimis agri Albigaunenſis, domiciliũ habuerunt; & ab eius loci præſule, multis beneficiis ſunt munificè adiuti: cuius etiam curâ atq; ſtudio agniti, in gratiã Othonis Imperatoris recipiuntur, poſtquàm ipſa fuerat iã tres filios enixa. Imperator lætitiâ ingenti affectus, optimá regionem, cui nomen Montisferrati erat impoſitum, genero dotis nomine vltrò concedit: eumq; μόντης Φεράτης μαρκέσιον (ita Nicetas Choniates idiomate vocat Italico) deſignat: eius ditionis termini ſunt, hinc Padus flumen, inde Apenninus mons, & mare Liguſticum, & in parte ſuperiore mons Veſulus, vnde Padus ortũ habet. Poſt id tempus Imperator induſtriâ, & virtute ſui generi perſpectâ, totius Italiæ gubernationẽ vicariá ei committit. Omnino ſeptem filij, vt vno ore Itali teſtantur, Valramo fuerunt: è quibus Vilhelmus natu maior, ditionẽ paternam Montemferratum retinuit: reliqui ſex, Bonifacius Sauonam, Otho Cenam, Dedo Inciſam, Aloyſius Boſchum, Vualterus Salutias, Valramus Ponzonum liberalitate aui, ſingulas ſinguli ditiones, munere acceperunt, titulis ac nomine Comitum ab ipſis oppidis honeſtati. Tali fortunâ vſus Valramus eſt: & eius nobiliſsima familia, & gloria poſterorum, per filios pietate & fortitudine præſtantes, vt ait Sabellicus, ad maiorum noſtrorum, noſtramq; eſt vſq; propagata memoriam. Cœpit eius dominatus Othonis III. Imp. cum Iohannes illi XIV. XV. XVI. Pontifices vrbem Romam exagitarent; & Creſcentius ſe conſulem profiteretur, atq; vſurparet imperium, propter tyrannidem tandem præcipitatus. *Marchiones Montferratenſes*

VILHELMVS I.

VILHELMVS I. Valrami filius primus, patris ſucceſſor; celebris virtute, gratiâ, veneratione. Vxor eius Helena, filia Heinrici Ducis Gloceſtriæ in Angliâ, qui frater Richardi I. regis fuit: ex eâ genuit Bonifacium.

BONIFACIVS I.

BONIFACIVS I. Vilhelmi filius: eius vxor Maria, Philippi III. Franciæ Regis filia: è quâ filium genuit Vilhelmum II. virum potentem & magnificum, fundatorem cœnobij Ciſtercienſis, quod appellatur S. Mariæ, de luce Dei.

VILHELMVS II.

Marchiones Momferratenſes.

VILHELMVS II. filius Bonifacij, Princeps bonus, & ingenij vegeti, & religioni deditus. Vxoris eius nomen obliteratum annis & vetuſtate: Filij REINHERI nomen extat in Genealogiâ Auſtriacâ, è quâ gente vxorem ſibi optauit.

REINHERVS. I.

REINHERVS I. Vilhelmi II. filius Vxor eius IEITHA Leopoldi Auſtriæ Marchionis, decima & minima natu filia, vt ſcribit Iacobus Præpoſitus: qui tamen quinq; tantùm filias recenſet; quia priores infantes & puellæ obierunt: quas omiſit, quaſi inter viuas amplius non ſint habendæ, quæ in cælis vitam beatam degunt, oculis hominum ſublatæ. Hic Princeps vnà cum patre, in nonnullis Annalibus non rectè omittitur.

VILHELMVS III.

VILHELMVS III. Reinheri I. filius, dictus cognomento ſenex: longo enim tempore vixit cum poteſtate. Vxorem habuit IVLIAM, vt Foreſtus, & Sarctorius: non Iuditham, vt Cuſpinianus; filiam videlicet Hermani Ducis Franciæ, quæ erat ſoror Conradi II. Imp. Filios ex eâ genuit tres: VILHELMVM IV. REINHERVM II. BONIFACIVM II. filias IORDANAM & AGNETEM: illa nupta fuit Imp. Byzantino, hæc (vt Vilhelmus Tyri Antiſtes) Guidoni Comiti Blandrato. In Palæſtinam cum Conrado III. Imp. ſororio ſuo profectus, ordines honeſtos duxit: multaque dedit & ſingularia virtutis documenta. In eâdem expeditione ſecutus eum eſt Guido gener: ambos eos natione Lombardos, magnos & egregios fortitudine Principes fuiſſe, idem Antiſtes teſtatur.

VILHELMVS IV.

VILHELMVS IV. Vilhelmi III. filius. Hunc Choniates à generoſitate, à ſobole magnanimâ, ab auctoritate commendat: Tyrius ait nihil propoſiti vnquam eum occultare voluiſſe: & talē ſe factis erga homines exhibuiſſe, qualem intus animum geſſerit: Princeps apud ſuos venerabilis, apud exteros gratioſus: à gladio grandi, quo cingebatur, cognomēto dictus verbo Italico, Longos pata: paternæ excellentiæ & fortitudinis imitator, & ſuæ familiæ factus vir clariſſimus. Balduinus IV. Rex Ieroſolymitanus legat ſibi eum in militiâ contra Sarecenos & Ægyptios: cùm enim ſpem ampliſſimam cepiſſet, propter eius eminentes in omni genere virtutes; & illum ſperaret reip. Chriſtianæ futurū præſidio ad maiores cotidiè honores euehere conatur: eiq; ſororē ſuā natu ſe maiorem tradit, nomine Sibyllam, vt Foreſtus: non fratris Amalrici vxorem, vt Vrſbergius: in dotem præterea Ioppen

& Aſ-

& Aſcalonem cum agris aſsignat; & oræ maritimæ in Palæſtinâ præficit. Erat BALDVINVS præclarus Rex animoſitate & ſapientiâ; ſed ad rem vxoriam non idoneus, propter morbum lepræ fædum & contagioſum, quâ infectus ab adoleſcentiâ fuit: ideo vxorem ducere nec voluit, nec ſibi honeſtum putauit: & hunc Vilhelmum & ætate & indole ſibi placentem regno deſtinauit: qui facinoribus & ſucceſſu contra Saladinum, mentes omnium ſuſcitauit, & in ſe conuertit: cumque dignos rege animos præ ſe ferret, erat hoſtibus formidabilis: & ab amicis obſeruabatur. In tanto curſu excellentiæ ac felicitatis, & in flore iuuentæ extinguitur; relictâ vxore grauidâ, quæ filium peperit auo cognominem, BALDVINVM V. *Marchiones Monteferratenſes.*

Rex obitu generi, in quo ſpem rerum ſuarum collocauerat, triſticiâ vehementi afficitur: vtque ſe nouis amicitiis auxiliisque muniat; viduam SIBYLLAM, Guidoni Luſignano viro fortunato, collocat in matrimonium.

VILHELMVS obit Aſcalone, menſe Iunio, ſupra milleſimum centeſimum ſeptuageſimo octauo. Corpus defertur Ieroſolymam, & in veſtibulo Eccleſiæ domus Hoſpitalis, intrantibus ad læuam ſepelitur, ingenti ſuorum omnium deſiderio. 1178.

BALDVINVS.

BALDVINVS Vilhelmi IV. Regis Ieroſolymitani filius, à morte patris ſui regnum accipit: cui adhuc puero auus Balduinus diadema imponit, paulò ante obitum ſuum. Procurationẽ regni poſcit Raimundus, Comes Tripolitanus, Amalrici & Balduini Regum conſobrinus ſed eam poſtulationem iniquam cenſuit pater; nec in eam conſentire voluit propter cupiditatem Tripolitani. Pater Raimundi iſtius fuit Pontius, ab Aſſaſinis interfectus: hos è gente Chaſiorum eſſe ortos affirmat Choniates: quę gens ſe immortalitatem adeptam prædicat, ſi quouis modo ſeſe de hoſte vindicet, etiamſi ſupplicia mille ſint perferenda. Vilhelmus Tyrius hoc hominum genus deducit è Phœniciâ, qui ſibi eligunt magiſtrum, quem ſenem vocant: aliud enim dignitatis nomen non habent: cui tantâ ſubiectione parent, vt nihil planè ſit, quod eius iuſſu ſuſcipere non auſint: & acceptâ ab eodem de more ſicâ, non deſinunt homini monſtrato inſidiari, donec interfecerint. Aſſaſini Italico (vt puto) vocabulo dicuntur, quaſi inſidiatores aut ſubſeſſores, genus hominum maleficentiſsimum. Poſt auum Regem defunctum, Rex quoque puer menſe octauo 1179.

moritur,

Marchiones Monſterratenſes.

moritur, non ſine ſuſpicione veneficij. Nam Sibylla regnum ad ſe, ſuumq; maritum transfert: nec de pueri morte vulgat aliquid, donec quod intenderat negocium, pro ſuâ voluntate & placito tranſegiſſet. Hunc Regem puerum non Balduinum, vt Græci & Latini omnes; ſed Vilhelmum nominat Vrsbergius: niſi noſtrorum nunc temporũ more, nomen vtrunq; aui atq; patris aſſumpſerit: quam tamen conſuetudinem illis temporibus fuiſſe, obſeruare non potui, nec ideo Vrsbergio aſſentiri.

REINHERVS II.

REINHERVS II. Vilhelmi Tertij alter filius, adoleſcens, vt eſt apud Choniatē, & vigore ætatis florens, & dignitate heroicâ præditus, & in armis iam plurimùm nobilitatus. Eius indole ſic delectatus eſt Manuel Imp. Conſtantinopolitanus: vt cùm filiæ maritum quęreret, hunc ſibi elegerit potiſsimum: nam præteritâ & Græcorum & Romanorum nobilitate, de nationũ exterarum principibus, aliquem quærendum generum exiſtimauit. Quamuis autem erga Vilhelmum Siciliæ Regē eſſet eius animus initiò propenſus: tamen certâ ſententiâ Reinherum anteponit: eiq; oblatis conditionibus CALOMARIAM, ſeu (ut alij) Cyrimariam deſpondet, adoleſcenti annorum ſeptendecim, & adhuc imberbi, annorum triginta iuuenem maritam. Ipſa ingenio muliebri cum negaret pertinaciter, ſe vlli nupturā, propter familiæ ſuæ dignitatem, niſi regio honore eſſet ornatus: pater ei dotem adiicit, regnum Theſſaliæ, olim terram Pelasgorum, & amænitate & fertilitate ſingularem, & abundantem omnibus naturæ deliciis. Cum Balduino fratris filio gubernat regnũ Ieroſolymitanum, tantummodò menſes aliquot: ideo eum videtur Cæſarē cognomento vocare Choniates. aliam cauſam ponit antiſtes Tyrius: nempe quòd ſocer eum ſibi ſucceſſorem decreuerit. Cum autem regnũ iam delatũ eſſet, Sibyllæ operâ atq; aſtutiâ, ad Guidonē Luſignanum: nauauit ei contra Saracenos fidelem & maximam operam: Manueli item Imp. ſocero ſuo, per fratris filium Conradum, contra Antiſtitem Moguntinum, qui partes Imperatoris Barbaroſſæ, legati nomine, tuebatur in Italiâ. Cum nō deſiſteret omnibus viribus perſequi & impugnare Saladinum: in congreſſu quodam, hoſtili verſutiâ, redactus in inſidias locorum anguſtiâ & iniquitate; in prælio capitur cum Guidone: qui primùm Damaſcenæ mandatur cuſtodiæ: poſtea alter Berytũ, alter Aſcalonē vinctus deducitur: ſed Conradi fratris filij ſtrenuitate, ambo tandem liberantur, & cum ingenti plauſu ad ſuos redeunt.

Non-

Nonnulli Theſſalonicæ ſepultum autumant, quod ego autore certo affirmare nequeo. Marchiones Monſerratenſes.

BONIFACIVS II.

BONIFACIVS II. Vilhelmi Tertij minimus natu filius, vxores duas habuit: vnam Elizabetham, Iſacij Imp. Conſtantinopolitani filiam, ex quâ Conradum, Bonifacium III. & Vilhelmũ V. genuit: alteram Margaritham, Belæ III. regis Vngariæ filiam, cum quâ vixit coniugio ſterili. Audito fratris Vilhelmi natu maioris obitu, claſſem ingentem parat, vt filio fratris Balduino, regnum Ieroſolymitanum, quantum poſſet, retineret. Verùm in Syriam cum veniſſet, Reinherum etiam fratrẽ alterum, & ipſum Balduinum defunctos cognoſcit; & omnem regni poteſtatem ad Guidonem Luſignanum eſſe delatam perſpicit. Cùm armis vicinorum, & tumultu interno, omnia flagrarent; multùm perturbatæ eius rationes ſunt, & magnoperè conqueſtus eſt de ſtatu Eccleſiæ Chriſtianæ miſerrimo: de cuius reſtitutione, cum nullam penè ſpem poſſet concipere: putauit conſultiſsimum, vt Guidoni, impigro & potentiſsimo viro, ſua adiungeret auxilia. In magnis autem illis & grauibus actionibus ita ſe geſſit; vt gratiam plurimam iniret, & in regnum Theſſaliæ mortui fratris loco, ab Alexio Imp. Conſtantinopolitano cum poteſtate mitteretur. Factus deinceps propter rerum experientiam & grauitatem totius exercitus Chriſtiani dux ſupremus: eum cæteri Reges ac Principes, qui pro Eccleſiâ tum in Syriâ & Palæſtinâ militabant, publico nomine ſequebantur: donatus idem paulò pòſt poſſeſsione Cretæ Inſulæ. Defuncto Imp. Barbaroſsâ, qui in Serrâ, vt Cuſpinianus; vt alij, in Selephio, minoris Armeniæ modico flumine, die Barnabæ Apoſtoli (vt Siffridus Miſnenſis) periit: & Regibus Gallico atq; Anglico, factione & diſcordiâ diſtractis: bellum Saracenicum per ſe continuat: cuius vt ſumptus ingentes toleraret, amicis ſuadentibus, vendit Cretam Venetis: & cum hoſtibus tam diu dimicat; donec ab Ægyptiis & Saracenis circumuentus, caperetur: cui filius Conradus, iuuenis maximè ſtrenuus, tandem è vinculis erepto, libertatem reſtituit: anno, ſupra milleſimum, centeſimum (vt Sarctorius) octuageſimo octauo: vt 1188. alij, nonageſimo ſecundo.

CONRADVS PIVS.

CONRADVS Bonifacij II. filius, nam Vilhelmi fuiſſe filiũ, nõ recte ſcribit Choniates. Hic PII cognomentũ meruit, primũ

quòd

Marchiones Monſerratenſes.

quòd patruum Reinherum, deinde quòd patrem Bonifacium è vinculis Saracenicis liberauerat: poſtea quòd imperatorio præfuit exercitui: cognomentum obtinuit Cæſaris; vt bis eum appellat idem Choniates: qui penè nimius eſt in iuuenis huius laudibus deſcribendis; formâ videlicet & dignitate conſpicui, naturæ & ingenij perſpicaciâ celebris, ætate ſimul viribusque florentis, prudentiâ & animi excellentiâ, & manuum promptitudine inſignis, cari denique apud multitudinem, gratioſi apud Imperatores: qui cum ſuis gentilibus ac milite populari, ſtatura corporum æquauerit haſtas, quas gererent: animi verò robore, ſuperauerit omnium exterorum cogitationes. Vxor eius ISABELLA, Amalrici Regis Ieroſolymitani filia, Balduini IV. ſoror: ex eâ prolem nullam genuit, quamuis aliqui filiam ei tribuant.

Conradi Tyrocinium in Italia.

Tyrocinium exercuit monitu Reinheri patrui in Italiâ. nam cùm largitionibus Manuelis Imp. Conſtantinopolitani nonnullæ ciuitates, ab Imp. Barbaroſsâ deficerent; legauit hic ſibi Conradum, ſuum Cancellarium, ex illuſtri Palatinorum familiâ, Antiſtitem Moguntinum, qui tum ſimul erat in exercitu, & Emmericum regem Cypri coronauerat. Antiſtes miſſus legati nomine in Italiam, vrbes Inſubrum nutantes confirmat, dubias erigit, contumaces ad officium reducit: cum quo congreſſus CONRADVS Montferratenſis, qui Theſſalorum & Ligurum copias ducebat, equitatum Germanicum vincit, & profligat: & captum Moguntinum, in vincula coniicit: eum ducere ſecum Conſtantinopolim deſtinauerat, niſi eodem tempore diem ſuum obiiſſet Manuel Imperator: dimittere tamen Antiſtitem noluit priùs, quàm pro eo oraret & intercederet Fridericus; vt id non dignitati Antiſtitis, ſed Imp. honori tribuiſſe videretur.

Conradi bellum in Syria.

Hoc bello celeriter confecto, adducit in Syriam claſſem triremium quadraginta, in quâ maximâ ex parte fuerunt Siculi, nautæ & milites: eâ claſſe vſus opportunè eſt: nam & Imp. Conſtantinopolitanum obſidione liberat, & patrem Bonifacium reſtituit in libertatem, & Guidonem Luſignanum in regiam dignitatem reducit: terrore hoſtibus incuſſo, & admiratione auctâ ſuæ felicitatis: præſertim cum omnia celeritate quâdam, & mirabili induſtriâ effeciſſet. Nactus autem Tyrum vrbem maritimam defendendam, multis & præſidio & ſolatio fuit: eamque in ſuâ retinuit poteſtate: non ſolùm auctoritate venerabilis, ſed etiam armis metuendus. Inducias cum Saracenis pactas violarunt. Raimundus Comes Tripolitanus, de quo antè dictum eſt, & Rainardus Morealius: quam proteruitatem & iniuriam, animis

nis ita iniquis Saraceni tulerunt, vt Syriam vniuerſam diriperent, & multa immanitate in omnem populum Chriſtianum ſæuirent. Animaduerſâ deinceps aliorum Regum exterorum diſiunctione & negligentiâ, & quantæ eſſent inter ipſos de ſloco ac primatu contentiones; auſi ſunt vrbem ipſam ſacram oppugnare: quam itidem capiunt, atq; direptam deformant VI. Non. April. anno ſupra milleſimum centeſimum octuageſimo ſeptimo. Progreſsi longius & ſucceſſu elati, ad Tyrum accedunt cum victore exercitu: cui interfuit Saladinus ipſe, ſpirans minas & crudelitatem: quem CONRADVS alacriter ſuſtinet; & Saracenum cogit, milite ſuo Siculo, re infectâ, diſcedere, & relinquere oppugnationem. Omnis igitur omnium concurſus, è Palæſtinâ, Syriâ, Phœniciâ ad Conradum fiebat, & multa confluebat in vrbe Tyro nobilitas. Accidebat poſtea, vt Tyrum ſibi tradi peteret Guido Rex Ieroſolymitanus, vt eſſet commune præſidium: & vt inde pugnaret contra Saracenos validius; & fortaſsè induci potuiſſet Conradus, vt cauſæ publicæ ſeruiret: ſed perſuaderi Tyriis non potuit, vt Guidoni ſe ſubiicerent; quia in Conrado maiorem ſpem defenſionis ac ſalutis habebant, quàm in quoquam alio, illorum temporum atque locorum Principe. Veniebant ex omnibus Europæ regnis in Aſiam, multorum Principum auxilia: itaque cùm claſsis Guidoniana augeretur cotidiè, ad vrbem Ptolemaidem obſidendam omni impetu properarunt. In eâ obſidione magna difficultas erat annonæ, quam ſola præbebat Tyrus: & profluuio atque torminibus moriebantur milites; & inſtabant Chriſtianorum ceruicibus hoſtes atrociſsimè.

Marchiones Montſerratenſes.

1187.

Ptolemaidis obſidio.

Eodem tempore vel paulò pòſt contra Iſaacium Angelum Conſtantinopolitanum, tumultuabatur Brana quidam, patriâ Hadrianopolitanus; cui præfectura exercitus Germanici erat commiſſa: is largitionibus, indulgentiâ, aliiſque illecebris, & ſpecie quadam honeſtâ, milites ſibi externos conciliauerat: & Iſaacium apud eos repræhendens, gradum ſibi paulatim ad ſummam dignitatem parabat: audere autem extrema, propter militum beneuolentiam, incipiebat; iamq; vrbem tentare terrâ mariq; aggrediebatur, donec ad obſidionem armis apertis accedebat. Conradus detectâ hominis cupiditate & audaciâ, Iſaacium adiens accuſat ipſum vecordiæ & ſecuritatis cuiuſdam ſtupidæ; ſegnemque extimulat ad curam non ſolùm dignitatis, ſed etiam incolumitatis ſuæ. Cogit igitur arma contra perduellem ſumere, corpore quidem exiguum, ſed ingenio ſolertem & verſipel-

Branæ cuiuſdam tumultuatio & cædes.

Marchionis Montferratenſis.

ſipellem. Ipſe etiam tempore neceſſario, è clientibus & ſociis equites non planè trecentos, & pedites mille ac quingentos, colligit ad vrbis defenſionem; cumq; animos Germanorum pernoſſet, legatum mittit, qui eos admoneat fidei & cóſtantiæ: tùm habito cum ſuis conſilio, quod nemo putabat facturum ipſum, ex vrbe eruptionem facit: cumque in ipſum Branam primâ ſtatim impreſsione incideret; ſuâ manu haſtam in illum intorquet, & de equo deiicit: quem iam ſemianimem ſatellites Conradi telis confodiunt: ita vno congreſſu, ſublato auctore ſeditioſo, finis bello periculoſo imponitur, & qui ſtultitiâ ſecuti illum erant, ad officium rediguntur breui tempore.

Conradus Palæſtinam reuiſit.

Inde cupido incedit Conradum Palæſtinam reuiſendi. Itaq; Tyrum veniens ab amicis, ciuibus, clientibus, numinis inſtar, ſalutatur atquè excipitur: cui vrbi cùm inſtarent Saraceni, eis reſiſtit; & ſedem ſuam non ſolùm defendit, ſed & Iapham, & alia quædam oppida Saracenis eripit. Interea cum quatuor liberis moritur in caſtris regia fœmina SIBYLLA, Luſignani vxor, morbo populari profluuij. Eius ſororem ISABELLAM, quæ tunc Tyri habitabat, ambiebat Herfrandus, vt Nauclerus: vel rectiùs Humfredus, vt alij: doſerat regnum Ieroſolymitanum. Eandem deperibat CONRADVS, cumque ea legib. potiri non poſſet, propter facta inter alios vtrinque ſponſalia publica: Tyriis non improbantibus, alieno deſponſam rapit, & in domum ſuam transfert; & nuptias cum ea ſplendidiſsimas celebrat. Hoc vnum principe fortunatiſsimo indignum fuit: ideò pœna conſecuta è veſtigio eſt: nam à duobus Sicariis Aſſaſinis, miſerabiliter interficitur. Choniates vnum ſolum fuiſſe hominem ait. Sicarij è fuga retracti, cruciatibus exquiſitis necantur; confeſsi duces exteros omnes hoc modo ſe iuraſſe ſublaturos. Eius cædis indigniſsimæ tres cauſas affert Vrsbergius: Primam, quòd Richardi Regis Angliæ ſororem, cuius ipſi erat oblata conditio, repudiaſſet: alteram, quòd offendiſſet Humfredum, Comitem Morealium, cui deſponſatam cum contumeliâ rapuerat: tertiam confert in Tyrios negociatores, quorum amicos & cognatos ſpoliandos, necandoſue curauerat.

Conradi cædes.

Mortuo belli duce tanto, ſecutæ multæ confuſiones ſunt. ISABELLAM viduã ducit Heinricus Comes Campaniæ, Regis Franciæ propinquus, qui cum ea Tyri dominatũ accipit; titulum verò Regis Ieroſolymitani repudiat: nam feſtinauit cum cæteris in patriã redire: ſed ne id quidem factum eſt: lapſu enim quodam Ptolemaide interiit. Ad extremum eam ſibi matrimonio

iungit

iungit Emmericus Rex Cypri; qui Ieroſolymam, Tyrum, & Ptolemaidem, vrbes hæreditarias cum eâ accepit. Conradi obitu optimus quisque impensè doluit; qui tot exhibuerat virtutum documenta, tantâ auctoritate iam erat, vt Saracenis cœperit eſſe admirationi & timori. Eius audacia quædam fœlix, & rei militaris peritia, cautio & prouidentia, in omnibus conſiliis; in actionibus verò non ſolùm animoſitas, verùm etiam celeritas; & noticia atque vſus linguarum exterarum, & in milites ſtudium & beneficentia, omnium ore & iudicio prædicabatur. In vrbe Tyro magnificentiſsimè ſepultus, ſummorum & infimorum lachrymis & planctu non caruit. *Marchiones Montferratenſes.*

BONIFACIVS III.

BONIFACIVS III. Bonifacij ſecundi alter filius, quem noſtri Annales omittunt, Choniatæ referunt. Ad hunc Iſaacius Comnenus Imp. legatos mittit de Theodorâ filiâ ei deſpondendâ; ſed ipſe nuptias cum aliâ iam celebrauerat: quæ autem iſta fuerit, explicatum nondum inueni. Ambiebant tum Græci cupidè principum noſtrorum affinitatem; quorum præſtantem fidẽ & magnitudinem animi, pluribus factis & exemplis probauerant. Duxit ſecundò Mariam Emmerici Regis Pannoniæ filiam, Iſaacij Angeli viduam, vt in ſequentibus dicetur.

Hic nulli ſuorum maiorum, hominum excellentiſsimorum, vllâ virtutis dignitate, extitit inferior. Interfuit duabus Venetorum expeditionibus, quæ ſunt auſpicio Henrici Danduli Ducis confectæ; primùm Iaderenſi in Illyriâ. Iader oppidum maritimum in Zaræ ruinis, vt nonnulli volunt, modò conditũ, Venetis quater, vt ait Sabellicus, rebelle fuit. Oppidani Vngarorum auxiliis tum confidebant: ſed inde & Vngari expulſi ſunt, & de reis læſæ maieſtatis ſumptum ſupplicium: quæ calamitas etiam Sibinicenſes, & inſulas vicinas Pariam & Corcyram attigit. Alteri deinde Conſtantinopolitanæ, cùm vrbs obſeſſa eſt, & Alexio Comneno Imp. adempta. In caſtris Venetis tum pugnarunt viri illi ſuorum temporum illuſtres Bonifacius Marchio Montferratenſis, Balduinus Comes Flandriæ, Ludouicus Comes Sabaudiæ, Heinricus Comes diui Pauli. In Choniatæ libris, Scribarum error eſt: in quo Pleæ Comes Doloicus, pro Ludouico Comite Sabaudiæ, impreſſum perperam eſt. *Expeditiones Venetorum duæ.*

Captâ vrbe nobiliſsimâ, quod pr. Id. Aprilis accidit, deliberatio fit, de nouo Imperatore creando. In Bonifacium inclinabant multorum animi, ſed ei præferebatur Ducis Veneti aſtutiâ, vſu &

Marchiones Monſerratenſes. Balduinus Flandrenſis Imp. electio.

ætate minor Balduinus Flandrenſis: & Patriarcha declarabatur Thomas Maurocenus, ita enim conuenerant, vt ſi vna pars Regem daret, altera Patriarcham eligendi haberet poteſtatem. Cur autem Dux Venetus ſuo ſuffragio Principem remotiſsimum eligeret, hæc cauſa fuit: quia ſi potens aliquis in viciniâ habitaret, qui claſſem poſſet inſtruere, metuebat Reip. ſuæ, ne aliquando veniret in periculum. Transactum tum ſimul eſt cum Bonifacio negotium; cuius pater Venetis Cretam inſulam vendiderat.

Exteri illi duces longo tempore in Thraciâ & in Græciâ manſerunt: ſed non intermiſerunt rurſus ad Imperium aſpirare, Iſaacius pater & Alexius filius, cognomento Angeli. Bonifacio enim promittebant ſedecim auri centenarios, ſi eorum cauſam defendendam ſuſciperet: ſed is leuitate vtriusque permotus, à Balduino ſe diſiungere, ſibi inhoneſtum exiſtimauit.

Bonifacij expeditio in Thraciam.

Iſaacio inter illas turbas mortuo, cùm ſciente Balduino, viduæ eius Mariæ Pannonicæ eſſet ex pacto, inclyta vrbs Theſſalonica, Bonifacio in dotem promiſſa: eam vrbem tradi ſibi poſtulauit: ſed reſponſum non accepit, quale ſperauerat ſe laturum; & agi ſecum Græcâ fide animaduertit: eâ de cauſâ, indignatus vehementer eſt. Igitur iter ſuum, quod cum Balduino per Thraciam, & loca vicina ſuſceperat, ſtatim conuertit: & Thraciæ vrbes multas hoſtiliter adit: & ſedem belli munit Didymotichũ: ſuumque priuignum Manuelem Romanorum Regem pronunciat; & ſe diſceſſurum à belli ſocietate minatur, & perſecuturum iniurias ſuas. Cum id Venetus Dux callidiſsimus fieri intelligeret: effecit ſuâ prudentiâ, vt Bonifacius & Balduinus amici rurſus fierent: ne illorum contentio nouum Reipubl. periculum crearet. Traditur igitur Theſſalonica Bonifacio: qui ſtatim in vrbis arcem præſidium mittit, & deduci iubet coniugem.

Bonifacij ſucceſſus in Græciæ vrbibus occupandis.

Erat tum illa temporum infamis quædã & noxia cupiditas, vt ſuâ quisq; ditionem pro ſe augendã amplificandamq; putaret: & multi audaces atq; turbulenti homines, per Græciã omnẽ vagabantur, ſi quã comparandæ ſibi potentiæ occaſionẽ reperirent. Bonifacius idem ſe iuſtius facere exiſtimans, ne nobilis illa natio latrunculis impleretur: de totâ Græciâ occupandâ, & à tyrannis ipſâ liberandâ, animo amplo cogitat. Igitur vrbes aliquot Theſſalicas capit, Thermopylarum anguſtias occupat, Bæotiã & Atticam nemine obſtãte peruadit: erat enim terrori, cùm ipſius fortitudine

tudine vrbem imperatricem etiam expugnatam ſcirent. Captis idem Thebis & Athenis, in Iſthmum ſe confert: & Corintho ciuitate ornatiſsimâ potitur: inde Argos, Laconiam, Achaiam, victor tranſit, & in Peloponneſum vſque penetrat: tantâ feſtinatione, vt ipſius milites non pedibus incedere, ſed alis ventisque agi rapique vulgò dicerentur. Obſtabant illi adhuc arx Corinthia, in Iſthmo: & portus Nauplius, in ſinu Argolico: vtrumq; tenebat quidam Leoſcurus, patriâ Nauplius, qui vnus erat ex illis turbulentis, qui omnia perturbabant. Vſum tam exiguis copiis, tam breui tempore, tam fauente fortunâ, tantâ felicitate Bonifacium, Alexius Imp. pulſus cum vxore Euphroſynâ humilis adit; & fidei eius atque patrocinio ſe committit: qui miſertus caſus & ſolitudinis amborum, ipſis concedit Halmyrum vrbem, dictam ab eiusdem fluuij nomine, habitandam: ſed eius omnem nobilitatem & fugæ ſocios, caſtris ſuis iubet excedere. Id faciebat prudenter: ne ſocios belli, & inprimis Venetos offenderet; ſi & Imperatorem & turbam nobilitatis circum ſe haberet: neue ſe principatum expetere videretur, & quia Imperatorem detinebat humanitate, cæteros omnes liberabat ſolicitudine & moleſtiâ, quia ipſum nihil moliri poſſe prouidebant. Marchionis Montferratenſis.

Bonifacius in Peloponneſo dum ageret; quæ videbantur, conſtituit; & ex ſubiectâ reliquâ Græciâ, quam vectigalem fecerat, tributa colligit: ſed ab vxore certior factus, Ioannem quendam Blachum Serras & Berrhæam in Theſſaliâ euertiſſe, & ſe quoque à Theſſalonicenſibus expulſam, in arce dies complures obſideri: vt ſuis opem maturam ferret, celeriter aduolat: cuius tantùm aduentu cognito, non expectatâ præſentiâ, hoſtes in fugam ſe feſtinanter coniiciunt, & obſidionem arcis relinquunt: quia pulchrè nouerant Bonifacium eſſe iniuriæ impatientiſsimum, & eum iræ nonnunquam pertinaciùs indulgere. Vrbem cum indignatione ingreſſus, exempla in ciues ſæua nimis ſtatuit; omnesque pariter ignauiæ & perfidiæ accuſat; & in ſumendo ſupplicio non generi parcit, nec dignitati: non ſacris, nec Sacerdotio. Alexium Imp. & eius coniugem, ſtatim in nauim imponit: & habitu permutato deſtinat mittendos in aliquam Germaniæ ciuitatem, in quâ ſine contumeliâ aut periculo viuerent. In Theſſaliam contra graſſatores Blachos & Scythas, mittit auxilia: ſed ea inſidiis hoſtilibus occiduntur. Cùm potentia barbarica creſceret, intra mœnia Theſſalonicæ ſe continuit: & exercitus ſupplementa quæſiuit, erat enim ille è ducibus Latinis (ita vo-

Marchiones Montferratenſes. cabant Italicum exercitum, & militem externum) ſolus adhuc liber & ſuperſtes.

1204. Obierant eo anno à nato Chriſto, ſupra milleſimum ducenteſimum quarto, Heinricus Comes diui Pauli, extinctus morbo: Ludouicus Sabaudiæ, à Scythis interfectus in prælio ad Hadrianopolim: Balduinus Imp. captus à Myſis, & primùm truncatus ab eorum duce, tum de loco edito præcipitatus. Dux Venetus,

1205. proximo anno pòſt, ſolus domum peruenerat ſuâ claſſe incolumi: qui à Choniate auctor malorum, & callidiſsimum ſilicernium, & pernicies Græci Imperij nominatur. Sublato Rege Balduino, Bonifacius cum Heinrico fratre & ſucceſſore ipſius, eandem colit amicitiam: & cùm initio imperij Hadrianopolim obſideret, ſocium ſe ei adiungit, quamuis re infectâ ab vrbe diſceſſerint.

VILHELMVS V.

VILHELMVS Bonifacij II. filius tertius, regnum Theſſaliæ ita vti pater & auus obtinuit: ſublatus veneno. Vxoris nomẽ non legi: nomen filij fuit Bonifacius IV.

BONIFACIVS IV.

BONIFACIVS IV. filius Vilhelmi V. Ei nupta erat Conſtantia Amedei filia, qui primus Dux Sabaudiæ creatus: è qua vnum tantùm filium Bonifacium genuit: ipſe Dux ſtrenuus & magnificus, quiq; multos annos ſapienter Remp. adminiſtrauit.

BONIFACIVS V.

BONIFACIVS V. Bonifacij IV. filius. Vxor eius Beatrix Regis Hiſpaniæ filia: hæc illi genuit Rumboldum (quem tamen in Annalibus multis non inuenio) & Iohannem: Filias tres, Violantillam, Andronico Palæologo ſeniori, Imp. Conſtantinopolitano, nuptam: alteram, Alponſo Regi Caſtiliæ: tertiam Pontello Vrſino, Patricio Romano. In hoc Principe ſcientia rei militaris, & ſumma prudentia fuit. Is ad maiorum ditionem adiunxit Vercellas, & Eporediam, & alia quædam regionis Pedemontanæ oppida.

RVMBOLDVS.

RVMBOLDVS, Bonifacij V. filius primus, huius nomen in tabulis tantùm legi Zeellianis: quæ ei etiam tribuunt vxorem Guttam, ſeu Ieitham Auſtriacam.

IOHAN-

IOHANNES.

IOHANNES Bonifacij V. alter filius. Vxor eius Margaritha Philippi Ducis Sabaudiæ filia; è quâ prolem nullam ſuſcipit. Bella geſsit in Inſubriâ cum Ticinenſibus & Alexandrinis: primum ſatis proſperè; ſed tandem prælio ſuperatus, in manus hoſtium venit: & carceri obſcuro includitur: & ſuorum ciuium ingenti pecuniâ, poſt aliquot annos, liberatur. Ipſe quòd ſine prole eſſet, & quòd affectus carceris ignominiâ; dolore animi ſenex extinguitur. Fuit cum poteſtate annos quinq; & viginti. Obit ſupra milleſimum ducenteſimum quarto & nonageſimo: ſtirpis ſuæ 1294. poſtremus in gradu octauo. Succedit illi non ſororis nepos (vt communi literatorum errore Foreſtus) ſed ſororis Violantillæ filius, Theodorus Palæologus Conſtantinopolitanus, Andronici filius, anno Rodolphi Regis Romanorum tertio.

Marchiones Montferratenſes.

Durauit igitur ſtirps iſta regia atq; illuſtris à Valramo vſq; ad Iohannem, annos trecentos & nouem: à Vuitechindo Rege Saxonum, quo vnà cum Carolo cœpit pugnare, poſt comitia in Vangionibus habita, vſque ad eundem Iohannem, annos quingentos viginti ſeptem. Gens Montferratenſis virtute & facinoribus nomen magnum, & honores regios ſibi peperit in Theſſaliâ, in vrbe Tyro, in Theſſalonice: item in Cypro & Cretâ inſulis; ac demum in Palæſtinâ, Ieroſolymis.

DVCVM ALBINGAVNORVM SEV MONTFERRATENSIVM LINEA SECVNDA E GENTE PALAEOLOGORVM GRAECIAE.

Theodorus. vxor Argentina Opicini Genuenſis F.

- *Iohannes. vxor Eliſabeth Iacobi Regis Balearium F.*
- *Violantilla vxor Amedei Ducis Sabaudiæ.*

Iohannes' children:

- *Vilhelmus I. in expeditione Neapolitana mortuus.*
- *Theodorus II. vxores duæ: I. Bani Galliæ D. filia. II. Ducis Pedemontani F. ſterilis.*
- *Otho.*
- *Margarita.*

Theodorus II.'s children:

- *Iohan Iacobus. vxor Iohanna Amedei D. Sabaudiæ I. ſoror.*
- *Hartmannus Præſul Conſtantienſis.*
- *Sophia vxor Conſtantinopolitani Imp.*

Iohan Iacobus' children:

- *Amodea vxor Ioannis Iacobi R. Cypri.*
- *Iſabella vx. Valteri M. Salutiarum.*
- *Ioannes. vxor Margareta Ludouici D. Sabaudiæ F.*
- *Vilhelmus II. vxores duæ: 1. Magdalena D. Sabaudiæ F. & Eliſabeth Franciſci D. Mediolan. F.*
- *Bonifacius. vxores duæ: 1. Conſtantia Sabauda: 2. Maria Palæologa Conſtantinop. Imp. filia.*
- *Theodorus III. Eccleſiæ Rom. Card.*

Vilhelmus II.'s children:

- *Blanca vxor Caroli Sabaudi.*
- *N. vxor Ludouici M. Salutiarum.*

Bonifacius' children:

- *Vilhelmus III. vxores duæ; 1. Maria Caroli Suſſenſis Com. F. 2. Anna D. Lanzoni in Gallia ſoror.*
- *Sangeorgius. vxor Iulia, Friderici R. Neapolitani F.*

Vilhelmus III.'s children:

- *N. vxor Ludouici Salutiarum.*
- *N. vxor Friderici Gonzagæ D. Mantuani.*
- *Bonifacius II.*

THEODO-

Marchiones Montferratenſes.

THEODORVS I.

THEODORVS, non vt Sarctorius, Theodoricus, Violantillæ Montferratenſis filius, matris, fratre Iohanne absque prole maſculâ mortuo, ducatus inſignia conſequitur per vxorem: ipſe è ſtirpe Græcorum Palæologâ natus, patre Andronico Imp. Conſtantinopolitano. Vxor eius fuit nomine Argentina, Opicini nobilis Genuenſis filia: vndè genuit Iohannem & Violantillam Amedei, vel vt Foreſtus locis aliquot vocat Aymonis, Comitis Sabaudiæ vxorem primam.

Poſt Iohannis, de quo diximus, obitum nobilitas & populus vniuerſus, communi conſenſu legationē decernunt in Græciā: ab Andronico petunt, vt filium ſuum natu maiorem ad ſe mitteret: cui ſe ſuasq; fortunas cōmendarent, & ipſi parerent cum beneuolentia: non enim reſtare alium vſpiam Principem, cui fauerent impenſiùs, & qui eos iuſtiùs ſuſciperet defendendos. Id impetratum non difficulter; & legatis honores habiti; & iuuenis admonitus, ne ampliſsimi illorum de ſe iudicij immemor eſſet. Pompâ igitur ſolenni eum adducunt, & cum plauſu in omnibus locis excipiunt, & in ſedem ducalem collocant publicâ gratulantium celebritate. Poſt hoc tempus populum rexit tranquillè: & vicinis Mediolanenſibus contra ipſorum aduerſarios tulit auxilia: & in familiam Vicecomitum merita eximia contulit: & vrbem Aſtam ſuæ ditioni adiunxit.

IOHANNES I.

IOHANNES Theodori primus filius: vxorem habuit Elizabetham Iacobi Regis Inſularum Balearium filiam, natam Hiſpanam. Eius filij tres: Vilhelmus, Otho, Theodorus II: Filia vnica Margaritha. Tot numerant liberos Raphaël Volaterranus, & Leander Bononienſis.

VILHELMVS.

VILHELMVS Iohannis I. filius primus, adoleſcens ſtrenuus, bello Neapolitano, patre adhuc viuente, occiditur.

OTHO.

OTHO Iohannis I. filius ſecundus, in puericiâ obit.

THEODORVS II.

THEODORVS II. Theodori I. filius tertius, ſolus ſuperſtes ſucce-

Marchiones Montferratenſes. ſuccedit patri. Vxores habuit duas: primæ nomen ignotum eſt, quæ fuit Barri Galliarum Ducis filia; mater IOHANNIS IACOBI, & HARTMANI Præſulis Curienſis, & SOPHIÆ, quæ deſponſa eſt Imp. Conſtantinopolitano. Hæc cum cognatione eſſet illi propinqua; pontificis Romani diſpenſatione veniam & poteſtatem ipſius dimittendæ impetrat. Alterius item vxoris nomen non inuenitur, Ducis Pedemontani filia: quæ ſterilis manet, & poſt mariti obitum ſumit velamen, & vitam conſumit in cœnobio Albenſe. Hic Princeps rebus præfuit ſatis diu: liberalis in ciues, & in alios homines beneficus.

HARTMANVS.

HARTMANVS Theodori II. filius Præſul Curienſis in Alpibus Rheticis: interfuit concilio Conſtantienſi, anno ſupra
1413. milleſimum quadringenteſimum decimo tertio. In bello quod contra Leopoldum Auſtriæ Ducem de finibus geſſit, capitur à Comite Stulingenſe; factaq; concordiâ, nono menſe liberatur: & anno poſt concilium tertio moritur. A Munſtero ſcribitur è Comitibus fuiſſe Verdenbergiis: in libro, qui eſt de concilio ipſo editus, è Comitibus Montferratenſibus.

IOHANNES IACOBVS.

IOHANNES IACOBVS Theodori II. filius, & gratiâ, & auctoritate, & fortitudine celeberrimus. Vxor eius IOHANNA, Amedei X. Marchionis Sabaudiæ filia, ſoror Amedei XI. ex illâ gente ſplendidiſsimâ Ducis primi, & Romani pontificis. Peperit hæc præclaram ſobolem: IOHANNEM II. VILHELMVM II. BONIFACIVM I. THEODORVM III. Filias, quarum prima AMEDEA, vxor Iohannis Iacobi Regis Cypri: quæ ſtatim vt in illam inſulam venit, necata veneno eſt: altera ISABELLA, Vualtheri Marchionis Salutiarum vxor. has recenſet his nominibus Leander, nam ab aliis ſunt omiſſæ. Hunc Principem Sigismundus Imp. ſibi vicarium per totam Italiam conſtituit. Cùm videret, Franciſcum Crimignolam propugnare feliciſsimè pro Philippo Mariâ Duce Mediolanenſe: vltrò ei Vercellas, Alexandriam, & Aſtam, vrbes maioribus ipſius ademptas reddit: & vt Ducis violenti atque cupidi amicitiâ gratiaque frueretur, ſuasque poſſeſsiones ſaluas retineret; ſociâ ei arma præterea adiungit.

JOHANNES I.

IOHANNES II. Iohannis Iacobi primus filius: vxorem habuit MARGARITHAM, Ludouici VIII. Ducis Sabaudiæ filiam: obiit ſine prole: princeps & dignitate corporis, & omni genere laudis excellens. *Marchiones Montiſferratenſes.*

VILHELMVS II.

VILHELMVS II. Iohannis Iacobi alter filius, duxit vxores; primam MAGDALENAM, Ducis Sabaudiæ filiam: alterã filiam Franciſci Sforciæ Ducis Mediolanenſis: ex quibus progenuit filias duas, alteram nõ nominatam, vxorem Ludouici Marchionis Salutiarum, alteram Blancam Caroli Sabaudiæ: è quâ tamen vxore hæ genitæ ſint, ſatis explicatum non eſt.

Erat tunc inter Venetos & Ducem Mediolanenſem bellum grauiſsimum: in quo aliquot prælijs eſt dimicatum, modò in hanc, modò in illam partem nutante fortunâ In eo bello Vilhelmus rem Venetam adiuuit: quia propter Philippi Mariæ inſolentiam, ſuæ ditioni timuit. In belli initio recuperauit Alexandriam, cum agro vniuerſo: ſed Nicolaus Fortebracius Picininus, qui bellum Ducis Mediolanenſis nomine gubernabat, Vilhelmum imparatum adortus, totam eius prouinciam inter Padum & Tanarum flumina populatur: & intra breue tempus oppida & caſtella circiter triginta eripit. Itaque in maximis anguſtiis conſtitutus, & de toto imperio ſuo adductus in periculum, per Taurinos feſtinat in Germaniam: inde per iuga Alpium ſe traiicit, & vrbem ſociam Venetorum adit: in quâ ita honorificè acceptus, & tàm magnificè publicâ indulgentiâ cultus eſt, teſte Sabellico: vt neq; patriæ caſum, neq; amiſsi principatus ſentiret deſiderium: vt fuit tum ex ore ipſius auditum. *Vilhelmus iuuat Venetos contra Mediolanenſes.*

Iniit poſtea amicitiam cum Franciſco Sfortiâ Philippi filio: qui cùm ad Carauagium viciſſet Venetos, vrbe Mediolano eſt potitus: ſed cùm fortuna Franciſci ipſi eſſet ſuſpecta, & futura quoque noxia, rurſus ad Venetos ſe confert, veteres ſocios.

Nactus domi quietem, ſupra annum milleſimum quadringenteſimum ſeptuageſimo quarto, incipit nouæ vrbis fundamenta iacere; non ſolùm ad ſuæ ditionis defenſionem, verum etiam ad ornamentum: eam Caſalem nominauit: inuitat ad idem factum nobiles & ciues ſuos, vt ſui honoris causâ id opus adiuuẽt: ipſe arcem munitam adijcit, muriſque & foſsâ vrbem cingit, & fir- 1474. *Caſale condita.*

Marchiones Montſerratenſes. & firmat propugnaculis: tum à Sixto IV. Pontifice Romano, impetrat aliquot priuilegia: templum extruit magnificum, & primùm loci Præſulem deſignat Bernardinum cognomento Romanum, eius vrbis ciuem, virum grauiſsimum: & quia templis addenda Xenodochea ſunt, liberati conſuetudine, nec eâ in re aut operæ aut ſumptibus dignis principe parcit: conſtitutisque prouentibus annuis, beneficam exercet hoſpitalitatem.

Inde amplificandæ ditionis ſuæ cupidus, Alexandrinorum agrum occupat & exhaurit populationibus: poſtea Dortonenſes etiam & Ticinenſes inuadit. Quibus iniuriis irritati Sfortiani, arma ſumunt: eumque in finibus Alexandriæ opprimunt cum cohortibus prædatoriis: tum captum in cuſtodiam Caſtelli noui mittunt: ibi annis aliquot detentum adigebant, vt ablata reſtitueret, & grandem pecuniam numeraret. Paulò pòſt conſumptus ægritudine propter carceris ignominiam; è viuis exce-dit, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum octuageſimo

1483. tertio.

BONIFACIVS. I.

BONIFACIVS I. Iohannis Iacobi tertius filius, ambobus fratribus Iohanne & Vilhelmo mortuis, ætate iam prouectâ ſuccedit. Inter fortiſsimos ſuorum temporum Dux habitus: conſuetudine armorum, quibus deditus à pueritiâ fuit, moribus nonnihil factus aſperior. Vxores duas habuit: primâ Conſtantiâ Sabaudienſem ſterilem: alteram Mariam è Palæologorum gente iuuenculam, nobilitate inſignem: quia eius maiores Macedoniam poſſederant: ex eâ genuit filios duos, Vilhelmum III. & Sangeorgium. Bellis temporum ſuorum pænè omnibus interfuit: magnanimitate, experientiâ, conſiliis, vir eximius. Moritur poſt

1488. annum milleſimum quadringenteſimum octuageſimo octauo. Poſt eius obitum tutelam filiorum mater ſuſcipit: cumq; in Italiam veniret Carolus VIII. Galliæ Rex; vidua cum liberis, eius ſe fidei committit: quæ cùm & ipsâ ſolitudine & temporum difficultate eſſet anxia, breui cum morte vitam commutat.

De gubernatione & tutelâ adoleſcentum tum contendebant duo ſummi viri. Primus Conſtantinus non de gente Comnenâ, vt alicubi Sleidanus; ſed de Palæologâ genitus: neque demortuæ frater, vt Guicciardinus; ſed patruus, vt Cominæus: Hic à Turcâ fortunis omnibus ſpoliatus, ad filiam fratris confugerat: & à Bonifacio acceptus benigniſsimè erat. Alter Marchio Salaſsio-

Salaſsiorum,ad quem ius propinquum in ditione illâ ſuccèdendi pertinebat. Conſtantinus ſororis filios ſuſceperat defendendos: & Caſalem vrbem atq; arcem munitiſsimam illorum nomine tenebat. Iſtorum duorum Principum contentio, ne Sfortianis occaſionem illius ditionis occupandæ daret: Galliæ Rex legatum mittit, magnæ virtutis & prudentiæ hominem Philippũ Cominæum, poſtea in ſcribendâ hiſtoriâ clariſsimum. Is iubetur conſtituere, & quid pueris ſalutare eſſet, & quid hominum maiori aut meliori parte probaretur. Salaſsius habitus omnibus ſuſpectus fuit: quòd ipſe non puerorum, ſed ſuam potiùs quæreret potentiam: igitur tutela & procuratio communi ſententiâ committitur Conſtantino extero homini: idque à Rège ſic eſt probatum: quæ pacificatio etiam poſtea rata facta eſt ab Imperat. Friderico, cum Galliæ Regis amicitiam Montferratenſes reliquiſſent. *Marchiones Monſerratenſes.*

THEODORVS III.

THEODORVS III. Iohannis Iacobi quartus filius, propter doctrinam, virtutem, nobilitatem, creatus Cardinalis à Pontifice Paulo II. His temporibus morbus popularis inſulam Cyprum ingenti lue depopulauit; adeò etiam, vt qui terram agroſq; colerent homines deeſſent. Expeditio igitur per Germaniam denunciatur contra Turcam: ad quam magna hominum multitudo, partim Romam confluit, partim Venetias venit: Romam iuerunt populi Belgici, qui militarunt poſtea in Galliâ: ſed ij, qui è magnâ Germaniâ erant collecti, Venetiis reſident; nec aduerſum Turcam mittuntur, ſed in inſulas maris Ægei & Pamphilij, & præcipuè in Cyprum, ad fodienda metalla, & ad rus exercendum quaſi mancipia diſperguntur. Id factum aſtutiâ Pauli II. Veneti, qui patriæ ſuæ gratificatus eſt: id quod eſt annotatum in Chronico Turingico, quod ſcriptum eſt Neuſtadij (Neapolim Græci dicerent) ad Orlam fluuium.

VILHELMVS III.

VILHELMVS III. Bonifacij I. primus filius. Vxores duas habuit; primam MARIAM, Caroli Suſſenſis Comitis in Hiſpaniâ filiam, vt Lazius: eam filiam Seruiæ deſpotæ fuiſſe, ait Leander Bononienſis. Alteram ANNAM Comitis Lanzoni in Galliâ ſororem. Genuit ex ANNA, BONIFACIVM II. & duas filias: quarum nomina annotata non ſunt: vnam vxorem Ludo-

Marchiones Montferratenſes. uici Marchionis Salutiarum; alteram Friderici Gonzagæ primi Ducis Mantuani. Ornatus & animi & corporis dotibus excellentibus, militauit non ſine laude fortitudinis Ludouico XII. Regi Gallorum contra Iulium II. Pont. & contra Venetos, quorum res tum ſatis afflictæ ſunt. In Gallico exercitu poſtea alam equitũ perpetuò duxit: & ex eâ militiâ ſuæ nobilitatis & multorum ciuium commoda atque ſtipendia amplificauit. Scripſit poſteà nomine eius Iulius II. Pontifex ad Maximilianum Ducem Mediolanenſem: ne in eius ditionẽ durius aliquid aut acerbius cogitaret, propterea quòd is fuerit temporum ſtatus, vt inimicus eſſe Gallis, etiamſi voluiſſet, non potuiſſet commodè: vtq; Maximilianum, quantum poſſet ſibi conciliaret, hortatus eſt; vt cum præſens adiret, & cauſam cum eo componeret, vt inter ſe in poſterum non ſolum locorum vicinitate, ſed & animis & voluntate coniunctè viuerent, id enim ex re amborum futurum. Legitur hoc in Bembi epiſtolis 60. & 124. Obit mortem ætate florente, in ipſo curriculo gloriæ, anno ſupra milleſimum quingen-
1518. teſimum decimo octauo.

BONIFACIVS II.

BONIFACIVS II. Vilhelmi III. filius ab Annâ matre, matrona prudentiſsimâ tenerè & liberaliter educatur: indolis fortis & generoſæ puer. Anno ætatis ſuæ duodecimo in decurſu ludicro animi cauſâ concurrit, cum alio adoleſcẽte nobili. Equis autem ferocientibus alter in alterum tanto impetu fertur: vt feri capitibus inter ſe compingerent: & Bonifacius excuſſus ruinâ opprimitur & ſuffocatur, toto equi corpore in ſe proiecto, vt ſtatim interiret.

GEORGIVS.

GEORGIVS Bonifacij I. Secundus filius, declaratus Abbas propter ſimplicitatem, patruele ſuo miſerrimè mortuo clauſtrum religioſum relinquit, vocatus multorum votis ad principatum: nam ſacris ordinibus nondum inauguratus erat. Vxorem duxit Caroli V. voluntate Iuliam Arragoniam, Friderici Regis Neapolitani filiam, quæ cùm Caſalem eſſet ab Hiſpanis honorificentiſsimè deducta, ipſe morbo grauiſsimo decubuit; & ante thori genialis ingreſſum, vitâ defungitur anno ſupra milleſimũ
1533. quingenteſimum trigeſimo tertio.

In hoc

In hoc quoque iterum deficit familia Montferratenſis in decimo gradu, ex gente Græciæ Palæologorum: in quâ durauit annos ducentos triginta nouem. Deletâ igitur ſtirpe illâ, de ſucceſſione contendebant tres viri Principes, & magnæ apud Carolum V. auctoritatis; primus FRIDERICVS GONZAGA Dux Mantuanus, neceſsitudine propinquitatis: tum CAROLVS SABAVDVS, magnitudine meritorum erga Imperatorem; quia totâ ditione exutus, gratiam iſtam beneficij loco petebat: poſtremus FRANCISCVS SALASSIVS, antiquâ cognatione & iure ſucceſsionis, vt & antè diximus. Pro Mantuano æquiſsimam ſententiam tulit Imperator: cumque eum deduci per Aluarum Lunam mandaret; ſummâ tandem difficultate vix receptus eſt, Ciues enim pecuniâ Gallicâ corrupti, & inſolentes cùm tumultuarentur; arcem primùm amiſerunt: per arcem vrbs capta, & direptæ ciuium domus: deinde primates vrbis aut capti, ſe redemerunt: aut arma capientes, interfecti ſunt. Quare populus tot cladibus coërcitus tandem Mantuanum accerſit: eique fidem Imperatoris nomine pollicetur. Illa autem nùnc ditio à Rege Philippo in prouinciam Hiſpanicam eſt redacta: & ab eius præfectis iure regio adminiſtratur. Sed ius ciuitatis Mantuano in hunc diem manet.

Marchiones Monſferratenſes.

x 2 DVCVM

DE DVCIBVS ALLOBROGVM SEV MARCHIONIBVS SABAVDIAE.

IMMEDVS.

- *Bosbo I.*
  - *Retingus I.*
    - *Bosbo II.*
      - *Retingus II.*
        - *Bosbo III.*
        - *Frederena vx. Harduigi Com. Burghusij.*
- *Geraldus. vxor Catharina Bauarica.*
  - *Hugo I. Blancemanus. vxor Adela f. Comitis Seuſani.*
    - *Immedus II. vxor Iohanna Ducis Burgundiae F.*
      - *Hugo II. vxor Clarenza filia Comitis Geneuenſis.*
        - *Immedus III.*
        - *Ludouicus I. vxor Bertha Barıbi Comitiſſa.*
  - *Henricus.*
  - *Thomas.*

Ludouicus I. — children:

- *Philippus I. vxor Gertrudis D. Lotharingiae filia.*
  - *Hugo III. vxor Pernella Comitis Burgundiae F.*
    - *Thomas II.*
      - *Immedus Peтrus V.* [*Immedus Petrus V.*]
      - *Bonifacius I.*
      - *Hugo IV.*
      - *Thomas III. vxor Beatrix Petri Fliſci Geneuenſis F.*
      - *Vilhelmus I.*
      - *Immedus VI.*
        - *Bonifacius II.*
        - *Conſtantia.*
      - *Philippus II.*
  - *Ludouicus III.*
  - *Margarita.*
  - *Disburga.*
  - *Odilia.*
- *Ludouicus II.*
- *Immedus IV. vxor Comitis Areſcoti filia.*
- *Iutta.*
- *Bertha Ducis Bauariae vx.*

Thomas III. — children:

- *Thomas IV.*
- *Immedus VII. vxor Sibylla Comitis Bagaei & Breſſenſis F. & Maria Brabantina.*
  - *Immedus IIX. vxor Violantilla Imp. Conſtantinop filia.*
  - *Ludouicus VI.*
  - *Elenora Comitis Auſerani vxor.*
  - *Margarita vx. March. Montisferrat.*
  - *Agnes vxor Vilhelmi Com. Geneuani.*
  - *Eduardus.*
- *Ludouicus IIII.*
- *Leonora vxor Ducis Beauienſis.*

†

Immedus

Immedus IX. vxor Bona Borbonia. — *Ioannes.* — *Blancha.*

Immedus X. — *Immedus XI.*

Amedeus I. Dux Sabaudiæ, Rom. Pontifex. vxores eius.

Violantilla March. Monſferrat. F. — *Maria Duciſſa Burgundiæ.*

Philippus. (of Violantilla)

Ludouicus V. vxor Carlotta Regis Portugalliæ vidua. — *Maria vxor Ludouici Princ. Palatini.* (of Maria)

Amedeus XIII. vxor Iſabella Ludouici XI. Galliæ R. ſoror. — *Ludouicus VI.* — *Ioannes Comes Geneuenſis.* — *Philippus III. vxor Margareta Ducis Borboniæ filia.* — *Carola.* — *Bonna.* — *Margarita.*

Philibertus I. vx. Blanca Maria Mediol. — *Carolus I.* (of Amedeus XIII.)

Philibertus II. vxor Margareta Auſtriaca. — *Philiberta vx. Iuliani Medicis.* — *Carolus II. vx. Beatrix Regina Portugalliæ.* — *Aloyſia vx. Caroli Angoliſmi Comitis.* (of Philippus III.)

Philibertus Emanuel. (of Carolus II.)

IMMEDVS.

IMMEDVS quartus Valberti Ducis Saxoniæ filius; vt ex Vitechindo Corbeienſe, Conrado Vrsbergio, & Conrado Lauterbergio manifeſtũ eſt: nam in aliis hic ne nominatur quidẽ cũm fratribus, viris ampliſsimis, DITERICO videlicet Saxoniæ Imperatorum auo materno, VITECHINDO ſtirpis Montferratẽſis auctore, de quo iã diximus, IMMEDO, de quo dicemus: quia is Allobrogum Princeps familiæ Sabaudiæ ducit originem; nec diſſentit à ſcriptoribus veteribus liber Originum: nam Alberti Crancij errorem ſupra refutauimus, de Valberti cœlibatu. Eſt in Immedi nomine diuerſitas; quem Saxones & liber Originum Immedum, Itali vetuſtiores Aymonem, recentiores Amedeum nominarunt. Vxorem hic Princeps ducit HEMMAM, vt in Originibus legitur, Comitis Scheuerenſis in Bauariâ filjam, quæ ei peperit Bothonem & Geraldum filios. Bothonem nominat Vrsbergius: Geraldum ponunt ipſi Annales, cùm Saxonici, tùm Sabaudici: niſi quod in illis Geraldus, in his Beroldus inuenitur. Immedus Othoni I. Imp. neceſſario ſuo (fuit enim Immedus Diterici frater, cuius ſoror Mathildis vxor Heinrici Aucupis erat) militans in Bauariâ, in acie interficitur, vt eædem Origines. Poſteritatis eius

Comites Sabaudiæ.

tis eius memoria è primo filio conſeruata eſt ab Vrsbergio: quam primo loco ſubijciam, deinde perſequar etiam Geraldi.

BOTHO primus IMMEDI filius.

BOTHO I. Immedi primus filius: cuius poſteritas Immedingorum appellata. Filium reliquit RETINGVM.

RETINGVS I.

RETINGVS I. Bothonis filius vnicus.

BOTHO. II.

BOTHO II. Retingi I. filius.

RETINGVS II.

RETINGVS II. Bothonis II. filius. Horum neq; res geſtas recenſet, neq; vxores nominat, neq; vxorū ſtirpe ponit Vrsbergius. Retingus filium habuit Bothonem III. & filiā nominis celeberrimi Friderunam: hæc collocata eſt Harduigo Comiti Burghuſio & Scalano, & Burggrauio Ranshouio. Friderunæ filij fuerunt ERBO & BOTHO poſthumus. Erboni manſit Burggrauiatus Ranshouius: hic pugnauit in Palæſtinâ Conrado III. Imp. & Fortis cognomentum habuit: Bothoni ceſsit Comitatus Burghuſij, qui ſecutus caſtra Henrici IV. in Italiâ atq; Pannoniâ. Frideruna marito mortuo ſumpſit velamen, & vidua moritur. Ambo eius filij literis & armis fuêre celebres: ſed natu minor, ut corpore fuit procerior & elegantior: ita rebus etiam bellicis præſtantior, vt idem Vrsbergius.

BOTHO III.

BOTHO III. Retingi ſecundi filius, obiit ſine prole, cuius occaſu nomen Immedingorum concidit, circa annū Chriſti milleſimum: quo tempore etiam Othonum Imperatorum ſtirps deleta eſt; & dignitas ſuprema poſt Francos & Saxones, ad Bauaros eſt translata. Hi Principes Immedingi manſerunt in Germaniâ, habitantes arcem Burghuſiam ad Salzam flumen in Bauariâ: Geraldus frater apud Allobrogos, ſedem & gloriam inuenit.

GERALDVS alter IMMEDI filius.

GERALDVS Immedi filius ſecundus: in Originibus, Geroldus; ab externis Beroldus, vt à Paradino nominatur. Sæpè enim in nominibus diuerſitas, vel propter diuerſam pronunciationem, vel etiam propter communem aliquem errorem. Volaterranus in Cōmentariis Vrbanis affirmat, Sabaudiæ Duces è Saxonum Ducibus, ac ſtirpe Auguſtâ originē ducere, ab annis vſq;

quad-

quadringentis. E Saxonum ducibus oriundos, teſtatur etiam Originum liber: Auguſtam & excelſam originem habere, cum Heinricis & Othonibus Impp. non minùs certum eſt. Comites Sabaudiæ.

Verſatur igitur in errore Cuſpinianus, qui nominat Fridericum & Vlricum Duces Saxoniæ, Othonis II. Imp. filios: à quibus poſtea deſcenderint Comites ac Principes Sabaudiæ. Sed Otho II. filios hos non habuit; ſed vnicum Othonem, ſibi ſucceſſorem: vt libro ſecundo explicatum eſt. Relinquit præterea idem in dubio, num à Friderico, an verò ab Vlrico Sabaudij deſcenderint. Paradinus patrem Geraldi, ſeu (vt ipſe appellat) Beraldi, facit neſcio quem Hugonem, etiam Othonis II. Imp. filium; quod æquè falſum atque commentitum eſt. Pudet hoc loco Onufij Veronenſis referre ineptias, in genealogiâ eiusdem Imperatoris: nec recte Lazius ſcribit ab Othone II. rectores tantum datos Sabaudiæ.

Hoc autem veriſsimum eſt, Geraldum Immedi eſſe filium, hunc Valberti: quod liber Originum apertè demonſtrat, qui illa nomina ſtirpis & fratrum nobiliſsimorum recenſet: & nos ſuperiùs auctoritate Vuitechindi, Vrsbergij, Lauterbergij, etiam Analium Veterocellenſium idem probauimus. Vxor Geraldi Catharina è ſtemmate fuit Bauarico, vt Georgius Agricola teſtatur: Huic tribuuntur filij HVGO, HENRICVS & THOMAS. Vixit adoleſcens in aulâ Cæſaris Othonis III. ibi nobilem quendam in adulterio cum clarâ fœminâ depræhenſum, ſua manu ambos occidit: inde ſolum mutare ad aliquot annos coactus. Ad expiandum facinus fouet, ſe Compaſtellam iturum, in vlteriorem Hiſpaniam. Aiunt nonnulli adulteram illam interfectam Mariam Aragoniam, Cæſaris vxorem fuiſſe; quæ amauerit Comitem Monſium, vnà cum ipſâ interfectum: vnde ſint bella cõſecuta & prælia, quæ Marchio Suſanus, & Comes Salutiarũ mouerint Geraldo: qui Monſiorum fratrũ partes & cauſam iuuerint, in vindicandâ iniuriâ ſororis ſuæ, vxoris Othonis tertij. Hæc in medio relinquo, quia certum nuſquã auctorem inuenio, ſicut & eius narrationis, quã refert Chronicum Brunſuigicũ, quod Maria Comitẽ quendam Ciſalpinũ de ſtupro appellauerit, quem dicũt Mutinẽſem fuiſſe; eumq; calumniata ſit apud maritũ, inſtar Bellerophontis aut Hippolyti morte obiecerit: ſed prodito illo facinore, vel per lac è vulnere fluẽte, vel per ferrũ candens manu tractatũ, crematã eam ipſius Cæſaris ſententiâ publicè fuiſſe. Tot in illâ hiſtoriâ cõmenta ſunt collecta. Sed Geraldũ ob factã cædem

 fugiſſe

Comites Sabaudiæ. fugiſſe ex aulâ, & declinaſſe diſceſſu periculum, ſcribunt pleriq; & veniſſe ipſum in Burgundiam, & militaſſe Boſoni (non Buſano) ac Rodolpho Regibus; & demum gratum fuiſſe Roberto Regi Francico, propinquo ſuo, memoriæ prodit Paradinus. Mortuo Rodolpho ſine hæredibus, regnum Burgundicum ei committitur ab Imperatore, cui ipſe Comitatum Moriennæ acquiſiuerat. In ea præfecturâ ita ſanctè & grauiter, ita prudenter & ſtrenuè verſatus eſt: vt & latrocinia reprimeret, & factiones multas funditus extirparet; quas videlicet æquitate aut iure non poſſet tollere aut componere. Auctus autem ditione Allobrogicâ, quam nunc Sabaudienſem vocant, ab Othone III. Cognato ſuo, illam tranquillitate & iuſticiâ rexit circiter annos octo & viginti. Ætate & curâ adminiſtrationis confectus, in cœnobio diui Benedicti vitam ſolitariam peragit, cum duobus filiis natu minoribus: nam alteri gubernationem commiſerat. Moritur anno ſu-
1027. pra milleſimum ſeptimo & vigeſimo, quo Conradus II. Imp. Romæ coronâ Imperiali fuit inſignitus à Pontifice Iohanne XX. Poſt obitum in numerum diuorum refertur, vt in Originibus perſcriptum eſt: ſepultus Arlæ.

HENRICVS THOMAS I.

HENRICVS & THOMAS Geraldi filij natu minores, patris exemplum & inſtitutum animi ſimplicis ſequendum rati vitæ genus elegerunt, in meditationibus ſacris poſitum, & à vulgo atq; multitudine hominum, ſtrepituque communi remotũ: mortui in eo cœnobio, in quo pater ętatem extremã tranſegerat.

HVGO I. BLANCEMANVS.

HVGO Geraldi primus filius, cognomine Blancemanus: ſiue à nitore manuum candidarum, ſiue à veſtimentorum & totius corporis mundicie ſic appellatus. Conſequitur à patre Comitatum Moriennæ; poſt ſoceri mortem, Suſanum. Vxorem autem ducit Adelam, Comitis Seuſani vnicam filiam: è quâ genuit Immedum. Hunc principem non tantùm ob cognationem, ſed etiã propter integritatem Henricus II. Imp. Sanctus charũ habuit: & per ipſius ditionem (quia imperij membrum erat) quaſi portã atq; aditum ſumpſit, iturus in Italiam. Tàm autem ſtudioſus pacis & appetens amicitiarum fuit: vt non modò charus ſubditis, ſed omnibus etiam vicinis eſſet. Tenuit gubernationem viuente adhuc patre, annos ſex: ipſo defuncto annum vnum & viginti ſummâ tranquillitate. Obiit Moriennæ poſt natum Chriſtum

ſupra

ſupra milleſimum octauo & quadrageſimo, in eiuſdem vrbis templo, quod ipſe auxerat & ornauerat, conditus. Comites Sabaudiæ. 1048.

IMMEDVS II.

IMMEDVS II. Hugonis filius, quia longumq; comitatum ducere ſolebat, Codalonga cognominatus: Coda autem lingua vernacula gregem miniſtrorum ſignificat. Vxor Geneta, vel Iohanna (vt alij) Ducis Burgundiæ filia; genuit Hugonem. Is à primâ ætate ab armis & omni turbâ militari abhorrens, quieti & ocio ſeſe addicit, & tantùm gubernationi vacat. Cùm autem nullo exercitationis genere, quod aliquid laboris aut alacritatis haberet, vteretur; penè oppreſsit eo veterno naturæ bonitatem, & vim animi excellentẽ. Id cùm indignũ eius ordini amplo & nobiliſsimo videretur: quidã è primatibus ad vitã ſplendidiorem illum excitant, & ad labores equeſtres modis variis animant: tum ad excitandum animi vigorem inſtimulant maiorum exemplis: exponentes quæ pericula illi adierint, quæ itinera confecerint, quæ bella geſſerint, quas fortunas ſibi pepererint induſtriâ & periculis. Itaque cùm ad annos corroboratos perueniſſet; & ſtudia mutauit, & animos ſumpſit maiores. Incidit bellum inter Gerardum Burgundum, & Henricum Lotharingũ Duces; in quo Burgundo vicino ſuo pro paternâ neceſsitudine ſuppetias fert, & eius victoriam ſuâ ſocietate adiuuat potiſsimum. In initio prælij à partibus Burgundi in acie pugnans, Matiſconenſis Comes acerrimè interfectus eſt: ſed eo inſtaurato, etiam Lotharingus conculcatur: cùm ducatum Lotharingiæ poſtea Otho Rodolphi nepos gubernaret; comitatum Lotharingiæ Guido; Sabaudiæ prouinciam poſsideret Immedus, ſupra annum milleſimum duodecimo. 1012. Henricum II. Imp. adiens tum Veronæ agentem, propoſito Romam eundi cum ipſo, hyemẽ ibi tranſigit. nam iniuria tempeſtatis detentus eſt. Ineunte igitur vere, eum in vrbem comitatus, coronationi interfuit: quâ honorifice & pomposè finitâ, vnà proficiſcitur in Campaniã: vbi Saraceni fugati à Capuâ, in Africam ſe recipiunt: & Græci à Troiâ Apuliæ reiecti, redeunt Conſtantinopolim. Vitam cum morte permutat Mariennæ ſupra milleſimum ſeptuageſimo ſexto: ad latus aui conditus. 1076.

HVGO II.

HVGO II. Immedi Secũdi alter filius, Comes Suſanus: Comitis Geneuenſis Clarenzæ filiæ fidẽ dedit, ſe ipſam ductur ũ vxorem: ſed oculos in aliam coniiciens, duxit poſtea Veneti patricij filiam. Vir bello & rebus gerendis eximius. Militauit

adoleſcens

Comites Sabaudiæ. adoleſcens Conrado II. Imp. in Palæſtinâ, factus ibi multo quàm antea clarior. In patriam reuerſus potitur arce Brianzonia & fit Vallis Tarentaſiæ dominus: ibidem mortuus conditur in templo diui Petri, cognomento Muſtardi: anno ſupra milleſimum
1109. centeſimum nono.

IMMEDVS III.

IMMEDVS III. Hugonis II. filius, Heinrico IV. Imp. in regno Arelatenſe militat; in eiusque comitatu manet, cùm coronam argenteam Mediolani, auream Romæ accepturus cum Auguſti nomine eſſet. Certior interea factus, ſuam prouinciam abſentis infeſtari à Comite Geneuano; miſsionem honeſtam impetrat, & cohortes aliquot militum ad bona ſua tuenda ſecum ab Imp. deducit. Cùm fines patriæ attingeret; arma ſtatim in hoſtem mouet: quî cum congreſſus prælio, ſtrenuè dimicat. Erat in eius exercitu Marcomanus quidam Nicolaus Slauata Chlumius: cuius gentis adhuc inter Boëmos celebre nomen eſt: is in Geneuanum pugnantem delatus, ſuâ ipſum manu ſternit & occidit: cuius cæde cognitâ, fuga populi ingens efficitur. Aucta vehementer eſt per hanc victoriam eius gloria: & acceſſerunt nuper Romæ noui honores per Imperatorem illi tributi, quòd Comes Imperij nouiter declaratus eſſet: & quia vir erat ſtrenuus, & de componendo Imperatore & Pontifice laborabat; magis amplificabat nomen antea clariſsimum. Motâ deinceps in Aſiam expeditione inſigni, Philippo Regi Galliæ, & claſsi Rhodiæ ſe adiungit; & in obſidione Ptolemaidis naualem contra Saracenos obtinet victoriam: vndè in ordine militum Rhodiorum dignitate præcipuâ ornatur, & inſigne ordinis nobiliſsimi & fortiſsimi illi geſtandũ offertur. Rediturus in patriam, Cyprum delatus, intemperie aëris morbum contrahit atque moritur, anno ſupra milleſimum
1154. centeſimum quinquageſimo quarto; ſepultus in cœnobio montis Sanctæ Crucis, funus curante & proſequente Guidone Luſignano, tum Cypri Rege.

LVDOVICVS I.

LVDOVICVS I. Hugonis II. alter filius, fratre è viuis ſublato, Marchio Suſanus, & Comes Morionis ſolus manſit, E Bertha Barrhi comitiſsâ genuit filios PHILIPPVM, LVDOVICVM II. IMMEDVM IV. Filias IVTTAM, nuptam Comiti cui-

ti cuidam Brixiano in Italiâ Transpadanâ: quid Lazius dicat, nõ intelligo. Alteram BERTHAM, duci Bauariæ.

Comites Sabaudiæ.

PHILIPPVS I.

PHILIPPVS I. Ludouici I. tertius filius, vxorem duxit GERDRVDIM Ducis Lotharingiæ filiã: ex quâ genuit HVGONEM III. LVDOVICVM III. filios: filias tres, Margaritham, Ditburgam, & Odiliam.

IMMEDVS IV.

IMMEDVS IV. Ludouici I filius, vxorem ducit Comitis Areſcoti in Belgio filiam: obit ſine liberis.

LVDOVICVS II.

LVDOVICVS II. Ludouici I. filius, annis adoleſcentiæ mortuus vitam finit.

HVGO III.

HVGO III. Philippi I. filius, vir non animoſus: vxores duxit tres, MATHILDIM, Comitis Flandriæ filiam, quæ ſterilis fuit, & ſine prole obiit; quam ob cauſam ſe clauſtro ſolitario incluſit; & vix ſuæ nobilitatis ac populi minis atque precibus, vt remp. capeſſeret, adigi potuit. Ductâ tum vxore alterâ Annâ, Salinarum Comitis filiâ, ex ea ſuſtulit filiam, quæ anno ætatis ſeptimo moritur; nec minus inde grauiter animo angi cœpit, quàm alterius ſterilitate doluerat. Tertio ducit viduam Auſtriacam, Comitis Burgundiæ filiam, nomine PERNELLAM: ex quâ vnum filium, vnamque filiam ſuſtulit. Ipſe mortuus eſt anno ſupra milleſimum ducenteſimum, primo. Huius temporibus 1201. vrbs Suza afflicta, & deuaſtata eſt, & translatus inde præſulatus eſt Turinum: quia Sabaudus mittere militem contra Imperatorem Barbaroſſam, & partes Alexandri Pontificis iuuare noluit.

THOMAS II.

THOMAS II. Hugonis III. filius, vxorẽ ducit Beatricem Raimundi Comitis Prouinciæ filiam, fœminã feliciſsimã & celeberrimam. hæc peperit filios eidem octo, IMMEDVM V. PETRVM, BONIFACIVM I. HVGONEM IV. THOMAM III. VILHELMVM I. IMMEDVM VI. PHILIPPVM II. Filias quinque, quæ ſingulæ Reges maritos habuerunt: Margarithã, nuptam Ludo-

Comites Sabaudiæ. Ludouico Regi Franciæ Sancto: ELEONORAM Eduardo Angliæ; SANCTIAM (non Cynthiam, vt Polydorus) Richardo eius fratri, electo Regi Romanorum; BEATRICEM Caroli Galliæ, Ludouici filio, Prouinciæ IOHANNAM Philippo Regi Nauarræ, Neapolis, & Siciliæ. Ipſe ditionem ſuam propagauit, vrbibus Pinerollâ, Vigone, Carignano, & Montcaliero captis; & ad fines defendendos ad Pontem Padi extruxit arcem. Obit ſupra milleſimum ducenteſimum anno quadrageſimo tertio.
1243. Conditus in cœnobio Archangeli Marchionatus Suſani.

IMMEDVS V.

IMMEDVS V. Thomæ II. filius primus, ab adoleſcentiâ morbo laborauit graui, & medicis incognito, nam colludens cum ſociis, brachio altero nullam puncturam ſentiebat, etiamſi vngues validè imprimerentur: tandem depræhenſum eſt, eum lepra infectum: ideo in arce quâdam lacui Lemano imminente, vitam ſolitariam egit; à ſocietate & conſuetudine aliorum hominum excluſus. Extinguitur ſupra milleſimum ducenteſimum
1246. ſexto & quadrageſimo.

PETRVS.

PETRVS Thomæ II. filius ſecundus: à ſtatura corporis dictus Paruus, à ſimilitudine magnanimitatis, quæ in Carolo Rege præſtantiſsima fuit, eius cognomento Magnus. Vir magnis rebus geſtis clarus & felix, & (vt Polydorus Virgilius ait) multò prudentiſsimus Succeſsit fratri Amedeo VI. de quo mox dicetur.

PETRVS primùm Thomam III. fratrem vltus eſt; quem præfectus Imp. in itinere Romano, captum detinuerat in vinculis. Poſtea etiam vltus Amedei VI. filium Bonifacium: cuius etiam ditione ditatus, poſtquam eum Thurini interfecerant. Nec ſolum ille Zablenſem ditionem ſui iuris fecit: verùm etiam Valeſiam adortus, & Sedunum metropolim obſidet: & partem muri ſpacio Orgyiarum demolitur. Vallem deinceps Brigenſem vſque ad Rhodani fontem occupat. Poſtremò Agaunum, Vicum Veragrorum adit: vt Martyrum legionis Thebææ inſpiceret monumenta. Ibidem impetrauit annulum diui Mauricij; quo in hunc diem pro inſigni vtuntur Duces Sabaudiæ: nam quicunque poſsidet eum, etiam principatus poſſeſsione vti ſolet, iam ſolenni more conſuetudinis.

Cum Thurinis continuum bellum geſsit, pro Bonifacio fratris ſui

tris ſui filio: quos fame, teterrimo omnium malo, ſtuduit ſubigere. Egerant igitur Turini tacitè cum iis, qui per flumen Padum frumentum veherent, vt vrbi eſſent præſidio, eique ne commodare intermitterent: propoſitis etiam præmiis pro tali beneficio. Collectis igitur circiter ducentis nauiculis, impoſuerunt eis vaſa plena frumentorum; quæ picata & concluſa & ſub vndis latentia, ad littus attraherent, & in vrbem deducerent. Eâ fraude animaduersâ, Princeps curauit Pontem in Pado faciendum: tignisque ac trabibus paliſque ſub aqua fixis ita muniuit; vt amplius tranſitus non pateret, nec vaſa mergi poſſent, nec ſub aquis aut trahi aut moueri, aut ad littus ampliùs appelli. Hâc illis occaſionē ademptâ, vrbe breui ſpacio potitur: in ciues quoſdam animaduertit capite, alios mulctat pecuniâ, alios laribus ſuis eiicit, præfectum vrbi imponit, & nouos dat magiſtratus. Pòſt bello pergit, & reliquum ditionis Zablenſis, & Vallis Oſtæ occupat. Comites Sabaudiæ.

Erat eo tempore ſtatus Imperij non ſatis tranquillus, contendentibus inter ſe Philippo Sueuiæ Duce, & Othone Saxone, & Bertholdo Zaringiæ: ſed hic cum eſſet vir placidus & prudens, Philippo ceſſit; & ei ſe dedidit: Sueuus & Saxo loco inuicem cedere noluerunt. Igitur eſt è Syluâ Nigrâ Dux Loffingenſis vnus è Landgrauiis Stulingiis, quem Egonem Annales nominant, à Philippo miſſus, qui illam ditionem Imperij nomine vindicaret: à quo nihil effectum eſt illâ expectatione dignum: nam in prælio cum ſeptem Comitibus Dux ipſe captus eſt; & Comites illi paſſim per totam Sabaudiam in vinculis diſperſi. Capta deinceps plura oppida, Modunum, Rhona, Verdunum, quod non ſine maximâ difficultate accidit. Stulingius, qui neſcio quid iuris in ditione Sabaudienſe ſe habere arbitrabatur, eò ſe abdicat: & nihil vnquam in poſterum ſe moturum ſuo aut hæredum nomine promittit.

Cupido fortè inceſſit Sabaudum, ſororem ſuam Eleonoram Angliæ Reginam inviſendi: quo abſente Comes Geneuenſis, qui gloriæ Sabaudi inuidebat, duas arces extruit Cleam & Rhonam, vnde ditionem eius deprædaretur, & populo noceret: quod cum ille iniuſtum, & ferendum ſibi non putaret: à Rege Anglo auxilium petens, claſſem ſex millium militum ſecum ex Angliâ deducit, Comitiſque aduerſarij præfectos cogit, vt arces illas dederent: quod negocium tranſigitur arbitris comite Burgundo & Maſconenſe; ſtatim poſt illud tempus, miles Anglicus rurſus dimittitur. Inter regni igitur illius tempore, magna acceſſio facta eſt ad ditionem Sabaudienſem: Reges autem ipſi, qui exteris

Comites Sabaudiæ. auxiliis fulti erant, alter periit miſerè in arce Pabergenſe ab amico interfectus, viuente adhuc Sabaudo: alter deinceps mœrore animi confectus, mortuus in exilio eſt.

Ad hunc antea profectus in Saxoniam Sabaudus, amicè excipitur, & benignè habetur; & tanquam è Saxonibus natus honoratur. Cum à Cancellario peteret, vt ſibi Mariennæ, Sabaudiæ, Suſæ poſſeſsiones à maioribus relictæ traderentur: cumq; literas quibus confirmatæ à prioribus Imperatoribus erant, proferret: ſummâ beneuolentiâ impetrauit, quod voluit. Cum verò nuper à ſe partarum ditionum Zables, Vallis Oſtæ, & eius quæ Vaux appellatur, eodē modo literas videre Cancellarius requireret; nullas oſtendit, ſed gladium nudum monſtrauit, & ſe armis ac ſanguine probauit comparaſſe. Cancellarius id teſtimonium Duci Saxoni referens, riſum ipſe non tenuit: & ipſum terrarum illarum Dominum, & Principem imperij iuſsit declarari. Quod cùm eſſet factum, dimiſsionem ab Imperatore impetrauit: & cum gratiâ ac beneuolentiâ ex aulâ è Saxoniâ ad ſuos rediit. Poſt id tempus in morbum incidens, quo diu laborauit, in arce Chilioneo,
1268. obiit anno ſupra milleſimum ducenteſimum octauo & ſexageſimo. Mortem Cometa anteceſsit, tribus menſibus apparens. In ditione ſucceſsit illi frater, natu minimus Philippus.

BONIFACIVS I.

BONIFACIVS I. Thomæ ſecundi tertius filius, propter dignitatem corporis, & formā eximiam, cognomento dictus Abſalon; in Angliâ Antiſtes Cantuarienſis quartus & quadrageſimus in ordine, vir ſingulari virtute, vt ait Polydorus Virgilius. Ipſe conſilio fratris Petri (non enim pater eius fuit, vt idem ſcribit Polydorus) ædificauit extra Londinum ad Thameſim fluuium, domum præclaram, nominatam Sauoyam; quam noſtro tempore Rex Henricus VII. hoſpitalem diuo Iohanni Baptiſtæ dicatam poſuit. Fuit autem frater Bonifacij Petrus, propter grauitatem prudentiámque Regi adeò charus, vt eum in rebus agendis adhiberet in conſilium, & opibus tantum augeret, vt ædes tàm magnificas poſſet extruere. Venit ipſe antiſtes in tantam Regis noticiam & gratiam: vt Eleonoram eius ſororem, Raimundi Comitis Prouinciæ filiam, vxorem duceret; & Sanctiam (non Cynthiam, vt iterum deprauatè ſcribit Polydorus) fratri ſuo Richardo Rex traderet: eſtq; eo nomine Regum duorum auunculus. Cum poſt annos multos reuiſeret Sabaudiam: locorum ſitu allectus, arces duas Roſsilionum & Vginum condit; vt ſui no-

minis relinqueret ibi memoriam. Mortuus eſt ſupra milleſimum ducenteſimũ anno ſexageſimo: reductus domum ad maiorum monumenta; ſepultus in templo Haultecumbeio. *Comites Sabaudiæ.* 1200.

HVGO IV.

HVGO IV. Thomæ ſecundi filius quartus, militauit in Boruſſiâ Hermano Salcæ, magiſtro ordinis quarto: cum eodem in 1235. acie interfectus, anno ſupra milleſimum ducenteſimum quinto & trigeſimo.

THOMAS III.

THOMAS III. Thomæ ſecundi filius quintus: vxores duxit, primam Comitis Flandriæ filiam ſterilem: alteram BEATRICEM, Petri Fliſci Patricij Geneuenſis filiam, Innocentij quarti Romani Pontificis neptim: ex qua genuit THOMAM IV. IMMEDVM VI. LVDOVICVM III. & filiam LEONORAM, vxorem Ducis Beauienſis. Hic propter magnanimitatem & vſum bellorũ creatur Eccleſiæ Vexillifer. Moritur ſupra mil- 1251. leſimum ducenteſimum primo & quinquageſimo.

VILHELMVS I.

VILHELMVS I. Sextus Thomæ ſecundi filius, præſul Valentinus, cùm legationem obiret ad Innocentium IV. Aſsiſij in Vmbriâ creditur veneno periiſſe, anno ſupra milleſimum ducenteſimum nono & trigeſimo. 1239.

IMMEDVS VI.

IMMEDVS VI. Thomæ ſecundi filius ſeptimus: vxores habuit, primâ, Albonis Comitis filiam, ex qua nullam prolem genuit: alteram Ceciliã, filiam Comitis Maſsilienſis; è quâ geniti Bonifacius II. & Conſtantia. Huius maritus primus Bonerus, Comes Chalonenſis: alter Emanuel regis Hiſpaniæ frater. Extinguitur lepra ſupra milleſimum ducenteſimum ſexto & quadrageſimo. 1246.

PHILIPPVS II.

PHILIPPVS II. Thomæ ſecundi filius octauus. Hic Sacerdotiis ornatus eſt, factusque initio præſul Valentinus: deinde Antiſtes Lugdunenſis, iuuenis aptior ad militiam fuit, quàm ad Eccleſiam: ſumptus enim & reditus è Sacerdotiis putauit rectiùs conferri ad rem militarem, quàm ad ſtudia aut pietatem: nam cùm eſſet factus gubernator in Hetruriâ, patrimonij diui Petri Duci Vrbinati & Camerti bellum fecit; & aliquot nobiles pecuniâ Eccleſiaſticâ oppugnauit. E præſule demum factus vir planè mi-

Comites Sabaudiæ. litaris; & depoſito pedo paſtorali, accommodauit ſibi ſagũ & clypeũ; & ſucceſsit in ciuili adminiſtratione Petro fratri: à quo etiã annulũ inſignem diui Mauricii, cum ſolennitate accepit: & vxorem duxit ALOISIAM, Comitis Burgundiæ vnicam hæredem: tenuitque comitatum paternum Sabaudienſem, & item generi ſui Burgundicum. Poſt nuptias in morbum incidit incurabilem: nam hydrope affectus tympanite, totos annos decem eo languore decubuit. Cùm ſpem prolis ex vxore tenera planè nullam haberet: ditionem ſuam in Thomæ fratris ſui filios diſtribuit; Thomæ V. ditionem Pedemontanam, Immedo VII. Sabaudienſem, Ludouico IV. Vauxenſem & Bingoënſem dedit: neue inter ipſos (vt facile fieri ſolet) ſuboriretur contentio; teſtamento cauit, vt ſuâ quiſque portione contentus ageret: vtque id fieri præſens videret, ſuam cuique partem viuens aſsignauit. Princeps prudens habitus & iuſtus: nam paulò ante mortem omnem ſuum populum conuocat; & ſi quem iniuriâ affecerit, id dicere mandat: ſatis illi de eâ facturus, cæterorum iudicio. Moritur plenus ætatis & honorum in cœnobio Haultecombeio, poſt milleſimum ducen-
1285. teſimum anno quinto & octuageſimo.

Hactenus recenſuimus viros nobiliſsimos, & ſobolem præclaram, Thomæ videlicet filios octo: quos è Paradino accepimus: nam Agricola & Lazius, cum eo non conueniunt: nec nos aut illum laudare, aut hunc poſſumus repræhendere, deſtituti videlicet monumentis & literis. Paradino tamen credimus, quia aliqui cum eo conſentiunt: vt Polydorus Virgilius in Anglicâ hiſtoriâ, qui Bonifacium antiſtitem Cantuarienſem, ex hâc familiâ nominat Petri filium, vt ipſe: Thomæ, vt Paradinus, & quia Beatricem matrem Eleonoræ & Sanctiæ, eius ſorores, Regibus duobus nuptas ſcribit. Hoc igitur in loco, quia mihi fidem facit Paradinus, ei credo: ſed tamen ſtudioſis, vt alia etiam monumenta inſpiciant, autor ſum: nam vt in parentibus Bonifacij I. diſſentiunt Polydorus & Paradinus: ita etiam in filiis Immedi VII. Nam quem Eduardum Paradinus, eum Ludouicum Foreſtus Bergomas nominat: quæ diuerſitas & diſcrepantia, ſuſpectas narrationes facit. Hoc ego lectorem celare non potui. Nunc vt Thomæ filios illuſtres, ita porrò nepotes eius Thomæ III. filios proſequemur.

THOMAS IV.

THOMAS IV. Thomæ tertij filius primus, à patruo ſuo Philippo, qui hæredem non habebat, ditionem Pedemontanã accepit.

accepit. Occiditur in prælio, circumuentus inſidiis Comitis Geneuenſis ſupra milleſimum trecenteſimum anno tertio. *Comitis Sabaudiæ.* 1303.

IMMEDVS VII.

IMMEDVS VII. Thomæ tertij filius ſecundus, quem patruus Philippus charum habuit, & ſecum comitem duxit per Italiã; is poſſeſſionem Comitatus Sabaudienſis, & annulum Mauricij à patruo conſequitur. Vxorem duxit præter conſiliariorũ voluntatem, Sibyllam, Comitis Bagei & Breſſenſis vicini ſui, vnicã filiam. Ex eâ poſt multos annos genuit filios duos: Immedum VIII. & Ludouicum VI. vt ipſum nominat Iacobus Foreſtus: Filias tres, Eleonoram nuptam Comiti Auſerano, qui in prælio contra Philippum Galliæ regem cecidit: Margaritham, Iohanni Marchioni Montferratenſi: Agnetem, Vilhelmo Comiti Geneuano. Defunctâ vxore primâ, ducit Mariam, Comitis Brabantini filiã; quę genuit Eduardum filiũ: filias quatuor, vnam Mariam nuptã Hugoni domino Vallis Fuſmeieræ: alteram Catharinam Leopoldo Duci Auſtriæ: tertiam Iohannam, Palæologo Imperatori Conſtantinopolitano: poſtremam Beatricem, Duci Clarentię in Angliâ. Inuidebat felicitati eius, & amborum fratrum, Comes Geneuanus: ideo inſtimulabat Hubertum Galliæ Delphinum, vt quietos ipſos ſollicitaret, & eorum ditionem inuaderet, & inde prædam è villis atq; agris in regione Pedemontanâ ageret. *Bellum Immedi cum Comite Geneuano.* In quo tumultu Thomas IV. Immedi frater, prædam illam repetens, indignè interficitur. Vlturus igitur Immedus fratris cædem, Comitẽ Geneuanum adoritur hoſtiliter; & fratris alterius Ludouici III. ditionem, ab eiusdem quoq; iniuriâ fortiter vindicat, & eum in fugam coniicit. Immedus maximi animi vir, hoſtem fugitiuum pro victo reputans, occupabat Alpium anguſtias, & arcem Guiſiorum Laiam; vt ad commeatũ tranſportandum pateret ipſi via, & ad vexandam improbi Comitis ditionem nunquam intercluderetur occaſio. Tandem poſt multa damna populo illata, Martinus IV. Pont. & Rex Angliæ, & Dux Burgundus, legatos miſerunt, qui conditionibus cauſam iniquam componebant.

Circa annum milleſimum trecenteſimum nonum, Henricus VII. Imp. Lucelburgius moliebatur profectionem in Italiam, 1309.
euocatus à Clemente V. ad pacem in eâ faciendam: neue moram traheret, tempus ei biennij præſcribit ad coronationem, & inſignia accipienda: ſed ignarus Henricus, quo itinere tutò contenderet, quia diſſentiebat à Duce Auſtriaco, per Alpes Iulias ſeu Tridentinas ire nolebat; ideo appellabat de tranſitu Comitem Sabaudienſem, qui ſibi eâ de cauſâ gratulatus eſt, & Imperatori prolixè *Henricus VII. iter Italicum per Alpes Tridentinas.*

Comites Sabaudiæ.

lixè pollicitus; ſtatimque hoſpitia per ciuitates & oppida, quibus hoſpitem digniſsimũ honorificentiſsimè ſuſciperet, curauit atq; diſpoſuit: atq; obſeruantiæ cauſâ, obuiã illi proceſsit in Heluetiã, Bernam vſq;. Eo beneficio vehementer gauiſus Imperator, ſe agnoſcere dixit maiorum ipſius virtutem & generoſitatem: nam ſcire ſe, ipſius maiores ex Imperatoriâ familiâ, & regiâ Saxonum ſtirpe ortũ trahere; & priſtino ipſum animo atq; ſtudio erga imperium eſſe; idq; pro ſuâ veneratione modò declarare. Immedus contrà omnem beneuolentiam & fidem illi spontè & benignè offert; & coram amicis iactare ſolitus eſt, ſe vnum fuiſſe, cui Imperator ſuam ſuorumq; ſalutem liberè commiſerit. Feſtinanter autem per ditionem eius Imp. properat, donec ad Suzam vrbem peruenit. Circum eum locum Alpes comitante Imperatore conſcendit; vbi ei proximus proſpectus in Italiam monſtratus eſt. Ibidem inter colloquendum ſubiecit Imperatori, ſi ſaluam vellet Italiam, ſi illibatam maieſtatem ſuam, vt factiones illas inſanas Gibellinam & Guelfam odiſſet communiter, nec alteram alterâ magis foueret: eſſe enim peſtes tranquillitatis Rerũ publicarum. Moncalieri Cæſar coniunxit ſe cũ ſuo exercitu, cui præfecerat Flandriæ Comitem. Cum in Sabaudiæ oppidum Aſtam ventum eſſet: Immedus Cæſarem per Inſubriam, & Hetruriam vſq; Romam ſecutus eſt, cum Ludouico filio. In vrbe multi honores Sabaudo tributi: tum rurſus inter Principes Imperij numeratus & aſcriptus eſt, cùm ipſe, tùm etiam filius.

Sabaudus in numerum Principum Imperij recipitur.

Sabaudus Gallum Delphinatem ad monomachiam prouocat.

Interea certior fit, Delphinatem Gallum incurſionem feciſſe in regionem Pedemontanam: igitur non expectans Romæ Imp. coronationem, domum properat, & hoſti ſe opponit. Eum cùm ad certamen ſingulare prouocaret; Gallus caduceatorem irridet, ſe inquiens non eſſe iumento ſimilem, qui certare viribus corporis & robore velit; & id indignè atque petulanter, à nobile viro poſtulari. Deceptus autem ab Humberto Delphino, maximã partem ſui exercitus per inſidias amittit; & pax inter eos per Carolum Siciliæ Regem noua conſtituitur.

Bellum Sabaudi cum Comite Geneuano.

Defunctâ primâ vxore Sibyllâ, aliam ducit, ducis Brabantiæ filiam; conciliante eas nuptias, generoſo viro Petro Granſonio. Mox renouatum eſt diſsidium illud quaſi fatale inter Sabaudum & inter Comitem Geneuanum; & quidem grauius atque acerbius, quàm antè vnquam fuerat. De aduentu Immedi, cùm per Lombardiam iter faceret, factus certior Comes Geneuanus; præſidium extruit ad Aruam fluuium, vnde impugnaret Sabaudienſem, & illi damna inferret. Idem factum vindictæ causâ à Sabaudienſe; cuius præſidium poſtea captum & euerſum. Coniun-

xit ſe cum Humberto Delphinate, Robertus Mombellius, Amedei transfuga; & arcem Entremontanam tradit: ſed cum clementiâ erga Robertum vteretur, & ei delicti gratiam faceret; rurſus eum in ſuas partes allicit, eoq; poſtea fido & amico vſus eſt. Iniit deinceps fœdus de occupandâ Geneuâ, Comes cum ciuibus ſeditioſis: nam vrbe ipsâ potiebatur Immedus. Eam proditionem ſentire cœpit dominus Fellientius, qui in inſulâ Rhodani habitabat, & illius regionis Amedei præfectus erat. Is templum ciuitatis diui Petri, cum ciuibus fidis occupat, ne in hoſtium perfidorum poteſtatem veniret. Cùm ad Immedum eſſet delatum, ciues quoſdam leues coniuraſſe; cum exercitu in vrbem venit, & ex arce, quam hactenus Geneuanus obtinuerat, illum eiicit, in coniuratos animaduertit, & quicunque vim minabantur, eos occidit. Erat adhuc in vrbe aliqua Præſulis autoritas. Hunc etiam ſollicitare cœpit Comes, vt vrbem inuadere poſſet; ſed cùm non ſatis cautè prouideque ageret, etiam ille eiectus & fugatus eſt, & arces aliquas amiſit; ne ſibi licitum putaret Principis ſui aduerſarios fouere aut defendere. Ciues turbulenti partim interfecti, partim fugati, domus aliquorum dirutæ; ipſi in carceres ad alios terrendos coniecti, ac capite puniti ſunt.

Comites Sabaudiæ.

Coniuratio in Sabaudum.

Incidit in eadem tempora turbulenta bellum inter Philippum Galliæ Regem, cognomento Pulchrum, & inter Flammingos. Philippus igitur Rex Humbertum filium Viennenſem, & Comitem Sabaudienſem, item Geneuanum ſibi conciliauit; omneinque eorum exercitum in vnum coëgit: eiſque Eduardum Immedi filium, ducem belli præfecit: verùm ex incuriâ & negligentiâ initiò malè pugnauit; ſed exercitus tandē virtute Immedi Sabaudienſis, & Caroli Comitis Valentini, & quorundam aliorum reuocatus eſt: multique è Flammingis ſunt trucidati.

Bellum Philippi R. Galliæ cum Flammingis.

Bellum Sabaudicum ſtatim renouatum eſt: & ſe Immedo adiungentes eius cognati, ingentem exercitum contraxerunt. Præſul tandem Grenoblius ad pacificandos illos miſſus; tàm grauiter, tàm ſplendidè locutus eſt, de belli variis calamitatibus, & graui excidio: vt animos principum omnium flecteret, & in ſuam traduceret ſententiam. Suaſit enim, vt arces duæ, quam in finibus Geneuanus nempe Marnalſiam; & quam Sabaudus, nempe Galliardam ædificauerat; è fundamentis deſtruerent: vtque animi etiam inter ſe nouo quaſi vinculo coniungerentur. VILHELMO Geneuani filio nuptum dabatur AGNES, Immedi ex primâ vxore filiâ: domino verò ditionis Fuſmeieræ, MARIA ex ſecundâ eiuſdem vxore nata; ita ex diuturnâ

Bellum Sabaudicum recrudeſcit.

Comites Sabaudiæ. afflictione, & ex odio populari orta eſt optata coniunctio, & publica tranquillitas.

Bellum Sabaudi cum Delphino. Eam paulo poſt turbauerunt bini ſeditioſi Monachi; qui Abbatem ſuum, virum bonum, interfecerunt; & oppidum Ambrunam ad pontem fluminis Ayni ſitam, Delphino prodiderunt: quod animo iniquiſsimo tulit Sabaudus: tulerunt item tanquam indignum factum Sabaudi generi, qui Delphinum iuuare auxiliis, quod antea ſemper fecerant, detrectârunt. Delphinus autem bellum illud perſequens, Mirabellam arcem capit; cui quantis poſſunt viribus, ſe opponunt Sabaudi cognati & propinqui, Ludouicus Immedi frater, Vauxij Comes, Petrus Sabaudus Præſul Lugdunenſis, Hugo dominus vallis Fuſmaieræ, Leopoldus Princeps Auſtriæ, eius gener, & Princeps Beauienſis, item Philippus Dux Burgundiæ, & Philippus dominus Morennæ. Iſtorum omnium copiæ erant collectæ in ditione Breſſenſi, in oppido nominato Burgo. Igitur ad obſidendum S. Germanum, oppidum, vnanimi conſilio, & paribus ſe iungunt viribus: ſed Delphinus in ipſorum exercitu exploratores habebat, & bellum ducebat aſtutiâ; putabat enim ſe morâ & tarditate rem moraturum: ideoq; fugam ſimulabat, vt illos ab oppido Sancti Germani abſtraheret. Ipſi eum eâdem ſimulatione inſequentes retrocedunt; & altero die oppido cum arce potiuntur; quæ cùm Auſtriaci & Burgundi diripere cuperent, vix ſunt deliniti: ſed paulò pòſt Amberia Delphinatus oppidum, quin caperetur & diriperetur, prohibere non potuit; ob quarum vrbium cladem, tanto dolore affectus Delphinus eſt, vt paulò pòſt mortem cum vitâ commutaret. Immedus poſt vtranq; victoriam ſuos propinquos animo grato & lætante dimiſit; & deinceps vixit tranquillus ac pacificus. Is poſtea proficiſcens Auenionem: cum Pontifice deliberat, de bello Turcico, & quomodo genero ſuo Imp. Conſtantinopolitano auxilium ferret: ſtatim inde vt domum rediit, defunctus eſt, anno poſt milleſimum trecenteſimum tertio & trigeſimo: ſepultus in cœnobio Haultecumbeio. 1333.

LVDOVICVS III.

LVDOVICVS III. Thomæ quarti natu minimus filius, à Philippo patruo poſſeſsionem Dominij Vaux & Bingoës ſortitus eſt; qui eidem etiã adiutor extitit contra Delphinũ, animumque gratum in expugnando Sancto Germano eidem oſtendit.

BONIFACIVS II.

BOnifacius II. Immedi ſexti filius, Thomæ II. nepos, ex Comite Maſsi-

Maſſilienſe matre natus vnicus, à patre accepit Vallem Oſtæ & Zables; gubernationem inchoat ſupra milleſimum ducenteſimū anno ſexto & quadrageſimo. A Comite Montferratenſe ſuiſque ſociis Aſtenſibus & Thurinis bello laceſsitus, illis iuxta arces Riuolam & Montcalieram cōfidenter reſiſtit: ſed fortunæ nimium fidens, & Thurinū obſidere parans; ante vrbem in medio agmine hoſtili præuentus; ipſe & Comes Salutiarum capiuntur, & in vrbem Aſtam deducti. Bonifacius tertio die, è dolore vulnerum moritur, ſupra milleſimum ducenteſimum quinquageſimo ſexto, conditus Mauriennæ.

Comites Sabaudiæ. 1246. 1256.

LVDOVICVS IV.

LVDOVICVS IV. Immedi ſeptimi è primâ vxore filius, adoleſcens fortis & animoſus, Imperatorem Henricum VII. cum patre ſecutus in Italiam primùm Genuam, deinde Romam vſq; vbi à Clemente V. & à tribus Cardinalibus coronatus eſt. Inde cùm pater in Sabaudiam rediret, adoleſcens in comitatu Cæſaris manſit, vnaque Piſas & Senas iuit. Hic cùm ægrotare cœpiſſet: in agro Senenſi Macerati balnea adiuit, & inde ſe in oppidulum Bonconuentum contulit; in quo Roberti Regis Siciliæ, item Florentinorum & Senenſium inſidiis intoxicatus eſt, porrectione panis in Sacrâ Oſtiâ, vt appellant: inde translatus Piſas: in quâ vrbe monumentum & tumulum in hunc diem habet, Adoleſcens Sabaudus defuncto Cæſare, reuerſus eſt in Germaniam.

EDVARDVS.

EDVARDVS Immedi VII. ex vxore alterâ Mariâ Brabantiâ filius, duxit Blancham Philippi Ducis Burgundiæ filiam: ex quâ procreauit Mariam. Duci Britaniæ nuptam. Eduardus robuſtus corpore, & ſtaturâ inſigni, cognomento Craſſus, largiengo multum profuſus, fuit in adoleſcentiâ in armis, nemo princeps pulchritudine illum ſuperauit. In adoleſcentiâ pugnauit Philippo Pulchro Regi Galliæ; cui rex primos ordines tribuit, vt patri eius gratificaretur: ſed primū prælium propter negligentiā infauſtū fuit: quæ ſecuta ſunt duo Flāmingis calamitoſa, Gallo & ſociis eius ſecundùm voluntatem ceciderunt; qui etiam Eduardū præmiis & honoribus affectū, ad patrē remiſit. Cùm exercitus Aquitanorū, prope fines Sabaudiæ verſaretur: mandauit filio pater, vt curam ſuæ prouinciæ gereret; & propter annos ac virium infirmitatem, ſe quaſi remouebat ab imperio; vt adoleſcentis animum cupidum incenderet, moueretque vt ſuis alis diſceret

volare,

Comites Sabaudiæ. volare ſuoſque tueri paulatim aſſueſceret. Videns igitur patris ſententiam, & lentitudinem quandam atque ſegniciem, ſatagere incipit, & amicos ſuos conuocare: primoque congreſſu fundit Delphinum & Aquitanos ad locum quendam, à Sancto Andrea dictum. Poſt illud prælium vtrinque parti pernicioſum, à præſule Grenoblio pax confirmatur.

Bellum Eduardi cum Fuſmeiero. Occaſionem autem belli vndique quærens, cum affine ſuo Fuſmeieræ domino, contentionem ſuſcipit: cauſatus eam arcem in fundo Sabaudico exædificaſſe: qui cùm ſe excuſaret, & cauſam ad arbitros reijceret, nihil effecit; ſed arcem affinis obſeſſam capit & demolitur. Prouocatus ille acerbâ iniuriâ, Delphinum & Geneuanum, in auxilium vocat; & aliam eius arcem Alingam, ope Delphini & Geneuani, ipſe viciſſim obſidet; ad quam liberandam prælio ipſos laceſſit: quod cùm minimè illi recuſarent (erât enim copiis & viribus longè potentiores) Eduardus fortiter & prudenter pugnans, primùm Delphinum fugat; deinde reliquos quoque diſsipat; tandem Alingam arcem antiquam, fame compellit ad deditionem; eamque nouis propugnaculis munit atque ampliorem reddit. Ægerrime ferebat Fuſmeierus ſe & victoriâ cecidiſſe, & arcem perdidiſſe, ideo bellum renouabat, quantis viribus poterat, & Eduardi copias exilientes lætitiâ, & ſecuritate audaces in fugam coniiciebat: quòd cum ipſe fieri videret, ſuum militem inclamat; & rapto de ſignifero vexillo, fugientes hortatur, & in acie rurſus ſtatuit, cum exprobratione ignauiæ & turpiſsimæ fugæ; inde Bogam arcem intra quatriduum expugnat, & eodem impetu agrum Geneuani inuadit; & terras eius militi ſuo vaſtandas diripiendasq; obiicit; quia hoſtibus Sabaudorum hoſpitium & receptum dabant. Erat ſanè triſtiſsima facies illorum locorum, quæ tàm miſerè armis, & latrociniis, & cædibus, & rapinis exhauriebantur; & erant animi principum ita exacerbati in mutuam perniciem; vt nulla ſpes pacis ac concodiæ vſpiam appareret.

Erat ex alterâ parte Delphinus, qui confœderato ſuo Fuſmeiero auxiliũ ferens, naues parabat; quibus prædam conueheret ex ditione Sabaudicâ: & circa loca maritima hinc inde vagans villas ſpoliabat, auectis non ſolùm agricolis, verùm etiam armentis & vaſis ruſticis. Id non multum ferens Eduardus; vrbem Lorcingam & arcem, intra biduum occupat. Interea anguſtias Alpium, corroboratis viribus, quæ ſub ditione Guiſiorum ſunt, in ſuam poteſtatem redigunt, Delphinus & Geneuanus; nacti occaſionem vexandi loca finitima, & habentes quaſi ſpeculam, circum-

circumcirca incurrendi, in quos vellent. Sabaudus in omnia intentus, & periculis factus quotidiè animoſior, penè vtrumq; hoſtem Delphinum & Geneuanum ceperat: & quia videbat tempus inſtare, vt ſe in hiberna conferrent, cogitauit quomodo Alpium anguſtiis rurſus potiretur: id vi poſſe fieri quia dubitabat, præfectum earum tentat pecuniâ; qui corrumpi ſe cum pateretur, & Eduardo ſcopulum illum clauſum traderet; dignum perfidiæ præmium à Guiſio accepit, morte informi necatus. Poſt id factum inter Aruam & Rhodonum flumina aliam quandam arcem prope Genuam ædificat nobilis quidam; & in illâ viciniâ aliam rurſus ipſe Comes: quod eâ causâ faciebant, vt Geneuenſes ciues armis proſequerentur, & extra vrbem profectos in itineribus infeſtarent. Arcem Comitis ſtatim ſolo æquauit: eam, quam nobilis extruxerat, non potuit: quia deiecto ponte ad eam aditus non erat; & Arua fluuius propter niuem vadoſus non fuit; & hyemis toto tempore à bello quies. Vere rurſus ineunte Eduardus in Comitem duxit: & arcem Seſſainam in Alpibus, & aliam quandam ibidem occupat; & nobilitatem iurare Sabaudo cogit. *Comites Sabaudiæ.*

Circa idem tempus moritur VVILHELMVS Geneuanus, relicto IMMEDO filio: qui paterni odij hæres, æquè aſper atquè iniquus erat; ſibique cognatos patris, Hugonem Geneuanum, & dominum Fuſmeierum & Guiſium, ſocios adiunxerat. Sed humilis nunquam aut ſubiectus in Sabaudo apparebat animus; nec deſtituebatur magnitudine atque prudentiâ; quamvis hoſtes ferociores ipſo viderentur. Ventum igitur ad prælium nouum cùm eſſet: victoria penes Sabaudum fuit: Immedus in fugâ non viſus, putabatur interiiſſe: ſed ex acie declinauerat ad matrem; vt eam alloqueretur, plenam doloris, ob bellum diuturnum, quod inter agnatos ortum erat: qui plerumque pertinaces & continentes iras exercere ſolent. Sabaudus iterum potitus victoriâ imponere bello finem ſemel cupit. Igitur vocato Auſerano Comite, Duce Burgundo, Roberto domino Beauienſi, Comite Kiburgio, ſuis item popularibus in vnum coactis, in Burgo oppido ditionis Breſſenſis, vbi & Immedi VII. temporibus copiæ Sabaudicæ conuenerant; rurſus parati ad bellum, congrediuntur ad arcem Vareiam: ea erat Comitis Geneuani, & ab Hugone eius patruele poſsidebatur. Arx à tantâ multitudine obſeſſa, & cuniculis labefactata ac ſuffoſsionibus, difficulter tenebatur. Igitur deditionem poſtulat Eduardus. Præfectus inducias petebat dierum decem; niſi enim ſuppetias illi ferrent Geneuani, arcem ſeruari contra tantas vires non poſſe. *Bellum Eduardi cum Comite Geneuano.*

Super-

Comites Sabaudiæ. Superuenerunt auxilia ſatis valida miſſa à Delphino, Comes Valentinus, dominus Pauſij, Fuſmeierus, Guiſius, & dux quidam cognominatus Sacerdos Magnus. Comites quoque Geneuani ambo, qui inopinato aduentu venientes Ambrunam, valdè in anguſtum copias aduerſarias coëgerunt. Commiſſum igitur prælium tanto impetu eſt, quanto antea nullum: eſtque in eo tumultu à duobus nobilibus captus ipſe Eduardus; ſed rurſus à duobus viris militaribus illis è manibus extortus, ſingulari audaciâ atque animi præſentiâ. Quamuis igitur prælio Eduardus victus ſit, & caſtris exutus, & multa ornamenta amiſerit: tamen ignominiam ſeruitutis effugit, & retinuit vitam ac libertatem. Eius cognati & ſocij capiuntur, Burgundus, Auſeranus, Beauienſis, viri ſpectatâ virtute. Cùm auxilia Regis Galliæ, ſoceri ſui, item generi circumſpiceret; Pariſiis in febrim incidit, ſublatus anno ſupra
1329. milleſimum trecenteſimum nono & vigeſimo. Inde translatus ad maiorum monumenta mortuus ſine hærede maſculo.

IMMEDVS VIII.

IMMEDVS VIII. frater Eduardi ſine hærede mortui, cùm ipſe dubitaret de ſuſcipiendo imperio: competitores nactus eſt, primùm fratris generum, propter filiam ipſius cohæredem: deinde propinquos ſuos Philippum Comitem Moreæ, & Ludouicum dominum ditionis Vauxiæ. In conſilium cùm in publico conuentu Chamberino agitatum eſſet; ordines Britannum recuſarunt, qui Eduardi filiam in matrimonio habebat; cùm dicerent, contra morem Sabaudienſem fieri, vt imperium ad alium ſexum deferatur. Cognatis non poſſe eſſe locum, nec eſſe illis expetendum; cùm principem habeant eâ prudentiâ, eo animo ac præſtantiâ, vt meliorem non inueniant: eius eſſe eam dignitatem legitimam; ei deberi propter fratrem & fratris merita; eum à nobilitate & toto populo deſiderari, nec eſſe animi tam humilis ac praui, vt ſe negare velit Reip. aut oblatum diuinitus beneficium recuſare: Deum enim eſſe qui tribuat & adimat eiuſmodi publicas dignitates. Hæc cùm publicè commemorarentur; quamuis nec ambitioſus, nec cupidus vir eſſet, nec muneris ſui onus non optime intelligeret: tamen neceſsitati magis, quàm vlli libidini, & voluntati ſuorum, quàm ſuo paruit animo. Attulit ipſi hæc moderatio autoritatem apud omnes, & venerationem apud ipſos propinquos: nam Britanus iniquior erga ipſum viſus eſt. Igitur cum ſummâ omnium gratulatione, & annulum Mauri-

cianum

cianum principatus tanquam Arrabonem accepit, & cætera ducatus inſignia: ſuntque illum votis & ſummi & infimi felicibus proſecuti. Comites Sabaudiæ.

Vxorem duxit Violantillam Palæologi Conſtantinopolitani filiam; ex quâ genuit Immedum IX. & Iohannem, puerum mortuum, & Blancham vnicam filiam, in cuius partu vxor vitam clauſit, fœmina nobiliſsima & modeſtiſsima.

Initio magiſtratus ſui, dirutas vrbes & arces collapſas reparat; nouas aliquot è fundamentis extruit. Vbiq; nouas amicitias init, antiquas cõfirmat, dubias certiores facit, erat tam naturâ humaniſsimâ. Philippus Valeſius Rex Francorum inter Immedum & Humbertum Delphinum, qui inuicem longo tempore hoſtes perpetui erāt, & inimicitias graues à maioribus acceperant, facere pacem deſtinauit: ideo Auenionem ambos accerſiuit; & quatuor arbitris iudicandi de rebus eorum controuerſis dat poteſtatem, vt nominant, plenariam; & actioni illi toti præſens interfuit. Poſt multos pacificos & iucundiſsimos ſermones, iuſsit ambos inuicem ſe amplecti in conſpectu multitudinis; & inuicem ſe læto vini poculo, more Gallico, ſalutare: datiſque muneribus læto & felici omine atque auſpicio ambos dimittit. Parta domi foriſque pace, multiſque per totam regionem ædificiis renouatis, & in formam ſplendidiorem redactis, & reſtitutis poſt bella legibus, ac ciuilibus inſtitutis renouatis; in morbum ſubitò incidit: quo vitam placidè poſuit, anno imperij ſui tertio decimo, à Chriſto nato poſt milleſimum trecenteſimum ſecundo & quadrageſimo. 1342.

IMMEDVS XI.

IMMEDVS IX. Poſthumus, à colore viridi, quo delectatus præ cæteris eſt, dictus Viridis. Vixit ſub tutelâ Comitis Ludouici Vauxij, & Immedi Geneuani; qui etiam pro ipſo fide iuſſerant in ſacro baptiſmo: in illius defuncti locum ſurrogatus generoſus & Illuſtris dominus Vilhelmus Baumâ, præcipuæ inter Gallos authoritatis. Erat hic puer natus ad res magnas, & præclaræ atq; excitatæ indolis, & alacris in cunctis exercitationibus equeſtribus.

Tyrocinium eius fuit in vrbe Pedemontana Quiers, propter factioſos Guelfos & Gibellinos: eam igitur adhuc adoleſcens per Iacobum Moreæ principem ſubegit, & ſuæ ditioni adiecit. Inde Præſulem Sedunenſem à ciuibus eiectum, ad ſe viciniæ causâ confugientem excipit, & pollicetur defenſionem.

t Cùm

Comites Sabaudiæ. Sedunum ab Immedo obſeſſum.

Cùm placidè cum hominibus agens, nihil proficeret: ciuitatem tribus locis obſidet, & vno die expugnat, à primo ortu ſolis ciues vrgens vſque ad veſperam. Vrbe captâ, Sacerdotes in arcem Turbilionem, altiſsimo monti impoſitam, confugiũt: & ſe principi ac præſuli dedunt. Præſul in ſedem ſuam, hoc eſt, in antiquá dignitatem reſtituitur. Sacerdotes vt liberos dignum tractare eſt, dictis refutantur, nec aliter nobilitas. In ciues paulò grauior fiebat animaduerſio: ad quos ſocij ipſorum ex totâ Valeſiâ accurrentes, à copiis militaribus, homines videlicet armorum imperiti, fugantur. Traduntur deinde intra octo dies, aliæ tres arces Præſuli, & in officium rediguntur ſubiecti; & reconciliatio fit in vrbe, ante Valeriam.

Sabaudi bellum cum Delphino.

Sedato motu illo, cùm Guiſium pœniteret deſciuiſſe à Delphino, traditis Alpium anguſtiis Sabaudo; cumq; fidem ſeruare, quam patri dederat, filio nollet, & eius ferre hic ſuperbiam non poſſet; eius cohortes in fugam coniicit: & Alpes quidem retinet, ſed domi duas arces amittit, quæ deſtruũtur, & tertiam, quæ cremabatur vnà cum pręſidiariis. Sabaudus eum in itinere aſſecutus, prædam rurſus omnem extorquet: & eius militem duobus in locis occidione occidit; & vnam arcem Delphini, alteram ſuam à fundamentis diruit, vt doceret hoſtem, arces nõ mœnibus ſolùm defendi, aut propugnaculo; ſed robore & virtute: neque ſitu locorum, ſed conſtantiâ militum. Sabaudi igitur magnanimitas admirationi & terrori fuit: cum eum viderit ne ſuis quidem præſidiis fidere, ſed in virtute propriâ omnia collocare. Delphinus pertæſus belli, & corpore factus imbecillior; ideoq; fortaſsè fractior animo: cum ſuis conſuluit, de ſuo ducatu vendendo: quem Carolo, Regis Franciæ Iohannis filio, certâ pecuniâ obtulit; in ocio quietus cogitans viuere; eaque emptione peractâ, ſtatim ſe in clauſtrum religioſum, inter Monachos Dominicanos, cæteris arrogantiores, incluſit: quod cum ſero animaduertiſſet, ne conqueri quidem potuit; quia illud genus in alios inquirendi iam nuper acceperat poteſtatem.

Vilhelmus Bauma eques, patriæ amans, & bellorum præcidens occaſionem, inter Regem & Sabaudum hoc agit, vt certus finium vtriusque regionis, ſtatueretur terminus; eaque res eò meliùs progreſſa, & feliciùs tractata eſt, quia Bauma ſummâ vtrinq; valebat autoritate. Regi igitur facilè perſuaſum eſt, & Immedo oblata conditio de ducendâ Bonnâ Ducis Borboniæ filiâ; eiq; dicta dos redituum annuorum è Maſconenſi prouinciâ trium millium pondo argenti. Conditio accepta, & conſtitutus eſt vtrim-

Immedi matrimonium.

que

que terminus fluuius Gryer, qui regiones ſepararet: vrbes Delphino ereptas Sabaudus retinuit, ſed earum poſſeſsionẽ in poſterũ à Rege accepit. Deſponſio puellæ peracta eſt in templo diui Pauli Pariſiis; & tradita in manum Vilhelmi Baumæ, & ſtatim deducta in Sabaudiam. Hoc modo pace & amicitiâ cum Franciæ Rege factâ, Iohannes ex Vicecomitum familiâ, antiſtes Mediolanẽſis, fratre Luchino mortuo, etiam eius vrbis ducatum occupauit: homo videlicet imperij cupidiſsimus. Is tacitè in regionem Pedemontanam exercitum miſit; cui præfecit Dauidem quendã, cognomento Procerum, & Robertum Pineum, cum quibus fecit Fridericus Marchio Salutiarum, contemptu quodam Immedi, quem ſe dixit nihili facere. Miſit & alium exercitum in Bononienſes, quibus præfecit ſpectatum virum, Galeatium Stephani fratris ſui filium: qui pugnauit fortiter, & Bononiam cepit, & terruit Florentiam. Contra Sabaudum nihil omninò actum præclarè eſt: nam duces in cœnobio quodã oppreſsi, fœdè perierunt. Procerus ille deductus Riuolum, Pineus Suzam, ſuſpenſus ibi eſt; & inter has vrbes eodem modo, latronum & raptorum more, omnes milites perierunt. Salutius propter contemptum Immedi aliquot vrbes amiſit; & obſeſſæ Salutiæ ſunt, ipſo inopinato; & cùm infamiâ iuſſus in caſtra venire eſt, ſuſpenſâ de collo mitrâ candidâ, & eo habitu ſupplex petere ignoſcentiam. *Comitis Sabaudiæ.* *Bellum Immedi cum Vicecomite Mediol.*

Emit eodem tempore ducatum Vauxij Immedus, è Comite Namurrano: quem ducatum ab vxore Catharina, Ludouici Comitis Sabaudię filiâ vnicâ, poſsidendum acceperat. Vicecomes vir admodũ arrogans iracundiam reprimere non potuit, propter iniuriam acceptam: ideo in agrum Montferratenſem alium deſtinauit exercitum: ideo Marchio eius loci implorauit auxiliũ Anglorum, qui tùm in Inſubriâ militabant. Eorum cùm eſſet ingens multitudo; cumq; & Montferratenſem & Pedemontanam regionẽ valdè infeſtarent, nobilitatẽ caperent, ciues occiderent; Vilhelmus Granſonius Ducis Sabaudi vir præcipuus, quia nihil habebat cum eo negocij, pacem cum iis fecit: & vt ex eius ſolo recederent, & vrbes quaſdam captas reſtituerent, effecit. Eſtq; rurſus liberata à Vicecomitum iniuriâ atque inſidiis Sabaudia.

PETRVS Rex Caſtiliæ in Hiſpaniâ vxorem BLANCHAM, Bonæ ſororem, Borboniæ Ducis filiam, fœminam præſtantem interfecerat: eius mortem Immedus cupiebat vindicare; cumque magnum comparaſſet exercitũ, à rege Hiſpaniæ Henrico Notho audiuit eum interfectum, eiq; in Caſtiliâ illum ſucceſsiſſe. Exercitum quem parauerat, duxit in auxilium Imperatoris Conſtantinopo- *Immedi expeditio in Græciam.*

Comites Sabaudiæ.

tinopolitani Alexij, quem Rex Bulgariæ ceperat; & adiumento Amurrhatis Turcæ, magnâ parte ditionis exuerat. Immedus in Græciam iturus, adiungit ſibi ſocium Regem Vngariæ Ludouicũ: ipſe claſſem ædificat Maſsiliæ & Venetiis; eiq; imponit ſexaginta millia militum, & ſibi legatum creat Stephanum Baumã. Ipſe claſſem conſcendit Venetam; Maſsilienſi imponit legatum, illique conſtituit tempus & locum, quo ſoluere è portu debeat, & ad ſe venire. Collectus vterque exercitus eſt in portu Meſſeniaco, ſeu (vt nonnulli appellant) Coroneo: obuiam ibi Sabaudo eſt legatus fœminæ cuiusdam Græcæ, qui ſui Ducis nomine peteret auxiliũ contra Antiſtitem Patrenſem, qui arcem ipſius Inum obſederat. Immedus inde diſcedere noluit, donec res eſſet vtrinq; compoſita: nam cum Antiſtiti fidem eſſet pollicita domina, illa rurſus liberè & ſecurè ſua obtinuit. Inde profectus Callipolim Thraciæ vrbem, primum prohibitus eſt aditu: neue è nauibus egredi poſſet, multitudine ſagittarum, quæ veneno infectæ erãt, reiectus eſt: ſed vicit tandem Italorum virtus Turcarum pertinaciam. Vrbs Callipolis obſeſſa tribus in locis eſt, & oppugnata fortiſsimè, & defenſa conſtantiſsimè. Turcæ qui extra vrbem caſtra locauerant, noſtros ab oppugnatione auerterunt: & dimicarunt cum eis ab ortu lucis vſq; ad crepuſculum, donec noctis tenebræ pugnam dirimerent. Turcæ & prælio malè excepti, & oppugnatione grauiſsimâ territi, deſperatâ defenſione, vrbem deſerunt, & fugâ ſalutem quærunt. Altero igitur die Callipolis abſq; impedimento capta eſt: in quâ vrbe biduum tantum durauit, vt militem feſſum reficeret; inde progreſſurus, tempeſtate ad portum quẽdam Tenedum nomine reiicitur: inde curſum dirigit in Bulgariã, qui cum Rege agat de dimiſsione Alexij, ſi ea fiat beneuolè: ſin aliter, vt minitetur hoſtilia omnia, quæ fieri poſſunt, rapinis, ferro, incendiis. Interea dum reſpondet Bulgarus, ne nihil putet agi, aut nugas agi: vrbem Meſembriam inuadit, homines occidit ſine diſcrimine, ædificia & tecta omnia diſsipat, nihil inhumanitatis omittit; vt etiam vlciſcatur Chriſtianorum in prioribus oppugnationibus ſanguinem effuſum. Factum id eſt VIII. Cal. Iulij, qui dies eſt Iohanni Baptiſtæ ſacer.

Callipolis obſeſſa.

VARNA vrbs eſt grandis & munita: quam adiens, cum videret expugnatu difficilem, cum ciuibus agit, Regem vt adirẽt, eiq; perſuaderent, vt Alexium dimitteret: ſin id facere ceſſaret, ſciret ſibi paratos hoſtes, qui illũ vi ſint liberaturi. Dum Varnenſes eam legationẽ obeunt; arcem quandam Limenã capiunt deditione: cui imponitur Antonius Dominus Cãpaniæ, patriâ Gallus.

Erat

Erat alia arx vicina GOLOCASTRVM: ad quam occupandam milites de mediâ nocte euntes, iam captam eſſe animaduertebat à paucis quibuſdam, qui vigiles interfecerant. Id cùm renunciatum eſſet Immedo; arcem illam recipit, poſſeſſores aut deturbat aut interficit. Varnenſes Andrinopoli redeuntes, grata renunciant, Alexium videlicet liberatum iri, ſi à Varnâ obſidendâ decedatur. Datur negocium Patriarchæ Conſtantinopolitano; vt ad Bulgarum iret, & Imperatorem reduceret: cuius aduentu vehementer lætatus ALEXIVS, rogauit vt honoris causâ ſecum Conſtantinopolim iret. Exorta ingens gratulatio eſt recepto Imperatore: qui in vrbes ſuas rurſus imponitur, quæ fidelioribus cuſtodibus committuntur: eſtque & libertas reddita Imperatori & toti Græciæ, & iugum Turcicum excuſſum à ceruicibus. *Comites Sabaudiæ.*

Dum in vrbe Conſtantinopoli milites Sabaudi morantur: nobilis cuiusdam filia ſtuprata ab hoſpite eſt; quod animo valdè iniquo parentes tulerunt, & facti indignitatem ad Immedum detulerunt. Is militem ſupplicio ſubiecit: eumque puniendum, ſecundum ipſorum conſuetudinem, parentibus dedit; cumque pœnæ modum inquireret; parentes reſponderunt, producendũ eſſe in publicum, & ſtatuendum ante Diuæ Sophiæ templum, & ludibrij causâ ſecandam illi barbam: quod ſi factum ſit, ſe contentos eſſe, & ſatisfactum eſſe legibus. Erat illud ſpectaculum ridiculum quodammodò militibus; ſed meminerint nonnulli, etiam apud Saxones non fuiſſe olim vſitatum, vt quis ſtuprator capite plecteretur; apud quos ſolebat raphanus inſeri parti poſteri corporis; & hoc modo, qui facinus commiſerat, iumento imponi, ac per vicos vrbium publico ſpectaculo circumduci: Mulier verò ipſa tonſa coma, in circulis oſtendi. *Stupratoris supplicium ridiculoſum.*

Inter alios ſermones, quos inter ſe contulerant Imperator & Comes Immedus, ortus etiam ille eſt, de religione & ceremoniis; in quibus diuerſitas non parua ſit inter Romanam & Conſtantinopolitanam Eccleſiam: Comes, vt Imperator ſe cum Romana coniungeret, enixè rogabat, & vehementer contendebat; tantumq; efficiebat vrgendo, vt impetrari à ſe id pateretur, & ſe facturum certò promitteret. Ei rei cùm moram longiorem interponeret ALEXIVS: ira incenſus eſt Immedus, & ſe fruſtra laboraſſe dixit in liberando Alexio, qui non meliore fortunâ dignus ſit, quàm vt perpetuò vinculis Bulgaricis degeret; & in extremâ ſeruitute ac ſupremo contemptu vixiſſet, ſi non Romanæ voluiſſet parêre Eccleſiæ: addidit etiam hæc verba acerba, ſi non- *Contentio de religione & ceremoniis.*

Comites Sabaudiæ. dum tranſiiſſet, Helleſpontum, & paratas adhuc haberet copias, ſe ipſum eſſe deiecturum de Imperio. Hæc vox delata ad aures Alexij, valdè illum mouit; ideo Patriarcham miſit Conſtantinopoli, qui referret ſtaturum ipſum promiſsis: & aliquot Principum liberos vnà miſit obſides; & Tiaram, capitis ſui quoddam ornamentum, ad eius rei firmamentum; ſeque Romam breui tempore venturum pollicetur: eâ tamen conditione, vt triremes aliquot Pontifex, conſentientibus Cardinalibus, ſe miſſurum promittat, quibus poſsit contra Turcam Græciæ fines tueri.

Bellum Immedi cum Vicecomite Pontifex cùm facere petita recuſaſſet, nec à Cardinalibus quicquam æqui obtineret: cumque Bernabo Vicecomes Mediolanenſis Dux bellum Immedo faceret, vt ad propria tuenda, abeſſe ab Italiâ non poſſet: totum illud negocium impeditum eſt, & infectum manſit. Bernaboni autem & fratri eius Galeacio cauſa nulla fuit, fines illos inuadendi. Ne autem peccarent ſimpliciter: accerſunt ſibi ſocium PHILIPPVM Sabaudum IACOBI filium, Moreæ dominum, qui in Immedi exercitu militabat; & alterum Fridericum Salutium, qui pœnas alio tempore dederat. Elegerat Vicecomes ducẽ belli, peritum armorum virum, & rei bellicæ experientem, quem Monachum cognominabat; is non meliore ſorte vſus eſt, quàm priores duo duces vſi fuerant: nam vterque erat ſuſpenſus; ſed hic ante Foſſanam in prælio cecidit: & PHILIPPVS Sabaudus, qui contra patrem arma ſumpſerat, diuinâ vindictâ occubuit præmaturè. Pater huius ſine dubio animi dolore, eodem anno vitam cum morte commutat, duobus aliis filijs relictis, IMMEDO & LVDOVICO: Immedo annos viginti nato dedit poſſeſsiones paternas: Ludouicum, quoad vixit, in aulâ ſuâ honeſtè aluit.

Aſta autem vrbs grauiter obſidebatur, & vaſtabatur ager Nouarienſis. In caſtris Mediolanenſium erant Iohannes Marchio Montferratenſis, Franciſcus Marchio Ferrarienſis, Hugo Salutius, Iacobus Vermes: quamuis autem aliquot prælia fierent non leuia: tamen Aſtenſium virtus eximia fuit, nec vrbs illorum capi potuit.

Creſcebat & timebatur in totâ Italiâ Vicecomitum ſuperba potentia: iamque etiam ſedi Apoſtolicæ, & regno Neapolitano imminebant. Id cùm non lateret CAROLVM IV. Imp. Lucelburgium; profectus in Galliam eſt ad Gregorium XI: cui perſuadere voluit, rurſus in Italiam ſedem Eccleſiæ vt transferret: cumque & Imperator & Pontifex, virum quærerẽt, qui opponi Vicecomitibus poſſet: inuentus eſt IMMEDVS, contra quem hacte-

nus

nus nunquam pugnaſſent feliciter. Illi igitur mandatum eſt, vt in actiones Vicecomitum eſſet intentus, ſi quid adimerent Imperio aut Italis, id Sabaudus reciperet, & eo pro ſuo vteretur: ſi quid Eccleſiæ aut regno Neapolitano, id dominis iuſtis reſtitueret. Eo conſilio habito, impetrauit ab Immedo Carolus per ipſius ditionem tutum & ſecurum tranſitum in Germaniam: quem libens illi conceſsit ac præbuit, & ſecum in vrbem Chamberinam deduxit: in quâ vrbe ſolito etiam ritu & ceremoniis, atque vſitatâ magnificentiâ omni nobilitate præſente ab Imperatore ſuarum ditionum accepit publicè inſignia. *Comites Sabaudiæ.*

Imperator illa celebritate peractâ, Agaunum proficiſcitur, viſurus Diui Mauricij ſepulchrum, & Martyrum ſociorum monumenta. Cupidus autem cognoſcendi quo loco SIGISMVNDVS Rex ſepultus eſſet, vnus è maioribus ſuis: Abbatem interrogauit: qui nihil reſpondere, neque ipſe, neque è fratribus quiſquam potuit: accuſans igitur imperitiam & ſocordiam omnium librum de ſuppellectile ſuâ promi iuſsit: ex quo illud didicit, nimirum extra ſacellum Mauricianum, & Regis & filiorum eius duorum corpora condita eſſe: quibus inuentis, Regis Gallici Sigiſmundi caput Carolus Rex petiuit, & Pragam ſecum deduxit: deque Sigiſmundi nomine, filium proximè ſibi natum, appellari iuſsit: qui illi in imperio, vir plane optimus, ſucceſsit.

Proſecutus deinde eſt CAROLVM Marchio Sabaudus Bernam vſq; Heluetiorum: mox inde reuerſus domum, bellũ contra Vicecomites renouauit; vrbem Chumam, quæ Reginæ Iohannæ Neapolitanæ erat, vi extorſit, cum triplici illam adortus eſſet agmine: quorum primũ Pontificis Gregorij XI. nomine duxit Comes Valẽtinus: alterũ (vt Paradinus) Otho Dux Brunſuigius: tertium Immedus ipſe: capiuntur deinceps caſtella multa: è quibus præcipua, S. Germanus, Burgum, Caſtellanum, Confluentia, Vercellæ, S. Angelus, Gaillia: quicquid erat nauium in Theſino fluuio, id omne aut ſubmergebatur, aut corrũpebatur, & in agro Mediolanenſi ac Ticinenſi fiebant rapinæ. Territus Galeatius, nuncios mittit, de compoſitione. Hâc autẽ conditione paciſcuntur, ne fratrẽ Bernabonem adiuuaret: is in caſtello Vilmarcato veneno corruperat omnẽ cibum atq; potum; vt Immedi exercitum, malâ illâ & Principe indignâ arte, totum, aut certe maximã partem, inſidiosè tolleret: ſed fraus citò depræhenſa eſt: & de annulo Mauricij, qui biberunt, multi putabantur curati. Ad Prunam oppidum ſupra Adam fluuium pontem ſtruit Immedus: *Bellum Sabaudi cum Vicecomitibus.*

Comites Sabaudiæ. & ad pontis vtrunque latus excitat duo caſtella, vnde tranſitu prohibere poſſet Bernabonem, quod etiam effecit: captis arcibus, Mappela, Carmeza, & Beauregarda, quæ ad Ararim fluuium ſita eſt.

Simulates inter Vicecomites. Interea ſimultates ortæ capitales inter BERNABONEM patruum & GALEATIVM, qui vrbes inter ſe diuiſerant. Huic manſit Placentia, Parma, Cremona, Laus Pompeia, Crema, Brixia, Bergomum, Comum, & pars dimidia Mediolani: illi Ticinũ, Dertona, Bobium, Alexandria, Nouaria, Vercellæ, & pars Mediolani altera. Galeatius pacis & concordiæ causâ duxit CATHARINAM, ſuam conſobrinam, patrui ſcilicet Bernabonis filiã. ſed cùm ex vxore intellexiſſet, ſibi collocatas à ſocero perfido multas vitæ inſidias; BERNABONEM patruum & ſocerum capit, & in arcem Tricianam includit, perpetuum carcerem: patrueles è ditione exigit; & rerum ſolus potitur.

IMMEDVS in multis bellis variisq; periculis verſatus, ſe ſatisfeciſſe gloriæ & nomini, & ſatis latè propagaſſe ſuas prouincias putabat, cum de vitæ exitu cogitaret; quietiorem vitam inchoare & totum ſe religioni dare expetebat. Ecce autem cum de ſolitudine aut monaſterio aliquo cogitaret, & religionis causâ ſacra loca inuiſere in Palæſtinâ, & caput Turcicis ſariſsis in ſenectute ſuâ ſtudio pietatis obiectare expeteret; literæ ad eum perferuntur & à Romano Pontifice, & à Ludouico Duce Andegauenſe, quibus eum ad belli ſocietatem hortabantur. In Italiâ factiones erãt de creando Pontifice inter Gallos & Italos: Itali elegerant Bartholomeum Barenſem patriâ Neapolitanum, nominatum VRBANVM VI: Galli præſulem Gebenenſem appellatum CLEMENTEM VII. Ad illud ſchiſma tollendum, Immedus operam ſuam obtulerat, ſed tamen (vt fit in rebus humanis) primùm Duci Andegauenſi ſuccurrendum putauit, vt illi obtineret regnum Neapolitanum: rebus enim domeſticis pacatis, ſperabat externa quoque minus habitura difficultatis aut periculi: nam ita ſentiebat: Itaque perſuaſus erat ſe auxiliante Pontifice & Andegauenſe habiturum claſſem & arma ad iter Palæſtinum: verùm iter illud intercipiebat morbus; in quem incidit in caſtris non ſine ſuſpicione ſiniſtrâ, quoq; extinctus eſt anno ſupra milleſimum trecenteſimũ tertio & ſeptuageſimo, VI. Non. Mart. Princeps præſtantiſsimus, maioribusque ſuis nullâ laude virtutis & excellentiæ inferior; ad quorum etiam ſepulchra gentilia honorifico comitatu, & amplâ veneratione eſt relatus, & tum demum habitus viridis, quo ſemper delectatus eſt in funebrem ac cæruleum more antiquo mutatus eſt.

Schiſma. *Immedi mors.* 1373.

IMME-

IMMEDVS X.

Comites Sabaudiæ.

IMMEDVS X. Immedi IX. filius, primum exercuit tyrocinium in bello Anglico, ante vrbem Purburgum: in ſuâ abſentiâ præfecit Sabaudiæ Eduardum præſulem Sedunenſem, qui ſede ſuâ pulſus, à patre eius reſtitutus erat. Domuit idem Fridericum Marchionem Salutiarum, factum ſibi tertiò rebellem. Profectus eſt cum Carolo Rege Gallorum in Angliam, tanto apparatu tantoque ſplendore; vt domus eius, in quodcunque diuerteret, hoſpitium diui Iuliani, propter magnificentiam vocaretur. Bellum deinceps geſsit contra Marchionem Montferratenſem, Theodorum II. generum ſuum, quem ſtatim coëgit ad conſilij temerarij pœnitentiam. Cùm Niſano populo liberum eſſet quærendi dominum, cui ſe ſubijcerent; Immedum elegerunt, vt & alij fecerunt finitimi, ſuo iudicio huic principi tribuerunt laudem iuſticiæ & fortitudinis: Iuſticiæ, quòd ab eo regi vellent: Fortitudinis, quòd ab illo ſe defendi poſſe ſperarent. Hic Princeps in flore ætatis ſuæ atq; indolis præclaræ periit in venatione. Lapſus enim de equo, ceruices fregit 4. Non. Nouemb. Anno ſupra milleſimum trecenteſimum ſeptimo & nonageſimo. 1397.

IMMEDVS XI.

IMMEDVS XI. vir omni virtutum genere Illuſtris, inquit Foreſtus. Vxorem habuit BONNAM Ducis Borboniæ filiam. In huius ditionem inuaſerat Bernabo Mediolanenſis; cumque lacum Cumenſem ſuperaſſet, quicunq; pontem tranſierant, flammis cremati ſunt: Bernabo caſu ſuorum territus, Mediolanum repedauit. Vrbem igitur Immedus auxiliis Pontificiis inſtructus obſidere voluit: cumque hoſtem per agrum Mantuanum aduentare audiret; ad intercludendam viam, in ripâ fluminis cuiuſdam foſſam & aggeres muniri iuſsit, & aquam intercludi; qui ſi reſcinderentur, vt aquæ cum violentiâ rurſus influerent; & militem, præſertim armatum, & minùs cautum obruerent.

Immedi [illegible] lum cum Bernabone.

Huic operi præfectus erat Comes Vertuſius; qui paulò antè ſpoponderat, ſe contra Sabaudum arma nunquam laturum eſſe; quam fidem non ſeruauit, vtens quidem ſpecioſo prætextu, ſe contra Sabaudum non acturum, ſed ſe nihil obligatum eſſe Romano Pontifici; ſed is prætextus ad excuſandum ſatis non fuit, nec in alienâ causâ illum iuuare potuit, aut ipſum à perfidiâ liberare. Prælium igitur cùm iniret, in fugam coniectus, &

Dux Sabaudiæ.

& Cremonam ſe conferre coactus eſt. Cum Pontificij flumen quoddam tranſire non poſſent, nec ſe cum Immedo coniungere: cumque Bernabo foſſas egiſſet, & ſtruxiſſet aggeres, & aditus cuſtodiret; ſatius putauit audacter aliquid agere Sabaudus, quàm in illis anguſtiis aut ipſe perire, aut ſocios periculo obiicere. Igitur aggreditur qui ad aggeres ſtabant: & perrumpit per eos, & ſibi tranſitum facit ad ſocios, qui tum erant Bononiæ. Agrum autem Placentinum & Parmenſem vaſtare incipit, ſuosque prædâ & rapinis ditare: cumque etiam Placentiam obſideret: in febrim ſubito incidit. Ideo obſidionem ſoluens, ſe Mutinam lecticâ deportandum curat. Exercitus Italorum & Gallorum dimiſſus, ad ſua reuertitur. Interea Bernabo Piſas obſidet: pro ciuibus propugnat Gambacurta: cui de exiguis copiis ſuis Sabaudus mittit auxilium, quæ ſimul inuadentes ſocietatem Georgianam, eam cedunt, & vſq; Petram ſanctam inſequuntur, & totam in illo itinere aut ſternunt, aut diſsipant.

Sabaudus Piſis nauigat Genuam; inde accedit Sauonam; & per Marchionatum Seuenenſem redit in patriam. Vocatus à Duce Andegauenſe contra Anglos, & reſtitutus priſtinæ valetudini, in eius caſtra venit; ſed ſuâ præſentiâ, quia valdè timebatur, effecit, ne prælium iniretur: ipſe rurſus, iturus in Comitem Salutiarum, Ducem appellat de ferendo ſibi auxilio; à quo perſuadetur, vt bellum omittat, cauſam deferat cognoſcendam ad ſenatum regium. Audit ipſum Sabaudus; & cauſam tranſigi, ampliſsimo illo iudicio, quod Parlamentum vocant, paſſus eſt. Erat Iohannes Fliſcus Genuenſis, quit fuit Epiſcopus Vercellanus, à ciuibus Biellenſibus ſede ſuâ eiectus, & detentus in carcere multos annos; cumque & Comes Montferratenſis, & Vicecomites Mediolanenſes ſinguli eius diœceſin hinc inde inuaderent; ideò ſuppetias à Sabaudo ſupplex ipſe petiuit; qui motus precibus, ipſum in ſuam fidem & patrocinium recipit: Vicecomites ex Biellâ rurſus expellit, & reliquas ditionis partes, redigit in ſuam poteſtatem; eamque annos triginta poſsidet; iurisdictionem ipſe omnem gubernat: prouentus præſuli dat vtendos, ne de totâ ditione veniret in periculum. Hæc Principis optimi æquitas plurimum laudata fuit. Mortuâ Iohannâ reginâ Neapolitanâ, Chunenſes clientelæ eius ſe ſubiecerunt: Comites item D. Martini & Caſtelmontani eum cognouerunt, tanquam defenſorem.

Filio ſuo ſibi cognomini Bieſſam comitatum, & dominatum Bagoënſem, vt arte gubernandi diſceret, neue ocio ac ſegniciâ in

flore

flore ætatis tabeſceret, tradidit: hunc Eduardus Beauienſis contemnebat propter adoleſcentiam. Id adoleſcens impatienter ferens, ditionem eius ad Ararim fluuium inuadit: ſed id bellum factis duorum annorum induciis, ſedatum eſt, à Ludouico Duce Borbonio: cùm autem conditiones non ſeruarentur, renouato bello Toſila vrbs capitur violentiâ, arx deditione: obſidetur Chalemontum. In quas anguſtias redactus Beauienſis Borbonium rurſus appellat; tanquam medium belli; illique promittit ſe teſtamento ipſi legaturum, quoniam hærede careret, omnem ditionem ſuam. Philippus Mediolanenſis vno anno prœliis tribus victus ad Gotolengum Brixianorum caſtellum, & ad vicũ quendam Cremonenſem, & ad Maclodium, pacem redimit ab Immedo datis illi Vercellis. Immedus in morbum incidens in Pinarolo Pedemontis oppido, fato fungitur, anno ſupra milleſimum trecenteſimum primo & nonageſimo. 1391.

Comites Sabaudiæ.

AMEDVS I. DVX SABAVDIÆ ROM. PONTIFEX.

Hunc IMMEDVM XII. Aymonem nonnulli vocant Itali; ſed maxima pars ſcriptorum vocat Amedeum, quá appellatione & nos in poſterũ vtemur, loco Immedi; ne ab aliis omnino diuerſa dicere videamur. Eſt autem IMMEDVS huius nominis XII. Immedi XI. filius. Vxores habuit, primam VIOLANTILLAM Marchionis Montferratenſis filiam; ex quâ genuit PHILIPPVM: Alteram MARIAM; ex quâ genuit Ludouicum V. & MARIAM, vxorem Ludouici principis Palatini. A teneris annis literarum, virtutis, rerum magnarum cupidus, & cognomento dictus Pacificus; quia ſingularem artem homines tractandi calluit, & ſuaui beneuolentiâ in conciliando vſus eſt. Fecit autem pacem inter Venetos & Geneuenſes, qui multos annos fatali quâdam dementiâ diſsidebant, quæ pax multo labore vix eſt confecta: Item inter Ludouicum Regem Vngariæ, & inter Ludouicum Ducam, Patriarcham Aquileienſem: Item inter Bernabonem Vicecomitem, & Franciſcum Carrarium Patauinum, qui bellis turbabant Italiam.

Talem in ipſo videns prudentiam, colebat ipſum Sigiſmundus Imp. qui ei etiam titulum & honorem Ducis ſpontè tribuit: & ipſe poſt ad ſummam inter homines dignitatem peruenit.

Amedeus Sabaudus Dux creatur.

Erant tum in Eccleſiæ regno tempora valdè periculoſa; & Pontificatum Romanum multi ſordidi, ambitioſi, leues, homines ambiebant: quales erant Petrus Luna, Petrus Cretenſis, Bal-

Ambitio eccleſiaſticorum.

manum Pontificem debere eſſe legum peritum. Leuia ſanè, nec ſatis digna, quæ afferrentur. Ad hæc Siluius, qui illi concilio interfuit, ita reſpondet: Monſtri quidem ſimile eſſe Laicum, vt id verbum repetam, hoc eſt, Principem ſeculi ad munus Eccleſiaſticum vocari. Sed tàmen melius eſſe bonum virum vocare, & probatum Principem, quàm tales admittere, quales antea pleroſque nominaui; qui Pontificatum nec diu geſſerunt, nec ſalubriter geſſerunt, nec cum vllo publico commodo aut ſuâ laude geſſerunt. Fuit autem hic Princeps, quem ſibi Æneas notum penitus teſtatur, homo, qui ab ineunte ætate, & à lacteis, (vt aiunt) annis, magis religiosè vixit quàm ſeculariter: parentibus obædiens, & pædagogis obſequens, ſemper Dei timore imbutus, nec vnquam aut vanitati aut laſciuiæ deditus. Poſt obitum patris regnauit annos quadraginta: cuius tempore ſemper iuſticia floruit, regina virtutum: audiuit per ſe ipſe ſubditos; nunquam inopes opprimi, imbecillos circumueniri permiſit. Ipſe pupillis tutor, ipſe viduis aduocatus, pauperibus protector fuit; nuſquam in ditione eius, aut rapinis locus, aut latrociniis patuit: diuites & pauperes æquali iure habuit, nec indigenis oneroſus, nec aduenis importunus. Exactiones graues & iniuſtas in patriâ nunquam admiſit. In eo ſtudium adhibuit ſolers, ut & ſubditi eius fruerentur pace, & finitimi nullam haberent ſibi ſuccenſendi occaſionem. Nulli bellum ſponte intulit, illato reſiſtens ſemper; magis de pace, quàm de vindicta cogitauit. Hoſtes beneficio magis attrahere, quàm vincere armis ſtuduit. Quod ad vxorem pertinet, virginem duxit nobilem, & ætate & pudicitiâ admirabilem: omnem familiam ſuam non ſolùm manus ſed etiam oculos habere voluit continentes. Fuerant etiam, inquit Siluius, in matrimonio Pontifices; & Apoſtolorum princeps Petrus Apoſtolus vxore non caruit: & quid ſi eſſet melius, plures è Sacerdotibus vxores honeſtas ducere, quoniam multi beati fierent in Sacerdotio coniugato, qui in impuro presbyteratu condemnantur? Amedeum etiamſi doctor legum non ſit, peritum tamen & doctum eſſe, qui aliàs in iuuentute literarum ſtudiis inſudârit: nec titulos, ſed ſcientiam quæſiuerit, & diuina officia optimè nouerit: & rerum Eccleſiaſticarum fuerit obſeruantiſsimus. Huius, Platina aſſentator, ne meminiſſe quidem dignatur inter vitas Pontificum.

Ducis Sabaudiæ.

Laus Amedei.

Poggius ſceleratus, & facetus (ſi diis placet) homo, cum inceſsit

Amedeus fit Pont. Rom. ceſsit calumniis & mendacio. Igitur habitus eo munere digniſsimus, coronatur in vrbe Baſileâ, ſupra annum milleſimum qua-
1440. dringenteſimum quadrageſimo, IX. Cal. Auguſti, appellatus cognomento eſt FELIX V.

Concilium Basiliense diſsipatur. Ad diſsipandum autem concilium Baſilienſe, exercitum Armeniacum miſerunt Rex Franciæ Carolus VII. & Philippus Dux Burgundiæ: quanquam longè alio prætextu res gerebatur. Fridericus III. Imp. inſtabat Amedeo, vt Eugenio cederet, ne atrox bellum attraheret in Germaniam. Obſidebatur Mumpelgardum Imperij ciuitas, propria ducis Vuirtebergenſis. Erant varij rumores, & ſuſpitiones multiplices. Heluetij tamen Armeniaco exercitui non ſatis fidentes, eum interdum carpere, interdum laceſſere audebant: donec res ad diui Iacobi templum, dimidio à Baſileâ milliario, ad prælium veniret ſatis acre: cumque Rex Baſileam ſui regni partem eſſe diceret, & Imperatorem & alios Principes terror inuaſit, vt Baſileam relinquerent, & exercitum præ foribus imparati non expectandum, diutius putarent. Quisque igitur ad ſua maturè profectus eſt. Cumque Amedeus Pontifex concilium eſſe indictum Florentiam intelligeret, eoque Græcos eſſe venturos in nullo dubio poneret: pacis Eccleſiarum Orientalis & occidentalis & ipſe cupidus fuit. Cùm autem multa interuenirent, tum commodior viſa eſſet Ferraria. Interea in tumultibus illis vita fungitur Eugenius, qui ingenio Veneto gubernare res difficiles & obſcuras poterat.

Amedeus Pontificatū reſignat. Amedeus miſit legatos ſuos ad NICOLAVM V. eique ſedem Pontificiam integrè reſignat, ſeque ſponte abdicat: cui pro tali humilitate Pontifex gratum ſe oſtendit; & quia virum ipſum rectum & ſimplicem iudicabat, nec vllâ arrogantiâ aut contumaciâ vti eum videbat, quibus dignitates dederat, nullum repudiat; ipſi Cardinalatum in Sabinis relinquit, & legatum facit à latere; omniaque, quæ conſtituerat, rata & fixa eſſe iuſsit. Tenuit Pontificatū annos nouem, menſes quinque, creauit Cardinales tres & viginti. Quidam rurſus profectum in Riparinam ſuam

Amedei funus. ſcribunt; quidam Lauſannæ reliquam ætatem transegiſſe, ibique paulò pòſt eſſe mortuum. Quanto ab omnibus in honore habitus fuerit, funeris celebritate declaratum eſt, anno ſupra mille-
1449 ſimū quadringenteſimum nono & quadrageſimo: Nam ad eius exequias oratores & Legati ex magnâ parte Italiæ, atque aliunde miſsi ſunt: & Ioannes Galeatius Dux Mediolanenſis Ioannem Suardum Bergomatem, ad id funus deſtinauit ſuo nomine. Itaque Amedeum Ducem nemo repræhendere, propter vllam turpi-

turpitudinem, aut vicioſitatē potuit: nemo propter aliquod crimen auſus eſt accuſare, legesq; quas in alios tulit, ipſe primus ſuo exemplo probauit: Deo videlicet gratus & hominibus, ſuæq; familiæ ſingulare decus atq; ornamentum. Dignus autem vt etiam poſt mortem eius repetantur præconia. Fuit quippe hic clariſsimus Princeps, vt ait Foreſtus, præter clariſsimum genus, & ſuæ elegantiæ formam, ac regiam dignitatem, & promptam eloquentiam, quæ ſunt naturæ dotes; moribus integer, vitâ & religione ſanctus, in ſubditos clemēs, in viciis aſper, in bello magnanimus, & in deuictos benigniſsimus, ac demum in omnes iuſtiſsimus. Comites Sabaudiæ.

LVDOVICVS V.

LVDOVICVS V. Amedei XII. filius, vt patri Pontifici creato poſt annum quadrageſimum ſucceſsit: ita morum probitate, manſuetudine, pietate, iuſticiâ ſimilis perpetuò fuit. Vxorem habuit Carlottam, quæ primum nupſerat regi Portugalliæ, qui cum nullam prolem genuit: ſed ex Ludouico genuit filios ſeptē: ſed quos non omnes nominat Volaterranus, & tres filias: Amedeum XIII. patris ſucceſſorem, Ludouicum VI. Ioannem Comitem Geneuenſem, Philippum III. duos nō nominatos, qui ſacerdotes fuerunt: vltimum etiam non nominatum, qui fuit Comes Remontij. Prima filia fuit Carola Regis Galliæ Ludouici XI. vxor: altera Bonna, vxor Galeatij Mariæ, ducis Mediolanenſis: tertia Margaritha, Ioannis Marchionis Montferratenſis.

Ab eo tempore, quo Richardus I. Rex Angliæ (vt in primo libro diximus) cognomento Cor leonis, in Palæſtinâ, & circa Aſiæ inſulas contra Saracenos pugnauit, ad inſulam Cyprum vento delatus eſt, cum arenæ hoſpitio prohiberetur, portum Salaminem, nunc Famaguſtanum, expugnat: Græcos inſulâ pellit: arci Nicoſiæ præſidium Anglicum imponit: Iſaacium Comnenum inſulæ tyrannū donat cuidā nobili Anglo pro mancipio, & Cyprum tradit certis conditionibus Guidoni Luſignano, qui in eâ cum ſuâ poſteritate regnum tenuit annos ducentos quinque & ſeptuaginta. Vltimi in eâ Reges fuerunt Petrus Luſignanus, qui fratrem interfecit: Ianus, qui fratris filiū interceptum, nouo crudelitatis genere, alligatis ad arborem ramis per mediū diſtraxit: Ioannes Iacobus, qui vxorem veneno ſuſtulit. Hic è pellice procreauit filium Iacobum, qui factus Nicoſienſis præſul, depoſito pedo ſumpſit gladium, ſtirpem reliquam per Malchellam Soltanum Ægyptium expulit, & inſulam ſui iuris fecit. Erat adhuc ſuper vnica filia Carlotta, Iani regis filia, Ludouici vxor. Cum reges omnes aſperi homines & atroces tyranni eſſent: multò minus Ludouici res geſtæ in Cypro.

 Cyprij

nè nimis profuſus fuit, etiam præter dignitatem: quod cum illi à ſuis aulicis fuiſſet exprobratum: obſecro (inquit) ſinite me meo animo & ſenſu vti, & de mei meorumque incolumitate optimè mereri: nam mea præſidia, meos muros, mea propugnacula puto in meorũ ſalute procurandâ poſita eſſe. His ſermonibus ſordidos quoſdam homines & auaros repreſsit, ne ſibi moleſti ſæpius eſſent. Acceſſerat eum aliquando legatus cuiusdam Principis: qui cum interrogaſſet, num præclaros canes haberet? Sanè, inquit: & numeroſam quidẽ illorum turbã habeo. Quos cùm ſibi domini ſui causâ demõſtrare cuperet; ſperans ſe ab eo accepturũ quoſdã, altero die in locũ arcis editũ duxit, vnde proſpectus longè lateq; pateret, deinde aliquot tabulas viris indigis repletas in prandio decumbentes illi oſtendit: Hos (inquiens) alo, meæ voluptatis causâ, ſubditos meos pauperes, qui me Deo precibus cõmendant, & chariſsimum habent: Legatus id videns, rubore ſuffunditur: & tacitè faſſus cupiditatem ſuam, laudans nimirum beneficentiam Principis, qui ciues amaret, & nutriret, & non propter beſtias vaſtaret agros, & alimenta ciuium perderet. Laborauit hic Princeps morbo graui, & in ſpeciem horrido, quem Herculeum appellant, ideoque longæuus non fuit. Gubernauit ditionem annos tredecim ſummâ tranquillitate: mortuus Vercellis, relicto ſui ingenti deſiderio, & ibidem ſepultus, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum quinto & ſeptuageſimo. 1475.

Ducis Sabaudiæ.

PHILIBERTVS I.

PHILIBERTVS I. Amedei XIII. filius, præclaræ indolis & magnificæ ſpei adoleſcens ad res maximas natus; & à maiorum præſtãtiâ, dignitate, virtute, cum fratre Carolo minimè degenerans. Vxorem duxit BLANCAM MARIAM Ioannis Galeatij Mediolanenſis ducis beneficam filiam; qui cum eſſet quatuor annorum, moritur eius pater: vixit poſteà ſub tutelâ matris, prudẽtiſsimæ fœminæ; & ſub Caroli Ducis Burgundiæ, qui fœderis & propinquitatis nomine ferre non poterat quenquã illi familiæ viuere coniunctiorem. Fortè accidit, vt Comes Remontius, propterea quòd currum pelliũ ouilium plenũ ſpoliaſſet, ab Heluetiis proſcriberetur: quẽ ipſi bello ſubitò aggreſsi ſunt, & ditionẽ eius vaſtarunt. Remontius de iniuriâ apud Burgundũ Heluetios accuſat: erat enim vterq; acris animi atq; ingenij. Quia læſa erat Sabaudia, & quia Carolus oderat Heluetios, & quia comitatus Pfirtenſis ereptus, & quia arces aliquot ſibi ablatæ & Noueſianã obſidionem adiuuerant Heluetij: ideò iracundiâ motus, & quaſi ferali inſtinctus odio de bello inferendo inſtigante præſertim Re-

Caroli Burgundi bellum Heluetium.

u 3 montio,

Dux Sabaudiæ.

montio, cogitauit. Id vbi Heluetij intellexerunt, promittunt ſe ſatisfacturos de iniuriâ, & reddituros Remontio, quæ ab ipſo alienârant. Prætereà ſe renunciaturos fœderi regio, & facturos quæ ipſi grata ſint, & quoties voluerit ſe miſſuros ipſi ſex militũ millia. Hæc cum ſatis humaniter offerrentur, & nihil valerent apud tumidum animũ, adeò obſtinati in ſententia facti ſunt, vt nulla ſpes eſſet amplius, ipſos ad ęquitaté aut fas vltra promouendi. Igitur pertinaciter agens Carolus aliquas Heluetiorũ ciuitates expugnat; duobusq; pręliis maximis vincitur, vno menſe cófectis. Primùm apud Granſeam vrbem commiſſum, in quo eius capta ſunt caſtra, captus theſaurus regio ſimilimus, capta tormenta bellica: multũ item auri, multum argenti, detractus de collo Adamas ingentis precii, annulus & pugio ex auro cum graui gemmarũ pondere. Alterum ad Murtá vrbem, non procul à Berna ciuitate cómiſſum. Inſolentes inde facti Heluetij (talis enim omnis ferè eſt victoria) non fugiebant hoſtem, quem victum à ſe nouerant: habebant enim tum quatuor equitum millia, peditum triginta; & ex Burgundis circiter millia octodecim occidebantur.

Fœdus Heluetiorum cum Rege Galliæ.

Poſt illud factum creuit mirum in modum gloria Heluetiorum, & tùm primùm ei genti ſtipendium annuum à Regibus Galliæ quadraginta millium coronatorum numeratum eſt, & fœdus firmum cum illo Rege contractum.

Prudentia viduæ Sabaudicæ.

Ne autem vidua Sabaudica, fortunâ tantoperè Carolo aduerſante, ſuam quoque voluntatem inclinaret, quod metuendũ erat ab illo ſexu, præcipuè cauit: quia enim fratrem habebat germanũ Ludouicum Galliæ Regem, qui quaſi ſpectatoré ſe gerebat, Lugduni habitans metuebat, ne cum liberis ad Regem ſe conferret. Igitur in arce quâdam non procul à Diniâ ciuitate, illam cuſtodiendam curabat, non tamen ſuſpectâ cuſtodiâ: nam ad eam & aſcendere & deſcendere licebat, cuicunque placeret, & inter cæteros etiá aſcendebat Marchio Rotelenſis; inter quem & Sabaudi filiam nuptias conciliârat Burgundus. Cum auté Sabauda ſentiret, ſe quaſi cuſtodiâ incluſam: & res Caroli eſſent in magno diſcrimine: tacitum legatum aulæ ſuæ cuſtodem, Riuerollum ad Regẽ fratrem mittit, oratum, vt ipſum è cuſtodiâ liberaret, & ſe in antiquã concordiam redigeret. Rex frater legatum honorificè habet, & ſororé bono eſſe animo imperat, & ſpondet ſe miſſurum Carolum Amboſium, qui eam ad ſe in Campaniam traduceret. Riuerollus accepto reſponſo, gratias Regi agit, & confeſtim Principi ſuæ grata & iucunda renunciat. Mox alium amandat fidum hominem, qui nunciet, ſi ventura eſſet, & expoſitura ſuum negocium

cium Regi; & ſi cùm Carolo, tùm aliis fœderatis ſit renunciatura, & cum eo rurſus amicitiam contractura, quod Rex eam velit ſaluam & incolumẽ in Sabaudiam remittere, & eius ſuorumq; liberorũ manere perpetuus defenſor. Hoc quoq; illi promiſſum eſt, vt deponeret ſolicitudinem, nec de fraternâ fide iubetur quicquã dubitare. Interea agitur cum præſule Geneuenſe, vt adoleſcentẽ Philiberti patruelem, qui in aulâ eius erat, vnà ad Regem mitteret; quod ille facere non recuſat. Traduntur Regi arx Chamberina, Montmeliana, & tertia, in qua Regina mundũ muliebrem & reliquũ ſuum ornatũ depoſitum habebat. His omnibus ſic confectis, Amboſius mittitur vt celeriter regiam ſororẽ cum Philiberto filio & cum gyneceo & reliquâ familiâ deducat; & ne quid detrimenti in itinere patiatur caueat. Rex quoq; Lugduno mouens per Ligerim Turſum deſcendebat: lætatus, quod ſoror ſua cuſtodiæ erepta eſſet, & ſalua atq; libera perueniſſet in Galliã. Cumq; iam eſſet facta ꝑpinqua, aulicos ſuos illi mittit obuiã Pleſium: cũ in illius conſpectũ veniſſent, gratulaturi, dicebat, aduentũ Principis Burgundicæ. Ipſa ſe iocosè peti intelligens: Minimè quidem (inquit) Burgundica ſum: ſed Regem Galliæ obſeruo, & ſanguine Gallico natã me eſſe glorior. Locuti inter ſe quæ vtrinq; placebant, ita tamen vt ab omni fœdere liberi eſſent, & vt inueteratũ odiũ erga Carolum Rex retineret. Præteritis octo diebus, Rex ſororem & eius filium cum magnifico comitatu dimittit; arces traditas & ornamenta muliebria reſtituit. Adoleſcentem etiam, quem Præſul Geneuenſis educauerat, rurſus in patriam ire iubet.

Ducis Sabaudiæ.

Philibertus, qui iam nouem annos ſub matris tutelâ fuerat, nec ætate nec prudentiâ ſibi poterat cauere, & ſatis longè proſpicere, niſi quod magiſtratum angelico præſidio defendi certũ eſt. Ad eum perdendum ſe accinxerat Geneuenſis, nam vt eum interciperet, & ditione paternâ ſpoliaret, præſidium ſibi hominũ maleficiorũ & perditorũ ſatisfirmum comparauerat; & vt vnà cum matre Vercellas veniret, effecerat: & quod in animo habebat ſceleris etiam patraſſet, niſi Dux Mediolanenſis Galeatius inſidias intellexiſſet; qui ſimpliciſsimum & innocentiſsimum iuuenem ſuâ prudentiâ ſeruauit; & Præſulem teterimnũ Turinæ incluſit cuſtodiæ; Omni eius ſcelere & flagitiis patefactis. Secuta eſt anno proximo mors Philiberti adoleſcentis præſtantiſsimi, qui obiit anno ſupra milleſimum quadringenteſimum nono & octuageſimo, 1489. cuius obitu tota ditio vehementer perturbata eſt.

Philiberti ſtruuntur inſidiæ.

CAROLVS I.

CAROLVS Philiberti I. frater, Amedei XIII. filius. A modeſtiâ & à bonitate, & ab omni genere excellentiæ, maiorum

Duces Sabaudiæ. ſuorum non degenerauit: qui quamuis animo magno præditus, à rebus bellicis non abhorrebat: tamen eo ſenſu affectus videbatur, vt valdè ſtuderet ſedatis pacis actionibus. In primâ autem puericiâ cum Ludouico Marchione Salutio perniciosa illi contentio oriebatur: nam rebellis ei fiebat, quòd eius ætatem contemneret: ideoque ob læſam maieſtatem è ditione Salutius eſt eiectus: qui tamen poſt eius obitum reſtituitur à Ludouico Sforţiâ Duce Mediolanenſe. Ducatum tenuit annos ſeptem; ſublatus inuidiâ & ſcelere hominum infidorum.

PHILLIPPVS III.

PHILIPPVS. III. Ludouici V. filius, duobus patruelibus ſucceſsit: fuit Comes Bageus in ditione Breſſenſi. Vxorem habuit MARGARITHAM Duci Borboniæ filiam: genuit ex eâ filios duos, PHILIBERTVM & CAROLVM: filias totidem, PHILIBERTAM, vxorem Iuliani Florentini de Medicis, cuius in epiſtolis meminit Bembus: ALOYSIAM, vxorem Caroli Comitis Angolismi. Cum ducatum accepit, profectæ iam ætatis fuit: Princeps pacificus, vt omnes eius maiores fuerunt, & pacis apud omnes autor, didicerat, quantum mali per bella perueniret ad plebem, & quàm difficile eſſet bella ſopire, & pacis quaſi ſerenitatem reducere. Inprimis eminuit eius induſtria in bello Gallico Caroli VIII. quod ipſe moderatus eſt ſummâ ſapientiâ; & in ſeditione Florentinâ, quâ iactata fuit familia Medicum, cùm ex vrbe eiecta eſt, & excepta à Venetis. In teſtamento ſuo tria præcipuè ſtatuit ſeruanda, primùm colendam & obſeruandam pietatem erga Deum: ſecundo loco honorem habendum & proſequendum obſeruantiâ Regem Galliæ: tertio defendendam ſummis viribus & fide patriam. Idem pollicitus eſt, & præſens obtulit Regi in obſidione Sarzana. Hic celeberrimus Princeps rebus tantum præfuit annis duobus: vitâ functus eſt in vrbe Chamberinâ
1498. anno ſupra milleſimum quadringenteſimum octauo & nonageſimo. Solitus dicere fuit bellorum auctores omnes rabioſos eſſe homines, & hoſtes humani generis.

PHILIBERTVS II.

PHILIBERTVS II. cognomento dictus Pulcher, veſtigia maiorum ſecutus eſt, vxorem duxit MARGARITHAM Auſtriacam Maximiliani I. Imperat. filiam. Bello Veneto cum Rex Angliæ maximè cuperet pacem; & Achilles Craſſus Orator Pontificis inter Venetos & Maximilianum I. Imper. idque contenderent ſummis viribus, quinque legati Veneti:

Domi-

Dominicus Triuiſanus, Leonardus Mocenius, Aloyſius Malipetra, Paulus Capellus, Hieronymus Donatus, eaq; de cauſâ miſſi eſſent ad Pontificem Iulium II: tandem res acta per Margaritam eſt, ſed confici non potuit: eoq; bello magnam Italia cladẽ accepit. Philibertus ſine hærede mortuus; & ſuperuixit illũ vxor. Sepultus in monaſterio extra Burgum vrbem terræ Breſſenſis, inter Margaritham Borboniam, & inter Margaritham Auſtriacam vxorem ſuam, appoſitis earum imaginibus in marmore candidiſsimo. Comites Sabaudiæ.

CAROLVS II.

CAROLVS II. Philippi III. filius, Philiberti II. frater, vxorem habuit Beatricem Regis Portugalliæ filiam, ſororem Iſabellæ Caroli V. vxoris: ex qua genuit Philibertum Emanuelem. Fuit princeps infelix: Nam & Sabaudiæ ducatu, & maximâ parte prouinciæ Pedemontanæ ſpoliatus eſt: vrbes enim atque arces eius partim expugnat, partim in deditionem accepit Franciſcus Rex Galliæ. In bello Smalcaldico vexillum aulicum Caroli V. Cæſaris geſtauit. Incidit tum temporis magna mutatio in Ducatu Sabaudienſe. Nam inter Philippum III. & eius vxorem Borboniam hac conditione contractæ nuptiæ ſunt, vt poſt mortem patris ſemper filius natu maior primatum teneret in ducatu. Genuit autem, ut diximus, Philibertum ſine hærede mortuum, & filiam Aloyſiam Franciſci Regis Galliæ matrem, qui illarum terrarum ſe dixit eſſe hæredem: & quia alius non ſit, ſe iure repræſentare, & iure ſibi ſumere hæreditatis primatum: vnde magnũ poſteà bellum conflatum eſt inter reges potentiſsimos: & prima actio fuit de Nicæâ ciuitate primariâ regionis Pedomontanæ; quam ſibi duces Sabaudienſes, ſemper vſurparunt, aut vi atque bello, aut inſidiis atque apertis ſeditionib. Accuſarunt prætereà Sabaudos tenere multas ciuitates, quæ Marchionibus Salutij debeantur: & quæ ad Gallicum regnum & ad Principem Delphinatem pertineant, & quæ Regis Gallici nomine ſæpè ſint repetitæ, & de quibus ſatisfactum non ſit, & de iis etiam poſt fœdus Cameracenſe.

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS

ORIGINVM
SAXONICARVM
LIBER V.

DE MARCHIONIBVS MISNIÆ,
LVSATIÆ, LANSBERGI,
OSTERLANDIAE

COMITIBVS

*VETINI, LANSBERGI, ILEBVR-
GI, GROIZAE, BRENAE, CAMBVRGI,
ROCHLICII, LEISNICII:*

DOMINIS

TERRÆ BVDSECIÆ ET PLEISSENSIS
BVRGGRAVIIS ZORBECÆ.



Anno M. D. XCVII.

Vitechindus. vxor Iulanda Com. Rochlicij

Dietgremus vxor Boſſena C. Pleiſſenſis F. — *Fridericus cœlebs.* — *Vitechindus.*

Ditmarus. vxor Willa C. Nortingij F. — *Robertus I.*

Dedo. — *Ditericus I. vxor Iutta Bionn C. Mersburgij F.* — *Vdo Vice rex Galliæ.* — *Robertus II.*

Dedo vxor Ditberga Diterici M. Brandeburgij F. — *Fridericus vxor Hidda B. Magdeburgij F.* — *Hugo Magnus C. Pariſiorum. vxor Heduigis Henrici I. Imp. filia.*

Ditberga vxor Alberti Com. Aſcaniæ. — *Ditericus II. vx. Mechtildis Echardi M. Miſnenſis filia.* — *Oda vx. C. Summerſenburgij.* — *Hidda virgo obiit.* — *Milda virgo obiit.* — *Vdo II.* — *Henricus.* — *Hugo II. Capetus Rex Galliæ.*

Dedo II. vxores eius duæ; Oda vidua Ditmari M. Luſatiæ. Adela vidua Othonis C. Orlemundi. — *Hidda vxor Suatepluci D. Bohemiæ.* — *Gero. vxor Bertha Popponis C. Vipperenſis filia.* — *Thimo. vxor Vtha Othonis D. Bauariæ filia.* — *Fridericus Epiſc. Monaſterienſis.* — *Conradus. vxor Ochtildis C. Castelnburgij F.* — *Ridachus cœlebs obiit.*

Dedo vx. Bertha Viperti M. Groizenſis F. — *Mechtildis vx. Geronis Com. Bauariæ.* — *Conradus vx. Luitgardis Alberti D. Sueuiæ filia.* — *Bertrada vxor Beringeri C. Turingiæ.*

Dedo. — *Filiæ duæ.* — *Henricus. vx. Gertrudis.* — *Conradus.* — *Dedo.* — *Guntherus Ep. Citienſis.* — *Vilhelmus.* — *Ditericus.* — *Filiæ duæ.*

Henricus II. Poſthumus. — *Mechtildis vxor Rabadonis C. Pautbergij.*

Henricus I. infans obiit. — *Otho. vxor Hedvigis Alberti El. Brandeburgij F.* — *Ditericus. vxores eius duæ: Dobrogneva Polonica, & Cunegundis Plocenſis.* — *Dedo. vxor Mechtildis Goſvini C. Himelsburgij filia.* — *Henricus II. vxor Sophia Leopoldi VI. D. Auſtriæ F.* — *Fridericus. vxor Heduigis Dipoldi D. Boemiæ f.* — *Hermannus Ep. Pautbergius.* — *Filiæ ſex.*

Albertus. vx. Sophia Frider. D. Bohem. filia. — *Sophia.* — *Adela.* — *Ditericus. vx. Iutta Hermanni L. Turingiæ F.* — *Conradus.* — *Gertrudis S. Gerbſtetenſis.* — *Ditericus Ep. Mersburgius.* — *Conrad. vx. Eliſabetha Meſicon. D. Poloniæ f.* — *Henricus.* — *Goſvinus.* — *Philippus.* — *Ditericus.* — *Henricus.* — *Vlricus. vx. Heduigis D. Saxoniæ.* — *Conradus.* — *Sophia vxor Burchardi C. Querfurdij.* — *Otho.* — *Fridericus. vx. Iutta Zigenhainia, & Agnes Brandeburgiæ.* — *Sophia Ab. Quedlnburgia.*

Agnes. — *Otho.* — *Heduigis.* — *Eugenia.* — *Ditericus.* — *Henricus.*

Albertus. — *Ditericus Ord. Templariorum.*

Christina vx. Hermani C. Lodeburgij. — *Filiæ tres.* — *Henricus II. primus Turingiæ Landgrauius.* — *Henricus.* — *Conradus.* — *Otho.* — *Ditericus.* — *Conradus.* — *Mechtildis vx. Alberti Elect. Brandeburgij.* — *Agnes vxor Henrici Palatini Rheni.* — *Henricus.* — *Conradus. vx. Eliſabeth Alberti I. Elect. Sax. f.*

Otho.

VITECHINDVS.

Burggrauij Zorbecæ & Budſeciæ Domini.

VITECHINDVS, Regis Vitechindi cognomento Magni filius, matre SVATA Boema natus, quæ Suatana in Originibus dicitur. Vxorem duxit IVLANDAM Comitis Rochlicij filiam: quæ ei peperit FRIDERICVM, VITECHINDVM III. & DITGREMVM. Poſt ſuperatum multâ difficultate patrem, à Carolo Magno fortiſſimo Imperatore, conditiones accepit: ut aut in vinculis viuat: aut religione Chriſtianâ, qua Franci omnes vtantur, ſe inſtitui ſinat, atq; ei ſe cum populo ſuo addicat, & conceſsâ libertate gaudeat. Sacris igitur vndis baptismi in diœceſi Halberſtadiâ abluitur Oſteruigæ, vrbe Saxoniæ: quæ poſtea Selingſtadium nominata eſt, quod ibidem ſalutis initium Saxones multi acceperint. Cum autem Carolo ſeſe obedientem præberet: declaratur præfectus Soraborum: & poſſeſsiones maternas Zorbecam & Budſeciam inter Salam & Albim retinet: vnde & Soraborum Landuoctum, & Zorbecæ Burggrauium, & Budſeciæ Dominum ſe nuncupauit. De rebus ab ipſo geſtis, nihil memoriæ proditum eſt: quia tota Saxonia ſubiugata erat: & Caroli poteſtate ipſe gubernabatur. Eum arcem Vitinum ad Salam, & vrbem Vitebergam ad Albim condidiſſe, in Annalibus perſcriptum eſt: & propagatam ab ipſo familiam Budſeciam, cuius Ditmarus Mersburgius meminit, nomen indicat. Conditum ſcribunt in cœnobio Vildershuſiano, quarto milliario à Bremâ Saxonicâ; quod vt verum eſt de eius patre Vitechindo, & fratre Vigberto templi eius conditore: ita de hoc Vitechindo affirmare certò non poſſum.

Vitechindi baptiſmus.

FRIDERICVS.

FRIDERICVS Vitechindi Budſecij primus filius, ditionem Zorbecenſem à patre accipit: eam adminiſtrauit cum iniuriâ vicinorum: ideo cum iter facientibus per agrum ſuum tributum imponeret, id pendere detrectauerunt: ipſe vias foſsis actis intercludit: & à Ludolpho agnato admonitus, ne tranſitum negaret, ferociter reſiſtit: armatusq; Saxonibus occurrens, armis opprimitur: moriturq; ſine hærede (vt eſt in Originibus) circa annum Christi ſupra octingenteſimum decimo. 810

VITECHINDVS II.

VITECHINDVS Vitechindi Budſecij alter filius, Vitechindi Regis Magni nepos, prudentiâ & virtute excellens. Cum af-

Burggrauij Zorbecæ & Budſeciæ Domini.

flictam patris fortunã, & calamitatẽ aui regno gloriâq; ſpoliati, videret; ſeque deſpici, animo alto ferre non poſſet: quod in patriâ negabatur, quærendum apud exteros putauit: ideo ſe contulit in Galliam. Erat autem Ludouici Pij Regis & Imperatoris, ſumma in Saxones liberalitas, & mirifica beneuolentia: ob quam rem & inuidiam ſubibat multorum, & ante alios ſermones Gallicæ nobilitatis: quæ cenſebat gentem, & naturâ & aſſuetactione feram coërceri debere habenis, vt ait Annonius, non extolli beneficiis; ne ad rebellionem rurſus fierent animoſiores. Regis autem optimi & ſapientiſsimi iudicium honeſtius & melius fuit: qui cognita gentis integritate & fide non ſolùm illam beneuolentiam auxit; ſed ipſe etiam è ſtirpe Vitechindi Magni duxit vxorem, neptim videlicet Vitechindi, Vigberti filiam Armegardim, formâ & virtute placitam.

Vitechindi progenies.

Statim vt Vitechindus ad Regem venit: & ſpontanei exilij cauſam exponit: propter vigorem & propinquitatem Comes Andegauenus declaratur: cumque vxorem Gallicam, affinis Regis monitu, duxiſſet: genuit ex eâ ROBERTVM, qui Ludouici filio Carolo Caluo, in Armoricâ militauit; & ordines honeſtos ducens bello Normanico, cum Ranulpho Aquitano oppetit in acie; relictis duobus filiis ROBERTO II. & VDONE: hic Regni Gallici (vt nunc loquuntur) Viceregæ; quia tàm eius titulo, quàm adminiſtratione functus eſt, etiam conſenſu Arnolphi Imperatoris, qui illi tribuebat plurimùm: verſatus in illâ dignitate eſt penè nouennium; & pòſt mortem in æde regiâ diui Dionyſij conditus. ROBERTVS frater eius Regem Carolum Caluum in vinculis tenuit: & HVGONEM filium ſuum, Magnum Pariſiorum Comitem conſtituit: qui cum HEDVIGEM Henrici I. Imperatoris, & Ducis Saxoniæ, filiam duxiſſet vxorem: genuit ex illâ VDONEM II. & HENRICVM, qui ſine liberis defuncti ſunt; & HVGONEM CAPETVM, qui poſt Caroli VI. mortem, qui poſtremus eſt ſtirpis Carolinæ, regnum acquirit; coronatus ab Arnolpho Antiſtite Remenſe, anno ſupra noningenteſimum octuageſimo quinto: cui
985. deinceps filius ROBERTVS III. ſuccedit, Pij cognomento ornatus. Regem HVGONEM vulgus Schaplarium nominat, à quodam pilei genere, quem Dantes Etruſcus ſcribit è lanienâ ad regnum aſcendiſſe; ſecutus vulgi quoddam commentum, & fabulàm anilem aulicam, quæ in noſtrum etiam ſermonem vernaculum translata eſt, plena mendaciorum [illegible] de

de viro maximo & nobiliſsimo. Expoſitâ nunc huius Vitechindi progenie, quæ apud exteros vltra centum & triginta annos in honore & flore fuit: omiſsâ reliquâ progenie Gallicâ, quæ creuit plurimùm, pergamus porrò enumerare patria: quæ vt potentiam & fortunas illorum non æquant; virtute tamen & amore pietatis, non paulò ſunt inferiora, & ad propinquorum veſtigia pulcherrima accedunt.

Burggrauij Zorbecæ, & Budſecie Domini.

DITGREMVS.

DITGREMVS, Friderici & Vitechindi frater. Vxor eius BOSSENA, Comitis Pleiſſenſis in prouincia orientali filia: è quâ DITMARVM genuit, vt Origines eædem teſtantur. Hic Comitatus poſtea Aldenburgius dictus, temporibus Friderici I. Imperatoris. DITGREMVS, cùm Friderici interfecti fratris cædem pararet vlciſci, magnas Saxonibus iniurias intulit: eisque tam diu ſuperior fuit; donec Otho Dux Magnus Saxoniæ, Aucupis pater, auxilium oppreſsis ferens, ditionem Ditgremi populabundus inuaſit: cui imparem eſſe viribus ſe intelligens, ne in manus hoſtiles veniret; ad Daleminicios, gentem Sclauicam, confugit: ſed Othoni Duci vir ſtrenuus reconciliatus, ditionem ereptam recipit: & cum ipſo arma iungit contra Dalemincios, toti Saxoniæ hoſtes tum temporis infenſiſsimos.

DITMARVS.

DITMARVS Ditgremi filius, Zorbecæ Burggrauius, ſcriptis Sigeberti Gemblacenſis, Vitechindi Corbeienſis, & Conradi Vrsbergij celebris eſt: Princeps videlicet, illis ipſis teſtibus, diſciplinæ militaris peritiſsimus, conſilioque varius & magnus. Vxor eius VVILLA, è Comitum Nortringorum familiâ, quorum oppidum olim fuit, vbi nunc cœnobiũ Munchneuburgum eſt, ad Salam ſitum, dimidio à Bernburgo milliario. Filij ſunt DEDO & DITERICVS.

Quantum ingenio & calliditate DITMARVS hic valuerit; memorabili facto declaratum eſt, eo quidem Reipublicæ tempore, quo armis tantoperè iuuare non potuiſſet, etiamſi maiore floruiſſet copiâ aut potentiâ. Conradus Imperator è gente Francicâ vltimus, Henricum Aucupem Saxoniæ Ducem, qui poſt in Imperio ipſi ſucceſsit, peſsimè oderat: eumque cùm frau-

Burggrauij Zorbecæ & Budſeciæ Domini.

Bellum Conradi Imp. cum Henrico Aucupe.

de tollere non potuiſſet, vſus ſcelerato artifice eſt Hattone Antiſtite Moguntino, qui venenum propinare parauerat: quod conſilium cum etiam inane eſſet, proditâ Antiſtitis malitiâ; Imperator fratrem Eberhardum virum fortem in Saxoniam mittit, qui armis opprimat Aucupem: eo enim cognomento Franci, propter adoleſcentiæ ſtudium, Ducem Saxoniæ irridebant: ſed Eberhardus hoſtem contemnens, prælio grauiſsimo vincitur atque fugatur: in quo tamen Henrici ipſius virtus maximè fuit ſpectabilis; qui ſuam peti vitam & incolumitatem iam aliquoties expertus erat. Imperator interitu & clade ſuorum dolens, collecto omni robore Francico, Saxones imparatos denuo aggreditur: Henricus Dux oppidi Groningæ, prope Halberſtadium ſiti, ſe mœnibus credit: quem cùm loco certo quaſi incluſum contineri, elabique vix poſſe legatus Imperatoris animaduerteret; ad id obſidendum ſuos hortatur: ſed illi cladis recentis nondum obliti, & fortunam metuentes, legato perſuadent, vt primùm de deditione nuncios mittat: minore enim id culpâ & periculo fieri.

Animus Henrici à pace minimè abhorrebat, quam tamen Saxones, vt ſibi infamem impedire omnibus modis cupiebant; accuſantes Francorum inſolentiam, & eorum iugum fore dicentes intolerabile: eos autem vinci poſſe conſtantiâ & virtute, prælio ſuperiori fuiſſe demonſtratum. Henricus ante oculos poſitum diſcrimen, ſeſeque minùs inſtructum cernens; ſatis benignè Francis reſpondere, & eorum arte variâ tentare animos cœpit.

Strategema Ditmari.

His actionibus DITMARVS caſu interuenit, quem Vitechindus Saxonem orientalem nominat: is Henricum ſuſpenſum atque dubium confirmat: nunciiſque hoſtium audientibus, ſe adeſſe cum exercitu ingente proclamat; quoue in loco caſtra ponere, propter multitudinem hominum poſsit, in publico conſilio interrogat. Dux Saxoniæ nouo & inopinato hominis ſermone erectus, animos ſumit; nunciiſque Francicis nec cedere, nec promittere vult quidquam: ex DITMARO autem quantas copias adduceret, exquirit: qui cùm (vt noſtri aiunt) vexilla; vt Corbeienſis, legiones triginta ſe poſſe producere aſſereret: nuncij communi ſententiâ dimittuntur: & ſtupore magno perculſi, vocem & audaciam in caſtris trepidantes exponunt. Franci abiecti animis, vt per exploratores rem cognoſcerent, non ſatagunt:

ſed de obitu cogitantes obſidionem ante ſolis exortum ſoluunt, *Burggrauij Zorbecæ, & Budſeciæ Domini.*
caſtraque & impedimenta relinquunt. Ditmarus ne vnâ quidem aut alterâ cohorte ſeptus, ſed cum quinque tantum comitibus aduenerat: verùm ſuâ prudentiâ, & Henricum periculo liberauit: & populatione Saxoniam, propè redditâ ſibi paternâ ditione, cumulatè gratiam tum refert. Factum hoc eſt ſupra annum noningenteſimum decimo ſexto. 916.

Magna poſt id factum aſtutum Ditmari auctoritas fuit: & eius operâ atque fide temporibus illis difficilimis Henricus Imperator ſæpiſsimè eſt vſus: qui pacatis Francis populos Sclauicos propemodum omnes iam ſubegerat: *Slauicum bellum.* inter quos Redarij, nouæ defectionis autores, excitis ducentis militibus hominum, ſubitam irruptionem faciunt in Saxoniam, & oppidum Valtiſlebam ciuibus trucidatis, in cineres redigunt. Erat electus contra Redarios Bernardus Marchio Luſatius, vir ſtrenuus, eique Ditmarus Budſecius ſocius adiunctus: qui exiguis copiis cum ingenti multitudine congreſsi, turbatis Slauorum ordinibus, & pulſo in fugam eorum exercitu, inſignem reportant victoriam: anno ſupra noningenteſimum trigeſimo primo, vt ſcribit Gemblacenſis; die Nonarum Septembrium, vt Ditmarus Mersburgius. 931.

Prælium commiſſum ad vrbem Linichinum, vt Corbeienſis. Pedites Slauorum occidione occiſi: equites aut capti, aut in paludes fugati, cum dedecore ſine nocumento hoſtium, pereunt. Poſt prælium captiuo nulli aut venia data aut vita conceſſa eſt.

Secutum eſt poſt triennium ingens illud prælium contra Vngaros in agro Mersburgio, cui Ditmarus etiam interfuit: *Bellum cum Vngaris.* & paulò pòſt, plenus gloriâ atque celebritate, vitam finiuit, vt Viglius annotat, anno ſupra noningenteſimum quadrageſimo: 940.

DEDO.

DEDO Ditmari Burggrauij primus filius, interfuit ludis equeſtribus, quos Henricus Auceps celebrauit prope Magdeburgum in Inſulâ Albis, anno ſupra noningenteſimum trigeſimo octauo. 938.

DITERICVS.

DITERICVS, Ditmari ſecundus filius, Budſecius: ma-

 gnæ,

Burggrauii Zorbecæ, & Domini Budſeciæ. gnæ, vt Vanco; egregiæ, vt annales Lauterbergi, vir libertatis. Vxor eius IVTTA Bionis Comitis Mersburgij, non Vuaſſerburgi (vt Lazius) filia, genuit ei DEDONEM & FRIDERICVM. Bernardo Duci Luneburgico, & Diterico Marchioni Brandeburgio contra Slauos militauit. Bolislao etiam Duce Boëmiæ Miſniam vaſtante, cum Rochlicio & Vurcinenſe Comitibus ſeſe oppoſuit; ſed magis animosè quàm feliciter: nam à Saxonibus vicinis, quorum opem implorauerant, tardiùs defenſi ſunt, cùm ditionem iſtorum duorum Comitum Boëmi penè totam vaſtaſſent. Peruenit autem Ditericus ad iuſtam ſenectutem. Ab hoc annales Lauterbergi ſuum habent initium. In Originibus legitur, victos ab eo Dalemincios, & eorum regionem tum nominatam primùm eſſe Miſniam.

FRIDERICVS.

FRIDERICVS Diterici minor natu filius; Vxor eius HIDDA, Burggrauij Magdeburgij filia: ex quâ procreauit ODAM, HIDDAM, & MILDAM; prima nupſit Alberto Pincernæ Sommerſenburgio: alteram Burggrauij Miſnenſis coniugem fuiſſe, ſcribit Lazius, cum filiam Burggrauij ſcribere deberet. Tradunt Origines atque Annales vtranque Hiddam, & Mildam, medio ætatis flore adoleſcentulas obiiſſe. Budſeciæ dominus, teſte Ditmaro Mersburgio, & Annalibus Lauterbergi, Idem Ileburgi & Seuſelitij poſſeſsiones, ab Othone Magno Imperatore accepit, adhuc propemodum adoleſcens, vt in Originibus ſcriptum eſt: & primus è familiâ Budſeciâ Miſnæ fuit Burggrauius, vt in Annalibus. Daginoni Antiſtiti Magdeburgio, ſummæ apud Henricum II. Imp. auctoritatis cariſsimus fuit: & cum Vualthardo eiusdem ſucceſſore, ad Reginam Cunegundim proficiſcens Mersburgum; in via Antiſtitem patronum morte amittit: cuius obitu vehementer perturbatus eſt. Cum prolem non haberet maſculam: Ileburgum fratris ſui filio legauit Diterico, conſenſu Imperatoris. Obiit Ilenburgi, vt Annales Vurcinenſes; die profeſto Epiphanias, vt Lauterbergij & Veterocellenſes: anno ſupra milleſimum decimo ſeptimo,
1017. vt Ditmarus. Peruenit ad grandem admodum ætatem: ab Imperatoribus Othonibus & Henrico II. propter fidem & prudentiam in honore habitus.

DEDO.

Burggrauij Zorbecæ, & Domini Budſeciæ.

DEDO. Diterici primus filius, Budſecius, Comes Vitini, à pueritiâ educatus à Ridaco Comite Mersburgio & Marchione Miſnenſe, qui cognomento Diues appellatus eſt: adoleſcens animi ferocis & magnarum virium. Vxor eius DITBERGA Marchionis Diterici Brandeburgij filia: quæ cùm Troiamini Mersburgio, cum marito intereſſet; alterum præmium certaminis, è ſuâ manu Diterico Comiti Beichlingio porrigit. Filius eius DITERICVS, & DITBERGA filia: quæ ætate effætâ collocatur Alberto Comiti Aſcanienſi: qui quamuis ſexageſimum eſſet egreſſus ætatis annum: iunior tamen Comes, propter natum maiorem tunc in viuis agentem, dictus eſt. Plures Dedonis liberi, nec à Ditmaro Mersburgio, nec à Conrado Lauterbergio memorantur.

A Bolislao Duce Boemiæ euocatus, contra Othonem III. Imp. ei militat: factusque copiarum externarum Dux diœceſim Citienſem vaſtat: Hugonem præſulem eiicit: nec Mersburgiam intactam relinquit: vndè cum reliquâ præda Iuttam quoque matrem abducit. Cum in eo animus magnus eſſet, & in victoriis felix haberetur: in gratiam Imperatoris reſtituitur: eiquè factus familiaris, inter duces præcipuos numeratur. Bione Comite Mersburgio auo ſuo, in prælio interfecto, & defuncto ſine hærede, prouinciæ eius partem, quæ Vippera, Sala, Salza fluuiis, & Villera riuo contenta eſt, conſequitur; fauente ipſi Giſelero Antiſtite Magdeburgio: qui vt virum fortem magis etiam haberet deuinctum: quod ipſe culpâ ſuâ amiſerat, maiores eius obtinuerant beneficio Imperatorum, vt Zorbecæ Burggrauij dicerentur; eam dignitatem hæreditariam & ipſi, eiusque fratri Friderico efficit. Erant in eo impetus magni: & dicebatur præ inſolentiâ clàm malè cogitare Imperatori, & malè apertè multis facere.

Imperatorum mos erat, vt diebus ſolennibus ac certis, relictâ rerum ciuilium curâ, ſacris vacarent: eum morem religioſe obſeruans Henricus II. Pentecoſten agebat Magdeburgi. Dedo ſuſpectus ei factus, quòd eius vitæ inſidias tenderet; cùm auctorem calumniæ cognouiſſet Beringerum Marchionem Ballenſtadium: ita grauiter accuſationem in eum retorſit, vt penè gratiâ Cæſaris, & fortunis omnibus excidiſſet: idque eſſet etiam perfectum Dedonis pertinaci inſtinctu: niſi

Marchiones Luſatiæ & Lansbergi.

morbus eius ſubitus conatum violentum impediiſſet: & Burchardus Saxoniæ Palatinus, cui erat cognitio mandata, ſponte duxiſſet negocium.

Beringerum deinceps Dedo non deſtitit inceſſere conuiciis, & factis lædere, vbicunque eſſet occaſio. nam eius oppidum Volmerſtadium ad Albim infra Magdeburgum, immiſſo inopinato milite, ſpoliat atque incendit. Beringeri filius, quem patrio nomine etiam Beringerum Ditmarus, Berizonem annales Lauterbergi nominant, & fortunâ patris, & calamitate ciuium motus, non immeritò: quomodo Dedonem fraude agentem, fraude opprimeret, cum cognato ſuo Friderico Comite Summeringio deliberat: nam bello illum aperto aggredi non poterant, nec audebant: quia & potentiâ & gratiâ ipſis plus valebat. Dedonem igitur Tangermundam (à Tangeri fluminis oſtio vrbem nominatam) venientem, non procul à Moſa pago, cum viginti equitibus excipiunt: erat autem ab equitatu Dedo plus duplo inſtructior. In primo conflictu pugnatur acriter; ſed Dedonis miniſtri, ſubito inſultu territi, minus fortiter dominum defendunt: qui cum Egilhardo primæ nobilitatis viro interficitur. Id ſui cernentes, fugam ſtatim capeſſunt: qui multitudine facilè hoſtes ſuperaſſent, ſi cædem domini auſi fuiſſent vindicare.

Diem Chriſti natalem Imperator Poledæ agebat: vbi Ditericus occiſi Dedonis filius homicidam Beruizonem accuſat: qui contra ius gentium, in itinere more graſſatoris inſultum fecerit. Quamobrem à Rege Principum conſenſu proſcribitur; eique bona patria adimuntur: quæ cum antea propemodum amiſiſſet Dedonis contentione; nunc iuſtiſsimâ de causâ eis priuatur. Ea autem tradita ſunt Bernardo auunculo eius poſſidenda. Hoc caſu, vir alioquin præſtans indignè vitâ priuatur.

DITERICVS.

DITERICVS Dedonis filius, vir fortis & præclarus. Vxor eius MECHTILDIS, Echardi Marchionis Miſnenſis, Turingiæ, Saxoniæ filia; nata è Suanhildi, Ditmari Luſatiæ Marchionis viduâ. Ex eâ genuit filios ſex, FRIDERICVM, DEDONEM, THIMONEM, GERONEM, CONRADVM, RIDACVM: filiam vnam HIDDAM, Suatepluco Duci Boëmiæ nuptam; quorum filius VOLCHERVS Patriarcha Aquileienſis, qui in noſtris Annalibus Guntherus appellatur.

Hic

Hic Princeps Henrici II. Imperatoris voluntate atque gratia Comitatum Ileburgium, Friderici patrui ſui defuncti, accipit: nec non arcem eiusdem Suſelitium, vt Ditmarus. Literæ perſcriptæ ſunt in conuentu, quem Alſtetam indixerat Imperator, ad ſedandas ſimultates & turbas inter Saxonicam nobilitatem, quæ erant ipſo abſente exortæ. Bellis interfuit Polonicis & Boëmicis: quæ Meſico Rex iniuſtè & cupidè; Bolislaus Dux exul, pro regno patris repetendo, iure ducere videbatur. *Burggrauius Zorbecæ, & Budſeciæ Domini.*

Factum id eſt non ſine clade harum regionum: in quibus externæ illæ copiæ verſatæ ſunt, cùm Imperator bellis grauioribus foris detineretur. Quamuis autem Ditericus filiam Echardi haberet, qui initiò rebellaſſet Imperatori atrocius, quàm hoſtes alij: tamen vt in multis, ita etiam in hâc cauſâ bonitas Imperatoris perſpecta eſt, vt obliuiſceretur iniuriæ: tum, & eos augeret beneficiis, quos aduerſarios ſenſerat: nam mutatâ voluntate ſtultâ reſipiſcebant; & imperij dignitatem promouebant pro viribus. Vndè etiam vxoris eius CVNEGVNDIS precibus, ab Imperatore Marchiam Lansbergiam Ditericus impetrauit. De ſingulis eius filiis deinceps ordine dicam: poſtremo autem loco de Thimone, à quo ſtirps Ducum noſtrorum clara & illuſtris propagatur.

FRIDERICVS PRÆSVL.

FRIDERICVS Diterici primus filius, maioris Eccleſiæ Magdeburgiæ Præpoſitus; vt genere clarus ita literis, moribus, multisque virtutibus ornatus fuit: qui cùm collegij conſenſu electus eſſet Antiſtes; ſuſpectus eſt Henrico IV. Imperatori factus, Saxonibus iniquiſsimo. Itaque veritus, ne primæ nobilitatis & ingenij excellentiſsimi vir, in populo ſuo nimis potens fieret, electionem impedit; honorisque ſpecie Præſulis Monaſterienſis ei dignitatem defert: in ſedem verò Magdeburgiam collocat Vuernerum Comitem Sonnebergium, fratrem Annonis Antiſtitis Colonienſis, & nepotem Burchardi Halberſtadij, qui tum omnia in aulâ poterant.

Quamuis autem Fridericus illatam ab Imperatore, vniuerſam tum Saxoniam armis turbante, iniuriâ facilè vlciſci publico

in

Marchiona Luſatiæ & Lansbergi.

in tumultu potuiſſet: memor tamen officij ſui, illam religioſâ modeſtiâ pertulit; nec patriæ dolore aut gemitu ſuum ius, quod electione obtinuerat, ſtatuit eſſe perſequendum. Eccleſiæ Magdeburgiæ, è quâ eiectus erat, iugera agri duodecim aſsignauit: & Monaſterienſi donauit prædia Gerbſtadiana: reddens videlicet pro in juriis beneficia, & bonis paternis augens reditus Eccleſiaſticos.

Obiit Monaſterij tranquillè: ſepultus extra vrbem in monte, æde diui Mauricij ſacrâ: quam ipſe magnificè exornauerat: Æmuli ipſius miſerè intereunt: Vuernerus enſe cæditur in prælio: ANNO mortuus fertur deſperatione.

DEDO I.

DEDO I. Diterici II. filius ſecundus, poſt obitum ditionem Othonis Luſatiæ Marchionis, Ditmari pronepotis, qui ſine prole deceſſerat, obtinet beneficio Imperatoris. Fuit igitur DEDO Marchio Luſatiæ, item Lansbergi: & Comitatus poſſedit Ilenburgium, Brenenſem, Camburgium; è Budleciis potentiſsimus. Vxores duas habuit: primam ODAM Ditmari II. Marchionis Luſatiæ viduam: ex quâ genuit DEDONEM filium, ADELHEIDIM & AGNETEM filias. ADELHEIDIS nupta fuit Hermano, vt Lauterbergij vocant annales; Erneſto, vt Miſnenſes; Bauariæ Marchioni. AGNES in cœnobio Quedilnburgio educata, & literis erudita; tradita eſt Friderico Comiti Gozecenſi, Palatino Saxoniæ. Huius Palatini vxorem Agnetem Comitis Vinarienſis filiam fuiſſe in Annalibus iisdem perſcribitur: qui ſi veri ſunt, duas ille vxores habuit cognomines, hanc Turingicam, alteram Miſnenſem. Altera vxor Dedonis, ADELA vidua, origine Brabantina, antea Othoni Comiti Orlemundano, vel (vt Lambertus eum nominat) Turingiæ Marchioni nupta, Henrici & Reineri Comitum Louanienſium ſoror: ex eâ genuit DEDONEM, CONRADVM, HENRICVM.

Dedonis matrimonium & liberi.

Ducta autem in matrimonium Adela: vt mariti eius demortui ditione potiretur, operam dabat: nullus enim ei relictus hæres erat: idque faciebat inſtante coniuge, & beneuolis Turingis: ſed Imperator, Saxonum libertatis hoſtis, metuens viri fortis & gratioſi potentiam, conſentire noluit. Mariti animum cupidum, magis magiſque incitabat Adela, quouis viro (vt Lambertus

bertus ſcribit) animoſior: & Turingi, Imperatori iracundi, quia Sigbertum Antiſtitem Moguntinum defenderet, exactionibus importunum atque iniquum, Dedonis cauſam approbabant. Anno igitur ſupra milleſimum ſexageſimo nono in Turingiam exercitum Imperator ducit; & præcipuum adiutorem habet Moguntinum: qui odium ſuum in illam gentem priuatum, cupiebat publicâ belli occaſione vlciſci. Turingi multò veriores & rectiores Antiſtite Regem per legatos adeunt: ſuam æquitatem & rogata exponunt: leges priorum Regum Antiſtitumque obſeruaturos ſe ſpontè offerunt: nouas decimas, nec ciuili iure neque ritu eccleſiaſtico debitas, ſoluere nolle ſe profitentur: aut ſi armis cogantur, armis repugnaturos: ſatius eſſe mori, quàm cogi ad conditiones iniquas: quibus & patrum auctoritas violetur, & ipſorum fides & integritas laboret, & exhauriantur fortunæ.

Marchiones Luſatiæ & Landibergi

1069.

Bellum Henrici IV. Imp. contra Turingos.

Imperator ſimulatè reſpondet, & eſſe ſecuros iubet: vetus ius ipſos obtenturos promittit: & pollicetur auxilia, ſi neceſſe ſit. Erant in Turingiâ duo præſidia Marchionis; Schidingum, antiqua olim ſedes Regum Turingorum; & Bichlingum, vnius è XII. viris Saxoniæ domicilium: illud capit deditione, hoc armis expugnat: quibus redactis in poteſtatem, terrorem iniicit tantum: vt Dedo ſe fore Regi ſubditum, ſponderet; & rebellionis causâ, ſuis aliquot prædiis ſpoliaretur. Turingi decimas dare iubentur, addito verborum ludibrio; non quòd eas deberent, ſed ne magis irritarent Antiſtitem. Erat publicè ſedatum bellum: & excuſſa arma de manibus: ſed animi fremebant indignatione & iniuriis. In Dedonem etiam filius ipſius incitatus eſt, patri cognominis; qui infeſtiùs acerbiusque quàm alius quiſpiam eâ tempeſtate, eſt patrem inſecutus: ſed diuina vindicta ſtatim eum miſerabiliter ſuſtulit pudendâ & non virili morte.

Anno ſupra milleſimum octuageſimo tertio, cùm Goslarienſi conuentu, Saxonicos Præſules & Principes contemtui habuiſſet Imperator, totum enim diem fruſtra ad palatium expectantes deſederant: Dedo, ne ſubitò deficerent, & iracundiâ aliquid, cuius eos paulò pòſt pœniteret, facerent, ſuâ auctoritate ac prudentiâ reprimit atque continet. 1083.

Conuentus Goslarienſis

Initum poſtea à Saxonibus conſilium eſt conuentu Nocmersłebi, vt Ditmarus ſcribit: quo de Imperatoris iniuriâ & ſuis miſeriis conſultantes, bellum decernunt: in quo conuentu etiam

Conuentum Nocmerslebianum.

Dedo

Marchiones Luſatiæ & Landibergi Dedo conqueſtus eſt, quod quibuſdam prædijs ac oppidulis ſpoliatus eſſet nullâ ſua culpâ, ſed Imperatoris ſuperbiâ. Itum in eam ſententiam eſt, vt Hartesburgum præſidium oppugnaretur: in *Oppugnatio Hartesburgi.* qua expeditione DEDO propter virtutem inter duces nominatiſsimus fuit. Nam vt non temerè ſuſcipiendum eſſe bellum duxerat: ita ſuſceptum fortiter adminiſtrandum ſuadebat.

Secutus eodem anno conuentus eſt indictus ad XIII. Cal. *Conuentus Gerſtungenſis.* Octobris Gerſtungam: in quo de compoſitione cum eſſet peractum; DEDO Imperatori conſtantiſsimè fidem ſeurat: cui etiam generoſæ indolis minimum natu filium Henricum conſenſu vxoris, mittit obſidem.

Ruthenorum Rex à fratre pulſus ad Imperatorē petendi auxilij cauſâ confugerat: cumq; munerib. & pollicitationibus animos aulicorū deuincijſſet: Dedo iubetur Imperij nomine illū in regnum reſtituere. Ruthenus in Pruſsiā vsq; cum milite Germano progreſſus; non gratiâ quidem Imperatoris, ſed ſuorum popularium fide deſtituitur. Imperator id fore ſuſpicatus, propter gerendi belli difficultatem & locorum diſtantiam, Dedonem & Saxones periculo obiecit manifeſto: vt quos armis non poſſet ſubigere, eorum vires fraude frangeret, aut infamia minueret dignitatem. Id poſt mortem Dedonis facto declarauit; eius enim filio paternam poſſeſsionem adimit: Luſatiamq; & Miſniam Vuoteslao duci Bœmiæ, qui ſibi contra Saxones militauerat, ne ſtipendia ſolueret benemerito, mercedis loco tradit. Nunc antequam ad reliquos Diterici filios perueniatur; Dedonis huius ſtirpem perſequi neceſſe habeo.

DEDO II.

DEDO II. Marchio Luſatiæ & Lansbergi, Dedonis è primâ vxore Odâ filius degener. Bello Turingico, quod pater eius, vt iam dixi, communi conſenſu mouerat, partes aduerſarias adiuuit; ſocius Imperatori contra patrem. Vix autem vllus tum hoſtis acrior & vehementior fuit in quenquam, quàm iſte adoleſcens in eum, à quo vitæ & lucis originem acceperat. Exacto autem eo bello, magna illa gratia, quâ floruit, apud jmperatorem ex cidit: indole certe magnanimitatis eximia, & laude dignâ, ſi eam contuliſſet ad pietatis & iuſticiæ ſtudium. Æſtu enim ambitionis & inanis gloriæ quaſi abreptus omnia iura violauit: & inſidias patri indigniſsime tetendit. Factū itaq; eſt, cū ad naturæ opus in conclaue ſeceſsiſset, vt haſta per poſteriorem corporis partem traijceretur manu (vt Vrsbergius ſcribit) ſui miniſtri: conſilio

vt vulgus ſuſpicabatur, Adelæ matris nouercæ. Conſtat inprimis Eccleſiaſticos eius morte gaudio perfuſos, Lamberto teſte; quia metuebant eũ, qui ambitione patri non pepercisſet: nec Eccleſiaſticis bonis, quibus ad augendam ditionem inhiabat, eſſe parſurum. nam ad iſtas cupiditates acceſſerat ingens hominis audacia, & animus intrepidus. Attilæ Gothi gladium dono acceperat ab Othone Bauariæ Duce exule, monumentum perpetui inter ipſos fœderis: eundem Bauarus acceperat à Reginâ Vngariæ, quòd filium ipſius Salomonem meminerat eius ſuaſu ac beneficio in regnum reſtitutum eſſe. Dedone interfecto, idem gladius ad Imperatorem defertur: qui eum donat conſiliario & familiari ſuo Leopoldo cuidam Mersburgio: ſed hic in comitatu Imperatoris, in oppido Vtenhuſio de equo lapſus, gladio illo euaginato vulneratur, & ſubitò extinguitur: & eodem itinere Herueldiam deportatur ad ſepulturam. De gladio iſto plura Lambertus. *Marchiones Luſatiæ & Landsbergi*

DEDO III.

DEDO III. alter Dedonis ex Adelâ filius, primâ ætate obiit.

CONRADVS.

CONRADVS ſecundus Dedonis filius ex Adelâ coniuge, hic ſtudioſus præclari nominis, & ſecutus caſtra, à Ruthenis paganis occiditur; vt annales tradunt Lauterbergi.

HENRICVS.

HENRICVS, tertius Dedonis ex Adelâ filius, Marchio Luſatiæ poſt obitum patris hæres fuit. Vxor eius GERDRVDIS Ducis Brunſuigi, & Saxoniæ Marchionis filia: è qua vnum tantùm filium, & eum poſthumum peperit. Imperatori matris permiſſu pater obſidem eum tradit. Committitur autem ipſe, & Vtho Marchio Stadenſis ſeni Eberhardo Comiti Ellenburgio, cui plurimùm Imperator tribuebat. Pueri ad Imperatorem abducti, cum vigorem quendam antiquæ nobilitatis Saxonicæ præ ſe ferrent: Rex liberaliter atque etiam indulgenter haberi mandat: cùm propter ætatem teneram (infra enim pubertatis annos erant) tùm propter generis amplitudinem: nolebat enim aut ſeuerioris cuſtodiæ moleſtiâ, aut inertis otij conſuetudine, natos ad res magnas animos, debilitari aut corrumpi. Ellenburgius cum æqualibus aliis eos ludere & equitare permittit. Ipſum etiam parentes arte conciliabant, vt leniret puerile deſiderium ſuâ facilitate: idque ab eo non difficulter eſt impetratum. Adhibitis miniſtris

HENRICVS II.

Marchionis Luſatiæ & Lansbergi.

HENRICVS, II. Henrici Luſatiæ & Ileburgi Marchionis, filius (vt dixi) poſthumus, pater enim moriens vxorem prægnantem reliquerat. Rumor de matre eius improbus paſſim differebatur, ipſam verè non eſſe grauidam: quem vt falſum argueret, & ignominiam auerteret; matronis aliquot nobilibus, & mariti defuncti conſiliariis honeſtioribus, ventrem nudatum oſtendit. Nato iam infante, nouam aduerſarij ſpargebant calumniam: ſuppoſitum videlicet eſſe coci filium, cum ipſa filiam fuiſſet enixa. Hæc calumniæ audaciâ cauſa belli ciuilis inter agnatos poſtea extitit.

HENRICVM pubertatis annos nondum planè egreſſum, patriæ pericula ingentia excipiunt. Miſna enim oppidum, quod paulò antè dominis propriis ereptum erat, Henricus IV. Imperator Vratislao Regi Boemiæ de integro donat: cui Rex præfectum dedit & gubernatorem, Vipertum Peganum, Marchionem Oſterlandiæ, generum ſuum, ſpectatæ virtutis virum. Qui Henricum defendebant amici, eam donationem affirmabant eſſe irritam: cumque de ſententiâ non decederent, Imperator nouum Miſnenſibus bellum mouet: eosque duplici exercitu iuuadit: vt iuſtos dominos planè eijceret, ſuis eam prouinciam adiutoribus diſtribueret. Per Albim deſcendunt Rex Vratislaus, & eius frater Otho, cum copiis Morauicis, & Boemicis: & ad Mildam fluuium caſtra ponunt, Albertus Antiſtes Moguntinus, & Vipertus Marchio. Inter vtrunque exercitum, Miſnenſibus opitulantes, Saxones erant: quorum Dux Lotharius fuit Supplinburgius Comes, qui paulò pòſt imperauit. Is ne agmina hoſtium coniungerentur, ſummo ſtudio prouidebat: cumque alterutram inuadere aciem periculoſum putaret; moram trahens, & occaſionem expectans, ſeſe locis tutis continet: duplici curâ ſolicitus, ne aut hoſtiles copiæ ſe in vnum congregarent, aut ipſe à parte vtraque intercluderetur. Boemus Guozedecum præſidium, paucos ante annos ad Miſnenſes vexandos extructum tenebat; & armis congredi verebatur; nec ad ſocios adiungere ſe poterat, propter Saxonum terrorem & vigilantiam.

Henricus IV. Imp. bellum contra Miſnenſes.

Miſsis igitur in caſtra Saxonica legatis, ſe excuſat; quòd non odio priuato, ſed Imperatoris mandato, ad Vipertum defendendum arma ſumſerit: petit, vt exercitum reducant, &

Marchiones Luſatiæ & Lansbergi.

Miſnam oppidum nomine Imperatoris ſponte tradant: ſe ſine vllo maleficio in patriam reuerſurum, & æquo iure vſurum in ciues dedititios. Lotharius ita legatos dimittebat, vt ſignificaret, ſo non ad abitum, ſed ad prælium paratum eſſe: loco cedere nolle, quem iure teneat, & antiquis ac veris poſſeſſoribus cupiat ſeruatum: nullâ enim iniuriâ aut Imperatorem eſſe læſum, aut Regem. Coſmas Pragenſis addit præterea, quod Lotharius Regem admonuerit, meritò illi ſocietatem Imperatoris, & Moguntini, & Viperti eſſe debere ſuſpectam; & futuram tandem ipſi potiſsimùm perniciosam: eſſe difficilè Boemis, vt vincant Saxones; & ſine maximâ clade ſuorum ciuium fieri id non poſſe: ſin à Saxonibus ipſi vincantur, Boemiam viris fortibus exhauſtam, prædæ futuram ſociis, fortunam obſeruantibus, non colentibus veram amicitiam, præ cupiditate iniuſtâ & effreni. Hæc pro tempore locutum Saxonem Rex quidem arbitratur: nec tamen contemnere auſus eſt, nec manum cum ipſis conſerere. Itaque depopulatis circum oppidum Miſnam agris, pedem cum ſuis refert. Rediit autem, eodem Coſma
1023. auctore, anno ſupra milleſimum vigeſimum tertium, ſexto Calend. Decembris, cùm eius anni hyems eſſet valdè aſpera, & frigus intenſum.

Ciuile bellum in Miſnia.

Sedato bello externo, ſtatim poſt triennium ciuile oritur. Conradus enim Marchio Miſnenſis, Thimonis filius, Henricum ſui patruelis filium, in contentione iracundus appellans, per contumeliam coci filium nominat: qui conuicij impatiens, ad tuendam & matris pudicitiam, & ſuam famam, arma & vim extemplò comparat. Inuentus eſt Heldolphus Zorbecenſis homo non planè infimæ conditionis: cuius nepotes Simeon & Gebhardus fuêre: is ad ſimulachra diuûm adductus, apprehenſâ arâ fidem iureiurando facit, Henricum eſſe ſuppoſitum: addens hanc conditionem, ſi peieraret aut falleret, ne integra in poſterum valetudine vteretur. Conradus nimium tribuens terræ illi filio, probrum agnati exaggerat: magnumque ſibi periculũ conflat. Dederat Henricus duobus miniſtris negotium, qui Heldolphum hominem periurum & vanum, quâ ratione poſſent, ſuo nomine vlciſcerentur: proponens præmia viuum ſeu mortuum comprehenderent: qui cùm in eum incidiſſent, ipſe equum, Deo vindice, loco mouere nec calcaribus nec plagis potuit. Captus ad Henricum mittitur: qui iracundiâ incenſus, tetrum edit de eo ſpectaculum: nam auribus, naſo, labiis,

lingua,

lingua, mutilat; digitorum prætereà articulos, quibus iurauerat, amputat; & quia non viſa affirmârat, oculos etiam exſculpit: ita nimirum integram valetudinem, vitam tamen non amiſit. *Marchiones Luſatiæ & Landsbergi*

Pergens porrò adoleſcens iniuriam illatam proſequi, Conrado bellum indicit: qui in ſuâ ſententiâ pertinax, prælio decernit: ſuperatusque in manus agnati venit: qui eum in arcem Kirchbergam tradit cuſtodiendum: &, vt in Lauterbergi Annalibus legitur, ferreum illi lectum imponit: quod quale catastæ aut ergaſtuli genus fuerit, nondum explorare potui. Apponit illi cuſtodes propinquos ſuos: idque eo facere animo videbatur, quaſi nunquam dimiſſurus eſſet. Moritur Henricus anno altero: qui etiam mandata reliquerat, quid cum captiuo agnato agendum eſſet. Conradus è luctu familiæ, id quod erat, mortuum agnatum coniecturis colligit: corruptisque cuſtodibus, è vinculis euadit: & beneficio Lotharij Imperatoris ad conſolationem acceptæ calamitatis vniuersâ Henrici, qui ſine hæredibus deceſſerat, ditione potitur.

Hactenus Dedonis Diterici filij, eiusque filij ac nepotis ſtirpem enumerauimus: nunc de reliquis quatuor dicendum eſt: Thimonem autem, quia ſtirpis radix eſt, ad poſtremum conſeruabo: & nunc, quæ de eius fratribus tradita literis ſunt, expediam.

GERO, COMES BRENÆ ET CAMBVRGI.

GERO Comes Brenæ & Camburgi, quartus Diterici Marchionis Lansbergi filius, vxorem duxit BERTHAM, Popponis Comitis. Vipperenſis viduam Vippera autem & arx & oppidum eſt in Herciniis prope Rammelbergum. Genuit filios tres, DITERICVM, VILHELMVM, GVNTHERVM: filias duas, VVILLAM, Sacerdotem maximam Gerbſtetenſem: DITBERGAM, præpoſitam Gerenrodiam. Viuens temporibus difficilimis, cum Saxonia, Turingia, & Hercinia armis concuterentur; & multi principes fortunis & ditione, exuerentur, aut conjicerentur in cuſtodias, aut ablegarentur in regna externa, patriam relinquit; & vltra Albim migrat cum filiis: cùm mallet exul inopiam tolerare, quàm ipſe ſe hoſti tradere, aut filios obſides mittere, Ideò cùm in obſcuro lateret, nec vllius nominis aut momenti fuit, vt ait Lambertus: nec de eo quidquam apud

Comites Brenæ & Camburgi. alios eſt proditum memoriæ. A Cunone Vipperenſe, ſoceri ſui fratre, multis affectus eſt beneficiis, viro ſtrenuo atque magnifico: vitam etiam in illâ calamitate & exilio, animi dolore poſuit.

DITERICVS. III. COMES BRENÆ.

DITERICVS Comes Brenæ, primus Geronis filius, cum Vilhelmo fratre aſſertor libertatis Saxonicæ initio fuit: ſed in eâ voluntate non conſtans perſtitit. Factum enim eſt, neſcio quâ
1079. de cauſâ, vt anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo nono, vt ſupplementum Lamberti; vel vt alii, octuageſimo, à Saxonibus ad Imperatorem deficeret, cum aliis duobus Comitibus Vitechindo & Viperto: & eo quidem tempore, quo Rodolphus affinis Imperatoris, Dux Sueuorũ, partes Saxonicas ſequeretur ac defenderet. Cùm acie in Turingiâ Fladhemei concurrere decreuiſſent: paucis ante prælium diebus, ad Imp. Ditericus tranſit: prælium committitur VI. Idus Februarij: ſed Imperator eo prælio inferior Saxonibus fuit. Vt autem cauſa tranſitionis in Annalibus Antiſtitum Magdeburgiorum, è quibus hæc tranſcripta ſunt, non eſt addita: ita etiam omiſſum, quid Saxones victores in transfugas iſtos poſtea ſtatuerint. Vxorem hic duxerit nec ne, nondum vllis monumentis cognoui.

VILHELMVS COMES CAMBVRGI.

VILHELMVS, Comes Camburgi, Geronis ſecundus filius, & frater eius DITERICVS feruentibus in Saxoniâ bellis, exiguæ auctoritatis inter Saxoniæ principes propter exilium & inopiam fuerunt; virtute tamen & ſtudio patriæ liberandæ nulli inferiores. Inprimis enim VILHELMVS, non modò ademptas poſſeſsiones ſuas recuperauit: ſed & publicæ libertatis auctor vnicus fuit: quo neminem Imp. aut atrociorem hoſtem cum habuit, aut cuiquam è Saxonibus magis inſidiatus eſt.

1075. Anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo quinto, cum principes Saxoniæ nominatim ab ipſo euocati, in campo Spirenſe ſeſe dedidiſſent: hi duo fratres quaſi præteriti propter inopiam, vel potiùs à Deo ad reſtituendam Saxoniæ libertatem conſeruati, trans Albim confugiunt: & populorum Sclauicorum hoſpitio vtun-

vtuntur. Amiſerant enim, vt & reliqui, arces & bona paterna omnia: ſed libertate contenti, fortiter ferebant communem cùm principibus opulentiſsimis fortunam: & dolebant patriæ vicem, totq; hominum nobiliſsimorum ſeruitutem indignam. Vnico illo, ſe in illud tempeſtuoſum deditionis naufragium non incidiſſe, gaudebant, nam quo animo in Saxones eſſet Imperator; poſt illam demum deditionem cognitum eſt, iniquiſsimo ſcilicet & immaniſsimo. Omnem autem eſſe arduam virtutem non ignorantes, animos ſumunt audendi aliquid pro patriâ fortiter, primùm igitur contractâ exulum manu (nam iuſtas colligere copias, paupertas prohibebat) incurſionibus præfectos Imperatoris vexant: eius etiam quæſtoribus, nimiis exactionibus in ciues ſæuientibus, vi reſiſtunt, quocunque loco aut modo poſſunt. Cum initia tenuia feliciter procederent: & qui antea obſcuri fuerant, ſuâ magnanimitate inclareſcerent: cæteri, qui eandem fortunam aut bonis ereptis erant experti, aut qui conſeruatis ſeruitutem ſe indignam ſeruiebant; partim rubore ſuffundi, partim benè ſperare: omnes iſtorum adoleſcentum facta admirari, virtutem extollere; tacitè communicare concilia & ſibi iſtorum exempla ante oculos proponere.

Comites Brunæ & Camburgi.

VVilhelmi virtus.

Igitur ſingulis propè diebus ad ipſos plurimi conueniunt: qui id metu non audebant, aut preſsi ab Imperatoris præfectis, non poterant; ſtipendiis & opibus eoſdem iuuant, tacitas operas adhibent, animos monitis inflammant, paratos ſe ſignificant, extrema potiùs cum ipſis perferre, quàm dubiâ Imperator. fide acquieſcere, aut in ſeruitute tam triſti degere diutius. Intra vnum atque alterum menſem, tantæ confluxerant copiæ, vt non inſidiantium more excurrerent, ſed ſe pares ad quemuis hoſtem excipiendum exiſtimarent. Erant Saxonum omnium animi ſuſpenſi; & quia Imperatorem iniurium atque violentum oderant, & quia libertatem proditam recuperare, valdè cupiebant.

Oſtenſâ ſpe ſalutis aliquâ nihil amplius hærere: ſed omnia his principibus polliceri: eorum impetum precibus & pollicitationibus incitare. Acceſsit adhæc, lætitia inſperata: nam HERMANVS Dux Luneburgius, MAGNI Saxoniæ Electoris patruus, & alij quidam è captiuis atque dedititiis, beneuolentiâ eorum dimiſsi ſunt, quibus dati aſſeruandi erant: inprimis autem Metenſis Præſulis laudata humanitas: ſaniores enim moti miſericordiâ, vicem Principum

 fortiſ-

Comites Brenæ & Camburgi.

fortiſsimorum, atque optimorum virorum gemebant, qui circumuenti inſidiis, nullâ ſuâ culpâ, & libertatem & patriam amiſerant; præterea Imp. nihil aliud meditari atque ſtudere cernebant, quàm vt vniuerſam Saxoniam & nobilitate & opibus exhauſtam, in Francicam redigeret ſeruitutem; & cupiditatum ſuarum adminiſtris (qui homines plerique noui & obſcuri, vt Lambertus ait, è Sueuis erant) & Eccleſias ſpoliandas & Remp: diripiendam obiiceret, & Saxoniam exhauriendam quaſi propinaret.

Itaque aliquantulum reſpirantes Saxones ad libertatem eriguntur, auſpicio, vt credebant, diuino; & duorum iſtorum adoleſcentum, vt dicebant, ductu animoſo: quos, vt ſalutis libertatis, vitæ auctores amabant atque prædicabant. Igitur caſtellis paſsim atque oppidis præſidia Imperatoris eijciunt; multa etiam capiunt deditione. Militem externum, qui ſeſe dederet incolumem dimittunt, datâ tamen fide, ne militaret amplius in Saxoniâ. Præda hoſti erepta, aut in milites bene meritos, aut in agricolas, qui omni genere iniuriæ vexati erant, diſtribuitur: ſimiliter proſcriptorum bona, qui ab Imperatoris amicitiâ auerti non poterant, in vulgus diuiduntur æqualiter. Vicem Imperatoris in Saxoniâ tenebat, OTHO Gottingenſis, quem Ducem ad Viſurgim Cranciusappellat, cui Imperator ademerat Bauariam: is arcem Hartesburgum tum temporis inſtaurabat, non procul à Goslaria, antè Satersburgum dictum, præſidium firmiſsimum: item aliud quoddam caſtellum in Steinbergo. Ad hunc vno conſenſu mittunt, vt ab opere deſiſtat: eumque accuſant, quod gente Saxonicâ ortus, maiorem hoſti patriæ, quàm ipſi patriæ fidem præſtet: monent, vt magnam infamiam fugiat, & priora facta aliquo inſigni merito emendet: contumaci denique exilium atque interitum minitantur.

Otho legatis liberaliter reſpondet, & lætos dimittit: neue ſuſpectus eſſet, præſidia de modò dictis caſtellis deducit, & in ijs muniendis opus intermittit: pollicetur præterea genti ſuæ, niſi quid æqui ab Imperatore impetret, quem de communi cauſâ feciſſet certiorem, ſe nec indulti honoris amore, nec mortis metu, nec iuriſiurandi religione omiſſurum, quin patriæ maiorumque ſuorum cauſſam vſque ad extremum ſpiritum, quantâ poſsit virtute ſuſcipiat, promoueat, defendat. In caſtris etiam Saxonicis tanquam amicus & ſocius verſabatur. Eò

tandem

tandem OTHONIS inſtinctu deductum negotium eſt: vt Imperator Principes dedititios Saxoniæ & Miſniæ, in priſtinam dignitatem reſtitueret: in quibus præcipui erant Vernerus Antiſtes Magdeburgius, Vuernerus Præſul Mersburgius, Benno Miſnenſis, MAGNVS Elector Saxoniæ, Fridericus Sommerſenburgius Saxoniæ Palatinus, Bucco Præſul Halberſtadius, cui præ cæteris infeſtus erat Imperator, clàm ablegabatur in Pannoniam, ſed is fidi hominis beneficio liberatur in itinere. Liberatis hæc vnica iniungitur conditio: ne cum GERONIS filiis vllam ſocietatem ineant; ſed ad homines turbulentos & perditos caſtigandos ſtato loco & tempore ſibi ſint præſtò, & OTHONIS legati ſui mandatis, ſine morâ & recuſatione omni obtemperent. Ipſe vt ſe quàmprimum de GERONIS nobilibus filiis tantâ acceptâ iniuriâ vlciſceretur, in Boemiam contendit: & qui obſtrictum multis officiis habebat VRATISLAVM, ei perſuadet, vt copiis inſtructiſsimis ſe ſequatur in vicinam Miſniam; cuius ipſe gubernator, Imperij nomine ſit futurus. *Comites Brenæ & Camburgh.*

Rex nullam moram interponens, ſuum populum armat: & in Miſnenſes præter omnium opinionem, ferro & incendiis graſſatur. Hoc factum Regis ita omnium Saxoniæ Principum animos alienauit, vt etiam OTHO, quo vno fidelisſimo vtebatur, ei opem ferre detrectaret: cæteri fremerent indignitate & impatientiâ: neque ſolum Principum animi inflammabantur; verùm etiam vulgus inſanire occipiens, priuatis ſtipendiis, priuatoque periculo depugnare cupiebat: & Principibus, qui contrà ſentirent, aut hoſtem nominis Saxonici iuuarent, minabatur, ſe diſsipatis aut incenſis eorum agris atque oppidis, è patriâ ipſos eiecturos. *Boemorum in Miſniam irruptio.*

Ad arma igitur pro liberandâ Miſniâ, conclamatur: paucos intra dies multa millia coeunt, præliandi cum hoſtibus incredibili cupiditate: ſed quia confuſa plebs minùs expedita ad iter videbatur, minus etiam ad pugnæ contentionem idonea: GERONIS filij ſeptem equitum millibus delectis, & Imperaratori & Regi obuiam ire contendunt. Quod ſi (vt Lambertus ſcribit) ſic efferato milite, ſic feruentibus ſtudiis ſigna conferre contigiſſet, vt multorum ferebat opinio: tractum tot annis bellum

Comites Brenæ & Camburgi. bellum Saxonicum, fuiſſet facili compendio confectum. Extra ripas excurrerat fluuius Milda: quem cùm equitatus Saxonicus tranſire non poſſet, Imperatori ſalutem attulit: qui exercitum reduxit: & Rex in Boemiam celeriter reuertitur, caſtellis oppidisque relinquit præſidia.

Statim vt eluuio ceſſauit, & Milda meabilis facta eſt: Imperatoris & Boemi præſidia ab Ecberto Marchione adoleſcente fortiſsimo, omnibus locis eijciuntur: quidam ea deſerunt trepidatione & fugâ. Beneficium igitur liberatæ non ſolùm Miſniæ, ſed totius etiam Saxoniæ, iſtis adoleſcentibus VILHELMO & ECBERTO debebatur: quorum laudes à ſummis infimisque hominibus decanebantur. Factum hoc eſt anno ſupra
1076. milleſimum ſeptuageſimo ſexto. His rebus omnibus etiam DITERICVS Vilhelmi frater interfuit: qui (vt dictum eſt) relictis partibus Saxonum, poſtea ad fortunam Imperatoris ſe inclinauit: de cuius obitu & poſteritate vt nihil relictum ſcimus; ita etiam de Vilhelmi inquirere nihil potuimus.

GVNTHERVS PRAESVL.

GVNTHERVS, Geronis Comitis Brenenſis tertius filius, Vdoni Comiti Turingiæ, duodecimo Præſuli Citienſi, cum è profectione rediens Ieroſolymitanâ, naufragio interiit, ſucceſſor datus; inſignia & baculum accipit ab Hardingo Antiſtite Magdeburgio, ſupra milleſimum anno ſeptuageſimo no-
1079. no. Sedem tenuit, cum laude integritatis & iuſtitiæ, annos nouem. In Annalibus Præſulum eius loci, hic planè omiſſus eſt. Sed cum VDO ſtatim ſucceſſorem non haberet: & dignitates Eccleſiaſticæ, non iuſtâ electione, ſed auctoritate Imperatorum tribuerétur: intercedere aliquod ſpacium turbulentâ illâ tempeſtate potuit, propter fratres Guntheri.

Hic Ecberto Marchioni Turingiæ & Miſniæ à factione Imperatoris per fraudem excepto & occiſo, ſepulchri locum in templo Numburgano negauit: ne Pontificis, qui ei ſacris interdixerat; neuè Imperatoris, qui intercipiendum & tollendum curârat, diras atque odium in ſe concitaret. Poſtea tamen locus ei conceſſus eſt, propter fundatoris propinquitatem: nam Echardus, qui rebellis Henrico II. fuit, id templum condidit, & in eodem ſtatuam habet: & Ecbertus, qui Henrico IIII. inimicus,

Iſen-

Iſenburgi interfectus eſt, ibidem conditur. Geroni ſuccedit Vigmarus, ſororis Conradi Miſnenſis Marchionis, filius, primum præpoſitus Halberſtadius, tum præſul Citienſis, ad extremum Antiſtes Magdeburgius. *Marchiones Miſniæ.*

CONRADVS II.

CONRADVS Burggrauius Vitini, quintus Diterici II. Marchionis Lansbergi, filius, duxit OCHTILDIM, ſororem Diterici Comitis Catenelenburgi: ex eâ genuit BERTRADAM, nuptam Beringero Comiti Sangerhuſio in Turingiâ, qui arcem Hoeſteinum extruxit; fraterque fuit Ludouici, cognomento Barbati, primi Comitis Turingiæ.

RIDACHVS.

RIDACHVS ſextus Diterici II. Marchionis Lansbergi filius, ſine liberis flore ætatis primæuo moritur.

THIMO.

THIMO tertius Diterici II. filius: ideo loco extremo ponitur, quia ab eo, vt dixi, ſtirps iſta illuſtris propagatur. Vxorem duxit VDAM Othonis Ducis Bauariæ exulis, & Comitis Northemij filiam, vt Gozecenſes teſtantur Annales: vel Othonis Marchionis Stadenſis, vt noſtri: cum his in Saxonia ſuâ facit Crancius, & monumenta cœnobij Oldeslebiani, quod Vdæ ſoror Alheidis, Ludouici Salij Comitis Turingiæ ſecundi, vxor fundauit. In alterutro autem errorem eſſe, neceſſe eſt. Genuit ex Vda DEDONEM & Conradum filios: & filiam MATHILDIM, nuptam Geroni Scheuerenſi, Comiti Bauarico, vel (vt Sarctorius) Palatino Seburgio: matrem VVIGMANI Antiſtitis Magdeburgij, & BERTHOLDI Præſulis Citienſis.

THIMO patre defuncto, vt Annales Miſnenſes produnt, ſub maternâ tutelâ educatur. Mos erat Paſchalibus ſecundis, quibus Chriſti in vitam reditus celebratur, certis diſcurſibus atq; cantilenis, in agris ſegetes luſtrare. Accidit fortè, vt adoleſcens quidam nobilis, celeritate curſus Thimonem præueniens; colaphum ei per luſum & laſciuiam infringeret: eâ de cauſâ matri queſtus, iubetur animo æquo tolerare iniuriam; ſe autem paraturam ipſi velociorem equum recipit, ne poſthac ab aliquo præteriretur.

Inſequente anno, cum ſimiles diſcurſiones fierent: THIMO contu-

Marchionis dignitas. contumeliæ memor, dum ſuperare velocitate illum ipſum adoleſcentem contẽdit, circumſpectâ occaſione gladio ipſum transfigit. Matris itaque hortatu, ne propter familiares & propinquos adoleſcentis occiſi, in diſcrimen vitę veniret, mittitur in aulam Henrici III. Imp. apud quem liberaliter habitus, talia virtutis documenta dedit, vt breui tempore aulæ eius præfectus fieret: & in bellis etiam legati officio fungeretur.

Subit me admiratio in hiſtoriis, quæ tempore Henrici IIII. ſcriptæ ſunt, omiſſum planè Thimonis nomen eſſe. Nam cùm tota Saxonia armis affligeretur, de hoc nulla mentio: & vtrum Imperatoris, an aliorum Saxonum partes ſit ſecutus, ignoratur: cum tamen fratris ipſius Dedonis contra Imperatorem apparatus, & filiorum ex Gerone fratre, contra eundem res memorabiles, literis ſint mandatæ. Sed coniectura eſt Imperatori magis fuiſſe addictum, propter ſocerum ſuum OTHONEM: qui ſecundas ab Imperatore in regno Germanico tum tenebat.

Ecberto Marchioni Miſnenſe in molendino quodam in Turingiâ interfecto, cùm careret hæredibus; Imp. prouinciam eius THIMONI promittit propter virtutem & merita. Declaratus igitur Marchio Miſnenſis, lætitiâ perfunditur: cumque gratum Imperatori, pro tanto beneficio, animum oſtendere pararet, & ab exercitu quoque laudem conſequi: oppugnationem arcis cuiusdam nimis vrget: cumque ex eâ eruptionem præſidiarij facerent, inter primos pugnat acerrimè: in quo conflictu cæſus occubuit. Thimonis interitus. Filij licet ius poſſeſsionis tenerent: tamen poſt patris ſubitum interitum, ad eam non admiſsi ſunt; donec Lotharius Imp. eſſet creatus, vt mox dicetur. Cœnobium Numicenſe non procul à Bitterfeldo inchoat: quod VDA vxor perfecit: idque à
1036. Conrado Magdeburgio antiſtite, ſupra centeſimum trigeſimo ſexto anno conſecratur: in quo etiam loco tumulati ſunt. Vxor priore marito defuncto, aliis nuptiis operam dedit, nubens Ludouico Bauariæ Comiti, patri Ludouici Abbatis Mersburgij.

DEDO VI.

DEDO, primus Thimonis Marchionis Miſnenſis filius, vxorem ducit BERTHAM Viperti Oſterlandiæ Marchionis, & Comitis Groizenſis, & Adelheidis Brabantinæ filiam: ex quâ genuit MECHTILDIM, nuptam Comiti Rabadoni, præfecto Pabebergio; quem aduocatum nominant Annales, & voctum lingua appellat vernacula Anno Chriſti ſupra milleſimum cen-
1124. teſimum vigeſimoquarto inchoauit diui Petri templum in Lau-

terbergo

terbergo prope Halim Saxonicam: quod Conradus frater eius poſtea perfecit atque ornauit. Coniugem ſuam ob diſcordiam inter eos ortam, propter templi eius dedicationem, vt ſcribunt Annales noſtri, vt alij, propter ſuſpicionem repudiauit: quæ eidem à Rochardo Magdeburgio, & ab Arnoldo Præſule Mersburgio reconciliatur honeſtis rationibus. Suſcipiens profectionem in Syriæ Palæſtinam religionis ergô, obiit in itinere, vt nonnulli tradunt: ſed annales Lauterbergij & Veterocellenſes, domi mortuum teſtantur, ſtatim poſt reditum. Antequàm ex patriâ abiret, fratri ædificationem templi Petrini commendauit. Vxor poſt obitum templum Scolenſe condidit; cui partem bonorum addixit: & abbati Pegano ſubiecit: reliquam partem Dedoni Marchioni, Conradi filio, quem adoptauerat, teſtamento legauit: moritur hæc XVII. Cal. Iunij, poſt mariti obitum anno decimo quinto; iuxta eius latus condita in Lauterbergo.

Marchiones Miſniæ.

1135.

1150.

CONRADVS III. MARCHIO MISNIÆ.

CONRADVS alter Thimonis filius, quem triplici cognomento ornatum inuenio: Locupletis, propter terrarum amplitudinem: Magni, propter res in Aſiâ & aliis regnis externis geſtas: Pij, quòd ſacro ordini domi initiatus ſit: vir certè magnificus, & laude ſingulari digniſsimus: imperium tenuit à Niſâ fluuio Luſatiæ, vſque ad Salam, Turingiæ terminum. Marchio vocatus Luſatiæ, Miſniæ, Oſterlandiæ, Lansbergi, Burggrauius Zorbecæ: Comes Vitini, Leiſnicij, Brenæ, Ileburgi, Groizæ & Rochlicij. Vxorem habuit LVTGARDIM Alberti, Sueui nobiliſsimi (vt Conradus presbyter Lauterbergius ſcribit) filiam: genuit ex eâ filios ſeptem, HENRICVM I. OTHONEM, DITERICVM, DEDONEM, HENRICVM II. FRIDERICVM, & qui omiſſus in Annalibus omnibus noſtris eſt, HERMANVM, Præſulem Pauepergium: filias ſex, AGNETEM, Quedilnburgiam, ODAM & BERTHAM, Sacerdotes Gerbſtetenſes: GERDRVDIM, nuptam Hermano Comiti Palatino Rheni, quæ defuncto marito vidua vixit, & diui Theodori monaſterium condidit Pauepergæ; in quo vixit annos duos & viginti, obiit anno ſupra milleſimum centeſimum ſeptuageſimo ſeptimo: ADELAM primis nuptiis datam Suenoni Danorum Regi, ex quâ genuit Lutgardim, nuptam Bertholdo Marchioni Bauariæ: ſed horum matrimonium propter crimen adulterii diſſoluitur à

Matrimonium & liberi Conradi.

1177.

Marchiones Miſniæ. Præſulibus, quamuis genuiſſent Popponem, factum Patteper-genſem præpoſitum, & Bertham Gerbſtetenſem ſacerdotem maximam: interfecto à Danis Suenone in patriam reuocata vidua, ſecundis nuptiis locatur Alberto Comiti, Alberti Marchionis Brandeburgij filio: ex quâ genuit Gerdrudim, datam vxorem Vualthero Comiti Arnſtenio: Adela ſepulta eſt in Leuthenſi cœnobio. SOPHIAM nuptam Gebhardo Bauariæ Comiti, filio ſororis Lotharij Imperatoris.

Cœnobium Lauterbergium. CONRADVS ditione fratris, qui ſine hærede diſceſſerat, omni potitur: & ex ipſius teſtamento cœnobium Lauterbergium (montis Sereni nominant) quod nunc diui Petri appellatur, ſedulò & religioſè perficit: multaque ei prædia partim de ſuis bonis, partim ab vxore LVTGARDI comparata addicit: deinde Lubichini & Oſtræ Eccleſias fundat.

Cum Henrico agnato ſuo, Luſatiæ & Ileburgi Comite, quod infeliciter pugnauerit, & cuſtodiæ duriſsimæ quaſi mancipatus fuerit, ſupra exponebamus. Liberatus autem eſt, anno ſu-
1127. pra milleſimum centeſimum vigeſimo ſeptimo. Inde ad Lotha-
Conradus fit Marchio Luſatiæ. rium Imp. ſubitò profectus, rogatu Rigiſæ cognatæ ſuæ, vxoris Imperatoris, & Henrici modò dicti obtinet ditionem: Luſatiam videlicet, & Ileburgum, & prouinciæ Miſnenſis, quæ patri eius donata fuerat, plenam conſequitur poteſtatem.

Conradi controuerſia cum Alberto Brandeburgio. Propter Luderum Lauterbergi Præpoſitum, fuit inter ipſum & generum grauis controuerſia. Luderum enim, gentilem ſuum, Albertus Brandeburgius defendebat: quem Conradus repudiabat, veritus ne priuatâ aliquâ cupiditate ſuis obſtaret conatibus, qui omnes in augendo illo templo ornandoque conſummebantur. Dolebat Albertus indignam de ſe ſuoque cliente ſuſpicionem concipi: ideo etiam ſocerum non verebatur in amici ſui causâ offendere. Quamuis autem propè exaggerata eſſet causâ diſcordiæ: tamen vtriusque æquitate & bonitate ſimultas deponitur: ardens enim pietatis ſtudium Albertus animaduertebat in ſocero: idque mitigabat eius dolorem: & Conradus cernens nulla impediri in re propoſitum ſuum, generum viciſsim amabat. Vterque oſtendens, quàm ſit pernicioſum, ſuſpicionibus indulgere; quæ ſunt alimenta alienationis inter propinquos & amicos.

1136. Anno ſupra milleſimum centeſimum trigeſimo ſexto pri-
Conradus Oſterlandiã accipit. die Calend. Ianuarij, obiit Moguntiæ in publicis Comitiis HENRICVS Oſterlandiæ Marchio, & Burggrauius Magdeburgius:

Viper-

Viperti viri illius bellicoſi filius: cuius prouinciam Lotharius etiam Conrado, & eius poſteris aſſignat, præfecturam autem Magdeburgiam BVRCHARDO, Conradi Antiſtitis fratri: qui Gebhardi Comitis Querfurdij filij erant, patris Lotharij fratres, inquam, patrueles: non Lotharij nepotes, vt Antiſtitum Magdeburgiorum annales indicant; quorum ſcriptor, gradus conſanguinitatis plerunque confundit. *Marchionis Miſniæ.*

Poſt Lotharij mortem Conradus II. Imp. creatur, anno ſupra millefimum centeſimum, quadrageſimo tertio: cui hic quoque Princeps Miſnenſis, virtutis & integritatis nomine, probatiſſimus fuit: eique Comitatum Rochlicium hæreditarium aſſignauit. 1143. *Conradus conſequitur Comitatum Rochlicium.*

Monumenta Lauterbergiana & annales Conradi Presbyteri teſtantur, hunc Marchionem in Palæſtinam bis iuiſſe: primùm anno ſupra milleſimum centeſimum trigeſimo quinto, religionis gratiâ: iterum ſexto & quadrageſimo, militatum cum Conrado; cùm vrbs antiquiſſima Damaſcus eſt expugnata. In hac expeditione dum abeſt peregrè: vxor eius XIII. Cal. Iulij moritur; quæ poſt venæ ſectionem in Meinherum Lauterbergi Præpoſitum iracundiâ exardeſcens, ſubitum in morbum incidit; quo paulo pòſt extinguitur, in cœnobio Gerbſtetenſe, cum ibi inuiſeret duas natu maiores filias, virgines Sacerdotes. Iuſſu autem Hoieri Comitis Mansfeldij, cui abſens ſummam poteſtatem Princeps dederat, eodem in loco ſepelitur. Interea maritus è Syriâ rediens, in Bauariâ fit de morte vxoris certior: nec non de ſepulturæ loco, & de Hoieri facto cognoſcit. Id animo acerbo ferens, adacturum, ſe comitem iurauit, vt ſuis eam manibus è terrâ effoderet, quod iam pridem alium ſibi ſuisq; ſepulchri locum delegiſſet, cuius comes ignarus non erat. Percepta autem Principis indignatione, cadauer clàm effodiendum curat; & Vitinum, quò erat venire iuſſus, ſecum deportat, & Principem humilitate & lenitate placidum reddit, virum alioquin clementiſſimum. Cadauer Principe proſequente in Lauterbergum defertur: & tumulo ad id parato, reconditur, quo in loco in hunc vſq; diem quieſcit. Is tumulus, aliis de cœlo tactis, noſtro tempore refectus eſt Auguſti Electoris mandato. *Conradi iter Palæſtinū.* 1135. 1146. *Vx. Conradi mors & ſepultura.*

Excitatur eodem anno inter Duces Poloniæ bellum, nam VLADISLAVS, Imperatoris affinis, per vim translato in ſe dominatu tres fratres ſuos paternâ priuare poſſeſsione conatur; qui à Poſnaniâ, quam Ruſsicis obſederat auxiliis, non ſine ſuorum clade pulſus, à fratribus pacem cum iis iureiurando ſancit: cuius *Bellum Polonicum.*

Marchiones Miſniæ. religionem cùm violaſſet; locus, in quo iurauerat, ſanguine manauit, vt annales habent Lauterbergi. Cromerus hanc rem narrat aliter: ego noſtra recenſeo.

Poſt multas igitur iniurias fratribus illatas, armis eijcitur: vxor & filij eius tres Cracouiæ capti, mutare ſolum pariter iubentur. Rex ad Conradum Imperatorem affinem confugiens ei perſuadet; vt in Poloniam ducat exercitum. Fratres Vladislai pro ſua libertate pugnantes, Imperatorem in finibus adoriuntur; & ſeſe fortiter defendunt. Eandem expeditionem poſtea renouat Fridericus Barbaroſſa, in qua illa cauſa ſæpius agitata, tandem Marchionum Alberti Brandeburgij, & Conradi Miſnenſis componitur prudentiâ, & Boleslai, qui regnum fraternum tenebat, humanitate & liberalitate. Fratres alteri duo BOLESLAVS & MIZESLAVS Imperatori ſupplices efficiunt, vt poſſeſſio paterna eis confirmetur: qui HENRICVM fratrem natu minimum ad tempus dans obſidem Vladislaus partem Sileſiæ recipit: vxor Chriſtina Imp. Henrici IV. filia, Polonis omnibus inviſa, vrbe Oldenburgo Holſatiæ, quæ alio nomine Stargardum dicitur, in exilio conſeneſcit, & ibidem cum marito ſepulta perhibetur.

1147. Chriſtianorum tres expeditiones. Helmoldus Lubecenſis Presbyter ſcribit, vno anno, nempe ſupra milleſimum centeſimum quadrageſimo ſeptimo, expeditiones tres contra Chriſtiani nominis hoſtes decretas fuiſſe: vnâ in Syriam, alteram in Hiſpaniam, vtranque contra Saracenos, vniuerſo orbi terrarum formidabiles: tertiam in Sclauoniam côtra Obetritas & Lutitios, vt eos aut ad religionem Chriſtianam adducerent, aut gentes barbaras & impias funditus extirparent.

Syriaca expeditio Chriſtianorum. In Syriacâ expeditione fuerunt Conradus Imperator, Ludouicus Rex Franciæ, Fridericus Dux Sueuiæ, qui poſtea imperauit, Henricus Dux Bauariæ & Elector Saxoniæ, cognomento Niger; ſed hi ab Emanuele Conſtantinopolitano & Græcis decepti, maximos perdiderunt exercitus: tantâ etiam penuriâ preſſus miles eſt, vt fame & ſiti tabidus, incurſantibus barbaris, vltrò ceruices feriendas præberet.

Hiſpanica. In Hiſpanicâ militarunt Ericus Rex Daniæ, Henricus frater Ducis Poloniæ, Albertus Antiſtes Bremenſis, & Ditmarus Verdenſis Præſul, Conradus Dux Burgundiæ, præterea nauales copiæ Colonienſium, Flandrorum, Auglorum; qui vrbem Luſitaniæ Vlyſsibonam, poſt longam obſidionem expugnant: traditam Regi Galitiæ, eum obſtringunt, vt nominis Chriſtiani hoſtibus fideliter reſiſtat.

In

In expeditione Vandalicâ fuerunt Antiſtes Fridericus Magdeburgius, Præſules Albero Hamburgius, Vuigmanus Numburganus, Rodolphus Halberſtadius, Vuernerus Monaſterienſis, Reinardus Mersburgius, Vuicerus Brandeburgius, Anſelmus Hauelburgius, Henricus Olomucenſis, Vuiboldus abbas Corbeienſis. Duces verò & Principes Henricus Saxoniæ, qui poſtea Leo nominatus eſt, Conradus Zaringius, Conradus Marchio Miſnenſis, Albertus Marchio Solduedelius, Fridericus Sommerſeburgius Saxoniæ Palatinus, Hermanus frater eius. Nicloti autem Ducis Slauici virtus & celeritas effecit, vt noſtri rem infectam relinquerent: priùs enim finitum ab eo bellum, quàm à noſtris illatum eſt.

Marchiones Miſniæ. Vandalica expeditio.

Illis expeditionibus ſatis edocemur, religionem non plantari aut propagari armis, ſed prædicatione verbi Dei: neque exercitibus armatis adduci homines ad cognitionem Dei, ſed ductu Spiritus ſancti: quod quidem Præſules vnâ militantes docere debuerant Principes; niſi ipſi imperitâ multitudine imperitiores tum fuiſſent.

Conradus Marchio religionis cupidus, rediens domum, & Eccleſiæ Numicenſis detrimentum cernens, & Lauterbergi reditus amplificare cupiens: miſsis Anſelmo Præſule Hauelburgio, Gerardo Præpoſito Magdeburgio, ad Pontificem Eugenium legatis, impetrat; vt reditibus in Lauterbergum translatis, è duabus ſocietatibus vna fieret.

Conradi munificentia.

Iisdem propè temporibus de Daniæ regno tres competitores diſceptabant ſummis opibus; cumque Canutus & Vualdemarus ſe coniungerent; Suenonem è Selandiâ vi eiiciunt: is in Saxoniam diuertens, à Conrado excipitur hoſpitio; manſitque annis ferè duobus apud ſocerum: qui ei aliorum Saxonum ſtudia & gratiam ad recuperandum regnum colligit; qui tandem ab Henrico Saxoniæ Electore regiam poteſtatem recepit.

Bellum Danicum.

Conradus cum ætate confectâ, & fortunis floreret, & numero liberorum abundaret; vt inter poſteros litium atque diſcordiarum quaſi ſegetem euelleret, quæ vitia ex cupiditate plerunque naſcuntur & emergunt; diſtribuere in filios ditionem ampliſsimam ſtatuit. Adhibito itaque incolumi valetudine & conſilio maturo Vuigmano Antiſtite Magdeburgio, ſororis ſuæ filio, & Alberto Marchione Brandeburgio genero; conſentientibus filiis, & ordinibus omnibus comprobantibus, Othonem Marchionem Miſnenſem facit, Ditericum Luſatiæ & Ileburgi: Dedonem Comitem Rochlicij, Henricum Vitini, Fridericum Brenæ.

Conradus ſuam ditionem inter filios diſtribuit.

Marchiones Luſatiæ & Lansbergi. Natu maiori patrocinium Eccleſiæ à ſe fundatæ committit; ſancitque vt is in poſterum meliorem ditionis partem obtineat. His omnibus ex arbitrio diſpoſitis, arma & inſignia equeſtria in templo Miſnenſe deponit: inde Lauterbergum profectus, veſtem ſacram induit, pridie Cal. Decembris: vitam inde poſt dies quinque & menſes duos finiens, Nonis Februarij anno ſupra milleſimum centeſimo quinquageſimo ſexto, ætatis ſexageſimo nono. *Conradi mors.* 1156. Sepelitur ibidem in templi medio à Vuigmano Magdeburgio, & Vualone Hauelburgio: ad dexterum eius latus LVTGARDIS vxor; ad ſiniſtrum MECHTILDIS ſoror eſt depoſita. Filios deinceps eius recenſebimus & eorum proſapiam omnem, quæ diu non durauit: poſtea veniemus ad Othonem natu maiorem, qui eſt ſtirpis propago diuturnior atque felicior.

HENRICVS III.

HENRICVS primus Marchionis Conradi filius, primus etiam huius nominis, obiit annis puericiæ.

DITERICVS MARCHIO LVSATIÆ.

DITERICVS Marchionis Conradi Magni tertius filius, Marchio Luſatiæ & Ileburgi. Luſatiam cùm nomino; non locum intelligo ad Albim, in quo Fribergum conditum eſt: neque Luſatiam ſuperiorem, per quam fertur Sueuus fluuius: ſed eam, quæ nunc inferior dicitur, quam Sclauis eripuit Lotharius Imp. & huius Diterici patri dedit: poſteà ſuâ pecuniâ redemerunt Fridericus I. & Henricus VI. Imperatores. Ea ad Regem Boemiæ pertinet, tanquam Electoris poſſeſsio: cuius vrbs primaria Luca, aliquando etiam ſub noſtrorum Principum ditione, vt & vrbes aliquæ Luſatiæ ſuperioris: hæ poſtea propter ciuilia bella rurſus ſunt noſtris ereptæ.

Diterici vxores & liberi. Hic DITERICVS vxores duas habuit: Primam DOBROGNEVAM Meſeconis Poloniæ Ducis ſororem: huic nomen in Germaniâ impoſitum eſt LVTGARDI, quia alterum auribus noſtrorum inſolens eſt. Genuit ex ea CONRADVM filium & GERDRVDIM Gerbſtetenſem Sacerdotem: Alteram CVNEGVNDIM, Bernardi Comitis Placenſis viduam; ex quâ genuit DITERICVM Præſulem Mersburgium. Vixit cum Polonicâ non ſine controuerſiâ: & diuortium faciens, in clauſtro ſacro [illegible] permi-

permiſit eam tempus ætatis tranſigere: alteram, quam nominaui ſuperinduxit; quæ res multarum diſcordiarum cauſa extitit. *Marchionis Luſatiæ & Lansbergi.*

Carus hic Princeps erat Friderico Barbaroſſæ Imperatori. Hic enim, cùm proficiſceretur Venetias; & cum Alexandro III. Pontifice Romano tranſigeret, & gratiam ab eo impetraret; in ſuo comitatu hunc Marchionem habuit. Inprimis autem Vuigmanus Antiſtes Magdeburgius, Imperatoris animum ad eam manſuetudinem traduxit: vt cauſa conſequendi veniam, & ab anathemate liberandi, ad pedes Pontificis ſeſe abiiceret; ne alicuius belli nefarij & continentis in toto imperio flammam ſuſcitaret: quod quidem Imperator fortiſsimus, & amore religionis atque concordiæ flagrans, facere non detrectat. Verùm cùm Pontifex faſtu magno, & indignâ homine Chriſtiano arrogantiâ, per præconem Imperatori conuitium faceret: eumque ad pedes diutius iacentem, ſubleuari non iuberet: tunc Ditericus, Cur (inquit) ſummâ poteſtate à Deo tibi tributâ, cur Germaniæ liberæ patriæ tuæ, hanc inuri notam ſuſtines? quin humo protinus ſurge, & tuâ auctoritate, aut noſtrâ operâ vtere. Sublato ob hunc ſermonem inter familiares Imperatoris fremitu, Pontifex linguæ ignarus, quid iratus barbarus dixerit, interrogat. Quod cum illi eſſet expoſitum: ne quis tumultus ſubitus oriretur, Pontifex non moratus amplius, eueſtigio Imperatorem ſubleuat, & ad oſculum de more admittit. Hoc è Conrado Lauterbergio refero, quod actum eſt IX. Cal. Auguſti, anno ſupra milleſimum 1177. centeſimum ſeptuageſimo ſeptimo. Eberus & diem & annum alium ponit; ſed ego Annales ſequor.

Motus dehinc nouos ciens in Germaniâ Henricus Elector Saxoniæ, cognomento Leo; iuſtas ob cauſas, & plurimorum querelas comitiis Vurciburgiis proſcribitur; qui ſeſe vlciſci cupiens, Diterici prouinciam Tranſalbinam milite Sclauico ingreſſus, ad oppidum vſque Gubenam, omnem agrum vaſtat & diſsipat. Præfecti Diterici illi euntes obuiàm, quidam capti, quidam interfecti ſunt; & in his præcipui nominis Ditericus Beiersdorfius, qui valebat apud Marchionem propter perſpectam fidem atque virtutem plurimùm. Dolore incenſus Ditericus ob datum ſibi ſuoq; populo damnum Leonem Saxonem ad ſingulare certamen prouocat: ſed nihil penſi habens, ſimulque Imperatorem, & Principes aduerſarios contemnens, ferro graſſari & incendiis pergit: non ſolùm in Luſatiâ, ſed in Miſniâ *Henrici Leonis proſcriptio.*

Marchionis Luſatiæ & Lansbergi. etiam & Turingiâ: idque perpetrabat violentius, vel vt hoſtes protereret, vel vt aliorum interceſsione in gratiam Imperatoris admitteretur.

1183. Anno ſuprà milleſimum centeſimum octuageſimo tertio, alia indicuntur comitia Moguntiam: vt Imp. Principum voluntate Henrico filio habenas Imperij traderet; quò cùm acceſsiſſet Ditericus, in morbum incidit; qui cum inualeſceret magis, delatus in Lauterbergum V. Idus Februar. vitam cum morte commutat. Aedificat hic Princeps Lansbergam arcem & Tſchildam oppidum. Dobriluchæ monaſterij in Luſatiâ fundamenta iacit; vt in annalibus Lauterbergiis & Veterocellenſibus legitur, præterea diui Thomæ cœnobium Lipſiæ extruit, & addit conuentum canonicorum. Sepeliri in Lauterbergo voluit; idque vt fieret, liberis mandata pater reliquerat: conditus ibidem iuxta vtranque vxorem: priori enim, cui libellum repudij miſerat, ignouit.

Mors Diterici.

CONRADVS.

CONRADVS, Marchionis Diterici primus filius, è DABROGNEVA Polonicâ. Eius ditionem cum Volradus Guiezius coactâ agreſtium Tranſuonenſium manu inuaſiſſet; villasque ſpoliaret: Conradus cum Friderico patruo illi occurrit, vt agricolas defenderet. Multis igitur vulneratis atque captis, in fugam reliquos conijciunt XV. Cal. Februarij. Erant illis temporibus in omnium Principum aulis, admodum vſitati ludi equeſtres; quibus armati galeâ, thorace, & brachialibus, appenſoque clypeo, lanceis acutiſsimis ſolerent concurrere. Cùm autem vno anno interiiſſent, in noſtrorum Principum aulis, eo ludicri certaminis genere, nobiles ſedecim: Vuigmanus antiſtes ſacris eccleſiaſticis interdixit, & templorum ſepulchrorumque vſu priuauit omnes; qui aut concurrerent, aut concurrendi locum præberent. Conradus iuuenili cupiditate legi iniquus; virtutis oſtendendæ gratia, in Auſtriam proficiſcitur: ſed proſequente ipſum pœnâ diuina, XV. Cal. Decembris, anno ſupra milleſimum centeſimũ
1176. ſeptuageſimo ſexto, haſtæ ictu, Viennæ transfoditur. Delatus in patriam ingenti ſuorum luctu eſt: qui eum mandare terræ propter interdictum prohibebantur. Pater cum fratribus quatuor, Antiſtitem agnatum Halæ in templo adiens, filio veniam & tumulum ſupplex petit. Cum autem è vulnere debilitatum, & adhuc ſpirantem, doluiſſe ipſum & gratiam delicti obſecraſſe,

Sacer-

Sacerdos quidam, qui morituro affuerat, ſanctè affirmaret: vo- *Marchiones Luſatiæ.*
tumque feciſſe, ſi ſupereſſet, ordini Cruceſignatorum, qui contra paganos illo tempore pugnabat, ipſum ſe fuiſſe addicturum diceret: propinqui eius precibus impetrant id, quod pro mortuo rogabant: ſed eâ conditione, vt ad tumulum occiſi iureiurando promitterent, ſe viuis nemini ex nobilitate permiſſurum, vt eo exercitio vteretur, neque ſe vſuros eſſe. Quod cùm vnanimes feciſſent: præſenti caſu territi, miſſus ad pontificem legatus eſt: qui auctoritate supremâ ſententiam Antiſtitis confirmaret: adoleſcens autem ſepulturâ, vſque ad eius reditum caruit: quæ ante templi fores, non in templo ei eſt conceſſa. Vuernerus honeſto loco natus, qui Romá nomine ſui domini iuerat, eâdem de cauſâ iter in Palæſtinam ſuſcipit; & poſt obitum ad latus Principis, cui fideliſsimè inſeruierat, in Lauterbergo ſepelitur.

DITERICVS PRAESVL.

DITERICVS Marchionis Diterici ſecundus filius, è Cunigunde Plocenſe genitus, Eberhardo Præſuli Merſburgio ſuccedit. Frater eius, quoniam vxori viuenti aliam ſuperinduxerat, & ipſe è legitimæ thoro natus non putaretur, multâ difficultate eam dignitatem obtinuit: ſed quia ſpectata fuerat viri ſimplicitas atque bonitas (nam eiuſdem collegij Sacerdos erat) electus tandem confirmatusque eſt: præfuit magnâ laude prudentiæ & liberalitatis ſedi ſuæ, annos vndecim menſes tres, delatus ad maio- 1184.
rum ſepulchra, in Lauterbergum, ſupra annum milleſimum centeſimum, octuageſimo quarto. Pater eius ditionem Groizenſem ſupra Mildam fluuium ipſi matrique eius Cunigundi dederat vtendam: mortuâ autem matre & filio, partem vnam Otho Marchio Miſnenſis alteram, Dedo Comes Oſterlandiæ accepit: à Dedone ad Conradum eius filium, & ab hoc ad Ditericum Sommerſeburgium, Comitem Saxoniæ Palatinum, tandem peruenit.

DEDO COGNOMENTO CRASSVS, COMES ROCHLICII.

DEDO Conradi Magni primi Marchionis Miſnenſis quartus filius, Comes Rochlicius, vxorem duxit MATHILDIM Goſuini Comitis Humelbergij filiam, Philippi Antiſtitis Colonienſis ſororem: ex quâ genuit filios quinque, DITERICVM, PHILIPPVM, GOSVINVM, HENRICVM, CONRADVM: & vnam filiam, fœminam prudenté & eximiam AGNETEM.

Hæc

Comites Rochlicij. Hæc fuit nupta Bertholdo Duci Meraniæ, & Marchioni Iſtriæ: fuitque diuæ Elizabethæ Turingiæ auia; Bertholdi patriarchæ Aquileienſis, & Echardi Præſulis Pauepergenſis, qui Ruperto ſucceſsit, mater: & nouerca Othonis, eiuſdem vrbis Præſulis nati ex alterâ Bertholdi vxore. Dedo poſt obitum Diterici fratris, prouinciam Oſterlandiam à Barbaroſsâ Imperatore redimit duobus millibus & ſeptingentis pondo argenti: Zillenam mo-
1074. naſterium condit anno ſupra milleſimum ſeptuageſimo quarto, in quo tantùm genere & ortu nobiles educari voluit: verùm cùm diſciplina laxaretur, eò tandem proceſſerunt inſolentiæ atque proteruiæ: vt quendam Præpoſitum ſuum, moribus illorum laſciuis & illiberalibus aduerſantem, membris truncarent, & in profluentem coniicerent: vndè locus in Muldâ, gurges præpoſiti in hunc diem nominatur: Priori (ita ſecundum à Præpoſito vocant) malleo ferreo frangerent cranium. Factum igitur eſt vt canonicis expulſis in eorum locum Teutonici Ordinis milites ſubſtituerentur. Cùm Henricus Imperator Barbaroſſæ filius, ducendæ vxoris causâ iturus eſſet in Apuliam: DEDO eum ſequi iuſſus eſt: qui cùm & itineris longinquitatem, & aeris intemperiem conſideraret: homo craſsi & obæſi corporis, aruinam medico ſecandam præbuit: ſed poſt illam ſectionem non diu ſuper-
1190. vixit. Obiit XVII. Cal. Sept. anno ſupra milleſimum centeſimum nonageſimo. Sepelitur Zillenæ cum vxore MECHTILDI: quæ proximo ante ipſum anno fatis conceſſerat XIII. Cal. Februarij.

DITERICVS.

DITERICVS primus Dedonis Marchionis Rochlicij filius, vxorem ducit MECHTILDIM Ludouici primi Landgrauij Thuringiæ filiam: ex quâ genuit AGNETEM, Duci Brunſuicenſi nuptam. Ditericus duos comitatus à Lothario Imp. adipiſcitur: Groizenſem ad Eliſtrum in Oſterlandiâ; & in Saxoniâ Sommerſeburgium; quatuor à Magdeburgo milliaribus ſitum. Geſsit etiam titulum Palatinatus Saxoniæ, quem tum Groizæ poſſeſſor, hæreditate obtinebat. Nuptias Conradi fratris ſui filiæ, quam Albertus Elector Brandeburgius ducebat, Groizæ
1205. celebrat, magnis ſumptibus atque honorifico apparatu, anno ſupra milleſimum ducenteſimum quinto. Committitur ei à Philippo Imperatore præfectura Pegana: ſed cùm Abbate Siffrido è Rechinâ familiâ, magnæ exiſtimationis viro, cupidè nimis de iure contendit: cumq; Abbas ingenij præcipitis, non abſtineret à conui-

conuicio, & virum Principem apoſtatam nominaret, qui à religioſo ordine defeciſſet: indignatus Princeps cœnobium inuadit, & Rechinum captum mandat cuſtodiæ; & tandem etiam è cœnobio expellit. Is Bernardi Saxoniæ hoſpitio eſt vſus: interea tamen equitatu Saxonico rapinas fecit, nec ſuos eſſe deſertos patiebatur Ditericus: ſed Electoris prudentiâ vtrinque negotium componitur: & transacto anni ſpacio, dignitatem abbas recipit. Nimium autem in bona Eccleſiaſtica intentum hunc Ditericum fuiſſe, cùm hæc controuerſia probat, tùm factum illud indicat. Vlricus Vitini Comes, Diterici patruelis, adhuc viuens, Heduigi vxori & filio ſuo, ducenta argenti pondo in Lauterbergo depoſuerat: hanc pecuniam nomine tutelæ Ditericus abrepturus à Rodolpho Prępoſito, qui alium in locum præmonitus transtulerat, impeditur. Viatico autem egebat iturus Vurtiburgum, quò eum Philippus Imp. euocauerat. Cùm autem excuſsis omnibus ſacrarij arculis, nihil inueniret, iamiam abituro, à Sacerdote quodam muneribus corrupto, locus demonſtratur theſauri reconditi: quem ille ſecum deportans, iter ad comitia ingreditur: ſed nondum peracto duorum menſium ſpacio, in morbum incidens, moritur idibus Iunij, anno ſupra milleſimum du- 1207. centeſimum ſeptimo: Zillenæ ad latus patris ſui tumulatus nullo hærede poſt ſe relicto.

Comites Rochlicij.

PHILIPPVS.

PHILIPPVS ſecundus Dedonis Comitis Rochlicij filius, in Galliâ adoleſcens literis operam Pariſiis dedit: cumque valeret ingenio, factus eſt Præpoſitus Zantenſis, & præfectus ordinis Teutonici diui Ioannis.

GOSVINVS: HENRICVS.

GOSVINVS Dedonis Rochlicij tertius, & HENRICVS quartus eiuſdem filius, primæ ætatis annis è viuis tolluntur.

CONRADVS.

CONRAdus, Dedonis Comitis Rochlicij quintus filius, Canonicus Magdeburgius, etiã in Galliâ Pariſiis eſt, cũ fratre inſtitutus. Orto ibidem inter ſtudioſos, & ciues tumultu, euolare geſtien vt ſtudioſum ſociis opem ferret, à magiſtro prohibetur: miniſtros igitur armatos iubet accurrere: qui cum cædẽ eius iuſſu feciſſent, ratus id ſibi impedimento fore, ad honores maiores aſſequẽdos, ſacerdotiis omnibus renunciat: & in patriam rediẽs,

vxorem

Comites Rochlicij. vxorem ducit ELIZABETAM, Meſeconis Ducis Poloniæ, filiam, Ladislai ſororem, Sobislai Boemi viduam. Ex eâ genuit CONRADVM; & duas filias, MECHTILDIM nuptam Alberto Electori Brandeburgio, quam Ditericus, vt dixi, frater eius elocauit: AGNETEM, Henrico Palatino Rheni, Othonis IIII. Imperatoris fratri.

Conradus literis & prudentiâ clarus, cum Diterico Præſule Mersburgio, patruele ſuo, legatione fungitur pro Rege Philippo
1201. ad Innocentium III. Pontificem Romanum, anno primo ſupra milleſimum ducenteſimum: nam is Philippo iniquus, de transferendo in alium Imperio cogitabat; & Othonem adiuuabat Saxonem. Interceſsit Conrado quoque cum Sifrido, abbate Pegano, familiaritas.

Poſt patris mortem, eius cœnobij patrocinium, Imperatorio permiſſu ſuſcipit: quem cùm apoſtatam nominaſſet Abbas; vehementer irritatus viri fortis eſt animus; nec deſtitiſſet hominis ſuperbi importunitatem & conuicium vindicare, niſi eum retraxiſſet pietas, nam abbas pro Conrado, Conradi ipſius filio, ſpoponderat in baptiſmo. Fuiſſe autem impatientem iniuriæ, teſtimonio eſt bellum cum Ladislao affine, Duce Poloniæ ſuſceptum. (Conradi bellum cum Polonis.) nam cùm iniquè ſecum ageret, conuentiſque non ſtaret; claram inprimis eius vrbem Lebuſam obſidione cingit: quem inde fugare Dux ſatagens, magnas copias ſubitò educit: & Conrado, vt ad prælium altero die committendum accingatur, hoſtiliter denunciat: nimirum ſecurum eum reddere cupiens, quẽ ipsâ illâ nocte decreuerat opprimere: eaque de causâ copias omnes trans Viadrum traduxerat. Vnus verò è præfectis Polonicis, quos Supanos & Staros nominant, Ducem admonet: ne tempus pugnæ ſtatutum præueniat: neque fraude potius agere velit, quàm virtute: victoriam quidem omnem eſſe optandam, ſed expetendam tantummodò eam, quæ honeſtam afferat gloriam: ſe eſſe Germanis animo parem, numero militum multò ſuperiorem. Hunc Dux factus iratior, ignauiæ arguere, & datæ fidei admonere incipiebat; & mox aduerſa hoſtibus Germanis ſigna inferre. Cui ille: Ego quidem, Princeps, tuo mandato obtemperabo, & hoſtes adoriar: ſed hoc certò ſcio, me patriam iam poſtremum vidiſſe, præſagiebat enim animus viro prudenti & bono, perfidiam non fore impunem. Ducebant ſecum Poloni mulierem maleficam, quæ è motu cribri vaticinari ſolebat: quod cribrum aquæ plenum & inde nihil effluens, oſtentabat; & militi præcinebat victoriam, quem quô magis animaret, ſuo ipſius periculo

riculo neglecto, neſcio quid verborum murmurans, ante aciem exultantis habitu, incedebat. Conradus, quem conſiliorum hoſtilium nihil latebat, ordinibus ſuis diſpoſitis, tacitè procedit obuiam: & cùm ad pugnam, inopinantibus Polonis, paratus adeſſet: eueſtigiò eos in fugam coniicit. Malefica prima occiditur, quæ ceteris animos addiderat: Supanus, qui Ducem admonuerat, cum ſuâ cohorte fortiter pugnans, oppetit. In fugâ multi cæſi ſunt, multi in paludibus & flumine perierunt. Ladislaus neque cohortandi ſuos, neq; ſe colligendi animum habens; hoſti relinquit victoriam: & niſi noctis tempus præſidio fuiſſet fugientibus, magis reliquiſſet cruentam. Lebuſani auditâ clade Ducis ſui, minùs acriter propugnant: quorum oppidum, cum Conradus cepiſſet: præfectos Polonos omnes laqueis ſtrangulari imperat. *Conradi mors.*

Conradi VVratisl.

Conradi virtus eſſe cœperat admirationi: ſed præuentus morte, augere ſui famam nominis non potuit: obiit autem pridie Nonas Maij, anno ſupra milleſimum ducenteſimo decimo: ſepultus Zillenæ iuxta parentum, & fratrum trium, & vxoris ſuæ monumenta. Vxor autem eius ſuperiore tantùm anno obierat IV. Non. Aprilis. 1210.

CONRADVS.

CONRADVS, Conradi Comitis Rochlicij vnicus filius, in flore ætatis obiit. Ditionem eius DITERICVS, Othonis Marchionis Miſnenſis filius, decem millibus pondo argenti, ab Othone IV. Imperatore redimit: cùm autem ſemitertiam partem initio perſoluiſſet, reliquam ei remittit. Dedonis igitur Magni filij proſapia in nepote extinguitur.

HENRICVS, COMES VITINI.

HENRICVS, Conradi Magni, Marchionis Miſnenſis tertij, quintus filius, Burggrauius Vitini & Zorbecæ. Vxor eius SOPHIA, vt Annales Lauterbergij, Leopoldi VI. Ducis Auſtriæ filia: vt Chronicum Neuſtadianum, & liber de vitâ diuæ Elizabetæ, Saxoniæ Palatini filia. Quòd ſi vera tradunt, eam ante Sophiam duxerit, neceſſe eſt. Cum Auſtriaca nuptias celebrauit Medlingi, in quarum ſolennitate ſponſæ frater Henricus, cognomento Sæuus, thori genialis gaudia perturbat: in lecto nudos aggreditur: neque ſurgere permittit, donec promiſiſſent, ſe ab eo dotem & ornamenta non petituros. Quod quamuis nouum Miſnenſibus & indignum, qui nuptiis intererant, videretur: tamen ſi ſalui redire domum vellent, coacti ſunt eius poſtulatis

Conitor VVelbini. iniquis annuere. De iniuriâ deinceps conqueruntur Friderico II. Imperatori: qui inter cæteras accuſationes, quæ cumulabantur in Auſtriacum, etiam hanc nõ intermittit in literis ad Premiſlaũ Regem Boemiæ ſcriptis: quas Petrus Vinea libro tertio ſuarum epiſtolarum inſeruit. Ex eâ genuit HENRICVM, CONRADVM, VLRICVM, filios: & SOPHIAM filiam, nuptam Burchardo Comiti Querfordio & Burggrauio Magdeburgio.

Erat Echardo, Lauterbergi Præpoſito, grauis Henricus: quâ quidem re ita fratrem Othonem, Miſniæ Marchionem offendit, vt ei in itinere collocaret inſidias: & niſi præmonitus fuiſſet, captum mandaſſet cuſtodiæ: erat enim conſeruandorum augendorumque prouentuum, quos frater minuebat, cura atque munus à Conrado Magno Marchione, natu maiori filio, teſtamento paterno iniunctum. Vipertus Groizenſis, multarum iniuriarum memor, quas à Miſnenſibus accepiſſe ſe exiſtimabat, in agrum Belgranum irruit; villas vaſtat: & prædâ multâ oneratus ad ſua turſus properat: quâ iniuriâ & fugâ ad ſe delatâ, Henricus ſubitò colligit, qui eum inſequantur: cuius ſignifer cum hoſtes in viâ feſtinando aſſecutus eſſet, manum committit: ſed ab Hartuigo, Viperti præfecto, haſtâ traiicitur: cæteri milites in oppidum fugere compelluntur. Viperti igitur milites, & prædâ ſunt & victoria potiti, præter omnium expectationem.

1181. Triennio poſt hoc damnum ſuis illatum, Henricus vitam finit, ſupra milleſimum centeſimum anno octuageſimo primo, III. Calen. Septembris: terræ mandatur in Lauterbergo, ad latus patris ſiniſtrum. Viduá eius SOPHIAM duxit Hermanus Landgrauius Turingiæ: ex qua genuit Iuttam, propter oculorum vicium, cognomento Lippam: nuptam Diterico Marchioni Miſniæ & Oſterlandiæ, vt in fine huius libri dicetur.

HENRICVS.

HENRICVS, Henrici Burggrauij Vitini, primus filius, obiit annis adoleſcentiæ in arce Gibichſtenâ V. Idus Ianuarij 1187. ſupra annum milleſimum centeſimum octuageſimo ſeptimo. Conditur in Lauterbergo.

CONRADVS.

CONRADVS Henrici Burggrauij Vitini tertius filius, itidem annis puericiæ obiit.

VLRI-

VLRICVS.

VLRICVS, Henrici Burggrauij Vitini tertius filius, vxorem duxit HEDVIGIM, Bernardi Ducis Saxoniæ ex Anhaltinâ familiâ primi Electoris, filiam: ex quâ genuit HENRICVM. Vlricus anno ſupra milleſimum ducenteſimum quarto bellum 1204. geſsit cum Henrico Comite Anhaltino; ſed cum eo pugnauit infeliciter, tempus notatum eſt in Chronicis Brunſuicenſibus; ſed non expreſſa belli cauſa eſt. Altero poſt anno in Hali Saxonicâ occiſi Iudæi ſunt, & eorum direpta bona, ibi ingens calix aureus 1205. vnà periit, qui à Lauterbergi Præpoſito nomine Principis erat oppigneratus: ob cuius recompenſationem ius, quod in molentino Torgano habuit, Præpoſito conceſsit. Anno ſexto laborans dyſenteriâ, Vitini obiit IV. Cal. Octobris: conditur ad maiorum tumulos in Lauterbergo.

Comites Brenæ.

HENRICVS VII.

HENRICVS, Vlrici Burggrauij Vitini filius vnicus, obiit anno ætatis duodecimo, nati Chriſti ſupra milleſimum ducen- 1216. teſimum decimo ſexto, die VIII. Cal. Aprilis. In Lauterbergo ſiniſtræ patris ſui appoſitus. In hoc igitur ſtirps Burggrauiorum concidit, & ad propinquos eſt translata.

FRIDERICVS COMES BRENAE.

FRIDERICVS, Conradi Magni Marchionis Miſnenſis, ſextus filius, Comes Brenæ, duxit vxorem HEDVIGIM Dipoldi Ducis Boemi filiam, qui Othogari patruus erat: è quâ nullam ipſum ſuſcepiſſe prolem, non rectè ſcribit Lazius: genuit enim ex ea OTHONEM & FRIDERICVM filios, & filiam SOPHIAM, fortem & prudentem fœminam: quæ anno ſupra milleſi- 1203. mum ducenteſimum tertio Sacerdos maxima facta ſocietatis Quedilnburgiæ eſt: cui cùm annum vnum & viginti præfuiſſet, dignitate ſuâ priuata, in ordinem redigitur. Accuſabatur enim quod receptum præberet nobilibus quibuſdam rapto viuentibus: deinde quòd inclementiùs tractaſſet ciues ſuos, quorum aliqui in carcere perierint: præterea quòd gubernaret indecorè, moribusq; malis viueret. Hanc ad conuentum Northuſanum euocat Henricus Imperatoris filius, patre Friderico II. tum temporis bellum in Siciliâ gerente. Ipſa ſcripto excuſat ſe, vel quòd cauſæ ſuæ non planè fideret; vel quòd potentiam aduerſariorum timeret, quorum principes erant Henricus Comes Aſcanienſis Bernardi Ducis filius, & Hoierus Comes Falchenſtenius. Ad obiecta

Sophiæ Abbatiſſæ Quedilnburgiâ accuſatio.

Comites Brenæ. tamen ita reſpondet, ſe neque receptum prębuiſſe latronibus, neque in ciues fuiſſe crudelem: ſed adductâ Falchenſtenij minis & iniuriâ, turres mœniaq; extruxiſſe; & iis defenſionis gratiâ impoſuiſſe clientes & fidos homines: ciues verò factioſos, & ſuſpectos, ne Falchenſtenio oppidum proderent, & portas aperirent, ſe caſtigauiſſe carcere; & à contumacibus abduxiſſe obſides. Quod ad gubernationem pertineret, ſe declarare factio, aliter rem habere: nam pro fortunis pugnare fœminam, non eſſe negligentiæ aut ignauiæ indicium: ſumptus verò non neceſſarios fieri; id aduerſariis, non ſibi imputandum. Suos verò mores carpi ab iniquis atq; hoſtibus; id more fieri, vt calumniis petant innocentes, qui iure aut æquitate ſuperare & conuincere nequeant. Excuſatio abſentis non valuit: & maximè ipſam grauabant parentes obſidum, quorum quidā invinculis obierant: qui querelis omnia replebant, tum quod muliebri ſuperbiâ venire ad comitia recuſauerat. Igitur damnatæ à Principibus, dignitas ſuprema ex mandato Pontificis adimitur: caueturq; ne aut in hâc, aut in vllâ aliâ ſocietate religioſâ, in poſterum ſimili honore vteretur. Vix ipſa cœnobio exierat, ex quo excluſa erat; cùm oppidum Quedilnburgum Falchenſtenius occupat: & Sophiæ cauſam ſuâ fuiſſe iuſtiorem, facti inſolentia oſtendit: ea enim antiſtita & præſide, potiri oppido nunquam potuerat. SOPHIA magno mulier animo, rurſus in gratiam poſita eſt ab Irene Conſtantinopolitanâ, Philippi Imperatoris vxore: vt in Annalibus Antiſtitum Magdeburgiorum legitur: cum cauſſam eius defenderent Antiſtes Magdeburgius, Præſules, Hildeſchemius, & Mersburgius: à quibus reducitur Quedilnburgum altero exilij anno, cum magno honore & gratulatione ciuium, qui tum demum ſapientiores damno facti, quo animo erga ipſorum Rempublicam patrona virgo fuiſſet ſentiebant.

Sophiæ restitutio.

Friderici mors.

1081. FRIDERICVS obiit pridiè Non. Ianuarij, anno ſupra milleſimum octuageſimo primo; quo eodem HENRICVS frater eius vitâ defunctus eſt. Sepelitur in Lauterbergo. Vxor eius vidua viuit annos vnum de triginta: quæ filiæ direxit conſilia, & ei patronos peperit; obit XI. Cal. Martij, ſepulta in templo Brenenſe, quod ipſa extruxerat, & in quo inter puellas virgineōs cſenuerat.

OTHO.

OTHO Friderici Brenæ Comitis primus filius, indolis generoſæ adoleſcens: cuius documenta tum dedit, cùm Innocentius III. Pontifex Philippum Imperatorē exauctorauit; & Imperij inſignia Othoni IV. Saxonum Duci, per Cardinalem legatum

 ſuum

ſuum Coloniæ obtulit, qui legatus cùm Ludolphum Antiſtitem Magdeburgium, reluctantē ad noui Regis electi partes pertrahere ſtatuiſſet: collectâ Boëmorum Turingiorumque multitudine, adiunctis etiam Philippi Imperatoris copiis, caſtra inter Merſburgum & Halim figit: tantumque terrorem duorũ menſium excurſionibus Magdeburgenſibus incutit; vt ſuas fortunas cũ vxoribus & liberis trans Albim transportarent: quia tutos à direptione non videbant, & ipſi quoque vrbi metuebant. Cardinalis copiæ amnem Vonam die quodam prædabundæ tranſeunt: quas captatâ occaſione, Otho propè Lansbergam excipit, & quadringentos ex iis homines occidit: inter quos cùm tribunus quidam primi nominis occubuiſſet; Cardinalis rem infectam relinquens, Magdeburgium, quem ferro non poterat, anathemate ferit: conuicio inſuper addito, quòd eſſet ſenex barbarus & delirus. Othoni à vicinis gratulationes factæ, quod eius virtute hoſtes territi, pedem retuliſſent: ſed præclarus adoleſcens eodem anno obiit X. Calen. Ianuarij, anno ſupra milleſimum ducenteſimum tertio. Exequias ei mater fecit; inque templo Brenenſe filium iuxta patrem condidit. 1203.

Comitis Brenæ.

FRIDERICVS.

FRIDERICVS Friderici II. Brenæ Comitis ſecundus filius, vxores duas habuit: Primam duxit anno ſupra milleſimũ centeſimum octuageſimo primo, Iutham videlicet Friderici Comitis Zigenhanij, Ludouici IV. Turingiæ Landgrauij fratris, filiam: ex eaque genuit OTHONEM & DITERICVM filios: itē EVGENIAM & HEDVIGIM filias: ſed hæ cælibes moriuntur. Alteram poſtea duxit AGNETEM, è familiâ Brandeburgiâ; cuius in noſtris ſcriptoribus omiſſa eſt mentio: è quâ vnicum genuit filium Henricum. 1181.

Incidit in eius tempora expeditio Syriaca, imperante Friderico II. ad quam cùm nobiliſsimi Principes ſeſe armarent; Fridericus virtutis auitæ haud immemor, ei militiæ nomen dat: & è Brenenſe & Oſterlandâ nobilitate ſecum ducit equites ſelectos. Cùm in Cyprum ventum eſſet: quamuis aduerſâ valetudine nonnihil laboraret; tamen vnà cum cæteris inde ſoluit Ptolemaidem: in cuius oppugnatione è vulnere accepto, febri corripitur: & cùm ſe Cruceſignatorum Ordini prius addixiſſet; vitæ mortalis finem clauſit, anno ſupra milleſimum ducenteſimum vigeſimo primo, XVII. Cal. Nouemb. 1221.

Comites Brenæ.

HENRICVS.

HENRICVS Friderici II. Brenæ Comitis ex vxore Brandeburgiâ filius, Canonicus Magdeburgius, de paternis bonis villam vendidit Alberto II. Præſuli Miſnenſi, ſupra milleſimum
1264. ducenteſimum ſexageſimo quarto, vt in monumentis Miſnenſium Præſulum legitur.

O T H O.

OTHO Friderici II. Brenæ Comitis è Turingicâ vxore primus filius, patrocinium Lauterbergi in viciniâ ſuſcepit: obitque antequam vxorem duceret, anno ſupra milleſimum ducen-
1223. teſimum vigeſimo tertio.

DITERICVS I.

DITERICVS Friderici II. Brenæ Comitis ſecundus filius. Eum duos reliquiſſe filios è monumentis Præſulum Miſnenſium appâret: qui eos nominibus ponunt DITERICVM & ALBERTVM: vxoris tamen nomen aut familia non extat.

DITERICVS II.

DITERICVS Diterici ſecundi filius primus, Ordinis Templariorum factus ſocius, aui imitatione.

ALBERTVS.

ALBERTVS, Diterici II. alter filius, nomen vxoris huius etiam non reperi, filium genuit CONRADVM, quem monumenta Præſulum Miſnenſium ponunt: in quibus etiam legitur, aduocationē, vt vocant, templi Mogellani reſignauiſſe Vuitigo-
1278. ni Præſuli Miſnenſi, anno ſupra milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimo octauo.

CONRADVS.

CONRADVS Alberti filius, vxorem habuit nobilem ELIZABETAM, Alberti I. Saxoniæ Electoris è ſtirpe Anhaltinâ filiam: hæc ei peperit vnicum filium OTHONEM, qui adoleſcens è viuis tollitur, nec diu pater ipſi ſuperſtes manet.

O T H O.

OTHO Conradi filius, vltimus Comes Brenenſis. Igitur mater eius, etiam marito defuncto, Comitatum gubernauit: tandemque eum donauit, Rodolphi Imperatoris conſenſu, Duci Rodolpho, fratris ſui Alberti II. filio, itidem Electori: idque
1290. factum eſt anno ſupra milleſimum ducenteſimum nonageſimo, quod

quod è monumentis Anhaltinis didicimus. Conditi ſunt AL-BERTVS, CONRADVS, OTHO, in cœnobio Brenenſe, quod Elizabeth ædificauerat. Igitur poſteritas Friderici Comitis Brenenſis, in atnepote, hoc eſt, ſextâ lineâ deſiit: ditio quibus auctoribus aut temporibus redempta, ad noſtrorum Principum maiores redierit, proditum literis non me legere memini. *Marchiones Miſniæ.*

HERMANVS PRÆSVL.

HERMANVS Conradi Magni, Marchionis Miſnenſis, filius ſeptimus, quem cæteri Chronici omnes, excepto Conrado Lauterbergio, omittunt: nec ego affirmare poſſum, quo numero locouè inter fratres ſit ponendus, ideo huc in extremo collocaui. Hic fundator fuit cœnobij Munchenrodij in diœceſi Vurciburgiâ, anno ſupra milleſimum centeſimum ſexageſimo octauo. 1168. Factus è canonico Pauebergenſi eiusdem ſedis Præſul, dignitatem illam tenuit non vltra annos quinque: obiit pridiè Idus Iunij, anno ſupra milleſimum centeſimum ſeptuageſimo ſeptimo: 1177. quo ſoror eius itidem moritur GERDRVDIS, quæ extruxit Pauebergæ, diui Theodori cœnobium. Teſtantur annales Lauterbergij eum paterno funeri interfuiſſe: & in catalogo Præſulum Pauebergenſiũ, vt è Saxonicâ oriundum familiâ refertur. Nunc ad ſecundum Conradi Magni Marchionis Miſnenſis filium Othonem eſt veniendum, ſtirpis huius illuſtris & inclytæ propaginem.

OTHO.

OTHO, Conradi Magni Marchionis Miſnenſis ſecundus filius, Diues appellatus, propter metalla, quæ ductu ipſius effoſſa ſunt in locis Miſniæ montanis, ſupra flumen Muldam: patre adhuc viuente principatum geſſit Miſnenſem: & citatur teſtis in quodam diplomate, quod Lotharius Imperator ſcribendum curauit Buchſtadhuſiæ, continente ditionem in Saxoniâ cœnobij Vuildershuſij. Vxor eius HEDVIGIS, Alberti Electoris Brandeburgij filia: quæ peperit ALBERTVM & DITERICVM; item SOPHIAM & ADELAM. SOPHIA primùm nupta fuit VLRICO Duci Boemiæ; ex quo genuit Agnetem Gerbſtetenſem Sacerdotem: deinde Burggrauio Ratisbonenſi. ADELA nupta PREMISLAO Boemiæ Regi; quam, vt Cellenſes annales tradunt, ipſe repudiauit prætextu propinquitatis; cùm ex eâ genuiſſet VRATISLAVM & filias tres, vnam nuptam Regi Daniæ, alteram Henrico Comiti Orteburgio, tertiam Sacerdotem maximam Gerenrhodenſem, quæ inter diuas ibidem fuit numerata. *Othonis coniugium & liberi.*

Marchiones Miſniæ. Dubrauius Olomucenſis longè ſcribit aliter: qui ait, diuortium illud factum, prætextu ſterilitatis; cùm reuerâ ideò affinitatē dirimeret, quòd Marchio Miſnenſis Ditericus, vxoris ſuæ frater, partes Regis Philippi Sueui ſequeretur; & Premiſlaus Othonis IV. Saxonis, qui inuicem de Imperio contendebant: Boemus autem ita pertinaciter defendebat Othonem, vt à milite Germanico Othogarus (Odoacer malè ſcribunt alij) quaſi Othicus totus, nomine ipſius proprio mutato, diceretur: quod in poſterum populares quoque eius Boemi ſunt ſecuti. Adeò autem addictus ei totus erat, vt aduerſarij loco haberet, quisquis Othoni contradiceret: etiam vxorem odiſſet, ne illa fratrum animos fortaſsè incitaret, qui contra ipſum arma tum gerebant. Illâ igitur repudiatâ, duxit CONSTANTIAM Regis Vngariæ Belæ III. filiam; ex quâ, Dubrauio teſte, VENCESLAVM, cui puero adhuc Cunegundis Philippi Regis filia ſit collocata, quod ſcribere eum miror: Filias tres, vnam nuptam Vlrico Duci Carinthiæ, alteram Henrico duci Vratislauiæ, tertiam Agnetem Sacerdotem Pragenſem. Sed nunc extra rem: paulò autem poſt viciſsim attingemus hanc hiſtoriam.

1171. *Argenti fodinæ Friberg enſes.* Othonis Marchionis temporibus anno ſupra milleſimum centeſimum ſeptuageſimo primo, argenti metalla in Miſniâ fodi cœperunt, prope pagum Luſuitium, & alterum, qui à Chriſtiano quodam nomen habuit: eſtque locus ille poſt ſuſcitata ibidē vrbis fundamenta, Fribergum, quaſi liberum metallum appellatus. Primi ea foderunt Saxones, qui è Cellerueldo & Goslariâ eò migrauerant. nam cum auriga ſalem in Boemiam deportans, lapidem argenti & plumbi fertilem, in illis montibus caſu reperiſſet, eum domi monſtrauit: qui cùm argenti feraciſsimus in exploratione inueniretur: opum cupiditate allecti, metallici Cellerueldij & Goslarienſes, confertim ſe ad radices montium Suditarum conferre, in viſcera terræ ire, copioſum fructum è metallis capere. Principis in hoſpites erat inſignis munificentia: quâ effectum eſt, vt plures indies confluerent. Venæ multæ apertæ, excultæque ſunt: pleræque ſpem ampliſsimarum diuitiarum præbuerunt. Condita & ampliata & ornata metallorum diuturno prouentu vrbs Fribergum eſt, hodiè præclara & lauta: & ex eâ deinceps quaſi coloniæ eductæ plurimæ: quas alio loco enumerauimus. Mœnibus circumdata ſunt Lipſia in Miſniâ, & Iſenbergum in Turingiâ: alia inde oppida facta auctiora & pulchriora.

Con-

Condidit idem Princeps in valle ſilueſtri ad Muldam flu- *Marchiones*
men, monaſterium Cellenſe, Ciſtercienſis ſocietatis, anno ſupra *Miſniæ.*
milleſimum centeſimum ſexageſimo quarto: ad eius diœceſin 1164.
cùm pagi quidam, in quibus metalla foderentur, pertinerent: eos cum oppido Ruſpâ permutauit, & abbati Henrico tradidit. Ideo autem intra ſeptimum annum tam copioſis metallis ditatum Principem ferunt: quod animo erga religionem ſtudioſo & liberali templum tantum ædificauerat; tantos ſumptus ad propaganda ſtudia & diſciplinam conſtituendam tam ampliter fecerat.

Perturbabat eius dominatu Germaniam & inprimis Saxoniam HENRICVS Dux Bauariæ & Saxoniæ, cognomento LEO quem Imperator proſcripſerat: OTHO Marchio Vlricum Præſulem Halberſtadium, ad defenſionem ſui & verbis extruentem præſidium adiuuabat; cui Præſuli præ aliis omnibus Henricus vehementiſsimè iraſcebatur. Contra eundem Henricum etiam militabat, cùm Lubeca vrbs maritima eſſet obſeſſa; & ad Imperium à Friderico Barbaroſſa adiuncta. Haldeslebia eſt vrbs, inter Viadrum amnem & Bineram fluuium ſita, in loco paludoſo: ſed palus ita ſub ceſpite latet, vt oculos fallat, & lubrica profunditate veſtigiis ſtatim cedat. Auxilio multorum Principum eam obſidebat Antiſtes Vuigmanus Magdeburgius: ſed maximas ex omnibus copias adduxerat Philippus Antiſtes Colonienſis, quatuor videlicet loricatorum millia: qui cum primas tenere in exercitu vellet: OTHO Marchio faſtum eius non ferens, è caſtris abit: quem alij Principes ſequuntur, fore ſuſpicantes, vt à Saxonibus ſuperbia Colonienſis caſtigaretur: ſed ille ipſum hoc veritus, paulò pòſt ſimili modo diſcedit. Oppidani propter diſceſſum Principum metuentes inſidias, auſi erumpere non ſunt: qui tamen mox Vuigmani ſtratagemate, aquarum immiſsione, domiti, & fortunas amiſerunt, & patriam. Domeſtico deinceps bello petitur Otho, à Ludouico III. Turingiæ Landgrauio: hic enim cum abundaret opibus, multas arces in Oſterlandiâ & Turingiâ, inſciente atque inuito Principe emebat: cumq; admonentem ſe Landgrauium non curaret: vtrinque incurſiones factæ ſunt, quibus alter læderet alterum: tandem victa patientia Landgrauij eſt, qui immiſſo equitatu Miſniam depopulatur, cui cùm occurreret minùs paratus Marchio; dimicatione factâ, in victoris poteſtatem venit: qui eum primùm Mersburgi in cuſtodiâ, tùm in arce Vartbergiâ tenuit captiuum.

Othonis res geſtæ in bellis.

Fride-

Marchionis Miſniæ. Fridericus Imperator aliquantò poſt, Fuldæ conuentus agebat, in quo de tranſactione actum eſt: Otho cum ſuâ nobilitate dimittitur; Langrauius pro caſtellis reſtituit pecuniam. Hæc facta compoſitio eſt circa annum ſupra milleſimum centeſimum octuageſimo tertio.

1183. *Otho capitur à filio Alberto.* Marchio quietè iam viuens, peractis ab illo tumultu annis quinque, grauiſsimâ contumeliâ ab Alberto filio afficitur: ab eoque captus in vinculis ferreis detinetur: cauſa in annalibus Lauterbergi exponitur eiuſmodi. Otho maiorem natu filium imperio poſt ſe deſtinat, & potiorem ditionis partem teſtamento legat: alteri certos reditus conſtituit, & Comitem Vueiſſenvelſij facit. Mater verò propenſiore in iuniorem animo, quòd alterius fortaſsè atrox & crudele ingenium perſpexerat, marito perſuadet, vt mutet voluntatem: qui obtemperans coniugis conſilio, dignitatem in natu minorem transfert. Quam rem cùm Alberto Bernardus Brandeburgius auunculus enunciaret: & ne quid eripi ſibi pateretur, inſtigaret: adoleſcens quæſitâ occaſione, patrem intercipit: & in caſtrum Dibenum, non procul à Grima, ducens (alii Dibenum intelligunt prope Ileburgum) primi ab eo teſtamenti exigit confirmationem; quod pater certis cauſis ſe non poſſe facere aſſeuerat. Adhibuit igitur, qui obſeruarēt ipſum, honeſtos cuſtodes; è quibus vnus fuit Conradus, Dedonis Comitis Rochlicij filius: vnde Dedonem Othonis fratrem, conſcium eius conſilij fuiſſe, ſuſpitio fuit. Imperator vt factum audiuit, animo iniquo fert Alberti violentiam; eique mandat, vt primo quoque tempore libertatem patri reddat: Othonem verò hortatur, vt dolore diſsimulato, redeat cum filio in gratiam. Omninò autem de Alberto impio publicè pœnam ſumpſiſſet, & patrē armis eripuiſſet; niſi fuiſſet difficilioribus Imperij negociis implicitus: filio tamen ſuo Henrico mandata relinquit, ne inultum patiatur ingratum adoleſcentis & contumax factum. Itaque pater dimittitur; quamuis eius theſauri, quos plurimos è metallis collegerat, iam diſsipati à filio & dilapidati eſſent.

Bellum inteſtinum Othonis, cum Alberto filio. Cum autem concordiam inter ſe & filium improbè & ſubdolè eſſe factam, Otho intelligeret; eam reſcindit, filiumque vlciſci ſtatuit: quamobrem cùm arma vtrinque gliſcerent, ditio vaſtata eſt, & præſertim Iſenbergia, & Lipſienſis ager. Otho quoq; Dux Boemiæ, Morauicum militem adducens, partem Miſniæ, quam ſibi Albertus vendicabat, depopulatur. Ita reliquus Othonis Marchionis theſaurus, quem vltra viginti millia pondo argenti æſtimabant, partim in domeſtica, partim in externa ſtipendia

pendia eſt conſumptus, vt in chronico Pegano annotatur. Agitatus autem à fratre, gubernationem minimè tranquillam habuit: & curis confectus obiit anno ſupra milleſimum centeſimũ octuageſimo nono, XII. Cal. Mart. in Colla Miſniæ, quam ipſe extruxerat, primus ſepultus: hoc enim templum, Lauterbergio, vbi Conradi patris monumentum erat, adhuc viuens prætulit, vxoris ſuaſu; quæ mirari ſe dixit, cur ei templo tantum honoris deferret, in quod filij ſui nullam eſſent habituri poteſtatem: quare auctor ei fuit, vt nouum in ſuâ ditione extrueret, in quo ius dominationis perpetuum obtineret: eaque occaſione cœnobium Cellenſe inchoatum eſt, de quo ſupra diximus.

Marchiones Miſniæ. 1189.

ALBERTVS.

ALBERTVS primus Othonis Marchionis filius, in patrem ingenij minimè humani, erga fratrem animi hoſtilis extitit. Vxor eius SOPHIA, Friderici Ducis Boëmiæ, Othogari fratris, filia: ex quâ genuit CHRISTINAM, Hermano Comiti Lodeburgio nuptam. De huius Principis infenſo erga patrem animo, dictum modò eſt; quem in adoleſcente feroce auxit Marchio Brandeburgius: in cuius etiam caſtro Dibeno, captum eum vltra menſes duodecim tenuit.

Cum pater eius duo millia pondo argenti in Cellâ, vel in Eccleſiæ pauperumque, vel in patriæ vſum depoſuiſſet; Albertus eam pecuniam vi poſtulare non dubitat: nec mirum, in defuncti patris theſauros inuolaſſe, qui antè viuentis diripuerat. Cœnobitæ cum reſiſtere ei non valerent, ipſam pecuniam aræ imponunt: ille religione loci nihil territus, depoſitum manu ſacrilegâ auertit.

Cùm autem cupiditatis eſſet infinitæ; patre defuncto, DITERICVM fratrem poſſeſsione agrorum & oppidorum, quæ communis ambobus erat, eijcit: partem ei prouentuum ex metallis nullam concedit: neue quid illi proprij relinqueret, quod ſolum ei relictum erat, oppidum etiam Vueiſenuelſum obſidet. Hæc cauſa Diterico fuit, vt externis ſeſe muniret auxiliis: qui Principem Turingiæ Hermanum, opis petendæ cauſâ adit, anno 1144. ſupra milleſimũ centeſimũ quadrageſimo quarto. Cùm ſibi nullam eſſe cauſam diceret Turingus, cur virum acrem & atrocem laceſſeret: Ditericus verò inſtando moleſtus eſſe non deſiſteret: iterum de ſuorum conſilio reſpondit, ſi gener fieri ſuus vellet, ſe habere cauſam iuſtam: hanc autem conditionem

Alberti bellum cum fratre parricidiale.

ferebat,

Marchiones Miſniæ. ferebat, quia filiæ maritum propter lippitudinem non facilè inuenturus videbatur. Ea conditio etſi grauis videbatur Diterico; tamen compulſus neceſsitate, ne frater ſibi omnia eriperet, oblatam conditionem, oblatumque auxilium accipit, non paruâ ſuâ felicitate. Auctus & affinitate & ſocietate Principis fortis & potentis; & coniugem nactus non quidem formoſam, ſed optimam ac pientiſsimam: in ſpem Ditericus erigitur ſua recuperandi. Nunciat ſubitò in caſtra Alberti Landgrauius, ſe cupere, vt cum fratre in gratiam redeat, & Vueiſenuelſo decedat: niſi fiat, ſe generum omnibus viribus defenſurum. Albertus ad tractandam cognoſcendamque cauſam, promittit aliquot dierum inducias: ſed cùm nullâ æquitate moueretur, nec à propoſito deſiſteret, Landgrauius vocatis ad arma mille & octingentis ciuibus; primùm à Vueiſenuelſo eum fugat: tum præſidium è Sibodenburgo, quod Albertus munierat, eijcit: captos milites iureiurando adigit, ne Alberto militent. Cum ſe manifeſtum hoſtem Landgrauius oſtenderet: Albertus eum calumniis apud Henricum VI. Imperatorem oppugnat: conductum videlicet à Principibus, eius tyrannidem exoſis, vt vitæ ipſius inſidietur: fidem accuſationi facit, ne quid ſceleris prætermitteret, iureiurando. Imperator eius rei causâ conuentum indicit Northuſam. Rumore facti tam inſoliti ad ſe delato, Landgrauius vehementer ſe excuſat: ſuamque innocentiam ſe morte teſtari velle profitetur: & Alberto duellum palàm denunciat. Hâc re intellectâ Imperator conuentum transfert in Miſniam Aldeburgum, tum temporis Imperiale ad amnem Pleiſſam oppidum: fore ſperans, vt ex alterutrius Principis damnatione, ipſe emolumentum caperet.

Admoniti per ſuos amicos ipſi Principes, ne vel ambo opprimerentur; vel alter certè aut vitæ aut conditionis iacturam faceret, inſciente Imperatore cauſam controuerſiæ tranſigunt: qui ſe eluſum ſentiens, peſsimè cogitabat: quod ſubodoratus Turingus, cum Duce Boemo & antiſtite Moguntino iungens amicitiam, apertè ſe hoſtem fatetur Imperatoris: hic vt eam ſocietatem dirimeret, fictam cum Landgrauio pacem facit; & in ipſum tacitè inſtigat Moguntinum: titulo autem Ducatus Boemum priuat. Interea, dum Landgrauium armis impetit Moguntinus: Albertus Vueiſenuelſum rurſus obſidet: & inde denuò fugatur atque reiicitur. Cùm ſolus videretur non poſſe reſiſtere Moguntini & Colonienſis Antiſtitum auxiliis, Imperatoris

toris beneficio ſibi adiunctis: vexandam illis proponit Heſsiam; ſibi inuadendam conſeruat Turingiam: coniunctæ enim tum temporis erant hæ prouinciæ, & ſub vnius Principis poteſtate. Landgrauius in omnia hoſtium conſilia intentus, non ignarus erat machinationum: itaque ſimulat iter in Heſsiam ad arcendos Antiſtites: noctuque id ingreſſus, Albertum ad Roueringum iuxta Salam caſtra habentem, & nihil timentem aduerſi, cum impetu adoritur: caſtra expugnat; militem impeditum ac trepidum in fugam coniicit: præcipuos de nobilitate capit. Albertus cum quatuor comitibus, equo vulnerato, vix euadit. Is Lauterbergum veniens, à Vualthero, eius loci Præpoſito, recreatur: ſumptoque Monachi habitu, ne agnitus in hoſtes incideret, Lipſiam contendit; vtque lateret magis, aliquanto viæ ſpacio Vualtherus ipſum proſequitur. Albertus nullâ aduersâ fortunâ abiectior factus, nec prælio infelici territus; bellum redintegrat: nec iam magis metuebat fratrem aut Landgrauiũ, quàm ipſum Imperatorem: qui iratus ei non obſcurum bellum moliebatur; prætextu quidem pietatis, vt impium in patrem filium puniret; & nunc in fratrem quoque iniurium caſtigaret: ſed magis mouebat ipſum vbertas & copia metallorum; vt ditione tum temporis opulentiſsimâ potiretur, diſsidentibus inter ſe fratribus: id enim poſtea certis indiciis eſt declaratum, cùm è viuis ſublato Alberto, etiam Diterico furtiuæ ſtruerentur inſidiæ.

Marchio in Miſnia.

Itaque Albertus potentiorem ſibi partem ratus placandam, trans Alpes Imperatorem adiens, eius gratiam atque beneuolentiam ſummiſsè quærit: ſed cum non modò ſpes recuperandæ gratiæ vlla ſeſe oſtenderet: verùm etiam periculum eſſet, ne captus in vincula conijceretur, & capitis pœnam ſubiret: relictis in caſtris Imperatoris omnibus ſuis comitibus; vnico tantùm fido homine aſſumpto, elabitur: & quanquam fuga propter Imperatoris inſidias, eſſet periculoſa & difficilis: tamen in patriam incolumis & ſaluus reuertitur.

Animo autem ſecum reputans, nullum facinus magnum fieri ſine periculo; etiam Imperatori, ſi ſit neceſſe, ſeſe opponere non veretur. Omnium igitur oppidorum arciumque munitionibus deſtructis, ne receptaculum hoſti relinqueret: tria tantùm, Lipſiam, Chamburgum, Miſnam, rebus ad durandam obſidionem, armiſque ad propugnandum neceſſariis inſtruit. Cladem autem ſuâ pertinaciâ his regionibus extremam attuliſſet,

Albertus molitur bellum contra Imp.

Marchiones Miſniæ. Alberti mors. niſi morte fuiſſet ereptus: quæ ei à Hugoldo quodam ipſius familiari eſt intentata: nam is venenum ipſi propinaſſe creditur: quod quidem ſingulari artificio paratum, ita omnes eius artus ac membra excruciauit; vt nec equo, nec curru vehi poſſet, etiam attrectantium manus non ferret: tanto inſuper putrefacti corporis fœtore omnes offenderet, vt amici & familiares pauci circum illum manerent. Cùm autem inualuiſſet vis morbi; Fribergo Miſnam deportari voluit: lecticæ impoſitus, cùm etiam minima iactatione doleret grauiſsimè, confecto vnius milliaris itinere, Heinrichsdorfi (quod nunc ſub Schonbergiorum ditione eſt) in casâ ruſticâ depoſitus, animam ægram exhalat
1195. VIII. Cal. Iulij, anno ſupra millesimum centeſimum nonageſimo quinto. Errant qui Lipſiæ defunctum ſcribunt, contra annales Lautebergios. Vxor eius trigeſimo pòſt die obiit, quam toxico ſimiliter periiſſe, fuit ſuſpicio. Conditus cum eâ eſt in Cellâ, quam eodem anno ſpoliauerat: ad libitinam, antequàm terra obrueretur, fœtoris gratiâ veſpillones cogere oportebat. Teſtantur annales, hoc violentæ pietatis paternæ & religionis templorum, ſupplicium fuiſſe.

DITERICVS MARCHIO.

DITERICVS Othonis Marchionis filius natu minor, Comes Vueiſenuelſij, vxorem duxit IVTTAM, oculis lippam, è primâ vxore Hermani Turingiæ Landgrauij, natu minorem filiam. Ditericum hunc non Othonis, ſed Alberti filium, neſcio quâ negligentiâ nominant quidã Annales Turingorum. Ex Iuttâ genuit filios quinq; DITERICVM, OTHONEM, CONRADVM, HENRICVM I. HENRICVM II. filias tres, IVTTAM, HEDVIGIM, & SOPHIAM: è filiis vltimus tantum ſuperſtes manſit: qui acceſsione Turingiæ auctus eſt, vt libro ſequente dicetur. nec è filiabus vlla ſuperſtes fuit: primæ nomen deſcriptum ex Originibus, alterius ex Annalibus Lauterbergiis, vltimæ, è monumentis Miſnenſibus. Fuit igitur in liberis infœlix: & in totâ vitâ agitatus aſtu, bellis, iniuria, perfidiâ, vexatione: è quibus omnibus mirabiliter eum eripuit Dominus, atque conſeruauit. Quàm beneuolo in hunc animo fuerint parentes, quàm fido & conſtanti ſocer: contra verò quàm tecto & iniquo Imperator, quàm hoſtili frater, quàm dubio & infideli familiares, partim dictum eſt, partim iam dicetur. Laborauit enim totâ vitâ tam externis, quàm domeſticis inſidiis: externas aut declinauit ſoletti prudentiâ, aut vicit magnificâ virtute: domeſticæ ei interitus tandem cauſa fuerunt.

A pa-

A parentibus ſucceſsioni deſtinatus, propter indolem liberalem, quam in Alberto degenerare animaduertebant; ſed poſt eorum obitum à fratre ita afflictus, vt præter Comitatum Vueiſenuelſij planè nihil retinuerit. Eo anno, quo frater veneno interiit, fortè abſens in Palæſtinâ erat; ſolebant enim homines illorum temporum religione, in Aſiam, in Hiſpaniam, aliaque loca (vt vocabant) ſancta, peregrinationes ſuſcipere. Itaque cùm de reditu cogitaret, & ad ſuos maturè peruenire optaret: inſidiis Imperatoris adeò preſſus eſt, vt nauem publicè ingredi non auſus fuerit: etenim pecuniâ conducti ſicarij erant, qui ipſum quoquo modo apud exteros opprimerent. nam venis Fribergiis, quæ tum erant fructuoſiſsimæ, Henricus VI. inhiabat: nec paruum afferre ad Imperium exiſtimabat momentum, poſſeſsionem terræ metallorum omnis generis, frugumque abundantiſſimam. Admonitu hominum fidorum vitæ ſuæ ſalutique proſpexit: & in vtrem incluſus, atque in nauim deportatus, donec in altum veheretur; manus & tela inſidiantium effugit: non ſolùm autem exteros omnes, verum etiam è ſuis aliquot habere ſuſpectos cogebatur. Miſniam tum temporis gubernabant præfecti Imperatoris, nec eam Princeps ſine vi integram obtinuiſſet.

Marchiones Miſniæ.

Diterico inſidiæ ſtructæ.

Commoda tum ei inprimis accidit mors Imperatoris in Siciliâ, & nouæ de Imperio in Germaniâ contentiones. Ditionem itaque paternam auitamque Ditericus, auxilio ſoceri, accipit ſine controuerſiâ, quam Imperator penè triennium tenuerat: eamque eò poſſedit quietiùs, quia in electionem Philippi Regis conſenſerat. Othoni autem Saxoni, Henrici Leonis filio, contra Philippum electo, adiutor fuit Hermanus Turingiæ Landgrauius. Ditericus ad retinenda ſua, quia videbat Philippi potentiam non eſſe contemnendam; ſoceri temeritatem ſequi noluit: ſed in Philippi amicitia conſtans permanſit.

Turingus vt ſua tueretur, Premiſlaum Regem Boemiæ ingentibus promiſsis ſolicitat: qui expugnari ſe paſſus, adeò factioni Othonianæ addictus fuit: vt & cognomen inde acciperet; & ADELAM Diterici Marchionis ſororem, quòd Philippi partium eſſe putaretur, repudiaret. Adela tamen animi minimè ſubmiſsi, tantâ ignominiâ affecta, Antiſtitem Pragenſem arbitrum legit: quem cùm acceſſura eſſet, vt ſuam illi cauſam exponeret, eiusque auctoritate maritum placaret, aut conſilio vteretur: ab Antiſtitis ſatellitibus, ne acceſſus pateret, bis

Adelæ exilium.

Marchiones Miſniæ. terve repellitur. nam metus ei à Rege iniectus erat, ſi ſuæ vxoris cauſæ ſe faceret participem. Quamobrem cum in Boemia, non modò iuris, ſed ne querelæ quidem locum inueniret: ad fratrem venit: cui & mariti, & Antiſtitis exponit iniuſtitiam: & quia auxiliis vndique deſtitueretur, ad Roman. Pontificem Innocentium III. prouocat. Cauſa per procuratorem Diterici Marchionis, ac nuncium Regis Boemorum, Romæ acta eſt: mandatumque Ludolpho Antiſtiti Magdeburgio, & Præpoſito Seburgio eſt; vt loco conſtituto, ſuper proceſſum Pragenſis Antiſtitis teſtes producerent; cuius rei mentio fit libro Decretalium ſecundo: ſed optimam matronam, nec ſua innocentia, nec Pontificis auctoritas ſubleuauit, quin in exilio moreretur, viuens inter moniales, quibus in vrbe Miſnâ frater domicilium conſtituere cœperat, in vico Vuaſſerburgio, prope diui Iacobi templum, vt in II. lib. Annalium vrbis Miſnæ latius exponitur.

Bellum Boemicum. Ditericus offenſus iniuriâ Regis barbarâ, & exercitu Othonis iam præſente, qui in Turingiam quatuordecim armatorum millia adduxerat, valde angebatur: ſed Philippus Rex, aduentu Othonis cognito, inter Erfurdiæ mœnia concedit: donec & ipſe iuſtum colligeret atque inſtrueret exercitum. Præter copias autem, quas ex Sueuis aliiſque populis ipſe conſcripſerat, Magdeburgius Antiſtes triginta millia adduxit: Ditericus Marchio Miſnenſis quatuor millia, cum equitibus mille & quingentis; Boemus tantam multitudinem collectam cernens, factis per caſtra multis incendiis, ne fuga ſentiretur, noctu abit; relictis impedimentis omnibus, ne quid celeritati obſtaret: cuius diſceſſus tum demum innotuit, cum iam ſupra octo milliaria confeciſſet. Noſtri cùm aſſequi tàm perniciter fugientem non poſſent, ſeſe continent. Turingus à Rege ſocio deſertus, gratiam Philippi implorans, recipitur: cuius temeritati liberaliter ignouit, auctore inprimis Diterico Marchione, genero ſuo. Compoſitis rebus Turingicis, & accepto Langrauij maiore filio Ludouico obſide, Imperator inde recedit: maximis eo bello incommodis affectæ ſunt vrbes, Smalchaldia & Sangerhuſa, quæ captæ ſpoliatæque ſunt: & Vueiſenſeha, quæ etiam obſeſſa, factum id eſt an-
1205. no ſupra milleſimum ducenteſimum quinto.

Ditericus iniuriæ non immemor, quam ei repudiatâ ſorore, optimâ fœminâ, intulerat Boemus; Ditbaldum quendam primæ nobilitatis inter ſuos iuuenem, & literarum non ignarum, blanditiis aggreſſus, ad ſpes maximas inuitat; eique

Princi-

Marchioni Miſniæ.

Principatum Boemiæ offert: mox acceſſum ad Philippum Imperatorem patefacit: & eò rem deducit, vt datis more vſitato, inſignibus atq; vexillis, Dux Boemiæ declararetur: quòd indignus regno ſit Othogarus. Dantur nouo Duci copiæ, quibus & Boemũ terreat, & poſſeſsionem traditam armis vſurpet. Contempſit præſe tyronis obſcuritatem Rex: qui ita ſuos in poteſtate habuit, vt nihil ſibi timendum à cupido adoleſcente, nouoq; homine exiſtimaret; nactusq; hoſtem ſe indignum, in eos impetũ conuertit, qui auctores temeritatis erant, in ipſum Imperatorem & Marchionem: cumq; paſsim incendiis ſæuiret atq; rapinis; tandem comitiis in Egra oppido habitis, Othogarus Philippo, Ditbaldus Othogaro reconciliatur: & controuerſia cum Marchione ſedatur placidis conditionibus. Philippi filia Cunegundis deſpondetur filio Othogari Venceslao: Ditbaldo iungitur Henrici Vratislauiæ Principis filia. ADELÆ nuptiis prætulerat Othogarus CONSTANTIAM, Belæ III. Regis Vngariæ filiam, Pontificis Romani permiſſu.

Ditericus ſuppetias fert Vernigeroda Comitibus contra Brunſuigium.

Tenebant tum arcem Leuchtebergiam Comitis Vuernigerodij fratres Hermanus & Henricus: eos cupiebat expellere Vilhelmus Dux Brunſuigius: ideo graui obſidione eam arcem cingit, vt aut armis expelleret, aut fame confectos adigeret ad deditionem. In tantis collocati anguſtiis, Hermanũ Turingiæ Landgrauium orant; ne deſertos ſe patiatur: ipſe vocato in auxilium genero Marchione Diterico, & Alberto Antiſtite Magdeburgio, currus frumẽto plenos adducit, & laborantibus offert auxilium: quod cùm fieri Brunſuigius intelligeret, ſe ad lenitatem dedit, & 1207.
conditiones accepit, anno ſupra milleſimum ducenteſimum ſeptimo, vt eſt in Annalibus Magdeburgiis.

Tertio anno poſt Ditericus à Bernardi auunculi ſui filiis,
Henrico Comite Aſcanienſe, & Alberto Duce diſſentit, quæ fa- 1210.
milia patri etiam eius fuerat aduerſata: ſed negotium ſine armis per amicos dirimitur.

Eodem anno pòſt obitum Conradi, ditionem eius redimit Ditericus decem millibus pondo argenti ab Othone IV. Imperatore; qui duabus partibus perſolutis, tertiam ei remittit.

Diterici aduerſitates & pericula.

Anno poſthæc quinto multa accidunt aduerſa Diterico, 1215.
Albertus Antiſtes Magdeburgius, qui ſocius ei fuerat, ſacris interdicit: propterea quòd Echardo Præſuli muros oppidi Merſburgi inſtauranti, grauis eſſet, & opus impediret. Marchio vt vlciſceretur Antiſtitem, Lópenam oppidum obſidet, ſed conatu irrito. Incidebat ſimultas alia cum Diterico Comite Summerſeburgio,

Marchiones Miſniæ.

propter Peganum cœnobium: cuius patrocinium cùm ſibi importunè & violenter vſurparet Comes; Sifridum Abbatem ab ipſo expulſum, & Berbini exulantem (quod Bernardi Electoris Saxonis oppidũ erat) Marchio reſtituit atq; defendit. Coniurauerãt in ipſum nonnuli è nobilitate, & aliquot è ciuibus Lipſienſibus: illi ferro eum tollere incautum deſtinabant. Datum negotium erat hominibus quibusdam, qui impietate & furore plus auderent: hi Iſenburgum accedentes Nonis Decembris (quibus etiam detecta Catilinæ coniuratio Romæ eſt) admitti nocte intempeſtâ, ſeriæ rei gratiâ poſtulant: non enim difficiles acceſſus ad ipſum erant: cumque pulſato cubiculi limine, iturus ad ipſos Princeps eſſet; per famulam quandam, facinoris conſciam, redire in conclaue, & ſuæ ſaluti proſpicere admonetur. Coniurati proditas eſſe inſidias ſuſpicati, quòd moram Princeps traheret, & aditus paſsim occludi viderent; tenebrarum beneficio euadũt. Socij ipſorum exiſtimantes peractum in Principe parricidium, primo diluculo Lipſiam veniunt: & de morte ipſius rumores diuulgant: ciuibus promittunt, ſe vrbem vxori Principis, & filio paruulo cuſtodituros: quo mendacio fidos quoque ciues, & rerũ malarum inſcios, fallere atque circumuenire cupiebant: donec quadringentorum equitum & multorum militum præſidium facinoroſi collegiſſent. Celari diutius res non potuit. nam cùm viuere Principem certò conſtaret, diuiduntur ſtudia partium: ſed manus coniuratorum iam inualuerat; & vulgus nouitatis ſtudioſum, à beneuolentiâ Principis ad partes aduerſarias ſubitò deducebatur.

Bellum Diterici contra Lipſienſes.

Duobus igitur annis Lipſienſes ſe à Marchione defendunt: & prædas agentes, finitimis ſunt moleſti: qui ſpoliari ſe ſuaq; diſsipari patiebantur, eos nudos dimittebant, aut captos expilabant: qui tela aut vim oſtenderent, eorum incendebant villas & domicilia. Agebatur interea de compoſitione ſæpius: ſed quidquid poſtulabant coniurati, id eis Princeps dare pro tempore cogebatur: minabantur enim ſe Lipſiam aut Antiſtiti Magdeburgio, aut Othoni IV. Regi Romanorum tradituros. Princeps in has anguſtias animi atque conſilii adductus, & aduerſantiũ multitudine quaſi circumuallatus; etiam Imperij rebus non ſatis tranquillis, cum nobilitate reconciliatur; promiſſaque ciuibus libertate & impunitate, Lipſiã recipit; qui tamen præſidium admittere ſunt coacti. Iniuriam Princeps diſsimulans, aſſumptaque nobiliũ & ciuium ſuſpectorum parte, in caſtra Friderici II. Imperatoris, cõtra Othonem bellũ gerentis, proficiſcitur in Alſatiam. Fridericus

prælio

prælio victor, Imperium obtinet: qui Franciâ Turingiaque peragratâ procedere pergit in Miſniam. Nactus occaſionem Marchio, vt malè præſtitæ fidei ciuibus vicem redderet; nouum Imperatorē Lipſiam inuitat: quem exiguo comitatu introducit: nam ſuſpecta habentes omnia, cum multo milite non intromiſiſſent: tacitè tamen nunc per hanc, nunc per aliam portam cateruatim cùm in vrbē veniſſent; paulatim repleta militibus ſunt hoſpitia, cum aut Imperatoris aut Principis conueniendi gratiâ ſe aduenire ſimularent. Belli tempore Lipſienſes ære milites conuocabant: id æs clanculum tolli Princeps iubet: exercitus Imperatoris magis magiſque propinquè vrbi admouebatur. Interea ſigno dato, ita vti cōuenerat, hoſpitē miles quiſq; ſuum inuadit atq; capit, & ad domorū rapinam properè conuertitur. Ciues intra muros turbati à milite, foris exercitu Imp. territi, clementiā Principis, tot iniuriis læſi, ſerò implorant: bona quidē ipſorum ad diripiendū conceſſa; ſed in capita hominū non eſt ſæuitum. Muri vrbis deſtructi, & adempta libertas eſt, quâ nimis inſolenter fuerant vſi: tria caſtella extructa, vnum iuxta portam Grimanā, quo in loco nunc ædes diui Pauli eſt: alterū, vbi ædificatum cœnobium Franciſcanum: tertiū ad Pleiſſam, quo in loco nunc arx magnifica ex fundamentis inſtaurata eſt bello Saxonico, quo Elector Dux Mauricius victor diſceſſit: ea arx veteri nomine à fluuio Pleiſſenburgū nūcupata fuit. Nobiles, qui cum ciuibus ſenſerant, capti: è quibus vnus, præcipuus ſeditionis auctor habitus, quia de capite ipſius agebatur; ictu ſecuris fractâ portâ, præter opinionem omniū euadit: frater eiusdem coniurationis ſocius, vinctus Imperatori traditur; qui inter Cruceſignatos pugnans, extra patriam eodem anno in bello extinctus eſt. Hoc negotio ſatis feliciter cōfecto, rurſus ad obſidendum Aquam oppidum, eo tempore munitum ac florens, & in ripâ Albis poſitum ſe accingit: ſed iterum re infectâ diſcedit. Mortuo Conrado Diterici Comitis Sommerſeburgij filio, patrociniū cœnobij Pegani ſibi vendicat: quód cùm Sifridus Abbas ei minimè concederet; ex amico hoſtis ei factus eſt. Princeps vt incōmodaret Peganis; ante arcem Groizenſem, quæ etiā nuper ei iure hæreditario obuenerat, villam ædificat: poteſtatem iudiciorum, & negociationis exercendæ tradit: certos reditus ex telonio conſtituit: neue Pegā irent, propoſitâ omnibus ſuis populis pœnâ, interdixit: ſed eius violentiam Abbas reprimit auctoritate pontificis: eius nomine cauſam cognouit collegium Vurciburgiū, quod pro Abbate tulit ſententiā: cuius executor fuit Præſul Brandeburgius: agitata diu cauſa eſt, & ſumma ſumptuum ab Ab-

Marchio Miſniæ.

Dietericus incommodat Peganis.

Marchiones Miſniæ. ab Abbate repetita: tandem eò redacta res eſt arbitriis Antiſtitis Magdeburgij, item Præſulum Citienſis & Mersburgij: vt pondo argenti trecenta Princeps pro damnis illatis perſolueret: cùm vltra eam ſortem, nimium quantum abbas poſtulaſſet. Valuit Sifridus apud tres Pontifices plurimum: itaque non ſolùm Principi, verùm etiam vicinis Præſulibus, ne minimum quidem iuris in ſe conceſsit.

Simultates quæ inter nobilitatem Oſterlandiam & ciues quosdam, & inter Principem vix fuerant ſedatæ, incipiunt recrudeſcere: nobilitas meditabatur vim ſocio & adiutore Alberto Magdeburgio: qui caſtrum Taucham in Oſterlandiâ inter Lipſiam & Torgam ſitum, quò ſe reciperent nobiles, foſſa & vallo cingit: fœderati his alij, ſiue (vt nonnulli Annales habent) domeſtici quidam Principis, necandi eius gratia, venenū pararunt: Diterici mors. quod ei medicus, plus minus Attico talento argenti corruptus, propinauit. Condiderat duo cœnobia, diui Thomæ ad Pleiſſam, intra mœnia Lipſienſia: & ſanctæ Crucis in vrbe Miſnâ, vt ſuprà 1222. dictum eſt: quod non diu poſt mortem eius extra mœnia vrbis translatum eſt. Obiit hic Princeps afflictus, ſupra milleſimum ducenteſimum vigeſimo ſecundo: ſepultus in Cellâ ad patris Othonis tumulum XIII. Cal. Mart.

DITERICVS.

DITERICVS Diterici primus filius, puer obiit.

O T H O.

OTHO Diterici ſecundus filius, moritur etiam annis pueritiæ.

CONRADVS.

CONRADVS Diterici tertius filius, etiam puer extinguitur.

HENRICVS I.

HENRICVS I. Diterici quarti filius, cœlebs vitam finit: hunc Miſnenſem fuiſſe præpoſitum, monumenta Præſulum teſtantur.

FINIS LIBRI V.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS

ORIGINVM SAXONICARVM

LIBER VI.

DE LANDGRAVIIS TVRINGIÆ, Marchionibus Miſniæ.

HENRICVS. vxor. eius tres:

Conſtantia Auſtriaca. *Agnes Boemica ſterilis.* *Eliſabetha Lichtenſteinia.*

Ditricus. vx. Helena M. Brandeburgica. *Henricus.* *Albertus: vxores habuit tres: Margaretam Friderici II. Imp. filiam: Cunegundim Iſenbergiam: & Agnetem Arnsbaugiam ſterilem.*

Fridericus. vxor Eliſabeth Com. Schvarceburg. *Hermannus cælebs obiit.*

Fridericus. vx. Hiltegardis D. Bauariæ. *Adelheidis & Hedwigis Sanctimoniales VVeiſſenfelſii.*

Fridericus. vxores eius duæ. *Dietmannus. vxor. Iutta Com. Hennebergica.* *Agnes. vxor. Henrici D. Brunſuicenſis.* *Henricus. vxor. Hedwigis D. Sileſiæ.*

Eliſabeth Arnsbaugia: *Agnes Carinthia:*

Fridericus.

Eliſabeth vxor Henrici Landgr. Haſſiæ. *Fridericus. vxor Mechtildis Duc. Bauariæ.* *Fridericus obiit cælebs.*

Fridericus puer obiit. *Sigismundus Epiſc. Merseburg.* *Ludouicus Ep. Halberſtadenſis.* *Vilhelmus. vx. Eliſabeth M. Morauiæ.* *Fridericus vx. Catharina Com. Hennebergia.* *Filiæ quatuor.* *Balthaſar. vxores eius duæ: Agnes Saxonica ſterilis, & Anna Norica.*

Fridericus puer obiit. *Vilhelmus cælebs obiit.* *Fridericus I. Dux Saxoniæ Elector.* *Georgius cælebs obiit.*

Fridericus. vx. Anna Com. Schwarzeburgica. *Anna vx. Rodolphi D. Saxoniæ.*

DE

DE LANDGRAVIIS TVRINGIÆ.

Landgravii Turingiæ.

ANTEQVAM LIBRVM HVNC ORDIAmur, qui de Turingiæ Langrauiis inſcribitur: repetenda breuiſsimè ſunt, quæ de eius prouinciæ Regibus, Ducibus, Comitibus, prodita literis & monumentis inueniuntur. Turingos viros fuiſſe fortes, & equitatu inprimis claros, inde colligimus; quia in exercitu Atilæ Gothi eos pugnauiſſe teſtatur Appollinaris: tum equis Turingorum, inter optimos & præſtantes, propter laborum tolerantiam tribuit ſecundas Victruuius.

Reges Galliæ.

In eorum finibus VAREMVNDVS & CLODIO Reges Gallici, qui tum nomen Francorum habuerunt, ſedem figere, & more gentis Turingicæ cæſariem alere cœperunt, vt Ado ſcribit: ipſorum caſtellum Disburgum appellat Gemblacenſis, vterque ſcriptor Gallicus. Poſt hos Reges duos alij recenſentur; MEROVEVS, qui Erfurdiæ habitauerit eo in monte, vbi nunc diui Petri templum eſt: in alio monte, arcem extruxerit extra mœnia: ab hoc honoris causâ Franci ipſi dicti Merouingi. Baldericus eius filius Bœneburgum, Schauenburgum, Stalburgum condidit. Inde numerantur proprij Turingorum Reges BERTHARIVS, & BASINVS: ad hunc CHILDERICVS habitans trans Rhenum, & â ſuis propter ſuperbiam in exilium pulſus, cùm confugiſſet: in eius domum pro iure hoſpitij infamiam intulit: & cum regiâ vxore BASINA ſtupri conſuetudinem clàm habuit: mulier tandem intemperans, marito deſerto, ad adulterum transiit: Childerici filius CLODOVEVS, patre longè melior, primus Regum Francorum, â Remigio Epiſcopo Remenſium baptizatur. Is Turingiam ſubigit: tributum Regi imponit: obſides ſecum abducit.

Turingiæ diuiſio.

Eo tempore Turingia diuiſa erat in Orientalem, quæ Oſto-Turingia dicebatur: & in occiduam, quæ VueſtoTuringia & ab antiquâ ſede Cattorum, etiam Haſsia ſolebat appellari.

Turingia quando libertatem receperit.

Iugum Francicum quomodo excuſſerint Turingi, proditum non eſt: eos recepiſſe libertatem veriſimile eſt, cùm Clodoueus filiam AMELBERGAM collocaſſet ERENFRIDO (hoc no-

mine

mine à Siffrido presbytero rectiùs, quàm altero ab aliis appellatur) Regi Turingorum: huius fratres erant BALDERICVS & BERTHARIVS: quorum omnium meminit Gregorius Turonenſis. Vxor ERMENFRIDI mulier ambitioſa & impotens, mariti fratribus peſsimè cogitabat: cuius tandem querelis & impulſu Bertharius, inſidiis opprimitur: & Baldericus petitus bello in acie cæditur. Diterico affini ſuo Erenfridus regni partem dimidiam promiſerat, quòd eius auxilio fratrem ſuperaſſet: ſed cùm fidem falleret: Ditericus adiuncto ſibi fratre Lothario in Turingiam exercitum reducit: hoſtium ſtragem grandem edit: eoſque ad flumen vſque Vnſtrutam perſequitur. Erenfridus in Schidingam caſtellum profugiens, obſidetur. Franci cùm viciſſent non ſine clade vicinos euocant Saxones, veteres Turingorum inimicos: qui vrbem Schidingam propter aucupis cuiusdam indicium, occaſione mirabili capiunt: RADEGVNDIS, Berthariȷ interfecti filia, cum matronis aliis capta, formâ & virtute inſigni virgo, ducitur in LOTHARII thorum: hæc cœnobium Pictauienſe condidit, in eoque vixit: & demum propter ſanctitatem in numerum diuarum relata eſt. Erenfridus per ſimulationem reconciliatus Regi affini, circumuenitur aſtu, ſicuti ipſe fratres circumuenerat atque perdiderat: eſtque, vt ſcriptores tradunt Germanici, interfectus ab Iringo familiare & conſiliario ſuo: vt Gallici, de muro Tulliano non procul à Coloniâ Agrippinâ præcipitatus ab affine Diterico. Huius belli inter affines aliam cauſam affert Vrſpergenſis, quàm aut Turonenſis aut Annonius: eam tamen communiter reijciunt omnes in iratam & impiam Amalbergam. Interfectis paruo temporis ſpacio tribus Turingorum Regibus, & ſtirpe Erenfridi à Diterico deletâ: omne imperium ad Francos transfertur: apud quos durauit, annos circiter ducentos & viginti. Honorius Fortunatus Epiſcopus Pictauienſis, de illâ regni Turingici translatione librum ſcripſit, qui nondum in lucem prodiit.

Landgrauii Turingiæ.

Diterici Franci bellum Turingicum.

Vaſtatâ deinceps illâ prouinciâ ab Hunis & Auaribus eſt: donec à diuo Bonifacio veram de Chriſto religionem didicit; & per Carolum Magnum libertatem mediocrem conſecuta eſt: inde Duces habuit LVDOVICVM I. LVDOVICVM II. LEOPOLDVM, BVRCHARDVM: horum vterque ab Vngaris cæſus eſt, quorum & Hirſueldenſis mentionem facit.

Duces Turingorum.

Sublatis iam etiam Turingorum Ducibus, CONRADVS I. Imp.

Landgrauii Turingiæ. Imp. eam moderatur & defendit: deinde HENRICI & OTHONES eandem per filios & agnatos gubernant; tandem per Antiſtites Moguntinos: qui præfectos vicarios, quos Vicethumos nominabant, ibidem conſtituerunt, vſque ad Imperium CONRADI II. Saliqui: is vxorem duxit Gallicam, LVDOVICI IV. filiam GISELAM, ſtirpe decimâ quartâ (vt Godfridus Viterbienſis tradit) â Caroli Magni ſtemmate deſcendentem.

GISELÆ huius ſoror BLANCASCHIDIS, VILHELMO Duci Aurelianenſium & Normanorum nupta, peperit HVGONEM & LVDOVICVM: quorum ille in aulâ Bardonis Antiſtitis Moguntini, ætate adhuc florente cælebs moritur: LVDOVICVS in ſui cóſobrini Imperatoris, annos aliquot tranſegit: cuius cùm eſſet magna induſtria & probitas; Turingiæ præfectura circa annum Chriſti M. XXV. ei demandatur. Idem conciliatâ ſibi tàm nobilitatis quàm multitudinis beneuolentiâ, Comes Turingiæ atque Haſsiæ declaratur à Cæſare, & populi totius lætâ gratulatione excipitur: hunc Barbati nomen habuiſſe ferunt. Origine igitur maternâ de Caroli Magni ſtirpe LVDOVICVS eſt: quod & Annales teſtantur, & Siffridus presbyter aſſerit: paternâ verò de Ducibus Aurelianenſium, in quo itidem annales conſentiunt. Genuit hic è CÆCILIA Bauarâ prolem numeroſam, filios videlicet octo, & tres filias: obiit Moguntiæ anno Chriſti M. LV.

Comites Turingiæ & Haſsiæ.

1025.

1055.

Natu maximus filius, patri cognominis Fridericum Saxoniæ Palatinum, cuius cum vxore conſueuerat, venantem interficit; & cum ALHEIDI adulterâ nuptias ſceleratas & ferales contrahit. Cum è cuſtodiâ Gebichſteniana, in qua Cæſaris mandato tenebatur, in Salam flumen deſilijſſet, poſt id factum SALIVS appellatus eſt.

Landgrauii Turingiæ. LVDOVICVS III. Salij filius nomen & dignitatem Landgrauij à ſocero ſuo Lothario Saxone Imp. conſequitur; cuius filius LVDOVICVS, natus Landgrauius, quia armatus nusquam non inceſsit, dictus Ferreus eſt: hic nobilitatem contumacem vi perdomuit, & (vt annales aiunt) iugo aratri ſubmiſit: eius vxor eſt IVTTA Friderici II. Imp. filia, quam Cuſpinianus non rectè Conſtantiam, & alij errore ſimili Clementiam nominant.

LVDOVICVS Munificus, primi illius abnepos, Princeps virtutis & liberalitatis laude inſignis, rigorem paternum mitigauit: ideoque omnibus ordinibus carus extitit: prolem reliquit nullã è Margarithâ Auſtriacâ, Leopoldi VII. filiâ, vt Lazius: à quo tamen multùm diſſentit Iacobus Neuburgi præpoſitus.

Ditione

Ditione eius potitur HERMANVS frater, Princeps ſuorum temporum felix & fortunatus. E prima vxore SOPHIA Saxonica, genuit IVTTAM Diterico Miſnenſi Marchioni nuptam: cuius filius (vt mox dicemus) propter illius propinquitatis ius, Turingiam occupat. Ex altera SOPHIA Bauara, Henrici Guelfi filia, genuit LVDOVICVM Placidum, diuæ ELIZABETHÆ maritum: is in Palæſtinam profectus Hydrunti in Apulia vitam poſuit: cuius filius HERMANVS, philtro à Berchta Sebergia necatur. Rediit igitur prouincia ad fratrem Ludouici, HENRICVM Raſponem: qui contra Fridericum II. Rex Romanorum declaratur, & ante Vlmam Sueuicam, ſagitta lethali vulneratus, oppetit. *Landgrauij Turingiæ.*

Durauit Turingiæ imperium in familia Aurelianenſe, annos ducentos triginta duos: de vberrima autem & fertiliſsima regione contenderunt duæ familiæ illuſtres, Miſnenſis & Brabantina. Cauſa vtriusque primùm defertur ad Imperatorem, deinde ad Duces Electores: ſed propter tempora turbulenta tranſigi non potuit: quamobrem inter cognatos bellum ducitur annis nouem, fortuna varia: tandem Henricus Brabantinus, Ludouici Placidi gener, Haſsiam obtinuit: Henricus Miſnenſis, Hermani progener, Turingiam, anno M. CCLXII. Hanc prouinciam ſucceſsione iam continua in hunc vſque diem gubernant illuſtriſs. Duces Saxoniæ, & Principes Miſnenſes, vltra annos trecentos. *Contentio de Turingia inter M. Miſniæ, & D. Brabantiæ.* 1262

Hactenus ſatis de Landgrauiis, quantum in tam breui narratione potui: in qua tamen ipſa, quia pleroſque cupidos fore video, quo modo à Brabantinis deſcenderint Haſsiæ Landgrauij, eorum quoque nomina percurram. nam Miſnenſes & Haſsici Principes, fœdere aliquot ſeculorum coniuncti ſunt: & ſi quid alterutri humanitus accideret; hæreditatem, veluti fratres, inter ſe communem habent: id quod ſtatim inter ſobrinos ſancitum eſt: cuius fœderis erit & in hoc & in ſexto libro mentio ſæpius facienda.

Primus igitur è Brabantinis Haſsiæ Landgrauius eſt HENRICVS, diuæ Elizabethæ nepos: pro quo cùm mater SOPHIA bellum gereret puero adhuc trienni: cognomen Pueri totius vitæ tempore obtinuit. Eius alter filius IOANNES ex ALHEIDE Brunſuicenſe, Haſsiam poſſedit (vt vocant) inferiorem, cuius domiciliũ Caſſella fuit: alter verò OTHO è MECHTILDE Cliuenſe, Haſsiam ſuperiorem tenuit; cuius ſedes Marburgum. Filius Othonis HENRICVS II. vxorẽ ducit ELIZABETHAM, *Haſsiæ Landgrauij.*

Haſſiæ Landgrauii Friderici Fortis Turingiæ Miſniæque Principis vnicam filiam, fœminam optimam; ſed à marito propter calumnias illiberaliter habitam. OTHO II. Henrici filius, veneno ſublatus, abſque hærede moritur. Rurſus Othonis I. filius LVDOVICVS Ducatum tenuit, & poſt ipſum HERMANVS, antea Canonicus Magdeburgicus: inde Ludouicus II. Pacificus, cuius vxor ANNA Friderici I. Saxoniæ Electoris è familia Miſnéſe filia. Is Comitatũ Zigenhanium & Niddanum: HENRICVS III. ei ſuccedens, etiã Cattimelibocenſem & Dicianum adiecit. VILHELMVS I. dictus Iunior habitauit Marburgi, & ſobole caruit, periit autem lapſus de equo: LVDOVICVS III. frater eius Caſſellæ: hi ambo Henrici III. filij fuerunt. VILHELMVS II. cognomento Medius, itidem Caſſellæ ſedem fixerat: Ludouici enim III. erat filius: qui cùm filias haberet quatuor, hæredem terrarum nullum: fratri VILHELMO III. ſimiliter appellato Iuniori, omne ſuum tradit imperium: ad quod cùm acceſſiſſet præterea illa ditionis pars, quam eius patruus Vilhelmus I. poſſederat, Diues vocatus eſt: nam Ducatum Haſsicum, & Comitatus quatuor ſolus tenuit: ſed quod domi accreuerat, id bello Bauarico eſt præciſum, in quod ſumptus ingentes fecerat. In caſtris ei naſcitur PHILIPPVS filius, qui adhuc in viuis eſt: cuius vxor fuit CHRISTINA, matrona præſtantiſsima, Georgij Ducis Saxoniæ filia. Soror ipſius ELIZABETHA, Ioannem Georgij filium habuit: filia AGNES initiò Mauricium factũ Electorem, deinde Ioannem Fridericum II. Electoris filiũ. Hæc enumeratio non eſt præter rem addita: nam & libris ſequentibus multam lucem afferet, & proderit ad aliorum hiſtorias vel annales exactiùs intelligendos. Ad inſtitutum igitur noſtrum reuertamur.

HENRICVS Diterici minimus natu filius, naſcitur anno M. CC. XVIII. duplici dictus cognomine: fortuito, Hamerus;
1218. quòd ſæpe mallei nomen vſurparet: ob largitatem verò appellatus Munificus: Miſniæ & Oſterlandiæ Marchio, & primus ex hac familia Turingiæ Landgrauius, & Saxoniæ Comes Palatinus.

Henrici tutor Ludouicus IV. L. Turingiæ. Defuncto ipſius patre, cùm pubertatis nondum exceſsiſſet annos, Ludouicus IV. Landgrauius Turingiæ, eius auunculus, pueri tutelam, quam viuens eidem pater commiſerat, ſuſcipit; ſororique imperium relinquit; qua neminem exiſtimabat populo Miſnenſi æquiorem. Echardus Præſul Mersburgicus, ſibi tutelam poſcebat Oſterlandiæ, & oppidorum, quæ inter Salam & Muldam

Muldam ſita eſſent. Eam poſtulationem cùm viro Eccleſiaſtico indignam Turingus duxiſſet, & præfecti vrbium Lipſiæ, Grimmæ, Bornæ, & Groizæ, eam detrectarent: Præſul & Henrico adoleſcenti, & eius tutori, atque ipſis præfectis interdixit ſacris: ſed minis territus Præſul, à ſuo iure, quod vrſerat, diſceſsit: & edictum ſeuerum antiquauit. Fuerunt etiam è generoſorum & nobilium ordine in Miſnia, qui ad ſe tutelam pertinere dicebant, quæ contentio ita multos afflixit, vt aliqui fortunis exuerentur, & vitam amitterent.

Henricus Landgrauius Turingiæ.

Vidua DITERICI non parum creſcebat diuitiis, & ex latronum aut raptorum iniuriis ipſa quæſtum comparabat: tertioque poſt obitum mariti anno, non appellato aut conſulto fratre, nubit POPPONI Comiti Hennebergio, qui poſt nuptias iam factas, Lipſia domum rediturus, Landgrauio Numburgi conuentus agenti, quid ſit factum nunciat: ſibique nouam affinitatem felicem fauſtamque eſſe exoptat: & Principem, vt ſuo aſſenſu factum honeſtum comprobet, orat atque flagitat. Ludouicus facto ſororis offenſus, nihil reſpondet: moxque conuentum dimittit: Vueiſenuelſum ſuos ire equites iubet: ipſe Dobelam recto itinere contendit, in Miſnia ſitum ad Muldam oppidum, in quo ſedem ſoror tum habebat.

Henrici mater nubit Pepponi Hennebergio.

Eodem itinere interpellatur à Lipſienſibus, vt ipſius voluntate liceat caſtellum, ad vrbis mœnia poſitum, deſtruere: vereri enim ſe, ne quid noui Hennebergius moliatur, quod Reipublicæ ſit futurum pernicioſum. Caſtellum igitur, & turrim propinquam munitiſsimam vt deſtruant, eis poteſtatem facit. Soror Ludouici inde nacta querelæ occaſionem, ad primores Miſnenſium rem defert: quid frater ſpectet, quid Lipſienſes aduerſus maritum ſuum egerint, monet eſſe conſiderandum: ſi cara ſit ipſis libertas, ſi memoria defuncti Principis, ſi ſolitudo pueri tuenda videatur, fratri & Lipſienſibus non tantum eſſe dandum licentiæ: ſe ad reſiſtendum non ſatis validam, & propter nouas nuptias, minùs fortaſſe gratioſam: nihil tamen minùs ferre poſſe, quàm vt filio fiat iniuria; aut ſe tacente aut conniuente periclitetur libertas Miſnenſium, aut ſalus Reipublicæ. His querelis tantum efficit, vt ſe excuſare Landgrauius neceſſe haberet; ſe quod egiſſet, ex animo egiſſe pro Miſnenſibus, atque ipſarum Principe pupillo: ſororis arguit cupiditatem & temeritatem, quæ magis ſtudeat noui mariti ſuiſque commodis, quàm publicis. Non deſijt mulier irata facere omnia quæ fratri diſplice-

Ludouici Landgrauij diſsidium cum ſorore.

Henricus Landgrauius Turingiæ.

diſplicerent: & quos ipſius fauere deprehendebat partibus cùm ex nobilitate, cum ex ciuibus: in eorum arces agroſque miniſtros ſuos armatos immittebat: nobiles iubebat lignea propugnacula contra incurſum ſubitum in ædium veſtibulis extructa, deiicere: oppidis præfectos dabat, metuens defectionem. Maxima pars vulgi ab ea ſtabat, & ipſa ſatis callida erat ad retinendos animos, & ad augendam de fratre ſuſpicionem.

Cùm autem aliquot nobilium villas cremaret: frater ſuccurrendum eis ratus, primùm eam hortatur, vt ab iniuria deſiſtat: qua re magis exardeſcens, etiam fines Turingicos infeſtat: deinde cùm videret nihil ſe proficere verbis, viciſsim ferro & incendiis eos inuadit, quos propter ſororem ſibi aduerſari intelligit: idque toto egit menſe Februario. Cùm ne eo quidem modo ſoror ad ſanitatem rediret, iuſtum conſcribit exercitum, & in Miſniam redit Aprili menſe: ſeditioſos quoſdam gladio ferit: inter quos memorantur auctores primarij, Groppinus Diterici Magni filius, & Pladechinus, Naſſecannus à morum intemperantia dictus: qui multa multis mala intulerant, & duces latronum ac factioſorum hominum fuerant. Loca etiam munitiora, quæ Hennebergius tenebat, vi recipit, arcem Tarentanam, Neuenhofam, Groizam, & Rochlicium: Hennebergium denique è tota ditione Miſnenſi fugat: cum quo vxor exulatum abiit, ducto ſecum puero filio, quem Leopoldo cognomine Glorioſo Duci Auſtriæ commendauit. Ditericus propter dotis amplitudinem præclara vxori oppida tradiderat: è quibus pulſa armis, ea Auſtriaco oppignerat, argenti marcarum millibus duodecim: ea conditione, vt Duci aut pecuniam numeraret Henricus filius, ſi ad pubertatis annos veniſſet; aut CONSTANTIAM Ducis filiam duceret vxorem.

Henrici Landgrauii coniugium.

HENRICVS cum ex ephebis exceſsiſſet: CONSTANTIAM ducit Leopoldi filiam: quam noſtri annales alij Friderici, alij Philippi fuiſſe filiam narrant, non rectè: certiora enim tradunt ſcriptores Auſtriaci. Nuptiæ, vt Iacobus Præpoſitus ſcribit, anno M. CC. XXXIV. vt Cuſpinianus Calendis Maij, fiebant prope Stadlam pagum extra vrbem Viennam: nam Fridericus ſponſæ frater, veritus aut ſeditiones aut incendia propter exterorum conuentum, vſus opportunitate temporis verni, intra mœnia admitti eos renuit. Fuit autem apparatus exquiſitus & magnificus: interfuerunt Reges Vngariæ An-

1234.

riæ Andreas & Bela eius filius: Boemiæ Venceslaus: Duces Ladislaus Morauiæ, Vlricus Carinthiæ, Albertus Saxoniæ, Henricus Turingiæ: quinque præterea Præſules. E CONSTANTIA genuit duos filios, ALBERTVM & DITERICVM: ea obiit Nonis Iunij M. CC. LXII. 1262.

Henricus Landgrauius Turingiæ.

Quarto pòſt anno, vt nonnulli tradunt, duxit AGNETEM Othogari Regis Boemiæ filiam, Venceslai ſororem: ex hac nullam prolem ſuſtulit, quam è cœnobio duxerat, ſibi propinquitate iunctam. Agnes hæc morbo affecta, in ſomnis angelum videre viſa eſt, poculo aureo inſuaue ſibi vinum propinantem: nec multo pòſt vita exceſsit, Idibus Sept. anno M. CC. LXVII. 1267.

Tradit hoc Siffridus presbyter, & annales Turingici, qui tamen nomen eius non exprimunt. Tertia vxor ELIZABETHA fuit, Malticij, qui tum Lichtenſtenij habitabat, filia: è qua genuit HERMANVM & FRIDERICVM, vt è monumento Cellenſi didici: ea obiit 19. Cal. Febr.

Annales hoc loco valde ſunt deprauati. & Germanici rerum Miſnicarum ſcriptores in hoc Principe multùm errant. Erneſtus Brodufius tempora non obſeruans, eum ait cognominatum ab exilio ſine ditione Principem: ſed ſimilitudine nominis decipitur: nam qui hoc nomen habuit; HENRICI, de quo nunc agimus, nepos, & filius Alberti fuit. Deceptus eadem ratione Volfgangus Cruſius, qui HENRICVM hunc ſcribit electum Regem Romanum: ſed is fuit Henrici auunculus; & cui noſter, in Turingia ſucceſsit. Ad rem redeamus.

HENRICVS opibus & magnificentia ſplendidus, & inprimis grauitate, ſapientia, ac liberalitate illuſtris: & quia tum metalla Fribergenſia maximè florebant, fodi ſub auo ipſius cœpta, facilè ditiſsimus exiſtimatus eſt: tantos autem ex venis illis argentariis atque plumbariis prouentus habuit, quanti ſatis fuiſſe perhiberentur ad Boemiæ regnum comparandum: vndè etiam vulgò iactatum fuit, eum turres argento plenas poſſidere, vt in Chronico Cellenſi legitur.

Henrici opulentia.

Anno M. CC. XL. IOANNES Marchio Brandeburgicus de Coppenico & Mitteualda oppidis cum HENRICO certabat: quæ controuerſia cùm componi inter ipſos nequiret, ne maioris belli daretur occaſio, Vilibrandum

Bellum Henrici cum Marchionibus Brandeburgenſib.

Henricus Landgrauius Turingiæ.

Antiſtitem Magdeburgicum Ioannes arbitrum dat: qui ad cauſæ exitum oppida ſuſcipit, ſuisque præfectis committit: lite autem nondum planè dirempta, Vilibrandus ea Henrico tanquam iuſtiori poſſeſſori aſsignat. Id ægrè ferens pars aduerſa, pro iis obtinendis pugnat: vnde factum eſt, vt nouam Marchiam vſque Struceburgam rapinis & incendiis Miſnenſes vexarent.

Anno M. CC. XLIIII. Henricus Vilibrandum Magdeburgicum, & Ludolfum Præſulem Halberſtadium, ſocios ſibi adiungit: & progreſſus in ditionem Brandeburgicam Ioanni & Othoni fratribus bellum apertum facit: ipſe cum ſuis copiis iuxta Mitteualdam; Antiſtes & Præſul ad Beſam fluuium caſtrametantur. Venceslaus Rex fratribus Brandeburgicis familiaribus ſuis (vnà enim erant cum eo in Boemia educati) trecentos equites, peditum tria millia ſubſidio mittit: reliquum ipſi exercitum colligunt è ſuis popularibus. Diſtributis autem ſignis Otho Miſnenſi ſe opponit: Ioannes ſuis tumultuariè conuocatis, quàm poteſt celerrimè Saxonicis occurrit Præſulibus: cuius cùm non expectatus eſſet aduentus, hoſtes territos & turbatos vincit fugatque: in traiectu Beſæ multi merguntur, Magdeburgicus vulneratur, Halberſtadius capitur, qui paulò antè Othonem, Ioannnis fratrem ceperat. Magdeburgicus exercitu recollecto cremat Volmerſtadium: extructoque caſtro Rogezo, multis inde iniuriis afficit Brandeburgicos. Nec Miſnenſis Henricus deſiſtit cœptum bellum perſequi: quod cùm nauiter faceret; ſimiliter Antiſtes ſuos hortatur & incendit, vt reſarciant acceptam ignominiam.

Ditionis igitur partem dictam Hauelandiam inuadit atque vaſtat: quem non magna manu adortus OTHO inter Brandeburgum & Plauam: denuo in fugam coniicit: milites cùm prope Plauam fluminis Haueli pontem frequentes nitentesque tranſirent, pons multitudine grauatus ſubſidet atque rumpitur: ſubmerſi plurimi ſunt: qui tranſire non potuerunt, aut cæduntur aut capiuntur. Acceptis vtrinque damnis, cùm neutri diſceſsiſſent læti, pacem inter ſe ineunt.

1248.

Bellum Henrici Marchionis cum Sophia Brabantina [illegible] Turingiâ.

Anno M. CC. XLVIII. HENRICVS Rex Romanorum, & Turingiæ Landgrauius mortem obiit: qui cùm prolem

prolem maſculam nullam relinqueret, magnum de Imperio inter conſobrinos & difficile bellum oritur. Multi è Turingis SOPHIAM Brabantinam Ducis Ioannis vxorem, Ludouici Landgrauii & diuæ Elizabetæ filiam inuitabant, vt filium ipſius HENRICVM eueherent: aliqui HENRICVM Miſnenſem Ludouici IV. Landgrauij, & Regis Henrici ſororis filium, dignum imperio iudicabant. Brabantini nihil morati veniunt in Haſsiam; Miſnenſes in Turingiam proficiſcuntur: vtrinque oppida arcesque occupantur; ſed ſine iniuria tamen, & populorum pernicie: contumacioribus aut hæſitantibus intenduntur minæ. verùm cùm multi tam nobiles quàm plebeij homines religionem prætenderent, quòd re nondum legitimè cognita atque dirempta, iuramento ſeſe obligare vererentur, quod fortaſſe pòſt retractandum eſſet; viæ rationesque compoſitionis initæ ſunt: videlicet vt SOPHIA Haſsiam, quam ſibi vſurpabat totam, ſuiſque committebat præfectis; HENRICVS Turingiam tamdiu teneret, donec latæ per arbitros Principes ſententiæ, diiudicarent de Turingiæ poſſeſsione, cui ea iuſtiùs deberetur: nam Haſsiam cognitioni ſubiici Sophia non patiebatur. Tracta per quadriennium hac controuerſia, SOPHIA in Turingiam veniens, ſuam actionem renouat: de iniuria HENRICI, & arbitrorum mora conqueritur: ſibi ſuoque filio ditionem, cuius legitimus hæres ſit atque dominus, flagitat tradi: filiæ ius eſſe potius quàm ſororis. Altera pars prouocauerat ad Imperatorem, altera ad Duces Imperij Electores.

Henricus Landgrauius Turingiæ.

Atqui cùm Vilhelmus Rex Romanorum in Phryſia interiiſſet; & inter Electores non conueniret: propter ſtatum Reipublicæ perturbatum, decerni nihil potuit: cumque mulieris ingenium nimis eſſet pertinax, cauſa à ſubſellis ad arma transferri cœpit.

Excepto Iſenaco, quod parebat Brabantinæ, Turingiam omnem tenebant Miſnenſes: quos cùm eiicere non valeret; fœmina ambitioſa domum rediens, cum ſuis deliberat de bello diuturno ſuſcipiendo: ſuum ius amplificat, terræ bonitatem prædicat, gloriæ decus oſtentat, Haſsiam iam eſſe in poteſtate ſua, non paucos fauere ex Turingis, reliquos compelli poſſe, ſi viri ipſi eſſe velint, & latiùs propagare terminos potentiæ ſuæ: Miſnenſem cauſa ſe eſſe longè inferiorem, neque eius arma

Henricus Landgrauius Turingiæ. tantopere extimeſcenda: & facilè comparari poſſe vicinorum Principum auxilia & ſocietatem, idque ſibi curæ fore, quæ viam iam proſpexerit.

Erat tum temporis & auctoritate & armorum peritia celeberrimus ALBERTVS Dux Brunſuicenſis: qui Gebhardum Antiſtitem Moguntinum, & Ditericum Comitem Eberſtenium nuper prælio prope Bolgeſtadium victos ceperat: eum ſibi exiſtimauit conciliandum. Itaque HENRICVM filium, qui Haſsiæ Infans nominabatur, filiæ Ducis deſpondet: dotemque victori dicit Haſsiam & Turingiam. Admonet eundem officij, nihil iuſtius fieri poſſe, quàm vt defendat cauſam viduæ, & ditionem ſocrus; quæ iam à Miſnenſibus hæredi legitimo propemodum erepta atque extorta è manibus ſit. Interea inter Haſſos & Turingos non ceſſabant latrocinia; & fiebant hinc inde excurſiones, cum vtriusque prouinciæ detrimento: & in agris atque vrbibus partium ſtudia flagrabant: erantque varia de Principibus iudicia; cùm alteri contemnerent Brabantini puericiam, alteri Miſnenſis potentiam ſuſpectam eſſe dicerent.

Miſnenſes autem pro vicina prouincia pugnabant acerrimè: eam nequaquam è manibus dimittendam, quæ regi non poſſet à puero (eo enim neque alio nomine Brabantinum vocabant) neque adminiſtrari feliciter à muliere: timendum eſſe, ne alij potentiores eam occuparent, cum vicinorum periculo. Brunſuicenſis oblata conditione & prouincia lætus, magnum præſidium mittit Iſenacum: iamque in Turingos tam ex Haſsia quàm è Saxonia fiebant irruptiones, incendebantur villæ, & deſtruebantur arces ſedesque nobilium. Vuartburgum autem, Iſenaco imminentem, arcem munitiſsimam, tenebant Miſnenſes: non minùs ciuibus moleſti, quàm hoſtes agricolis erant. Anno M. CC. LVIII.
1258. rebus omnibus ad bellum comparatis SOPHIA Brabantina, ALBERTVS Brunſuicenſis, & fratres Meltenſtenij Iſenacum veniunt: cumque Vuartburgum propter loci naturam viderent eſſe inexpugnabile: ne commeatus importaretur, neue excurſiones fierent, pro ſuo quisque præſidio tres arces extruunt: Albertus Iſenacoburgum, Sophia Frauenbergam, Meltenſtenij arcem ſui nominis.

Interclusa Miſnenſibus videbatur via: ſed intercludi

virtus

virtus non potuit. nam exitum armis faciebant, & reditum armis obtinebant.

Henricus Landgrauius Turingiæ.

Marchio autem viciſsim arces aliquot ad ſuorum defenſionem muniebat, Calebergam, ad riuum à copia piſcium appellatum, cui præficiebat Vuangenhemium: Rudolfoſteinum, cui Rudolfus Varila præerat, à quo Rudolfo & hortus & fons, arci ſubiecti in hunc vſque diem nomen ſeruant: hoc autem faciebat, vt intercluderet Iſenacenſibus iter in Francos; vtque propelleret hoſtem, qui in tribus illis arcibus præſidio erat. Conſumpto his operibus annuo ſpacio, cùm Brabantini, Haſsi, & Saxones operam inanem nauarent: Brunſuicenſis Creucebergam, vno ab Iſenaco milliario, ſitum ad Vuerram oppidum, expugnat, diripit, incendit: nam cùm in arce eſſet validum præſidium, videbat in ſua poteſtate id non eſſe permanſurum. Nullum hoſtibus ſpacium ad reſpirandum dabant Miſnenſes: quamobrem parum fidens rebus ſuis Saxo, Sophiam cum filio Iſenaci agentem conuenit: vtque in ipſo oppido caſtellum extruat, hortatur. nam ſi Henricus aut per vim, aut per deditionem fortè oppido potiretur, nullum ibi eſſe receptum, quò conferrent ſuas fortunas, aut ſalutem tuerentur. Conſilium Brabantinæ non diſplicet, ſed ciues repugnabant, quò minus intra mœnia erigeretur: cumque de loco eſſet diſceptatio, tandem conceſſum ei eſt, vt proximè mœnia ædificaret.

Circa idem tempus, arcem Schauenburgum Abbas Reinhardbornius inſtaurabat: eamque Hermano Hennebergio Comiti, Poponis filio tradebat: erat HERMANVS, Henrici Miſnenſis frater vterinus ex alio patre: quem cùm prouideret Henricus, motu illo flagrante, eodem contra ſe iure vti poſſe, quo Sophia: & præterea patrem eius è Miſnia eiecerat, matremque hæreditate priuarat: vt adimeret adoleſcenti rebellionis occaſionem; opus Abbatis diruit: nec non Lichteualdam & Calebergam iuxta Settelſtadium ſitas arces euertit: ne ſi nouis rebus Hennebergius ſtuderet, aliqua inueniret propugnacula. nam omnia firmare præſidiis, ex vſu Reipublicæ non erat. Hæc autem tempore interregni in Imperio licentiùs fiebant, cùm quē obſeruarent aut metuerent, Principes non haberent. A SOPHIÆ Brabātinæ exercitu, qui Iſenaci, & in tribus recens munitis arcibus erat, cùm plurima damna oppidis Turingicis inferrentur: Henricus omni contentione ſtuduit, vt inde hoſtes eiiceret: idque

Henricus Landgrauius Turingiæ. idque vt efficeret facilius, præmiis militem ſuum inuitat, quem propter liberalitatem ſemper habuit obſequentiſsimum. Erat tum autumni tempus: cumque nocte quadam magna eſſet imbrium ventorumque tempeſtas, ij qui in Vuartburgo præſidiarij erant, ad Meltenſtenium per dumeta & ſiluam taciti accedunt: admotisque ſcalis, quà rupes prominentes & altiſsimæ ſunt, aditum tentant: & locum illum natura ipſa (vt putabant) inſuperabilem, cuſtodes minùs obſeruabant.

Cùm autem aſcenſu rupem ſuperaſſent, milites incautos opprimunt, Meltenſtenios viuos capiunt, arcem incendunt atque complanant: quia proxima erat Vuartburgo, & non erat alia in tota Turingia munitior. Hoc ſucceſſu animi Miſnenſibus augentur: qui deleto præſidio firmiſsimo, eadem Iſenacoburgum & Frauenbergam confidentia expugnant. Reliquum erat oppidum Iſenacum, quod amiſsis præſidiis facilius expugnatu videbatur: ciues aduerſa ſuorum fortuna territi, & excidium metuentes, minore alacritate propugnabant.

1262. Anno M. CC. LXII. nono Calend. Februarij, ſilentio noctis ſcalas noſtri adhibent: & iuxta cœnobium Franciſcanum, nemine illis reſiſtente (non enim erant ignari conſilij ciues) in vrbem perueniunt. Exorto tumultu, ciuibus, qui arma ponerent, incolumitas promittitur: neque in quenquam eſt animaduerſum, niſi in ſolum Velsbachium ſenatorem & rabulam, qui veluti tuba fuerat totius belli. nam cùm valeret auctoritate, & linguam haberet, vt id genus hominum, venalem: pertinaciſsimè Haſſos defenderat, multisque maledictis inceſſerat Miſnenſes: & ipſum etiam Principem laceſsierat contumelia. Is cùm ne vinctus quidem à conuiciis abſtineret, timpano imponitur, quod ante muros erectum erat, & ex eo in oppidum per aërem iaculi inſtar mittitur. Cùm ita pendulus ferretur, non deſiſtit clamare Turingiam eſſe Henrici Infantis Haſsiæ. Capto oppido caſtellum, quod Sophia inchoarat, Henricus abſoluit: Rudolfoſteinum & alia quædam munimenta belli temporibus extructa, rurſus demolitur. Ex parte aduerſaria Brandeuelſſam & Scharfenbergum Haſsi & Comes Hombergius deſtruxerunt.

1263. Sequente anno, cùm expulſus è tota Turingia eſſet *Alberti Brunſuicenſis bellum Oſterlandicum.* Brunſuicenſis, bellum transfert in Oſterlandiam: & quia

feliciter

feliciter antea pugnauerat contra Moguntinum, iactitabat, tum ſuam fore meliorem fortunam, ſi vexaret Præſulem & Sacerdotes: itaque in Numburganum & Mersburgenſem agrum, vtrunque copia vberrimum, exercitum ducit: omnia rapinis miſcet atque incendiis. *Henricus Landgrauius Turingiæ.*

Sciebat autem ſe terrori fore, quia & minùs bellaces Fridericus & Meinardus Præſules videbantur, ſtirpe humili vterque ortus: & inopinata Oſterlandis & Miſnenſibus illa accidebat calamitas. Rudolfus Varila vir præſtanti nobilitate atque virtute, ſuccurrendum vicinis ratus, abſente in Boemia Principe, vt externum militem conſcriberet; centum cataphractos ſubitò armat: quos Lipſiam adducens, ALBERTVM & DITERICVM, Henrici filios adoleſcentes, hortatur, reipublicæ defenſionem ſuſcipiant: niſi maturent, iam futurum hoſtem præ portis: non neſcire Saxones, patrem ipſorum abeſſe, ipſos quoque ſatis imparatos: celeritate perficiendum & conſilio, quod armis non valeant: Brunſuicenſem multo optimoque milite inſtructum aperto Marte vinci non poſſe: ſecurum & nihil ab ipſis metuentem, opprimi poſſe: ſe habere equites ſelectos, perſpectæ virtutis, adiungendam eſſe his fidam manum ciuium: ſe ſuæ vitæ periculo futurum ducem præclari facinoris. Collaudatur ab omnibus fides atque animus Varilæ; nec paruam animo voluptatem capiebant Principes, & ex verbis & ex conſilio ipſius. Itaque nocte intempeſta vrbe exeunt, & propè Vuiclinum pagum ad Eliſtrum ſitum, in agro Beſenſtediano, vt in annalibus Præſulum Mersburgicorum nominatur, cum ipſius diei luce Brunſuicenſem adoriuntur incautum & ſomno deditum.

Varila equitatu ſuo circum caſtra volat, & ab omnibus partibus hoſti eſt moleſtus: Oſterlandi & ciues Lipſienſes munitiones intrepidi conſcendunt. Saxones perturbati, pauci armis reſiſtunt: plerique latebras & fugam circumſpiciunt: aliis arma dilabuntur de manibus metu: aliis antequam ſe iis cingunt, eadem extorquentur. Confecta horarum duarum ſpacio res eſt. Brunſuicenſis nihil intermittebat, quod ad animandos ſuos videretur ſpectare: ſed conſilio, in tanto tumultu & maxima trepidatione locus non erat: vulneratus in poteſtatem hoſtium venit: capti cũ eo ſunt Comites HENRICVS & OTHO Anhaltini, HENRICVS Suerinenſis, IOANNES Eberſtenius: capti præterea equites aurati noue, qui vulnerati omnes erant: grauis armaturæ equites quinti- *Alberti Brunſuicenſis clades.*

Henricus Landgrauius Turingiæ. 1263.

quingenti ſexaginta ſex, leuis verò ſupra mille, præda eſt in caſtris inuenta copioſa. Actũ hoc eſt VI. Calen. Nouemb. anno M. CCLXIII. Brunſuicenſem vulneratum Friderico Præſuli Merſburgico, qui ipſe prælio interfuerat, tradit aſſeruandum Varila: qui talis conſilij, & tam ſalutaris victoriæ auctor, laudibus ad cœlum attollitur: adoleſcentes Principes exultantes gratias agunt, patronum patremque ſuum nominant. Dignus ſpectaculo triumphus erat, equites præda varia onuſtos videre, & qui exierant pedites in equis redire, tot vinctos fortiſsimos viros, tot captos Duces incedere: nihil autem ad lætitiam ſpectaculi deerat, quàm Princeps ipſe, qui confeſtim certior de victoria redditur, & è Boemia reuocatur. Fracta hoc prælio SOPHIÆ potentia eſt: & quia eius cauſa in periculum Saxones venerant, eam deteſtabantur. OTHO Alberti Brunſuicenſis filius cum tribus fratribus Alberto Halberſtadio, & Henrico Hildeshemio Præſulibus, & cum Iohanne Boruſsiæ magiſtro, de redimendo patre laborabant vehementiſsimè: ſed cùm oblatas conditiones ferociter recuſaret, in cuſtodia annum & dimidium fuit. Tandem conditiones adductus neceſsitate ſuſcipit: eſtque facta inter Miſnenſem & Saxonem compoſitio, vt pro damnis in Turingia datis, octo arces Ducatus Brunſuicenſis ad Viſurgim ſitas, Eſchinburgum, Aldendorfum, Vuicenhuſiam, Furſtenſteinum, Arnſteinum, Bilſteinum, Vuenfridam, & aliam quandam prope Aldendorfum dirutam Otho traderet: pro ſociis captiuis octodecim mille marcas argenti numeraret. Inter Miſnenſem verò & Brabantinam ita transacta res eſt: vt huius filius tota Turingia cederet, & nihil amplius in ea iuris haberet, neque vllum in poſterum de ea moueret certamen: propriam verò atque perennem Haſsiam poſsideret; ad quam arces à Brunſuicenſe pro redemptione datæ, adiiciuntur. Hoc modo bellum per totos nouem annos tractum, ſopitur: & inter Principes cognatos fœdus fraternum de ſucceſsione initur: & HENRICO ſua ſtabilitur poſſeſsio, Varila potiſsimum auctore: qui qualis Turingis erat in rebus bellicis, talis erat Meinherus Burggrauius Miſnenſibus in negociis ciuilibus: horum enim potiſsimum conſiliis & opera in adminiſtratione vtriusque prouinciæ tum vtebatur.

Henrici Miſnenſis tranſactio cum Brabantina.

Auſtriæ Ducatus ad Henricum defertur.

Antequam potiretur Turingia, ad filios eius (vt Cuſpinianus ſcribit) Ducatus Auſtriæ eſt delatus. FRIDERICO enim Auſtriæ Duce, Hermani filio, Neapoli capite truncato: & cœſo ad Leitam fluuium ab Vngaris, altero FRIDERICO. Leopoldi filio, ducatus Auſtriæ hærede caruit. Erant tres huic poſtremo

Friderico

Friderico ſorores, MARGARITHA Sueuica, GERDRVDIS Moraua, CONSTANTIA Miſnenſis; priores duæ & maritis & prole orbatæ erant: Conſtantia, vt modò dictum eſt, ALBERTVM & DITERICVM filios habebat. Nobilitatis igitur conſenſu, quanquam ea in duas factiones ſciſſa erat, maximè verò populi ſuffragiis, decernuntur ad HENRICVM Marchionem legati: vt alterum ex filiis mittat, quem Auſtriæ Stiriæque dominum faciant, & cui ipſi fidem ac obedientiam tanquam domino legitimo præſtent: nam de ſtirpe Auſtriaca nullum extare propinquiorem, quàm ipſius filios. Legati fuerunt Abbas Scotorum Viennenſis, & Ditmarus præpoſitus Neuburgenſis, cum aliis duobus nobilibus primariis. Hi cùm veniſſent Pragam, à Venceslao tranſitum & tuti itineris literas in Miſniam petunt: quod ipſe non ſine cauſa ratus fieri, conuiuio exceptos inter vina interrogat; mandataque ipſorum omnia, quæ futiliter cum vino effundebant, explorat: tranſitum dehinc in Miſniam negat: ſuum verò filium, magnæ virtutis adoleſcentem, tali dignum imperio prædicat, & legatis commendat: dicit etiam contra Miſnenſem, quod pro illo tempore videbatur neceſſarium, & ſibi bonum atque commodum. Legati redire domum coacti, magnæ calamitatis auctores patriæ fuerunt: & HENRICVS etiamſi iure experiri aut armis vindicare voluiſſet debitum ſuis filiis imperium, tamen rem actam egiſſet, propter Venceslai potentiam, & quo diſtinebatur maximè, propter bellum domeſticum & inteſtinum: & ei vtilius videbatur atque conſultius pugnare pro Turingia, quàm pro Auſtria.

Henricus Landgrauius Turingiæ.

Auctus acceſsione Turingiæ, & pace vndique parta, metallisque in Miſnia florentibus, ludos equeſtres Northuſæ exercuit, quorum apparatus ſingularis fuit. Arbor ex argento poſita eſt, cum foliis aureis atque argenteis: ſi quis haſtam concurſu fregerat, ei promebatur folium argenteum: ſin alterum de equo deiecerat, porrigebatur folium aureum. Inde conuiuiis & choreis ducti dies aliquot, & hoſpitibus ac externis diſtributa varia ſunt munera. Inuitauit dehinc Principes præſentes & nobilitatem ſuam, in oppidum Miſenam: verùm ij ludi triſtiores fuerunt: nam in certamine viri aliquot nobiles haſtis traiecti ſunt, & in tumultu propter frequentiam calore & pulueribus aliqui è vulgo perierunt. Scharfenbergum metallum ad Albim inter Dreſdam & Miſenam ſitum, fodi tum cœpit: quod cùm ſibi, vtpote fundum Eccleſiaſticum, vſurparet Vuitigo Præſul, Regis Boemi arbitrio lis componitur. In Friderici Imperatoris aulam profectus Princeps

Ludi equeſtres Northuſæ celebrati.

Ludi Martiales Miſnæ celebrati.

Ditericus Landgrauius Turingiæ. ceps regio quodam comitatu & magnificentia, admirationi eſt; & filiam Imperatoris ALBERTO filio ſuo deſpondet. Secutus tandem exemplũ prudentiſsimi Principis Conradi proaui ſui, ditionẽ inter filios, nobilitatis plebisq; conſenſu, viuens diſtribuit: iis fortaſſe de cauſis, vt adoleſcentes artẽ imperandi diſcerent: ſeq; defuncto minus, vt fit, inter ſe digladiarentur: præſaga autẽ mens eius fuit eorũ malorũ, quæ ſunt poſt eius obitũ magna conſecuta. felix enim fuiſſet, ſi Albertum filium nunquã generaſſet, facta ex
1265. diſtributio eſt anno M. CC. LXV. Sibi pater retinuit Miſniam, Alberto dedit Turingiam, Diterico Oſterlandiam; filiis Elizabetę certas præfecturas, Friderico Dresdenſem aſsignauit: quid Hermanus proprium habuerit, adhuc legere nõ memini. Eodẽ anno IX. Cal. Iulij nubes cœli rupta, quam cataractã nominant, magnã agris cladem dedit: Ienæ quinq; & triginta homines perdidit: ea fortaſſe calamitatem Reip. portendit. Gubernauit ſuos populos Henricus magna trãquillitate atq; felicitate: leges de vita & moribus, itẽ ſumptuarias tulit, & etiã ſingulares, quibus exteri & aduenæ in ſua ditione vterentur: eas leges libro primo Chronicorũ vrbis Miſnæ inſerui. Migrauit ex hac vita Dresdæ, vt ſcribit Siffridus, & teſtantur monumẽta Veterocellenſia anno M. CC. XIIC. ſepultus in Cella, cum tribus vxoribus, & cum HERMANO ac
Mors Henrici. FRIDERICO filiis: quod antiquiſsimum monumentum ibidem parieti infixum teſtatur. Duo cœnobia cõdidit, Cellam no-
1288. uam in Luſatia ad Oderam, & in Miſnia Nimitſcham ad Muldã.

Proximum erat de ALBERTO Landgrauio dicere, qui propaginis huius ſtirps: ſed prius de aliis tribus Henrici filiis, & de ipſorum poſteritate dicam, quæ non admodum diuturna fuit.

DITERICVS.

DITERICVS Oſterlandiæ & Lansbergi Marchio, Henrici I. Turingiæ Landgrauij, è CONSTANTIA Auſtriaca II. fili-
1268. us, vxorem duxit anno M. CC. LXVIII. HELENAM Ioannis Marchionis Brandeburgici filiã: ex qua genuit FRIDERICVM filium, & filias duas, ADELHEIDIM & HEDVIGIM, quæ virgines Sacerdotes fuerunt Vueiſenuelſi. Hic Princeps, quemadmodum pater ipſius, cognomen duplex habuit: ab animi excellentia, Sapientis: ab habitudine corporis, Pinguis.

Idem Taucham & Berbinum deſtruxit, cuius hæc cauſa fuit.
1276. Anno M. CC. LXXVI. Ericus Antiſtes Magdeburgicus, &
Tauchæ & Berbini deſtructio. frater eius Otho Marchio Brandeburgicus, ſunt in Turingiam cum exercitu profecti: quos Albertus Landgrauius vi inde repulit. Magdeburgicus amicitiam cum Landgrauio aſtutè iniens, occaſionem quærit aliquid deſignandi contra ipſum: quod cùm

apertè

apertè non poſſet, neque auderet; tentat per inſidias eum opprimere. Falchenſtenius Comes arcem Renam Sifrido & Bernardo Anhaltinis fratribus ademerat: ſedes autem Sifridi Rena erat: hi implorant Erici auxilium, qui defendendorum ſuorum clientum gratia, ALBERTVM Landgrauium & DITERICVM fratrem eius, euocat pro ſuo erga ipſos amore, & ipſorum erga ſe obſervantia. Fratres nihil ſibi obſtare paſsi, collecto milite aduentant: Ditericus præſens in caſtra venit, Albertus filium Fridericum mittit. Caſtra autem cùm fixiſſent, & caſtella erexiſſent ad arcem obſidendam: nihil tale ne ſuſpicantes quidem, noctu à ſociis atque amicis, quibus auxilio venerant, opprimuntur: capti ſunt ambo Principes, & cum ipſis vltra ducenti nobiles. Ditericus Berbinæ mandatur cuſtodiæ: Fridericus Lippianæ, ad quem miſſus etiam Burggrauius Leiſnicenſis eſt. Hi duo cùm deceptis cuſtodibus euaſiſſent, continuò cum exercitu ditionem Anhaltinam depopulantur, Cotenæ oppidi muros diruunt, ædificia incendunt. Ditericus cùm ſe pecunia redemiſſet: memor perfidiæ, in ditione Antiſtitis Berbinam demolitur, murosque Tauchæ complanat. Anhaltinis etiam Delitium oppidum & Bitterfelda adimuntur: propter impendia ſarcienda quæ fecerant.

Ditericus Lãdgrauius Turingiæ.

Altero pòſt anno contra Alſtetenſes, & Pergenſem Comitem fratri Alberto auxilio venit. Humana reliquit hic Princeps VI. Idus Februarij, anno M. CC. LXXXII. Sepelitur Suſelitij ad Albim: vxor Vueiſenuelſij ad Salam: vtrique in cœnobiis à ſe conditis. 1277. 1282.

FRIDERICVS.

FRIDERICVS propter linguæ impedimentum cognomento Tutta, Oſterlandiæ & Lansbergi Marchio, Diterici filius: duxit vxorem HILDEGARDIM Bauaram: ex qua cùm nullã ſuſcepiſſet prolem: ditio eius ad patrueles FRIDERICVM & DICEMANVM, quibus cum educatus fuerat, peruenit: quam etiã ſe viuente illis in conuentu Erfurdiano tradidit. Cum Numburgano & Mersburgio Præſule, de ditionis finibus contendit: cum Vuitigone Miſnenſe de Pirna & Dresda oppidis: nam ea Henrico mortuo Vuitigo Præſul iuris Eccleſiaſtici eſſe dicens, occupat; quæ ei Fridericus rurſus tentat adimere: verùm armis à Pirna repulſus, maioribus eam copiis expugnat: tum Dresdam recipit. Fugiente Moguntiam Præſule, arci Stolpenſi, & Verdæ epiſcopali oppido præſidia imponit.

Periit Fridericus toxico in ceraſis dato, cùm iuxta Hirſteinam

Fridericus Lãdgrauius Turingiæ. arcem ad Albim venationibus ſe delectaret, anno M. CC. XCI.
1291. Suſelitij iuxta patrem ſepultus; non Miſenæ, vt ſcribunt: vxor eius iuxta ſocrum Vueiſenuelſi.

HERMANVS.

HERMANVS Henrici Turingiæ Landgrauij ex ELIZABETA Malticia primus filius, cognomento Procerus, obiit an-
1304. no M. CCC. IV. vt in monumento Cellenſi legitur: vt in Miſnenſi, M. CCC. VIII. quo anno cæſus frater eius Dicemanus. Vxorem non duxit: quia affecta propter paralyſim erat valetudine.

FRIDERICVS.

FRIDERICVS Henrici Turingiæ Landgrauij ex eadem vxore filius ſecundus, cognomento Paruus, vxorem duxit ELIZABETAM Suarceburgiam: ex qua nullam prolem ſuſtulit. De Bernardo Miſnenſe Præſule Dresdam emit: quam rurſus vendidit Vualdemaro Brandeburgico, vndecim millibus marcarum argenti: ſeptem in præſentia ſolutis, quatuor in ſingulorum annorum reditus reſeruatis: huius autem pecuniæ partem quotannis dimidiam ſoluerent Budiſsinenſes, dimidiam Gorliciani.
1316. Obiit Dresdæ VII. Cal. Maij, anno M.CCC. XVI.

ALBERTVS.

ALBERTVS Turingiæ Landgrauius, Henrici maximus natu filius, ob multa facinora Principe indigna, DEGENER eſt nominatus. Huic pater adhuc viuens Turingiam dedit adminiſtrandam: in quo regimine præclara dedit magnanimitatis & induſtriæ documenta: ita vt adoleſcentia eius ætatem virilem longè vicerit omni virtutis genere: quem poſtea tantopere mutatum homines prudentes ſunt admirati. Prima tyrocinia fecit in bello Pruſsiaco; quod Vlricus ordinis Magiſter mouit contra aduerſantes religioni Chriſtianæ vicinos: ad illos autem Cruceſignatos pro nomine Chriſtiano pugnantes, multi ſæpe præſtantes viri è variis terrarum partibus ſe contulerunt. Tennebergam arcem Turingicam, prope Reinhardbornam ſitam; itẽ Luzenæ & Ranſtadij oppidorum dominium Henrico II. Præſuli Mersburgio donauit: cùm in Grimma oppido ea de re ipſum conueniſſet, & Oſterlandiæ ei tradidiſſet inſignia.

1316. Vxorem duxit patris voluntate M. CC. LVI. MARGA-
Alberti matrimonium. RITHAM Sueuicam Friderici II. Imperatoris filiam, cum qua doti ei data arx & dignitas Burggrauij Aldeburgij, & regio (vt nominatur) Pleiſſenſis, item Leiſnicij & Coldicij præfecturæ: vt

ſcribit

ſcribit Crancius. Filios genuit ex ea tres; HENRICVM, FRIDERICVM, DICEMANVM: vnicam filiam AGNETEM, deſponſatam Alberto Pingui, Duci Brunſuicenſi, Alberti filio, adhuc puero: verùm cùm eſſet facta nubilis, duxit ipſam Henricus, Alberti frater cognomine Mirabilis. Doti data ſunt Marchionatus Lansbergius, vrbs Sangerhuſia, Mons Serenus, Scopa, Lauchſteta, Triliza, cum aliis præfecturis: & Otho Alberti II. filius, patrui adhuc titulo vſus eſt, vt ſe Marchionem Lansbergij ſcriberet.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ.

ALBERTVS, obſcurum, qua de cauſa odiſſe cœpit coniugẽ: animum adiiciens ad puellam nobilẽ CVNEGVNDIM Iſenbergiam: ex qua APITIVM filium, quem Garzo Bononienſis alieno nomine appellat Apollonium, progenuit. Pellicis autem tam inſano amore corripitur, vt vxori venenum pararet: quod tamẽ propter fidem & integritatem miniſtrorum porrigi ei non potuit. Erat agazo quidam Vuartburgi fatuus, qui iumentis duobus aquam lignaque in arcem deportabat: hunc Princeps tanti ſceleris adminiſtrum legit: promiſsiſque onerat, & iureiurando obſtrictum, nefario inſtruit conſilio, vt ſpectri ſimulatione cubile introiens, ad quod illi aditum Cunegundis factura eſſet, dormientem noctu ſtrangularet: vt fractis tacitè ceruicibus, prodigioſè necata putaretur. Rexit autem Deus huius fatui animum, vt plus ſaperet Principe ſuo; & mitiorem gereret animum erga dominam, quàm maritus erga Imperatoris filiam, ſuam vxorem, & aliquot liberorum matrem, forma & pudicicia inſignem. Cùm aditus illi pellicis ductu ad dominæ cubiculum fieret, tacitè ſe recondit: tandem excitato modicè ſtrepitu, vt hominis ipſa præſentiam agnoſceret, gratiam dominæ lacrimans implorat: illa & aduentus cauſam & lacrimarum requirens; obiurgata fatui audacia, quid velit, iubet fari. Præ trepidatione diu hærens, quid ſibi eſſet iniunctum, exponit: hortatur vt vitæ, quacunque ratione poſsit, conſulat: ſuam quoque ſalutem pariter commendat: ſe malle eſſe periculi ſocium, quàm ſibi tanti facinoris conſcium. Collaudata hominis voluntate, Varilam aulæ ſuæ præfectum eueſtigio accerſit: negotium exponit, teſtem ſiſtit, conſiliũ petit, vitam commendat. Principis libido & amentia cùm nõ eſſet obſcura: cumq; certi furoris triſtia extarent iam indicia: præfectus fugam ſuadet atque adiuuat.

Alberti in vxorem perfidia.

Dum colliguntur à miniſtris quæ viderentur neceſſaria: ipſa in cubiculum ſuorum filiorum properat: & inter oſcula atque

Margaretæ matris erga filios στοργή.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ. que amplexus, ſuam miſeriam, filiorum deplorat ſolitudinem, & mente intuetur futuram calamitatem. FRIDERICVS trium annorum erat, DICEMANVS anni vnius & dimidij. Cùm iis etiam atque etiam valedixiſſet fœmina in magna fortuna maximè ærumnoſa: maioris natu incumbens cunis, dexteram eius malam morſu impetit: cumque ad alterum quoque approperaret, eſt prohibita, metuebant enim fœminæ præſentes, ne doloris impatientia infanti vim aliquam inſciens afferret: Minimè (inquit) fortunam meam ſcelere maculabo, nec dolorem cumulabo inſania: Deus prohibeat, ne cum mea calamitate coniungam meorum viſcerum, filiorum ſuauiſsimorum, interitum: amoris perpetui hoc vulnus erit nota, & iuſti doloris teſtimonium: pietas mea non nocebit filio, ſed extare impreſſam iniuriæ memoriam volo. Deo omnipotenti orphanorum ſalutem, & tibi Varila vobiſque cæteris curam miſerorum commendo. Inter hos gemitus à cunis abſtrahitur, nam locus atque tempus abitionis admonebant. Conſultis igitur pannis atque linteis, de loco excelſo demittitur incolumis: qui ſcopulus adhuc monſtratur. In comitatu eius erant, miniſter admonitor, & matrona nobilis, & puella virgo. Factum eſt hoc VIII. Calend. Iulij Anno M.
1270. CC. LXX.

Margaretæ, vxoris Alberti, fuga. Ea nocte Creienburgum vſque, quam arcem Comites Bichlingij nunc tenent, pedes peruenit: dolore atque itinere debilitatam, Abbatis Hirsfeldenſis præfectus, qui tunc arcem tenebat, honorificè excepit: properantemq; Fuldam vſque curru vehi iubet, hoſpitio Abbatis nonnihil recreata, ſe Francofurtum mitti petit: quod BARTHOLDVS Abbas citò exequitur; qui poſt menſes paucos ſacra ipſe faciens, ante aram occiditur. Ciues Francofurtenſes magna afficiuntur lætitia, quòd ad ſe confugerit: eique omnia pietatis & obſeruantiæ officia præſtant: nam & nobilitas matronæ & calamitas ad miſericordiam omnium animos adducebant. Iis miniſtris contenta, quos ſecum adduxerat, in quodam monaſterio degit: & confecta mœrore ac luctu, atque orationibus nocte dieque dedita, nono exilij ſui menſe, XVII.
1271. Cal. Aprilis moritur, in eadem vrbe atque loco à Vuernero Moguntino Antiſtite, more regio ſepelitur.

Margaretæ mors. Diterici Marchionis prudentia. DITERICVS Alberti frater, nuncio tanti facinoris accepto, conſilium init; quo modo pueros, fratris ſui filios liberaret: nam & pellicem metuebat, ne ſæuiret in orphanos: & paterna flagitia ipſos intueri præſentes nolebat. Itaque fratrem adiens, quaſi omnium eius actionum conſiliorumque ignarus, interrogat de

diſceſſu

diſceſſu coniugis: & ex ſolitudine fraterna ſe dolore affici ſignificat. ALBERTVS ſceleratè improbus, illam conſueuiſſe aulico, & cum eo tacitam aufugiſſe, dicere non erubeſcit: & in eius mores oratione bacchatur: minatur etiam conſciis, ſi deprehendat, qui ſuam æſtimationem ludibrio habuerint: minatur profugæ & deſertrici, quæ morſu in filium ſæuierit. DITERICVS miratus fratris audaciam, diſſimulata indignatione, hortatur ne doleat: vtque deſiderium coniugis fugitiuæ deponat: ſibi tradat educandos filios, ne puerorum præſentia renouet conceptam in animo triſticiam. Sapientia igitur patrui, nepotibus ſaluti fuit, quos ſecum in Miſniam delatos, cum ſuo filio vnico ſumma diligentia educat: optimisque exemplis & arte militari inſtruit. *Albertus Degener Lãdgrauius Turingiæ.*

ALBERTVS audita vxoris morte, CVNEGVNDIM pellicem matrimonio ſibi copulat: ex qua cùm ante legitimas nuptias APITIVM procreaſſet; in ipſa coniunctione ſolenni, puerum ſub pallio ipſa tenet, vt ea ratione nothi nomen amitteret. His artibus Deus falli non potuit: nec Turingi ſe falli patiebantur: nam APITIVM cùm pater creare vellet Principem, fortiter recuſarunt. *Alberti connubium cum pellice.*

Erat Albertus in paucorum & non bonorum poteſtate, inprimis verò nouæ maritæ: in cuius gratiam oppidum Vuiſenſeham, à colore lacus adiacentis nomen habens, oppignerat Henrico Haſsiæ Landgrauio, id ægrè ferens Henricus quidam Vuilicinus Vuiſenſehenſis, Idibus Decembris Reinhardbornum noctu inuadit; equos centum, qui Principis erãt, abducit: nam cùm Albertus Tennebergi ageret, equos Abbati alendos tradiderat. De abigeo illo Princeps factus certior, ſe exiguo ſuo damno, ait intelligere, qua erga ipſum voluntate ſint ſubditi: qui ſi poſſent, eadẽ ratione ſpoliaturi eſſent totam prouinciam. Erant autem propemodum omniũ animi ab ipſo abalienati: quia ſuos negligere & odiſſe, & agitare conſilia toti Reipublicæ pernicioſa deprehendebatur. Cùm igitur eius leuitatem atq; profuſionẽ cernerent: ne pedẽ in Turingia figeret Haſſus, & aliquando vetus ius repeteret: conſenſu aliquot nobilium, Principisq; conceſſu Vuiſenſehenſes ſexcentis puris argenti marcis ſeſe redimunt. Factum id anno M. CC.LXIII. Eodem anno Albertus arcẽ Dornbergam, & Alſtedã obſidet oppidum: vtrunque anno inſequente capit; tum aliquot latronum receptacula in Oſterlandia, fratris Diterici auxilio, euertit, latrones viginti quatuor captos gladio percuti mandat. *Albertus ſubditis inuiſus.* 1263. 1264.

Turingi Comites videbant Albertũ pro libidine agere omnia, & iniuſta cupiditate animos in ſe accendere multorũ: ideo vt ipſũ obſer- *Alberti fœdus cum Turingiæ Comitibus.*

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ.

obſeruantia placarent; & ſimul veluti habenas iræ inijcerent: multa humanitate ipſi perſuadent ad fœdus ſecum faciendum: ſe velle vt ſumma auctoritas ſit penes Principem, & cupere in Republica quietem: conſultum videri, vt nullus alteri bellum inferat: hec vlla cauſa, niſi Principe ipſo arbitro dijudicetur: neue prouocandi ad alium ius faſq; ſit. ALBERTVS non improbauit conſilium, & ita decreuit fieri debere: ſed primus contra illud fœdus agit. Nam à Comite Berchenſe diſsidens, arcem ei Bercham vi adimit: quo facto reliquos Turingiæ Comites vehementer offendit. Itaq; vnanimes ipſum adeuntes, admonent, quantum illi honoris detulerint, quid ipſe receperit, quid tabulis conſignatum ſit: deinde accuſant, quòd pacem, cuius auctor eſſe debuerit, violarit; quòd ſocio indemnato poſſeſsionem eripuerit: orant denique, vt incepto deſiſtat, & eum animum retineat erga ſuos atque vicinos, quem debeat: Berchenſem etiam reſtituat in integrum. Conſenſus hominũ nobiliſsimorũ mouebat ipſum, vt Berchenſi arcem redderet: qua re cæteros placatos dimiſit, qui fideli beneuolentia ei parebant; & iam pax confirmata in Turingia videbatur, eaque ad quinquennium durauit.

Albertus Berchenſi Comiti arcem adimit.

1281. Anno M. CC. LXXXI. inter ALBERTVM, & eius adoleſcentes filios maxima diſcordia exarſit. Filij memores iniuriæ, quam matri fœminæ innocentiſsimæ pater intulerat, & quam mori in exilio coëgerat: nec ignari quid pater moliretur, ducta in vxorem pellice, cuius filium euehebat: cùm ipſe nullam pietatis rationem haberet: minimè eſſe impium iudicarunt, patriæ tuendæ, ſuique defendendi gratia, furori & malitiæ reſiſtere. FRIDERICVS annum ſextumdecimum exceſſerat: DICEMANVS quintumdecimum iam ingreſſus erat, fratre tamen nec animo nec virtute inferior. Cum Alberto faciebant Erfurdiani, Keffernbergius, Molbergius, Glichenſis Comites: cum Alberti filiis Suarceburgius, & Bichlingius, & tres fratres Slothemij. Excurſiones hinc inde, latrocinio quàm bello ſimiliores fiebant: Præſul quidam ordinis Teutonici, Alberti conſiliarius, capiebatur à Slothemiis: FRIDERICVS Alberti filius incautius agens, incidit in Keffernbergium: à quo ad patrem Vuartburgum ductus, carceri tetro includitur: & niſi reſtitiſſent miniſtri quidam aulici, adoleſcentem filium fame necaſſet. Cùm annum totum tranſegiſſet in carceris ſordibus: cumque ipſi miniſtri crudelitatem patris deteſtarentur, moti ætate atque virtute adoleſcentis, amicis quibuſdam clàm adeundi eũ faciunt poteſtatẽ: qui conniuentibus Alberti familiaribus, dominum

Alberti bellum cum filijs.

Friderici captiuitas, & liberatio.

minum ſuum cum ipſis cuſtodibus eripiunt, atque in loca tuta deducunt.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ.

Anno M.CC.LXXXVI. RVDOLFVS Imperator in Turingiam venit publicæ pacis confirmandæ gratia. Nam cùm propter Principum diſcordiam licentia creuiſſet: compeſcuit latrocinia, & metu pœnæ multos ad officium reduxit. Vocato etiam ad ſe ALBERTO, patri filiisque mandat, vt ab armis quieſcant, mutua caritate ſe amplectantur, rationem habeant & amplitudinis & exiſtimationis ſuæ, caueant ne ſua vti erga contumaces auctoritate cogatur, neue aliquam controuerſiarum quaſi anſam relinqueret: ALBERTO ipſi propriam Turingiam confirmat: FRIDERICO aſsignat Miſniam, DICEMANO Oſterlandiam, patruele ipſius absque hæredibus (vt dictum eſt) defuncto: HENRICO Aldeburgum & ditionem Pleiſſenſem, quæ materna dos erat: FRIDERICVS cognomento Paruus, Alberti frater, retinuit Dresdam. Alberto primùm imperat, ne quam moueat de iſtis locis controuerſiam, ſed liberis ſua placidè relinquat, & libenter. Filios identidem hortatur, vt patri modeſtè & cum obſeruantia pareant, & mores eius ferant: quæ quidem facturum ſe ait FRIDERICVS, ſed obliuiſci contumeliæ non poſſe, quæ innocentiſsimæ fœminæ, matri ſuæ, ſit illata: cuius etiam in facie impreſſum gerat veſtigium. Hoc fortaſſe ideo loquebatur, vt moueret Imperatorem in Apitium ſpurium: quem germanis filiis, optimis & fortiſsimis adoleſcentibus, pater præferebat: & propter quem graue bellum ciuile poſtea eſt ſuſcitatum. Humaniter ſanè egit Imperator, qui ad conciliationem iudicabat maiorem habituram vim beneuolentiam, quàm animaduerſionem, præſertim inter patrem & filios: ſed Alberti animum non perſpiciebat ſatis, ſimulationis & crudelitatis plenum: minùs autem tribuebat adoleſcentibus, quos & ætas & ambitio plerunque ab officio abducit.

1286.

Conciliatio Alberti cum filijs, mediante Imperatore.

Eò autem magis reprehendendus ALBERTVS eſt, quòd nec auctoritate nec lenitate Imperatoris adduceretur, vt amaret filios, & patriam ne perderet. Specie igitur iuſtitiæ, filiis Turingiam, quam hæreditate habituri eſſent, conatur eripere. Imperatorem ſuam cuique ditionis partem aſsignaſſe: non ſine damno ſuo, id ſe paſſum eſſe fieri: ſibi relictam ſolam Turingiam: eam ſui vnius poteſtatis eſſe: filios nihil iuris habere amplius in alieno imperio, cùm ſe viuo ipſis conceſſerit ſuum, reuerentia Imperatoris, amore filiorum. Talem ſententiam proponit in conuentu, multis non viſam iniquam: verùm cum APITIVM commendaret

Albertus filios hæreditate Turingiæ priuare conatur.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ. daret nobilitati & primis ciuitatibus; vtque eum Turingiæ dominum facerent, inſtaret: indignum viſum eſt hominibus liberis & ingenuis, ſeruire ei, qui eſſet natus è pellice: cuius cauſa optima mater, nobiliſsimi Principes fuiſſent periclitati: Cæſaris filia in exilio eſſet mortua: Fridericus filius in carcere penè fame enectus, niſi vtrunque Deus & fidi homines eſſent tutati. Conceſſo ad deliberandum exiguo ſpacio, Comites, nobiles, ciuitates vno ore omnes contradicunt, & Apitio apertè conuicium faciũt: maiorum virtutem & veteres Principes laudant: ſe legitimis dominis natos parêre, indignos recuſare: Imperium Turingiæ trãslatum ad Miſnenſes, æquo ſe animo ferre: Henricum fuiſſe talem, qui nulla cupiditate ipſos perdiderit, ſed virtute conſeruarit, liberalitate auxerit: ſe ipſius cauſa voluiſſe omnia honeſta, & nunc filij cauſa velle: modò Principem, cui ſine infamia obediant, ipſis det atque conſtituat. Terruit ALBERTVM ſuorum conſtantia, & quanquam arderet iracundia, tamen eam reprimit & diſsimulat temporis cauſa. Interea vias omnes tentat, quibus extollat ac ditet APICIVM: Imperatori perſuadet, vt eum pronunciet ſua poteſtate legitimum: qui ei tradit inſignia Leonis varij geſtantis capite galeam: caſtella & arces oppignerat, & pecũiam omnem collectam conuertit ad Apicium: adoleſcentum multorum animos largitionibus, & indulgentia, & promiſsionibus allicit: aſſumptosque in filij aulam ſplendidè largiterque habet: Tennebergum arcem, item Brandebergum, Breitenbachium, Brandeuelſam, Vuildecam, cum præfecturis eodem pertinentibus, vſibus eius concedit: plura etiam addidiſſet, niſi obſtitiſſet nobilitas.

1288. *Apicij in agro Reinhartbornio clades.* Anno M. CC. LXXXIIX. APICIVS Tennebergi Dominus, vt aliquod ederet facinus memorabile; hominum leuiſſimorũ, quibus vtebatur, auxilio, cœnobij Reinhardborni agros ſpoliat: & abductis pecoribus arcem ſuam commeatu inſtruere deſtinat: qua re maturè intellecta, Monachi cum ſua familia, agricolisque ad ſe confugientibus, raptorem inſequuntur, & prædam extorquent: Apicius à Monacho, vt appellant, Laico, furca bidente eſſet interfectus; niſi eum ſocius continuiſſet, proſpiciens quantum inde ipſis eſſet euenturum periculi. Re infecta domum rediens Apicius, patri flens conqueritur: & quo in diſcrimine fuerit, exponit: Henrico igitur Milæ, præfecto Gothano, mandat: vt Reinhardborniis non modò pecora in agris, ſed & ſupellectilem in domibus eripiat. Erat in aula quidam, cuius filius ea diſciplina, quam Monachi profitebantur, inſtituebatur: is filium de

um de vi certiorem facit, qui ad præſidem ſuum ſtatim rem defert. Admonitus Abbas, idem in agros nunciat, & vt pecora coacta in locum tutum abigant, hortatur. Latrones ſpe prædæ iam aderant: cùm ſe proditos intelligerent, quaſi alia de cauſa aduenissent, recedunt.

Albertus Drgener Landgrauius Tur. nogie.

Cùm ſuas actiónes eſſe videret irritas ALBERTVS, peſsimè filiis cogitabat: iisque nocebat, quâ poterat. Patri iter facienti, ſæpe inſidias filius FRIDERICVS tetenderat: qui vſus hominibus fidis, tandem inter Iſenacum & Gotham equitatu parato adortus eum capit; captum Lansbergam ducit eo animo, vt viuentē eum nunquam dimitteret, patriam metu omni ſeditionis aut belli liberaret: adeò enim peruerſus ALBERTI animus apparebat, vt reduci ad bonam mentem non poſſe videretur. Agebat eo tempore Erfurdiæ RVDOLFVS Imperator: qui accerſito Friderico, cum ipſo expoſtulat; quòd ſui mandati immemor, honorem patri non habeat, quòd pacem publicam violet, quòd leges à ſe præſcriptas non ſeruet. FRIDERICVS officia ſua commemorat erga patrem: minimè paterno erga ſuos affectu, ab eo eſſe ortum iniuriæ initium, qui contraria mandato Imperatoris agat, qui nullam nec pietatis, nec iuſtitiæ legem obſeruet. Iniuriam in matrem ſuam, innocentiſsimam & nobiliſsimam fœminam eſſe teſtatam, ſed adhuc impunem: ſibi verò illatam in carcere Vuartburgio, in quo præter ius faſque detentus toto anno ſit, minimè obſcuram, de qua etiam gloriari ſit ſolitus pater: nunc poſt conciliationem acceſsiſſe nouam, quòd ablato Tennebergo, ſua & fratris hæreditas minuatur, ſpurij augeatur: quòd in ſuorum ſubditorum agris, & in fundo Eccleſiaſtico per Apicium & Milam, iniuriarum Duces ac miniſtros, prædas agat. Hæc ad excuſandum ſe grauiter FRIDERICVS: qui tamen placatus Turingorum precibus, & motus auctoritate Imperatoris, patrem captum dimittit. ALBERTO mandatur, vt Tennebergum & præfecturas abalienatas ad ſe recipiat, filios ingenuos paternè amet, fidem & pietatem integre colat.

Albertus à Friderico F. capitur.

Fridericus patrem captum dimittit.

Cùm eſſet ademptum Apicio imperium: Tennebergum Milæ præfecto ſuo oppignerare ſtatuit: vt pro eorum redituum fructu ſibi annuatim penderet viginti marcas argenti. Marquardus Abbas Reinhardbornius vt ſua poſsideret quietius, & Milam vicinum ne haberet, decem adhuc marcas Landgrauio promittit, ſi ſuo collegio fruendam arcem agrumq; concedat: re impetrata Fridericum Gotium ei præficit. Pecuniam illam Princeps in ſumptus dat CVNEGVNDI, & eius filio APICIO.

Tennebergi oppigneratio.

Anno

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ. 1290. *Comitia Erphurdiana.*

Anno M. CC. XC. cùm Rex Romanorum Rudolfus Erfurdianum conuentum indixiſſet, ad quem vltra quadraginta Principes atque Præſules mandatis euocarat: regio quodam apparatu Landgrauius eò accedit: cumque ſecum optimam nobilitatis partem, & comitatum eximium duxiſſet, in monte Petrino præſente Rege, ſedecim creat auratos equites, quibus gladios baltheosque argenteos inauratos, & equos inſignibus phaleris, & veſtes varias donat; & multis aliis hominibus munera ſumptuoſius diſtribuit, quàm pro fortuna aut facultatibus ſuis. Id autem omne faciebat, vt filiis incommodaret, & largiendo ſibi faceret amicos.

Rudolphi Cæſ. vigor iuſtus erga latrones.

Animis tam nobilium quàm popularium diſtractis; renouabantur per Turingiam latrocinia: atque conniuente ALBERTO alebat impunitas audaciam, conſuetudo atrocitatem. Rex milites ſuos cum copiis Erfurdianorum, totam circumire ac luſtrare Turingiam iubet; conuicto latrocinij parcere nemini: de ſuſpectis ad ſe deferre cognitionem. Deſtruebantur caſtella, arces, villæ, receptacula latronum ſexaginta ſex: quorum domini poſſeſſoresue nobiles, aut laqueis ſtrangulati ſunt, aut truncati capite: multitudini membra rotis frangebantur. In oppidum Ilmenam, quod ad ſiluæ Bacenæ ingreſſum ſitum eſt, triginta confugerant: qui capti Erfurdiam ducuntur, quos pro tribunali ſedens ipſe damnat Rex, qui omnes capitis ſupplicium ſubierunt: nobilibus rogatu amicorum conceſſa in loco ſacro ſepultura eſt, cæteris nequaquam. Abiens Rex Brubergium quendam legatum relinquit; qui caueat, ne inſtaurentur latrocinia, quique eorum reliquias illico tollat.

Aldenburgum oppidum Miſniæ, certa pecunia oppigneratum fuerat HENRICO Munifico, Alberti patri: id HENRICVS Marchio Alberti frater, tunc poſsidebat. Rex fortè per Miſniam iter faciens, oppidum repetit: renumerataque pecunia id redimit, atque Imperio reſtituit. Arcem tamen eius poſſeſsioni relinquit, qui præterea tenebat ditionem Pleiſſenſem, matris olim ſuæ fundos dotales; eum primùm aggreditur ALBERTVS, vel quòd is eius facinoribus reſiſteret: vel vt aditum ad Miſniam vexandam expeditum haberet: quem cùm ditione ſua facilè eieciſſet incautum, & viribus ſe multò inferiorem: HENRICVS cùm nuſquam ſedem certam haberet, & vagari cogeretur, Exulis nomen accepit. Quòd autem à nemine reciperetur, id metu Alberti fiebat: cuius erat potentia magna, acerbitas ſpectatiſsima.

Alberti bellum cum fratre Henrico.

Iniciis

Initiis ex voluntate procedentibus propter expulſum fratrem, omne odium vertit in filios: vtque eos ex omnibus partibus vrgeret, incitat in eos Brandeburgicum Electorem, & Principes Anhaltinos: ſed animoſi adoleſcentes Miſnenſium & Oſterlandorum fidis adiuti armis, cùm maturè intellexiſſent aduerſariorum conſilia, victos prælio Principes ambos ceperunt. Eam rem latè proſequitur Ioannes Garzon Bononienſis, qui Eraſmo Stella dictante ſcripſit hiſtoriam Miſnenſem: cùm autem annales Miſnenſes & Turingici eius rei meminerint tantùm, nec narrationem integre exponant: lectorem ad Garzonem ſeu Stellam remittimus, qui fortaſſe meliores libros inuenerunt. Nam bello ciuili & proximo tumultu ruſtico nondum fuerunt incenſæ ac vaſtatæ, cùm in Turingia, tùm in Miſnia, cœnobiorum bibliothecæ.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ. Principum Anhaltinorum clades.

Anno M. CC. XCIV. Saxonibus Franciſque Principibus & Præſulibus vendere Turingiam ALBERTVS parat: & quæ cuique opportuna pars eſſet, ſponte ſua offert: ſed importunitate ſua emptores nullos inuenit. Nam regionem vberrimam obtinere ſe poſſe diffidebant, inuitis filiis: quia iuſti hæredes & minimè contemnendi Principes erant: & eorum perſpecta erat omnibus fortitudo atque integritas. ADOLFVM tandem Naſſauienſem, nuper electum Regem Rom. aggreditur: is fortè pecuniã anglicam acceperat, quam Edoardus IV. Rex numerarat, vt adduceret ſibi militem Germanicum, in Vaſconia contra Gallorum Regem bellum gerenti: Cuſpinianus ſcribit centum millia marcarum argenti fuiſſe. Turpe eſſe videbatur ADOLFO Regi Romanorum electo, ſtipendiarium Regis ſe longè inferioris fieri: turpius verò multò, accepta ipſum pecunia defraudare. nam nec vllas copias miſit, & externa pecunia ditatus Turingiam emit, Miſniam licitatus eſt. Reſtiterunt acriter FRIDERICVS Marchio Miſnenſis, & DICEMANVS Marchio Oſterlandus, Alberti filij: reſtitit maxima pars nobilitatis atque ciuium, qui iurare alieno domino recuſabant, iuſtis hæredibus adhuc viuentibus: neque patris mandatum ſatis ſibi eſſe affirmabant, niſi ipſi quoque aſſentirentur filij, quorum cauſſa potiſsimum agebatur. Filij omnium opem fidemque implorare, Imperatoris patriſque accuſare cupiditates iniuſtas, ſuam innocentiam probare, libertatem patriæ tuendam eſſe fortiter perſuadere. Interea ADOLFVS, cui Turingia erat vendita, excepta arce Vuartburgo, quod ſibi domicilium viventi legerat Albertus, ad

1294. Albertus Turingiam vendit Adolpho Cæſari.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ. eam occupandam in fine menſis Septembris venit. Iſenacenſes primi fidem dant, & obſequium pollicentur: quos ſequuntur aliqui, qui reſiſtere Alberto non poterant. Iſenaco autem potitus, gaudebat, propter Vuartburgum & Klemmam arces, quas inde expugnari poſſe iudicabat. Comites, nobiles, & ciuitates potentiores alienum dominum repudiant. Adolfus vrgebat ius ſuum: & benignè pollicebatur, dicere ſolitus, Regi Romanorum parère, eſſe libertate frui: ipſos edoctos bellis duobus ciuilibus à proauis abauisque geſtis, quantum incommodi ſit in multitudine dominorũ, qui facilè poſsint & ſe & ſuos diſcordiis & ambitione perdere: hoc bellum maximum futurum & periculoſiſsimum, niſi obtemperent potentiori & iuſtiori. Turingi primùm religionem prætendere, deinde pericula commemorare, quæ à legitimis hæredibus ſint timenda: poſtremò ſe contentos priſtino Reipublicæ ſtatu, dicere, quòd Principes iuſtos habuerint, quibus ſponte libenterque paruerint, & parere in poſterum decreuerint.

Adolphi Cæſ. expeditio in Turingiam, & tyrannis. ADOLFVS ira commotus eos contumaces pronunciat: collectoque de Ringauia, de paterna ditione Naſſauienſi, deque totius Rheni ripa exercitu, redit in Turingiam: Islebiam obſidione cingit: in Herciniis & Turingis prædas agit: Honſtenium, Stolbergium, & Manſueldicum Comites adoritur; & eorum agros vaſtat: inde in Bichlingium, Suarceburgium, Schlothemium, & Helderungicum progreditur: tanta vbique immanitate agens, vt vix credibile videatur: diripiebantur ſacra prophanaque: miſcebantur & virorum & imbellium cædes: contumelioſæ exercebantur libidines: quæ conſumere non valebat furioſus miles, ea igne aut aqua corrumpebat. Tale nihil factum auditumve putabatur iam inde ab iis temporibus, quo Huni & Auares Turingiam perdiderant. Legi verſus, vt illorum temporum erant, rythmicos: in quibus Ieroboamo, Herodi, Maximiano, & Attilæ comparatur. Matronas & puellas detractis veſtibus milites irridebant: pueros ſenesque nudatos verberabant. Anum quandã in ditione Bichlingia captam, ſeuo ac pice illinunt: & volutatam in plumis, ligatamq; reſtæ per caſtra agunt in conſpectũ Adolfi: quã curſu verberibusq; fatigatam, relinquunt ſemimortuam. Sacerdotes in templis ante aras ſpoliabant inter ſacra: aras ipſas ſpe prædæ effodiebant: vaſa templorũ aurea argenteaque rapiebant: templa ipſa prophanabant, non modò rapinis, verùm etiã libidinibus. In agris maior fiebat vaſtitas: pecora, quib. ad victũ alioſq; vſus non vtebantur, interficiebant: colonos carnibus crudis veſci cogebãt: ſemina aut abijciebãt, aut viciabant: arbores frugiferas &

vites

vites ſuccidebant & eradicabant: aluearia conſumpto melle ef-fundebant: ita efferi atque proterui, vt non cum hominibus, ſed cum ipſa natura pugnare viderentur. Erant in exercitu homines honeſti, qui eiusmodi mala cernentes Regem adeunt: & vt hu-maniùs agatur cum victis flagitant. Ipſe ſe excuſat, quòd talia neſcierit, & difficile eſſe continere tantam multitudinem dicit. Crebra autem interpellatione motus, pœnam ſacrilegis dixit, manus dextræ amputationem. Hæc cùm Vippicham & Mittel-huſiam vſque acta eſſent, magnus iniectus metus omnibus eſt: neque homines de defenſione, ſed de fuga cogitabant. FRIDE-RICVS & DICEMANVS intellecta crudelitate tanta, ex Miſ-nia & Oſterlandia mittunt præſidia iis, quos ſuarum eſſe parti-um nouerant. Commeatus petendi cauſſa regij milites longiùs vagabantur: quia loca omnia, vbi fuerant caſtrametati, vaſtando exhauſerant aut perdiderant. Quamobrem cùm præſidiarij con-iunctis eius copiis pares non eſſent: paſſim diſperſos adorti, non paucos obtruncant, aut captos domi affligunt. Huic ipſi in-commodo conſulere cupientes equites, agminatim pabulatum exeunt, adiuncto pedite, vt conferre manum poſſent cum hoſte, ſi poſtularet neceſſitas: tanta enim eos inuaſerat confidentia, vt ſe protrituros exiſtimarent & penitus euerſuros ſolum Turingi-cum. Raſpenbergum arx eſt, ab Henrico Raſpone Ludouici Bar-bati, Turingiæ & Haſsiæ primi Comitis filio, condita: eam tene-bant Miſnenſes. Subiectum ei arci erat cœnobium virginum: id miles externus inuadit: & vt nulli dignitati, aut ſexui, aut religio-ni antè pepercerat: ita nunc barbaro furore agit omnia: erant pleræque nobili genere ortæ virgines: has omnes viciant atque ludibrio habent.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ.

Miſnenſes penè oculis hæc intuentes, & aliorum animad-uertentes excurſus, aliorum incurſus, præſidiarios vicinos, qui Bichlingum, Saxenburgum, & Heldrungam tenebant, certiores faciunt: hortantur vt ſibi adſint, tentaturos ſe facinus præcla-rum. Illi ſine mora conueniunt: cumque ſecuri eſſent hoſtes, eos aggrediuntur: qui cùm aut è lectis, aut à poculis ad arma rue-rent: multi capti, multi interfecti ſunt. De captiuis cùm variæ eſſent ſententiæ: alij enim capite plectendos, alii igne croman-dos, vt inceſtuoſos & ſacrilegos iudicabant: vnus & genere & æ-tate prouectior, cuius & filiæ & nepti vis erat illata; execta viri-litate, eos dimittendos cæteris perſuadebat: de ea enim corporis parte ſumendum ſupplicium, per quam ſceleratè ſit actum: vi-uos autem dimittendos ad Regem, vt & ſuorum flagitia de ſup-plicio

Victoria Miſnenſium de Adolphi exercitu: & captiuorum pœna.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ.

plicio cognoſcat: & vt illi ſemiuiri ſemper viuant infames & inteſtabiles. Rex tali facto atq; ſpectaculo rubore ſuffuſus, ne propter libidinem atque petulantiam ſuorum, incurreret in odium, & hoſtes magis irritaret: Mittelhuſia abducit exercitum: eumq; transfert Molhuſiam, quæ eſt ciuitas imperialis. Affigebantur paſsim in portis atq; valuis libelli contra illos mutilatos, & contra ignauiam ipſius Regis: cui neque animus erat, qui Imperatori conueniret: neque auctoritas, qua militem procacem compeſceret: licentia autem atq; impunitas omnem iam metum diſciplinamque ſuſtulerat. Nulli igitur cùm parcerent iniuriæ aut contumeliæ in hoſpites atque ſocios, eorumque vxores & familias: cumque nudatos tam viros quàm fœminas ad ſeruilia miniſteria & obſequia compellerent: ciuium Molhuſiorum iuſta exarſit indignatio: cumque non vnus atque alter priuatim, ſed vniuerſi dehoneſtarentur publicis contumeliis: ſigno ære dato: omnes intelligunt aliquorum pudorem excitatum & incenſam virtutem, ad coercendum hoſtem tam petulantem & perditum. Sumptis igitur celeriter armis, obuium quemque trucidant, latitantes protrahunt, fugientes comprehendunt, victos denique ciuitate eiiciunt: in ipſo tumultu Rex ſibi metuens, cum paucis fuga ſe ſubtrahit.

Militum Adolphi Cæſ. petulantia.

Adolphi in Friburgenſes & Numburgenſes tyrannis.

Nouo autem exercitu conſcripto, per Salæ fluminis ripam deſcendens, agros villasque vaſtat rapinis & incendiis. Friburgum oppidum eſt, ad quod Vnſtruta fluuius placidus & profundus in Salam exonerat: id primùm obſidet, & eo proditione potitur: turbam imbellem dimittit incolumẽ, iuuenes viroſq; tam nobiles quàm ciues ferro omnes tollit: metuebat enim, ne ab ipſis viciſsim proderetur. Cùm itaque inueniret homines, qui vendere patriam non horrerent: duos Friburgios pecunia corrumpit, vt ad arcem Numburganam aditum ſibi aperiant: compos voti factus, eadem crudelitate cædis vtitur Numburgi, qua Friburgi vſus erat. Inito cum ſuis conſilio, qualia præſidia in ea arce eſſent relinquenda, cùm eſſet ampla & ſpacioſa, & retentu difficilis: timens magnitudinem ſumptuum, & difficultatem commeatus, & vicinitatem filiorum Alberti: eos audit, qui diruendam & ſolo æquandam cenſerent. Arce igitur Numburgana exciſa, & Friburgo oppido incenſo, cùm hiems aduentaret, & Turingia afflicta exhauſtaque eſſet: miles Regis hibernare in ea non potuit: quem cùm ſecum ad Rhenum reduceret, hiemem in reparando bello, & comparandis rebus opportunis conſumit.

ALBER-

ALBERTVS clade ſuorum & calamitatibus nihil permotus, Regem hortatur, ne cœpta feliciter relinquat, ſed vt ius ſuum tueatur: domitos eſſe multos feroces: contumaciam aliquorum non eſſe ferendam: Turingorum exemplo territos Miſnenſes, faciliùs expugnari poſſe: adoleſcentes filios, vſu armorum non ſatis inſtructos, minimè pertimeſcendos, eosque viribus Imperij longè inferiores: prædam ab iis peti poſſe, metallis florentibus: ad Imperij magnitudinem non leuem acceſsionem fieri, ea Saxoniæ parte ſubiugata, per quam aditus ſit propinquus in Boemiã: tentaſſe idem Henricos Imperatores IV. & VI. & niſi morte fuiſſent præuenti, id quod inchoauerant, perfici potuiſſe: Adolfi gloriam vehementer auctum iri, ſi facta Henricorum exæquaſſet aut etiam ſuperaſſet: illos inuaſiſſe aliena, vt amplificarent Imperium: ſe petere ea, quæ precio iuſto Imperij nomine cõparauiſſet.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ.

Albertus fax belli.

Tales faces cùm ſubderentur Regi, multum illi animorum acceſsit: qui etiam totis viribus comparat exercitum: & vt ad nouã expeditionem ſint parati, præfectis ſuis imperat. Anno M. CC. XCVI. delectu ad Rhenum acto, in Turingiam reuertitur Adolfus: agros circa Gotham, Sonnebornum, & Erfam vaſtat: & alia loca ſiluæ Turingicæ propinqua depopulatur: multi neceſsitate coacti, fidem illi pollicentur: qui id ſe facere poſſe negarent ſalua conſcientia, eorum domicilia aut diripiebantur aut incendebantur. Adiuncti ei erãt legati ALBERTI Landgrauij, qui pro Adolfo dicerẽt, & eius causã probarent, cum mandatis, ne contumacibus parceretur. Hoc mihi triſte ac durũ in bellis videtur, cùm depugnatũ nondum ſit, neq; certum de victoria conſtet, quòd hominibus imponatur iuſiurandũ: cumulantur enim periuria, quæ horrendis pœnis, internecione exercituum, euerſione ciuitatum, interitu Ducum, Deus plerumq; punire ſolet: quod exemplis ante oculos ponere, non eſſet difficile, & in exitu huius belli manifeſte apparet. Erant Franchenſtenij magnæ auctoritatis nobiles, partiũ Friderici & Dicemani: in eorum agrum exercitũ ad Vuirã fluuiũ Rex traducit. Arcem igitur Franchenſtenã, & Salcungam obſidet atq; oppugnat: diſſentientibus inter ſe militibus, quorum alij Alberto, alij filiis fauebant, Franchenſtenius tumultum aut proditionem metuens, ſeſe Regi dedit; facta ſimul pactione, vt ſine ſuorum iniuria exercitum abduceret. Rex factus ſucceſſu animoſior, cùm ſe iam metui videret, transmiſſo Vuira fluuio, Creuceburgam accedit: ij qui arcem tenebant, fauebant Miſnenſibus: quos ſequi etiam coactum eſt oppidum. Traiectus autem, quem in flumine munierat, multos durauit annos. Cùm menſem integrum

Altera Adolphi in Turingiam expeditio.

1296.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ.

tegrum ſe ab Adolfo oppidani defendiſſent: ignẽ in tecta lignea coniicit: quẽ cùm materia corripuiſſet celeriter: ciues cum liberis & ſupellectile, quam exportare tempus ſinebat, in arcem confugiunt: aliqui deſilientes de muro notis diuerticulis aufugiũt. Oppido cremato, & parte ciuiũ in arcem aſſumpta; Adolfiani clauſtra portarum ſecuribus frangunt, & quam poſſunt è ruinis & parietinis prædã colligunt: miſsilia conijciebant de arce, ſed paucos læſerunt. Supererat ex incendio ſolum templum, & duæ domus in foro: quas hoſtes vt à telis eſſent tutiores occupant: inerãt cellaria, & fontes, quibus multi reficiebantur, cùm eſſent intenſi eius æſtatis calores. Qui in arce præſidiarij erant, non procul ab oppido hortos amœnos, & vineta fructuoſa habebant: quamobrem militi Regis allecto aut veſtes donabant, aut alia de muris proijciebant munuſcula, ne ipſorum arbores viteſq; ſuccideret: quod cùm nunciatum Regi eſſet, vt eorũ ſibi conciliaret animos (erant enim de nobilitate plurimi) edicto prohibuit, ne qua vis aut agris aut villis hominum illorum liberalium inferretur: qui aliter facerent, laqueo punirentur. Iubet deinde propugnaculum è regione arcis extrui: idque à ſuo nomine Adolfoburgum nominat, quod poſtea Alsburgum mutilato vocabulo dictum: prope quod genus quoddam phalaricæ, vernacula lingua Blidam Turingi nominant, erigit: iaculorumque frequentia tectis & ædificiis damnum dat, nec paucos lædit milites. Obſeſsi laborabant aquæ inopiâ, neque vna ciſterna ſatis erat tantæ multitudini: noctu autem demiſsi per funes aquam milites petebant è notis fontibus: quod cùm diu facere non poſſent: à cuſtodibus corruptis emunt & aquam & ſilentium. Delatum tandem ad Regem crimen eſt: qui conſcios tormentis cruciat, & in eos more militari animaduertit, vt inermes in extentas lanceas incurrerent. Fontes & riuuli poſthæc tanta diligentia obſeruabantur, vt omnis aditus obſeſsis intercluderetur. Brubergius Adolfi legatus, quem Rudolfus Turingis præfecerat, machinam exædificat, quæ rotis & cylindris impellebatur: eam proximè arcem agit: in ima eius parte tectus miles muros perfodiebat: è ſuperiore verò ſagittarij tela confertim iaciebant. Erant quodam die æſtus penè intolerabiles, quibus milites in machina fatigati, loco cedebant ipſo meridie; & in proxima ſeſe cellaria, quæ remotis ruinis aperuerant, condebant, indulgentes aut quieti aut poculis. Re animaduerſa, qui in arce erant, in omnem rei bene gerendæ occaſionem intenti, excurrunt, milites opprimunt, machinam incendunt.

cendunt. E nobilitate in arce erant Scheleuilcij, Sluneni, Scherſij, Creuceburgi, Butteleri, Neſsilredi, Steinij, Pferdisdorſij, Strieri, Stoubini, Fraini, Vualteri: qui cùm aquæ inopia, vt dixi, laborarent, pacti incolumitatem vitæ fortunarumque ſeſe dedunt, & fidem Regi promittunt. Oppidani, quorum bona ſalua permanſerant, ſuas etiam domos reædificant: laudem fortitudinis cum nobilitate præ cæteris Turingis conſecuti. Adolfo ab exercitu abeunte, Brubergius legatus reliquos, qui adhuc aduerſabantur Regi & Landgrauio, ad officium iuſſus eſt compellere: eos verò tueri atque defendere, qui ſe fidei eius poteſtatique tradidiſſent. Legatus Iſenacum, Creuceburgam, & Gotham tenebat: præfecti Friderici & Dicemani Vuiſenſeham & Sangerhuſam coëgerant copias, quibus etiam vicini Comites ac nobiles fauebant. Cùm autem locis vtrique opportunis hibernaſſent, menſe Martio anni M. CC. IIIC. circa Eſchenuegam equitatus Regis & Miſnenſium caſu alter in alterum incidit. Victoria varia diu pugnatum eſt, & intermiſſum prælium aliquoties eſt inſtauratum: tandem ex equeſtri prælio (nam pugnantes equis poplites inuicem ſuccidebant) factum eſt pedeſtre: in quo ad extremum virtute Miſnenſium regij funduntur, fuganturque, vt prolixiùs in Friderico narrabimus.

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ.

1297.

Miſnenſis de Cæſareani victoria.

Poſt id prælium tum primùm cœpit Miſnenſibus rurſus potiundæ totius Turingiæ ſpes ſuboriri. Quamuis autem poſt illam victoriam, nemine obſtante, maximam inferre cladem iis, qui Alberto ſtudebant, potuiſſent: tamen eos iniuria afficere, quos ſubditos habituri eſſent, noluerunt: nec tamen deſiſtunt, & promiſsionibus ſolicitare, & minis terrere aduerſarios, ſi qui fortaſſe ſibi conſulere & ſapere vellent.

Interea ADOLFVS de ſua dignitate in diſcrimen veniens, Turingis minùs moleſtus eſſe; præſidia, ſi quæ haberet, vndique ad ſe vocare, vt validum quàm celerrimè compararet exercitum: nam de Imperio cum eo certabat ALBERTVS Auſtriacus: & quia cupidè atque crudeliter multa egerat, apud Electores & cæteros Imperij ordines minùs minusque gratioſus erat. Accidit etiam vt inter Vuormatiam & Spiram commiſſo prælio ADOLFVS manu ipſius Alberti interficeretur.

Adolphi deiectio.

Adolphi mors.

Miſnenſes interfecto Rege finem bello ſperabant impoſitũ: ſed Adolfi patruus PHILIPPVS, vt gratiam iniret apud Regem nouum, ſe ei traditurum Miſniam pollicetur: hortaturq; ipſum ad bellum ſuſcipiendum. Dum hæc aguntur, malorum iſtorum

 fomes

Albertus Degener Landgrauius Turingiæ.

fomes atque fax CVNEGVNDIS moritur, anno M. CCC. eodem quoq; anno obit APICIVS eius filius: qui Iſenaci ſunt conditi extra muros ad diuam Catharinam. ALBERTVS Landgrauius, ſpe liberorum procreandorum, ALHEIDIM Comitis Arneshaugij viduam, forma, opibus, ac moribus celebrē, ducit vxo-

1300.

rem: eamq; Vuartburgum adductam, in honore habet. FRIDE-

Alberti tertium coniugium.

RICVS natu maior filius de toto negocio fit certior: ſuorumque amicorum hortatu Gotham veniens, quam interfecto Adolfo receperat, conſilium init de rapienda ELIZABETA, nouercæ ſuæ filia, puella annorum quatuordecim, quę laude pulchritudinis atq; modeſtiæ ſui temporis puellabus præferebatur. Solebat autem cum ſuis pediſequis ac miniſtris extra arcem Arneshaugam templum quoddam ſacris diebus adire: quamobrem obſeruato loco & tempore, eam cum omni ſua familia Gotham deducit: neue contumeliæ id feciſſe cauſa videretur: ad matrem eius ſtatim literas tacitè mittit, ſuum amorem ſignificat, & vim excuſat: quodq; filiæ dulciſsimæ deſiderium, ipſi luctum aut moleſtiam allaturum non neſciuiſſet, ideo ſe non in Miſniam puellam duxiſſe, ſed habere in proximo oppido: orat vt ſibi filiæ cauſſa faueat. Deinde nuptias cum ea celebrat in fine menſis Auguſti: ſacra ſolennia faciebat abbas Reinhardbornius, eamq; ritu Chriſtiano in manus Principis tradebat. Matrem puellæ, quibus poterat rationibus FRIDERICVS placare ſtudebat, & eam ſibi conciliabat per vxorem: quæ mariti fidem atque amorem in ſe non poterat ſatis prædicare.

Friderici nuptiæ.

Alberti tyrannis.

ALBERTI verò patris erat inquietum & implacabile ingenium: qui non deſiſtebat cogitare, quo modo filios vnà cum patria perderet atque extingueret. Cæſo itaque Rege Adolfo, ſociis Erfurdianis primùm Comitis Vinarienſis agrum vaſtat: Hopogardam arcem munitam expugnatam incendit: proximè Kirchbergi Burggrauium oppugnat: Vintbergum, Leheſteinū, Kirchbergum ſolo æquat: ex omnibus Grifenbergum ſolum ſupplici reſtituit. Arbitrorum iudiciis & interceſsionibus multa vtrinque agebantur, ſi poſſet filiis pater reconciliari; ſed omnia agebantur fruſtra. Cognitio cauſæ de integro ad nouum Regem Auſtriacum defertur: qui Fuldam veniens ALBERTVM euocat, & verbis obiurgat, quòd vxorem optimam & nobiliſsimam indigna affecerit iniuria: quòd filios adoleſcentes, Duces fortiſsimos, tractet illiberaliter: quòd arma ſumpta nolit deponere: quòd pacta promiſſaq; ſeruare neſciat. Erant eodem vocati Alberti filij: quibus cùm ſuſpecta eſſent omnia, nó venerunt: quare offenſus Rex,

apertè

apertè minatur, ſeſe effecturum, vt parêre diſcerent. Impeditus *Dicemanno*
autem bello Boemico, præſidia tantùm in quibusdam vrbibus *Oſterlandiæ*
ponit: quæ latrocinando multa intulerunt vicinis incommoda. *Marchio.*
Landgrauius videns nouam belli facem contra filios accenſam: effusè lætari, ſuis amicis polliceri magna, præſidia regia iuuare, largitionibus nouas amicitias comparare.

ALHEIDIS eius vxor, mulier prudentiſsima, mariti moro- *Pœna talionis.*
ſitate & amentia mota, & morum pertæſa, qui omnibus domeſticis & coniunctiſsimo cuiq; ſemper fuerãt intolerabiles, vt maritum filiæ & genero ditionem conſeruaret, FRIDERICVM generum ad capiendum Albertum in colloquio clandeſtino incitat: pericula quæ immineant exponit: & tempore certo conſtituto, ipſum noctu in arcem Vuartburgum cum fido comitatu intromittit. Hoc facinus reprehenſione non careret; niſi aduerſus ALBERTVM perpetratum eſſet: qui in vxorem innocentiſsimam iniurius, ab vxore in fortunarum ſuarũ extremum diſcrimen adducitur. FRIDERICVS nouercæ & ſocrus ſuæ beneuolentia Vuartburgo potitus; patrem vt ſibi arcem tradat, cogit, aut ei vincula minatur: qui tempori obſecutus, & fortunæ cedens, *Alberti*
ſibi locum exilij legit Erfurdiã: qua in vrbe priuatus agit, victum- *exilium.*
que ab Erfurdianis aliquot villis redimens, viuit in magno plebis contemptu: quæque ſuis indignè intulerat, in eadem ipſe mala ſolitudinis, exilij, egeſtatis incidit. Cùm autem maiorum reliquiſſet veſtigia, quod religioſum ſemper fuit, paterna auitaque *Alberti*
caruit ſepultura. Obiit Erfurdiæ anno M. CCC. XIV. ætatis ſuæ *mors.*
quarto & ſexageſimo: ſepelitur in primaria æde beatæ Virginis, 1314.
inſigni monumento, quod adhuc cernitur.

HENRICVS.

HENRICVS Alberti natu maior filius, è MARGARITHA filia Imperatoris: Aldenburgum & ditionem Pleiſſenſem, quæ matri dicata doti fuerant, tenuit. Vxor eius fuit HEDVIGIS tertij Sileſiæ Ducis filia, quem Ducem Florillium nominant annales Miſnenſes. HENRICVS Princeps modeſtus, & pacis ſtudioſus fuit: cuius in bellis iſtis difficilibus nulla mentio: niſi quòd (vt expoſitum paulò antè eſt) à patre ſit eiectus in exilium: vbi exulauit, anne vnquam reſtitutus fuerit, nuſpiam legitur. Sepelitur cum vxore in Cella: ipſe obiit anno nati Chriſti M. CC.
LXXXIX: & ad octuageſimum ſuæ ætatis vixiſſe perhibetur. 1289.

FRIDERICVS.

Dicemanus Oſterlandiæ Marchio.

FRIDERICVS Henrici filius, in Cella ſepultus: vt antiqua eius loci monumenta indicant, & annales Miſnenſes.

DICEMANVS.

DICEMANVS Oſterlandiæ Marchio, & Lansbergi Dominus, Alberti Turingiæ Landgrauij è Margaritha vxore tertius filius, vxorem ducit IVTTAM, Bertholdi Comitis Hennebergij filiam: è qua prolem nullam ſuſcipit. Ab ineunte ætate cum fratribus coniunctiſsimè vixit: educatus cum iis à patruo Diterico, Principe graui & bono: qui cùm perſpexiſſet ſui fratris animum ab omni humanitate & affectu in ſuos alienum; adoleſcentes ab eo quibus potuit rationibus defendit, amicitiis muniit, ad mutuam animorum concordiam crebris hortatibus inſtruxit. Ipſo autem vita defuncto, cùm FRIDERICVS captus à patre eſſet: DICEMANVS ſuæ ſalutis rationem habendam ratus, præſidia circumſpicit: quem texit fauor & beneuolentia ciuium, & præcipuè qui curam oppreſſorum gerit, omniaque & poteſt & efficit Deus. Cùm autem FRIDERICVS & DICEMANVS fratres vno tempore diuerſis in locis, ſeſe opponere hoſtibus neceſſe haberent: Fridericus bella Turingica contra legatos Regum adminiſtrauit: Miſnenſia & Luſatia contra Saxones, Brandeburgicos, & Boemos, pleraque confecit Dicemanus, magna prudentia & felicitate; in ſumendis videlicet armis primus, in deponendis vltimus. Miſniam ferè omnem ſubegerat ADOLFVS: nam hominum noſtrorum animi factionibus diſtracti, minus etiam poterant armis atque dexteris, reliquum erat Principes ipſos tollere: vt omni metu dempto, opulentiſsimam terram ſine controuerſia poſsideret. De inſidiis Friderico factis, in ſequentibus ſcribetur. Dicemanus autem nuſquam locorum tutus erat: neq; quid crederet, aut cui ſe crederet, inueniebat: ne à ſuis quidē miniſtris tutus, qui aduerſis dominorum rebus cum ipſa fortuna, quouis aëre auſtrino citius mutantur.

Dicemani pericula & bella.

Quodam die venationi deditus in ſaltu Zuencano feras perſequebatur: ad quem excipiendum, Henricus Harraſius, Mersburgenſis Præſulis HENRICI auunculus, & eiusdem diœceſis præfectus, delectos equites diſpoſuerat; Principemq; incautū aggreſſus, paratus ipſe imparatum ſuperare non potuit: nam & DICEMANVS fortiſsimè pugnabat: & eius pauci equites pro Principe vitam negligebant. Territus ea virtute & pertinacia Harraſius cum ſuis ſeſe dedit: ducitur cum improbo comitatu

Lipſiam, in vincula coniicitur: poſt multas actiones pro eius liberatione arcem Vuitenuelſam vel, vt alij ſcribunt, Berbenſem cum oppido quingentis argenti marcis Præſuli oppigneratam, Principi reſtituit. Præſul qui ei indulſerat, coram Burchardo Antiſtite Magdeburgico accuſatur: is facti indignitatem perpendens, & eccleſiæ timens, Henricum Præſulem ad ſe vocat, & vinctum vſque ad mortem retinet. In Annalibus Præſulum Mersburgicorum traditur fame eſſe extinctum. In eius locum ALBERTVS in Borna oppido natus eligitur, qui poſt tertiũ menſẽ obiit: cui alius ſubſtituitur patria Torganus FRIDERICVS: ea videlicet de cauſa homines electi humiles; ne Dicemanus occaſionẽ quæreret ſui vlciſcendi, & in tantis motibus patriæ, tota diœceſis in periculũ veniret. Admonitus tanto periculo, ex quo euaſerat, ſui curã diligentiorẽ gerit, adhortante ipſum etiã fratre, inprimis vt caueret tectũ illum & aſtutum ſenẽ, PHILIPPVM Naſſauienſem, Regis in Miſnia legatum. Interea benignioris fortunæ aura oritur. Cæſo enim in acie rege ADOLFO, bonam partẽ vrbium Miſnicarũ fratres in ſuam redigunt poteſtatem. Nobilitas & ciues ſentiebant cum Principibus, & illis omnẽ triſtitiæ & calamitatis memoriã aboleuerat, quòd dominos legitimos ſibiq; caros recepiſſent. Præſules & Abbates cũ hoſtibus colludebant: & ex Principum decremento ſuum comparabãt emolumentũ: legatis præterea Regũ, non modò tranſitum, ſed & commeatũ præbebant. *Dicemanus Oſterlandiæ Marchio.*

Poſt prælium Lucanum in Oſterlandia commiſſum, DICEMANVS irritatus dubia Eccleſiaſticorum fide, cùm non neſciret à Pegano adiutos noui Regis Alberti milites, & iam fugatos poſt prælium ſuſcipi atque foueri: in agrum Peganum excurrit, oppidum capit, atque inflammat, templum opulentum diripit XII. Cal. Auguſti, anno M. CCC. VII. Eodem anno Lipſiæ à ſicario vulneratur in templo diui Thomæ, ea nocte, qua Ieſu Chriſti natalis celebratur, vt annales Miſnenſes: qua eiuſdem mors decantatur, vt Turingici tradunt: ex eo vulnere die tertio obiit, & in æde Paulina ſepelitur. Sicarius deprehenſus multis ſuppliciorum generibus excruciatur: tractusque & pulſatus, & forcipe ignita lancinatus: rota tandem brachia & tibiæ eius franguntur. Auctorem cædis ex perpetratoris indicio noſtri annales non ponunt: ſuſpicio collata omnis fuit in PHILIPPVM Adolfi patruum atque legatum: quem in pugna vt fratris ſui interemptorem poſtea appellauit Fridericus, & pugnantem equo ſua manu deiectum transfixit. Pœna etiam ignominiæ Lipſienſibus fuit, ob nõ cuſtoditum diligentiùs Principem: ne ſonitu cornuũ, *Ager Peganus diripitur à Dicemano.* *1307. Dicemani mors.*

vt in

Obiicit illa mea crudelis pectora ferro,
In medio incautus dum ſteteram Eccleſiæ.
Sic victor victus cecidi virtute: triumphos
Et laudes meritas non rapit vlla dies.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

FRIDERICVS FORTIS.

FRIDERICVS Turingiæ Landgrauius, & Marchio Miſnenſis, ALBERTI II. è MARGARITHA vxore filius, naſcitur anno M. CC. LVIII. Duas hic vxores habuit: primã AGNETEM, Ducis Carinthiæ filiam, quam duxit M. CC. LXXXII. & ex ea genuit FRIDERICVM cognomento Claudum: ipſa obiit M. CCC. XVIII. Alteram ELIZABETAM, Comitis Arnshaugij & Marleſauij filiam, qua, vt diximus, raptu potitus eſt: & cum ea in dotem accepit Neuſtadium, & Ienam: ex ea procreauit FRIDERICVM II. ſucceſſorem ſuum, vocatum ad Romanum Imperium: & ELIZABETAM filiam, optimam fœminam, ſed infelicem maritam, vt poſtea exponemus.

1258. Friderici matrimonium. 1282.

Fridericus hic exemplum variantis fortunæ fuit. Ei enim infanti trienni mater à marito pulſa, genam momordit: vnde duplex cognomen accepit: alterum à gena admorſa; alterum illi virtus tribuit, vt Fortis appellaretur. In vtraque fortuna animo inuictus, & in gerendis rebus omnibus ſolertia & perſeuerantia ſingulari.

Friderici fortuna.

Puer à Diterico patruo omnibus exercitationibus Principe dignis informatur, & cùm eius præſtanti indole delectaretur, quaſi præuidens, neceſſariam fore patriæ arduam excelſamque virtutem, vel ad ſuſtinendam, vel ad propulſandam calamitatem imminentem: ſæpenumerò dictis adhortatus eſt, vt nihil haberet carius libertate & dignitate ſua: nihil antiquius amore & ſalute ciuium ſuorum: multa præterea viciſsitudinis exempla è vicinis regum principumq; aulis commemorauit, veritatem & iuſticiam nunquam oppreſſam, etiamſi ad tempus premerentur.

Friderici pueritia.

A tali diſciplina domeſtica mittitur in aulam VVENCESLAI II. Regis Boemiæ, cui indoles adoleſcentis probata: cumq; eo tempore de regno Poloniæ certamen eſſet, quod defenſum cupiebat Vuenceslaus, contra hoſtes incurſionibus graues, virtus Friderici ſpectata maior fuit, quàm ab eiuſmodi annis expectanda eſſet.

Friderici adoleſcentia & militia.

Reuocatus in patriam cum Diterico patruo in caſtra Erici

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Magdeburgici Antiſtitis proficiſcitur: qui Siffrido & Bernardo Anhaltinis, vt ſuprà dictum eſt, clientibus ſuis arcem Renam recuperare volebat: ſed qui amici ac ſocij venerant, à perfido Antiſtite vt hoſtes, noctu in lectis, capiuntur. Fridericus Lippianæ traditus cuſtodiæ, inde elabitur: & ditionem Anhaltinam, ad quam defendendam antea acceſſerat, rapinis & incendiis depopulatur.

Friderici bellum cum parte Alberto.

Memor autem FRIDERICVS iniuriæ, matri illatæ, ALBERTO patri iniquus erat: cùm dicere ſoleret, quàm diu cicatricem in facie geſtaret, tam diu ſe vindicaturum contumeliam iniuſtam. Hanc autem eius voluntatem incitabant delicta paterna: qui abiecta filiorum legitimorum cura & amore, nothum Apicium amplificabat, quibuscunque opibus atque ornamentis poſſet, neque hoc faciebat obſcurè: in Fridericum autem vim atque arma comparabat, tanquam in contumacem & perditum filium. Adoleſcenti ipſi neque conſilia, neque præſidia deerant: ad ſui patriæque defenſionem, & quò quisque recti erat amantior, eò fauebat oppreſſo impenſiùs. Iræ non diu continebantur intra parietes, ſed actionibus manifeſtis erumpebant, & partis vtriusque clientes gratum facere ſuis principibus ſtudebant. Quamobrem inter miniſtros incipiebant cædes fieri, inter ciues magnæ ſimultates oriri: neque itinera, neque hoſpitia euntibus migrantibusve erant tuta aut certa. Aduerſabatur primùm Friderici conatibus iuſtis cæca fortuna: cumque non ſatis cautus eſſet adoleſcens, à Keffernbergio Comite, partium Alberti ſtudioſo, capitur; tetroque carceri mandatur. Cùm nulla eſſet ſpes in clementia patris: & annuum ſpacium in carcere filius exegiſſet: fidi homines vicem capti Principis dolentes, quo pacto eum liberent, conſilium capiunt: qui arcis Vuartburgi ſcopulo ſuperato, ipſum Principem, eos qui cuſtodias agebant, & quæcunque ferre ſecum agereque poterant, tumultuariè eripiunt. Tradunt Iſenacenſium annales eòdem anno Fridericum vocatum in Italiam, honorifica legatione, à Thuſcorum & Inſubrum ciuitatibus, vt in bellis ductu eius vterentur: tam latè peruagata erat fama atque opinio virtutis, & niſi eum patriæ pericula retinuiſſent, fortaſſe non recuſaſſet externis populis honeſtam & ſalutarem nauare operam.

Friderici captiuitas.

Diterici Marchionis mors.

Obiit proximo poſt liberationem eius anno, DITERICVS Marchio patruus: cuius obitu maximum dolorem accepit. nam ei omnia ſumma debebat officia, educationis atque ſalutis: nec parum prudentia ipſius atque conſiliis lætabatur. Conueniebat

autem

autem Friderico maximè cum patruele, Diterici filio: nam vnà pueri erant educati: & id prudentiſsimus ſtuduerat altor, vt eſſent vnanimes: itaq; iis inter ſe conditionibus ſtipulantur, conuentu Erfurdiam indicto, vt ſi quid humanitus illis illorumve poſteris accidiſſet, alter in imperio alteri ſuccederet: idque Diterici filius eò magis cupiebat: quia carebat hærede, magisq; patruelē quàm patruum diligebat: & ille ſine dubio vir melior, & patriæ amantior, quàm hic erat. His actis Diterici quoque filius non diu fuit ſuperſtes: quem veneno extinctum, quo ceraſa infecta erant, ex Miſnenſibus annalibus ſuprà eſt relatum.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Eius morte delatam ad filios prouinciam, ALBERTVS repetebat, ardens iniquitate & odio: ſed cauſa componitur Rodolfi Imperatoris arbitrio & auctoritate: cui ſi Albertus obtemperaſſet, & ſibi quietem peperiſſet, & ſuis regnum confirmaſſet poſteris. Sed eius erat mens ea, vt filios extirparet, nothum extolleret: quamobrem hunc nobilitati Turingicæ, & ordinibus cæteris commendat: quem vno conſenſu omnes dominum repudiant. Interea captus viciſsim à Friderico ALBERTVS pater eſt: iam ſperabant omnes fore, vt deponeret tandem animum amarulentum, & ab incœptis iniquis deſiſteret; cùm haberet in ſuis actionibus & Deum & homines ſibi aduerſantes. Quare Principes aliquot, & ipſi ſubditi pro patre apud filium intercedunt, vt ipſum è cuſtodia dimittat: idque certis conditionibus à ſe FRIDERICVS impetrari patitur. ALBERTVS vindictæ cupidus, ſuique omni tempore ſimilis, aliquot è vicinia Principes ad arma ſolicitat: ſed eum nemo audit, præter IOANNEM Electorem Brandeburgicum: qui eius promiſsis atque inſtinctu ſubitò inuadit Luſatiam inferiorem; & à Lucca oppido Hanam vſque, quidquid inter Eliſtrum nigrum, & Rederam amnes interiacet, depopulatur: id indigniſsimè tulerunt FRIDERICVS & DICEMANVS: nam nullam inimicitiarum habuit cauſſam, niſi cupiditatem; & bellum per fecialem more maiorum non denunciauerat. Nec ceſſarunt fratres ei ſe opponere: dabatur negocium Dicemano, vt eius conatus iniuſtos reprimeret: qui vſus proſpero & optato ſucceſſu, ſuis animum ad reſiſtendum, qui modò qualiacunque haberent aut hominum aut operum præſidia, accendit: legatum enim Electoris primùm fugat, & bellum renouantem caſtris exuit: Luccam & Hanam præſidiis munit: quæ oppida cùm fruſtra oppugnarent Brandeburgici, Elector ſocios ſibi ad bellum reparandum adhibet, RODOLFVM Bernardi Saxoniæ Electoris filium, & Comites Anhaltinos, quos meritis

Alberti captiuitas.

Albertus bellum rurſus molitur aduerſus filios.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

& ſanguine habebat coniunctos. EBERHARDVS autem Anhaltinus, Bernardi filius, cùm ſuperato Albi, irruere in Miſniam cum exercitu deſtinaret: FRIDERICVS præmonitus, ſumma contentione diurni nocturniq; itineris ei occurrit, in ipſis finibus Marchiæ: cuius cùm Anhaltino inopinatus ſubitusq; eſſet aduentus, auſus non fuit retrocedere: coactusque pugnam init, & ſuperatus capitur cum duobus ſuis gentilibus. Cæſa Anhaltinorũ quatuor millia, capti quingenti. Copiæ etiam Brandeburgicæ à Dicemano hinc inde latrocinantes repelluntur. Cùm in omnibus aduerſam fortunam experiretur Elector: ne de ſua ditione, alienã appetendo, in diſcrimen veniret, legatos de pace mittit: quæ ita confirmatur, vt Fridericus Eberhardum dimittat; HELENAM Electoris filiá ducat DICEMANVS, ille dimiſſus quidem precio eſt: ſed hic puellam nó duxit: vt teſtantur annales noſtri, & monumenta Cellenſia: nam annales Brandeburgici ductá ab eo ſcribunt falsò. Eiectis igitur per vim è Miſnia Brandeburgicis & Anhaltinis, adoleſcentum Principum pater præcipiti vſus conſilio, Turingiam inſcribit mercede, vno tantùm relicto ſibi domicilio, arce Vuartburgo: emptorem inuenit ADOLFVM Regem Romanorum: cui etiam Miſniam offert, à ſe fraudulenter, vt ipſe aiebat, abalienatam. Maiore in diſcrimine hæ prouinciæ non fuerunt: & quamuis ab Hunis Auaribus, Vandalisq; ſunt occupatæ, vt libro ſecundo explicatum eſt: tamen inteſtinis non ſunt periclitatæ inſidiis.

Anhaltini captiuitas.

Albertus Turingiam oppignerat Adolpho Caſ.

ADOLFVS acceſſione talium prouinciarum elatus, Turingos repugnantes vi cogit ad parẽdum. Comparato enim Heluetico & Sueuico milite, amicis hoſtibusq; barbarico more æquè infeſtus venit: multa caſtella capit, aliqua euertit, munitiora oppugnat: nullum crudelitatis genus prætermittens in omnem ordinem, ſexum, ætatem. Cùm autem diſsipatis corruptisq; in domibus agrisq; rebus omnibus, copiam eſſet ſecuta penuria; egentem exercitum traducit in imperij vrbem Molhuſiam: in qua intemperans miles cùm nimiũ ageret licenter, ciues ſumptis armis, exercitum fortiter exterminant: Rex fuga vix elabitur. Quartum iam annum vexabantur Turingi: qui etſi haberent Miſnenſia præſidia, tamen inferiores erant: cùm occurrere hoſti pauci non auderent: diſperſi, ad defendenda caſtella & oppida, non poſſent. Sangerhuſani & Vuiſenſehenſes Miſnenſem habebant equitatum: qui cùm fortè in agris eſſet pabulandi gratia, in copias regias incidit. Cùm oriretur nec cogitatum nec ſperatum prælium, ſumma vi certatum eſt: Regis copiæ longè erant

Adolphi bellum Turingicum.

ſuperi-

ſuperiores: & ita Miſnenſes vrgebant, vt iam fugam ſpectarent: pluribus enim pauciores, fatigati integris infirmius reſiſtebant. Agricolæ qui metu periculi fugerant, paſsim quid ageretur, quoque in periculo Miſnenſes eſſent, vicinis nunciabant: quibus vt ſuppetias ferrent, è nobilitate viri præcipui Vuangenhemij & Erfij cum clientibus ſuis & familia accurrunt: quos cernentes regij, ſuſpicati inſidias ſibi poſitas, fugam ſubitò capeſſunt. Regis præfecti, cognomina auium habentes, Vulturis, Phaſiani, Perdicis, cùm initium fugæ feciſſent; locum ridiculo in vulgus dederunt: & diu manſit in ſermone hominum, Sueuos auibus militare, & eſſe auibus fugaciores. Miſnenſes fugatis hoſtibus animum recipiunt, collectisque viribus cedentes aſſequuntur: inſtaurato maiore violentia prælio, cùm numero confiderent regij, & pudore ſuffuſi ignominiam compenſare gloria cuperent, nouo vtuntur ſtrategemata. *Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.*

Nam vt hoſtes fuga prohiberent; non hominum, ſed equorum perfodiunt corpora. quod cùm conſilio fieri viderent Miſnenſes, idem faciunt: ita ex equeſtri prælio tandem pedeſtre conficitur. Reſpirabant ſæpius ex vtraque parte pugnantes: cumque caperetur nemo, interficerentur omnes: atrox prælium continuatur. Miſnenſes extremos equites hortantur, vt diſcurrendo è vicinis pagis ad arma homines vocent, genus prælij edoceant, hoſtium numerum exponant. Facto vndique concurſu, dum ſe hoſtis parat, ipſi quoque aciem pedeſtrem inſtruunt: cæſi ex vtraque parte multi, nec pauci vulnerati ſunt. Interea tres illi tribuni, quos fugiſſe diximus, inſtructi equitatu Gotha redeunt, quo in oppido Brubergus Regis legatus erat: is vt ſuis ferret auxilium, mox inſecuturus erat: ſed fugiens de exercitu quidam, ei nunciauit, tribunos ipſos & Gothana auxilia ſuperata. Quod cùm ille crederet, & oppido exire vereretur: Miſnenſes tumultuaria victoria potiuntur: hoſtes captos per ludibrium equabus imponunt, & ſe ſequi iuſſos, more triumphantium, inermes abducunt. Hac clade ita animi omnium perculſi ſunt, vt aliqui antea Regi qui fauerant, armis depoſitis, veniam à Friderico peterent. *Strategema.*

Interea dum Brubergus, homo immanis, deuaſtat Turingiam: non minus Miſnenſibus grauis eſt patruus Adolfi PHILIPPVS: qui ducto in Oſterlandiam exercitu, Citienſem & Peganum agrum inuadit: factum id autem eſt, vel quòd Præſulem & Abbatem haberet fautores; vel quòd eos magis iudi- *Philippi Naſſouij bellum Oſterlandicum.*

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

caret iniuriæ obnoxios: Abbatem quidem Imperatori fauiſſe, euentus poſtea docuit. Capta igitur Pega eſt, & Groiza caſtellum firmiſsimum ſolo æquatum. Lipſienſes, quia improuiſus aduenerat hoſtis, cùm ferre arma contrà non valerent, & ademptum deliberandi tempus eſſet, Regem recipiunt. Frobergum quatuor inde milliaribus, oppidum vi captum inceditur. Borna præfectum Hermanum Canutum, & præſidium habebat fortium virorum: ideo ad eam vrbem obſidendam regij ſeſe parant. Cùm autem difficultas annonæ vaſtationem agrorum ſequeretur: legatus Regis Aldenburgum Imperij vrbem, ſoli amœni & fertilis, exercitum deducit in hiberna. Fuit ea hiems aſpera: nec pauci Sueuici milites frigore perierunt: aliqui etiam tædio, repedarunt in patriam. Ineunte ſtatim vere cum reliquis copiis Philippus ad Bornæ obſidionem redit. Fridericus, vt ſuis animum faceret, ad eos liberandos accedit: cum Philippianis prælia facit ſecunda: tandem etiam caſtra Philippi ad eam vrbem vi expugnat. De Miſnenſium virtute certior factus Rex ADOLFVS, Philippo ſupplementum mittit: & litteris hortatur, ne patiatur ſe terreri aut frangi: breui ſeſe affuturum cum nouo exercitu.

Interea de pace legati mittuntur à PHILIPPO: erant autem conditiones eiuſmodi, quæ Miſnenſibus nimis acerbæ & planè intolerabiles videbantur; itaque Miſnenſes orant, ne agere contra iuſiurandum, Friderico & fratri eius datum cogerentur: patriam enim venditam ipſis inuitis, ereptam hæreditatem optimis Principibus, qui niſi cauſam haberent ſui defendendi iuſtiſsimam, ſe nequaquã fortunarum & vitæ diſcrimen ipſorum nomine fuiſſe adituros. Docent quid alij Imperatores & Reges fecerint: quales fuerint in maiores ſuorum Principum quæ ipſi Principes foris domique pro Imperatoribus, Regibusque Romanorum egerint, repetitis aliquot annorum hiſtoriis, grauiter commemorant. Adolfum non minorem poſſe ſibi parare & gloriam & beneuolentiam; quàm veteres Imperatores atque Reges, bonitate & clementia ſibi pepererint. Addunt ad poſtremum, ſi nihil valeant preces, beneficia, iura: ſe paratos mori pro patria, & depugnare pro Principibus velle.

Adolphi ſimulata gratia erga Fridericum

Cùm tanta eſſet Miſnenſium magnanimitas & fides: ADOLFVS Rex FRIDERICVM euocat Aldenburgum, tuti itus reditusve literas dat, & ei aulicos digniores obuiam mittit. Cùm poſt multos ſermones Rex Principem, ſimulata gratia, etiã menſæ adhibuiſſet: ſicarius quidam ad id ſubornatus, telum in eum

taciтus ſtringit: quod cùm ciuis Fribergius, cum Principe qui aduenerat, animaduerteret: ſui corporis obiectu, Principem tutatur, & ictum excipit: qui per latus medium transacto telo ad pedes domini ſui mortuus concidit. Tumultu inter Sueuos & ſatellites Marchionis orto, FRIDERICVS ſuorum virtute eripitur: & veſte mutata euadit, id quod curabat hoſpes, ne particeps nefarij facinoris haberetur.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ. Friderici periculum.

ADOLFVS vt in vnum coegerat copias ſuas, PHILIPPVM legatum ad obſidendam Bornam redire tertiò iubet, eumq; milite & pecunia inſtruit: GEORGIVM Comitem Oetingenſem, alium legatum ſuum, cum exercitu in montana ad oppugnandũ Fribergum, mittit. Vno tempore reſiſtendum erat hoſtibus, in Turingia, in Oſterlandia, in Miſnia: nec habebant fratres ſatis virium aut copiarum ad vim propulſandam, & diſcordiæ inteſtinę in agris oppidisq; flagrabant: aliis defendentibus ALBERTVM patrem, vel pietate, vel metu Regis: plurimis verò cauſſam filiorum probantibus: vel iudicio, vt qui ſentire rectè nouiſſent: vel neceſsitate, vt qui militum præſidia in domibus haberent.

Adolphi triplex exercitus.

Fribergum oppidum propter argenti plumbive metalla celebre erat, ab Othone, Conradi filio (vt dictum ſuprà eſt) conditum, eius venæ tum copioſæ, & ciues fideles, quamobrem eo capto magnum operæ precium ſe facturum non fruſtrà colligebat Rex: vt qui nervos Principum incidiſſet, ereptis metallis, & ſubiugatis ciuibus fortiſsimis. Omnes igitur Imperij vires eò confert, vt oppidum quamprimùm capiat. Cùm oppugnationem aliquoties fruſtra tentaſſet: repulſus ciuium virtute, ſuis interdixit ne arma ferrent, è ciuitate erumpentes tantummodò repellerent: neue incautius quid ageretur, frequens in caſtris Rex ipſe verſabatur. Depopulato circùm agro, annonam & pabulum ſubuehit ex Aldenburgico & Chemnicenſe. Id autem ſtudebat, vt hoſtes redactos ad difficultatem & penuriam, tandem ad deditionem compelleret. Alacritate propugnantium, & pertinacia Regis, menſis conſumptus erat ſextusdecimus, cùm transfugæ indicio aditus ad vrbem oſtenditur, per canalem riui cuiusdam, qui adhuc influit in oppidum, inter portam Piſanam & Donatianam: perfoſſo igitur muro, atque collapſo, vrbs non ſine dimicatione capitur. Cùm in ipſo ingreſſu pugnaretur acriter: omniumque animi atque oculi in periculum præſens eſſent intenti: admotis alio in loco ſcalis, ciues à tergo cæduntur: qui arma proijcerent, eis impunitas promiſſa: qui pergerent vti eis infeliciter, pauci à multitudine obtruncantur.

Fribergi oppugnatio.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Qui erant diſpoſiti per propugnacula & turres, loco cedere noluerunt: aliqui ſunt deiecti armis, aliqui fame ad ſe dedendum adacti. Arcem ipſam tenebant nobiles, & quidam optimates, quibus offertur incolumitas, ſi faciant deditionem. Quod cùm Friderici, ad quem legatos miſerant, permiſſu fieret: Rex violata fide, in terrorem aliorum, honeſto loco natos, viros ſexaginta gladio percutit: reliquo militi, & ciuibus dedititiis, ſi ſalui eſſe velint, ingentem pecuniam imperat: qui cùm ſoluendo non eſſent, ad Principem literas ſupplices mittunt: in quibus orant, vt ſaluti conſulat eorum, qui pro ipſius ſalute in extremum diſcrimen ſint adducti: nihilque reliqui habeant, præter ſpiritum: ereptas fortunas & libertatem, adempta ornamenta omnia, liberos & vxores viuere turpiter & miſerè. Eorum querelis motus, cùm exhauſtus & pecunia eſſet & milite: tria ad Muldam oppida, Grimam, Rochlicium, Leiſnicium pro redemptione ſuorum, Adolfo tradit. Miſena vrbs, vetuſta Principum ſedes, vicinorum calamitate admonita, ſponte in poteſtatem venit, vt ſcribit Siſtridus presbyter. Vuitigo Secundus eius nominis Præſul, Adolfianos excipit, exultantes ſucceſſu, & mirum in modum abutentes victoria. Fribergo & Miſena vrbibus præcipuis captis, itidem Bornenſes in Oſterlandia, qui etiam atque etiam reſtiterant, ſe Philippo dedunt.

FRIDERICVS Marchio cùm nuſquam eſſet tutus, & ditione vberrima exutus: paucorum miniſtrorũ comitatu perſpectæ fidei hominum circumit hoſpitia: nec deſiſtit cognoſcere conſilia hoſtium, ſi qua ſe occaſio melioris fortunæ offerat atque oſtentet. Adolfiani tanta inſolentia, tantaque crudelitate vtebantur in populum, vt ipſum Regem facerent inuiſum omnibus. Itaque plebs miſera dolere, & conqueri, & Principes ſuos deſiderare. Confluebant ad Fridericum exules, & homines fidi, prompti ad depugnandum: nam mori ſatius ducebant, quàm tali ſub Rege viuere. Rochlicium ad Muldam antiquiſsima vrbs eſt, & propter flumen loco opportuna: cuius præſidiarij cùm negligentiores eſſent, id FRIDERICI prudentiam minimè latuit. murum igitur noctis ſilentio cum aliquot viris fortibus ipſe conſcendens, ſociis circũ mœnia diſpoſitis, cuſtodes interficit, clauſtra aperit, arcem capit, ciuibus reddit libertatem, militem Rhenanũ & Sueuum eiicit. Fama per Miſniam peruulgata, omnium hominum animos erigit: augetur militum ad Fridericum concurrentium numerus cotidie. Erat in vicinia PHILIPPVS Naſſaui-

Cæſareanorum crudelitas & ſecuritas.

Friderici prudentia & victoria.

Naſſauienſis Regis legatus: qui ob amiſſam vrbem opportunam, animo vehementer angebatur. Certiores inde facti FRIDERICVS & DICEMANVS, ipſum cum non magno equitatu Dobela iturum Oſchatium; inſidias ei ponunt in itinere: eumque in ſilua Quercetana cum viginti equitibus capiunt, captum Rochlicianæ mandant cuſtodiæ: qui vt liberaliùs haberetur in vinculis, Lichteualdam arcem, Dobelam, Geitam, Bornamque oppida Principibus reddit. Sueui amiſſo duce trepidare, ſeſeque continere in præſidiis, cuſtodias agere, auxilia quærere.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ. Philippi Naſſovij captiuitas.

Erant è prima nobilitate, & ex Eccleſiaſticis, qui hoſtes contra patriã iuuarent, eosq; confirmarent, & (vt fit in bellis ciuilibus) qui perire cuperent, modò perditos vnà inimicos viderent. Naſſauienſe adhuc in vinculis agente, Rex ADOLFVS prælio vincitur, & manu Alberti Auſtriaci, æmuli ſui, interficitur: qui etiam in ſtrati hoſtis faciem, equum impuliſſe, in quibusdã Chronicis traditur. Rege electo nouo, ALBERTO Auſtriaco, Marchiones ditionẽ repetunt, quibus Rex benignè promittit: multæ interea ciuitates ſponte ad dominos iuſtos redibant, & quæ id facere recuſarent, eorum agri & prædia diripiebantur: quæ calamitas cùm inprimis moleſta eſſet Iſenacenſibus; legatos ad Regem mittunt: ſe fidei memores, nõ diſceſsiſſe ab Adolfo, nec ab Alberto diſceſſuros, ſi ab iniuria Principum defendantur, qui præter ius & patrẽ odiſſent, & Imperij fortunas minuerent, & ſocios regis latrociniis perderent. Rex conuentũ indicit Fuldam, menſe Iulio: ad quem Landgrauiũ cum filiis euocat. Pater cùm veniſſet, de contumelia, quam vxori Imperatoris filiæ, matronæ ſanctiſsimæ, intulerat, grauiter obiurgatur: cognoſcitur etiã cauſa de bello inter ipſum & filios. FRIDERICVS & DICEMANVS, ſuſpectam habentes Regis fidem, eò non accedunt: quamobrem vt contumaces & rebelles accuſantur; minante ipſis Rege, niſi Boemico bello impediretur, ſe effecturum, vt & patri & ſibi obtemperarent. Iſenacenſibus ciuibus, & aliis, qui aderant ſupplices, dat præſidia, & eſſe bono animo iubet: & vt noceant hoſtibus, quocunq; modo poſsint, concedit. Naſſauienſis, cognita Adolfi morte, vt ſibi noui Regis gratiam conciliaret, & vt Principes vlciſceretur priuatim: ALBERTVM inſtigat per internuncium, ne Miſniam metallorum frugumq; terram feraciſsimam ſibi eripi patiatur: eſſe emptam eam prouinciam pecunia Regis Adolfi, ſubiugatam virtute ſua: conqueritur de Principum adoleſcentum iniuriis & contumacia, quibus Regem patremq; læſerint: eſſe maieſtatem defendendam, & ſtatuendũ exemplum, ne cæteri Principes tantũ ſibi licere exiſti-

Adolphi clades & mors.

Conuentus Fuldenſis.

Naſſavienſis fax belli.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

exiſtiment: minimè verò ipſos contemnendos exules, quibus faueat multitudo, & qui inſigni audacia ſint præditi, ſe pericula omnia aditurum pro imperio, & pro gloria. Hæc minimè fruſtrà canebantur Auſtriaco. Deceperat Naſſauienſis ſenex aſtutus improuidos adoleſcentes. nam dato iureiurando, ſe certo loco manſurum, liberam impetrauit cuſtodiam: ſed fide non ſeruata, & conniuentibus cuſtodibus, aufugit.

Erat FRIDERICVS omni potitus Miſnia, poſt obitum Adolfi, excepto Fribergo: quod præſidio firmo tenebatur, nec audebant ciues dare aliquam ſignificationem beneuolentię, propter tyrannidem præfecti. Miſsis ſæpe illuc de deditione caduceatoribus, nihil mouet milites feroces, & in bene opulenta ac munita vrbe, omni ſceleri ac libidini deditos. Sperabat autem fore, vt oppidum conditionibus reciperet magno ciuium, aliquo etiam ſuo emolumento: ideo vim tentare noluit, ad quam adactus paulò pòſt fuit. Primi Lipſienſes, deinde Oſterlandi alij, ſua quisque præſidia eiiciunt: è quibus miles externus capto Duce primario, partim metu, partim tædio aufugerat.

Alberti Auſtriaci Caeſ. bellum Miſnicum.

Rex compoſito bello Boemico, quod cum Vuenceslao affine ſuo geſſerat, Comitem Nortinbergium legatum in Miſniam mittit: vt Sueuorum copias colligat & retineat, & illis adiuncto exercitu ſuo, ſpem faciat potiundæ totius regionis. Qui è partibus erant Regis, tacita impertire conſilia, & auxilia præbere hoſtibus patriæ, cuius interitu ſe futuros ampliores confidebant. Exercitus regius, qui ex Auſtriacis, Boemis, Sueuis, & Bauaris conſtabat, primùm Pegam venit: cui Abbas & tranſitum concedit, & impertit commeatum: progreſſus inde Rœtham & Lobſecam diripit, villas deprædatur, armenta abigit: & ad Lucam vrbem, prope Eliſtrum fluuium ſitam, quæ vicinorum periculis territa, portas clauſerat, caſtra locat. Annalium noſtrorum ſcriptores ſatis atrocia de milite Sueuico dicere non poſſunt: quæ ego etiam malo cogitationibus lectoris relinquere, quàm repetere cum faſtidio: cùm ingrata omnibus ſit crudelitatis, ne dicam amplificatio, verùm etiam mentio, & ſatis in Alberto dictum videtur. Fratres tanto belli diſcrimine ad neceſsitatem penè extremam redacti, ex agris oppidisque militem per tumultum colligunt, & adeſſe ſibi Lipſiæ iubent. Vicini Principes, quamvis deteſtarentur hoc bellum: vberrimasque terras, è quibus & ipſi fructum caperent, tam fœdè à fœdiſsimo milite conculcari dolerent: tamen ſuppetias ferre non audebant, metu potentiæ Regis, qui

iam

iam Boemum ſuis parêre mandatis coegerat. Solus Dux Brunſuicenſis HENRICVS, qui ſororem Principum vxorem habebat, trecentos equites mittit, quibus ipſi deſtituebantur maximè. Cùm Lipſiam fidi Principibus homines aduentaſſent: acris fit conſpiratio, tam inter nobilitatem, quàm inter plebem: ſeſeque inuicem extimulant ad defendendam patriam, & ad hominum ſæuiſsimorum iugum excutiendum. Prima ipſis cura erat, vt ſibi Deum per preces & pœnitentiam reconciliarent: nec aliis id faciebant voluntatibus ac mentibus, aç ſi in mortem, ante oculos poſitam, mox eſſent ruituri. Plenis viis ibatur ad diuorum templa: ante aras frequentes iacebant homines: matres pendentes de vberibus baiulabant liberos: audiebantur ſenum, mulierum, & puerorum vota, quibus illa aut ſequens lux vel gaudium & ſalutem, vel ignominiam ſeruitutemque eſſet allatura. Non parum autem mouebantur omnes, exemplo Principum; qui & habitu & vultu ſuam de ſubditis curam ſignificabant. Sacris peractis, ſuam quisque coniugem, parentes, vitam, fortunas, patriam ipſam, domeſticamque ſedem, Deo commendare. Inde arma ardentibus animis, & magna alacritate ſumuntur.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Miſnenſium pietas.

FRIDERICVS in medio foro, armatus militem nudato capite alloquitur: Quod felix (inquit) fauſtumque ſit, mihi & vobis, in hoſtem eamus: & hodie experiamur, quid contra tot nefarios & inquinatos homines, poſsit hæc exigua ciuium & militum optimorum manus. Vobiscum erimus (fratrem manu oſtendens) primi in acie: aut pulchram pro vobis mortem obituri, aut libertatem reddituri patriæ. Hoſtes noſtros iratum habere Deum non dubito, propter tot actiones inhumanas, prophanata templa, ſtupratas matronas atque virgines: qui nullo iure in nos noſtrumque populum tam furialiter ſæuiunt, quique alienarum cupiditatum ſcelerati miniſtri, delere vt videtis has prouincias cupiunt, cum ipſis hominibus. Oculi aliorum omnium, qui nunc vexantur, aut euerſi bonis ſunt, aut in vinculis detinentur, in vos conijciuntur: vota omnium pro vobis fiunt: ad vos, ſecundum Deum, animis pectoribusq; ſuſpirant. Vindicate religionem, patriam, coniuges, liberos, libertatem: præſente ac propugnante ipſo Deo, à cuius aris ſupplices modò ſurreximus, neque eius clementiam vocare in dubitationem debemus.

Friderici ad milites oratio.

Hac concione habita, ſtatim ad ſatellitem clara voce: Cedò (inquit) galeam, trium prouinciarum, Miſniæ, Oſterlandiæ, Turingiæ inſignibus ornatã, & multarũ mihi victoriarũ teſtem:

noſtras

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

noſtras autem manus, & hunc gladium, gubernet & adiuuet Deus. Clamor ingens oritur: & ſublatis ad cœlum manibus, tam pii fortiſque Principis virtutem ductumque ſibi gratulantur.

Confluxerat in forum frequens multitudo: & in vicis ingens turba erat, valedicentium propinquis aut amicis: Sacerdotes & religioſi immixti plebi, agmen precibus & votis proſequebantur, plurimi ad templa recurrebant, aut intra ſuos parietes lacrimabant, inter ſpem metumque ſoliciti atque ſuſpenſi. Clauſis poſt exercitum portis, miles reſpiciebat mœnia, dubius an ea eſſet amplius viſurus: intra muros ſilentium erat tantum, quaſi vacua habitatoribus tota ciuitas eſſet. Sueui delatis de aduentu FRIDERICI ad ſe nunciis, quamuis eius virtutem nouerant: tamen militem plebeium & ruſticanum, vt nominabant ipſi, ſpernebant. Conclamabatur in caſtris ad arma: Fridericus opinione celerius aduolans, pugnæ facit initium cum Oſterlandis & Turingis: quorum impetum hoſtes aliquandiu ſuſtinuere: legato Regis nihil prętermittente, quod ad animandos ſuos pertineret. Cùm pugna eſſet acerrima: integris viribus ſubit miles Miſnenſis, clamoribus alter alterum adhortans, hoſtem non capiendum, ſed obtruncandum. Ad horas quinque certamen durauerat, cùm Saxonicus demum eques pugnam aggreditur: cui Fridericus mandauerat, vt nobiles tantùm caperent, plebem trucidarent. Territi noſtrorum ardore Sueui, arma abiiciunt, & fugam capeſſunt: quidam vt latêre poſſent, iumentis interfectis, in ipſorum corpora ſe recondunt; quod equidem non ſcriberem, niſi id conſtanter Annales teſtarentur: deprehenſa fraude, magis in eos ſæuitum eſt, & equorum figebantur corpora, tanquam omnia eſſent hoſtium plena. Ceciderunt illo campo, vt maiores vocarunt, lanceæ trecentæ & ſexaginta: quæuis autem lancea cataphractum vnum, & equites quatuor continet. Sueuorum clades locum prouerbio dedit, quod in hunc diem vſurpatur: nam Miſnẽſes ſi quem malè acceptum volunt ſignificare, eius eandem fore aiũt fortunam, quæ ad Lucam Sueuorum fuerit. Prælium commiſſum pridie Cal. Iunij, anno M.CCC. VII: captiui, quorum non plures trecentis fuere, ſe redimere pecunia coacti ſunt.

Alberti Cæſar. & Sueuorum clades.

1307.

FRIDERICVS victoriam adeptus, DICEMANO tradit exercitum: ipſe eodem die nunciat eam Lipſienſibus: ſupplicationes fieri tota vrbe iubet: multa ſpolia in ciues, & in diuorum templa diſtribuit. Vtendum occaſione ratus, ad Grimanos & Torganos mittit caduceatorem, & deditionem poſtulat: qui obſecuti mandato, ciues primates gratulatum victoriam ablegant: quamvis au-

vis autem eo biennio, quo in Sueuorum fuerant poteſtate, multa indigna tulerant, recepto tamen ſuo Principe, omnium calamitatum obliuiſcuntur.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Naſſauienſis etiamſi maxima ſpe deiectus, tamen non deſiſtebat machinari ſcelerata omnia, per eos, qui ſuæ factionis erant, ciues ſceleratos: tum ALBERTVS Landgrauius filiorum ſucceſſu territus, quouis hoſte atrocior erat. Principes fratres tum alios dubiæ & ſuſpectæ fidei vlciſcebantur: tum Peganum Abbatem, qui hoſtem commeatu inſtruxerat, Dicemanus eiicit, oppidum eius templumque diripit.

Naſſauienſis machinationes ſceleſtæ.

Eodem anno ipſe DICEMANVS interficitur, vt diximus, in templo, aræ ſacriſque aſsiſtens, Lipſiæ: quo caſu vehementer conſternabatur FRIDERICVS frater: nam ſingulari complectebatur illum caritate & beneuolentia, propter fidem & fortitudinem: & eius opera præſtanti atque ſtrenua plurimùm vſus in patriæ periculis erat: commiſſum id facinus, contra optimum Principem anno ætatis ipſius ſeptimo & trigeſimo. Suſpicio fuit à Naſſauienſe ſubornatum ſicarium: quam auxit vox ipſius Friderici: qui cùm inter Bornam & Frobergum in equitatum PHILIPPI, quem nuper auxerat, incidiſſet, inito confeſtim prælio, Philippum, vt fratris ſui interfectorem appellat: qui cùm conſpectus ab eo inter confertas turmas eſſet; dimicando ita exarſit, vt per omnes cuneos ad eum ſolum contenderet: quem non ſegniter pugnantem, vulnerat; feſſumque & agitatum de equo deiicit, & ſpolia de eo opima detrahit atque ſuſpendit. ALBERTVS Leiſnicij Comes in eodem conflictu captus, mulctatur pecunia.

Dicemani cædes.

Friderici victoria de Philippo Naſſauienſi.

Rex ALBERTVS cognita ſuorum clade, nouum conſcribit militem: & cum Petro Antiſtite Moguntino in Turingiam meſsis tempore veniens, vaſtitatem agris infert. Agebat autē cum FRIDERICO per legatos, vt Turingiam ab Adolfo emptam, reſtitueret Imperio: & vt captiuos ſibi redimendos daret. Induciarum tempus erat, nec tamen quieſcebat à maleficio miles regius. Fridericus vtrunq; ſe facturum negat: quo reſponſo accepto, Rex iurat, ſe non ex Principis ditione diſceſſurum, antequam recuperaret Turingiam, & omnes ſuos è ſeruitute & vinculis liberaſſet: ſed bello Bauarico, quod ei Stephanus Dux inferebat, ad ſua tuendā reuocatus, nihil agere potuit.

Albertus Cæſ. bellum Turingicum molitur.

His rebus feliciter à Friderico fortiterque geſtis, quæ in Oſterlandia regij præfecti caſtella tenuerant, ſponte ſe dedunt: in Miſnia ſolum repugnabat FRIBERGVM, quod valido Sueuorum præſidio

Fribergum à Friderico oppugnatur & recipitur

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

præſidio tenebatur. Ciues metu Regis, quia occiſis nobilibus & optimatibus, ſæuiciæ intuebantur monumenta, reſiſtunt Friderico coacti. ideo, vt antea dixi, miſsis fruſtrà de deditione caduceatoribus, exercitum ad eam oppugnandam admouet. Deliciis & vſu voluptatum effœminati Sueui, infirmos afferebant animos, & deſides dexteras ad reſiſtendum: ideo non magna difficultate, vi tamen oppidum recipit, militem externum interficit, ciues aliquot pertinaces hoſtiũ pariter loco habet, quos intra biduum iubet vrbe excedere. Præfectus illis nouus datur, & Vuighardus prætor in veterem dignitatem reſtituitur: immunitas etiam tributorum ad tempus conceſſa, quia fortunarum penè omnium fecerant iacturam.

Albertus Dicemani hæreditatem petit.

Defuncto Dicemano ALBERTVS Landgrauius ditionem, quam is poſſederat, repetit, tanquam ſuam; iuſtiorem eſſe patrẽ hæredem filij mortui, quàm fratrem: filium FRIDERICVM hortatur, vt de ea prouincia decedat, patriæ quietem amplius ne turbet: cauſæ cognitionem defert ad Regem, & præcipuos Imperij Principes. Fridericus reſpondet, ſe non aliena inuaſiſſe violenter, ſed obtinere defuncti fratris ditionem iure. Patruum enim ſuum Ditericum, Lansbergij Marchionem: & filium ipſius Fridericum, conſenſu Rodolfi, iuſti & boni Imperatoris, in multorum Principum præſentia, inſtituiſſe hæredes ſe atque fratrem: non illi ignota fuiſſe fraterna conſilia fraudulenta; qui repudiata innocentiſsima vxore, qui ſpretis obſequentiſsimis liberis, alienis atque indignis plus fauerit, quàm ſuis: qui Turingiam abalienarit à gente ſua, ſanguine maiorum multo partam: Ditericum prouidiſſe, quid acturus eſſet de Miſnia, quam cupido emptori venditam, & penè ad nihili redactam, rapinis & incendiis iam exhauſerit. Addit, ſe non fugere cognitionem; ſed ſibi ſuſpectum eſſe Regem, ad quem cauſa pertineat: ideo ad optimates Turingorum eam deferendam cenſet. Dum hæc mutuis aguntur literis, FRIDERICVS præfectis Oſterlandicis perſuadet, vt arces caſtellaque ſibi tradant, quæ frater tenuerat. ALBERTVS filium ad Regem grauiter accuſat: eoque rem deducit, vt Rex conſcriptis nouis copiis, expeditionem in Turingiam molitur: ſumpturus de iis pœnas, qui partium Friderici eſſent, & patri ipſius non præſtarent obſequium.

Interea mortuo BOLISLAO Boemo, exercitũ Rex in Boemiã ducit menſe Iulio: cùm in eo regno, quę placuerant, conſtituiſſet, hieme impeditus eſt: quò minus in Turingos & Oſterlãdos ꝓ ſua libidine

libidine animaduerteret: per eorum tamen agrum tranſiens, prędas vndique agit, & inermes vexat agricolas.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Iſenacenſes magis impugnabantur à Friderici præfectis, quàm alij: nam Regibus pertinaciter fauebant, & regios præfectos ſemper præſentes habebant. timentes autem proditionem, permiſſu Regis atque Landgrauij; arcem Clemmam oppido adhærentem, & turrim præcelſam adiunctam demoliuntur. Erat templum in oppido, diuæ Virgini ſacrum: eius turres duas ſimili modo diruunt, & campanas tollunt: id cùm repugnantibus ſacrificulis feciſſent; plurimùm iis in ipſo belli ardore exhibent moleſtiæ: cumque cauſa in curia Romana tractaretur, Clemens V. Pontifex accuſatoribus Hirsfeldenſem Abbatem arbitrum dat, cuius auctoritate res fuit compoſita.

Friderici periculum.

Alheidis querelæ de marito Alberto.

Vxor Turingi ALBERTI ALHEIDIS nō parum dolere, quòd tali nupſiſſet Principi: nam & grandem eius dotē conſumpſerat, & id vnum agebat, vt filios redderet mendicos, fortaſſe etiam filiæ querelis adducta, genero fauere, & in eius præſidio ſpes ſuas collocare cœpit. Timebat enim ne propter mariti prolubium, & ipſa aliquando egeret: neue propter generi anguſtiā, olim filiam videret orbā & exulem. Vocato igitur ad ſe per certū hominem FRIDERICO, vehemēter de marito conqueritur: ſuam ipſa exponit inopiam, quædam etiam conſilia Regis enunciat: ideo Clemmam arcem, & turres ædis ſacræ deſtructas, & ædificiorum complanata faſtigia; vt R ex firmaret ibi ad oppugnandos Turingos propugnaculum, foreq; bellum id diuturnum: ſe ex marito audiuiſſe, mori Regem potius optare, quàm id infectum relinquere negocium. Inſtigat Fridericum, vt alto infractoq; animo ſit, & rebus afflictis ſuccurrat: ſe filiamque ei commendat: diſtractam à ſuis ſe inter milites viuere, cotidiano metu exanimari, in arce nihil videre, præter arma: extra muros, nihil audire, præter lacrimas & gemitus. Viam deinde indicat, qua Vuartburgo potiatur ſine ſanguine, Albertum comprehendat, finem bello & publicis miſeriis imponat. FRIDERICVS maternam ſe beneuolentiam ait agnoſcere, & gratias agit: & relaturum pietate atq; obſeruantia promittit. Adiunctis ſibi hominibus ſpectatis, in ſpecu quodā montis exciſi, qui longo tempore, Landgrauij ſpecus dictus eſt, ſe abdit: & conſcenſa caute in arcem nocte intempeſta venit: patri vt ſibi arcem cum munitionibus tradat, nouerca id curante perſuadet: qui mox altero die diſcedit, & ſe confert Erfurdiam. Patrem in vinculis tenere noluit: ſed contentus fuit ſede exilij, quam ipſe ſibi legerat.

 Regij

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ. Alberti Caſ. bellum Turingicũ

Regij præfecti & Iſenacenſes, re cognita, magnopere formidare, & de ſe actum quiritari: ſubitum tamen ineuntes conſilium, quò iter minus ad ſe expeditum eſſet, ſiluam inter arcem & oppidum ſuccidunt: miſsis inde ad Regẽ legatis; Alberti caſum, ſuum periculum edocent, & auxilium flagitant. Cùm maxima conficiendi belli Turingici ſpes in retinendo eo oppido ſita eſſet: Rex præfectis mandat, vt omni cura ſic rem adminiſtrent, ne hoſtis per ipſorum ſegniciem aut imprudentiam eo potiatur: Molhuſiis, Northuſiis, Erfurdianis ſcribit, vt ad oppugnationem Vuartburgi ſeſe accingant. Legatus Regis in Turingia erat, Comes Miluohenſis, Fuldani abbatis Henrici frater: is Iſenacoburgum ſuas copias locat, & in ſummo montis propugnaculum ligneum, cuius fundamentum ſaxis inciſum erat, erigit: prope eum in Frauenbergo, caſtrametantur Iſenacenſes; qui excilo duriſsimo ſcopulo planiciẽ efficiunt: in cuius medio ponunt phalaricæ genus, quod vernaculo ſermone blidam appellari diximus, quo tela & lapides conijcerẽt in arcem. ea planicies extat inter Iſenacoburgũ & Vihebergam. Tertia căſtra habebant Erfurdiani iuxta fontem, qui à Rodolfo quodam nomen accepit: Quarta Molhuſij, qui in aditu montis, iuxta propugnaculum Regij legati conſederunt: Quinta Northuſij, qui è regione clauſtri Egidiani. Extant adhuc in iis locis conclauia & cellæ ſubterraneæ, in lapides inciſæ, quaſi monumenta & veſtigia caſtrorum. Iſenacenſes, & ex oppido & è caſtris excurſiones frequentiores faciunt ad tentădum aditum, aut eliciendos hoſtes. Cum vxore grauida, & ſocru optimè de ſe merita, & cum delecta manu, in arce Vuartburgo FRIDERICVS erat: eos premebat cibariorum inopia, nec quies vlla dabatur ab hoſtibus ſui colligendi.

Friderici periculum, & in filiolam pietas.

Naſcebatur in ipſo armorum tumultu filiola FRIDERICO: & cùm in arce, quam conſcenderat cum milite, Sacerdos inuentus eſſet nullus, patris incuria, qui eam ſacris vndis ablueret nemo erat: nutricem & infantem poſt octauum ortus diem equo imponit, & aſſumptis viris fortiſsimis decem, noctu egreditur. Cùm notis diuerticulis iuxta Sengilum riuum, & vallem, diui Ioannis dictam, iret, qui excubias agebant, ignotos eſſe equites, Iſenacum nunciant: oppidani ſtatim mittunt, qui eos inſequantur. In ipſa fuga infantis vagitus vehementer mouebat animum paternum; interrogat nutricem cauſam, quæ ait eſſe inediam, nec quieturam, donec ei mammam dederit. Siſtite igitur (inquit) equos: nam propter hoſtes inſequentes, non

carebit

carebit filiola mea victu ſuo; etiamſi hac hora periclitandum de Turingia foret. Circumfunduntur equites quaſi in procinctu ad pugnam: nam inſequentum ſtrepitus procul exaudiri viſus eſt. Texit Deus infantulam, & humaniſsimum patrem, ſuorum Angelorum præſidio: nam hoſtes Fridericum non ſunt aſſecuti, qui ante lucem Tennebergum cum ſuis attigit.

Fridericus Forsis Landgrauius Turingiæ.

Diuina protectio.

Dici non poteſt, quanta admiratio fuerit viſo Principe: quanta gratulatio, nata ipſi filia. Actis igitur Deo omnipotenti gratiis, Hermanum Abbatem Reinhardbornum euocat: & filiæ, in cœtum Chriſti aggregatæ, de matre ipſius, nomen ELIZABETÆ imponit; & cum nutrice Tennebergi eam relinquit, Abbatique & ciuibus commendat.

Filiolæ Friderici baptiſmus.

FRIDERICO nihil erat antiquius ſalute ſuorum Vuartburgi obſeſſorum, quibus in tempore erat ferendum auxilium, propter annonæ penuriam; & audacter erat ferendum, propter arcem vndique obſeſſam: Affinem ſuum Ducem Brunſuicenſem orat, ne ſe deſerat: verſari in diſcrimine ſibi cariſsima, vxorem & ſocrum: oppugnari eam arcem, qua erepta formidaret, ne tota Turingia excideret. Turingiæ Comites, Suarceburgius, Bichlingius, Honſtenius, Stolbergius, Querfurdius, & cæteri primæ nobilitatis, Heldrungius, Varila, Trifurtius, Slethemius, Eblebius, magno frumenti numero comparato, Sonneborni conueniunt: equites trecenti & triginta ſex, plauſtra & currus oneratos centum adducunt. Hæc autem omnia agebantur, inſciente præfecto regio & Iſenacenſibus. nam abeſſe Fridericum ignorabant: & tantum editurum facinus ſuſpicari non poterant aut credere. Erant autem FRIDERICO conſilia lenta: ſed ad exequendum cogitata animus promptiſsimus. De nocte progreſsi manè Iſenaco propinquant: & proxime muros ante portam Marianam, vbi ſublata ædificia erant, currus prætereuntes proſpiciunt: & quia magnum equitatum adeſſe præ portis vident, non audent egredi. Ita enim mandarat Fridericus, vt obſeruarentur portæ, ne quis tutò vrbe exiret.

Fridericus obſeſsis fert auxilium.

Legatus Regis, Iſenacoburgo idem cognoſcens, neue opprimeretur timens; inſcius quinam homines eſſent, aut quid molirentur, ſeſe ſimili modo continuit: nam cum expedito equitatu, aſtare in propinquo Fridericum videbat. Magnus obortus terror hoſtibus eſt: & Friderici audaciam vehementer admirati, ſeſe inuicem obiurgare, qui cautiores & animoſiores non fuerint. Qui Vuartburgi erant præſidiarij, ſublato inopiæ metu, & acceſsione militum, fiunt confidentiores: & cum Iſenacenſibus ſæpius congredi-

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

grediuntur: quibus & pecora ante vrbẽ eripiunt, & ciues ad portas vſque inſequuntur. Iſenacenſibus duo obſtabant maximè, & quòd deſpectus in vicos ampliores de Vuartburgo erat: & quòd propter foſſam anguſtam, ad arcendum hoſtium impetum, vrbs munita nõ ſatis erat. Ea incommoda vt tollerent, ad opus accinguntur, & ante portas tabernacula & quaſi tectoria conſtruunt; intra quæ miles ſe colligens, minùs eſſet conſpicuus: tum ad teli iactum ab vrbe foſſam agunt, iuxta Frauenbergum, & montem vicinum: vt inter mœnia & foſſam receptus eſſet: & ne fortè hoſtes vnà cum ciuibus, pariter in oppidum irruerent. Nam ſæpe excurrebant ex arce ad dimicandum, neque ſine Iſenacenſium detrimento: quos in fuga ſingulari conſilio, non armis ſternebant aut perimebant; ſed varicibus aut poplitibus inciſis, mutilos claudoſve relinquebant.

Legati regij captiuitas & mors.

Eo die, qui natali Chriſtiano celebris eſt, legatus Regis ad audienda ſacra è caſtris in vrbem ſe conferebat: quod ſuſpicati fore Vuartburgiani milites, viam in dumeto occupant: legatumque captum magnis acclamationibus in arcem ducunt: cuius liberandi cauſa cùm fruſtra laboraret Abbas Fuldanus eius frater, minas tandem precibus adiecit: quas iniquo ferens animo FRIDERICVS, mori legatum in carcere compulit; & quid poſſet Abbas, tentare ſe velle affirmauit. Corpus defuncti Iſenacenſibus rogantibus ſepeliendum datum eſt. Legato mortuo, ſoluta eſt Vuartburgi obſidio.

Conuentus Erphordiæ.

FRIDERICO poſt Dicemani fratris obitum propter continua bella, nondum fuerat agendi conuentus, ſuoſque populos confirmandi otium. Ideo per literas Miſnenſes, Oſterlandos & Turingos Erfurdiam vocat: qui ab illis accepta fide, ſe ipſorum fore iuſtiſsimum & perpetuum defenſorem promittit: & muneribus honoratiores ex iis afficit. Deinde cum ſuis deliberat, quo pacto Regi reſiſtendum; & Iſenacenſes compellendi ſint ad officium. Placuit de communi ſententia ditionem Keſternbergij & Molbergij, qui Regi fauebant, diripiendam vexandamq; dare: ſi fortè ſuorũ incõmodis permoti, redire ad mentem velint: neq; id tentatũ fruſtra eſt, cùm ſe à cæteris deſeri animaduerterent.

Iſenacenſiũ legatio ad Albertum Cæſ.

Reliqui erant Iſenacenſes, qui cùm in ſummo verſarentur periculo, de ſua ſolitudine & calamitate miſsis legatis Regi conqueruntur, quàm fideles Imperio fuerint, eſſe notiſsimũ: ſe manſuros in fide, modò ne relinquantur à Rege. Tantùm effecerunt querelæ legatorum, vt Rex per literas ageret cum Comitibus Turingicis:

Cæſaris literæ ad Comites Turingicos.

ringicis; ne iniuſto Principi fauerent plus, quàm ipſorum dignitas poſtularet: ipſos non ignorare, quòd eas prouincias ADOLFVS Rex emerit: eſſe iam expertos, quanto ſanguine conſtiterit, pertinax ille fauor: ſatius eſſe retinere fortunas, & viuere in libertate; quàm nouo facinore fortunam incertam tentare: ſeſe enim non poſſe deſiſtere, quin vendicet ea, quæ ſint Imperij. addit ad extremum minas, niſi reſipiſcant, & Imperij maieſtatem obſeruent. Regi reſpondent Comites conſenſu vnanimi, ſe accepiſſe à maioribus, vt legitimis dominis pareant, & eorum cauſa ſubeant pericula: fraude venditam, & ipſis inuitis emptam patriam ſuã: ideoq; vtrunq; pœnas dediſſe, & venditorẽ, & emptorem: quorũ alter patria, alter vita careat. amare ſe potius bonorum Principũ imperium, quàm nomen libertatis fictum. Orant Regem, vt pro ſua prudentia hæc conſideret: & auctoritate ne abutatur in eos, qui non odio, aut temeritate, aut flagicio ſint rebelles; ſed qui ad arma compulſi ſint neceſſitate, officio, pietate. Lectis literis Rex indignari: & illos ſuperbos eſſe dicere: & iactare apertè, ſe aut poſiturum vitam, aut vlturum talem contumaciam. Solicitabat non modò Principes & ciuitates, verumetiam Præſules: ſed dum maximum bellum molitur, manu Ioannis, ſui fratris filij, interficitur in ſuorum miniſtrorum conſpectu: qui non procul à Rheno vltra Ruſſam Alſatiæ fluuium poſiti, ferre opem domino periclitanti non poterant.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Comitum reſponſio.

Alberti Cæſ. cædes.

Iſenacenſes re intellecta, animum deſpondent; & cum ſociis deliberant, quidnam ſibi tam dubiis in rebus ſit agendum: erant autem ſocij ipſorum Franchenſtenij, & Creuceburgij. Fridericum tandem per legatos orandum cenſent, vt petitionem ipſorum præſens cognoſcat: ſe facturos omnia, quæ facienda cenſuerint viri boni, & quæ ipſi facere honeſtè poſſint. Die dicta Vuartburgum FRIDERICVS venit XI. Cal. Auguſti: quem Iſenacenſes & Creuceburgij, cum ſociis adeunt: & num ſine dedecore diſcedere à Rege poſſint, cui religione ſint obſtricti, interrogant: num ea res ad nobilitatem & alios ciues ſit ipſis infamiam allatura, vel leuitatis vel perfidiæ. Conſiliarij Friderici, & Turingica nobilitas aiunt, legitimis dominis eſſe parendum, idque ſe ſemper duxiſſe honeſtiſsimum: & quòd infamia pertimeſcenda minimè ſit, quòd relictis duobus Regibus cupidis, redierint ad Principes ſuos. pœnam periurij ſubeundam auctoribus, qui ad id vel infirmos, vel victos cogant: id exempla & exitum Regum declarare, qui armis miſerrimè perierint.

Iſenacenſiũ legatio ad Fridericum

Contra Principes pro Regibus quæ dicta allataue fuerint,

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

non ſua vi, ſed ſpecie talia fuiſſe; quæ mouere animos imperitorum potuerint: nam qualis Alberti pietas fuerit, id ab ipſo non tantùm in filiis, ſed & in vxore & in fratribus declaratum: quàm iuſtus verò contractus emptionis, omnes ſanos iudicare poſſe. Hæc aliaque cum dolore, & quidem non iniuſto, multorum vocibus & oratione proferebantur. Iſenacenſes igitur Friderico ſupplices iurant: qui illorum delictis ignoſcit; & nihil imperat grauius, quàm vt Clemmam arcem dirutam reparent, & renouent foſſam. Sacrificulis etiam, qui eos ad Pontificem accuſarant, propter templi cuiusdam turres deſtructas, pecunia ſatisfaciũt: nam turres non reſtituerunt. His rebus ante portam Prædicatorum (vt nominant) peractis, Fridericum hoſpitio accipiunt: qui in vrbem introductus, miratus eſt eorum opera, quæ bello extruxerant: populo etiam ſuam beneuolentiam præ cæteris pollicetur.

Iſenacenſes delicti veniam impetrant.

Compoſita iam erant in Turingia, Oſterlandia, & Miſnia omnia, poſt annum ferè ſextum & decimum, quibus cum Alberto patre, Adolfo & Alberto Regibus continenter bellum geſſerat Fridericus, tanta varietate fortunæ; vt modò exul infimo loco, modò in excelſo victor fuerit collocatus: laborum tamen & periculorum multorum præmia præclara conſecutus eſt, ſuorũ populorum libertatem. Cùm autem tanto tempore maximam fortunarum iacturam feciſſet: vrbes Imperij Aldeburgũ, Chemnicium, Zuiccam, in detrimentorum compenſationem ſui iuris facit: quarum vrbium poſſeſsionem eius filio, genero ſuo, confirmauit poſtea LVDOVICVS Bauarus Imperator. Populis deinceps ſuis, belli diuturnitate & grauitate exhauſtis, cenſum & tributa remittit anno vno: ipſe ex collecta de captiuis, quorum magna multitudo erat, pecunia, aulæ ſumptus cotidianos ſuſtinet. Facta hæc ſunt anno M. CCC. VIII. Cœperunt rurſus agri coli,
1308. & inſtaurari vrbes atque oppida, reſtitui ſacra & leges, & tot laboribus parta libertas multò dulcior erat, quàm antè tranquilla & otioſa fuerat. Luſatiæ oppida, quæ Brandeburgicus ceperat, oppignerata erant Boemis, excepta Hanenſi præfectura, & Radeburgo ac Radebergo oppidis: eos Fridericus bello laceſſere noluit, contentus beneficio diuino, quo ſuas prouincias Ciſalbinas & Ciſſalanas omnes receperat, & auctus Pleiſſenſi ditione erat.

Tres Imperij vrbes traditæ Friderico.

Friderici bellum cum Erfurdianis.

Erfurdiani ab ALBERTO, Friderici patre, multas villas, & nobilium arces emerant. Cùm autem nobilitas ægre ferret, quòd à minoribus ſui ordinis eſſet gubernanda, actum de reſtitutione
1309. ſæpius eſt, ſed nihil peractum. Erfurdiani iuſtæ emptionis titulum habebant, & iactabant priuilegia Imperialia: & vt aliis non

ſint

ſint pares ortu, non eſſe tamen inferiores dignitate. Viuebat in ipſorum Republica ALBERTVS exul: qui non deſiſtebat faces ſubijcere imperitæ plebi atque ſuperbæ. FRIDERICVS vt eos ad cõditiones cogeret, vias intercludit: ne ligna, carbones, ſalem, quibus egebant, importarent: aliarum enim rerum vrbs opulentiſsima copiam habebat. Lædebantur à præfectis Friderici non pauci ciues, & agricolæ. In arcem Andislebiam miſerat præſidia: in quam arcem, qui Friderici mandata exequerentur, receptum habebant, & eâdem captiuos tenebant. Erfurdiani toties læſi, vindictam expetunt, præſidioque eiecto, arcem capiunt & euertunt, pridie Calend. Februarij. De facto illo vbi accepit FRIDERICVS; iure cupiens experiri, eis Mittelhuſiam, publicum tum temporis Turingiæ forum, diem dicit; ſperans ſe effecturum, vt ſententiis publicis condemnarentur. Hoc intelligentes ipſi, manu armata exeunt: Fridericum cedere loco compellunt. Is denuo iudices conuocat, & ſe validiore quàm antea comitatu munit: ſuis autem præcipit, ne quis gladium in illos ruſticos ſtringat: ſed vt ſudibus fuſtibusque eos bene mulctent, & equorum calcibus impetant, fugatos ad mœnia compellant: qui cædem telo faciat, cædis reum fore. Plebs Erfurdiana, ſucceſſu elata, maiore tripudio, quàm fecerat, egreditur, tribunal euerſura: quam in via excipientes Friderici equites, mandato ſatisfaciunt: ditiores capiunt: reliquos ſeruilem in modum percuſſos vulneratosque abire permittunt. Turbatis rebus, & ſpe pacificationis ſublata, Erfurdiani ſocietate ſibi iungunt HERMANVM Comitem Vinarienſem, non minùs ætate, quàm opibus inſolentem: qui alios præ ſe ſui etiam ordinis contemnens, nunquam cum iis conſenſerat, & ſe magnam aſſecuturum potentiam ſperabat: præterea vt ſibi adſint, perſuadent Molhuſiis & Northuſiis: qui cùm Fridericum timerent: & eum nimium creſcere, fore ſibi viderent detrimentoſum: nullum deliberationis tempus ſumentes, auxilium ſuum offerunt. Multi inſuper iis fauebant nobiles, Hercinij, Heſsi, Franci: qui prædando latrocinandoque omnia itinera Turingica reddebant viatoribus infeſta.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Andislebia euerſa.

Erfurdiani vicinorum auxilia quærunt.

Erfurdiani ſuis iam fidentes viribus, Vtenſtadium oppugnant: eoque per deditionem quinto die capto, arcem deſtruunt atque incendunt. Molhuſij libenter eſſent progreſsi: ſed obſtabat Vinarienſis, ſumptus metuens: ſimiliter Erfurdiani memores Mittelhuſianæ contumeliæ, longiùs ab vrbe ſua diſcedere renuerunt. Domum autem reuerſi de ſtipendiis

Vtenſtadium ab Erfurdianis deſtructum.

bellicis,

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

bellicis, & alendo milite, cum ſociis conueniunt: quibus rebus expeditis, vndique prædas agunt, nec ſacris nec prophanis locis parcentes: neque ſolùm in hoſtili id ſolo perpetrabant; ſed etiam intra muros cogebant Sacerdotes & religioſos, vt militem in collegiis clauſtrisque alerent. Tertio ante Pentecoſten die, cùm ſecuri prædarentur, equitatus Friderici occaſionem nactus, palantes inuadit, plurimos equites occidit, ſeptuaginta capit, & inter hos Ludouicum Gutterenſem, Erfurdianorum præfectum: hunc in carcere necauit, alios dedit redimendos. Erfurdiani frementes, duorum canonicorum primæ nobilitatis Molslebij & Eblebij domos militi dant diripiendas: quòd eorum cognati plurimùm apud Fridericum poterant. Flaminibus etiam diui Petri & Nouoperanis, veteres ſuas immunitates violant, & onera non debita imponunt; quaſi non ſolùm cum hoſtibus, ſed & cum diuis parum propitiis bellum gererent. Paulò pòſt in Somera villa, lauta admodum, centum ipſorum equites oppreſſi, cum apparatu & armis capiuntur. Quibus incommodis acceptis, adeò animi ipſorum debilitati ſunt, vt penè de ſalute deſperarent. FRIDERICVS videns omnem ipſorum ſpem in Vinarienſi poſitam; collecto è Boemis, Vodlandis, Miſnenſibus, & Oſterlandis exercitu,

Erfurdianorum damna.

Via incenſa.

Viam oppidum Comitis, in Goldegrunda ſitum obſidet: eo incenſo, cùm ad id moram trahere putaretur, exercitum confeſtim ducit Vinariam: Comitem ſuam implorare clementiam adigit. Inde in Erfurdianum agrum equites mittit, & omnem ad vrbem aditum intercludit: excurrentes ſæpius ciues, nihil laude dignum gerunt. Cùm difficultas eſſet rerum neceſſariarum: vulgus contendit, vt de pace cum Friderico agatur: ſed cùm de die in dié duceretur negotium: in fine menſis Auguſti, ipſe inopinatus ante mœnia adeſt: caſtra ponit Hochemij proxime oppidum: ſuburbia incendit: hortos & vineta corrumpit: tubos & canales plumbeos aquæ ductus montis Petrini effodit, inſpectantibus Erfurdianis, qui ea prohibere non poterant, neque audebant. Die profeſto Matthæi apoſtoli in Brulam ignem iniicit, ædificia muro & foſſæ continua cremat: in oppidum flamma non differebatur, vento igni contrario: alioqui actum de tota vrbe exiſtimabatur, cùm ædificia tectaque lignea eſſent, exceptis templis & delubris. Obſidionem agro vaſtato & parte vrbis inflammata non continuat: vel quia hiems præ foribus erat, vel quia ſatis damni dederat, ſublatis iis, vnde eſſet externo militi, & numeroſæ plebi victitandum. Diſcedens inde milites in circumiacentes villas diſtribuit:

Erfordiæ obſidio.

Friderlcus Fortis Landgrauius Turingiæ.

ſtribuit: qui prohibeant, nequid aut per vim, aut per inſidias importetur: obſeruent etiam, ne extra vrbem ciuis aut miles ad decerpendos arborum fructus aut radices, vagetur & ambulet. Erfurdianis interclusis, & Comite Vinariẽſi, ad officiũ redacto; Fuldanũ Abbatem omnes ſuos hoſtes fouentẽ, vlciſci Fridericus ſtatuit: cumq; militẽ in armis paratũ haberet, & Tungã vſq; duxiſſet: natũ ſibi filium audiens, perfunditur maxima lætitia: Gothãque rediens, eam expeditionẽ non perſequitur. Interea certior fit, quòd Vinarienſis fidẽ temeraret, dando hoſpitiũ latronibus, qui prædas agerent, & villas ſpoliarent. factũ id eſt altero poſt primã compoſitionem anno, M. CCC. XI. Subitò igitur copias in eius agrum mittit: euerſiſq; arcibus & villis, denuo eò redigit Comitẽ, vt ſupplex fieret: quẽ firmiſsimo obſtringens iureiurãdo, vt quieti ſtuderet, efficit: adimit ei vrbes præcipuas Orlemundam, Vinariam, Madelam, Vuipecham: quæ deinceps vſque in præſentem diem in Principum permanſerunt poteſtate. 1311.

Comiti Vinarienſi vrbes præcipuæ adimuntur.

Nova procella Fridericum premens.

HENRICVS Lucelburgius, Rex creatus, maiorum ſuorum veſtigiis inſiſtẽs, decedere Turingia FRIDERICVM iubet: oppida etiam capta repetit, Aldeburgũ, Chemnicium, Zuiccam, quæ eſſent Imperij propria: tum Lipſiam, Griinam, Oſchacium, Torgam, Hanã, quæ oppignerata. Fridericus igitur ditionẽ Pleiſſenſem circumiens, ſuos præfectos confirmat, idem facit in Oſterlãdia: ſi qua immineat vis aut iniuria, hortatur eos ad conſtantiam, datæq; fidei admonet: ſeſe eos non deſerturum, affirmat. Mirum quantum vndiq; premeretur: Regem nouum, vt ſuperiores, habebat iratum: Fuldanus & Hirſueldenſis Abbates, agrum Iſenacenſem & Creuceburgium, & villas ad Vuiram fluuium; Molhuſij & Northuſij, ditionem eiusdem in Turingia infeſtabant. Erfurdianis quidem erat intercluſa via, attamen non ceſſabant excurrere: Vinarienſis dubiæ admodum fidei, ſuos aſſeclas in Oſterlandiam immiſerat: Vualdemarus Brandeburgicus Miſniæ imminebat.

Friderici animoſitas.

Tot vno tempore hoſtibus quaſi circumuallatus, circumſpiciendam occaſionem putabat, Rege præſertim abſente: minùs metuebat Abbates, & ciuitates: & Vinarienſem ſatis grauiter mulctarat: nec non erant Erfurdianorum vires debilitatæ: neminem autem habebat hoſtem atrociorem Vualdemaro, qui reliquam ſubiugare Luſatiam cupiebat. Collecto igitur equitatu, vt hoſti potentiori terrorem incuteret, reliquis ſpem adimeret, in Vualdemari prouinciam irruit, omnia incendiis & rapinis replet, boues & equos abigit, homines multos captos ſecum

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ. Friderici captiuitas.

ſecum abducit. Abeuntem cum præda Marchio magna celeritate inſequitur: cumque Friderici equitatus continuis itineribus defatigatus eſſet, minùs animoſè pugnans, victoria cecidit. FRIDERICVS captus Brandeburgum mittitur. Hæc ita in Turingicis traduntur Annalibus: noſtri verò rem narrant aliter. Hana oppidum trans Albim tum temporis munitiſsimum, Friderici præſidia habebat: quod Vualdemarus dolo occupare ſtudens, pecunia certos homines corrumpit, qui ſuum militem noctu intromittant: quod cùm fieret, furto deprehenſo, triginta Brandeburgici mœnia iam ingreſsi, à ciuibus capiuntur. Fridericus, qui ad duo tantùm milliaria aberat Miſenæ, nuncio accepto, ſtatim aduolat: vel vt è captiuis, quæ vellet, cognoſceret: vel vt locum opportunum, maiore præſidio muniret. Erant captiuorum ſocij extra mœnia, intenti in ſuorum facta, ſi conſilium callidum adiuuaret fortuna. In eos caſu incidit Fridericus, à quibus cùm multitudine vinceretur, in eorum poteſtatem venit. Ductus ingenti gratulatione ad Vualdemarum eſt: qui ſuas ſpes vix animo capiebat præ exultatione.

Delata rumoribus in Turingiam Principis calamitate, hoſtium animi ſupra modum eriguntur: Erfurdiani Ringlebam menſis ſpacio obſeſſam, vi capiunt: Abbates Rotenbergam, & Breitenbachium inſtauratas nuper arces, euertunt. Vinarienſis etiamſi hoſtis eſſe apertè non auderet: tamen eos confirmabat, qui alieno in Fridericum erant animo.

Conditiones à Brandeburgico datæ Friderico.

Proponebantur Friderico conditiones grauiſsimæ: nimirum vt vnicam filiam, Alberto Kœtenſi Comiti, Vualdemari ſororis filio, vxorem daret: omnem ditionem Pleiſſenſem dotem diceret: Luſatiæ relictis oppidis renunciaret: arcibus Landisbergo, Echardbergo, Numburgo cederet, quas Albertus pater Vualdemaro oppigneraſſet: Miſenæ arcis, atq; vrbis Fribergenſis præfecturas patruo Vualdemari concederet: triginta millia marcarũ argenti ſolueret. Hæc fiebant, ne ad reſiſtendum, tot terris amiſſis, ſe poſſet recolligere: nam videbant etiam Regem Romanorum porrò repetiturum ſua, ita vt exiguiſsimam ſuarum prouinciarum partem eſſet ſeruaturus.

Friderici animoſitas.

FRIDERICVS magno erat animo, nec tum primùm fortunæ iniuriam aut mutabilitatem experiebatur: erat autem infracto Principi nihil grauius, quàm conditio lata de filia, quam vnicè amabat, & cui generum legere optauerat: in cæteris conditionibus nullam recuſat facere, vt oppreſsis in Turingia auxilium ferret, & ſe de hoſtibus quamprimùm vlciſceretur. Puella

ſex annorum, ELIZABETA filia, ad ſponſum mittitur, & eius propinquis datur educanda: deinde præfectis oppidorum & arcium ſcribit manu ſua, vt loca deſignata tradant: qui magno ſui Principis deſiderio imperata faciunt. Idem mandat Pleiſſenſibus: ſed ij legatis reſpondent, ſe id ſalua fide facere non poſſe; neq; facturos, niſi Principem ſuum videant incolumem, & ſibi coràm mandantem id audiant. Locus tempuſque conſtituitur, quo Vualdemarus Fridericum ſiſtat: datur in mandatis, vt prope Aldeburgum omnes ſint præſtò. Præfecti fortiter faciendum pro clemente domino rati, auctore quodam Cobelentio, tacitè amicos ſuos implorant: Miſnenſes & Vodlandos, quos eſſe fidos nouerant, in ſocietatem aſſumunt: præmiis quoſdam è Boemis eliciunt. Cùm ſatis virium ſe collegiſſe viderentur, diem deſignant, quo cuncti conueniant: quod cùm celeriter effectum eſſet, inuicem cohortantur & Sacramento ſeſe obligant. Tribus autem in locis circa Halſtadium pagum, equitem in inſidiis ponunt: qui primi erumpant, qui ſecundo loco aliis ſubueniant, ſumma diligentia conſtituunt. Ad diem dictam ALBERTVS Kœtenſis tantas ſecum ducebat copias, quantas ſatis putabat fore, ſi fortè vis fieret: ſimulque vt vrbes atque arces, quæ traderentur, ſatis firmis præſidiis teneret. Pleiſſenſes conſpecto Principe exclamant, & in Brandeburgicos faciunt impetum: qui caſu inopinato ſtupidi, arma ſtringere obliuiſcuntur: confeſtim à lateribus alij equites, qui latuerant, inundant: Principem ſuum è manibus hoſtium eripiunt: Kœtenſem cum nobilibus ducentis captum, triumphantium lætitia Aldeburgum deducunt. FRIDERICVS ſuorum incredibilem fidem fortitudinemque laudat: & penè ſingulos appellans, benigniſsimè promittit. Reuocantur priores conditiones omnes: & ELIZABETAM filiam cariſsimam recipit: reſtituuntur reliqua in conditionibus expreſſa: Kœtenſi ingens pecunia imperatur: fierique iuſſus inter Vualdemarum auunculum, & Fridericum ſtabilis pacis arbiter, dimittitur: nobiles amiſsis armis & equis ſua ſe redimunt pecunia.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Pleiſſenſium virtus & ſtratagema.

Friderici liberatio: Anhaltini captiuitas.

FRIDERICVS ſuorum præfectorum memorabili virtute, patriæ redditus; Turingiæ, Miſniæq; cum terrore vicinorum imperat: cumque ignominiæ duceret loco, vllum hoſtem inultum relinquere, conſtitutis in Miſnia, & ditione Pleiſſenſe rebus, in Buchoniam ducit exercitum: Abbatem Fuldanum & Hirſueldenſem, vt ſibi ſatis faciant de iniuriis, non magna difficultate cogit. Erfurdiani nihil ſibi relictum videntes effugij, miſsis ad Regem Henricum VII. legatis, auxilium petunt, idque impetrant:

Erfurdiani auxilium petunt contra Fridericum.

Fridericus Ferens Landgrauius Turingiæ.

trant: dux eis mittitur patricius quidam Noribergius, qui propter virtutem, aurea ornamenta acceperat. Implorant etiam Othonem Haſsiæ Principem: qui copiis, quas mittebat, Ioannem fratrem ſuum præficit. Talibus inſtructi auxiliis, circa Ringlebam & Sommeram rapinis & incendiis vexant agricolas: ſed cùm equites Friderici vbique præſtò eſſent, leuia prælia facerent, & hoſtes ſæpe ad mœnia vſque ciuitatis repellerent: pertæſi & legatus Regis, & Haſsiæ Princeps; fortaſſe etiam ſibi metuentes, nec magnũ cernentes emolumentũ; ad ſuos reuertuntur. Diſpoſitis ad omnes vias præſidiis, vrbs obſeſſa videbatur, & plebs angebatur penuria. Diſcordia & tumultus alius ex alio, modò inter milites & ciues: modò inter ciues & ſenatum: ſilebant leges in illa confuſione, & paucorũ valebat auctoritas. Mutandus de more feriis Chriſti Natalitiis ſenatus erat: plebs fremere & quiritari, & iurare nolle, niſi pacẽ primùm reſtitueret, & vrbem redderet liberam. Vulgi igitur tumultuantis clamoribus ſenatus, primores patrum, & magiſtros curiarum de pace petenda mittit ad Fridericum: quæ rebus diu agitatis ita confirmatur, vt ciues priuilegiis & immunitatibus ab Alberto conceſsis renuncient: pro certis villis plus pecuniæ numerent: & argenti decem millia marcarum pro petulantia pendant. Hæc libentibus animis ſuſcipiebant: quibus pace nihil optatius, quiete nihil iucundius poterat accidere. Quamobrem cùm in plebem, quæ acta eſſent, nunciarentur: Deo & magiſtratui actæ ſunt gratiæ. Socij eorum Molhuſij & Northuſij eadem ratione pacem comparant. Erat miſerrima facies vrbis Erfurdiæ: è qua multi artifices migrarant, multi ciues occiſi erant: agri circùm vaſtati, & propter neglectionem cultus, vrticis & tribulis pleni: ſucciſæ vites & arbores frugiferæ: villæ incenſæ aut deſertæ. totos enim ſeptem annos infelix bellum tolerauerant.

Pacis conditiones Erfurdianis datæ.

Fames Erfurdiæ.

Acceſsit ad hæc mala, anni inſequentis, propter pluuias & tempeſtates, ſterilitas: vnde vno anno, qui fuit M. CCC. XVI.
1316. octo millia hominum intra mœnia Erfurdiana fame perijſſe ſcribuntur: quos in vicis iacentes, ne lue contagionis plures inficerentur, carpentis Smideſtetam efferebant ad ſepeliendum. Fiunt in hunc diem panes in rei memoriam, quorum vnus tum temporis nummulis ſex emptus eſt: nunc vno nummulo duodecim emuntur.

Erat ea tempeſtate Interrex in Boemia, HENRICVS Carinthiæ

rinthiæ Dux, qui ANNAM Regis Vladislai ſororem habebat coniugem: ei maximè ſtudebat FRIDERICVS, propter affinitatem; nec parui æſtimabat, ſi Regem vicinum haberet beneficio obligatũ: petenti igitur Henrico, quingentos equites mittit: Dubrauius Olomucenſis ipſum Marchionem vnà profectum, non rectè ſcribit. Cùm Pragam intrare vellent; ab aduerſa factione repelluntur: quos cùm Henricus viſus fuiſſet deſerere, in cuius penè oculis cladem acceperant, redire in Miſniam ſtatuerunt: ille ſe excuſans, & pollicitationibus ſolicitans, eos vt manerent adduxit. Interea regnum traditur Ioanni Lucelburgio; Imperatoris filio: qui captis aliquot præſidiis, & inprimis Cuthenbergo metallo, ad Pragam obſidendam, quæ Carinthio & Miſnenſe milite defendebatur, protinus contendit: eam non armis expugnat, ſed capit proditione. Cùm in locum tutum ſe recepiſſet Henricus: nouus Rex cum eo paciſcitur, vt militem dimittat, & è regno decedat. Fridericus tali fortuna Carinthij non lætatus eſt: & hoſtem ſibi futurum Regem Boemum atque Romanum prouidebat. HENRICVS autem delectus Rex Romanorum, paulò poſt proficiſcitur in Italiam: qui cùm domitis Mediolanenſibus & Brixianis, Florentiam obſideret; ſcelere Monachi Dominicani veneno tollitur in Hetruriæ oppido Boneconuento: cuius obitu, leuatus non parua ſolicitudine eſt FRIDERICVS. Aſtipulabantur ei nobiles omnes, de iure & poſſeſſione Turingiæ; eiusque ſuadebant dominatum ſummis opibus defendendum: idem de ditione Pleiſſenſi cenſebant, & de Zuicca atq; Chemnicio oppidis: huius conditor Lotharius Imperator Saxo, illius Fridericus Barbaroſſa Sueuus fuit.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Praga proditione capta.

Henrici Imp. interitus.

Ambiebant deinceps Imperium Dux Auſtriæ FRIDERICVS, & LVDOVICVS Dux Bauariæ; quibus Annales Turingici etiam addunt Vualdemarum Brandeburgicum: ſed altero armis victo, altero repudiato, ſummam rerum obtinuit Bauarus.

Contentio de Imperio.

Durabat fames, de qua dictum eſt, in Turingia: homines cibo inuſitato quercarum fagorumque fructibus, & corylorum alnorumque pediculis & corymbis pro pane veſcebantur: nec à feris domeſticis, cattis & canibus, & multò impurioribus vulgus abſtinebat. Medimnus tritici Iſenacenſis, duobus marcis argenti puri; Erfurdianus quinque pendebatur.

Fames in Turingia.

Moritur his ipſis temporibus, ALBERTVS Turingiæ Landgrauius, Friderici pater, qui ciuiliũ auctor bellorum fuerat, animo in ſuos nequaquam humano: quique in exilio propter pro-

Alberti Landgrauij mors.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

fuſionem & inſania laborauerat & inopia. FRIDERICVS parta domi pace, eam retinebat facilius, quia contentiones de Imperio flagrabant. Redimebat etiam arces & villas, quæ pater oppignerauerat, aliquot Præſulibus: inter has præcipuè à Ducibus Brunſuigiis Marchionatum Lansbergium, quem ipſius maiores longo tempore poſſederant: erat enim arx Lansbergia loco opportuniſſimo ſita, quod eius declarant rudera in hunc diem, & templum elegans, ad formam Italicorum extructum ſupereſt.

Albertus Canutus, vir factioſus.

Alberti conſiliarius fuerat, vir factioſus, Albertus Canutus Turingus, qui eo in exilium exeunte, ſe contulerat ad Fridericum florentem: tantæ potentiæ propter opes & clientelas, vt de eius voluntate ipſe pependerit Princeps: huius etiam merita extabant in Fridericum, cui ſtrenuam in bellis, operam nauauerat. Is inſolenter nimium amicitia & facilitate Principis vtebatur. nam cùm de ſua ſententia aliis dare, aliis adimere dignitates vellet, vt antea fecerat; Fridericus eum verbis increpat, & id ſuæ eſſe auctoritatis aſſeuerat. Canutus ægrè ferens, ſibi non dari licentiam, quæ placerent agendi: ſi (inquit) te extollere potui ad hoc faſtigium, inueniam etiam vias, te ex eodem deturbandi. Temeraria voce audita, Fridericus faciendum eſſe reſpondet periculũ; eumq; comprehendi mox iubet; alij necatum in carcere, alij gladij pœnam publicè ſubiiſſe ſcribunt.

Friderici pietas in ſuos.

Nihil erat antiquius FRIDERICO, quàm vt ſubleuaret hominum inopiam: ideo magnum frumenti numerum importans, curabat vt ſererentur agri: locupletibus etiam mandabat, vt triticum diſtribuerent pro ſuis quisque facultatibus in villicos & agricolas omni copia exhauſtos: inſtaurabat præterea, quæ belli calamitatibus ædificia, tam in agris, quàm in oppidis corrupta & diruta erant: Vuartburgum inprimis fulmine incenſum ornabat: & præcipua cum hoſtibus prælia curabat in aula & atrio quodam longo depingenda. Nam vt animo amplo atque excelſo erat, ita ſuorum factorum non ineptus oſtentator.

Eliſabetha nubit Othoni L. Haſſiæ.

Nubilis iam erat ELIZABETA filia, quæ patre capto, conditionibus data erat Alberto Kœtenſi, ſtirpis Anhaltinæ iuueni: eam deſpondet HENRICO II. Othonis Haſſiæ Landgrauij filio, puellam & forma & pudicicia amabilem. Deducitur ad maritum magno ſplendidoque comitatu Anno
1317. M. CCC. XVII.

Ciues

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ. Bellum Magdeburgicum inſtitutum.

Ciues Magdeburgici Burchardo Antiſtiti; quem per ludibrium à veſtitu ſordidato, Pannoſum appellabant; affecti iniuriis, arma inferunt: & Barbenſe Comite in auxilium vocato, eius ditionem deprædantur: qui vt ſe de iis vlciſceretur, Principum vicinorum opem implorat, Friderici Landgrauij, & Ducis Brunſuicenſis: narrans, facilimè eam capi, quippe ciuium eſſe vacuam, & gramen propter infrequentiam in vicis plateisque excreuiſſe. Vrbs igitur firmiſsima Saxoniæ, à Saxonibus obſidetur: ciues nulla formidinis dederunt indicia, permiſſa Principibus poteſtate in vrbe emendi, quæ vellent, etiam commeatum in caſtra exportandi. Menſtruo ſpacio exacto, FRIDERICVS petit à ſenatu, vt ſibi tutò ingredi vrbem liceat: quod illi ſine mora eſt conceſſum: exceptus lautè & honorificè à ciuibus, per ſingula loca, quæ illi modò inſpicere placuit, deducitur. Cùm in caſtra eſſet reuerſus, & in vrbe nihil tale, vt Burchardus narrauerat, deprehendiſſet: videns oppugnationem fore grauem & diuturnam, ſuum inde exercitum abducit: cuius exemplum ſecuti alij, obſidionem ſoluunt. In Turingicis refertur annalibus, à Friderico compulſos ciues ad ſatisfactionem, propter damna, quæ Antiſtiti intulerint: ſed ea quæ nos hoc loco ſcripſimus, ex ipſorum Antiſtitum monumentis ſunt translata.

Prædatoriæ arces à Friderico euerſæ.

Diuturnitate autem bellorum, multi ad prædas & arma aſſuefacti, latrocinia exercebant, præſertim ex nobilitate: quorum arces FRIDERICVS primùm euertebat in ditione Pleiſſenſe, deinde in Miſnia: quia vicina illi eſt Vodlandia, huic verò Boëmia: ideo opportunitatem agendi violenter, propter ſiluas vicinas maximam habebant. RASPENBERGVM in Turingia, erat nobilis arx, à Raſpone Henrico, Ludouici I. Turingiæ Comitis filio, condita; hanc qui tenebat dominus, recipiebat latrones: ad quam oppugnandam cùm accederet Fridericus, quia commeatu non erant inſtructi, qui in arce erant, omnes fugerunt: arx deſerta excinditur, & ſolo æquatur. ECHARDBERGVM poſsidebat Beringerus Schidingenſis, eques auratus: cuius excurſionibus inter Numburgum & Erfurdiam, neque exteri, neque incolæ tuti erant: eum per literas à maleficio dehortatur Fridericus; quòd præter dignitatem ageret tanto ſplendore & copia vir, qui ſuis licentiam daret graſſandi & prædandi: verùm is mouebatur nihil, neque auctoritate Principis, neque exiſtimatione ſua.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Fridericus igitur & Erfurdiani coniunctis copiis ad arcem in excelſo colle poſitam, caſtra ponunt: natura loci addebat propugnatoribus animos. Cùm traheretur tempus obſidionis, Fridericus in Miſniam profectus, ſuum ibi militem relinquit. Abſentia Principis cognita, Schidingenſis ſuos amicos literis compellat; & certo conſtituto tempore irruptionem noctu in caſtra facit: multos hoſtium, quos aut inermes, aut dormientes offenderat, occidit. Excubias agebant Erfurdiani, qui cùm ſociis de præſentia hoſtis ſignum dediſſent, tumultus in caſtris factus eſt: aſſeclæ Schidingenſis capti, ipſe fuga vix euaſit. Cùm autem plures ſe cum eo in arcem contuliſſent, amici & clientes, laboratum eſt inedia: cum præfectis igitur Friderici agunt, ſe arcem tradituros, ſi ſibi ſaluis abire liceat. quod cùm inſciente Principe feciſſent, vehementi indignatione commotus eſt; quòd hoſtes ſuos omnes, quaſi in caueam incluſos, vno in loco delere potuiſſet.

Pace vndique parta, & victis aut profligatis hoſtibus, otio populus & quiete refici, & colere ſuas artes ac ſtudia tranquillè, & Deo gratias agere, qui de ceruicibus iugum depuliſſet Regum & Principum exterorum: ſuos liberos & familiam hortari, vt Deum precarentur, vt pacis & concordiæ bona velit eſſe diuturna & ſtabilia. Erat illorum temporum mos, diebus ſacris aut muſicos audire, qui vel de diuinis beneficiis, vel de maiorum factis publicè canerent, & de arte inter ſe certarent: aut exhibere ſacra ſpectacula, quibus iuuentus ad pietatem excitaretur.

Comœdia de decem virginibus. Matth. 25.

Tale ſpectaculum quartodecimo à feſto Paſchatis die edebant Monachi Iſenacenſes, cui Princeps intererat. Inducebantur quinque virgines prudentes, & quinque fatuæ, de hiſtoria Euangelica. Fatuæ, quæ carebant oleo, & quæ ſponſi aduentum neglexerant, & ſibi nullius boni operis conſciæ erant, ideoque aditum ad cubiculum ſponſi, & ad gaudia beatorum ſempiterna, intercluſum ingemiſcebant: diuos deprecatores adeunt; qui cùm ad æternum Deum, precibus nihil valerent, ipſa quoque Maria virgine pro iis interpellante, nihil efficerent, quin ſeuera damnationis de iis ſententia ferretur: ita profunda & acri cogitatione percul ſus Princeps eſt, vt ſtatim cum conſternatione aſſurgeret: & quid ſentiendum de Chriſtiana religione eſſet, dubitaret: Quare enim (inquit) colimus virginem matrem, & diuos reliquos; cùm inexorabilis ira Dei, neque matris, neque ſanctorum precibus mitigetur? Dies cum eo quinque diſpu-

Friderici conſternatio.

tatum

tatum eſt à ſacrificulis & Monachis, donec eius mœſticiam aliqua conſolatione leuarent. quæ tamen qualis fuerit, non exprimitur: fuiſſe autem de merito filij Dei, qui eſt ſatisfactio & perſolutio pro peccatis, quæ ſua morte ſuſtulit, ſua miſericordia in profundum maris demerſit, veriſimile eſt: ad erigendum enim & ſuſtentandum hominis afflicti animum, nulla alia ſincera & ſolida eſt. Quamuis autem ea doctrina obſcurata & ſepulta fuerit: tamen quidam Dei beneficio eam retinuerunt ex ſymbolis & canticis quibusdam, præſertim de nato & reſuſcitato Chriſto compoſitis, quæ vulgus lingua nota atque vernacula ſonuit, & in quibus vera Euangelij vox & teſtimonium Spiritus ſancti incorruptum de Chriſto remanſit. *Fridericus Fortis Landgrauius Turbiæ.*

Poſt hanc conſternationem animi, Principi optimo paulò pòſt linguæ atque membrorum vſum morbus apoplecticus ademit: quo per totum triennium mutus ac ſemianimis decubuit. Libertatis autem patriæ aſſertor conſtantiſsimus, & omni laude iuſticiæ, magnanimitatis, prudentiæ princeps eximius, ex humanis his vinculis liberatur, anno Chriſti M. CCC. XXV. ætatis ſuæ quinto & quinquageſimo. Sepelitur Iſenaci in æde ſuburbana diuæ Catharinæ, in ſacello diui Ioannis: elogio nobilitatis & virtutis multifariam ornatus. *Friderici morbus.* *Friderici mors.* 1325.

FRIDERICVS II. CLAVDVS.

FRIDERICVS Claudus, Friderici Fortis primus ex AGNETE Carinthia filius. Mortua Cunegundi Iſenbergia, aui ſui pellice; Langenhanam pagum, quam ipſa ſacrauerat templo diuæ Catharinæ, tanquam dicare rem alienam non potuiſſet, occupare voluit: ſed continuit eius impetum pater, ne faceret: poſſeſſionem enim ſemel ſacris dicatam, alienari aut in alios vſus verti noluit. Anno ætatis ſuæ quarto & vigeſimo ante arcem Zuencam prope Eliſtrum, quæ eſt diœceſis Mersburgenſis, ſagitta traijcitur, octauo die poſt epiphaniam, anno M. CCC. XV. Sepelitur prope matrem in Cella veteri. Legauit autem ei monaſterio, ſuo matrisque nomine Ruſpam oppidum. 1315.

FRIDERICVS III. GRAVIS.

FRIDERICVS Turingiæ Landgrauius, Marchio Oſterlandiæ & Miſniæ, dominus ditionis Pleiſſenſis, Friderici Fortis II. filius, ex Elizabeta Arnshaugia natus Gothæ, M. CCC. X. ab exilitate corporis dictus Macer: à morum ſeueritate, GRAVIS.

Friderici Graui Landgrauius Turingiæ. Viuente patre ei deſpondetur Ioannis Boemiæ Regis filia: quæ primùm Dresdam, deinde Vuartburgum ducta, & in gynæceo honeſtè habita, poſt ſextum annum ad parentes remittitur: cuius dimiſsionis cauſa, poſtea explicabitur. Duxit autem MECHTILDIM Ludouici IV. Bauari Imperatoris filiam, anno M. CCC. XXIX. ex ea genuit FRIDERICVM IV. qui in albis (vt ait ſupplementum Lamberti) deceſsit, SIGISMVNDVM FRIDERICVM V. BALDASAREM, LVDOVICVM, VILHELMVM filios. ELIZABETAM nuptam Friderico Burggrauio Noribergico: BEATRICEM magnam ſacerdotem Suſelicenſem, quæ ad grandem ſenectam peruenit. ANNAM item & CLARAM gemellas quæ Suſelicij educabantur, ætate puerili defunctæ. *Friderici adoleſcentia* Adoleſcenti FRIDERICO annorum quindecim, matris conſilio tutor lectus eſt HENRICVS Comes Suarceburgius, cuius in patrē ſingularis obſeruantia & fides extiterat. Brandeburgici primùm incipiunt viduæ eſſe moleſti: qui cùm incurſiones facerent in eius ditionem, Suarceburgius milite conſcripto ad eos repellendos in Luſatiam proficiſcitur. Caſtra cùm fixiſſet ad arcem quandam, ante tentoriū conſilia cum ſuis contulit: in quos confertim miſ- *Henrici Schuarceburgij mors* ſilia iacientes hoſtes, ictu ſagittæ ſolū eum in humero feriunt auerſum: quo vulnere cum eadem luce obiiſſet, re infecta cæteri diſcedunt. Eo defuncto, Henricus, Voctus Plauenſis ſubſtituitur, egregio animo conſilioq; vir: is Brandeburgicos continuit; & fines prouinciarum, quibus Boëmiam & Halsiam attingunt, præſidiis muniuit, vt impunitatem latrocinandi tolleret: cùm eſſet in tota gubernatione iuſtus, ſtrenuus, & prudens, amabatur ab omnibus plurimùm. Vualdemaro Brandeburgico ſine hæredibus defuncto, Ludouicus Imperator, Ludouicum filium ſuum, quia Romæ natus erat, cognomento Romanum, ei populo Principem conſtituit: qui cùm adhuc planè adoleſcens eſſet; mandat Impe- *Friderici auctoritas.* rator FRIDERICO, vt eum ſua auctoritate populis commēdet. Is igitur vt eum dominum ſalutent atq; ſuſcipiant, eiq; obſequiū polliceantur, partim minis, partim auctoritate efficit. Fuit ex hoc facto natum bellum, de quo non eſt huius loci dicere.

Bellum Drifurtinum in Turingia. Rebus vndique quietis, FRIDERICVS & HERMANVS fratres, qui Drifurtum & Spangebergum tenebant, res nouas moliuntur in Turingia: qui ex Herciniis, & Vueſtualis collecta latronū manu, prædabundi Sonnebornam & Gotham vſq; perueniunt. Gothæ tum erat FRIDERICVS, & ELIZABETA mater ipſius: qbus non paruum terrorē incutit facinoroſa hominū audaciſsimorū violētia. Turingiā autē gubernabat, honeſti generis atq;

atque nominis antiqui, Fridericus Vuangenhemius: qui vt & adoleſcentem Principem, & viduam tueretur: raptim aliquot equites Gotham deducit: & reliquis præfectis, vt quamprimum ſibi ſint præſto, per literas ſignificat: qui nihil morati milite tumultuario Gotham veniunt: delectuque ciuium habito, in Drifurtinos mouent; Hercinios & Vueſtualos in fugam primo inſultu coniiciunt. Tumultus auctores à ſuis aſſeclis deſerti capiuntur, Drifurtini fratres, item Hartenbergij & Sondrenſes nobiles, tum alij ſeptem eorum complices, & tres fratres de familia dicti Cunemundi: hi vixerant latrociniis, & proſcripti iampridem erant. Priores Vuangenhemium ducuntur, ne in eos animaduerteretur graviore ſupplicio: reliqui ſeptem onerati pedicis vehuntur Gotham; lataque in eos ſententia capitali, cathenis ferreis ſuſpenduntur. Mater Cunemundorum, vt filios liberaret, ſupplex erat Landgrauio: cui cùm ſpes veniæ nulla oſtenderetur, cùm duci ad ſupplicium filios videret; eis miſera mater valedicens, lacrimas ſanguinolentas emiſit, vt annales Turingici teſtantur. Drifurtini ſe redimunt grandi pecunia, & mulctantur parte ditionis: in qua diſtribuenda Berungum maius, mandato viduæ Principis, Vuangenhemio traditur, propter virtutem: qui fratres illos capiens, & eorum fugitiuas reliquias ad Vuiram vſque perſequens, magnum à patria auerterat periculum.

Fridericus Graui Landgrauius Turingiæ.

Regis Boëmiæ filiam, nomine IVDITHAM deſponſam fuiſſe FRIDERICO modò dictum eſt: quam etiam in Miſniam Regina mater eſt Dresdam vſque ſecuta. Deferebantur abſentes Regina & Ioannes præpoſitus Viſegradenſis, tanquam obſtarent Regi in exigendis tribuendis: quamobrem fundos dotales Reginæ oppignerat, & Ioannem coniicit in vincula: qui elapſus è cuſtodia ad Fridericum in Miſniam ſupplex confugit: literiſque eius regi tandem reconciliatur, & augetur honoribus. Boemus cùm in Italiam exercitum, euocatus à Brixianis, duxiſſet: ibique feliciter ageret, & in Inſubribus atq; Hetruſcis contra factionem Gibellinam, quam omnibus vndique viribus pellebat, victoriam obtineret: ne eius potentia Imperio noceret, atque ſuis quaſi luminibus obſtrueret, Ludouicus Imperator, finitimos regno eius Principes in eum concitat. Othoni Auſtriaco perſuadet, vt ab eo repetat Carinthiam; quæ ſe inſciente ab Henrico, in Ioannem filium Regis, non potuerit transferri: cum FRIDERICO autem Landgrauio agit, vt nuptias cum Regis filia reſcindat.

Bohemi in bello Italico felicitas.

Cauſa repudij Iudithæ Bohemæ.

Hic

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Hic ne gratiam Imperatoris amitteret; admonitus paterno exemplo, quàm difficilis recuperatu eſſet: puellam virginem in Boemiam remittit, & cum filia Imperatoris nuptias Noribergæ celebrat.

Bohemi vindicta.

Boemus ex Italia reuerſus nihil prius habet, quàm vlciſci Fridericum, qui ſuam affinitatem repudiauerat, & filiæ illuſerat: cui pater digniorem generum eligens, eam deſpondit Ioanni Regis Galliæ filio, qui Philippo patri ſucceſsit: mox exercitu comparato, inuadit in Luſatiam ſuperiorem: Gorlitium oppidum, quod tum in Friderici poteſtate erat, occupat. facto etiam cum præfectis Friderici leui prælio, quidquid ademptũ à regno oppigneratumve erat, id omne recuperat, expulſis poſſeſſoribus atque præfectis alienis. Cùm tanto ſucceſſu vbique vteretur: FRIDERICVS domeſticis motibus atque bellis impeditus, amiſſa reparare non potuit: quæque antè & à Brandeburgico, & iam à Boemo erepta ſunt, nunquam in poſterum fuerunt reſtituta.

Bellum Moguntinum.

Circa ea tempora graue bellum fit inter BALDVINVM & HENRICVM Antiſtites Moguntinos à diuerſis factionibus electos: Henrico fauebat Romanus Pontifex, & fauebant Erfurdiani: Sacerdotibus igitur aduerſæ partis, ſacris interdicitur; & captiuis, grandia redemptionis præmia imponuntur. Cum Balduino faciebat Imperator, & vicini Principes: eius igitur rogatu, & mandato Imperatoris, Landgrauius Mittelhuſiam conuentum indicit: Erfurdianos, tanquam in Sacerdotes iniurios condemnare publico iudicio ſtatuit.

Bellum Friderici cum Erfurdianis.

Cognito eius aduentu, ciues non vt actores accedunt ad decernendam cauſam; ſed vt hoſtes adſunt, & Principem armis loco depellunt. Qua motus iniuria, multis eorum caſtellis damna intulit, & dies ſexdecim agrum vaſtauit: quem cùm cuperent ſimili modo lædere, ab eius præfectis non ſemel, peſsimè ſunt accepti. Quamobrem muneribus ſibi conciliant Vinarienſem, Keffernbergium, Bichlingium, Glichenſem, Rotenburgium Comites: qui plus detrimenti acceperunt à milite Friderici, quàm emolumenti ceperant è præmiis Erfurdianorum. nam Miſnenſium, Oſterlandorum, Vodlandorum equites in eorum agros prædabundi immiſsi ſunt: quamobrem illa amicitia diuturna non fuit; & ab Erfurdianorum ſocietate Comites ſtatim reſilierunt. Non deſtitere tamen ab incœpto Erfurdiani: conſcriptoque externo equitatu, lectoque ex oppidis & agris milite, Duce Henrico Blanchenhemio, inuadunt iuſto exercitu & Landgrauii & Comitum ditionem, circa Bodelſtetam, Neumarcham, Gotham, Tungesbruccam: pagos villasque incendunt

atque

atque diripiunt: Cranichueldam oppidum Comitis Suarceburgij cremant: in quo etiam, quia ſubitum & inopinatum incendium erat, homines ſexaginta periere. Landgrauius & Comites petulantiam illā acerbo animo ferentes, ne amplius tanta illis progrediendi via pateret, aut concederetur facultas, prohibent. Indicitur conuentus Reinhardbornam: cui interfuere præter nobilitatem, Henricus Landgrauius Haſsiæ, & Henricus Dux Saxoniæ: Comites, Hennebergius, Suarceburgius, Bichlingius, Honſtenius, Stolbergius, Keffernbergius, Glichenſis, & Berneburgius. In eo conuentu agitur de communi concordia: neue quis Principis aduerſarijs, qui eſſent ſimiliter patriæ, & ideo ſingulorum ciuium hoſtes, aut commeatum, aut pecuniam, aut auxilium præberet, neque per ſe, neque per eos, in quos ius poteſtatemque aliquam haberet: ſecus qui faceret, hoſtis loco haberetur. qui conſenſus terruit multos, ne quid hoſtile cogitarent aut molirentur, præſertim Erfurdianos.

Fridericus Grauis Landgrauius Turingiæ.

Conventus Reinhardborni.

FRIDERICVS pace publica facta animi cauſa interfuit ludis equeſtribus Pegæ in Oſterlandia: in quibus ferro per ſellam transmiſſo, corpus eius non leuiter læſum eſt: alij ſecundum pectus ſauciatum ſcuto traiecto ſcribunt.

Ludi Martiales Pegæ.

Illo tempore diſsidebant fatalibus, vt apparet, inimicitiis, EDOVARDVS VI. Angliæ, & PHILIPPVS Franciæ Rex cognomento Pulcher: quorum vterque externis Principum Germanorum præſidiis bellum adornabat: vterque ortum ſuum à Germanis, & mutua fœdera antiqua commemorabat: Philippus Regem Boëmum Rodolfi Imperatoris filium, ad ſuas partes allicit: nec non ei militat Rodolfus II. Dux Saxoniæ Elector. Landgrauius cupiditate laudis ſtimulatus, non abnuente ſocero Imperatore, in caſtra Anglica proficiſcitur, cum delecta Miſnenſium & Turingorum manu. Multi inde ex nobilitate equeſtria inſignia deportabant: quæ cùm ad ipſum quoque Principem deferri Rex mandaret: à nullo accepturum ſe ea dixit, niſi ab eo, quem ſciret hoſtis conſpectum nunquam fugiſſe. Cùm rogaretur, vt proferret nomen talis viri; Fridericum Vuangenhemium familiarem ſuum digito monſtrauit: qui mox regio iuſſu, inſpectante exercitu, inſignia ei contulit de more, gladium inauratum, baltheum, calcaria, phaleras: quibus acceptis ſacra publica facta ſunt, quibus Regi ornamentis eiuſmodi aſtans, interfuit. Tranſactis tribus menſibus in caſtris Anglicis; ad ſuos Rege ſalutato redire deſtinat: à quo honorificè dimittitur: nec multi ex eius comitatu ſunt deſiderati.

Bellum inter Anglos & Gallos.

Iſena-

ſpiciuntur domicilia, tam nobilium quàm plebis: de quibus autem conſtabat, domus & arces euertuntur.

Fridericus Graui Lãdgrauius Turingiæ.

Friderici ſoror, Henrico II. Landgrauio nupta, in ſuſpicionem adulterij adducitur, accuſante eam Ludouico leuiro ſuo; & adoleſcentem producente, de familia Taluigiorum, qui odio Othonis, filij Henrici, teſtimonium criminis afferebat in mulierem honeſtam & innocentem: illa cedens accuſatoris furori, ad fratrem proficiſcitur; qua in miſeria infamiaue ſit, indicat, & auxilium petit. Haſſus vxorem ad ſe reduci poſtulat, neque ſe credere calumniis affirmat: quod cùm negaret facere Fridericus, matre præſertim impediente; accuſatur apud Imperatorem: ſed neque eius mandato remittit, quòd eam honeſtiùs diceret viuere apud fratrem, quàm apud maritum ſuſpicioſum, & in auctores infamiæ non animaduertentem.

Friderici ſoror inſimulatur adulterij.

Bellum Moguntinum.

Durauit ad id vſque tempus bellum Eccleſiaſticum, quo etiam Principes (vt fit) ſunt irretiti. BALDVINO Treuirenſi, qui Moguntinum etiam epiſcopatum ſibi vendicabat, non æqui erant Erfurdiani, qui HENRICO Firnebergio ſtudebant, & aduerſariæ partis ſacerdotes coniiciebant in vincula. Balduinus peſsimo aliquot ſeculorum exemplo, armis contendit ad epiſcopatum: & magnum in Turingiam ducit exercitum, Dulſtetam obſidet, copiarum partem maximam Vuangenheimum, & in finitima loca mittit: ſperabat enim ſe per proditionem vrbe potiturum. Comes Catilnelenbogius, qui Rhenanum adducebat ei militem, in via à Friderici præfectis interceptus capitur: miles obtruncatur, fortaſſe quòd ſine iniuria non tranſierat. Cùm Balduinus ſpe ſua fruſtratus, à ciuibus non reciperetur, eiusque fraus innotuiſſet: fretus præſentia Principum, quorum ſedecim in eius caſtris fuiſſe, annales memorant, & inprimis ſocietate Friderici Landgrauij, vrbem obſidet; nec paruam cladem locis vicinis infert. Dimicatione ad Bruletam facta, ciues multi occiduntur, nec non ex hoſtibus plurimi traiiciuntur miſsilibus: vincuntur tamen multitudine oppidani: Bruleta & horti adiacentes incenduntur: cum Balduino pax fit, & dimittuntur Sacerdotes captiui: Fridericus autem ex hoſte fit eorum ſocius atque amicus.

Bellum contra Drifurtinos.

Supra dictum eſt de fratribus Drifurtinis, quorum Fridericus ſe ſponte abdicauit imperio, & paupertatem ad piandas libidines & alia ſcelera habitu Franciſcano eſt profeſſus: Hermanus verò ad latrocinia vſitata ſe rurſus conuertit: qui cùm eſſet audacisſimus, pacem cum eo & Moguntinus, & Haſſus, & Turingus,

tum Viham arcem occupant, oppidum incendunt: Vuollerslebiam & Grishemium capta demoliuntur. Deinceps obſidetur Dornbergum: quod cùm æquare ſolo decreuiſſent, vt cætera caſtella, Landgrauius prohibuit: qua de cauſa Erfurdiani obſidionem relinquunt, & ſuum militem abducunt. Fridericus capit Dornbergum, & præſidium imponit: Erfurdiani Tundorſum, & id muniunt præſidio.

Fridericus Grauis Landgrauium Turingiæ.

Suarceburgius cùm hæc fieri cerneret in ditione Vinarienſis, conſcius ſibi temeritatis, & imminere eadem ſuis ſubditis intelligens, iniuriam prius infert: & eodem modo vexat populos Landgrauij, & caſtella atque pagos Erfurdianorum. Habito igitur inter Landgrauium & ſocios conſilio, itur in eam ſententiam: vt Arenſtadium, præcipuum Comitis oppidum ad Hieram obſideatur. Comparandis ad id inſtrumentis & operibus opportunis, reliquum hiemis conſumitur. Ineunte igitur tertij anni, quo id bellum durauerat, vere, exercitus mœnibus adhibetur, lapides & miſsilia in ſumma tectorum conijciuntur, & vrgetur cotidie acriùs oppugnatio. Oppidum ſi caperetur, cùm conſeruare Princeps de ſuorum conſilio vellet; Erfurdiani ex conditionibus propoſitis delere cuperent, magna excitatur diſcordia: cumque ſuam quiſque ſententiam pertinaciter defenderet, ab oppido diſceditur. Singulis ad ſua redeuntibus, qui paulò antè victi propemodum videbantur, iam victoribus inſultare cœperunt, Arenſtadium enim liberatum, & penè obſeſſa Erfurdia eſt. Suarceburgius enim audita diſſenſione, ſuos adhortabatur ad inſequendos oppidanos: & quia diſceſsiſſe Landgrauium intellexerat, ad foſſam & mœnia vſque Erfurdiæ adequitabat: prouocando obiiciens illis temeritatem & ignauiam. Langrauius, qui nondum ad ſextum ab vrbe lapidem cum exercitu progreſſus erat, & literis & nunciis per multas preces reuocatur: vt ſimultatis immemor, ſociis laborantibus primo tempore ſuccurreret: nec hoſtem tanta inſolentia, penè in conſpectu ſuo vti pateretur, quem turpius foret laceſsiuiſſe, quàm non repuliſſe fortiter. FRIDERICVS placatus, vt erat facilis, iubet nunciare ſociis, vt infracto ſint animo: & ſtatim agmen conuertit, quod cùm procedere in ſui auxilium audirent Erfurdiani, lætitia exultare, & mœnibus confertim erumpere, & hoſtem animosè inſequi. Ad Egenſtadium in inſidiis equitem collocarat Comes: ad quem locum cùm oppidanos ſimulata fuga allexiſſet: ſubitò renouatum prælium eſt, & pugnatum ex vtraque parte animis ardentibus. Erfurdiani quamuis feſsi, tamen ſtationem tuebantur: quibus opportuniſsimo tem-

Bellum Friderici cum Schuarceburgio.

Fridericus Grauis Lád grauius Turingiæ.

Captiuitas Schuarceburgiorum.

mo tempore cum recentibus copiis Princeps adeſt. Suarceburgiana acies ſtatim inclinata, & in fugam prolapſa eſt: Guntherus & Henricus, pater & filius capiuntur, cum ſociis nobilibus, qui è media acie ſtatim ablegantur Erfurdiam: hoſtes fugientes palanteſque vſque ad Arenſtadij mœnia cæduntur. Landgrauius ſuis imperat, vt ſe colligant & quieſcant: & fortibus aliquot viris præmia & aurea ornamenta diſtribuit. Arenſtadianis perturbatis, & de ſua ſalute propter captos Comites admodum dubiis; Comes Firnbergius, Henrici Moguntini Antiſtitis frater, tanquam cœlo delapſum numen adeſt, qui in auxilium Suarceburgij non ſatis properarat celeriter. Oppido receptus non animaduertentibus hoſtibus, videns Landgrauium & ſocios eius ſecuros, confirmatis ciuibus, repente eruptionem facit: nouum redintegratur prælium, feſſumque militem adortus recens, inopinatum paratus, facile eſt ſuperior. Cæduntur ex Friderici exercitu, tres ſummæ auctoritatis viri, Vuecelo Storius, Henricus Eroldishuſius, Ditericus Denſtedius: fuiſſentque cæſi aut capti ad vnum omnes, niſi caſus mirabilis impediiſſet hoſtium victoriam. Delatum erat in vrbem, ab iis, qui Suarceburgios captiuos adduxerant; multos ciuium eſſe occiſos, magnam partem vulneratos. Montis igitur Petrini abbas carpenta mittit, quibus eorum corpora imponerentur, quorum maiores in ſuo templo ſepulchra habebant: iis ſe ciues aliquot adiungunt, qui vulneratos & in viis ſemianimes, vnà aſportarent: erant carpenta ſedecim, ante quæ more militari fidicen & tympaniſta incedebat. Viſis his Firnbergius terretur, quia claſsicum cani, ac recentia aduentare auxilia ſuſpicatus eſt: itaque trepidus ac præceps ſe intra mœnia recipit, & victoriam iam partam è manibus inconſultò dimittit. Ita enim iudicabant plerique, depugnatum fuiſſe, illo campo cum hoſtibus præſentibus: niſi fortunæ iniquitas gloriæ Firnbergij inuidiſſet; & conſeruatum voluiſſet Landgrauium: qui ita erat ictibus telorum mulctatus, vt neque cubaret neque ſederet ſine cruciatu, nec integro menſe de lecto ſurgeret, corpuſque liuidum diu circumferret. Comites Suarceburgij, quos captos eſſe diximus, Vinarienſem appellabant, vt ſe redimeret: eius enim gratia ſe in diſcrimen fortunarum vitæque veniſſe. id graue admodum illi accidebat: nam & ſociorum dolebat vicem, quibus deberi gratiam nouerat: & ſuis ingemiſcebat calamitatibus, qui penè omni ditione deuaſtata, ad inopiam redactus erat; necdum cum Landgrauio & Erfurdianis bellum deſierat.

Firnbergius ſuppetias fert Schuarceburgijs.

Fridericus vulneratus.

deſierat. Itaque adactus neceſsitate extrema de compoſitione agit: ſed nullum à Friderico accipit clemens reſponſum, qui dicebat ſe aut amiſſurum omnia, aut effecturum, vt ſibi parêret abſque contumacia. Durior etiam Princeps erat quàm natura ipſius poſtulabat, inſtinctu Erfurdianorum: qui deleta vicinorum potentia, ſuam videbant creſcere: & per ſe vulgus ſuperbum & inexorabile eſt rebus proſperè ſuccedentibus. Vinarienſis cauſam ſuſcipiunt cognati & amici eius, qui precibus animum irati Principis mitigant. Hermanus igitur ſupplex Landgrauium adit: idem facit Fridericus frater eius: amboque genibus prouoluti veniam petunt, ſe fortunasque ſuas eius clementiæ permittunt. Landgrauius verbis caſtigans alterius leuitatem, qui Principis ſui famæ non pepercerat: alterius temeritatem, qui fratrem ſecutus erat: adimit eis Orlemundam, ab Orlæ oſtio dictum oppidum, quod ſibi retinet: & Zimmeram, quam tradit Erfurdianis: reliquas arces & oppida reſtituit ipſis quoad viuant: poſt vtriusque verò mortem, comitatum Vinarienſem ſibi poſterisq; ſuis adiudicat. Suarceburgius etiam cum filio dimittitur. actum hoc eſt anno M. CCC. XLIV. 1344.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

Vinarienſis de pacis compoſitione agit.

Altero anno equeſtre certamen exercetur Iſenaci: ad quod multi è nobilitate propter laudis cupiditatem confluxerant, plerique vocati erant. quibus omnibus ampliter & benignè acceptis, laudem liberalitatis Princeps ſibi augebat; qui in eodem certamine etiam fortitudinis lucrifecerat. 1345.

Ludi Martiales Iſenaci.

Eodem in conuentu mater Landgrauij auctor erat, vt Comitis Hennebergij filia nepoti ſuo natu maiori traderetur: quia inprimis mores puellæ probabat, nec erant contemnendæ Hennebergij opes: verùm cùm de dote conuenire non poſſent; ea deliberatio in aliud tempus reiicitur. Hennebergius neſcio quibus vſus conſultoribus, non ſolùm illuſtrem affinitatem repudiabat: verùm etiam Suarceburgium hoſtem Friderici adiuuabat. Recurritur igitur confeſtim ad obſidionem Arenſtadij: cumque auxilia Hennebergius miſſurus eſſet Suarceburgio, Landgrauius eum auocat; dictoque die ac loco in arce Vuaſſenburgo cum eo congreditur, & conditiones de nuptiis firmat. Cùm difficile oppugnatu videretur Arenſtadium: ne nihil interim ageretur, ſociis Erfurdianis Fridericus mandat, vt agris villisque vaſtitatem inferant, arces oppidaque expugnent. Arx itaque Aldenburgum, quæ exiguo præſidio tenebatur, ipſis Bacchanalibus capitur: in ea qui primo impetu cæſi non ſunt, Erfurdiam miſſi, gladio feriuntur. Eodem menſe Rudelſtadium oppidum diripiunt &

Obſidio Arnſtadij.

Aldenburgum captũ.

Rudelſtadij direptio.

unt &

Fridericus Grauus Lãdgrauius Turingiæ.

unt & incendunt: delent etiam reliquias Heſeleræ & Vihæ, quas eſſe inflammatas antea diximus. nam Vinarienſis non immeritò ſuſpectus erat, vt poſtea cognitum eſt. Maio menſe Calam oppidum & arcem inuadunt: ibi capiuntur nobiles quinquaginta; qui fortunis, quas eò contulerant, exuuntur: arx & oppidum ſolo æquantur. Suarceburgius altero poſt hoc factum die, viginti equites Erfurdianos, qui in caſtra Friderici ituri erant, excipit: eosque ſtatim Dornburgum duci mandat, arcem ad Salam munitiſsimam. Omnem ferè ditionem Suarceburgij & Vinarienſis peruagati erant Erfurdiani; qui non leuiter dolebant captos eſſe è ſociis viros, honeſto loco natos: ideo vt terrorem Dornburgis incuterent, omnia loca circumiecta diſsipant atque incendunt: ſpem enim conceperant, Meldingium, qui id præſidium tenebat, captiuos eſſe redditurum: ideo etiam obſidionem tentant: in qua menſtruo ſpacio conſumpto, cùm multi telis ac miſſilibus cotidie læderentur, re infecta diſcedunt. de Arenſtadio nihil amplius in Annalibus legitur: ſed & eam obſidionem ſolutam diuturnitate, veriſimile eſt.

Meldingij obſidio.

Tundorfii inſtauratio.

Tundorfium, quod ereptum Suarceburgio, Erfurdianis ceſſerat, denuo inſtauratur ædificiis. vicus ille nobilis eſt hiatu terræ, quæ eo in loco in profundam altitudinem deſedit, crater ampli oris, & imum occupatur aquis pellucidis, non ſtagnantibus; quæ tamen vbi exitum ſuum habeant, neſcitur. Dedit autem lacus ille prouerbio locum: nam quem Tundorfium miſſum dicunt, de eius vita actum ſignificant, quod olim nocentes in eum ſunt præcipitati.

1348. Anno M.CCC.XLVIII. cum Hennebergio demum tranſacta res eſt, cuius filia CATHARINA Iſenacum, vt Friderici filio deſponderetur, deducitur: ſponſalia facta magnificè: doti dictum fuerat Coburgum Franciæ montanæ oppidum, cum arcibus oppidisque ad eam præfecturam pertinentibus. Quod cùm tradendum genero ex pacto eſſet, cauſas quibus ſe excuſaret reperit: Princeps iratus filiam ei domum remittit, & grauiter accuſat imprudentiam. Hennebergius, qui præuiderat non æquo animo laturum Principem, arma tacitè parat, & bellum anticipat: quod cùm in aliena ditione geri minore ſuorum clade putaret; ſuperata ſylua Turingica, quam antiquitus Semanam fuiſſe autumant, oppidum Creuceburgum oppugnare ſtatuit: vt vicinum Vuartburgo præſidium tenens, magis vrgeret Landgrauium, & eius actiones minùs illum fallerent. Præmittit igitur exploratorem, qui altitudinem foſſæ & mœniorum Creuceburgi fu-

Bellum Friderici cum Hennebergico.

gi funibus metiatur: vt ad eam menſuram ſcalis confectis, furtim conſcenderet mœnia. Id oppidani cùm fieri deprehenderent, diſſimulato indicio, foſſam faciunt profundiorem; & cuſtodias in ea noctu diſponunt. Hoſtium aduentum tenebris nocturnis cuſtodes produnt, & in oppidum ſe recipiunt. Hennebergius ſcalas admouet, quæ cùm ad pinnas non pertingerent, ſe eſſe deluſum intelligit. Oppidani de muro tela & ſagittas confertim mittebant: veriti enim inſidias, egreſſi non ſunt: luce autem orta, ex fractis galeis & armis relictis hoſtes non paucos transfixos occiſoſque colligebant: ſed ne quod ſignum indiciumue extaret, cæſos omnes ſecum deportauerant. Spe potiundi oppidi penè certa deiectus, ſuburbium cremat: vinctos ſecum quoſcunque deprehenderat, abducit. Fidebat autem ſiluæ propinquæ latebris & perfugio. Quamuis hoc initio non ſuceſſerat, tamen incœpto non deſiſtit: ſed in arcem Scharfenbergam, quam condiderat & poſſederat primùm familia Cobenſtadiorum, ſua præſidia mittit: inde in Iſenacenſem, Tennebergium, & Gothanum agrum crebræ excurſiones factæ. Quod cùm prohibere difficile eſſet Landgrauio: arcem Aldenſteinam inter Iſenacum & Bretingum ſitam, de Salciorum familia emit: eique militem imponit, qui hoſtem obſeruaret, & cohiberet à populationibus. Interea iuſto exercitu comparato, & adiunctis ſibi ſociis Erfurdianis; Scharfenbergã ſine intermiſsione oppugnat: capi ea arx potuiſſet, niſi mater Landgrauij fuiſſet obſtaculo. nam inter Landgrauium & Erfurdianos eiuſmodi fœdus erat: ne arces, quæ ad Turingiam pertinerent, captæ, diruerentur: quæ autem alienos poſſiderent dominos, eæ omnes euerterentur, ne improbis aut ſeditioſis reſtaret domicilium: hæc arx autem ad Turingiam non pertinebat: verita igitur mulier, ne tale propugnaculum, ſi eſſet ſecundum fœdera incenſum aut dirutum, eriperetur nepoti propter coniugis dotem, conſilia filij importunitate impedit. Cùm in ea obſidione ipſe eſſet Landgrauius: magnum aliquod facinus ratus faciendum Hennebergius, Francum militem conſcribit: & iter per ſiluam non ſentientibus hoſtibus celeriter faciens, caſtra eorum, qui in obſidione erant, oppugnat. prælium ante Scharfenbergam ſubitum fit; in ipſo tumultu minimè inſignibus armis indutus Landgrauius, eo ipſo tutus fuit, quia non agnoſceretur, alioquin enim in manus hoſtium leui aliquo momento venire potuiſſet: cumque pugnans inter confertos hoſtes verſaretur, à veterano quodam milite Ioanne Frimaro Iſenacenſe, ſeruatus fuit: qui valido inſidens equo, & bi-

Fridericum Grauium Landgrauius Turingiæ.

Scharfenbergæ oppugnatio.

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ.

& bipenni, quod tum genus armorum vſitatum fuit, acerrimè dimicans, inprimis in Principem intentus fuit: ſuoque ipſum corpore armisque tegens reduxit incolumem. Victoria demum manet penes Principem.

Pax Friderici cum Hennebergio.

Hennebergius ſuam ipſe damnans temeritatem, qui cum potentiore bellum ſuſcepiſſet; & metuens ne nimium laceſsitus Princeps, ad ſe euertendum progrederetur: fractus denique filiæ honeſtiſsimis precibus, quæ maritum efflictim amabat: de ſatisfactione Landgrauium appellat: æquum eſſe, inquiens, reconciliationem ab eo incipere, qui cauſa diſcordiarum fuiſſet: accuſat facta ſua, quæ fuerint iniuſta: excuſat ætatem, quæ in ſenibus inopiam conſilij afferat: orat Principem, vt finem bello faciat: & quem paulò antè ſocerum legiſſet, nunc ſocium & amicum eſſe patiatur: deprecatur denique, & clementiam implorat. Nemimi erat obſcurus amor inter nouos coniuges: & ELIZABETA Friderici mater, quæ illas nuptias conciliarat, rectè iudicabat de Hennebergiæ moribus optimis atque modeſtiſsimis. Cupidè igitur vtrinque conditiones latæ ab arbitris, ſuſcipiuntur: qui capti in bello erant, dimittuntur: damna damnis compenſantur: CATHARINA ad maritum eueſtigiò remittitur: Coburgum & Sonnebergum doti dicuntur: ciues fidé dant, ſe in Turingi poteſtate futuros: imperium tamen in eos Hennebergio viuenti non adimitur Ei Franciæ parti iam dominantur Principes noſtri annos ducentos atque duodecim.

HERMANVS Stolbergius Comes tum temporis inſimulabatur, quòd in arce Etersberga ſuſpectis hominibus & latronibus Herciniis daret hoſpitium: quod cùm rumoribus tantùm ferretur; ipſe excurrens in Comitem Sondershuſium, famæ fidem facit. Qui cùm non ſolus de iniuria quereretur apud Principem, ſed etiam finitimæ vrbes Molhuſia & Northuſia: decreta in eum communibus ſuffragiis pœna; præſertim cùm accuſatus vadimonium ſubire nollet, & Principem contemneret. Capta per vim arce, Stolbergius Comes, & Henricus Vuerterus Eques capite truncantur: viginti eorum complicibus gulæ franguntur laqueis: arcis turres & muri deiiciuntur.

Hermani Com. Stolbergij decollatio.

Turingicorum & Herciniorum Comitum compreſſa ferocia, ſecuta quies à bellis eſt: nam prædictæ turbæ per annos quatuor durauerant.

Friburgum oppidum ad Vnſtrutæ oſtium Albertus Friderici

auus

atus oppignerauerat Præſuli Merſburgenſi: quod quia oppor- *Fridericus*
tuno loco ſitum erat, & arcem habebat natura & artificio muni- *Grauis*
tam; iis qui tenebant, & quibuſdam vicinis dabat occaſionem *Landgra-*
violenter faciendi. Polonici fortè & Sleſiaci mercatores men- *uius Tu-*
ſe Martio Francofurtum ituri, Numburgum proximè ſitam vr- *ringiæ.*
bem venerant: qui cùm currus haberent multos, mercibus onu- *Latrocinia*
ſtos: id per exploratorem in arcem nunciatum eſt. Locatæ eun- *in Miſnia.*
tibus inſidiæ ſunt prope Gerneſtetam ad ripam Treneuicij flu-
uij. Facto in ſe impetu viatores armis reſiſtunt: & qui in eodem
comitatu erat Secretarius Regis Poloniæ interficitur: cæteri à
multitudine oppreſſi capiuntur: præda ampla in arcem impor-
tatur. Landgrauius de tanta iniuria factus certior, regium au-
licum in Portenſe cœnobium deferri & terræ mandari iubet:
captiuos & prædam repetit: Præſulem Merſburgenſem de ſatiſ-
factione appellat. Arcis præfectus erat Srapela, Gebhardi
Merſburgenſis, & Burchardi Magdeburgici fratrum Præſulum
gentilis: qui fiducia alienarum virium reſpondebat Principi ſu-
perbè. Conniuentibus ad tale facinus Eccleſiaſticis, non feren-
dam cenſuit tantorum flagiciorum impunitatem FRIDERI-
CVS: ideoque certa promiſſa pecunia arcis auitæ poſſeſſionem
repetit: ſed cùm nihil æqui impetraret, arma comparat: ſuiſque
copiis FRIDERICVM filium præficit: qui arcem obſeſſam poſt *Friburgi*
menſes aliquot, non ſine diſpendio ſuorum expugnat: eius præ- *expugnatio.*
fectum capite punit: in commilitones & complices pœna latro-
nibus ſtatuta, animaduertit: prædam inde maiorem opinione
deportat. Gebhardo nulla reddita pecunia, arcem adimit: ſuiſq;
eam præfectis tradit, & eius vicinorum ſalutem commendat.

Erant tum temporis fratres tres, ad quos Salzæ oppidi ius
pertinebat: qui cum diuiſo patrimonio animis inter ſe diſſide-
rent; duo ex iis ſuas partes Moguntino vendiderunt, maior natu
partem reliquam Landgrauio. Miſerat eò præfectum ſuum An-
tiſtes: cumq; eodē veniſſet præfectus Landgrauij: actum cum eo
eſt, vt oppido cederet; pecuniā, quantam Princeps ſuus ſoluiſſet,
acciperet: nec enim poſſe ſine controuerſia à duobus dominis
poſſideri: quod cùm ille, non accepto à Principe mandato, face-
re recuſaret: ex oppido cum altero fratre pellitur. Landgrauius
iniuria accenſus, exercitum mœnibus admouet. Milites præfecti *Salzæ op-*
Moguntini, Principem cum contumelia verborum laſciuè irri- *pugnatio.*
debant: quem ille miſſilibus de pinnis propulit: verùm cùm
nullum finem facerent, & pudenda etiam nudarent; ignem
conici

Fridericus Fortis Landgrauius Turingiæ. coniici in oppidum mandat: incenſis pluribus in locis tectis, oppidani per portas erumpere nituntur, quos egredi prohibebant milites. Ingens clamor in omnibus vicis tollitur, & vici ſimul omnes flagrabant: in tanto tumultu & conſternatione, incendio, & ædificiorum ruinis, homines nongenti & ſeptuaginta octo perierunt: qui partim ſemiuſtulati in vicis iacentes, partim è ſubterraneis cellis ſunt extracti. Multi ſe præcipitarant de mœnibus: aliqui in aquarum caſtella & fontes, vt lenirent ardorem flammæ, inſiluerant. tanta omnis ætatis atque ſexus calamitas, miſerandum etiam crudeliſsimis hoſtibus præbebat ſpectaculum. Cremato oppido non minore impetu ardoris arcem aggreditur: nec ſe inde antè diſceſſurum prædicat, quàm aut expugnaret, aut vi maiore repelleretur. Moguntinus cognita Landgrauij peruicacia, ita rem cum eo tranſigit, vt dimidiam arcis, oppidique partem retineret: alteram partem à Gerlaco Antiſtite poſt aliquot annos emit Baldaſar Friderici filius. Salza autem primùm pagus fuit, ad diœceſim Homburgi monaſterij pertinens: ſed cùm procurator quidam eius loci id ab Abbate impetraſſet: Driſurtum arcem ibi condidit, & genti Driſurtiæ nomen dedit, & ius ciuitatis pagus amplificatus obtinuit, qui anno poſt illud tempus centeſimo trigeſimo quinto in ignes conſedit. videlicet M. CCC.
1346. XLVI. initio menſis Februarij. In turri ædis diui Bonifacij dicitur extare monumentum eius incendij, in quo etiam numerus eorum, qui ibi perierint, ſit obſcurè notatus. Diſcordia itaq; fraterna oppido ſatis amplo exitium attulit.

1347. *Ludouici Imp. mors.* Anno M. CCC. XLVII. LVDOVICVS Imperator, ſocer Landgrauij veneno extinguitur; quod ei propinaſſe fertur Auſtriæ Ducis vxor: cùm anno antecedente etiam obiiſſet filia eius MECHTILDIS, vxor Landgrauij, VI. Non. Iulij, quæ in Veterocellenſi cœnobio tumbam magnificam habuit. Dies obitus atque annus, vt nos poſuimus, eidem tumbæ inſcriptus: nam in Turingicis Annalibus aliter legitur, quos nunc non ſequor.

Contentiones de Imperio. De Imperio vix vnquam fuere maiores contentiones, quàm poſt obitum Ludouici: Electoribus enim inter ſe diſſentientibus, alij nominarunt EDOVARDVM Anglum, Cornubiæ Comitem, Regis Henrici IV. fratrem: alij FRIDERICVM Landgrauium Turingiæ: alij HENRICVM Comitem Firnbergium: alij GVNTHERVM Comitem Suarceburgium. Anglum domeſticis bellis impeditum recuſaſſe, certò conſtat: Turingum propter valetudinem tantum onus ſuſcipere noluiſſe, ſcribit Cuſpinianus;

nus: Firnbergium præteritum, cui pauci fauerent, tradunt Annales Turingici: Suarceburgium obtinuiſſe, ſcribunt omnes: ſed ab eo veneno extincto ad CAROLVM Boemum mox eſt translatum; qui tum & largitionibus & potentia poterat plurimùm: minimè tamen pœnitendus Imperio Princeps, & Rex ſingularis, & Henrici VII. Imperatoris nepos, & Ioannis Regis fortiſsimi filius. Tradunt Cuſpinianus & Hedio, FRIDERICVM à CAROLO decem millia marcarum argenti accepiſſe, vt ipſi cederet; deinde præſtitiſſe iuramentum fidelitatis. Scriptores Italici & Germanici, qui vitas Imperatorum edidere, Fridericum vnum ex delectis ad Imperium fuiſſe tradunt: quod in Turingicis & Miſnēſibus annalibus prætermiſſum, non iniuria mireris. niſi ijdem à Monachis collecti eſſent, qui nihil memoriæ prodiderunt; quàm aut templorum fundationes, & apparitiones manium poſt mortem: aut res quæ in omnium oculis cum aliquo periculo geſtæ fuerunt. De artibus gubernandi, de conſiliis conſeruatæ patriæ, de vera dignitate & virtute, nulla mentio, aut admodum rara, aut planè obſcura.

Fridericus Grauis Landgrauius Turingiæ.

Cùm electus Rex Suarceburgius, Francofurtum iret ex iis, qui eius cauſam tutati ſunt, FRIDERICVS Landgrauius fuit, qui ſua quoque ipſi adiunxit auxilia: nam quæ inter ipſos fuerant annis ſuperioribus controuerſiæ, compoſitæ & transactæ iam omnes erant. Varia intendebantur pericula Suarceburgio, quæ vt caueret, à Landgrauio admonetur, competitorem CAROLVM non modò eſſe potentem, verùm etiam aſtutum: & quia recuſet armis de Imperio decernere, alias artes eſſe tentaturum. Non ſuperuixit diu Suarceburgius, quem veneno interijſſe proditum memoriæ eſt: quod cùm ſe hauſiſſe intelligeret, Imperij inſignia deferri ad Carolum iuſsit.

Obiit altero poſt eius electionem anno, qui fuit nati Chriſti M. CCC. XLIX. FRIDERICVS Landgrauius, IV. Nonas Februarij, anno ætatis nono & trigeſimo. Fuit hic Princeps natura valetudinis infirmæ, morbo laborans articulari; ad quem acceſſerant vulnera, quæ in equeſtri certamine Pegæ, & in Arenſtadienſi prælio acceperat. Corpus eius Veterocellenſi cœnobio illatum, & prope vxorem conditum eſt: ſepulchro ijdem verſus, annorum tantùm numero mutato, inſcripti legebātur, qui in ſepulchro Friderici II. Imperatoris legi perhibentur: qui quoniam huc non pertinent, & à Cuſpiniano poſiti ſunt, eos prætermitto: non fruſtra tamen inſcriptos exiſtimo.

Friderici Grauis Landgr. mors. 1349.

FRIDE-

certis afferimus. Commiſſum autem prælium ipſum eſt, anno M. CCC. LVI.

Balthaſar Landgrauius Turingiæ.

Eidem Regi militauit altero etiam anno contra HENRICVM Hiſpanum, Caſtellæ & Legionis Regem, qui Petrum fratrem è regno eiecerat: quo prælio Anglus itidem contra Hiſpanos atque Gallos victor fuit: nam Henricum Carolus V. Galliæ Rex defendebat. 1356. 1357.

Balthaſar Vodlandis præficitur.

Vocatus BALDASAR à fratre domum, Vodlandis præficitur: nam Henricus Vodus Plauenſis, cognomento Ruthenus & ſuis moleſtus, & vicinis Miſnenſibus infeſtus erat. Vodlandos itaque defendebat Baldaſar, Miſnenſes Vilhelmus: qui captis & euerſis aliquot caſtris etiam pernoctabant in ſiluis, vt violentum genus hominum deprehenderent & extirparent: ſuiſque populis otium honeſtum parerent.

Bellum Schuarceburgij Vuirciburgicum.

Eodem tempore Comes Suarceburgius Ioannes bellum faciebat Alberto II. Præſuli Vuirciburgio: quem cùm aduentaſſe in Franciam, agroque populato longiùs procedere, Præſul audiret: ſuos ei præfectos obuiam mittit, eumque profligat. Ditericus Vuicelebius ſignifer cum nouem aliis de nobilitate occiditur: & honeſto loco nati homines octoginta capiuntur: qui cùm redimendi eſſent, Vuachſenburgiam præfecturam, & Suarceualdam arcem cogitans Suarceburgius vendere, easque vendere Baldaſari Turingiæ Landgrauio, duobus & viginti millibus marcarum argenti: eius pecuniæ partem Erfurdiani numerant, quibus exitum ex vrbe intercluſerat Baldaſar: quòd in Principum detrimentum, illam emptionem ambiiſſent. eſtque tum renouata Principum & Erfurdianorum amicitia, M. CCC. LXVIII. 1368.

Bellum Hermanni Landgrauij Haſſiæ cum Othone Brunſuicenſi.

Cùm vndique pacatæ fratrum iſtorum eſſent prouinciæ, & pacis bono incrementum caperent: Henrici Landgrauij mors, qui ſine hærede deceſſerat, cauſam inopinato tumultui præbuit. Nam de Haſſia duo conſobrini certabant HERMANVS Landgrauius, & Otho Dux Brunſuicenſis cognomento Leinenſis: quorum ille ex Henrici fratre genitus erat, hic ex eiuſdem ſorore: & huic viuens adhuc auunculus addictior fuerat. Otho vt ſibi pararet auxilia, ſororem ſuam deſpondet Gotfrido Comiti Zigenhanio: ſed cùm ne ea quidem ratione par eſſe viribus Hermano videretur, factionem Stellatam inſtituit; opera vtens Ioannis Heringij, qui ſtellæ inſigne circuntulit; & accepta fide ſibi ſocios nouos obligauit: qua ratione & Rheni accolis, Vuetheranis, Buchoniis, Francis, Vueſtualis, Saxonibus, magna auxilia

Balthaſar Landgrauius Turingiæ.

comparabat; quorum Otho ſe patronum profitebatur. Hi coniurabant inuicem, vt qui vnum læſiſſet, vniuerſos læſiſſe videretur, & vniuerſos hoſtes haberet. Conuocatis autem duobus equitum millibus, qui idem ſentiebant; Otho de iniuria conquerens, eos initi fœderis admonet: & in conſobrinum ſuum oratione cópoſita inflammat: vtq; receptum haberent, arcem à falce meſſoria, & lapide dictam Sichelſteinam ad Haſsiæ fines extruit. Hermanus in ſua prouincia Zigenhanium aduerſarium habens, & ſceleratorum hominum factione circùm circà vallatus, ſummo verſabatur in periculo; nec cui ſatis fideret, inueniebat. Turingis & Miſnenſibus graui interdictum pœna à Principibus fuerat, ne quis ſe Stellatis adiungeret: & ſi quis per imprudentiam deceptus eſſet, tempore ab errore deſiſteret, aut pœnam ſeditioſo dignã præſtolaretur. Eo interdicto animatus Hermanus, Iſenacum ad Principem accedit: ſuſceptus humaniter, exponit ſuum periculum: & quanta ſit potentia nouæ factionis edocet: ait conſiderandum Principibus, quid futurum ſit, niſi furori obuiam quamprimùm eatur: à ſe quidem fore initium mali, ſed id veluti flammam celeriter ſparſum iri per omnes prouincias atque Reſpublicas: & quò quiſque earum florentior fuerit, eò magis fore cupiditatibus improbæ factionis expoſitam: ſe fungi boni viri officio, qui latens malum indicet: quod ſi tectum maneat, quaſi publicum incendium latè depaſturum ſit finitima omnia: functurum etiam munere grati hominis, quòd intellexerit ipſorum edictum ſibi eſſe ſalutare atque commodum: ideo ſe aduenifſe, primùm vt gratias agat pietati ipſorum & prudentiæ: deinde, vt ſe propiùs cum ipſis coniungat, & vetera iura fœderaque inter Haſſos & Turingos inſtauret. Fuiſſe inter eos populos neceſsitudinem ſemper arctiſsimam; imò nulla re vnquam diſiunctos, niſi nominibus fuiſſe: eoſdem primùm Reges, deinceps præfectos, ad extremum etiam Duces habuiſſe: id teſtari æqualia inſignia, antiqua iura, communes leges atque connubia: vnum iam ſeculum, & eius decimam partem non omnem præteriiſſe, quo tempore eos fortuna diſiunxerit non animis quidem, ſed imperio: ſe nihil optare magis, quàm vt rurſus vnus idemque ſit Haſſorum & Turingorum populus.

Fœdus Landgrauiorum Turingiæ & Haſsiæ.

Quamobrem ſi eodem animo ſint, & pari voluntate, ſe paratum tradere illis Haſsiam conditionibus eiuſmodi; vt ſi abſque hærede decedat, eam poſsideant: ſin verò aliquid illis accidat humanitus, vt hæredibus careant, ſui vt poſteri eodem iure

iure fraternitatis vtantur. Hæc placuerunt fratribus: nec difficulter eſt cæteris ordinibus perſuaſum, quibus fœdera illa ignota nõ erant. Incidit autem hoc fœdus in annum M. CCC. LXXII.

Baldaſar Landgrauius Turingiæ.

BALDASARI datur negotium eundi in Haſsiam: cui iuramen- 1372.
tum à nobilitate atque ciuitatibus eſt præſtitum: iurant HERMANO itidem Turingi, Oſterlandi, & Miſnenſes.

Bellum Landgrauiorum Turingiæ & Haſsiæ cum Brunſuicenſi & Zigenhanio.

Hoc fœdere facto, & in tabulas, perpetuitatis cauſa relato; Baldaſar extemplò bellum denunciat Brunſuicenſi & Zigenhanio: ſeque hoſtem Stellatorum profitetur: nec vlla mora interiecta Creuceburgium mittit præſidia, quæ Haſſo ſint præſtò, & in Stellatorum agris prædas agant, eosque vbiuis terrarum inſequãtur. Haſsius ad fines Saxoniæ arcem à falce fœnaria appellatam & lapide Senſeſteinam extruit; ex qua Brunſuicenſis terras deuaſtaret. Non exigua ſpe deiectus Brunſuicenſis eſt, potiundæ Haſsiæ; poſtquam de fœdere intellexit, & in ſe potentiſsimos Principes concitatos vidit, metuit etiam, ne de ſua ditione in diſcrimen veniret. Quamobrem metu ſimulato vt hoſtes ſecuros redderet, ſe aliquandiu continuit; & ſuam factionem ab iniuria & vi inferenda prohibuit: tacitè tamen per Heringium eos appellat, poſita in celeritate omnia ſignificat: tempus & locũ præſcribit, quo ſibi adſint, vt coniunctis viribus hoſti obuient: cælari amplius non poſſe conſilia, & nota plerorumque eſſe nomina: aut eſſe audacter aggrediendum aliquid, aut periclitandum fore turpiter: propoſitam non exiguam ſpem, in ſociorum multitudine, & fore prædam magnam ex opulento hoſte. Valuit apud omnes & periculi denunciatio, & cupiditas prædæ. Interea Haſsi & Miſnenſes Tranſueldam Othonis oppidum diripiunt; & vnico templo excepto totum cremant. Hermanus & Baldaſar ante Hercebergam caſtra locant: & arcem Libesbergij, qui aduerſariæ factionis vnus è primariis erat, obſident: quam cùm capere propter ꝓ pugnantium alacritatẽ non poſſent, maiorem eò adducunt numerum militum. Brunſuicenſis quaſi deſperaſſet, latitare & nihil agere videbatur: erat in armis tota factio, ſed nondũ collecta vnum in locum. Caſu veniens Aquiſgrano, Baldaſaris frater FRIDERICVS itinere religioſo confecto; factioſorum apparatum & numerum multis in locis vidit: qui iamiam turmatim confluebant, ante arcem Libesbergij, in Principum caſtra irruptionem facturi. Confeſtim igitur fidum hominem mittit, qui fratrem & ſocios admoneat, vt ſine mora obſidionem ſoluant, & ſeſe in tutum locum recipiant: qui audientes dicto, copias traducunt Hirſueldiam. Stellati ſuam ſe habere ſpem arbitran-

Tranſuelda direpta.

Balthaſar Landgrauius Turingiæ.

bitrantes in manibus, noctu Hercebergam veniunt; Principes abiiſſe, caſtra diſsipata cognoſcunt. Erat autem hic illis mos, vt noctu itinera ſua conficerent: nam nec tuti ſatis erant, & agnoſci bello flagrante nolebant: & ſi res aliter caderet, quàm ſperaſſent, metuebant infamiam, cùm factioſi nomen ſit in Germania abominabile. Videntes ſe eluſos, & Principes ipſos prudentia armiſque munitos; tum ſumptuum metuentes magnitudinem: hinc inde dilabuntur & diffluunt. ſtipendiis enim propriis militabãt: & in factioſorum turbis plurimi ſemper egentes inueniuntur. Haſsi & Miſnenſes equites, qui in Baldaſaris exercitu erant, ſparſos non deſiſtebant inſequi; & quoſcunque conſcios eſſe deprehenderant, eorum villas, domicilia, arcesque euertere: aliqui illis ſatisfaciebant præmiis, qui ſe pertractos eſſe dicerent: aliqui vitæ timentes, purgabant ſe iureiurando, flagitiũ cumulantes periurio. Ita Baldaſaris diligentiâ intra trium annorum ſpacium, & factio ipſa, & nomen eius deletum eſt: quæ ſi progreſſum habuiſſet, ſeruile per Germaniam bellum excitare potuiſſet. nam eodem tempore etiam Luneburgenſes interfecerant Ducem ſuum, quòd eum imperioſiùs in ſe agere dicerent.

Factio Stellatorum deleta.

Bellum Moguntinum.

Adolfus electus erat Antiſtes Moguntinus, è gente Naſſauienſe, Adolfi Regis Romanorum fratris filius: in cuius locum cùm Gregorius Pontifex, deprecante Carolo Imperatore ſubſtituiſſet Ludouicum Miſnenſem, Baldaſaris fratrem: armis vterque ſuam obtinere dignitatem voluit: ſed Adolfo malè res ceſsit, & ex ea contentione tantum bellum ortum eſt; vt Carolus ipſe Imperator vltrò ſe arbitrum offerret, & in Baldaſaris ac fratrum caſtra profectus, quæ tunc ante Erfurdiam erant, controuerſiam dirimeret, vt in Ludouico exponemus prolixiùs.

Diuiſio prouinciæ.

Bello Eccleſiaſtico compoſito, BALDASAR & fratres ſuas inter ſe diuidunt prouincias: Baldaſari ſorte obtigit Turingia:
1376. ea diuiſio facta eſt anno M. CCC. LXXVI.

1377.

Balthaſaris matrimonium, et Reip. gubernatio.

Altero hunc ſequente anno, vxorem ducit BALDASAR MARGARITHAM Norimbergiam: doti dantur oppida Hiltburgum, Hilperhuſia, Eisfelda. Adminiſtrabat Rempublicam magna prudentia, & æquitate: & in conſiliis vtebatur præcipuè Schonbergio Equite Miſnenſe.

Balthaſar pacat ciuitates Imperiales.

Cùm ciuitatibus Imperialibus in Turingia, propter neſcio quam controuerſiam ſimultatẽ ſuſceperant nobiles Brandeuelſi: quorum audacia, cùm initio haberet ſucceſſum, etiam in Creuceburgio & Iſenacenſi agro homines lædebant: querelis ad Principem delatis; auxilia ſua ciuitatibus Imperialibus adiungens, eorum ar-

rum arcem obſidet, & conditionibus capit: & tranquillitatem tam ſuis quàm vicinis populis reddit. *Baldaſar Landgrauius Turingiæ.*

Erant Iſenaci adoleſcentes duo, honeſto loco nati & opulenti: qui ſuis flagiciis tota vrbe nobilitati erant: ſæpius accuſati, propter parentum gratiam dimittuntur impunes: tandem cùm licentia eſſet intolerabilis, cuiusdam grauis & ſeueri ſenatoris auctoritate iubentur ex oppido excedere ad tempus: ſolebant ij ſæpe noctu in vrbem redire, & conniuentibus cuſtodibus petulanter graſſari: tandem adiunctis ſibi nefariis hominibus, eis prodere patriam voluerunt, vt eam vel deprædarentur vel incenderent: verùm cùm nemini id poſſent perſuadere, propter periculi magnitudinem: ipſi audacia perditi, ambo cum ſingulis ſeruis noctu in vrbem veniunt: ſenatorem illum in lecto obtruncant, domum eius diripiunt: equos inde ſpoliis onuſtos abducunt: inde apertis portarum clauſtris, nemine id ſentiente, euadunt. Admirationi omnibus tanta audacia fuit: ſed ea non vſi diutius, Erfurdiæ capiuntur, tractique vnco imponuntur rotis.

Anno M. CCC. LXXXV. Comes Keffernbergius florentis ætatis adoleſcens, religionis gratia Hieroſolymam proficiſcitur: & inde in montem diuæ Catharinæ pergens, obiit in itinere. Corpus eius in Turingiam relatum, in valle Georgiana, condito ab ipſius maioribus cœnobio, tumulatur, vnà cum inſignibus & armis. ita enim mandari terræ ingenui homines ſolent, qui ſine liberis moriuntur. Nullo igitur hærede relicto, ditio eius BALDASARI iure gentis obuenit. Nomen ea familia habuit, ab arce non procul ſita ab Arenſtadio Suarceburgiorum: & nunc arcem eandem Comites Suarceburgij poſſident. 1385. *Comitum Keffernbergij vltimi mors.*

HERMANVS Haſsiæ Landgrauius, decimas negabat ADOLFO Moguntino: & collegium Friteslarianum afficiebat iniuria: ad quam repellendam arma Moguntinus ſumit; ſociumque aſciſcit Othonem Brunſuicenſem, grauem Landgrauij hoſtem: metuens tamen Baldaſarem Turingum Haſsi confœderatum, ei exponit iniquitatis cauſam, & in ſuas partes ſolicitat, neque nihil efficit. Nam Haſſus nondum belli ſumptus proter Stellatos ſuſcepti, ſoluerat: & leges quaſdam facti fœderis violarat: & in Caſſellanos ciues propter Baldaſarem ſæuierat. Moguntinus per Brunſuicenſem ſuum legatum Haſsiam incendiis depopulatur: Landgrauius etiam, vt ad officium compelleret Hermanum, miſſo caduceatore bellum ei indicit; Eſchuegam & Sundram oppida deditione capit: quam ideo faciebant ciues, *Bellum Moguntini aduerſus Hermanum Haſsiæ Landg.*

 quia

Balthaſar Landgrauius Turingiæ. quia verebantur Brunſuicenſem, ne tecta igne cremaret, quod multis in locis fecerat. Haſſus ad reſiſtendum non ſatis potens atque promptus, de pace agit: Moguntinus Gundisbergam, Falcheſteinum, Nideſtenam, Immenhuſiam, Melſungum, Rotinburgũ ei reſtituit: Eſchuigam & Sundram pro ſumptibus in bellum factis retinet Landgrauius.

1388. *Conſpiratio liberarum ciuitatum in Suevia, Francia, Bavaria.* Anno M. CCC. LXXXVIII. vltra ſeptuaginta in Sueuia, Bauaria, Francia liberæ ciuitates inter ſe conſpirant: cauſa erat, quòd ſe à Principibus & nobilitate premi dicerent, nullo in loco aut itinere tutas fortunas ſuas aut ſalutem conquererentur. Tenebat tunc Imperium VENCESLAVS Boemus: qui cùm animum Imperio dignum non haberet: non ſolùm in Germania, ſed etiam in Italia eius temporibus multæ factiones, nec non ſchismata in Eccleſijs ſunt ſuborta. Huſsitæ enim in Boemia, Albati in Italia contra vſitatam Romani Pontificis doctrinam, noua dogmata attulerunt. Principes Germaniæ quanto verſarentur in diſcrimine cogitantes, cùm ab Imperatore neque conſilij neque auxilij quidquam eſſet; mutuis ſeſe hortationibus animantes, curant, ne vires ſuas poſſent ciuitates coniungere: proximam enim quamque ſuis prouinciis, inuadunt: easque renunciare fœderi compellunt, & data illis priuilegia eripiunt: Dux Bauarus Ratisbonam aggreditur parùm feliciter: Robertus Palatinus Spiram & Vuormatiam, maiore ſucceſſu compeſcit: Croneburgius Francofurtam, Hanam, Iſeburgam & Gelhuſam intrà ſuos fines continet: Burggrauius Norimbergius, adiunctis Baldaſaris Landgrauij & Vurciburgij Præſulis copiis, Vinshemiam & Rotenburgam ad Tuberum obſeſſas, redigit ad officium, & Noribergam pecunia mulctat. Cæteræ ciuitates admonitæ exemplis, reſipiſcunt, ſeſeque continent.

In Turingia & Miſnia non erat metuendus eiusmodi tumultus, quia in Principum poteſtate pleræque ciuitates ſunt: & quæ non ſunt, propter potentiam vicinorum ſunt modeſtiores. Ab Herciniis, quibus præfecerat Moguntinus Gerhardum Hartinbergium, incurſiones ſæpe fiebant in Turingiam: ſed à præfecto Creuceburgico Gerhardus cum ſexaginta armatis prope Dorſam capitur. Illis autem vt reſiſti firmiùs poſſet: Henicam arcem extrui Landgrauius mandat, & latè vallum ſtruit foſsis obicibusque circumdatum, ad vim aut irruptionem ſubitam arcendam. ita factum eſt, vt Hercinij minus infeſtarent Turingiam.

Erant

Erant in Buchonia Steineccij, qui Fuldanam diœceſim vndique populabantur: FRIDERICVS Abbas Baldaſarem Landgrauium, & Gerhardum Vurciburgium in auxilium vocat: qui coniunctis copiis Poppinhuſiam arcem obſident: quos ſimul adiuuabant vrbes, quæ à Steineccijs læſæ erant. Menſes aliquot in obſidione illa conſumuntur, & tormentis iaculisque arx validè quatitur. Extruitur tandem ligneum propugnaculum, quod rotis impulſum ad mœnia, quorum altitudinem æquabat, ageretur: hoc à ciuibus, qui in caſtris ſimul militabant, erat excogitatum: qui etiam propugnaculum conſcendunt, & ex eo pugnare fortiter incipiunt. ſed nobilitas ex diœceſi Fuldana inuidens oppidanis gloriam, ipſis inſcientibus ad labefactandam machinā, funes tractorios conſcindit. Machinæ ruina multi homines oppreſsi, interierunt. Soluitur tandem obſidio, & re infecta diſceditur anno M. CCC. XCIII. Abbas eodem defunctus anno, ſucceſſorem habuit IOANNEM: qui annis & ætate confectus, ſibi aſciuit collegam, quem Coadiutorem nominant, quò facilius adminiſtrationis onus ferret. Collega ambitione cæcus, Abbati inſidias tendit: quem etiam interfici curaſſet, niſi ſenem imbecillum fidi texiſſent miniſtri: vulnus tamen ei in turba inflictum eſt: ſed collega ſe inſciente id perpetratum, probauit Moguntino, apud quem accuſatus erat. Abbas itaque non ignarus multorum beneficiorum, BALDASAREM Landgrauium appellat: à quo reſtitutus eſt, & Neuburgum recuperatum: Coadiutor Biberſteinam fugit. Henricum Laucham, in Turingia, ſuſpectis hominibus præbentem hoſpitium, arce Scharfenbergo, non procul ab Iſenaco ſito, expellit, nec non filium eius exilio damnat, qui paulo pôſt inter latrones occiditur. Gerſtungam Baldaſari Fuldanus vendit, & inde ſtipendia in milites facta, numerat.

Balthaſar Landgrauius Turingiæ. Poppinhuſia obſeſſa.

1393.

Friderici Abbatis Fuldani mors.

Balthaſar Ioannem Abbatem Fuldanum reſtituit.

BALDASAR alteram poſtea vxorem ducit, Rodolfi Saxoniæ Ducis, ſui affinis filiam, vt initio dicebamus. Non certò conſtat, quid ſpectarit exactione noua: nam imperauit in ſingula capita nummum argenteum, quorum viginti aureo Rhenenſe valent. Eum theſaurum collectum, Vrſum vulgò appellauerunt. Obiit hic Princeps Vuartburgi XV. Calend. Iunij, anno ætatis ſuæ ſeptuageſimo, nati Chriſti M. CCCC. VI. ſepelitur Reinhardborni. Quarto ante ipſius mortem anno, cometa viſus eſt.

Balthaſaris mors.

1406.

FRIDERICVS.

FRIDERICVS Landgrauius Turingiæ Baldaſaris è Margaritha Norica filius, altero poſt obitum patris anno, vxorem duxit

Fridericus Landgrauius Turingiæ.

ANNAM Guntheri Suarceburgij filiã, Philippo Naſſauienſi deſponſatã. Viuente patre multa indicia indolis fortis & præclaræ dedit. Nã paternis copiis præfuit, in exercitu Burggrauij Norimbergij: & Vilhelmo militauit patruo, obſidenti Pragam: quo in bello etiã equeſtria ornamenta accepit. Aduerſarios habuit multos; inter quos caput erat Comes Anhaltinus. Eum præfecti eius, cùm minorem ſui curam, contemptu Friderici, gereret, ceperunt: qui duobus millibus marcarũ argẽti, ſe redimit, anno M.CCCC. IIX. Capti poſt hunc alij ſunt eius complices, Bebranus, Bertholdus Hanſtenius, Sitticho Buchena, Fuldani coadiutoris gentilis. De præfectura Salzenſi tradita ei ſunt oppida Noſhauia, & Dulſtetum. Suarceburgius ſocer eius, vir aſtutus & iniquus Principibus, generi bonitate & ſimplicitate mirũ in modum abutebatur: quẽ ita in ſuã poteſtatẽ ſpargendis ſuſpicionibus traxit: vt nec amicos adiret, nec ſuos alloqueretur populos, nec ad patruos daret literas, nec ad ſe admitteret quenquã, ipſo nõ conſulto & volente. Cùm autem ei id nunquã permitteret, libertate ſua planè carebat: nec id multùm curabat adoleſcens cùm ſui cõmodi cauſa id agere ſocerum iudicaret. Toto quinquennio illi ſolitudinis carceri quaſi mancipatus erat: & Turingia omnis per Suarceburgiũ, non per Principem gubernabatur. Aſtutia tandẽ ſenis eſt deprehenſa: nam alienare Turingiam à Miſnenſibus parabat: præſertim cùm hæres è filia ſua nullus eſſet. Malè conuenerat Suarceburgij maioribus cum Principibus: quos hi parte ditionis exuerant, quòd arma non neceſſaria mouiſſent: ideo eos vlciſci vel cum dedecore ſuo & patriæ pernicie ſenex improbus cupiebat: partem autem Turingiæ vendere ſtatuerat Regi Boemiæ Sigiſmundo, partem Haſsiæ Landgrauio, partem Ioanni Moguntino, è Comitum Naſſavienſium gente.

Anhaltinus captus. 1408.

Schuarzeburgij aſtutia & iniquitas.

Friderici & Vilhelmi fratrum expeditio in Turingiam

Re intellecta FRIDERICVS & VILHELMVS patrui Friderici XVII. Cal. Auguſti exercitũ in Turingiam ducunt: admiſſi in oppida nuſquam ſunt, quorum aut portæ erant clauſæ, aut obſeſſæ à cuſtodibus: etiam pœna capitalis indicta ijs, qui introadmitterent quenquam, niſi literas aut Symbolum à Suarceburgio afferret, aut notus eius familiaris ue eſſet. Vilhelmus fortè Erfurdia veniebat, vt ſe fratri, qui Vuangenhemij erat, iungeret: Gotham adit cum paucis equitibus; cùm introitus portæ cathena eſſet clauſus & repagulo: ipſe equo deſcendens, ſublata cathena introiit: cuſtodes Principis reuerentia moti, monent tantùm, nõ arcent: progredienti in forũ vſq;, ſenatus interdixit, ne pergeret: aliud ſe in mandatis habere, ſi pertinax foret. Concurſu populi

facto,

facto, ducitur honorificè ad hoſpitium: altero die verba ad po- *Fridericus Landgrauius Turingiæ.*
pulum facit, ſe veniſſe, vt fratris filium quærat & alloquatur, &
de re communi cum illo conſulat: ſe agnati aſpectu fraudari, de
quo nihil certi cognouerit annos iam aliquot: nihil aliud cogi-
tare ſe, nihil ſtudere, quàm vt beneuolentia & pax ſit, quæ tot
annos inter fratres non modò incremento ipſorum, ſed penè
ſingulorum ciuium durauerit: ſe nihil ſuſpicari de quoquam, id-
eo ſolum & inermem vitam ipſis ſuam commiſiſſe; & auſum
ingredi in ciuitatem cuſtodibus obſeſſam, vt eos malo errore &
opinione ſiniſtra liberaret; neue bellum aliquod pernicioſum
excitaretur contra eos, quorum patriam & fortunas quàm ma-
ximè vellet eſſe florentes. Audita aduentus cauſa, ciues acquieſ-
cunt: Principem animoſum tacitis iudiciis laudant: & ſibi iam
metuere, vt in re incerta atque dubia incipiunt. dimiſſus cum ad-
miratione, Iſenacum contendit: acceſſu prohibitus, precibus im-
petrat, cum paucis vt intromittatur, & audiatur tantùm: quòd
non ſuæ, ſed ipſorũ potius ſalutis cauſâ aduenerit. Verba ad ipſos
humaniter facit: & turpe eſſe oſtendit, alieno ipſos arbitrio regi,
non Principis auctoritate, quo tamen vix inueniatur vir melior:
tandem etiam ab iis obtinet, vt ſuum illi comitatum adiungant,
cum quo ſit ad fratris filium profecturus. Congreſsi Principes, al-
ter in amplexum alterius ruit: inprimis iuuenis omnia caritatis
& obſeruantiæ indicia patruo oſtendit. Habitis inter ſe ſermo-
nibus multis, Vilhelmus fratri, quid cum agnato egerit, prope-
ranter renunciat: qui lætitia plenus etiam ad eundem accedit. In
ipſa collocutione Principum præſentium, cauſæ ſuſpicionum o-
mnium tolluntur: reprehenditur FRIDERICVS, quòd præter
dignitatem ſuam tantum ſocero conceſſerit: ipſi Suarceburgio, *Pacis & fœderis inter agnatos renouatio.*
in quo omnis culpa hærebat deprecante genero, ignoſcitur: pax
inter agnatos & fœdera antiqua renouantur: Turingi maximo
metu & manifeſto periculo liberati, conſenſu ſui Principis, am-
bobus fratribus more maiorum fidem & obedientiam iure iu-
reiurando pollicentur. Actum hoc eſt anno M.CCCC.XII. 1412.

Multorum inde annorum ſecuta quies: donec anno M.
CCCC. XXXI. Hennebergius Comes Georgithalianis iumenta 1431.
abegit: quem inſequentes præfecti Friderici, cùm prædam aſſe-
qui non poſſent, conuocato celeriter ex agris oppidiſque milite,
ſiluaque Turingica ſuperata, Ilmenam oppidum adoriuntur:
quorum impetu territus Ioannes Lichtebergius, qui id tenebat,
deditionem mox facit: præda repetitur, negotium conditionibus
componitur.

Gunthe-

Ludouicus Præſul Halberſtadius. Reſtitutio Guntheri Præſulis Magdeburgi. Guntherum Præſulem ſuum, circa id tempus expulerant Magdeburgici, is Sündershuſiam ad Henricum Suarceburgium fratrẽ ſuum confugit: nec auxilium ab eo, quantum volebat, impetrare potuit: quamobrem ciues in concilio Baſilienſi accuſat: & validiora præſidia circumſpicit: cumque in gratiam poſitus eſſet apud Principes: Fridericus elector Saxoniæ Ludouicus Landgrauius Haſsiæ, & Fridericus Landgrauius Turingiæ, effecerunt; vt à Magdeburgicis reciperetur, & amiſſa recuperaret omnia: coegerunt præterea Hallenſes, vt pro iniuriis eidem ſatisfacerent.

Friderici mors. Obiit FRIDERICVS Vuiſenſehæ, IV. Non. Maij, anno M.
1440. CCCC. XL. ſepelitur poſtremus è Landgrauiis Reinhardborni. Vxor eius obiit Fribergi X VII. Cal. Februarij, anno M.
1431. CCCC. X X X I. ad mariti latus condita. Quia autem carebat hęredibus: prouincia eius ad FRIDERICVM & VILHELMVM iure eſt translata.

LVDOVICVS PRÆSVL.

LVDOVICVS Friderici Grauis, quartus filius, naſcitur in ar-
1340. ce Vuartbergia V. Calend. Martij, M. CCC. XL. hic adoleſcens in literis inſtitutus, eligitur Præſul Halberſtadius, & con-
1358. ſecratur anno M.CCC.LVIII.

Ludovici bellum cum Comite Manſveldo. Adminiſtrationis anno quarto Comiti Mansueldio, qui arces quasdam & prædia ſuæ diœceſis vi tenebat, bellum facit: ductoque in Herciniam exercitu, Islebiam obſidet, agrum va-
1461. ſtat, machinas metallicas deſtruit. Compoſita per arbitros cauſa, Manſueldius, quomodo Præſulis ſocios vlciſceretur, cogitat. Hoſpitio Præſulem exceperat, & iuuerat commeatu Abbas Sitgebachius, qui vno ab Islebia milliario habitabat: Comes cœnobiũ cũ hominibus armatis inuadit, & diripit; Abbatem captum abducit, ſodales Bernardinos multis contumeliis afficit, quosdam excruciatos necat. L V D O V I C V S tanta immanitate cognita, denuo eius ditionem aggreditur: Abbatem liberat, Comitem ad ſatisfactionem impellit; & propter loci ſacri violationem, & religioſorum cædem ſacris ei omnique iuri Eccleſiaſtico interdicit. Conciliatio quæ ſit conſecuta, non memini me legere.

Ludouicus fit Præſul Pabebergius. Cùm Halberſtadenſem eccleſiam in Saxonia adminiſtraſſet magna laude virtutis annos octo; ad Pabebergenſem in Franciam transfertur: cui totidem penè annos præfuit: & cùm apud alios Principes multos, propter ſplendorem: tum inprimis apud Carolum IV. Imperatorem propter auctoritatem gratioſus fuit.

Mortuo igitur Ioanne Moguntino, cùm collegium ADOLFVM

Ludouici pro Præſulatu Moguntino bellum cum Adolpho Naſſauienſe.

FVM Naſſauienſem elegiſſet, qui tum Præſul Spirenſis erat, eiq; poſſeſsionem iam tradidiſſet; Gregorius XI. Pontifex confirmare hunc noluit, ſed Imperatoris rogatu eis LVDOVICVM commendauit atque præfecit. Suſceptum vtrinque bellum pro Epiſcopatu eſt ſummis opibus atque viribus. Cum Adolfo tanquam legitimè electo faciebant Moguntini & Erfurdiani: & eidem militabant ſtipendiis Otho Brunſuicenſis, Comites Naſſauienſis, Zigenhanius, Valdecius, Glichenſis, Honſtenius, Stolbergius: tum Rhenanum atque Herciniū ſuæ diœceſis ſecum ducebat militem: quodq; iure non poterat Eccleſiaſtico, ſe armis & exercitu ſperabat conſecuturum. Initium autem belli ipſe faciens quoſcūque deprehendebat Ludouici eſſe partium, eos aut ſpoliabat aut mulctabat ære; vinctos verò tenebat, quos ſibi præcipuè nocere poſſe exiſtimabat. Ludouico qui ſtudebant, idem faciebant: & ipſe edicta pontificia templis vndique affigebat, quæ damnarent aduerſarios, ſuam cauſam probarent: itaq; non parū multos nomine Pontificio terruit, & odium eis armorū iniecit. Aliqui relinquentes bona mutabant ſolum ad tempus, ne alterutrius partis eſſe cogerentur. Cùm iam in tanto ſchiſmate, hinc inde cædes fierent, & aliqui in vinculis interirent: Erfurdiani Adolfum per legatos in Turingiam ad defendēdum clientes ſuos vocant. Salza Turingiæ oppidum ad Moguntini & ad Landgrauij ditionē pertinebat, vt ſuprà relatum prolixè eſt: id iam totum ſe contulerat ad Langrauium. Quamobrē veritus Adolfus, ne exemplum aliæ clientelæ aut oppida ſequerentur, Molhuſiam accedit: ibique copias ſuas colligens, progreditur Erfurdiā: & in hoſtili terra prædas miſcens & incendia, arcē tandem Gebeſam obſidet. Eò autem iſta omnia perpetrabat audacius: quia Principes adhuc videbat imparatos, nec impoſita caſtellis omnibus præſidia. Ludouicus vt ſuam dignitatē tueretur, fratrum auxilia FRIDERICI & BALDASARIS implorat: quibus militabant Moraui, Boemi, Vodlādi, Brandeburgici, Miſnenſes, Oſterlandi, Turingi. Magnis igitur copiis celeriter collectis de pedo & infula exercitibus cōtenditur, inuſitato & inaudito vetuſtiſsimis quibusque exemplo. Ante enim Othonis I. Imperatoris tempora, de Eccleſiaſticis dignitatib. bello certatum fuiſſe non legimus; quia Præſules non eligebātur reſpectu nobilitatis aut factionum; ſed integritatis atque doctrinæ: neque licebat Præſuli verſari in aulis aut caſtris; ſed erat addictus ſuo quisq; tēplo atq; collegio. Verùm cùm frater Othonis Imperatoris Bruno, Antiſtes Colonieſis, nō cōtentus Sacerdotio, etiā regno vellet eſſe ſublimis: cumq; depoſitis ſacris libris gladio accin-

Ludouicus Præſul Halberſtadius. accingeretur: exemplum valuit, vt vtranque ſibi & cæteri ſumerent poteſtatem, tractandi ſacra, & gubernandi rempublicam. Inde tanta ſeges bellorum alta, tot ſæua prælia, tot vrbium ſunt excidia in Germania conſecuta: ſed hæc loci alterius & maioris facundiæ eſſet querela.

Baldaſaris celeritas. BALDASAR legatus fratris, Gebeſanis ferre auxilium properat, & caſtra ex altera Vnſtrutæ fluminis ripa caſtris hoſtilibus aduerſa locat: ad quem plures, è Buchonia, Haſsia, Francia, milites confluebant. Pontibus comparatis, quibus flumen lentum & profundum tranſiret, ADOLFO fecialem mittit, qui eum ad pugnam prouocet. FRIDERICVS frater ætate & conſilio maturior, eius improbat ſententiam: ciuium videlicet & ſociorum ſalutem temerè fortunæ non committendam: rogat autem ne grauetur aduentum expectare ſuum; quem, ne quid detrimenti caperet Reſpublica, velit maturare. BALDASAR moræ impatiens, ſe non continuiſſet: niſi tribuni cæteri eius obſtetiſſent conatibus. *Erfurdianorum metus.* Erfurdianis oriri trepidatio, quibus impetus & celeritas Baldaſaris ignota non erat. ideo conſilia inire ſibi ſuæque vrbi commoda. Verebantur enim, ſi res parum feliciter caderet, ne tota belli moles ſibi eſſet ſuſtinenda: neue abeunte Antiſtite & ſociis, ſumptum belli omnem & cladem Principibus illatam, ſua pecunia aut calamitate luenda foret. Igitur Adolfo perſuadent, vt à Gebeſa recedat, & intra ſua mœnia ſe conferat: poſſe enim tantum periculum faciliùs conditionibus componi, quàm finiri armis. ADOLFVS non inuitis auribus eum ſermonem admittit, *Adolfi ſtrategema.* & de diſceſſu cogitat: quem ne hoſtis ſentiret, BALDASARI nunciat, altero ſe die facturum pugnandi copiam: ipſe è caſtris prima vigilia proficiſcitur: quod cùm Gebeſani intelligerent, clamore & cornuum cantu dant lætitiæ ſuæ indicia. BALDASAR ſuſpicatus, id quod erat, pontes admouet, & fluuium ſuperat: multi auiditate pugnæ, non expectantes donec ſternerentur, fluuio ſe committunt: Gebeſani accurrentes ripam perfodiunt, quæ propter altitudinem exitum non habebat, vt plures tranare poſſent, & hoſtes inſequi. ADOLFVS properat Erfurdiam: Brunſuicenſis ſe mœnibus noluit credere: igitur illum vſque ad Erfurdiæ, hunc ad Salzæ portas eueſtigio equites inſequuntur: pauci de extremo agmine capti & occiſi. Brunſuicenſis inſequentium pertinacia timidior, iter ſuum flectit Molhuſiam verſus, quia Salzani erant illi iniqui: eundem ſequuntur Honſtenius & Stolbergius, & qui Northuſia miles venerat. Vniuerſus igitur BALDASARIS exercitus Gebeſam redit: ad quem cùm fratris

FRIDE-

FRIDERICI copiæ venirent; viribus coniunctis in agrum Erfurdianum: pergunt triginta millibus militum: villæ incenduntur paſsim, & aguntur prædæ, continuò ad mœnia ipſa vrbis claſsicum canitur; vel vt Antiſtitem elicerent, qui eos ad pugnam antè prouocarat: vel vt oſtenſis copiis, quàm poſſent maximum terrorem hoſtibus incuterent. Hoc quidem conſecuti ſunt: ſed Antiſtitem magna ſociorum parte deſtitutum, & rebus ſuis deſperantem, mouere loco non potuerunt. qui etiam Erfurdianos accuſauit, quòd ipſorum vocatu temerario in tantas anguſtias coactus ſit: è quibus niſi numine aliquo propicio non poſſet euadere. Vrbs ipſa obſeſſa menſes duos eſt: in Principum exercitu commeatus erat copia, & ad diuturnitatem obſidionis cotidie parabantur res neceſſariæ. Extra mœnia agri, vineta, & aliæ arbores corrumpebantur & ſuccidebantur: effodiebantur tubi, & obſtruebantur canales fontium: ſaxa & tela tormentis iaciebantur in tecta atque domos: leuia quoque ad ipſas portas interdum prælia fiebant.

Ludouicus Præſul Halberſtadius. Erfurdiæ obſidio.

Dum hæc aguntur, CAROLVS ipſe Imperator cum vxore & VENCESLAO filio in caſtra Ducum venit: vel vt ſuam ſententiam tueretur, qua Ludouicum ornarat: vel, vt nonnulli tradunt, motus pecunia Erfurdianorum, qui pacem impetrare niſi eius auctoritate non poterant. Miles Boemicus, quem adduxerat, ad oſtentandam virtutem portis adequitare, vt ciues eliceret: ſed vtrinque captis aliquot militibus, tandem de pace agitur: qua impetrata, Erfurdiani multis honoribus Imperatorem afficiunt: LVDOVICVS titulum Antiſtitis Moguntini accepit, ſed Pabebergæ ſedem retinuit. Adolfus Spiram antiquam ſuam ſedem ipſe quoque repetit. Compoſitum bellum hoc Eccleſiaſticum eſt, anno M. CCC. LXXV. Redundabat omnis culpa in Comitem Glichenſem; qui & Erfurdianos inſtigaſſet, & magnitudine promiſsionum Adolfum adduxiſſet in Turingiam. Tonna igitur arce eius expugnata, & ditione depopulata, ad ſua quiſque retrogreditur.

Compoſitio belli Moguntini.

1375.

Tonnæ expugnatio.

Hoc tempore cùm CAROLVS Imperator ad ornandos & euehendos populares ſuos, Saxonicis Eccleſiis Boemos præfeciſſet, inprimis Magdeburgenſi & Paderbornenſi: minus ipſi gratioſam & quietam inter alienos populos gubernationem habuerunt: idque vt Crantius, & Antiſtitum teſtantur Chronica, magno ipſorum merito. nam ALBERTVS Magdeburgicus, quidquid in Luſatia poſſeſsionis Eccleſia habuit, Regi vẽdidit: & quia in odio erat, ſibi PETRVM quendam eiuſdem gentis ſubſtituit:

Magdeburgenſes Epiſcopi.

Ludouicus Præſul Halberſtadien. qui & ipſe de reditu in patriam iniit conſilium. LVDOVICVM Miſnenſem virum potentem & illuſtrem gratia non deſerebat. Petro igitur abeunte, Vrbani Pontificis auctoritate, nec abnuente collegio, ipſis quoque Magdeburgicis datur Antiſtes. Poſt OTHONEM Haſſum, multos ante annos iuſtis ſuffragiis ab eodem collegio electus erat: quia propter magnificentiam & ſplẽdorem nobilitas ei fauebat: ſed ipſis reſtiterunt magnis clamoribus ciues, qui Antiſtite creato tam potente libertati metuebant; & videbant ſibi perpetuum fore cum Miſnenſibus bellum: tum Carolus Imperator, qui ſuis clientibus diſtribuebat ſummas dignitates, alium quendã ſubſtituit, DITERICVM: qui ſuis anteceſſoribus Alberto & Petro non diſsimilis, relicta Eccleſia, & exhauſto copioſo ærario, in aulam Boemicam rediit. Quamobrem *Ludovicus fit Præſul Magdeburgius.* poſt viginti demum annos rurſus LVDOVICVS ad Magdeburgenſem vocatur Eccleſiam: de cuius ornamentis cogitans, ciues humanitate & benevolentia deuincire conatur: eaque de cauſa quædã ſeditioſorum caſtella euertit: & inprimis Vuernigerodẽſes Comites domuit. Pallium de more nondum acceperat à Pontifice Romano: ideo cùm fidelitatẽ poſtularet, ea excuſatione vſi ciues Magdeburgici & Hallenſes, detrectant promittere, idque ſe non pertinacia, ſed religione & more antiquo facere. Diſsimulata ira, fortaſſe armis eos adegiſſet: ſed morte celeri præreptus fuit, quæ caſu ei eſt oblata. Ipſis Bacchanalium diebus inuitauerat primos de nobilitate, in Calbam oppidum, ad quod Sala in Albim *Ludouici mors.* exit: ibi cùm in publico loco ducerentur choreæ, quibus intererat Antiſtes; ortum in eadem domo ſubitò incendium eſt: quod fumo ingenti proditum, terribilius viſum, quàm deprehenſum eſt, cùm perturbati ad ſcalas properarẽt omnes, mole nitentiũ franguntur & ſuccumbunt: læſi ſunt aliquot, ſed ſine vitæ periculo: ſolus Antiſtes in caput præceps cadens, ita alliſus eſt; vt tertiis Bacchanalibus, cùm id pridie factum eſſet, expiraret. Opinio erat, rumorem de incendio ab ipſo diabolo excitatum: ita enim exiguũ fuit, vt à puero reſtingui potuiſſet. Vno enim tantùm lecto conſumpto, & ſemiuſtulato pariete, reliquum ædificium permanſit incolume. Delatus Magdeburgum in æde Mariana ſepelitur.

1381. M.CCC.LXXXI.

VILHELMVS COCLES.

VILHELMVS, cognomento Cocles, Friderici Grauis quintus filius, naſcitur in vrbe Dreſda XIII. Calend. Ianuarij

M.CCC.

M. CCC. XLIII. Cùm diuiſas prouincias non haberent: à Friderico fratre præficitur Miſnenſibus, vt eos contra aliquot finitimos tueretur, latrociniis graues: ſimul etiam vt artes gubernandi diſceret, & in otio ignauo ne viueret; quo nihil adoleſcentibus Principibus magis habetur pernicioſum.

Vilhelmus Cocles, Langravius Turingiæ.

Vxorem duxit, vt Boemici annales & noſtrorum ſcripta omnia nominant, LVDOMILLAM: vt inſcriptio ſepulchri Miſenæ habet, ELIZABETAM, Iodoci Ducis Morauiæ filiam: è qua nullam prolem ſuſcepit.

Matrimonium Vilhelmi.

In Miſnia arces atque caſtella multa, vel armis cepit, vel redemit oppignerata, vel comparauit noua: è quibus nominata inueni, Leiſnicium, Debinum, Molbergam, Vueidenhanam, Berenualdam, Solſinum, Vuaramundam, Trebinum, Kopingam, Ortrancium, Vuolferamsdorfum, Vuiſenſteinam, Konigſteinam, Schreckenſteinam, Lilgenſteinam, Thierſteinam, Koferbergã, Vuinterſteinam.

Contra factionem, vt vocabatur, Lombardicam, vel (vt alij) Britanicam, à fratre mittebatur in Algauiã, ſed ea ante Principum aduentum diſſipata fuit.

Vilhelmi militia.

Paucos poſt annos Caroli IV. Imperatoris caſtra ſecutus eſt, cùm is Romani Pontificis vocatu ad frangendas quorundam tyrannorum vires, Italiam adiret: inprimis autem Pontifex metuebat à Barnaba & Galeatio Vicecomitibus, quibus Antiſtes Mediolanenſis IOANNES, patruus ipſorum, inſignem hæreditatẽ, nempe totius Inſubriæ, quam à Germanis cultoribus Longobardiam appellant, reliquerat dominatum. Hanc familiam ante aliquot annos Imperator extulerat, & ei poteſtatem Imperatoris vicariam demãdauerat, data eius dignitatis ergô bulla aurea. tantopere autem iam creuerat potentia, vt eſſet formidabilis toti penè Italiæ. Imperator cùm ingreſſus eſſet prouinciam illam, & agro Mediolanenſi immineret: Vicecomites eum adeunt, vt vetus beneficium ipſis collatum tueatur: acceſſionem etiam ad ſuas fortunas factam confirmet, enixè rogant: Pontifex contrà, nouos homines ad faſtigium tantum elatos dolebat, & mortuo Antiſtiti detrahebat; & non ferendum, vt tali terra potirentur, exiſtimabat. CAROLVS autem quamuis ſe ægrè ferre oſtendebat, nihil tamen præclari in illa expeditione egit. Vilhelmum Miſnenſem, & alios Germaniæ Principes, quòd ipſum ſecuti eſſent, pœnituit: non enim bellum gerebat, aut aduerſarios domabat: ſed veluti mercatum agens, theſauros colligebat: omnia concedens omnibus, à quibus pecuniam poſſet abradere, vt Cuſpinia-

Expeditio Caroli IV. Imp. Italica.

Vicecomitum Mediolani familia.

Vilhelmus Cocles, Landgrauius Turingiæ. nus ſcribit. Factum id eſt anno M. CCC. LXIX. vt proditur in annalibus Turingicis.

Bellum ciuile in Germania. In Germania maximum tum bellum gliſcebat ciuitatum liberarum contra Principes: quo in bello Burggrauio Norimbergio militauit, & Alberto Præſuli Vurciburgio: & equitatui, quē Baldaſar frater mittebat, præfuit. Oriri inde id bellum cœpit, quia paſsim mercatores, & qui ſuorum negociorum cauſa iter facerent, aut intercipiebantur, aut ſpoliabantur, aut cædebantur: quamobrem vt tollerent latrocinia, quæ Principes non ſatis acriter puniebant, quasdam nobilium arces euertunt: & quia vulgus ſibi moderari nequit, fitque vel leui indulgentia corruptiſsimū, ineſcatum iam dulcedine & copia prædæ, ſpoliat templa, & monaſteria: neue id temere & libidinosè agere videretur, Abbates quosdam inſimulat; qui ſuis cognatis aut amicis graſſatoribus, non modò darent hoſpitium: ſed clientes etiam ſuos, eſſe iniuriæ & rapinarum adminiſtros paterentur. Aliquos igitur in ordinem redigit: aliis pulſis ſuo iudicio & poteſtate nouos ſubſtituit. Principes cùm viderent malè tractari nobiles, eijci ſedibus Eccleſiaſticos: ſibi metuentes, arma paſsim ſumunt: neue incendium populare longè nimis progrederetur, proximas quiſque ciuitates compeſcunt. quod bellum etiam ſuprà attigimus.

1386. Anno M.CCC. LXXXVI. ALBERTVS Comes Leiſnicenſis, & VITVS Schonburgius generoſa ſtirpe ortus varias inter ſe inimicicias exercuerunt: ſed eas non in fundis ſuis, ſed alienis finierunt. *Bellum Leiſnicenſis Comitis cum Schonburgio.* Comes enim Leiſnicenſis ſenior vnà cum Alberto filio arcem Rabeſuinum Abbati Chemnicenſi Ortuino cum eriperet, non contentus poſſeſsione arcis, nouem etiam pagos ei adimit: è quibus Stenam, Pliſſam, & Cheulerenam diripit Schonburgius, agricolas capit, armenta abigit: non vt Abbatem iuuaret, ſed vt hoſtem vlciſceretur. Quamobrem cùm metueret Leiſnicenſis, ne ſuos agros eodem agmine aggrederetur: agricolas quos in villis ceperat, mittit ad Rochsburgum & Penicenſem arces inſtaurandas. Abbas cernens fundum ſuæ Eccleſiæ expoſitum tantis iniuriis, de violentia conqueritur VILHELMO: qui ei aſsignans arbitros Miſnenſem & Numburganum Præſules: item ex aula fratris Appollonium Vicethumum & Henricum Honsbergium; eò negotium promouet, vt Leiſnicenſis ſuum præfectum ex arce, populum è pagis intra dies quindecim domum reuocaret. quibus modis ſatisfieri deberet Ortuino, id in aliud tempus reijcitur.

Præfuit itidem VILHELMVS copiis fraternis in obſidione
1393. arcis Poppinhuſiæ in Buchonia, Anno M.CCC. XCIII.

Idem

Idem iuuerat auxiliis Comitem Heldrungium,qui Erfurdianorum ſeſe hoſtem profitebatur: Erfurdiani cùm apertam vltionem non inuenirent, incendiarios in Miſniam immittunt. Oppida aliquot in cineres rediguntur,diu inquiſitis auctoribus,cùm tandem deprehenderetur certum à facinoroſis indicium, oppidani de Erfurdianorũ perfidia aliis queri ciuitatibus in Turingia, acceptam calamitatem exponere,auxilium conſiliumq; petere.

Vilhelmus Cocles, Langravius Turingiæ.

Eodem tempore quarta ferè vrbis Erfurdiæ pars crematur: ideo publica conuicia iaciebantur in VILHELMVM, & Miſnenſes, tanquam eius incendij auctores clandeſtinos. Dubium incertumq; fuit, à quo eſſet immiſſum: nam in ſuburbio natum, per venti violentiam fertur in tecta vrbis. Vilhelmus & ciuium ſuorum querelis, & Erfurdianorũ conuiciis laceſsitus, diebus æquinoctij autumnalis in agrum ipſorum incurrit: villas vrbi propinquas omnes diripit,direptas in ipſorum conſpectu incendit: ſexto pòſt die ſuos equites Keffernbergiæ dimittens, gratias eis ob nauatam operam, & ſumptam de aſtutis hoſtibus vindictam apertè agit, anno M. CCC. XCVI.

Incendium Erfurdiæ.

1396. Emit poſt hæc in Oſterlandia, Ileburgum: in Miſnia Colditium: in Boemia Riſeburgum. Comites enim & liberi quidam homines, ad inopiam redacti, maiorum parta tueri non poterant. Rem nummariam reſtituit, & nummi Vilhelmiani nomen ab eo retinent.

Malè tum conueniebat inter VENCESLAVM Regem Boemiæ, & IODOCVM nepotem eius ex fratre, Morauiæ Principẽ: hic igitur exercitu comparato, & allectis ſociis vicinis Pragã tres menſes obſidet: in quo bello VILHELMVS ordines ducit, & virtutis gratiâ, equeſtria ornamenta accipit M. CCCC. I. In reditu 1401. Pirnam obſidet, & armis capit, quam Detschenſis præfectus regio nomine defendebat, Donam expugnat.

Praga obſeſſa.

Cum BALDASARE fratre in Hercinios proficiſcitur ad euertenda quorundam latronum domicilia. Vixerunt autem hi fratres inter ſe ſumma animorum coniunctione, alteriusq; iniuriam quisq; propriã exiſtimauit: vnde etiam ipſorum prouinciæ magna acceperũt incrementa: & Vilhelmus Princeps ditiſsimus, cùm hærede careret, magnas fratri eiusq; filiis opes reliquit.

Obiit IV. Idus Februarij, anno M. CCCC. VII. Sepultus Miſenæ in choro templi cathedralis, & in inſcriptione ſepulchri Marchionis Miſnenſis, Landgrauij Turingiæ, & Palatini Saxoniæ titulum habet. Ante ipſum anno ſeptimo obiit vxor Elizabeta: ad cuius ipſe latus eodem in templo cõditur: vnde manifeſtus error 1400. eſt eorum, qui cum vxore in cœnobio Cellenſi ſepultum ſcribũt.

Vilhelmi mors. 1407. *Vxor Vilhelmi mors.*

FRIDERICVS STRENVVS.

Fridericus Strenuus Landgrauius Turingiæ.

FRIDERICVS cognomento Strenuus, Friderici Grauis II. filius, naſcitur pridie Non. Octob. anno M. CCC. XXX. vt Miſnenſes, M.CCC.XXXI. vt Turingici annales tradunt. Vxorem ducit Catharinam Henrici Comitis Hennebergij filiam: quæ cuius auſpicio ei deſponſata, quibusq; difficultatibus parta ſit, in Friderici patris vita eſt poſitum. nam Hennebergius dare dotem recuſans ſponte, armis adigitur: adoleſcens ſpōſus, qui annũ ſextumdecimũ vix exceſſerat, cùm paternis copiis præeſſet, nō ſegniter pugnauit: cumq; ad Scharfenbergam prælium committeretur: fidi ciuis virtute protectus pater, mortis euadit periculum: fuit deinceps pax & inter coniuges, & inter vtriusque parentes.

1330. *Matrimonium Friderici.*

Friderici liberi.

Genuit ex ea CATHARINAM filiam, annis infantiæ mortuam: FRIDERICVM, I. infantem mortuum, & FRIDERICVM II. poſtea Electorem Saxoniæ VILHELMVM & GEORGIVM. Viuente patre FRIDERICVS ſtudiis militaribus imbuitur: nam ad Friburgenſem & Salzenſem obſidionem eum ſecum adduxit, vbi indolis magnæ præbuit indicia: vndè in plerisq; annaliũ ſcriptoribus natus error eſt, vt à Friderico Strenuo ſcribant ſuperatum Srapelam, & fratres Drifurtinos; qui tantum militauit in caſtris paternis. Defuncto patre cùm de prouinciarũ diuiſione varia conſilia inirentur, optimatibus viſum eſt, vt tutoris nomine atque auctoritate FRIDERICVS omnes adminiſtraret: fore enim viribus coniunctis magis inuictos. BALDASAR igitur & VILHELMVS cùm domi eſſent, alter Vodlandis, alter Miſnenſibus quaſi præfecti imperabant: nam ꝓpter vicinos Boemos & Luſatios eæ prouinciæ magis infeſtabantur: magnam verò adoleſcentiæ partē in Regum Principumq; exterorum caſtris peragebant. Annos igitur viginti FRIDERICVS in ſuos monarchæ imperio fungitur, tanta prudentia & æquitate: vt neq; fratres, neque ſubditi de re vlla quererentur.

Adoleſcentia & militia Friderici.

Bellum cum Rutheno Plauenſe.

CAROLVS Imp. eum propter virtutem vehementer amabat: cumq; regnum Boemiæ cuperet eſſe ampliſsimũ, eas vrbes atque arces, quæ ad id pertinuiſſent, ſatagebat recuperare. Actum cum Plauenſe eſt, cognomento Rutheno, vt quæ ipſe poſsideret, iuſto precio reſtitueret: eſt ea antiqua & nobilis familia, & Burggrauiatu Miſnenſi clara. Multorũ autem annorũ ſpacio ſuis nominib. omnes appellati ſunt Henrici: vnde aliqui cognomentis, pleriq; ſolis temporibus diſtinguuntur. Ruthenus vir audacia ſingulari, nullas conditiones admittit, neq; contentus finibus ſuis, Miſnenſes inuadit. Rex non ferens contemptum, neq; Landgrauius iniuriam;

iuriam: cõmunibus viribus ad ſua quiſque repetenda eius ditionẽ inuadunt. Arx Zigenrucka primùm obſidetur, quia cæteris erat munitior, & ea multùm Ruthenus confidebat. Inciſis foris canalibus & tubis aquarũ, laborabant inopia, qui eã defendebãt, neq; victus amplius ſuppetebat: vitã igitur milites paciſcentes, arcẽ depoſitis armis Regi & Landgrauio tradunt. Cùm in præfectũ Zigenruckanũ eſſet animaduerſum mandato regio: tantus terror aliis incutitur, vt ſtatim imperata facerẽt: deditisq; caſtellis, ne colligendi quidẽ ſui Rutheno imparato relinquerent poteſtatẽ. Dedita autẽ ſunt Triptis, Steina, Ronneburgum, Vueida. Hanc rem adeò tulit iracundè, vt ſtatim præfectos ad ſe euocaret, quos primùm obiurgare propter cupiditatẽ, qui à Rege corrumpi ſe eſſent paſsi: deinde etiam propter formidinem, qui nõ pugnaſſent pro Republica: poſtremò accuſare perfidiæ, quod ſe inſciente firmiſſimas munitiones hoſti prodidiſſent. Cauſas ſuę defenſionis præfecti afferunt, potentiam Regis & celeritatem: ſe improuiſo oppreſſos & numero longè inferiores, ceſsiſſe fortunæ, non cupiditate, ſed neceſsitate: nec potuiſſe arces teneri, propter machinas & tormenta adhibita: rectius ſibi viſum integras relinquere vel hoſti, quàm incenſas deſerere, non ſine ſuo ciuiumq; ingenti periculo. Ruthenus nullam partem defenſionis ſuſcipiens, vt reliquos præfectos retineret in officio: honeſto loco natos homines in horreum compellit, idque inflammat: nam & natura iracundus vir erat, & diminutionem bonorum ferebat iniquiſsimè. Arces ad Boemiam pertinentes, Rex præſidiis munit: pertinentes ad Miſniam, reſtituit Marchioni. incidit hæc actio in annum M. CCC. LVII.

Fridericus Strenuus, Landgrauius Turingiæ.

1357.

Frider. id negotium cum Schuarzeburgiis.

Altero poſt hunc anno GVNTHERVS Suarceburgius, Guntheri electi Romanorũ Regis filius, mortem obiit, ſine hærede: is Franchenhuſiam oppidum, & partem dimidiã oppidi Arenſtadij poſſederat. Vendicabat ea ſibi fratribusq; Landgrauius, tanquã ſui iuris facta: ſed repetebant patrueles, ſibi ereptam ditionẽ, hæreditate iuſta, & mutuo ſucceſsionis iure. Componitur his conditionibus negotium, vt Dornburgum, Vuindburgum, & Grifenburgum arces traderẽt Comites, & tria millia marcarum argenti puri ſoluerent: reliqua quietè poſsiderent omnia.

Bichlingij crudelitas in ſuos.

Impigneratum erat HERMANO Comiti Bichlingio Kindelbrucca oppidum, iis legibus, ne nouis oneribus id grauaret: ſed vt ciues vterentur veteribus priuilegiis, quæ à Landgrauiis acceperãt. Comes verò cum ipſis agebat nimis imperioſè: cumq; precibus ab eo non impetrarent, quod ſibi conceſſum à maiorib. ius

 dicebant,

Fridericus Strenuus Landgrauius Turingiæ. dicebant, literis apud Principem Comitem accuſant: hic adeò fuit exacerbatus, vt ſtatim Erfurdiæ, Molhuſiæ, & Northuſiæ militem conſcriberet, permittente locorum illorum ſenatu: quo collecto improuiſus in oppidum Kindelbruccá irrumpit, ciues obuios interficit, domos diripit. Oppidani quia equitibus pares non erant, confugientes in templum, telis & miſsilibus vulnerabant multos: quo caſu ſuorum grauiùs incenſus Comes incendit ædificia: præter eos, qui erant cæſi, captos omnes abducit. Hanc crudelitatem aduerſus innocentes non ferendam Principes cenſuerunt: de quorum iuſta iracundia ſuſpicati Molhuſij & Northuſij, timentesque agrorum ſuorum vaſtationem, ſe inſcientia peccaſſe aiunt: petentesq; veniam pro illatis damnis iuſſam numerant pecuniam. Erfurdianis magis contumacibus dies dicitur Gotham: qui accuſati de ſubuecta præda, quæ in ipſorum domibus viſa & deprehenſa ſit, inficias eunt: cumque producerentur teſtes, iure iurando ſe purgant. Nemo aliter ſentiebat, quàm illos peieraſſe, etiam ij, qui ſocij ipſorum fuerant: quamobrem terræ ſuperficies, in qua ſteterant, Principis iuſſu effoditur; & contumeliæ cauſa diſpergitur per eum locum, in quo pœna de capitibus nocentum ſumi ſolet. Perhibentur autem iuraſſe homines

1395. trecenti octuaginta duo: accidit anno M.CCC.LIX. Bichlingio autem Comiti oppidum ademptum, & pars aliqua pecuniæ reddita, reliqua in ciues læſos diſpenſata. Præerat cœnobio Fuldano

Bellum cum Abbate Fuldano. Henricus, gente Craleccius, homo ſupra modũ ſuperbus: ſed quẽ deſtituebat prudentia: non veritũ ſcilicet vicinos Principes longè ſe ſuperiores, Othonem Haſſum & Fridericum Turingum laceſſere: hi cùm de latrociniis per eius ſubditos factis literas mitterent; eumq; & officii Eccleſiaſtici, & modeſtiæ religioſæ admonerent: nec querelas correxit, neq; admonitiones audiit: inſuper dicta quædã leuia in vtrumq; iecit. Ambo igitur Principes ei bellũ denunciant, & dicto citius faciunt: agros villasq; in ſuo quisq; itinere vaſtat, donec Rockenſtuli conuenirent. Habito inter ſe conſilio, diuerſis ipſum locis aggrediuntur: Haſſus Hunefeldã profectus, oppidũ ſtatim capit, deinde Geiſam obſidione cingit: Turingus arces Northeimã & Rosdorfium occupat: rurſus deinde coniuncti Gerſtungã obſidere contendunt. Fuldanus ſuam amicis temeritatem confitetur: oratq; vt ſibi Principes conciliẽt: verſari in periculo ipſorum fortunas, & dignitatem ſuam. Muncerus Chronographus Fuldanus Haſſum vi eiectum ſcribit, ſed aliter annales Turingici, nam abbatem tradunt legatos miſiſſe de pace; & ſponte obtuliſſe, ſe de omni iniuria, quam verbis factisque inconſideratis mouerit, ſatisfacturum: & ea ratione placatos

Prin-

Principes, reſtitutis arcibus & oppidis è Buchonia diſceſiſſe, anno M.CCC. LXI.

Fridericus Strenuus, Landgrauius Turingiæ.

Bellum Friderici cum Alberto Brunſuicenſi.

1365.

Quarto poſt domitum Fuldanum anno, maius & periculoſius bellum pullulauit, inter ALBERTVM Brunſuicenſem & FRIDERICVM Landgrauium: cauſa diſcordiæ hæc fuit. Albertus, quem cognomento Salzanum nominabant, Leinenſis & Embeccenſis Dux, incertum cupiditate aliqua an odio, damna terris Landgrauij multa inferebat: cumque eſſent ex Herciniis, qui latrociniis dediti, paſsim in Turingia graſſarentur: quia manifeſtam rem tenebat Landgrauius, legatos ad Albertum mittit, cauſam violentiæ exquirit, quam ipſe non inueniat: orat vt abſtineat ab iniuria, & vt agricolis ac viatoribus parcat: nec in aliena ditione illicitam ſibi ſumat poteſtatem: nec foueat hoſpitio eos, qui tantùm ſtemmate glorientur & nomine, reuera autem omnibus flagicijs omnique ſcelere ſint infames. Decere Principem, ſiquæ ſint, iniurias non diſsimulare: ſuſpicionibus nihil tribuendum, quia ſint ignaui & malicioſi ingenij indicia. apertè aut cauſam proferendam, aut expectandum eſſe talionem. Legatorum oratione audita, primùm eos irriſit ſcommate: qui cùm ſermoni minas ſubiicerent, minantibus reſpondit. Se imperium & ditionem ſuam obtenturum, etiamſi per triduum ningeret Principibus Turingis & Miſnenſibus. ita autem loqui de magna multitudine homines noſtri ſolent. Dimiſsi legati ſunt absque vllo honore hoſpitalitatis & verborum. Landgrauius, cùm inde colligeret, inhumanitatem Saxonis & ferociam; nec illum quieturum prouideret: è Miſnia, Vodlandia, Oſterlandia, Turingia, Francia, militem colligit: adiungitque præcipuas Turingiæ Reſpublicas liberarum ciuitatum, Erfurdiæ, Molhuſiæ, Northuſiæ, quas antè ſæpe coniunctas fœdere & ſocietate ſcripſimus; coactis ferè octodecim hominum millibus: Rhenanum præterea & Hercinium militem ei mittit, qui & ipſe læſus à Saxone erat, Gerlacus Antiſtes Moguntinus. Tanta expeditio intra multos annos facta in Saxoniam non fuerat: qua tamen nihil motus ALBERTVS, vt periculum arceret, ſuos populos armat; & quantis poteſt præſidiis arces & oppida munit. Primus impetus omnis conuerſus ad arcem Salzanam, de qua Saxo nominabatur, expugnandam: tum etiam obſeſſum Embecca oppidum eſt, ſed non abſq; magna exercitus iactura. Qui arcem tenebant, tormentum habebant bellicũ, quod à Bertholdo quodã Nigro, Germano monacho, vt ferunt, inuentũ, è quo lapidei globi igne & puluere ad id facto eijciebantur: hoc nondũ viſum in his erat regio-

Fridericus Strenuus Landgrauius Turingiæ.

regionibus: fuiſſe conflatum è plumbo, annales teſtantur. Facta poſtmodò ſunt ex compactis lignis, quibus circuli ferrei lati erát circumiecti, qualia nos vidimus tumultu Ruſtico annis ſuperioribus vſurpata: eam ſimplicitatem ætas noſtra mutauit, vt & æris pondere & artificio fiant eximia, nec non generis diuerſi, & ad feriendum longinqua, & ad frangendum firmiſsima. Eo tormento in caſtris Landgrauij interficiebantur multi, & ipſe fulminis ſonus inauditus, ſingularem terrorem incutiebat: machinæ etiam & arietes & alia inſtrumenta ad oppugnandum quæ admouebantur, fruſtillatim diſcuſſa aut mutilabant, aut omnino ſternebant militem. Quamobrem cum oppugnatio difficilis & detrimentoſa eſſet, eam ſoluunt. nec ſolùm ira coquebat Landgrauium, qui nihil tantis copiis efficeret, verùm etiam incitabat pudor. Arcem igitur relinquens; agrum qui circum Embeccam & arcem erat, depopulatum incendit: inde procedens longiùs, Hindeburgam, Vuinthuſiam, Vuenghuſiam, Lichteſteinam arces capit: eisque omnibus imponit ſua præſidia: circumiacentes & adiacentes villas cremat. Brunſuicenſis cùm videret iſta fieri, ductus pœnitentia, per amicos de pace agit: eamque datis vadibus, & miſsis obſidibus impetrat, ea conditione: vt ſumptum omnem bellicum pendat, & accuſatoribus de iniuriis ereptisque facultatibus ſatisfaciat. Landgrauius, qui pacis & quietis cauſa bellúm ſuſceperat, ea ſuis alienisque parta, cum exercitu triumphantis lætitia domum reuertitur. Arces dehinc Saxonicas, quas Turingica & Miſnenſia præſidia tenebant, armis & commeatu voluit inſtruere, quia Saxoni adhuc parum fidebat. Quamobrem cùm transportanda de Turingia ad defenſionem & victum neceſſaria curaret: datæ fidei immemor Brunſuicenſis, aurigis equos & triticum; ijs, qui ſupplemento mittebantur, arma adimit: ſpoliatosque & nudatos de finibus ſuis expellit. Qui eius nomine ſpoponderant Principes, grauiter id ferre, & de periculo ſuo ſolicitè cogitare. Landgrauius eos ſuſpectos habens, quòd ipſorum ſuaſu crederet factũ, literis acerbis euocat, & in obſides animaduertendum ſtatuit. Verùm cùm illi ſine mora ſe ſiſterent: & Alberto nouorum malorum auctori, bellum denunciarent: & ipſi ſuſpicione, & obſides periculo liberantur. Landgrauius autem octo millibus ſuorum conuocatis, in Saxoniam iratus redit: reliquias ſuperioris belli delet, & incẽdiis plura loca deuaſtat. mittuntur iterum de pace legati, quos admittere non vult, cùm ſe deceptum eſſe antea diceret: ſeque prius non diſceſſurum è Saxonia prædicat, quàm ipſe Albertus ad ſe ſupplex veniat. Is ſuorum

precibus

precibus & calamitate perductus, conceſſo libero aditu, in caſtra venit: & præſens cum Landgrauio de iniuriis illatis tranſigit: datoque iureiurando ſe Iſenacum venturum ſpondet: quo in loco comparatione damnorum ſit accepturus leges pacis. Landgrauius præſentem grauiter increpare, quia neglecta fidei religione, nouo iureiurando fuerit ad officium compellendus: hortari præterea, vt dignitatis & exiſtimationis ſuæ meminerit, ne alieno peccato cogatur & ipſe fieri crudelior, cùm ab omni immanitate & iniuſtitia abhorreat. Factus ſuo incommodo moderatior Brunſuicenſis, ad diem conſtitutam Iſenacum venit: nec inde dimittitur, donec tota res eſſet compoſita, & omnis futuri belli occaſio, vt videbatur, ſublata.

Fridericus Strenuus Landgrauium Turingiæ.

Anno M.CCC.LXVI. factio Lombardica, quæ Barnabæ Vicecomiti militauerat, congregata ex Italis Germaniſque colluuies, cùm ſtipendiis fraudaretur, preſſo vndique Vicecomite, tumultuatur: neque ſolùm in Inſubria clades multas dat, ſed etiam per Alpes ſæuiens, in Baſilienſem & Argentoratenſem vſque agrum progreditur. Laborabat extrema inopia, neq; ad obſidendas vrbes aut expugnanda loca munita ſatis virium habebat: idcirco in agris agebat rapiebatq; omnia: & in villis, quàm diu victus ſupererat, morabatur. Terror tantus inuaſerat Alſatios, vt non de propellenda iniuria cogitarent, ſed ſe mœnibus contra vim includerent: ita timor oppreſſorum, & vicinorum negligentia, & remotiorum ſecuritas, viam liberè graſſandi furioſis præbuit. Delatus autem in prouinciam florentem, ſucceſſu inſolens latro, ad obſidendum Argentoratum accingitur. Qua fama per Germaniam ſparſa, Principes multi arma capiunt: quibus ſe adiungens Landgrauius, copiis ſuis fratrem VILHELMVM præficit. Cùm iam paſsim Principes confluerent, latrones illi diſsipari, & ſuæ quiſque ſaluti cœpit conſulere: itaque incendium illud per ſe oppreſſum atque extinctum eſt. 1366.

Tumultus factionis Lõbardicæ.

Eodem anno diebus Pentecoſtes Iſenacum & Molhuſia, oppidaque interiecta & vicina ad duos horæ quadrantes concutiuntur terræmotu.

Terræ motus.

Tanrodæ oppidi præfectus, à principibus ſuis diſſentiens, Erfurdiã migrauerat, & ius ciuitatis adeptus erat: ſed quia nõ bona fide cum Tanrodianis egerat, captus ab ijs dãnatusq; ſuſpenditur de arbore. Erfurdiani ciuẽ ſuum vindicaturi, oppidum capiunt & cremãt. Fridericus læſorũ ſuſcipiens patrociniũ, Erfurdianos accuſat ad Imperatorẽ, & ad ſatisfactionẽ eos adigit. qua re ipſorũ animos vehementer irritauit. Emerant eodẽ tempore Erfurdiani de lo-

Friderici bellum cum Erfurdianis.

Fridericus Strenuus Landgrauius Turingiæ.

de Ioanne Suarceburgio Vuaſſenburgum, Libeſteinam, & Suarceualdam arces: quas ad redimendos in Francia captiuos vendebat: nam cum Præſule Vurciburgio infeliciter, vt ſuprà dictũ eſt, pugnauerat. Suarceburgius cum legatis Erfurdianorum ad emtionem confirmandam ad Imperatorem profecturus, in Bauaria capitur: Erfurdianis nouem millia aureorum eripiuntur: ille vt dimitteretur, coactus promittere eſt, ſe eas arces Landgrauio venditurum. ea enim de cauſa aliis vendidiſſe exiſtimabatur, vt bello materiam præberet: nam Suarceburgiis, & cum patre & cũ auo Friderico nunquã conuenerat. Erfurdianis, qui præter Principis voluntatem emptioni conſenſerant, intercluduntur viæ; ne quid importaretur in vrbem rerũ venalium: laborantibus autẽ lignorum inopia ciuibus, de controuerſia componenda agunt: & partem pecuniæ pro emptis modò arcibus numerant: admonitique calamitatibus multis, è diſcordia ortis, cum FRIDERICO eiusque fratribus fœdus ineunt: nam eorum potentiæ non poſſe reſiſti videbant.

Pacis ſtudium Friderici.

Studebat autem Landgrauius, vt facta vndique pace, ſuis populis quietem pareret: vnde latrocinia in finibus Miſniæ per fratres reprimit: ipſe in Turingia, inter Northuſanos & Comitem Honſtenium, grauem tumultum componit. Plebs Northuſana ſe priuatim vindicans, quia exhauriebatur exactionibus, partem ſenatus trucidat, partem perpetuò relegat.

1370. Anno M. CCC. LXX. emit præfecturam Sangerhuſiam de Magno Duce Brunſuicenſe: qui à Venceslao Electore Saxoniæ prælio victus, & à Gerardo Hildeshemio Præſule prope Dinclariam captus, ſe redimere pro ea pecunia neceſſe habuit: interea autem dum Sangerhuſiæ eſt Saxo, arcem Luneburgenſem amittit: mox in eadem vrbe à plebe furioſa occiditur.

Friderici prudentia & ſapientia.

De factione Stellata hominum nefariorum ſuprà dictum eſt: ea ne fratrem ſuum Baldaſarem opprimeret, & belli ſeruilis initium eſſet, FRIDERICVS ſua efficit prudentia: nam & ſuis populis ne eam iuuarent, maturè interdixit, & exploratis ſeditioſorum viribus, fratri opportunè conſuluit. Nec minus perſpecta eius ſapientia eſt, in moderandis conſiliis fraternis, cùm Gebeſa obſideretur à Moguntino Adolfo: nam ne armis concurreretur, ipſe cauit; & ſua mora non parum ad victoriam momenti attulit. quibus quidem è factis appâret, quàm minimè cruentas aleret cogitationes; ſed propenſiſsimus ad amicitias eſſet: quod mox etiam declarauit, cùm propter Ludouicum fratrem Erfurdia obſideretur: & in caſtra Turingica Carolus Imperator veniſſet.

Ad

Ad hoc vſque tempus monarchiam obtinuerat volentibus fratribus, quibus certam pecuniam annuatim numerabat: verùm cùm onere imperij grauaretur: & cauſam cupiditatis præbere nullam vellet: prouincias cum fratribus æqualiter diuiſit: ſibi Oſterlandia, BALDASARI Turingia, VILHELMO Miſnia ſorte obtigit: ſedes FRIDERICI fuit Lipſia, Baldaſaris Vuartburgũ, Vilhelmi Miſena oppidum. Vixerunt inter ſe ſumma coniunctione & beneuolentia. *Fridericus Strenuus Landgrauius Turingiæ. Diuiſio prouinciarum inter fratres.*

FRIDERICVS modò annum ætatis egreſſus quinquageſimum, obiit VII. Cal. Iunij, anno M. CCC. LXXX. vt Cellenſia monumenta teſtantur: nam vnum iis annum addunt annales Turingici. Vltimus hic Princeps ex hac proſapia in Cella vetere ſepelitur. Vxor ipſius deceſsit M. CCC. XCVII. Idib. Iulij: prope maritum condita magnifico monumento, quod adhuc extat. *Friderici mors.* 1380. 1397.

FRIDERICVS I.

FRIDERICVS primus Friderici Strenui filius, obiit puer, ad paternum monumentum adductus: cuius obitum mater tota vita luxit: & ex voto neque armillis aut ornamentis ex auro argentoque factis vſa eſt: neque vlla veſte alia, niſi pulli aut giluì coloris. nam propter partus difficultatẽ de ſua valetudine dubitabat: neque ſe fore amplius putabat ad fœtum gerendum idoneam. Deus tamen afflictæ preces exaudiens, effecit eam, ſecundum Dauidis dictum, matrem filiorum lætantem.

De altero FRIDERICO, quia ſtirpis propago eſt, ad extremum dicam: nunc fratres recenſebo.

VILHELMVS.

VILHELMVS Friderici Strenui ſecundus filius, vxorem non duxit: cum FRIDERICO fratre, primo Saxoniæ Electore, expeditionibus in Hercinios & Boemos interfuit: fortisque viri omnibus in locis functus officio eſt.

Fridericus VILHEMI patruus, ditionem Brandeburgicam tutelæ nomine tenuit, cùm Valdemarus Marchio ſine hærede moreretur. Eam prouinciam Ludouicus Imperator filio Ludouico cognomento Romano donat: Bauarus Princeps Otho eandem vendit Carolo Regi Boemiæ: eius filius Venceslaus Iuſto & Procopio Marchionibus Morauis: qui & ipſi bello ciuili ad inopiam redacti, VILHELMO Miſnenſi vendunt. Verùm cùm Saxoniæ Ducatum FRIDERICVS frater eius conſequeretur, & Elector Brandeburgicus creandus eſſet: ne in vna familia eadem *Brandeburgica ditio qua ratione ad Vilhelmum peruenerit.*

Vilhelm. II. Landgrauius Turingiæ. dignitas eſſet: VILHELMO reddita pecunia eſt, vt cederet: eamque ditionem relinqueret Friderico Burggrauio Norimbergiō.

Fœdus Vilhelmi cum Ludouico Haſsiæ Landgrauio. Inter VILHELMVM & eius fratres, interq; Ludouicū Haſſiæ Landgrauium fœdus renouatur de ſucceſsione, ſi fortè alterutra familia Principe hærede deſtitueretur. Belam arcem & Spicebergum ad Albim ſita cepit.

Suprà facta mentio eſt, eius controuerſiæ, quæ inter Comites Leiſnicenſes & Ortuinum abbatem fuit, hæc anno M. CCCC.
1418. XVIII. grauiùs recruduit, pertinacia abbatis, qui in ſynodo Conſtantienſe Comites accuſarat: qua re & Principum animos offendit. *Controuerſia inter Leiſnicenſem & Abbatē Chemnicenſem.* Vilhelmi igitur Marchionis permiſſu arcem Rabeſteinū vi armata occupat; abbatem dies decem ſacello includit: equos, arma, penum adimit, piſcinas exhaurit. Abbas contumeliæ tantæ inſolens ad Imp. Sigiſmundum proficiſcitur in Vngariam: cuius aulam dum menſes aliquot ſequitur: Anargus Vualdenburgicus, & Apollonius Vicethumus Friderici legati, ei perſuadent: vt ad vitandos ſumptus, arbitrio Principum cauſam committat. Abbate abſente Leiſnicenſis ius, quod in Eccleſia Penicenſe habebat, ſibi vſurpat: & è metallo ferri, quod Conradidorfi tum temporis non procul à Penica fodiebatur, plauſtra ducenta onerat atque vendit. Tandem VILHELMVS Dux datus arbiter in conuentu Chemnicenſe cauſam cognoſcit: ciues eius oppidi & Midbedenſes qui Leiſnicenſem iuuerant, Abbas primùm accuſat, deinde quæ damna acceperit, quos ſumptus fecerit, enumerat: reſtitutionem petit. Leiſnicenſis ſe longè nimis progreſſum in vindicta negare non poterat: quamobrem Vilhelmus Abbatem reſtituit, vt Chemnicenſibus & Midbedenſibus ignoſcat, impetrat: de reſarciendis damnis fratris ſui Friderici ſententiam expectare iubet.

VILHELMVS autem pacis ſtudio laudatiſsimus Princeps o-
Vilhelmi mors. biit Vueidæ menſe Martio, anno M.CCCC.XXV. Sepelitur Al-
1425. denburgi iuxta arcem in templo Georgiano, quod cum collegio adiuncto ipſe fundauerat.

GEORGIVS.

GEORGIVS quartus Friderici Strenui filius, ſummæ ſpei Princeps, vxorem non habuit: Coburgum in Francia poſſedit, quod pater ipſius in dotem acceperat: obſidioni Pragenſi in-
1401. terfuit: obiit M. CCCCI. V. Idus Decembris. Sepultus in Portenſi cœnobio ad Salam, gypſeo monumento.

GEOR-

GEORGII FABRICII
CHEMNICENSIS

ORIGINVM SAXONICARVM

LIBER VII.

DE ELECTORIBVS ET DVCIBVS SAXONIAE.

FRIDERICVS I. Elector Saxoniæ.
Vxor Catharina D. Brunſvicenſis.

Henricus puer obiit.	FRIDERICVS II. El. Saxoniæ. vxor Margareta Archid. Auſtriæ.	*Vilhelmus D. Saxoniæ. vx. Anna D. Auſtriaca.*	*Sigismundus P. Vurciburgius.*	*Anna vx. Ludouici L. Haſſiæ.*	*Catharina vx. Friderici El. Brandeburgici.*

Vilhelmi liberi:

Margareta vx. Ioannis Electoris Brandeburgici	*Anna vxor Henrici Ducis Munſterbergij.*

Friderici II. liberi:

Aurelia infans obiit.	*Hedvigis S. Quedilnburgenſis.*	*Margareta S. Suſſlicenſis.*	ERNESTVS Elector Sax. De quo lib. IIX.	ALBERTVS Dux Saxon. vx. Zedena R. Boemica.	*Amelia vxo. Ludouici D. Bauariæ.*	*Anna vxor Alberti El. Brandeburgici.*	*Fridericus cælebs.*	*Alexander infans obiit.*	*Henricus obiit adoleſcens.*

Alberti liberi:

Fridericus M. Ordinis in Bruſſia.	HENRICVS D. Saxoniæ. De quo libro IX.	GEORGIVS Dux Saxon. vx. Barbara R. Polonica.	*Ioannes.*	*Ludouicus*	*Catharina vx. Sigiſmundi D. Auſtriæ.*	*Margareta*	*Anna*	*Ioannes I.*
			Pueri obierunt.			*Puellæ obiere.*		*puer obiit.*

Georgii liberi:

Volfgangus.	*Chriſtophorus I.*	*Chriſtophorus II.*	*Fridericus D. Saxoniæ. vx. Agnes C. Manſveldia.*	*Ioannes D. Saxoniæ. vx. Eliſabeth L. Haſſiæ F.*	*Magdalena vx. Ioachimi Elect. Brandeburgici.*	*Chriſtina vx. Philippi Langravii Haſſiæ.*	*Anna*	*Agnes*	*Margareta*
Pueri mortui.							*Puellæ obiere.*		

FRIDERICVS BELLICOSVS.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ. FRIDERICVS Friderici Strenui tertius filius, vxorem duxit CATHARINAM, Henrici Brunſuicenſis filiam: ex quâ genuit FRIDERICVM, SIGISMVNDVM, HENRICVM, VILHELMVM: præterea ANNAM, nuptam Ludouico II. Heſsiæ Landgrauio: & CATHARINAM Friderico II. Electori Brandeburgico, Friderici primi Electoris, in eâ gente, filio.

Adoleſcentia & militia Friderici. Adoleſcentiam omnem in caſtris agit: Burggrauio Norinbergio, contra factionem ciuitatum Imperij, militat in Franciâ anno M.CCC.LXXXIIX: Conrado, ſacræ militiæ Teutonicæ magiſtro, pro Chriſtiani nominis propagatione, in Liuoniâ
1388.
1391. M.CCC.XCI: Patruo Vilhelmo, obſidenti Pragam, regni Me-
1401. tropolim, in Boemiâ M.CCCCI. Aurata Equitis inſignia è bello Liuonico & Boemico deportat, cum multis ſuorum è nobilitate Miſnenſi & Turingicâ.

Tenebat Adoleſcens præfecturam Lansbergiam, quam ei pater commiſerat: vt aliquid, quod ageret, haberet: ne videlicet ocio torpeſceret, aut patri adhærés conſuetudine aulicorum corrumperetur: Nam animus in eo excelſus apparebat, & laborum tolerans. Arcis Leuchtenbergiæ & oppidi Calæ reditus atque prouentus redemerat à Comitibus Suarceburgiis ciuis Erfurdianus, homo copioſus: is villanum, in proximo riuulo piſcantem, non dictâ causâ, de ſalice manu ſuâ ſuſpendit. Factum defertur ad FRIDERICVM & VILHELMVM, fratres: qui hominis immanitatem deteſtantur, & ſatisfactionem à ciue & ab Erfurdianis per literas poſtulant: ſed cum reſponderet ille importunè, & Erfurdiani ſeueriter ſatis non agerent: Principes arma ſumunt, *Arx Leuchtenberga obſeſſa.* & Leuchtenbergam obſident. Erfurdiani in causâ non æquâ ciuem ſuum defenſuri, Landgrauium, adoleſcentum Principum patruum, ſibi confœderatum, implorant: vtque ſuos agnatos decedere de alienâ poſſeſsione iubeat, petunt; amicitiæ & ſocietatis mutuæ eum admonent. Eunt in caſtra legati: ſed ab adoleſcentibus nihil impetrant, qui crudelitatem ciuis nefariam ſupplicio dignam dicebant. Baldaſar Erfurdianis negare auxilia ex fœdere non poterat: ſed dum iactatur negocium; interea expugnata eſt Leuchtenberga, & Cala ſeſe metu dedidit. Cum Erfurdianis, qui prudenter bellum fugiebant, & Baldaſaris populum, ſuis fore propenſiorem Principibus quam ſociis colligebant, non ma-

gnâ

gnâ difficultate componitur cõtrouerſia. Sed Suarceburgij transactionem non curare videbantur.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.

Balenſtadium in Herciniis, arx antiqua & nobilis, dicebatur eſſe latronum hoſpitium: qui cum à graſſatione non deſiſterent, FRIDERICVS affert vicinis auxilium: eam oppugnat, & diruit: Comitem quoq; Honſteiniũ, officij ſui immemorẽ, eò redigit: vt arcibus & caſtellis ſuis magnâ ex parte cedere cogeretur: quod cum feciſſet, clementiâ Principis imploratâ: eas in poſſeſsionem à Principe rurſus accipit, fidemq; & obſequium pollicetur.

Ballenſtadium dirutum.

HENRICVS Suarceburgius, adiutus opibus Præſulis Vurciburgij Gerardi gentilis ſui, arcem Leuchtenbergã repetit: cumque conditionibus, quibus ipſe poſtulabat, nõ reſtitueretur: collectis è diœceſi Vurciburgiâ & Pabergenſi copiis eam Franciæ partem, quam de dote maternâ Principes adoleſcentes poſsidebant, inuadit: direptisq; paſsim villis atque agris ad Coburgi vſq; mœnia progreditur. Inter cætera iniuriæ genera, hoc quodammodo barbarum cenſebatur: quod miles non contentus agros & ædificia perdere, flumina etiam & viuaria exhaurire voluit, aggeresq; & ripas corrupit: & quia piſcatio belli initium fuerat, Comes multos piſces captos, quaſi prædam ſpecioſam belli, Præſuli & Sacerdotibus muneri transmittit. Plebs mirum in modum iraſcebatur militi, quæ ſubitò oppreſſa Coburgũ confugerat: præfectumque appellat, vt agat confidenter in hoſtẽ, ſolo etiam atq; fundo iniquũ. Præfectus quia vi non potuit, induſtriâ pugnauit: hoſtiq; ſe ſe oſtentans à mœnibus vrbis paulatim auertit: indè cùm deſperabundus abiret, incautum inſequitur, diſsipat, cædit, prædam eripit, nobiles capit: in illo tumultuario conflictu miles Pabergẽſis penè vniuerſus, in quẽ plebs irata inciderat, interiit. Contumeliã ægerrimè ferens Suarceburgius, nouã derepentè manum colligit: nec ceſſat Præfectus Coburgius ſuis rebus conſulere: qui hoſti inſtructior & animoſior, quàm antè occurrẽs, ſecundâ denuò potitur victoriâ, Herciniumq; & Francicũ militem diſijcit, & in fugam vertit. Rumore prælij infelicis Konishouiam delato, Comes adeò cõſternatur, vt morbo correptus, paulò pòſt expiraret. Poſthæc Fridericus per fratrem Vilhelmũ ditionem Suarceburgiam incendiis vaſtat. Viuebat adhuc pater Henrici Iohannes, Guntheri, qui erat declaratus Rex Romanorũ, frater: cui ad ſenectutis onus hæc accedebat fortuna, triſtis atque miſera, videlicet occaſus filij, & bellũ calamitoſum. Præfectus Coburgius & Henricus Comes Hennebergius, in Præſulem Vurciburgiũ cum equitatu excurrunt: vt quam alienis intulerat iniuriã, eiusdem talionẽ

Leuchtenberga à Suarzeburgio repetitur.

Bellum cum Suarzeburgio.

Henrici Suarceburgij mors.

 in ſuo

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ. in ſuo doleret populo. Præſul cum pecuniam ad ſtipendia militaria exigeret, eam dare populus recuſauit: non enim ciuiũ nomine id bellum geri, ſed cauſam eſſe priuatam Præſulis: nec quæri vtilitatem Reip. aut Eccleſiæ dignitatem, ſed neſcio quam inſolẽtiam & cupiditatẽ in culpâ eſſe dicebat. Inde bellum inteſtinum naſcitur inter Præſulẽ & Vurciburgios, quod ciuibus penè exitioſum fuit: qui ingenti prælio victi fuſiq; ſunt, & grauib. exemplis puniti, vt ipſorum annales teſtantur. Translata etiam à Vurciburgo Erfurdiam Academia eſt: quia Muſis inter arma locus eſſe nõ potuit: & in tanto tumultu adoleſcentes ſtudioſi, qui plerũnque conſtant ex hominibus exteris, & quorum animi facilè concitantur in ætate florente, ciuibus ſuſpecti, migrare iuſsi ſunt. Eam inſtaurare decreuit Iohannes I. ſed pauci è ſtudioſis eò reuertuntur: nec vllum poſteà ſumſit incrementũ.

Bellum inteſtinum Vurciburgij cum ciuibus.

1401. An. M.CCCI. obſeſſa Praga à Morauis eſt: quorũ Principi IODOCO, vt ſupra dictum eſt, inter primos militauit VILHELMVS, Friderici patruus. Is ad tyrocinia exercenda, de fratris voluntate filios ipſius in caſtra duxit; FRIDERICVM, de quo nũc loquimur, & VILHELMVM, de quo paulò antè dictum fuit, & FRIDERICVM Baldaſaris filium, horũ patruelem. Poſt eius belli trimeſtris compoſitionem, conſecutũ eſt ex paruis initiis Schisma pernicioſum: quod ingentem toti Germaniæ & multis mortalibus cladẽ attulit. Erat enim inter Boemos magna animorum ſtudiorumq; diſtractio propter nouas ſententias, quas contra Eccleſiã Romanã defendebant, Petrus Paina Anglus, & Ioannes Huſſus Boemus: Hunc quoq; fuiſſe Anglũ fabulatur Robertus Licius: Iſti autẽ ambo IOANNEM VVICLEVVM, à Pontifice iniuſtè damnatũ extinctumq;, prædicabant: Itẽ de ſalute hominis: de numero & vſu Sacramentorũ: de auctoritate Eccleſiæ: de primatu Papæ longè aliam doctrinã afferebant, quàm quæ tùm vſitata, aut nota inter homines erat.

Pragæ obſidio.

Schiſma in Boemia.

Florebat tùm temporis Academia Pragenſis, & magnus erat exterorum hominũ è diuerſis prouinciis numerus: inprimis autem propter doctrinæ nouitatem ſe Boemis opponebant Germani, & inter hos vicini Miſnenſes, Saxones, & Bauari. Fuerant etiã acerbæ de Academiæ priuilegiis contentiones: Boemi enim, quia multitudine valebant (nam ſupra mille & quingenti erant, qui ibi docerent & diſcerent, & ornati honoribus ſolitis eſſent) exteris & de dignitatibus & de libertate detrahebant: in primarias autem prouincias tres, ij diſtributi erãt, Bauariæ, Saxoniæ, Poloniæ. Pragenſes & inquilini cæteri exteris præferri in cõmunibus conſiliis volebant: & in creando Rectore poſtulabant ſuffragia tria,

Academiæ Pragenſis diſſipatio.

exteris

exteris relinquebant vnum. Hæc poſtulatio iniqua & impudens, contra Caroli IV. decreta erat, qui æquũ ius ſtatuerat ſingulis ꝓuinciis: neque aliter fieri aut poteſt, aut debet, præſertim in eiuſmodi ſocietatibus: quarũ conſeruatrix eſt ipſa æqualitas, & honor qui externis tribuitur. Dum igitur Boemi quaſi tyrannidem inuadunt, exteri retinere ius ſuum contendunt: cotidiani tumultus fieri, multi in collegiis opprimi, in viis vulnerari, noctu in flumen coniici. His turbis indies inualeſcentibus, multæ ad Regem deferuntur querelæ: quas quia in aula nemo ſeriò audiebat, aut componere maturè ſtudebat, eò progreſſa temeritas eſt, vt ſpes concordiæ nulla relinqueretur, neq; in templis propter doctrinã nouam, neque in Academiâ propter ambitionem importunam. Duę inter homines diſceptationes ſunt difficilimę, vna de regnis, altera de religione: quarum neutra, cum exarſerunt animi, placidos exitus habet. In talibus certaminibus tandem VENCESLAVS ex aulicis culinæ ſuæ præfectum, Rectorem Academiæ conſtituit: quod cum per contemptum fieri vniuerſi viderent; Boemi inter ſe diſtrahi & fremere, qui de religione vnũ omnes non ſentiebant: Germani magnoperè iraſci, qui cum premerentur; & quæ vellent, diſputando non obtinerent, Pragâ vno conſenſu diſcedunt: quos ſtatim conſequuntur Poloni. Erat doctrinæ Huſiticæ, quæ non Canonicis decretis, non doctorum Scholaſticorum diſputationibus, ſed verbo Dei ſimplici nitebatur, tanta autoritas: vt omne illi vulgus aſſentiretur, & quidam ex eruditis non erant ab ea alieniſsimi: ſed profeſſores tamen non aperti & conſtantes.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.

Diſsipatâ Pragenſi Academiâ, in Miſniâ LIPSIENSIS; in Bauariâ INGOLSTADIENSIS; in Saxoniâ ROSTOCHIENSIS; in Poloniâ CRACOVIENSIS, breui inter ſe interuallo ſunt apertæ & confirmatæ. ERFVRDIANA etiã, quæ perpaucos ante annos in Turingiã è Francis translata erat, maximũ incrementũ cepit. FRIDERICVS Princeps omni clementiæ & liberalitatis genere Muſas proſequitur exules: quibus & collegia ampla exædificauit; & reditus præclaros annuos, primũ ex ærario ſuo, deindè ex agris villiſq; conſtituit: poteſtatẽ etiam nominandi ſex Canonicos in tria Collegia, Miſnenſe, Numburganum, Mersburgicum à Pontifice impetrauit. Solenni autem more Academia LIPSIENSIS inchoata eſt pridie Idus Nouemb. anno à nato Chriſto M.CCCC.IX. Iohannes Hofmanus, patriâ Sueidnicenſis, qui Rector Academiæ Pragenſis fuerat, & cum toto corpore Scholaſtico diſceſſerat, bienniò pòſt Miſnenſis creatur Præſul.

Academiæ Lipſenſis, Ingolſtadienſis. Roſtochenſis. Cracouienſis.

Fundatio Academiæ Lipſenſis 12. Nouem. 1409.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ. Anno M. CCCC. XI. Fridericus publicam pœnam ſtatuit in Iudæos propter vſuras, quorum quidam in carcerem coniecti, quidam finibus Miſnenſibus & Turingicis exterminati ſunt.

Factio Tribularia. Excitatur circa idem tempus noua factio, quæ ab inſigni Tribulo, quo inſtrumento noſtri agricolæ ad matura frumenta excutienda vtuntur, Tribularia nominata eſt. Eius auctores fuerunt Suarceburgius & Heldrungius Comites: Hi (vt in conſpirationibus fit) maximè tegebant conſilia ſua, & expectabant tempus agendi aliquid audacter: ſolicitabant non paucos de nobilitate; & perſuaſerunt leuiſsimo cuique & egentiſsimo, quibus nimirum vita vilis, & ſpes de aliena calamitate pendet. Cædes, latrocinia, rapinæ, graſſationes fiebant paſsim, ſed incertis auctoribus: & latuiſſent fortaſsè diutius, niſi aperto ſcelere ſeſe prodidiſſent. Noctu enim arce Honſteinio conſcensâ HENRICVM Comitem Kelbranum in lecto capiunt: filius ipſius in tenebris fugâ euadit. FRIDERICVS certior de facinore redditus, fratri conqueritur VILHELMO: mandata dantur Præfectis Turingicis, caueant, ne reliqua ditio detrimentum capiat. Ipſi cum Equitatu literas ſubſequentes, arcem Heldrungam, Viam oppidū, eique adiunctam arcem, Comitibus adimunt: & in compenſationem iniuriæ, fugato in exilium Heldrungio, & hoſte declarato; arcem eius dant Honſtenio, vt eam poſsideat tanquam hæreditatem ſuam. Heldrungius in fugâ in Hercinijs interficitur à Carbonario, cuius operarios læſerat.

Tumultus in Boemia. Interea in Boemiâ tumultuatum eſt variè, tàm in Eccleſiis, quàm in Repub. Rex VENCESLAVS, qui nihil Imperatore dignum faciebat, propter voluptates & ignauiam ab Electoribus, inter quos virtute & prudentiâ RVPERTVS Palatinus excellere iudicabatur, publicâ ſententiâ exauctoratur & deponitur. Ei ſucceſſor deſtinatur IODOCVS, Morauiæ Princeps, ſed intra ſemeſtre mortuus eſt. In cuius locum quamuis repugnans ſubſtituitur Palatinus: poſt cuius obitum Venceslai frater SIGISMVNDVS, qui iam Rex Vngarorum & Boemorum erat, Imperator conſenſu Electorum declaratur: qui, vt pacem Eccleſiæ & Imperio pareret; ſumma curâ, labore, vigilantiâ, conatur atque prouidet.

Concilium Conſtantienſe. Indicitur Concilium, quod Conſtantiæ celebratur: in quo de duobus Schiſmatibus tractatū eſt: vno inter ipſos Pontifices, quorū tres in ordinē rediguntur, conſenſu Concilij: Altero inter Pōtificē & Huſſum, qui ſuffragiis aduerſantiū damnatus, rogo imponitur. Eodē tempore in agro Pragenſi, & locis finitimis, vt in Annalib. Turingicis legi, ſanguine pluit: nō dubiū bellorū grauiſ-

ſimorum

ſimorum præſagium. FRIDERICVS Dux hortatu Imperatoris, Ioannem Miſnenſem, Nicolaum Mersburgicum, Gerardum Numburganum, Præſules, cum Cellenſi, Chemnicenſi, Pegenſi Abbatibus, ad Concilium mittit: breui ipſos ſecuturus. *Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.*

Arcem Cribeſteinum editam & natura rupis atque Tſchopæ fluminis munitam extruxit Ditericus Berualdus, Eques locuples & copioſus. Eum inde expulit Staupitius, qui Richenſteini habitabat. Cauſa diſſenſionis inter ipſos priuata fuit: & quia Cribeſtenius hoſtem ſe inferiorem contempſit, ille ſecuritate animaduerſâ die Bachanaliorum arcem conſcendit: Berualdum cum vxore & filiâ inde violenter eiicit. Elector facto utriusque offenſus, Berualdum non iuuat: & Staupicium in eâ ipsâ arce obſidet: quâ cum cedere nollet, & Principi armis reſiſteret; tandem capta neſcio quo modo eſt. Vxoris Staupicij familiam nondum cognoui: quæ ſi cognita eſſet, vnius mulieris fide & virtute poſſet celebrari. Ei enim cum eſſet facta poteſtas liberè diſcedendi, exportandique, quod haberet, cariſsimum: Mulier præſtans ſuis fortunis, & mundo muliebri relicto, maritum in humeros extulit: & in conſpectum Electoris cum veniſſet, admirantis facti nouitatem, & marito & ſibi veniam impetrauit. Arcis poſſeſsioné ſibi vendicauit Princeps, quam Appollonius Vicethumus obtinuit, & eiusdem dominus non diu fuit: nunc eam tenet antiqua & honeſta Carolouiciorum familia. *Cribeſteinium arx.* *Pietas vxoris Staupicij erga maritum.*

Abſentis Præſulis Mersburgici ditionem hoſtiliter ingreſsi ſunt, BERNARDVS Princeps Anhaltinus, & BERNARDVS Comes Reinſteinius: diuerſis locis prædas agentes, & miſcentes incendia. Præfectus Præſulis cum armatis ciuibus, quantum potuit, Anhaltino reſiſtit: & miſsi à Friderico in auxilium equites Oſterlandi fugant Reinſteinium: quem perſecuti in Saxoniam vſque non longè ab oppido Ceruecio cum aliquot nobilibus capiunt, miniſtros ſocios occidunt: Comes ducitur Mersburgum in cuſtodiam: nobiles Vueiſenuelſam & Lipſiam, donec ſe pecuniâ redimerent. Sex millia nummûm, quæ Comes numerauit, Præſul expendit ad muniendam ornandamq; antiquam baſilicam. Iuxta eam ſacellum eſt, quod Martis fuiſſe perhibent, à quo nomen vrbs acceperit. *Agri Mersburgici direptio.*

Poſt Huſſum, vt dicere cœperamus, præter datam fidem publicam, crematum, maxima Boemiæ pars conſpirat: Pragenſes, qui primi ſunt in eo regno, erant & ipſi Conſtantiæ defectionis ab Eccleſiâ damnati: quia decedere de ſuâ ſententiâ nolebant, neque con- *Motus in Boemia poſt crematum Huſſum.*

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.

quę conuinci ſcripturæ ſacræ teſtimoniis poterant. Publicâ igitur auctoritate oppreſsi, & in SIGISMVNDO ſpei nihil habentes, de Rege nouo cogitare cœperunt: quorum alij inclinabant in VLADISLAVM Polonum, qui ſuſcipere regnum detrectabat: alij in VITOLDVM Lituanum, qui cum à plebe tantum id ſibi deferri cognoſceret: equitatum quem miſerat reuocabat. Sigismundus occupatus & anxius, auxilia circumſpicere: eaque potiſsimum petere à Friderico propter vicinitatem: qui ante ad Concilium talem ſecum equitatum adduxerat, qualem nullus neque Italiæ neque Germaniæ Princeps habebat. Suſceptâ contra Boemos expeditione, SIGISMVNDVM Regem Romanorum, & ALBERTVM Auſtriæ Ducem comitantur FRIDERICVS & VILHELMVS, fratres, cum mille & quingentis Equitibus, & cum magno peditatu comitatur eundem VILHELMVS Brunſuicenſis: qui in Boemiâ manens, equitatui præficitur. Electore autem & fratre ipſius domum redeuntibus, legati decernuntur FRIDERICVS Bichlingenſis, qui propter integritatem ex homine militari poſtea Antiſtes Magdeburgi eus factus eſt: & Henricus Suarceburgius. Pragam feſtinat, quantum poteſt, SIGISMVNDVS: & arce ſibi proditâ regiam in eâ coronam accipit ab Antiſtite. Arx Pragenſis trans Vultauam, habet ſedem regiam, & baſilicam, & adiunctum baſilicæ diui Venceslai ſacellũ: præterea domos ſacerdotum, & diuæ Ludomillæ cœnobium, quæ omnia arcis mœnibus incluſa tunc fuerunt. Vrbis rebellis capiendæ ſpem magnam Rex nouus concipit, & eam exercitu Germanorum obſidet. Montes vrbi propinquos inſederat Pragenſiũ Præfectus: eum Miſnenſes pellere ſtatione aggrediuntur, quod iis locis captis vrbs oppugnatu non difficilis videbatur. In ſuperiores tela mittere nõ poterant, nec aſcendere rupem apertè audebant. Itaq; fumum lignis ingentem excitant, & aditum vndique quærũt & tentant. Boemi locorum imperitis aſcendendi ſpontè faciunt copiam; & vt fraus non deprehenderetur, paucos iubent reſiſtere, & mox fugam vertere.

Praga obſeſſa.

Cum autem in locum inſidiis oportunum pertraxiſſent: arma conuertunt, & acriter in noſtros impetũ faciunt. Diu anceps certamen fuit: tandem noſtri iniquitate loci & hoſtium multitudine aut deturbari in præceps ſunt, aut ferro occiſi interierunt. Duorum ferè menſium ſpacio in obſidione conſumpto, SIGISMVNDVS arci firmum præſidium imponit: & ab vrbe ſui regni præcipuâ, cum dedecore recedit. Miſnenſium & Saxonum copiæ poſtulabant ſtipendia: quæ cum non numerarentur difficultate

rei nu-

rei nummariæ: SIGISMVNDVS eas diſtribui imperat per hæc oppida, Nimburgam, Auſtiam, Bruxiam, Cometauium. Erant autẽ oppignerata noſtris Ducibus Auſtia & Bruxia: & ex iis fructus tam diu percipiebant, donec triginta millibus ſexagenis Boemicis redimerentur. Ii, qui Huſſi ſectam ſequebantur, vndique excurrere, & hoſtibus nocere: qui etiam Cometauio capto, ferro præſidium cædunt, captiuos rogo imponunt. Verſabatur in ſummo periculo Rex: qui cum auxiliorum parandorũ gratiâ abeſſet, & Imperij negociis detineretur: Pragenſes id vnũ operam dabãt, vt arce regiâ potirentur, quæ ipſis multũ videbatur obſtare. Qui præſidio erant, veriti, ne ſi capta armis eſſet, euerteretur: quod Viſegrado arci cis Vultauã, intra nouæ vrbis mœnia ſitæ, acciderat: inducias non planè menſtruas impetrant. Sed cum intra viginti dies nulla vſpiã apparerent auxilia, eam ciuibus dedunt 17. Cal. Iulij. Arx regia in monte trans Vultauam ſita, vrbi imminet, quæ minor vocatur, eamq; ab vrbe veteri atq; nouâ dirimit: Eâ in poteſtatẽ nullâ difficultate redactâ, iam quaſi excuſſum de ceruicibus iugum eſſet, vulgus Huſſiticum duce quodam IOANNE intromittitur: euertuntur primũ aræ & ſtatuæ: templũ ab incendio à Sanioribus vix conſeruatũ: direpta poſtmodũ atq; conuulſa veterũ Regum ornamenta & obſcuratæ picturæ. Certabatur inter ipſos diuerſis ſententiis, cum alij omnia diſſipãda clamarent: alij inſanientes reuocarent, vt mutis locis & parietibus parcerent. Captâ & deformatâ arce regũ veterum, quam Carolus IV. præclarè auxerat; Pragenſes, vt reliquam prouinciam à ſe diſſidentẽ, doment, aut diſſentientem in ſuas partes trahant; magnis animis progrediuntur: Socij erant Satienſes, Slauenſes, Lunenſes. Cùm ad Belinam oppidum eſſet ventũ, id ſine iniuriâ cupiunt: ſed ipſi ab iniuriâ non abſtinent. Inde Bruxiam (quam alij Pontẽ nominant) expugnatum accedunt. Bruxiam enim regno ademptam, & alienis dominis traditam dolebant: neq; eſſe ferendum exiſtimabant: vno putant tempore poſſe & libertatem parari & Regẽ vindicari, & hoſtem externum eijci. Erant in eâ vrbe milites Miſnenſes, qui cum hoſte confligere, ſi copia daretur, parati erant: nam & armis ſibi inſtructiores hoſte videbantur, & vulgus non exercitatum facile ſuperatu iudicabant. In caſtris Boemorum nihil erat contemptius, quàm miles Miſnenſis: Aliquot enim locis victum fugatumque iam non curare, neque metuere amplius ſimulabant. Cognito autem, quod Miſnenſes obſidionem impedire eruptione, libertatem quærere prælio cuperent: copias Boemi augent, & nouum Equitatum com-

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.

Arx Pragenſis à Huſſitis capta.

Bruxia expugnata.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ. comparant,quo,ſi ad prælium ventum eſſet,vterentur. In obſidione tamen maiorem ſpem habebant:fore ſperantes,vt aliquos ad proditionem allicerent. Cum Bruxiæ facti eſſent propinqui Boemi: qui in arce erant,dubiâ fide nutabant: parumque abfuit, quin eam dedidiſſent. Cum id Miſnenſes animaduerterent, nec ciuibus fidere Bruxianis auderent; Martis aleam pugnando experiendam cenſent: occaſionem inuadendorum hoſtium talem capiunt: plauſtra aliquot frumentaria prope oppidum conuehenda curant, eisque milites fortiſsimos addunt, alios paratos ſtare iubent. Boemi plauſtris viſis ad intercludendam viam & intercipiendum frumentum properant. Concurſu paulatim augetur multitudo,& è Bruxiâ fit eruptio. Vtrinque ſummâ cupiditate & maximo odio pugna initur: Miſnenſes iunctis ordinibus pugnabant meditatè. Pragenſes vt quisque cupidè accurrerat extra ordinem: ideò non diu tulerunt noſtrorum aſpectum. *Clades Pragenſium apud Bruxiam.* Fugæ autem ſubitò ſe mandantes,ita conciduntur: vt pauci ex eo exercitu remanerent. Capti ſexcenti ſunt, qui in terrorem aliorum ſupplicio afficiuntur: inprimis verò eo nomine, quia pertinaces & inemendabiles in ſuâ opinione erant. Interea dum pugnatur cum Pragenſibus,ſociæ ipſorum ciuitates arcem Bruxianam acerrimè oppugnant: verùm audientes fugam & cladem ſuorum,in caſtra ſe recipiunt; & defenſi noctis ſilentio ac tenebris,trepidantes ab arce diſcedunt. Brunſuicenſis,qui eo die cauti & vigilantis Ducis gloriam adeptus eſt, dixiſſe perhibetur; niſi inſidias metuiſſet, ſe ſine magno ſuorum incommodo, internecione delere potuiſſe Pragenſium exercitum. Victoriâ eâ potiuntur Miſnenſes Non: Auguſti, Anno M. CCCC. XXI. quâ
1421. nunciatâ in Miſniam,ſupplicationes factæ: non tàm quòd hoſtes,quàm quòd hæretici interfecti pœnam impietatis & ſcandali, Deo hominibusque perſoluiſſent.

SIGISMVNDVS Rex magnâ ex parte erat excluſus regno Boemico: & vicini Principes intelligebant, quantum ſibi immineret periculi, ſi vulgus ſibi habenas regni raperet, aut Regem è ſuâ factione eligeret: Ideò conuentum Norinbergam indicit Sigismundus: eò legatum mittit Pontifex Romanus, ad commune bellum decernendũ aduerſus rebelles Boemos. quod quò minus confectum ſuperioribus fuerat annis,diſcordia Principum effecit. *Conuentus Noribergæ.*

RVDOLFVS Dux,Elector Saxoniæ,vt opinio fuit,veneno ſublatus eſt. FRIDERICVS Brandeburgicus ſuas copias in Ludouicum Bauarum duxit. Interea dum noua paratur expeditio:

ditio: ſummis viribus obſidetur arx Caroloſteinum, in monte editiſsimo ſita, & à Carolo IV. ædificata: vt in eâ theſauri regij depoſiti aſſeruarentur cum coronâ, ſceptro, trabeâ, & aliis inſignibus. Quia autem nouum creare Regem rebelles deſtinabant: eâ arce captâ, & translatis ad ſe regiis ornamentis, omnia ſe poſſe conſequi ſperabant. Arci præfectus erat Ioannes Polentius, eques Miſnenſis, vir excellenti animi prudentiâ: qui delectos de nobilitate habebat viros: ij aut mori pro Imperatore, aut ſuæ virtutis illuſtre dare documentum decreuerant. Durabat obſidio ſextum iam menſem, nec quidquã prætermittebatur ab hoſtibus, quod ad viros fortes ſtrenuosq; pertineret. Oppugnabatur arx de caſtellis quatuor: miſsilia in propugnatores, tormenta in muros, globi ignei in tecta confertim mittebantur: vaſa item omnium excrementorum & ſordium plena, item corpora tam hominũ, quàm ferarum mortua coniicebantur in foſſam, & interdum ipſa intra mœnia, ita vti vehementer moleſta fieret graueolentia; propter quam etiam militum vires & valetudo eſt periclitata. Accedebat ad hæc incommoda, frumenti & victus inopia: iumentisque conſumptis nihil ſupererat præter vnicum hircum, eum detractâ pelle, & conſperſum damæ pilis è tomento ſellæ detractis, præfectus arcis muneris loco ad hoſtium præfectum, ciuem Pragenſem, mittit. Ea res pro miraculo fuit, vnde obſeſsis ferinæ carnis recentis copia. Suſpicati igitur, in arce cuniculos eſſe ſubterraneos, per quos ad victum neceſſaria clàm acciperent: de ſoluendâ obſidione deliberant: Germanorum pertinaciam eſſe præ oculis: & inſtare hyemis tempus graue: & militem periiſſe multum: conſultum eſſe, vt arcem relinquant, & aliam occaſionem quærant. Itaque calliditate Præfecti ſoluitur difficilima obſidio: vt ſcriptor Boemicus teſtatur: Noſtri vero Annales, & illis temporibus ſcripta aliorum populorum Chronica aſſeuerant, metu fuiſſe depulſos Boemos. Nam cum valido aduentare exercitu dicebantur Principes tres, Miſnenſis, Brandeburgicus, & Bauarus: quâ re cognitâ recentis cladis Bruxianæ memores, ſint ad ſua præſidia reuerſi. De ſolutâ obſidione, quæ ad III. Idus Nouemb. Anno M.CCCC. XXIII. incidit: buccinis, cornubus, & tormentorum iaculationibus dederunt lætitiæ ſignificationẽ Germani: eſtque eâ hyeme nihil geſtum, dignum memoriâ. Vtrinque autem neceſſaria ad bellum parabantur.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.

Caroloſteini oppugnatio.

Strategema Præfecti arcis Caroloſteini.

Obſidio arcis Caroloſteini ſoluta.

1423.

Inter hos tumultus ALBERTVS Saxoniæ Dux atque Elector, Venceslai filius, Rudolfi Electoris (quem modò veneno interiiſſe

Alberti Sax. Elect. mors.

iudicio & beneuolentia Imperatoris, Dux Saxoniæ & Elector Imperij creatur in Pannoniâ Presburgi: inſignia accipit Budæ per Ioannem Stulingenſem Landgrauium: in Saxoniam introducitur per Ioannem Comitem Lupfenſem, anno M. CCCC. XXVI. quarto videlicet anno poſt Alberti III. obitum, vltimi ex familiâ Anhaltinâ Electoris.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ. Friderico Electoratus confirmatur.

Pragenſes qui ad Bruxiam fugati erant, & à Caroloſteina re infectâ diſceſſerant, menſe Februario in ſuperiorem Luſatiam cum octodecim millibus militum proficiſcuntur. Sitanus enim Conſul cum duodecim ſociis conſciis eos inuitarat: ſed ciuium nefariorum cōſpiratione cognitâ, & pœnâ de proditoribus ſumptâ, Luſatij & Sileſij è magno diſcrimine ſunt erepti. Pragenſes prædâ ex agris abactâ, & villis incenſis, reuertūtur domum: nam obſidere oppidum propter vicinas Sigismundi copias non auſi fuerunt.

Pragenſium irruptio in Luſatiam.

Expeditio inde Principum Imperij adornatur in Boemiam, in quâ vltra centum millia hominum militaſſe dicuntur. Principes antequam conuenirent Egram, quæ in Boemiæ finibus vrbs ſita eſt; Luſatij ad vlciſcendam iniuriam inopinatis illatam, communi conſenſu, alij à nobilitate excitati, alij ſuis militantes ſtipēdiis, inuadunt Boemiam atrociter: nec ſolùm ſæuiunt in agros rapinâ & incendiis, verùm etiam hoſtili exemplo membrorum mutilatione in homines, quos non oderant tantùm vt hoſtes, ſed perdebant vt Schiſmaticos. His properanter perpetratis, ne opprimerentur aut intercluderentur: eâdem feſtinatione, quâ venerant, e veſtigio diſcedunt: prædam partim diuidunt, partim deorum aris appendunt. Egram venerunt Electores quatuor, Moguntinus, Colonienſis, Palatinus, Saxo: tum Bauarici & Francici Duces & Præſules: item Leodienſis, & Comes Flandriæ: delectus adhuc ſuorum populorum agebat SIGISMVNDVS, qui ſibi coniunctos habebat ALBERTVM Auſtriacum generū, & FRIDERICVM Brandeburgicum. Rege autem nimis negotium trahente, qui Egræ collectī erant Principes, ne cum dedecore hærerent, & timore fracti deſidere viderentur, caſtra promouent: omnibus in locis, quos prætereunt, hominibus parcunt iis, qui ſe Romanæ Eccleſiæ fatentur obſtrictos & ſubditos: aliter ſentientes ſine diſcrimine interficiunt: & liberum erat præter legem militarem, ſtatuendi in eos pœnam, quæ cuique rabido & furioſo placeret. Satium oppidum eſt lautum, & tum valdè erat munitum: in eo enim præſidij cauſâ coierant, qui Pontifici Romano contradicebant, ſibiq; ſe cum patriæ libertate religionem

Expeditio Principum in Boemiam.

Satij obſeſſio.

 defen-

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.

defendere, perſuaſerant: Quòd oppidum, quia veluti propugnaculum habebant Boemi, magnis viribus ad id obſidendum ſeſe Germani accingunt: nec minore fiducia & alacritate Boemi id defendunt. Satienſes cotidiè excurrentes, hoſtium vires animoſque explorant: & leuibus congreſsiunculis illis non ſemel ſunt ſuperiores. Germanis parum feliciter cedebat conatus, vel quòd viribus ſuis ſecuritate quadam nimium fiderent: vel quòd ſuum agi negocium in regno alieno non putarent. SIGISMVNDI aduentum cupidè expectant, de cuius auctoritate pendebant vniuerſi. Ita enim conuenerat, vt in obſidione durarent, donec ipſe cum Pannonicis Vngarorũ, & Auſtriacorũ copiis aduentaſſet. Ager Satienſis fœdè deuaſtatus eſt: mœnia ne tentata quidem ſunt vlla vi maiore. Dictus erat dies XVII. Cal. Nouembris, quo Imp. coniungeret exercitus, quo ipſo die præterito, ne vnum quidem vlterius Germani præſtolantur. IOANNES Troterra genere nobili ortus, ob faciẽ fœdatam dictus Cocles, & ſermone vernaculo ZISCHA, nulli ſuorũ temporũ inferior virtute fuit: is vt obſeſſis ferret auxiliũ, militem ſuum cum copiis Pragenſium proximè ad caſtra Germanica adducit: eius audacia & felicitas in bellis ſpectata & celebris erat, ideò nõ parũ timebatur. Orta in caſtris Germanorũ multis in locis ſubita incendia ſunt: alij timiditate militum, alij proditione Boemorũ ſuſcitata dicebant. Cum Germani non idem ſentirent, & Imperatoris moram malè interpretarentur: conſilia ineunt, quibus minimo quiſq; incõmodo ſuorum, domũ rediret. Ziſcham ducem vigilantẽ minimè latebat hoſtiũ propoſitũ & trepidatio: Quamobrem iam iam victos eos exiſtimans, non fugituros inſequi dignatur: ſed Regem aduentantem excipere ſtatuit: magis ſibi glorioſũ fore exiſtimans, & celeriorẽ belli finẽ videns, ſi ipſum Regẽ cum copiis bellicoſiſsimis ſuperaſſet. Non fefellit virum acrẽ animus, aut expectatio, nec cæcum cæca fortuna deſtituit. Summâ enim celeritate cum in conſpectũ Regis veniſſet, admirationi fuit propter audaciam: Commiſſo autem prælio, ſine ſingulari difficultate victor exiſtit: nec minus nomine quàm armis hoſtes percellebat. Rex fortunâ illi & ſucceſſu inferior, cum ipſo amicitiam coactus init: & niſi morbo peſtis populari extinctus eſſet, regno illum præfeciſſet Boemico.

Ioannes Ziſcha.

Ziſchæ victoria.

Quod ſi externi exercitus Regis, & ſimul Germanici fuiſſent coniuncti: facilè potuiſſet tetrum illud & immane bellum finiri: quo & Boemia diu afflicta, & penè peſſundata, & Germania ipſa multis in regionibus vaſtata fuit. Creuit ille tumultus, primùm ex hominum contemptu: deinde vires ſumpſit è pertinaciâ Sacer-

dotum: cum nō mederi vulneribus Eccleſiæ, neq; tollere ſcandala, ſed contradicētes omninò extirpare, vellent. Loca ſacra in Boemiâ vbiq; ardebant, & ſolo æquabantur: Sacerdotes & Monachi aut cremabantur, vt ipſi Huſſum combuſſerant, aut illis adimebatur poſt tormenta & cruciatus virilitas, aut aliis ſuppliciorū generibus à multitudine iratâ tollebantur: nonnulli perfidis ſpuriis & concubinis, à quibus proditi erant, dabantur excruciandi.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.

Poſt obitum Ziſchæ, cum in factiones contrarias ſcinderentur, in ſententiis religionis: factum tandem eſt, vt paulatim vires vniuerſorum debilitatæ & diminutæ ſint. Auſtiam oppigneratā fuiſſe principibus Miſnenſibus, dictum eſt antea: erantq; ei præfecti nomine Electoris, Ditericus Paccius, & Caſpar Rechenbergius Equites Miſnenſes. Ad hoc oppugnandum Pragenſes omnia neceſſaria comparabant. Roatius Boemus nuper expugnauerat Aquas albas, Benſam, Leipam, vnâ cum arce: vulgus in iis omne interfectum, exceptâ ætate impuberi: magiſtratus ipſi pedibus ſunt ſuſpenſi: capti ciues circiter ducenti. Auſtiam autem ad Albim ſitum oppidum, quod præſidium ſatis validum habebat, omnib. viribus ſtatuebant Principes defendendum. Pragenſes ad eam expeditionē agmen Thaboritarū ducebant: & ſocios habebant Litomericenſes & Satienſes. Erant conducti, qui per Miſniam incendia in vrbibus facerent, aliquot ſtudioſi: tales enim minus ſuſpectos fore, & faciliores habituros aditus putabant. Enunciata res eſt: & quia veſtitus, facies, capilli, aliaq; indicia ſignificata erant, admoniti conſules & vrbium præfecti ſunt, vt vigilias agerent, & hoſpites excuterent. Præfecti Auſtiani cum apparatū hoſtium ingentē cernerent, & propè in conſpectu haberent: literis penè cotidianis petunt auxilia: quāto in periculo ipſi ſint, edocent: niſi hoſti reſiſtatur, cum mox editurū in Miſniâ ſuæ horrendę crudelitatis terribilia exempla: vnâ mittunt Leipenſes ciues, & quæſtorē Electoris, qui ex oppido fugerat, teſtes videlicet oculatos. Conſcripto igitur ē Francis, Turingis, Oſterlandis, Miſnenſibus, Luſatiis, ingenti exercitu, in Boemiam ad liberandā Auſtiam proficiſcuntur Electoris legati: nā ipſe ad Imperatorē in Panno niâ aberat. Equitatus colligebatur in vrbe Fribergo: caſtra peditum erāt Bobritij, in agro Fribergio. Cùm ad tempus conſtitutum omnes conueniſſent: Cathatina Electoris vxor, quæ abſente marito curā Reip. ſummā & indefeſſam gerebat, prudens & animoſa mulier, legatis ſalutē patriæ cōmendat: & ne temerè cum hoſte confligant, adhortatur: iubet memores eſſe cladium aliquot acceptarum, item eius gloriæ, quam Princeps conſecutus ſit ad

Auſtiæ oppugnatio.

Friderici legatorum expeditio in Boemiam.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.

Bruxiam: hoſtes eſſe aſtutos, & non ſatiabiles, & furioſorum ſimiles; fortunam commutabilem & lubricam. Quæ cum illa fortius, quin pro ſexu loqueretur, quaſi præſagio quodam mox venturæ calamitatis, cum quodam veluti ſtupore audita à militibus eſt: quos vt ſupremũ viſura ex vrbe comitatur, & vale ipſis dicendo, monet denuò, vt ſibi prudenter caueãt, & Remp. periculo temerè ne exponant. Turingorũ præfectus erat ERNESTVS Comes Glichenſis: legatus, FRIDERICVS Comes Tunnenſis, ipſius agnatus: Miſnenſium, BOSO Vicethunnus, cuius legatus APOLLONIVS frater erat: Magiſter equitum, FRIDERICVS Bichlingenſis Comes, qui annis ſuperioribus militauerat in Boemiâ: tribuni, Ditericus Vuicelebius, Iacobus Vuangenhemius, Iano Schõfeldus. Superatâ ſiluâ Boemicâ, quæ Miſniá diſterminat, cùm ad Preslicam pagum veniſſent: hoſtes eis in conſpectũ prodeũt: nec vllâ interiectâ morâ, caſtra iuxta eos proximè metantur. Currus circiter quingentos in orbem Boemi locant, cathenis ferreis duplicatis coniunctos, temones itidem muniti ferro acuto erãt: curribus erant impoſita miſsilia ac tormenta bellica. Poſt currus pedites ſcuta præalta fronti prætendebant: poſt quæ tutò latitantes, impetũ irruentium ſuſtinerent. Hoc videntes fieri Miſnenſes, qui diurno nocturnoq; itinere per montes & ſiluam fatigati, nec dũ cibũ ſumſerant, hoſtes in opere occupatos impedire, ac ſtatione depellere, caſtriſq; locũ eripere aggrediuntur. Miles Miſnenſis & Turingicus in diuellendis cunibus, & perfringẽdis ſcutis dare magna virtutis documẽta: loco nõ cedere, niſi aut tormẽtis deiectus, aut vulnerib. reiectus eſſet. Inuentũ paulò antè armorũ genus fuerat, quod Germani Hellebardã, quaſi ſecurim ſplendentem diceres, nominant: quo & figere, quia ferrũ præeminens acutũ habet, & ferire potes, quia ſecuriculæ ſimile eſt à parte alterâ: & quando vncino ab alterâ terminatur, etiam attrahere illo oblata licet. hoc nunc in comitatu Romani Pontificis, item Regum & Principũ exterorum Germanici vtuntur corpore ſatellites: quos inde Hellebardieros appellant Itali. Vtebantur tum Boemi ſcutis, vt dixi, præaltis, quibus præter currus, caſtra ſua muniebant. Illo igitur armorum genere, & ſcuta ſolo infixa vnco labefactabant: & per cõtinuata ferro acuto aut ſecuricula hoſtẽ punctim cæſimq;, pro vt exigebat neceſsitas, vulnerabant. Protracto in longius prælio, multũ noſtri remittunr, feſsi labore & inediâ, & maximè calore, qui eius diei intenſus fuit: Puluis etiã excitatus conſpectum tàm hoſtium, quàm amicorũ adimens, primũ confuſionem, deinde fugã parit. Erant ex noſtris multi interfecti tormentis, & Præfe-

Hellebarda.

ctus

ctus belli Comes Glichenſis, cum ſuo legato, interierat: & tribuni *Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.*
grauiter vulnerati erant. Haſtæ etiã genus quoddam Boemi inuenerant, vnco ferrato ſimile: quo vt quenq; equitem apprehẽdiſſent, de equo detrahebant: nam reliquo inſtructu eques Boemicus par Germano nequaquã erat. Victoriâ igitur, quantâ aliâ nullâ, Boemi potiuntur 17. Cal. Iulij, anno M.CCCC. XXVI. In *Boemorum Victoria ad Auſtiam.*
annalibus Miſnenſibus legitur Apollonium Vicethumum, in cuius fratrem Bernardum propter alienatam pecuniam Princeps 1426.
animaduerterat, ſermonibus iactitaſſe, ſe fratrem vlturũ eſſe: idq; eo prælio effectum per Boſonem fratrem eius memorant. Auſtia oppidum, prope quod prælium commiſſum eſt, eodem impetu *Auſtiæ direptio.*
captum, direptum, incenſum: ciues & præſidiarij internecione deleti, nullâ ſexus aut ætatis aut dignitatis reuerentiâ. In arcem Srecceſteinam nonnulli confugerant, qui eandem mox fortunã ſubierunt. Deſiderata è noſtris ſunt illo prælio plus quàm nouem *Clades Miſnenſium.*
pugnatorũ millia, vt noſtri annales tradunt: vt Ioannes Olomucenſis memoriæ prodidit, plus quam duodecim: præcipui nominis fuerunt, præter Comites Glichenſes, de quibus modò dixi, Bichlingenſis, Hoenſtenius, Querfurdius, Heldrungius, Barbenſis, & quinque alij Comites nominibus non expreſsi: Barones liberi, Donenſis, Gerenſis, Falchenſteinius, & Grecenſis: equeſtribus ornamentis inſignes viri, Heinricus Erfius, Iacobus Vuangenhemius, Chriſtannus Sebergius, Chriſtannus Vuicelebius, Dietericus & Heinricus Schleinicij, Vualthaus & Vigandus & Reinoldus Berenſtenij. Cladem autem nobilitatis fuiſſe memorabilem, quibusdam exemplis colligimus: Nam è Cocericiorum familiâ eo campo inuenti ſunt, qui oppetierant, vnus & viginti: è Schonbergiorum, qui Reinsdorfij habitant, pater Eques interfectus cum quinque filiis, vnico tantum domi in cunis relicto. Captus eodem prælio Conradus Einſidelius, qui poſt annum demum trigeſimum victis ad Belgradum Vngariæ copiis Turcicis, liberatus eſt: Nam in exercitu Turcico, neſcio quo caſu pugnauerat. Reuerſus autem ad ſuos, nec ab vxore, nec à cognatis, qui bona ipſius occupauerant, eſt agnitus. Iuxta campum in valle, vbi factum prælium fuit, ſacellum extructum eſt, quod adhuc extat: cui riuulus propinquus eſt, qui ſanguine manaſſe dicitur ob cæſorum corpora. Rumore in Turingiam & Miſniam delato magna querela, maior metus fuit: Nam ſi continente itinere perrexiſſent hoſtes, abſente ipſo Principe & flore nobilitatis deleto, oppidorum urbiumq; victores fuiſſent. Taboritæ erant qui prælio illo fuerunt ſuperiores. cum autem & ipſi & Pragenſes cu-

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ. Pelſinæ obſidio.

perent primum ſui iuris facere omnem Boemiam, antequam exteros adorirentur, tota moles belli deuoluta in Pelſinenſes eſt, partium Pontificiarum conſtantiſsimos defenſores. In eius vrbis obſidione, annuum tempus conſumitur: diſcordia illa ciuilis fecit, vt finitimæ regiones ſe nonnihil recolligerent.

FRIDERICVS ſuorum clade vehementer perculſus, oppida munit: & quibus rebus poteſt, ſuis addit animum: cum interea incideret in valetudinem aduerſam: Friderico, natu maiori filio, Remp. committit, neceſſaria ad bellum vndique comparat præſidia: ad Martinum V. Pontificem, & Sigismundum Imperatorem mittit legatos: quantum periculi & Eccleſiæ & Imperij nomine ſubierit, edocet: petit, ne irato & furioſo hoſti obiiciatur ſolus, quem ipſe non laceſsirit temeritate, ſed impugnarit publico nomine: ſe adhuc paratum, vitam profundere, pro ſalute communi. Mouit eius auctoritas non parum: & inita conſilia ſunt de puniendis ſeditioſis: & Iuliano Cardinali datum negocium eſt, vt omnes Chriſtianos Principes ad id bellum inflammaret.

Friderici legatio ad Imp. & Pontificem.

Videbat ſibi inſtare tempus Elector FRIDERICVS, quo diſcedendum ex hâc vitâ eſſet. ſolicitus autem & de Rep. & de ſuis: FRIDERICVM & VILHELMVM filios ad ſe vocatos, his fuiſſe verbis allocutus dicitur: Id iam adeſſe tempus animaduerto filij, quo ex hâc vitâ mortali mihi ſit migrandum: nec obſcurum vobis eſt, quæ à vicinis pericula nunc patriæ immineant. Meus diſceſſus æquo ferendus animo vobis eſt: quia numeranti dies mortalium Deo ita videtur: cuius repugnare voluntati eſt nefarium atque inutile. Vobis autem ſeruandæ patriæ munus atque cura incumbit: quam facile ſeruabitis, pietate erga Deum, & mutua inter vos animorum, voluntatum, ſententiarum coniunctione. Quod ſi Deum verè ſanctéque colueritis, officium etiam veſtrum nequaquam negligetis, & amabitis populos vobis commiſſos. De Deo qui vos doceant in hac religionis turbulenta contentione, eligite viros doctos & graues, & moribus perſpectis, & non mutabiles: qui verò vobiſcum imperent, tales adiungite familiares & conſultores, qui ab auaritia & adulatione, & crudelitate ſunt alieni: quos temporis causâ vos obſeruare, & ſuis tantùm ſtudere commodis videbitis, maturè dimittite: quia ipſorũ facinora in vos redundant: & cùm tempora periculoſa ſunt, ipſi inimici ſunt acerbiſsimi. Populis veſtris onera noua aut inuſitata ne imponite: neq; ita vnũ ordinem extollite, vt opprimatur inferior. Cum enim cũ nobilitate Princeps, & cũ

Friderici oratio ad filios ante mortem.

vtriſq; populus conſentit, feliciſsima eſt gubernatio. Iuſticiã colite tam in ignoſcendo, quàm in puniendo: offenſas ne pertinaciter retinete: perpetuò enim iraſci, minimè viri Principis eſt: indictâ cauſâ nullum condemnate: arma non ſumite, niſi coacti: populorum veſtrorum domini ac Principes nominamini, eum honorem vt patres & altores vſurpate: nihil enim magis oderunt & Deus & homines, quàm ſuperbiam atq; tyrannidem: quia nihil magis naturæ ipſi aduerſarium. Proauus meus, cuius nobis ſæpè laudes decantaui, à tribus Regibus Romanorum laceſsitus, deuaſtatâ omni ditione ſuâ Adolfum & Albertum armis eiecit, Henricum continuit: tantâ ſemper moderatione vſus, vt illos nõ vindicaſſe, ſed ſuos liberaſſe videretur: atq; is pater noſtræ patriæ atque harum regionum ſeruator meritò appellari poteſt. Bella inteſtina geſſerunt maiores noſtri, quorum non ſine gemitu meminit: iis acciſi & pænè euerſi ciues ſunt, & ipſi honoris atq; fortunarum damnum ingens fecerunt: Ea vos filij, omni ratione fugite, & auctores eorum bellorũ, quàm fœdè, quàm miſerè perierint, recordamini, vt vterq; Albertus, alter Othonis, alter Henrici filius. Mutuâ autem caritate & beneuolentiâ vos amplexamini: quod erit vobis vinculum non modò quietis, ſed etiam ſalutis. nec vllius vnquàm hoſtis potentia nocuit concordibus inter ſe & fidis hominibus. Hoſtes nunc vicinos propemodum in portis patriæ habetis, qui acceptis aliquot cladibus, & nuper ſecundo prælio facti inſolentiores, patriam hanc veſtram infeſtare non deſinent, donec aut vos perdant, aut ipſi intereant: In hos vnanimes forteſque pugnate pro ſacris, pro focis, pro gloriâ veſtrâ. Ad maiorum noſtrorum honores, nouus per me titulus acceſsit: eum ita tuere, tu FRIDERICE, vt par eſt, & vt nos tibi virtute & laboribus præiuimus: tu verò VILHELME, quantum, fratri, te natu maiori, detuleris; tantum commodaueris tibiipſi. Amate igitur inuicem vos, & hanc monitionem paternam cum animis veſtris, quàm ſæpiſsimè repetite. Hæc cum mente compoſitâ aliquoties ingemiſcẽs, locutus eſſet, filij vtriusq; dextram tetigit, eosq; abire permiſit: deindè ſuis familiaribus conuocatis eis patriam & filios non minus graui oratione commendauit. Rebus hoc modo omnibus diſpoſitis, tertio deinceps die in arce Aldenburgiâ obiit, pridie Nonas Ianuarij M, CCCC. XXVIII. Conditur ibidem in eo templo, quod frater ipſius iuxta arcem extruxerat: Alij Reinhardborni, alij Miſenæ tumulatum falsò aſſerunt; alij etiam Miſenæ mortuum non rectè ſcribunt.

Fridericus Bellicoſus Elector Saxoniæ.

Friderici mors. 1428.

SIGISMVN-

Sigiſmundus Præſul.

SIGISMVNDVS PRÆSVL.

SIGISMVNDVS, Friderici Bellicoſi, primi Electoris ſecundus
1416. filius, naſcitur in oppido Grimâ pridie Cal. Martias M.CCCC.
XVI. poſt patris obitum ocij cupidior, quàm imperij, ſpontè hæreditatem aliis tradit. Tria ad ſe ſuſtentandum oppida elegit: in Miſniâ, Rochlicium & Aldenburgum: in Votlandiâ Vueidam: certa præterea pecunia ſingulis annis numeranda additur. Hanc pecuniam cùm ſtatuto tempore quæſtores aliquando non obtuliſſent: iracundiâ permotus, arcem Vueidam vocto Plauenſi, qui tum temporis à fratribus ipſius planè diſſentiebat, conſtituit vendere. Principes fratres maturè ipſius inſtitutum impedierunt, & reduxerunt ad lenitatem eius animum. Erat in eo indoles fortitudinis, quam declarauerat dubiis Reip. temporibus. Primũ cum FRIDERICVS, frater Elector, Oſterlandiam contra eosdem Boemos defenderet: captum eum ferunt formâ & delitiis cuiusdam Veſtalis è Lomiorum familiâ: ea in cœnobio Miltenfortenſi non procul à Vueidâ diſsito, agebat: quæ cum cuſtodiretur diligenter, vt acceſſus ipſe faciliores, & minùs ſuſpectos haberet: ſacris ſe initiandum curat à Iohanne Præſule Mersburgio VIII. Idus Martij, anno ætatis primo & vigeſimo. Fratres eius amoris ignari, quia ſolitudine eum delectari videbant, quod genus vitæ quietæ elegerat, religioni tribuebant, quod erat certæ inſaniæ. Verùm latêre diu non potuit: nam ſumptis fortaſsè philtris ita effœminatus eſt, vt nec vulgi careret infamia. Indignati fratres, cùm nec monitis nec precibus eorum moueretur, mittunt ipſum in cuſtodiam arcis Friburgi ad flumen Vnſtrutam: eique adhibent familiares, ſex nobiles homines, qui curam ipſius gererent, & quibus poſſent rebus à turpi illo & famoſo amore auerterent. Cum ad mentem rediiſſe meliorem crederetur: dabant operam, vt ad dignitatem Eccleſiaſticam eueherent: & ſuâ auctoritate effecerunt vt, Præſul crearetur Vurciburgi: infulam accipit IIII. Non Februar: M. CCCC. XL. in oppido Onolsbachio. Initio
1440. gubernationis magnâ in gratiâ apud omnes fuit, quia viro leui & ſumptuoſo ſucceſſerat: ſed mox ad vetus ingenium rediens, otio ſeſe atque libidinibus totum tradidit: vnde querelis ad Imperatorem delatis, poſt tertium annum è munere ſuo diſcedit, eâ conditione, vt quotannis ei collegium nummorum argenteorũ millia quindecim numeraret. Obſtabant ei apud collegium iſta, crimen profuſionis & negligentiæ: tum quòd à Felice Sabaudo Pontifice impetraſſet confirmationem, qui redactus in ordinem fuerat:

ſuerat: ad extremum quòd Imperatorem parum gratioſum ha- *Vilhelmus Dux Sax.*
bebat. Redeuntem in patriam FRIDERICVS frater Scharfen-
ſteinum, quæ arx ad Tſchopam flumen ſita eſt, mittit: & ei cu-
ſtodes adiungit, viros ſpectatos: demum Rochlicium ei eſt reddi-
tum: ibidem in arce hydropico morbo obiit, nocte natalis Chri- 1457.
ſti inchoante annum M.CCCC.LVII. ætatis anno quinquageſi-
mo ſeptimo. Sepelitur Miſenæ in ſacello, quod frater Elector ſi-
bi poſteriſque ſuis ad occaſum baſilicæ magnificè extruxerat.

HENRICVS.

HENRICVS Friderici Bellicoſi, primi Electoris, filius tertius,
naſcitur Miſenæ, die Aſcenſus Chriſti M. CCCC. XXII. & 1422.
circa annum ætatis obiit duodecimum. Vixit adhuc cum inter
Duces Saxoniæ & inter Ludouicum II. Heſsiæ principem initum
& confirmatum eſt fœdus ſucceſsionis: quod literæ de ea re te-
ſtantur.

VILHELMVS.

VILHELMVS Friderici Bellicoſi, primi Electoris, quartus fi-
lius, naſcitur anno M.CCCC.XXV. Vxorē ducit ANNAM 1425.
Alberti Auſtriæ Ducis, Regis Boemiæ, & mox Imperatoris Ro- *Vilhelmi matrimonium.*
mani, maximā natu filiam: ex quâ genuit filias duas: MARGA-
RITHAM & ANNAM: hæc in Annalibus Erfurdianis errore
Catharina dicitur, quo modo altera Chriſtina in Neuſtadienſi-
bus: quod ideò dico, ne quis eos ſequens, decipiatur, aut plures
ipſum habuiſſe filias aſſerat. Eoſdem autem iis maritos tribuunt,
quos noſtri Annales habent. Natu minorem deſpondit Henrico
Duci Munſterbergio, Georgij Regis Boemiæ filio: maiorem na-
tu Ioanni Brandeburgico Electori, Alberti Achillis Germanici
filio. ANNAM vxorem fertur tractaſſe illiberaliter: quam cu-
ſtodiæ Echardbergianæ incluſit, qui locus cum conclaui & ſa-
cello, & cum clauis ferreis adhuc monſtratur. Quâ defunctâ du-
xit CATHARINAM Eberhardi Brandſtenij equitis filiam,
Hesbergij è nobilitate Francicâ viduā: ex eâ liberos non ſuſtulit.

VILHELMVS mortuo Friderico, Baldaſaris Landgrauij fi-
lio, Turingiam conſequitur: quam initio adminiſtrauit ſeuerè,
annis atq; ingenio feruentior: quem cum timeret Ditericus, An-
tiſtes Moguntinus, ne ampliādæ ditionis gratiâ contra ſe aliquid
moliretur: Erfurdiam locat domicilium, vt actiones è ꝓpinquo
aſpiceret, & non ignoraret conſilia, ſuaq; adoleſcentem præſen-
tiâ & auctoritate contineret. Aulæ igitur ſuæ ſumptus auxit, in
quâ equites trecentos cotidiè aluit: noluit enim ſtipendia ſolue-
re, ne ſuſpectus videretur: ideoque etiam profuſionis infamiam
ſubiit æquiore animo. VILHEL-

Vilhelmus Dux Sax. VILHELMVS cum pro tuendo SIGISMVNDO, fratre Præſule, arma ſumta eſſent, arcem Vurciburgiam tenuit; donec Electoris exercitus aduentaret, & res conditionibus componeretur.

Vilhelmo Lucelburgia prouincia oppignoratur. Eodem tempore FRIDERICVS Auſtriacus, nuper creatus Rex Romanorum, prouinciam Lucenburgiam pignori oppoſuit duci VILHELMO, exceptâ parte eâ, quam Elizabetha Bauarica tenebat. Itaque Lucenburgiam adminiſtrandam committit viro ſpectato Erneſto, Comiti Glichenſi: qui adducto è Turingis & Miſnenſibus præſidio, oppida munit; & Lucenburgi, quæ populoſiſsima & nominis præcipui vrbs eſt, ſedem figit. Interea
1442. puella Auſtriaca VILHELMO, anno M.CCCC.XLII. deſponſata, deducitur: quam mater ELIZABETHA, Imperatoris alterius filia, alterius vxor, Dresdam vſq; comitatu magnifico ſequitur. In Turingiam cum veniſſet, vſq; ad tempus nuptiarum cum frequentia nobilium matronarum & virginum habitat Echardsbergi.

Eodem anno maximam vini copiam & vilitatem ingens caritas excipit, propter frigus & tempeſtates: ea à nonnullis habita pro omine fuit.

Iacoba Bavarica partem Lucenburgiæ offert Burgundo. Bauarica, quæ partem prouinciæ Lucenburgię tenebat, Turingos & Miſnenſes oderat, ipſamq; ſubditi contemnebant: vnde variæ factiones quaſi pullulabant, tùm propter hominum exterorum inſolitum, tùm propter fœmineum mulieris imperium. Hæc autem indignè ferens contemptum, & exteris ægrè facere cupiens; ſuam ditionem propinquitatis prætextu offert Duci Burgundiorum Philippo: Ei cupido proferendi fines, nihil optatius aut oportunius accidere potuit. Magnâ igitur ſpe conceptâ, plurimorum animos ad ſe trahere, & à Præfecto Turingico alienare cœpit: nec id illi fuerat difficile: quia & ingenia hominũ callebat, & ipſorum moribus Princeps magis conueniebat. Tempus autem expectandum ratus, quod minimè accommodatum eſſet ferendis auxiliis, negocium in hiemem vſque differt: & vt minore ſuo ſuorumque incommodo id exequeretur, ciues aliquot Lucenburgios pecuniâ corrumpit. Occupato rebus aliis Rege Romano Friderico, & Vilhelmo à ſuis procul diſsito, & neutro tale quid opinante; Burgundus menſe Nouembri conſcripſit

Lucenburgi obſidio. exercitum: eique præficiens Cornelium, natum è concubinâ filium, viginti ſignis peditum Lucenburgum obſidet. Glichenſis neceſſaria pro re natâ comparat, & ciues officij ſui admonet: ſuiſq; quantum poteſt, animum addit: tum ciuibus, quid Principi ſuo

Regis

Regis nomine ſpoponderint, in animos reuocat. In obſidione erat quintus & decimus dies conſumtus, cum ſcalæ nocte intempeſtâ mœnibus admouentur: orto tumultu antequam quid ageretur, eſſet intellectum. Pinnas Burgundici tenent, & portarũ clauſtra perfringunt. Ciuis cuiusdam primi nominis proditione, vrbem captam ſcribit Hedio. Glichenſis derepentè in arcem confugit: in quam cum faces inieciſſent Burgundici: ita omnem defenſionis poteſtatem incendium ademit, vt de fugâ ſibi cuncti proſpicerent: quæ adeò ſubita & difficilis fuit, vt equis, quos nôdum flamma attigerat, confoſsis, & relictâ reliquâ copiâ, pauci euaderent: qui ne in manus hoſtiles inciderent, per deuia euntes, ductu cuiusdam agricolæ ſalutem inueniunt. Vrbe captâ, exteri migrare ſtatim coguntur, & nouum præſidium imponitur. Actũ id eſt, vt in Neuſtadienſe Chronico legitur, anno M. CCCC. XLIV. vt Hedio ſcribit XLIIX.

Vilhelmus Dux Sax.

1444.
1448.

Inuaſerant aliquoties ripam Rheni ſuperiorem, & Alſatiam Armeniaci dicti, genus hominum facinoroſum, duce Ludouico, Caroli Gallorum Regis filio: qui crudelitate non auditâ graues admodum Germaniæ fuerunt. Metuentes ſibi nonnulli Principes, ne occupatâ aliquâ Germaniæ parte bellum inde diuturnum naſceretur: conſilium ineunt ſubleuandi vicinos: iisdem eſt ſua pollicitus auxilia VILHELMVS: ſed antequam conuenirent in agro Argentinenſi & Sletſtadiano latrones illi diſsipati atque conciſi ſunt. Immiſsi autem dicebantur, vt concilium Baſilienſe impedirent.

Irruptio Armeniacorum in Alſatiam.

Anno à nato Chriſto M. CCCC. XLV. paternas inter ſe prouincias diuidere fratres, FRIDERICVS Elector & VILHELMVS ſtatuerant. Id autem ante nuptias ſuas fieri hic vrgebat. Electoris primarius conſiliarius erat Georgius Bebinbergius: Vilhelmi verò Apollonius Vicethumus. Hi vel cupiditate propriâ, vel mutuo inter ſe odio, vel ſuo quisque Principi præter æquum & bonum gratificari cupientes (non enim eadem omnes ſcribunt) magno patriam bello inuoluunt. Initium enim actionũ inchoatum calumniis eſt, cum alter alteri fraudem obiiceret, & iniuſticiam exprobraret: neque quisquam aut placidè audire, aut opportunè reſpondere, aut cedere conuictus vellet. Conuentibus deinde Numburgi & Citij habitis, maiores inde animorum diſtractiones factæ: & ſuſcitata, vt inter fratres ſolent, odia feralia ſunt: neque quisque moderatum aut tranquillum finem expectabat. Fratres enim tribunos militares præmiis inuitare, & ſolicitare Principes exteros: nihil inter ſe communicare aut colloqui amplius.

1445.

Cauſa belli inteſtini inter Fridericum & Vilhelmum fratres.

Vilhelmus Dux Sax. plius. Itaq; cum & nobilitas & populus animaduerteret certum fore bellum: Miſnenſes adiunctis ſibi Oſterlandis paciſcuntur loco certo ſe conuenturos: & id acturos omni diligentiâ, ſtudio, fide, vt conſenſum fraternum iuſtiſsimis vtrinque conditionibus propoſitis retinerent, & à ſe, ſuâque patriâ, bellum funeſtum auerterent: eius, qui conſilia ſalutaria admitteret, ſuisque cupiditatibus publicum bonum anteferret, cauſam ſe adiuturos: qui verò contumax in perdendâ patriâ maneret, ab eo ſe communi cõſenſu diſceſſuros, ad iuſtiorem. Perſcribuntur literæ, quibus ſe mutuò pro patriâ obſtringunt. Erant in eâdem ſententiâ Præſules, Miſnenſis, Naumburganus, & Mersburgicus; quorum tùm auctoritas ſingularis, nec parum firma erat potentia. Eosdem ſequebantur Pegenſis, Boſnanus, Chemnicenſis, Veterocellenſis, Abbates, & quos ipſi ſuis partibus adiunxerant. Hæc omnia fiebant non neſciente neque abnuente Electore. Dies indicitur Halim Saxonicam: quo rogati acceſſerunt, Fridericus Brandeburgicus, Ludouicus Heſſus, Heinricus Brunſuicenſis, affines & cognati Principes: totidem Præſules delecti, quos modò nominaui, adhibito inſuper Friderico Antiſtite Magdeburgico, viro graui, è Comitibus Bichlingenſibus nato. Intererant primarij de *Conuentus Hali Sax.* nobilitate Saxonicâ, Miſnenſi, Turingicâ, Vodlandicâ, Francicâ, & bini ex vrbibus oppidisque ſingulis ſenatores: itidem legati ciuitatum liberarum, Norimbergæ, Erfurdiæ, Molhuſiæ, & aliarum. Diſputatum audientibus fratribus toto menſe eſt, & confectæ rationes vtrinque quantâ maximâ fieri potuerunt & induſtriâ & religione: quibus pertractatis & rationibus in medio poſitis Hali diſceditur, bonâ cum ſpe omnium. Ambobus autem Principibus deliberandi & acta expediendi conceſſum tempus eſt: donec & ipſorum voluntate certa dies præſcriberetur, quò ſuam quisque ſententiam exponeret, & transactio coram ordinibus palàm confirmaretur.

1446. Anno ſequente, nuptias menſe Iunio magnificè apparat VIL- *Nuptiæ Vilhelmi.* HELMVS in oppido Turingiæ Ienâ: quibus interfuerunt Ioannes & Albertus, fratres Brandeburgici, Princeps Heſsiæ, Antiſtes Magdeburgicus, Præſules, Numburganus & Mersburgicus. Hoſpitia in oppido & vicis finitimis parata, quæ tria equitum millia caperent. Eodem die, qui erat nuptiis celebrandis conſtitutus, Elector conuentum indicit Lipſiam: quod ideò feciſſe arguebatur, ne quis è ſuis ad nuptias iret, ad quas ipſe non accederet: neq; liberis aut familiaribus ſuis adeundi faceret poteſtatem.

Die

Nuptiarum Vilhelmi feſtiuitas perturbatur.

Die nuptiarum altero VILHELMVS certior fit, decretam in ſe expeditionem: caueret, ne inter gaudia cum hoſpitibus opprimeretur imprudens. Vt in magno & inopinato incendio præ terrore & tumultu ciues obſtupeſcunt & exanimantur: ita in quiete publicâ, & in pompâ nuptiarum triſtiſsimum nunciari bellum, præ nouitate & inſolentiâ omnes homines exhorreſcebant. Interruptâ nuptiarum læticiâ hoſpites metu hinc inde diſperguntur: ciborum omnis generis copia partim in egenos diſtribuitur, partim corrupta proiicitur in fluuium. Sponſus properanter Vueiſſenuelſum contendit, vt ſuos ibi colligeret, & fines cuſtodiret. Admiratus eius celeritatem Elector, cum eum equitatu tumultuario quatuor tantùm abeſſe milliaribus à ſe audiret, non progreditur: multos autem ſuâ excandeſcentiâ offendit atq; alienat. Principum cognatorum occurſu, flamma ſubitò orta eſt: ſine cuiusquam diſpendio, extinguitur.

Apollonius Vicethumus fax fraternarum diſcordiarum.

Ardebat verò tecta adhuc in animis, & eam alebant qui ex publicâ calamitate ſuum quærebant emolumentum: culpa tandem omnis deuoluitur in APOLLONIVM Vicethumum, quē fraternarum incenſorem diſcordiarum nominat Æneas Siluius: & facem odiorum atque belli ab ipſo Electore nominatum, Annalium ſcriptores memoriæ prodiderunt. Eius arces atque prædia cum infeſtarent equites Electoris; non ſine iniuria ſubditorū VILHELMI: hic viciſsim inuadebat diœceſin Præſulis Numburgani: quem cum aliis conſpiraſſe contra ſe audierat: vias autem obſidens intercludebat oppidanis commeatum. Erant præter Apollonium tres alijà conſiliis Vilhelmo, Boſo Apollonij frater, Bernardus Kochbergius, Fridericus Vicelebius: Hos potiſsimum accuſabat Elector, & à fratre contendebat, vt dimitteret eos: aliter coaleſcere amorem debitum & obſeruantiam fraternam, & conſuli tranquillitati Reip. non poſſe: quibus tales conſultores maximè obſtarent. VILHELMO cum nihil minus perſuaderet; in Apollonium eius familiariſsimum exercitum prædabundum educit. Vilhelmus bonis viciſsim expellit eos, quos fauere Electori nouerat: præcipuè autem inuadit Chriſtianum Vicelebium & Hermanum Harraſium: illi magnum frumentorum numerum homini locupleti adimit, & arcis Vendelſteinæ partem: hunc arce Asmeſtera expellit, direpto mundo muliebri, & vxore abſentis malè tractatâ. Electoris præfecti & nobiles, quid contra egerint, poſtea exponetur.

In hoc tumultu Præſul Numburganus propter vicium lin-

 guæ

Vilhelmus Dux Sax. guæ cognomento Balbus, bellum redintegrat: cuius legatus Rodolfus Buna diebus natalitiis, pagi Sigelitij templum ſpoliare cupiens; manu agreſtium, qui id defendebant repellitur: quare relicto templo horrea incendit, & domos ſpoliat. Fuerat antea à partibus VILHELMI Præſul: quem cum in ſe hoſtili eſſe animo audiret Vueiſenuelſum & Friburgum equites mittit, qui ab iniuriâ militem ipſius prohibeant. Nihil illius belli tempore magis præter opinionem Vilhelmo acciderat, quàm quod ad partem tranſiſſet aduerſam ERNESTVS Glichenſis, qui omnium eius conſiliorum particeps erat. & aulæ Vinarienſi præfuerat: ſed propter inſolentiam Apollonij ipſum ſeceſsiſſe, opinio communis erat. Solent autem in confuſionibus ciuilibus natæ offenſiones & ſimultates facilimè excitari. Erneſtus equitibus octingentis III. Non. Februarij populabundus Turingiam ingreditur: villas circa Dornbergam & Camburgum, Vicethumorum proprias cremat: armenta abacta hominesq; captos Numburgum deducit. Nocte quâdam Boſo Vicethumus ad Vilhelmum cum triginta equitibus tendebat, literis ipſius ſubitis, vt ſe ad fluuium Ilmam conueniret: accerſitus Boſo quietis cauſa Vormeſtatam diuertebat: cuius itinere explorato Erneſtus, villam non vno loco incen-*Vicethumi periculum.* dit, ſi fortè territum illum caperet faciliùs: ſerui fideles pro hero propugnabant, & tantiſper irruentes detinebant, donec euaſiſſe ipſum cognoſcerent. Capiuntur equites octo, & totidem equi: quorum ſeſſores vel vltrò fugerant, vel præoccupati ab hoſte erant. Boſo Roslam, ſerui eius reliqui, Apoledam, peruenêre. Nobilis hic eſt pagus fonte diui Bonifacij: quem ibi concionatum eſſe incolæ aſſeuerant. Prædâ Vicethumianis ereptâ cum captiuis Numburgum deportatur, equi publicè venduntur, ſerui inclu-*Brandeburgicus & Haſſus arbitri.* duntur robori. Dum hæc fierent, Elector Brandeburgicus & Princeps Heſsiæ, qui amborum habebant ſorores in matrimonio, denuò ſe interponunt: Nolebant enim duces potentiſsimos armis propriis confici, cum florentiſsimarum prouinciarum detrimento. Ab vtraq; igitur parte impetrant, vt cum ſuâ nobilitate Numburgum veniant. Ne quid autem negocium impediret; tuti acceſſus diſceſſusue literæ conſignantur, & induciæ fiunt, ne qua vis in agris oppidisuè fieret: non parum enim multi de nobilitate læſi erant bonis, exiſtimatione, corporibus. Elector Numburgum cum ſuis venit, Vilhelmus Friburgum. Actionibus erat deſtinatum templum Georgianum in ſuburbio Numburgano: fratres alter in conſpectum alterius non prodierunt, nec collocuti inuicem ſunt: ſed quæ ad pacem concordiamque pertinerent, procu-

procurant Principes arbitri, magnâ fidelitate & diligentiâ, multiſq; propoſitis tàm periculis, quàm commoditatibus. Cardo negocij in eo vertebatur: vt auctores controuerſiarũ VILHELMVS ne foueret; & in quem ante alios præcipuè inuectum eſt, Apollonium Vicethumum familiarem dimitteret: quod cum nullo pacto concederet Vilhelmus, neque ſibi modum aulæ ſuæ gubernãdæ præſcribi ab aliis pateretur; eo tempore nihil agi ſalubre potuit. Itaque arbitri cum neutrius animum mouerent aut flecterent; faciunt nouas inducias vſq; ad 9. Cal. Maij. Interea cum Vilhelmi conſiliariis arbitri agunt: vt neceſsitati per ſe pareant, & ſponte ex aulâ diſcedant: communi ſaluti conſulant ſuâ æquitate: patriam cupiditate aut iracundiâ in ſummum diſcrimen ne adducant: poſitum eſſe in ipſorum prudentiâ, vt rurſus conſentiant fratres, vt ſit Reſp. incolumis: vt vxores liberique ſalui: denique vt ab omnium ceruicibus gladij, à domibus atque agris faces, à multitudine innocente atque miſerâ cædes & exitium auertatur. Addũt arbitri ſe curaturos, vt maiore cum dignitate recipiantur: tempori cedere velint non longo tempore.

Vilhelmus Dux Sax.

Induciæ nouæ.

Apollonius num his comitiis interfuerit, legere me non memini. Sed hoc traditum in Erfurdianorum annalibus eſt: eum illis induciarũ diebus, magnis muneribus & pollicitationibus adduxiſſe Boemos ad ferenda Vilhelmo auxilia: quod cùm perfeciſſet, animi illi ingentes acceſsêre: nihilque optare magis viſus eſt, quàm vt armis & ſanguine ciuili finiretur controuerſia. Duabus ſtatim arcibus Vueidæ in Vodlãdiâ, & Vueiſſenuelſo in Turingiâ, præſidia imponuntur Boemica. VILHELMVS autem gentem eo tempore crudelitate & prophanitate inuiſam, coactus ſibi aſciſcit ſociam: nam ab eo omnes diſceſſerant è primariâ nobilitate, exceptis Heinrico Schuarceburgio & Sigmundo Glichenſe.

Vicethumus Boemum militem conſcribit.

Erant autem non ſolùm Principum inter ſe, ſed & ſubditorum animi, parentum & liberorum, fratrum, agnatorum, inuicem diſſentientes: & minima quæque controuerſia domeſtica, publicam diſcordiam augebat, & ad calamitatem communem, aliquem addebat cumulum. Aderat tempus diei conſtitutæ, quo fratres & delecti arbitri, loco ſæpius iam nominato conuenirent. Vota fiebant à minimis maximiſque pro incolumitate publicâ, & pro Principum concordiâ. Vexationem enim & cladem & omne calamitatis genus quaſi ante oculos videbant. Qui verò exhauſti nuper erant incendiis, & populationibus, ingemiſcebant: & captiui vinctique libertatem exoptabant: erant vndi-

 que &

Vilhelmus Dux Sax.

que & expectatione & formidine mentes animique omnium diuulſi & conſternati. Conuenerant Numburgi & patriæ amantes, & prudentiâ atque virtute viri inſignes; qui & pacis commoda dulciſsima amplificarent, & omne bellum deteſtandum dicerent, præſertim ciuile atq; fraternum: aliqui ſuperiorum temporũ inſtructi cognitione & memoriâ damna ex eiuſmodi bellis Miſniæ olim Turingiæque illata recenſebant: verùm parui æſtimabatur benè monentiũ auctoritas: & quaſi ſurdi ad communẽ vtilitatẽ & conſilia quieta eſſent omnes, non ſolùm grauius exulcerabantur Ducum ipſorum animi; verùm etiam conſultantium rabies & furor incendebatur: neq; inter viros militares tantũ, ſed inter duos oratores, qui pro Principibus vtrinq; dicerent, verè cõtentionis pomum, de quo in fabulis eſt, in medium coniectũ malâ manu diceres. Rudolphus Buna inter diſceptandum Friderico Vicelebio brachiũ globo bombardico traijcit: & aſtantẽ hero famulũ ictu eodem ſternit. Comitia autem ſub dio agebantur eo in loco, in quõ adhuc ingens & patula tilia eſt, iuxta cœnobiũ Georgianũ. Præterea Heinricus Gerenſis, orator Electoris, exagitabat Vilhelmi aduocatũ Cnorrium, quendam legum doctorem: eoq; nomine reijciebat, quod vir Eccleſiaſticus actionẽ in foro iudicioque Principum nullá in prophanis videlicet cauſis, haberet. Hoc modo ducebãtur contentionib. & calumniis dies quatuordecim.

Exulceratio animorum Principum.

Durante eâdem deliberatione in diœceſim Numburganam & Mersburgicam è Vueiſenuelſo excurrerant Boemi: agri Vinarienſis pagos cremabat Ludouicus Glichenſis. Cum nulla vſpiam moderationis, nulla cõpoſitionis ſpes appareret: VILHELMVS maiores è Boemis copias ſilentio euocat: quod cùm per nuncios certos nunciaretur Electori, ipſe pariter è Sileſiâ, Marchiâ, & Saxoniâ copias colligit. Obſtabant amborum conatibus monẽdo, obiurgando, minitando, fratres Brandeburgici, & Heſſus: qui cũ & iræ non nimium indulgendum, & patriæ parcendum, & maiorum virtutem non deformandam dicerent; & ipſi quædã quaſi repagula auctoritatis, & virium ſuarum obiicerent in mutuam perniciem inconſultò ruentibus, eò tandem rem deducunt, vt ad initium Septembris noua dies diceretur Mulhuſiam. Inter hoc tempus ab armis ſe quieturos fratres promittunt: & fidem arbitris obſtringunt, & ad ſua quisque reuertuntur.

Arbitrorũ in reconciliando fratres ardor.

Factis induciis miles Boemicus, qui iam fines Turingiæ attigerat, domum redire detrectat: aut ſi redeundum foret, menſis vnius & ſemeſtris ſtipendium poſtulat: quos cum cogi non poſſe VILHELMVS ſentiret, eos per cohortes hinc inde in pagos & caſtella

caſtella diſtribuit: alique ſumptibus agricolarum & præfectorũ præcipit. Ipſe interea omnia explorare & inſpicere, ne externus miles nimium auderet, aut direptis aliquot vrbibus, violẽter diſcederet. In præfecturâ Dondorfiâ, quæ ad Erfurdianos pertinet, cum Boemus ageret tanquam in hoſtili agro, vicini offenſi vehementer ſunt. Sed vt VILHELMVM excuſare viſa neceſſitas eſt: & hos tempus admonuit, vt diſsimularent iniuriam. Hæc dũm geruntur, Suſatum vrbs Vueſtoualiæ potens & munita, ab Antiſtite Colonienſe Diterico deficit, & ad Adolfum, Ducem Cliuẽſem, ſe confert. Eam vrbẽ Henricus, cognomento Leo, Dux Bauariæ & Saxoniæ, cum reliquâ ditione amiſerat, Imperante Friderico Barbaroſsâ. Colonienſis, vt ciues ſuperbos & ſeditioſos domaret, & legibus antiquis ſubiiceret: Vilhelmũ ocioſum militem alentẽ per literas implorat, tractante id negocium eius cõſiliario Apollonio. Nihil vtriq; viſum accidere potuiſſe gratius: alteri vt ſocios moleſtos: alteri vt petulãtes ſubditos corrigeret & coerceret. Vilhelmus nihil moratus, Boemorum, Saxonũ, Turingorum ſigna ſexaginta, currus mille nongentos & quadraginta, vt Neuſtadienſe teſtatur Chronicon, educit, quarto poſt Pentecoſten die anno M.CCCC.XLVII. Boemis præerant Donenſis, & Sternbergius: Saxonibus Præſul Hildeſhemius, Magnus nomine: Turingis Vilhelmi legatus Apollonius. In itinere arcem quandam Herciniam, latronum domicilium euertunt: ab Embeccanis pecuniâ extorquent, & agrum Langauiũ vaſtant: tùm Oſnabrugenſes cogunt, vt præſulis ſui fratrem annos aliquot carcere detentũ dimittant. Cum flumen Viſurgim ſuperaſſent; magnâ gratulatione excepti à præfectis Colonienſis eueſtigio in agrum hoſtilem ducuntur. Itaque Herferdam oppidum diripiunt, Blumenbergum incendunt & Lippam obſident: protritiſque & exhauſtis agris ad Suſati obſidionem feſtinant. In oppido erat IOANNES Cliuenſis filius: qui vt animos ciuibus adderet, paſſus ſe obſideri eſt: oppidani vt ſuum ei viciſsim ſtudium declararent, omnia tolerare ac perferre decreuerant. Augebat eorum confidentiam, quod anno ſuperiore Colonienſem repulerant: multoſque de nobilitate eius captos, pecuniâ mulctarant: imperium verò ipſius, vt ſibi intolerabile vniuerſi abominabantur. Concutitur integro menſe tormentis oppidum: nec pauci in caſtris læduntur, qui non minore quidem impetu atque numero tormenta emittebant, ſed non pari ſucceſſu.

Vilhelmus Dux Sax.

Bellum Colonienſe.

1447.

Suſati obſidio & oppugnatio.

Erat tamen pars muri labefactata, per quam aditum faciliorem ſperabant. Igitur ad eam inuadendam animos adiicere, &

Vilhelmus Dux Sax. comparare ſcalas, vt ex diuerſis partibus vi ſummâ muros adorirentur, & conſcenderent. Miles Rhenanus & Boemicus, primũ locum habebat: ſtationem ſuam iubentur tenere Saxones & Turingi: in oppidanis contrà non erant animi inferiores: quicquid enim tela aut lapides leuare, aut arma ferre poterat, odio Colonienſis, fortiter propugnabat. Fœminæ picem liquefactam & cineres bullientes, & feruentem pollinem in armatos effundebant. *Clades Colonienſis Antiſtitis.* Cum horas vltra tres duraſſet oppugnatio: virtute ciuium, victi hoſtes retrocedunt: è quorum multitudine deſiderata ſex hominum millia qui in foſsis oppetierãt: vulneratus ingens eſt numerus: calidis perfuſi nonnulli, cum cruciatu animas exhalabant. Factum id eſt 13. Cal. Auguſti. Tantâ clade accepta animi exterorum concidunt, & Antiſtitis deſperatione obſidio Suſati ſoluitur: ditio Bergenſis ab irato milite vaſtatur. Colonienſis non ſuſtinens difficultatem ſumptuum, qui erant in tantum exercitum faciendi, militem Vilhelmianum dimittit: pro duabus (vt vocãt) tonnis auri & dimidiâ, quas perſoluere non potuit, Collegium Colonienſe Duci Saxoniæ ſe obligauit.

Militis Boemi reditus in Turingiam. Reuertentes in Turingiam Boemi, præfectos Vilhelmi ſequi noluerunt: ſed in agrum Molhuſianum profecti ſunt; inde ituri, vt dicebant, in Erfurdianũ. Fœderatæ cum Electore Saxonico hæ duæ ciuitates erant: quare vt ciues & agricolæ ab hoſte malefico defenderentur, legatis ad Electorem miſsis auxilia impetrant: qui ſuos præfectos Glichenſem, Plauenſem, Schonbergium & Arraſium, cum equitatu mittit: quibus in itinere Bichlingenſis, Mansfeldius, Querfurdius ſe adiungunt. Boemi viribus diminuti, metuentes oppreſsionem, nihil hoſtile perpetrant: quibus inter Vippicham & Vdenſtadium, inter quæ caſtella caſtrametati Erfurdiani erant, per agrum ipſorum ire permiſſum eſt, ſi abque iniuriâ fieret.

Conuentus Molhuſianus. Dies conuentus Molhuſiani, ad quem Principes ſe venturos ante tres menſes receperant, iam inſtabat. Arbitri erant fratres Brandeburgij, & Heſſus: præter eos delecti vtrinq; fuerant viri decem minimè ſuſpecti, qui cauſam pariter cognoſcerent & liberas ſententias ferrent. Ante conſultationem fiebant ſacra & preces ad Deum: vt ipſe animos omnium ſuo numine ſic flecteret, vt arbitri & delecti ſalutaria ſuaderent & dicerent: & ad quos maximè cura Reip. pertineret, eadem audirent & ſequerentur. Mirum eſt, quantum Miſnenſibus & Turingis, aliiſque prouinciis ex eo conuentu ſolicitudinis ſit iniectum.

Nam

Nam meminerant priorum, è quibus plus mali acceſsit ad Remp. quàm boni. Itaque quo magis quisque ſacra, libertatem, ſuosq; amaret: eò ardentius contendebat à ſuperis, vt comitia iſta felicem exitum haberent: vtq; pax agris atq; vrbibus optata redderetur. Primo conſeſſu accuſatur ab Electoris oratore Apollonius Vicethumus: ab aduocato verò Vilhelmi, Erneſtus Comes Glichenſis, quem ad partes aduerſarias tranſiſſe diximus: quibus contentionibus primus dies conſumitur. Die altero inuicem altercantur orator & aduocatus: quorum huic adimebatur poteſtas agendi, nimirum viro Eccleſiaſtico in foro prophano: illi ex calumniâ aduerſarij, quòd vir ordinis equeſtris munere vili & ſe indigno fungeretur, maior accedebat auctoritas. Gerenſis enim dicebat ſe pro ſuo duce hominem liberum dicere liberè: Cnorrium vero (id aduocati nomen erat) pecuniâ conductum operam mercenariam locare, reliquiſſe ſuam Eccleſiam, & declamare in ſubſelliis. Intererant his vellicationibus Elector et frater eius non absque indignatione. Arbitri quoque Principes, qui aderant videntes nullum finem fore iurgiorum: ſed odio & contumeliis aliud ex alio malum quaſi ſeminari: actionem ſummi iuris dimittendam & æquitatis tractationem ſuſcipiendam iudicant. Durabant tribus ſeptimanis illa comitia: quibus tandem eò res deducta eſt, vt fratres inter ſe amiciores, quàm anteà diſcederẽt. Conditiones pacis tabulis conſignantur: ſignisq; & manibus Ducum confirmantur. Nihil nunciari poterat gratius omni populo: qui ſibi quaſi è tenebris lucem affulſiſſe inſperatam exultabat, neſcius quantum triſticiæ exiguum hoc gaudium paulo poſt eſſet allaturum. *Vilhelmus Dux Sax.*

Erfurdianis oppidum Bottelſtadium VILHELMVS oppignorat ad annos octodecim: qui alienis id committere noluit, ſed præfectum ſuum ipſis iureiurando obligauit, & pactam per eum pecuniam numerauit.

Magnum fortè bellũ ALBERTVS Brandeburgicus mouebat Norimbergenſibus, qui præter gentilẽ ſuũ omnes ſibi ſociauerat vicinos Principes, & inter hos præcipuum nec nihil ſibi debentem VILHELMVM. Legatus Norinbergiorum erat Ruthenus Grecenſis Vodlandus, vir & animo & robore militari. Captâ autem à Brandeburgicis arce Heidecciâ, & arce alterâ Lichtenâ, quæ Patricij cuiusdam propria erat: multisque & acceptis & illatis vtrinque incommodis, bellum hoc componitur. *Bellum Brandeburgij Norimbergicum.*

Annus

1450. Annus M. CCCC. L. qui more antiquo ſolennis erat, læticiæque & libertati longâ temporum conſuetudine dicatus, execrabilis & abominandus Miſnenſibus atque Turingis fuit: Comites enim Suarceburgij armis inter ſe de hæreditate diſceptantes, Duces ipſos, quorum ſub ditione erant, in communem ſecum perniciem attrahunt. Nam cum propter HENRICVM Schuarceburgium Electori FRIDERICO bellum facerent ADOLFVS & SIGMVNDVS Glichenſes: cum aliis quibusdam, vt in Friderico mox dicemus, profectus in Turingiam Elector, populationibus & incendiis eorum agros vaſtat: cumque fundis fraternis, qui pleriq; oppignerati, à præſentibus hoſtibus tenebantur, non parceret: ratus VILHELMVS iniuriam non ferendam cum ſuâ ignominiâ coniunctam, etiamſi inſtructus ſatis non eſſet; tamen prudentiâ ſibi pugnandum putans, non fratri quidem occurrit: ſed ſubitò collectas copias in Miſniam immittit: & ad ALBERTVM Brandeburgicum nunciis ablegatis, eum in ſuas partes multorum beneficiorum commemoratione pertrahit non difficulter. Incurritur primùm in terram Pleiſſenſem, & pagi circa Aldenburgum cremantur. Inuadebatur autem ea Miſniæ pars: quia cæteris fæcundior erat, vt res frumentaria minueretur Electori. Inde in Citienſem & Numburganum agrũ Vilhelmiani mouerunt, & vtriuſque oppidi incenderunt ſuburbia: nam Præſuli imprimis Dux infeſtus erat. Hoſtem tamen neminem magis oderat, quàm in Vodlandiâ Gerenſem; qui propter adoleſcentiam minùs videns, magisque confidens, contumeliosè in Ducem loquebatur. Ideò ad euertendum eius oppidũ omnes ſuas copias congregat, & delectu Torgæ habito contra ipſum educit. Verita excidium mater adoleſcentis grauiſsima fœmina, cum nobilibus matronis obuiam it Vilhelmo, eo amictu, quo in funeribus vti noſtrates ſolent, pallijs indutę nigris atque promiſsis, & dimittentes à lateribus ſolutas vittarum tænias. Admiſſa in conſpectum Ducis, verba pro tempore humiliter facit, & oratione ipſum adducit flebili, ne quid iratus committeret, cuius ipſum pœnitere poſſet. Commendatâ mulieris pietate & virtute, ab incepto deſiſtit: & in Miſniam confeſtim regreditur. Rochlicenſibus & Chemnicenſibus prædia & agros diripit, arcem Lichtenualdam & Francoburgum, oppidum antiquum, cremat. Exploratis autem fratris viribus; qui circa Lipſiam caſtra habebat, ſuosque ſocios conuocabat; cum ſatis damni dediſſet Miſnenſibus, ne à fratre opprimeretur iam ſatis in-

Bellum fraternum recrudeſcit.

ſtructo,

ſtructo, iter in Turingiam dirigit in eos agros, qui fraternæ ditioni ſuberant. Arcem Borgenam vi captam demolitur, Lobdeburgum, quod deditionem fecerat, ſeruatum donat Appollonio: in pagis finitimis pecora abigit, domos diripit, tecta inflammat. Inde omnis conuertitur impetus in ERNESTVM Glichenſem: quem ob defectionem perditum cupiebant aduerſarij, multaque totis caſtris conuicia in eum paſsim iaciebantur. Arces eius Aldeburgum & Rembda complanantur: pagi omnes incenduntur: Blanchenhaina, Ludouici Glichenſis, Erneſti fratris, arx obſidetur: oppidum incenditur: eiusque præfectus, Ioannes Blanckenbergius vulneratus vinctusque abducitur. Hæc in Turingiâ fiebant, vnâ ex parte à Vilhelmianis: ex alterâ verò inter Vueiſenſeham & Echardbergum omnia incendiis & rapinis à pago Scholleburgo vſque Tarnſtetam depopulantur præfecti Electoris. *Vilhelmus Dux Sax.*

Intereâ Boemi, quos in auxilium VILHELMVS denuò vocauerat, irruentes in Miſniam tranſitum ferro & igne ſibi faciunt: oppida Veterodresdam, Vuillansdorfium, Lomatium, Mitbedam, Dobelam, Bornam, flammis perdunt: inprimis in templa & loca ſacra debacchantur, ampla ſpolia & prædam infinitam colligunt. Boſenam monaſterium, in fundo Citienſi in colle ſitum, omnibus ornamentis ſpoliant: ſtatuas & imagines ſanctorum confringunt, aut deijciunt: in aris atque thenſis diuorum epulantur. Leniti autem pecuniâ, vacuis parcunt ædificiis. Ipſorum aduentu territus Elector, qui in agrum vſque Vinarienſem progreſſus erat, copias reducit ad tuendam Miſniam. VILHELMVS in caſtra Boemica legatum Henricum Suarceburgium mittit: qui gratias tribunis & præfectis agat, quòd ſibi abſque morâ auxilio venerint, miſsis vnà literis atque mandatis, vt legato pareant, qui ſit eos in agrum hoſtilem Peganum omni copiâ vberrimum deducturus. Legatum cum beneuolentiâ auditum alacres ſequuntur: eum Vilhelmus ſuo equitatu præuertens luſtrato vallo & mœnibus, obſidionem parat: ſociosque Boemos gratulabundus accipit. Pegam qui tenebant præſidiarij, eam virtutis & conſtantiæ ſignificationem dabant, vt ſpes capiendi oppidi hoſtibus concideret. Ideò ne tempus elaberetur, exercitum inde abducit: & copias omnes recenſet circa Eitersbergum, vt Petrum Præſulem Naumburganũ è Schleiniciorum gente ortum, à quo plurimas acceperat iniurias, vlciſceretur, & oppidum ipſum expugnaret. *Boemorum irruptio in Miſniam.*

Quam-

Vilhelmus Dux Sax.

Quamobrem multas comparabat machinas: & præfectum annonæ conſtituebat, ne commeatus deeſſet, ſi eum ſibi fortaſsè hoſtis intenderet intercludere. Numburganis & præſuli eorum ſaluti fuit, temeritas adoleſcentis Gerenſis: qui cum mordaces & contumelioſas ſcripſiſſet literas ad VILHELMVM, & in Rodenſi præfecturâ prædas cum crudelitate ageret; ita exacerbatus Dux eſt, vt poſthabitis aliis conſiliis, omnem vim belli in Gerenſem, beneficij etiam recentis immemorem, conuerteret. Miles externus inſtructo pergens agmine, diripiebat quæcunque erant obuia in agris aut caſtellis non ſatis munitis: onerauerat aliquot plauſtra campanis & nolis æneis, quas è templis abſtulerat: nullam cuiquam ſupellectilem, vt quæ ad familiæ vſus vel ad ornamenta domorum pertinuit, relinquebat. Elector, quid acturus frater eſſet, non ignarus, Gerenſi ſuccurrit, & ex alterâ Eliſtri ripâ caſtra collocat. Vtrinque in opere faciendo, & adaquandis equis & commeatu comportando, leuia prælia fiebant: in quorum vno à Vilhelmianis LVDOVICVS Glichenſis, Erneſti frater, capitur, & magnis acclamationibus deducitur in caſtra. Interea cum ſuis copiis aduentat, qui Vilhelmo ſtudebat, Fridericus Brandeburgicus: qui Vueidam vno inde milliario diuertens, cum per incuriam miles ageret, hoſpitis cuiusdam domum inflammat: ita vt dimidia oppidi pars, quia tecta lignea erant, in cineres redigeretur. Elector vel potentiam hoſtis timens, vel eum anteuertere ab inſtituto cupiens, partem copiarum mittit in Turingiam, partem terroris gratiâ in agrum Brandeburgicum. Vilhelmiani diſceſſum eius fugam nominantes, ſumunt animos: ſeque ad expugnationem Geræ præparant. Milites præſidiarij & ciues fidē iureiurando inuicē dant; ſeſeq; obfirmatis animis defendunt, cùm alia metuentes mala, tum præcipuè Boemorū furorē; itaque fortunam potius experiri, quæ ſæpè res deſperatas reſtituerit, quàm cuiusquā clementiam implorare voluerunt. In eâ inſaniâ confirmabat eos ſingularis peruicacia Gerenſis. Boemi oppidum adorti, telis & miſſilibus acriter repelluntur: qui à tribunis ſuis obiurgati, & ſpe prædæ obiectâ, ſi oppidum expugnarent, ſeſe recolligunt, ſtudentque ignominiam virtute compenſare. Quare cum ſocios in foſſa iacentes, & vulnera corporum aduerſa oſtentare viderent: alter alterum inclamare cœpit, atque incendere. In illo feruore Martis, hoſtibus incredibiliter vrgentibus, ciues iam tela deficiunt: quibus inermibus & feſſis Boemi irrumpunt: & quia non ſine clade potiti victoriâ erant, in omnem multitu-

A Vilhelmo vis belli in Gerenſem conuerſa.

Ludouici Glichenſis captiuitas.

multitudinem ſæuiunt, ne puerperis quidem parcentes atque infantulis. Adoleſcens Gerenſis in poteſtatem hoſtium venit; eiusque ſecuti partes, Comes Orlamundanus, & Burggrauius Kirchbergius, & nobiles multi, & ciues primarij. Boemi muros oppidi diruunt, & arcem, cuius ruinæ adhuc ſunt ante oculos in oppido, tùm ædificia ipſa incendunt. Plebs promiſcua, quæ in templum confugerat, ſpoliata atq; exuta rebus omnibus, miſerabiliter inter aras occiditur. Arcem montanam ex alterâ fluminis ripâ Vilhelmus conſeruari voluit. Cæſa in oppido ſunt vltra quinq; hominum millia: euerſum eſt 17. Calen. Nouemb. anno, quem ſupra memorauimus. Gerenſis, quia Principis clementiæ ſe committere noluit: & nobiles, quia ſe redimere aut detrectabant, aut non poterant; in Boemiam abducũtur: cumq; Pragæ morbo populari vehementer laboraretur, Gerenſis lue peſtilenti moritur in carcere. Tanta clades domini pertinacis imprudentiâ ciuibus illata cum eſſet, magnus terror Miſnenſibus & Turingis iniicitur: cum idem ſibi euenturum formidarent, nec fugam periculi aut finem belli vllum proſpicerent.

Vilhelmus Dux Sax.

FRIDERICVS tertius Imperator & Ditericus Antiſtes Moguntinus, eodem tempore ſuos legatos ad Duces Saxoniæ mittũt, qui de reconciliatione agant: atque ei, qui recuſet æquas conditiones, minitentur. Id non minus ciuibus optatum, quàm gratum Principibus accidit: qui quidem calamitate ſuorum populorum non delectabantur: ſed viam tamen non inueniebant, quâ ſe tanto malo, tamque exitioſo bello expedirent: neq; familiares ipſorum, quorum inſtinctu res agebatur, id fieri permittebant. VILHELMVS cum dimittere Boemos vellet, ſtipendia ſe numeraturum promiſit: prædam eos deponere atque relinquere voluit, quam non modo ex hoſtium, ſed ſociorum quoque agris, atque domibus conuaſaſſent. Auditâ poſtulatione ſtatim tumultuatũ ab ipſis eſt, & ſeceſsionem ad partem aduerſariam ſunt minati. Quocirca ne quid faciendæ paci obſtaret, Boemi placati ſunt: qui & prædam immobilem omnem, & equos hominesque captiuos retinentes, in patriam diuites reuertuntur. Lægati Imperatoris fratribus Erfurdiam vocatis, mandata exponunt: Duces hortantur, vt omni ſimultate & offenſione depoſitâ religionem & fidẽ colant: ſuis populis iracundiâ & temeritate exitium ne afferant: auctores diſcordiarũ & iniquitatis ne audiant neuè admittant: primo tempore in gratiâ & amicitiam redeant: vtq; poſt quartũ menſem Pabebergæ ſe ſiſtant: quo tempore, ſi quid controuerſũ maneat, Imperatorem, adhibitis aliis Principibus diremptурum.

Legatio Friderici III Imp. & Electoris Moguntini ad Duces Saxoniæ.

Vilhelmus Dux Sax. Interim aliter qui faciat, quique bellũ perſequi pergat, ipſum ſuæ aduerſus eũ auctoritate vſurum, tanquã qui patrię viſceribus vim inferat, & cupiditatibus iniuſtis non nouerit dominari. Mandato Imperatoris obſecuti, rurſus Numburgi de pace acturi ambo fratres conueniunt. Electorẽ ſequebatur Albertus Brandeburgicus, & Princeps Heſsiæ: Vilhelmũ Fridericus Brandeburgicus: hic tamen Friburgi manebat, ne inter miniſtros in eodẽ oppido nouæ lites aut pugnæ exorirentur. Habitis hinc inde ſermonibus inter Principes arbitros: in eo fuit concors illorũ iudicium, vt ipſi cum fratribus, & fratres inter ſe colloquerentur. Principio Electorem adeunt, orant, vt patiatur id à ſe impetrari: ad quod cũ ſponte videretur ꝓpenſus, idẽ petunt à Vilhelmo: qui, ſi placeret ipſis, ſe ꝓbare oſtendebat actionis modũ. Congreſſu primo frater alter alterũ ſalutat: Elector Brandeburgicus pauca præfatus, obſecrat, vt ſuæ dignitatis, item ſanguinis & pietatis habitâ reuerentiâ, nihil aſperè proponant, neq; iracunde diſputent: meminerint Deum pacis auctorẽ intereſſe actionibus pacificis, & ipſum delectari vt quàm maximè, mutuâ caritate & amore fraterno. Expertos eſſe iam ipſos, ſenſiſſe patriã & omnium ordinũ homines, quantum mali ſit in diſcordiâ, perturbatione, armis ciuilibus. Quod ſi vindictę ſtudiũ non coerceatur, mox ipſos neq; oppida munita, neq; arces habituros firmas: euersâ patriâ florentiſsimâ & prouinciis nobilibus, prædę tandem fore iis hoſtibus, quibus cum turpitudine eſſent ſeruituri: pœnitentiam futuram ſerã & irrecuperabilẽ, amiſsis fortunis & dignitate. Quid tractatũ porrò ſit, mandatum literis publicis non eſt; ſed concordiam ſancitã inter fratres exitus declarauit: neuè incerta aut dubia pax videretur: Elector rogatus à Vilhelmo, ne hoſpitium ſuum fugeret aut aſpernaretur, Numburgo proficiſcitur cum eo Vueiſenuelſum. Famâ vulgatâ nuncij deſideratiſsimi, dici nõ poteſt, quanta in omnibus prouinciis exorta lætitia ſit: eaq; maior fuit, quò minus ſperata accidit: dulcior etiam pax viſa eſt, poſtquã belli ærumnas populus pertulerat; qui metu periculoque liberatus, Deo pacis auctori, infinitas gratias agebat: adeò finis anni verè feſtus ac Iubilæus habebatur.

Conuentus Principum fratrum Numburgi.

Electorũ Brandeburgici oratio.

Concordia inter fratres ſancita.

In caſtris ad Geram oppidum diſſenſerat à Vilhelmo Apollonius: qui ad declinandam Ducis iram, ſpecie religionis iter ſuſcipit Romanum: quo præſente omnes affirmabant, pacem non fuiſſe factam, & ea, quæ ante Auſtiam & Neiſſam ipſe perpetraſſet, in triuiis & œnopoliis canebat vulgus. Elector diſceſſurus Vueiſenuelſo, fratrem inuitat Lipſiam ad Bacchanalia, quò ille ſe venturum recipit. Refert Æneas Siluius, Vilhelmo iter ingreſſuro dixiſſe cõſiliarios, paratas eſſe illi, & qui cum eo irent, certas

Apollonij iter Romanum.

Inuitatio Vilhelmi ad Bacchanalia.

certas inſidias: caueret, ne ſe atq; ſuos perditum iret: quibus Vilhelmus dixerit: Atqui ego libens moriar, ſi vos priùs necatos videro, qui fraternas contentiones aluiſtis. Nihil igitur moratus eorum, qui impedire ſe volebant, ſermones Vilhelmus; Lipſiam ſtatuto tempore venit. Affigebantur ab Electore mandata; ne quis hoſpitem aut re aut ſermone læderet: & ſenatui dabatur negocium cuſtodiendę diligenter vrbis atque portarum, ne quis temerè proteruus aut iniurius euaderet: legis violatori pæna capitalis conſtituitur. Vilhelmi nobilibus atque Comitibus vicatim diuiduntur hoſpitia: ipſe in arcem ad fratrem cum paucis diuertit. Qui conſcij ſibi non rectè erant, & illam concordiam non ſperârant, terreri atq; angi vehementer conſenſu fratrum, quorũ neuter ab altero totis illis diebus diſcedebat. Apparabantur conuiuia ſumptuosè, ducebantur in multam vſque noctem choreæ, equeſtres decurſiones & certamina fiebant: inter hæc fratres aſsidere, colloqui, ſe amplecti. Erant ipſorum identidẽ vicina conclauia: è quibus mane egreſsi poſt audita ſacra, conferrent conſilia, quibus intereſſe alij nemini liceret.

[...] Dux Sax.

Diebus aliquot hoc modo magnâ cum lætitiâ conſumptis, fratrem Elector humaniter dimittit: qui Lipſiâ ad conuentum Bruxianum abit in Boemiam. Ex eo ſtatim proficiſcitur Viennã, vt cum aliis Principibus & cum legatis Imperatoris ageret, de bello componendo inter Viennenſes, quos Eicingerus concitauerat, & intet ipſum Imperatorem: è quo conuentu populari pertinaciâ re infectâ diſceſſum eſt. Vilhelmo gratiæ actæ ſunt nomine Imperatoris.

Itinere illo Romano confecto Apollonius non in aulam Ducis redit, in quâ omnibus imperauerat: neque in Turingiam reuertitur, in quâ caſtella & arces adhùc poſsidebat: ſed Coburgum ſe confert in Franciam: eam præfecturam in compenſationem damnorum acceperat pro arce Roslâ, & quibusdam fundis euerſis, vt bello exacto ea tum cederet, cùm ipſa Rosla reſtituta, numerata certa pecunia eſſet. VILHELMVS præfecturam Coburgam bello iam ſedato repetit; quâ conditione teneat, admonet, ſi nondum factum ſatis ſit, ſe facturum agris prædiisque aliis. Apollonius reſtituere pertinaciter recuſat: ſibique & ſuis hæredibus præfecturam perpetuò aſsignatam, teſtimonio literarum Principis confirmat. Interea arcem Coburgicam munitiorem reddit, & commeatu inſtruit, & ſe armis defendere præſumit. Dux fraude ſecum agi intelligens, vt cauſam ſubditis ſuis exponeret, ſimulque eorum conſiliis vteretur: præcipuis conuocatis,

Apollonius Coburgum occupat.

Vilhelmi querela de Apollonio.

Vilhelmus Dux Sax. Apollonium grauiter accuſat: ſe quidem ipſi Coburgum commiſiſſe ad tempus damnorũ recuperandorum causâ, quæ in bello fecerat: ſed nequaquam ſtabiliiſſe in perpetuum. Dediſſe autem literas ſpecioſas & futuras obtentui, quibus ſimulata donatio contineretur, ne quis illi violenter adimere pignus auderet, belli præſertim tempore: Etiam fratri tum hoſti ægrè facere voluiſſe præclarâ ditionis parte, qualis eſt Coburgica, ad alios delatâ, vt eius fructus hæredibus videretur adimi. Eas autem literas dediſſe Apollonio, cui maximam omnium rerum fidem habuerit, quē aulæ ſuæ præfecerit, de quo nullam vnquam auaritiæ aut improbitatis ſuſpicionem conceperit, cui vitam & famam crediderit, quem deniq; fratri ſuo Germano prætulerit. Nunc ſe deprehendere manifeſto indicio, quanto in errore fuerit verſatus, cùm ſibi ille ditionem ambitioſè & violenter vſurpet, & teſtimonium literarum contra conſcientiam ſceleratè proferat. Magnâ admiratione auditur Princeps, accuſans eum, quem plurimi ipſe fecerat, contra quem nemo hiſcere auſus fuerat. Auditâ æquitate, *Conſilium datum Vilhelmo.* VILHELMO ſuo conſulunt, vt in Franciam ipſe proficiſcatur, & ſubditorum exploret animos, num ſpontè redire ad iuſtum dominũ velint: Ab armis omninò abſtinendum cenſent, ne Turingiâ, Vodlandiâ, Oſterlandiâ, Miſniâ, afflictis, vna illa pars Reip. adhuc intacta perderetur. Idem Vilhelmo ſuadent frater Elector, *Legatus Vilhelmi ad Apollonium.* & Princeps Heſsiæ. Primò igitur legatum mittit ad APOLLONIVM, qui eum officij admoneat: deinde cum delecto equitatu ipſe ſequitur. Conuocatâ nobilitate & ciuium magiſtris de violentiâ Apollonij conqueritur; quid pepigerit, ordinibus indicat, & quid ab iis poſtulet, exponit. Reliqua oppidula excepto Coburgo, Konigsbergo, & Hilburgo, quæ præſidia habebant, Vilhelmum dominum agnoſcunt, fidem dant, & ſe fore ſub poteſtate pollicentur. Iis præfectus relinquitur Ioannes Varila Dapifer. De compoſitione agunt cum Apollonio Brandeburgicus & Heſſus, ſuamque illi operam deferunt in Duce reconciliando. Dies indicitur Lichtenuelſum ad III. Idus Nouemb. intra eum diem, ne quid alterutra pars violenter ageret, cauetur.

Mittebantur eo tempore à PHILIPPO Burgundiorum Duce legati ad Electorem Saxonicum de confirmandis inter ambo-*Legati Burgundi à Vicethumis intercipiuntur.* rum liberos ſponſalibus. qui multo auro & precioſâ ſupellectile onuſti, ſecum habebant aliquos ex aulâ Electoris, eâdem de cauſa in Burgundiam miſſos: Hos Erfurdiæ aliquot diebus commorantes explorat, & illis in itinere tendit inſidias Bernardus Vicethumus, Appollonij & Boſonis, fratrum impulſu. Hoc autem

cur

cur fecerint, cauſam, quæ illis aut eſſe commoda aut fructuoſa potuerit, equidem non perſpicio. Itaque Bernardus legatos inter Stalbergam & Heshuſiam adoritur; & Heshuſiam vſque inſequens, de cæmeterio, quo religionis causâ confugerant, vi rapit; equos, aurum, veſtes, adimit, ipſos captiuos omnes abducit. Rumore tanti facinoris diſperſo, VILHELMVS, in cuius id factum ditione erat, mirum in modum excanduit: neue èlaberentur raptores, vias in Vodlandiâ & Turingiâ obſeruari, ſiluæ præſertim Semanæ mandat: equitesque hinc inde dimittit, qui cognoſcant, quonam eſſent deducti. Intellectum eſt tandem Capelndorfi & Leuchtebergæ, arcibus duabus eos aſſeruari: inter quos erant Abbas, & Comes Burgundicus legationis Princeps, cum quatuor & viginti miniſtris, cum quibus vnâ captiui abducti erant, & detinebantur, qui Ducis nomine eos comitabantur, Daniel Guthus, præfectus Gothanus, & cum Vilhelmo filio Ioannes Aleblumus Erfurdianus Iureconſultus, Antiſtitis Moguntini vicem tenens, vir eruditione & facundiâ clarus. Eæ autem arces propriæ Erfurdiorum erant, ſed oppigneratæ Vicethumis. *Vilhelmus Dux Sax.*

VILHELMVS re cognitâ ſtatim primos Senatorum Erfurdiâ euocat: hortatur vt illatam nomini Turingico contumeliam animis coniunctis vlciſcantur. Indigna certè vniuerſis res viſa eſt, contra ius gentium eſſe violatos legatos: contra fidem publicam captos Ducis ipſius miniſtros, eo inſuper tempore, quo vicini Principes de transactione agebant: eo loco, quo tuti eſſe maximè debebant: eâ de causâ inter facientes, quæ his prouinciis honorifica & ſalutaris eſſe poterat. Qui igitur iampridem populi, & nuper Ducis gratiam effuderant, toti iam Reip. cœperunt eſſe execrabiles.

Ingentes Vicethumi comparauerant opes, & erant è nobilitate locupletiſsimi: ideò fiduciâ clientum atque munitionum, quas in Turingiâ Franciaque habebant, in tantum inſolentiæ proceſſerant, vt duci ſuo bellum facere auderent. VILHELMVS eos declaratos perduelliones totis viribus aggredi, omnibusque fortunis & poſſeſsionibus exuere ſtatuit. Fecialem ad eosdem mittunt Erfurdiani, propter captum Aleblumum, Moguntini præfectum. Quamuis autem anni tempus importunum niuibus & frigore, deterrere eos potuiſſet: tamen quiduis potius, quàm vt talis iniuria relinqueretur inulta, ferendum videbatur. Ante omnia verò legatos Burgundicos, liberare cupiebat Vilhelmus, *Bellum cum Vicethumis.*

Vilhelmus Dux Sax. mus, ad multas ſuſpiciones vitandas, & apud ſuos, & apud exteros populos. Initio obſidentur arces, in quibus (vt dixi) legati detinebantur: tùm eorum pagi Herſteta, Heiniga, Eblebia, Sonneburgũ Struſſa, Dobriſchina, Cuttenburgum, Cambergum, occupantur: Iſſerſteta & Madela arces diruuntur: Glisbergi multis annis deſerti, & nuper inſtaurati deſtruitur turris, & noua euertuntur propugnacula. Arcem Vilhelmi Vuaſsinburgam Erfurdiani obſident, quam pignoris loco poſsidebat Boſo. Ad mœnia arcis ſuffodienda conducuntur metallici ex ærariis Islebianis, ij ſub terrâ agunt cuniculos: intereâ mœnia tormentis concutiunt quinque locis, arcem proſtratâ muri parte, & foſsis penè abſolutis poſt menſis ſpacium ipſis brumæ diebus deditione capiunt: præfectum Chriſtianum Hainam, Boſonis affinem, cum triginta aliis captum Erfurdiam mittunt, & in vincula conijciunt. Gutteram arcem eidem eripit Vilhelmus cum prædiis. Chriſtianus totos annos quindecim Erfurdiæ agens in liberâ cuſtodiâ, tandem dimittitur; & reliquum tempus in magnâ degit inopiâ. Vuaſsinburgum qui ceperat miles ditatus eſt. Nam cibariorum, frumenti, armorum, magnus inuentus numerus, nec parum auri argentique, quod in eam arcem contulerat Boſo, tanquam cæteris munitiorem. In caſtra ante Leuchtenbergam poſt triginta dierum ſpacium venit ipſe VILHELMVS: & cum Bernardo paciſcitur, Abbatem Burgundicum cum Ioanne Iureconſulto, fratris ſui legato, reddat: ipſe cum vxore & fortunis præſentibus caſtro decedat; hoſpitio Kochbergio infra arcem Rodolfſtadium fruatur, donec aliam ſedem apud exteros circumſpiciat, exilium ſuo ſibi iudicio legat. Quas conditiones ſibi præter opinionem oblatas, auidè accipit: & Principi, à quo honoratus antea fuerat, arcem tradit, & ſuppliciter valedicit.

Ditericus Schillenſtadius, qui Cappelndorfum Apollonij adhuc defendebat, cum propè adeſſe cerneret, vt arx tormentis fracta caperetur: Comitem Burgundicum in pinnis è regione caſtrorum hoſtilium collocat: quo facto, ne miſsilia & tormenta in muros mitterentur, efficit. Vilhelmum verò Erfurdianum, Ioannis Iureconſulti filium, ante pontem arcis ſtatuit, pro foſſa, quem miles quidam gregarius tenebat reſti alligatum.

Verùm adoleſcens animi generoſi, perſpectâ cuſtodis ſui fatuitate, ſe ab eo liberat: & in foſſam deſilens, tranare ad ſocios con-

tios contendit, in quem etſi tela deſuper multa iacerentur, tamen incolumis euaſit: reſtim Virgini beatæ vt liberatrici dedicat in æde Zigenhaniâ. Duo in oppugnatione menſes erant iniquiſsimo anni tempore conſumpti fruſtrà. Ideo agitur cum Scillenſtadio, captiuos dimittat: arcem Adolfo Glichenſi, Vilhelmi legato, eâ conditione tradat: ſi tranſigatur negocium cum Apollonio intra dies quatuordecim, vt eam recipiat: ſin ſpes pacis nulla relinquatur, eam Princeps retineat; ipſe cum ſuis fortunis ſaluus inde diſcedat. *Vilhelmus Dux Sax.*

Hoc modo legati omnes liberati Calend. Ianuarij anni M. CCCC. LIII. cum plauſu deducuntur Ienam: præda, quæ illis erepta fuerat, hinc inde inuenta, magnâ ex parte reſtituitur; equi nobiles dantur, & multis aliis muneribus remittuntur in patriam. VILHELMVS hoc facto laudem tulit iuſticiæ & fortitudinis: qui à Duce Burgundico illatam ſibi olim grandem iniuriam, noluit vindicare in legatis: ſed eos ſuo periculo liberauit, ne auctor fuiſſe violentiæ in ſuâ ditione perpetratæ, poſſet inſimulari. *Burgundi Legatorum liberatio.* 1453.

Non deſiſtit porrò bellum contra Vicethumos cœptum perſequi. Dornbergum ad Salam firmo adhuc præſidio tenebatur; id adiunctis ſibi aliquot in Turingiâ ciuitatibus oppugnat. In arce erant Apollonius Eblebius Boſonis priuignus, Baldaſar Vuangenhemius, Chriſtophorus Michelanus: qui fortunam cernentes ſuis complicibus aduerſam, & potentiam Principis non poſſe frangi, ſeſe dedunt, & Ducis poteſtati ſubmittunt: qui cæteris cum fuiſſent pertinaciores, ipſi mittuntur in cuſtodiam Vinarienſem: milites paſsim traduntur in carcerem. Vxor Boſonis capta cum ſex liberis fratri ſuo germano cum Vilhelmo ſentienti, & habitanti Apolledæ, traditur aſſeruanda: quæ filiorum infantium nomine ſpondebat, vt ſi ex ephebis exceſsiſſent, poſtmodò ipſi ſe fidos ac quietos fore, promitterent. Hoc illi de amicorum conſilio facienti, omnis mundus muliebris cum amplâ ſupellectile deportandus permittitur. *Belli contra Vicethumos continuatio.*

Vilhelmus domitis non parua difficultate Vicethumis, demũ intelligere cœpit, quod à patre iam iam morituro audiuerat; non ita vnũ in Reip. ordinem extollendum, vt opprimatur inferior. Nam ſi Vicethumorum opulentia habuiſſet ſucceſſum: popularis ſtatus euerſus, & Princeps redactus in ſuorum ſeruitutem fuiſſet. Sparſæ de eâdem re contumeliæ ſunt: quibus admoniti Principes, æqualitate gubernationis vterentur, nobilibus

Vilhelmus Dux Sax.

licentiam, ciuibus luxum ne permittant: iniuriam à vulgo, & ab exteris viatoribus per graſſationes aut latrocinia fieri conſuetam prohibeant: omnium hominum ordines tueantur & ament.

Coburganis deerat commeatus: qui cum durius appellarent APOLLONIVM, iuſsit eos Ducis clementiam implorare; ſe ſuis rationibus alio modo conſulturum. In eius oppidi obſidione tantùm duo homines, ex infima & vili plebe interierant. Veniam autem cum peterent, & Apollonium apud ſe amplius non eſſe teſtarentur: ſine negocio recepti ſunt. APOLLONIVS ipſe amiſsis in Franciâ & Turingiâ omnibus, cum nullam gratiæ ſpē cōciperet, & iniquos quàm plurimos haberet, magnâ vi pecuniæ collectâ in Boemiam profugit: in quo regno conciliatis ſibi amicitiis, nonnullâ cum authoritate vixit.

Apollonius in Bohemiam profugit.

Eruini Glichenſis liberatio.

Erat Coburgi in vinculis ERVINVS Glichenſis; quem Georgius Vuilsdorfius ceperat, & Apollonio commiſerat. Is à VILHELMO liberatur cum aliis multis; quos illius tumultus tempore aſſeclæ Apollonij exceperant, vel ad extorquendam ab iis pecuniam, vel ad recuperandam ſibi illorum precibus gratiam amiſſam.

Eodem tempore Nicolaus Cuſa Cardinalis, & Ioannes Capiſtranus Funiger, peragrant Germaniam, Pontificias circumferentes bullas, quibus ingentes theſauros colligebant. Iis auctoribus VILHELMVS duo cœnobia condidit: vnum Vinariæ: alterum Salzæ.

Cœnobia à Vilhelmo condita.

Inualuit tùm ille mos includendi vitris pellucidis panem, quem in cœnâ Domini populo porrigebant: quæ vitra religionis & obſeruantiæ causâ, argento multo & artificioſo circumducta, in aris ſpectanda ponebantur, circumque templa & vicos cum ſparſione florum, vt olim in ſacris ferebatur, caput matris Deûm Cybeles, cum magnâ celebritate geſtabantur.

Conradus Smetus primus flagellifer.

Erat tum quoq; Conradus quidam Smetus, patriâ Sangerhuſius: is contra ritum illum geſtandi, item contra aquam luſtralem, purgatorium, & quaſdam nundinarias ceremonias Sacerdotum, publicè dicebat: & religionis causâ ſe flagellabat: qui in ſuam opinionem non paucos è vulgo pertraxit. Accuſatus autem ad Antiſtitem Moguntinum, eius ſententia cum ſociis damnatur, tanquam eſſent contemptores Romanæ Eccleſiæ, & rituum vetuſtiſsimorum & ſacramentorum. Multi igitur rogis imponuntur: ſimpliciores notantur infamiâ & exuuntur bonis. Nondum malum latius ſerpſerat, quàm quâ Suarceburgiorum, Stolbergiorum, & Honſteiniorum ditiones patebant.

bant. Nam Aſcaniæ in Herciniis ſimul auditum atque oppreſſum eſt. *Vilhelmus Dux Sax.*

Circa idem tempus nobilitas Turingica & Heſsica, cuius duces erant Vuangenhemij & Bemelbergij, mutuas ſibi inferebant iniurias. Cùm autem Principibus conniuentibus vtrinque læderentur multi: & pars neutra ſuæ temeritatis fructum caperet: ipſi per ſe deſtitêre, alter alterum perſequi & vexare: veriti etiam, ne ſi nomina ipſorũ deferrentur, magna iis mulcta imponeretur. Erant enim ſimulatio & ſilentium Principum maximè ſuſpecta ex vtrâque parte.

Anno M. CCCC. LIV. Rex Boemiæ LADISLAVS expeditionem in Miſnẽſes meditabatur, quòd Caſtella & oppida quædam ab Electore & maioribus poſſeſſa ad ſuum pertinere regnũ diceret. Eam controuerſiam, vt iure componeretur, LVDOVICVS Bauarus, gener Electoris, & Regi cognatus, efficit. De transactione actum Pragæ eſt, cum eò fratris nomine acceſsiſſet cum aliquot Principibus & inſigni equitatu VILHELMVS: apud Regem affinitatis nomine magis quàm frater gratioſus. 1454. *Controuerſiæ Ladislai Regis cum Principibus Saxoniæ compoſitio.*

In Boemia exulabat (vt dixi) APOLLONIVS: qui technas mirificas ſtruxerat. CASIMIRO Poloniæ Regi, qui tum in armis contra Pruſſos erat, ſi victor euaderet, perſuaſerat, vt exercitũ in Turingiam mitteret: eumque diuiſum partim ad obſidendam Vueiſenſcham, partim ad vaſtandum Beſenicenſem & Salueldenſem agrum diſtribueret: Apollonius equitatum ducere Orlamundam deſtinauerat. Actum ſimiliter cum Primatibus aliquot Boemorum eſt: vt bello inchoato VILHELMVM Pragâ ne dimitterent; aut abeuntem opprimerent in itinere, ſiluis atque montibus ſepto, & ad inſidias opportuno. Polonus autem in Pruſsiâ ad Choiniciam à Cruciferis Marianis prælio ſuperatus eſt: cuius caſtra omni copiâ referta, cum à Ioanne Duce Sagano, & à iuniore Plauenſe, qui præfecti Germanis erant, diriperentur; in curru regio literæ Apollonij, quibus detectum facinus ipſius eſt, reperiuntur; quas literas ad ſe miſſas VILHELMVS, Duci Brunſuicenſi Henrico, & Heſſo Ludouico legendas dedit; conſiliumque primo tempore è Boemiâ abeundi iniit. De victoriâ Germanorum, qui nuncium attulerat, triduò detentus eſt: ne quid emanaret Pragæ, neue Germanis hoc obiiceretur in tempore gaudium. Sed VILHELMVM res non latuit, qui intelligens quanto in diſcrimine ipſe eſſet, publica ſpectacula, quibus delectabatur, vitare; & haſtis, vt ſolitus erat, amplius *Apollonij technæ.* *Polonorum clades.*

non

Vilhelmus Dux Sax.

non concurrere. Rex quidem Ladislaus, quoties templum adiret, ad Vilhelmi affinis ſui hoſpitium acceſsit: & in arcem ſuam ſæpius cum Principibus, quos ſecum duxerat, inuitauit. Aulici autem regij & optimates, multam beneuolentiæ ſignificationem dabant: quod cum temporis cauſâ fieri putaretur, quia clade Polonorum facinoroſis ademta eſſet occaſio, VILHELMVS Pragâ diſcedere feſtinat, quamuis negocium de finibus nondum eſſet transactum. Abeuntem Rex honorificè dimittit atque deducit. Delectis autem arbitris, dies alius indicitur Vratislauiá: quo cauſa denuò cognita, iudicaretur æquitate.

Vilhelmus Praga diſcedit.

Conceſſu Friderici III. Imp. VVILHELMVS nouum vectigal impoſuerat aurigis, qui è Turingiâ Iſatidem, vulgo Gnadum nominant, herbam tingendis lanis aptam, exportarent: quod cum non ferendum videretur Erfurdianis, qui maximam ex ea quotannis pecuniam faciunt; cum Vilhelmo conueniunt, vt mutet propoſitum; quod vrbi ſociæ rogatus liberaliter dedit.

Rege Ladislao vi morbi vehementis non ſine veneni ſuſpicione præter omnem expectationem ſubitò extincto, multi regnũ illud ambierunt, neq; vlli cauſa aut prætextus defuit. Fuerunt autem competitores FRIDERICVS Imperator, Reges Galliæ & Poloniæ CAROLVS & CASIMIRVS, Duces Auſtriaci SIGMVNDVS & ALBERTVS: inter quos Siluius, Nauclerus, Bonfinius, Dubrauius, numerant VILHELMVM Saxonem: de quo ne verbum quidẽ noſtri Annales à Monachis perſcripti memorare, mirandum eſt. In tàm celebri & ſpecioſo ambitu, auditis omnium ſententiis, Boemi tandem è ſua nobilitate GEORGIVM Podiebradum ex antiquâ Cunſtadiorum gente, qui regni gubernator fuerat, ad ſublimitatem ſceptri euehunt. Is cùm Vratislauienſibus & Gorliciis, à quibus reliqua pendebat Sileſia, non placeret: ad VILHELMVM Saxonem, Ladislai affinem, vnanimes reſpiciunt, quibus cum ſentiebant illi Boemi, qui à Huſsi & Rochezanæ ſectâ, cui addictus Georgius ferebatur, vehementer abhorrebant. VILHELMVS appellatus, vt & ſuo honori, & vicinorum populorum libertati conſuleret: adhortatur Sileſios ad obedientiam & moderationem: ſe regni minimè eſſe cupidum, nec ipſos ſat virium habere ad perficiendum bellum, cum ſine armis electio Georgij impediri non poſsit: eum eſſe virum induſtrium, & militarem, prudentem, gratioſum: caueant, ne ſibi malum ingens accerſant, vſi improuidis conſultoribus. Idem mox ipſe ſocietatem cum Boemo init: eiusque filio HENRICO ANNAM minorem

Competitores regni Boemiæ.

Vilhelmus regnum Bohemiæ repudiat.

norem natu filiam deſpondet: & ius poſtulationis, quod in ſex vrbibus Luſatię ſuperioris propter vxorē habebat, planè dimittit. *Vilhelmus Dux Sax.*

Eppenſteinius Baro neſcio quâ de cauſâ hoſtis VILHELMO factus, literas Vinariam plenas minarum mittit, Principe tùm temporis in thermis Badenſibus cum Alberto Brandeburgico agente. Cum autem per Rheni ripam deſcendens, attingere eius ditionem cogeretur; ne incideret in periculum, conſiliarij Ducem certiorem faciunt per veredarium: qui Argentorati iam cōſcenſuros nauim Principes ambos offendit. Literis perlectis iter terrâ ſuſcipiunt: & ab Argentoratenſibus equitatum & miniſtros impetrant. *Vilhelmo hoſtis Baro Eppenſteinius.*

Accuſabantur apud VILHELMVM duo equeſtris ordinis homines Ianus Giemo, & Lambertus Stoghuſius: quòd in Turingis & Herciniis latrocinantibus receptum darent: viatores captiuos in arce Brambergâ detinerent: ab iis pecuniam extorquerent. Re certis indiciis deprehensâ, ad eas arces euertendas cum liberis Turingiæ ciuitatibus, & cum Adolfo Naſſauienſe, Moguntini legato, Henricū Schuarceburgicum & Henricum Stolbergium mittit, initio menſis Iulij. Tentabat primùm eorum animos literis, de captiuis reddendis, & de ſatisfactione: ſed cùm quæ ſibi ſalutaria eſſent, non admitterent: arx Iani capta diruitur: ipſe per cuniculum ſubterraneum ad id paratum, euadit. Lamberti verò arx Bramberga & foſſam amplam, & commeatum abundantem, & præſidium habebat. Ideò tàm diu reſtitit, donec collis arci vicinus occuparetur: ex quo cum crebra tormenta mitterentur in arcem, & oppugnaretur ſine intermiſſione, tandem eſt per vim expugnata. Tres & quinquaginta latronum ſocij capiuntur: ex quibus nonnulli ſtatim de pinnis ſuſpenſi, alij Vinariam miſsi ſunt in carceres. Stoghuſius eiusq; fratres ita dimittuntur, vt cum omnibus cognatis ſe Gotham ſiſtant: ibique cauſam pro ſe dicant: & Moguntini, Landgrauij, ciuitatumque liberarum querelis & accuſationibus reſpondeant. Captiui aliquot inuenti liberantur: præda reliqua conceditur militi. Cum Stoghuſianis Gothano conuentu res tandem componitur: qui datâ fide publicâ dimittuntur certis conditionibus: Giemo profugus adhuc erat: qui cum in cauponâ propè Cruceburgū diuertiſſet, cum miniſtris quatuor: accidit, vt cū vno miniſtro iſtac præteriret Ioannes Bruno Vinarienſis, Vilhelmi pincerna, in Heſsiam iter facturus. Is cū adeſſe Giemonē ex hoſpite intellexiſſet: primùm dubius qd ageret, tandē & ipſe cauponā intrat: miniſtri baliſtis & gladiis ante *Duo latronum receptacula deſtruuntur.*

ingreſ-

Vilhelmus Dux Sax.

ingreſſum triclinij depoſitis, menſæ herili aſsidebant. Armis igitur eorum conjectis in cellarium, ſtricto gladio Giemonem nihil tale metuentem adoritur, capit, obligat, Creuceburgum abducit: territi miniſtri duo aufugiunt; duo reliqui cum domino capiuntur, qui ad reſiſtendum fuerant timidiores, quòd plures veniſſe cum Brunone fuerant ſuſpicati.

Interceſsio Bohemi & Brandeburgici pro Apollonio.

VILHELMVS filiam ANNAM in Boemiam ipſe deducit: nuptiæ in oppido Egrâ celebrantur. GEORGIVS Rex, & Albertus Brandeburgicus, ibidem præſentes, Saxonem orant: ut quod cum dignitate ſua fieret, iram aduerſus Apollonium & gentiles ejus conceptam deponeret, & in priſtinas admitteret poſſeſsiones. Quibus reſpondit Dux, ſe paratum eſſe gratificari hominibus conjunctiſsimis; ſed ſi cognoſcerent, quibus eſſet ab ipſo fraudibus & injuriis læſus, ipſos facilè deſtituros à petitione fuiſſe: Se tamen hoc facturum, ſi coram Imperatore, Apollonius probaturus ſit ſuam innocentiam, aut jus aliquod obtenturus contra ſuas accuſationes: ſe minimè fore durum aut pertinacem. Hæc cum ſeverè dici animadverterent deprecatores, quieſcunt: & ipſe Georgius Rex inclementius reſponſum Apollonio dedit.

1458. Anno M. CCCCI. LVII. Comitia Norinbergæ celebrantur multorum Principum frequentiâ. In iis agebatur inter cætera de conciliandis inter ſe LVDOVICO Bauaro, qui cognomento Dives appellabatur, & ALBERTO Brandeburgico, qui Onolsbachium tenebat: nam inter eos de jure & poſſeſsione loci cujusdam erat diſsidium; cujus ibi eſſet judicia exercendi poteſtas. Imperator Fridericus, qui Bauaro erat iratior, quod nullas conditiones acciperet; Brandeburgicum contra eum juvat atque armat, qui alias quoque odii in eum cauſas habebat. In caſtra Brandeburgica ipſe proficiſcitur VILHELMVS: auxilia mittunt duo Electores, Saxo & Brandeburgicus, item Magdeburgicus Antiſtes: ſocius eiusdem erat Præſul Eiſtetenſis Ioannes; ſed antequá illi opem poſſet ferre Brandeburgicus, à Bauaro expugnatur & capitur: quæ cauſa fuit, vt arma deponerentur, & illo anno quieſceretur. In reditu cum VILHELMVS in agro Pabergenſi ſtationes haberet, ipsâ nocte tantus ventorũ turbo exoritur, vt omnia tentoria euerteret, & ædificiis paſsim multum detrimenti daret.

Comitia Noribergenſia.

Bellum Alberti Brandeburgici cum Ludouico Bauaro.

Anno ſequente, qui erat M. CCCC. LIX. Albertus Bauariã iis-
1459. dem ſociis inuadit: ſed ex Principibus præſens in caſtris eius fuit nemo, præter VILHELMVM: qui cum per Franciam exercitum duceret; Georgius Pabergenſis & Ioannes Vurciburgenſis, Præſules, ſe in caſtra eius venturos promittunt: quâ re effecerunt, ne

qua

quà ipſorum diœceſibus fieret iniuria. Vilhelmo id nunciante in caſtris Brandeburgicis, creditum eſt, & excitata ingens gratulatio: verùm exercitus Præſulum aduentans rectà ad Bauarum proficiſcitur: nam alioqui non eſſent paſsi aduerſarij, vt ſe cum hoſte coniungeret. Bauarus caſtris munierat Rotam oppidum: Vuerdam verò captam tenebat Brandeburgicus: amborum caſtra diuidebat Regentia fluuius. Fiebant excurſiones & velitationes frequentes: ſed Bauarus multis rebus erat ſuperior, milite, commeatu, tormentis, loco: quamobrem Brandeburgicus ſe continuit, & pugnandi noluit facere poteſtatem: ne tamen ignauiæ atque torporis argueretur, cum & ſuo & Imperatoris nomine bellaret: arcem Helmſtenam, & oppidum Heidenhemium oppugnare decreuit: ſed non ſatis tegens ſua conſilia, à Bauaro oppreſſus caſtris exuitur. Militabant Bauaro Heluetij, Franci, Boemi, Auſtriaci. Tandem arbitri lecti ſunt Petrus Cardinalis Auguſtanus, Georgius Rex Boemiæ, Vilhelmus Dux Saxoniæ, Sigmundus Dux Auſtriæ, quem ob ditionem in Alpibus, Atheſinum nominabāt: quorum iudicio & auctoritate leges pacis conſcribuntur; quibus vtraq; pars poſt deliberationes multas acquieuit. *Vilhelmus Dux Sax.*

Illis temporibus tranſmarinas profectiones in Palæſtinam multi mortales religionis ergò ſuſcipiebant: calcatis enim Chriſti & ſanctorum veſtigiis, promittebant ſibi delictorum veniam. VILHELMVS, qui ab adoleſcentiâ tempus ætatis ferè omne armatus tranſegerat, monachorum & ſacrificorum ſuorum conſilio, ſacrum iter ſuſcipit: aſſumtis duo de centum miniſtris, partim generoſâ & nobili ſtirpe ortis, partim è ciuium optimatibus. Ex iis equeſtria inſignia Hieroſolymis deportarunt ſex & quadraginta: eodem itinere vnus tantum obiit in Rhodo inſulâ, ciuis Northuſanus. Tempeſtate periclitati ſunt bis: primùm in mari Adriatico, ſoluentes è Corcyrâ inſulâ: deindè in Illyrico prope Zaram, quam Iadar antiquitus dictam nonnulli exiſtimant. In hâc profectione menſes conſumpſit ſeptem. *Vilhelmi iter in Palæſtinam religioſum.*

Altero pòſt anno, qui erat M. CCCC. LXII. obierunt illuſtres fœminæ duæ: vxor Vilhelmi ANNA: & ſoror Vilhelmi eiuſdem nominis, Ludouico Heſsiæ Landgrauio nupta. Veneno paulò poſt extinguitur idem Landgrauius in cœnobio Hirſueldenſe: extinguitur Abbas, & quicunque vnâ cibum ſumpſerant: à quo autem paratum fuerit, nullis coniecturis neque quæſtionibus potuit inueſtigari. Vilhelmus vxorem incluſerat propter pellicem CATHARINAM, vt ferebatur: quæ eius animum à 1462. *Mors Annæ vxoris Vilhelmi.*

Vilhelmus Dux Sax. nobiliſsimâ coniuge ita blanditiis alienauerat, atque ceperat, vt poſt vxorem mortuam nuptias cum eâ celebraret III. Idus Iulij in arce Roslâ: ſacra fiunt à Friderico Antiſtite Magdeburgico, præſentibus Erneſto Electore Saxoniæ, Vilhelmo Brunſuicenſe, Henrico Heſſo. *Vilhelmi nuptiæ cum Catharina Brandſteinia.*

Bellum Moguntinum. Bellum Eccleſiaſticum ex ambitione natum erat inter duos Moguntinos Antiſtites, Iſenbergiū & Naſſauienſem: ille à collegio electus erat, hic proxima vota habens vno tantùm fuerat deſtitutus. Præfectus Herciniorum & Erfurdianorum Naſſauienſis tum erat: eique quo ad viueret, eæ præfecturæ deſignatæ erant: verùm eiecto ipſo Iſenbergius alium ſubſtituerat. Quâ iniuriâ permotus Naſſauienſis, electionem impugnat: cumq; alter causâ & ſuffragiis collegij niteretur, hic & Pontificis & Imperatoris fauore præualebat: multos in ſuam partem adducebat Principes. Ad tolerandos belli ſumptus, oppida & arces in Herciniis oppignerauit VILHELMO Naſſauienſis: quibus, cum Sigmundus Glichenſis, qui Iſenburgio addictus erat, nollet cedere; Vilhelmus adiutus Heſsi auxilio, armis ſibi Hercinios ſubiugat, non minimum commodans cauſæ Naſſauienſis: acceptos autem in ſuam clientelam Heilingſtadios, Tuderſtadios, & reliquos Hercinios, immunes eſſe à bello iubet, donec id optato alterius exitu finiretur. Arcem Roſtbergum ſolam adhuc tenebat Glichenſis, quam non operæ precium exiſtimat VILHELMVS, vi expugnare: præfectum autem tanquam ſuo ſubiectum dominatui euocat, Glichenſis cum & conatibus Principis obeſſet, & mandato non parêret, in offenſionem grauem incurrit; & niſi gentiles animum Ducis mitigaſſent: de ditione paternâ veniſſet in diſcrimen. Adolfus in eo certamine, vt gratiâ ſummorum hominum, ita potentiâ & armis ſuperior fuit.

Vilhelmus ditione Lucenburgia ſpoliatur. De ditione Lucenburgia, è qua Burgundus aſtu & armis (vt diximus) Vilhelmum eiecerat, transacta res nondum planè erat. Nam bello impeditus domeſtico, remotiora curare non potuit. Miſsâ igitur legatione, cui Rodolfus Varila, pincerna Tautenbergius præerat, cum Burgundo agit: Carolo VII. Francorum Rege intercedente, negocium componitur: & Vilhelmo, vt omni iuri ſuo renunciaret, certa pecunia appenditur. Bella igitur ciuilia (vt quantum patriæ incommodi attulerint, ſilentio prætereams) duobus potentiſsimis ducatibus gentem Saxonicam ſpoliant; Auſtriaco & Lucenburgio. De Auſtriaco dictum eſt in initio libri quinti in Henrico, Turingiæ primo ex hac familiâ Landgrauio.

Peſtis

Peſtis anno altero immaniter ſæuiit per totam Germaniam, *Vilhelmus Dux Sax.*
quæ per Cometam dicebatur ſignificata. Intra Erfurdiæ muros 1463.
obierunt octo & viginti hominum millia: VILHELMVS eâ æ- *Peſtis Catholica.*
ſtate ſeceſsit Sonnebergum in Franciam montanam, propter co-
rum locorum ſalubritatem. Sequębatur propter hyemem aſpe-
ram itidem frumenti penuria.

Erneſtus Glichenſis ciuem Erfurdianum venantem cepe- *Contentio*
rat, vnde inter vrbem & Comitem contentio. Apollonius Vice- *inter Gli-*
thumus Tanrodenſis, Erneſti auunculus, ne conſcius haberetur, *chenſem &*
publico iuramento ſe purgat Vueiſenſehæ, præſente Vilhelmo, *Erfurdia-*
& ſenatu Erfurdiano: Glichenſis à Burchardo Varilâ, ſupremo *nos.*
aulæ iudice, vocatur Vinariam ad dicendam cauſam: ſed is cum
factum inficiari non poſſet, ciuem coactus eſt reſtituere, & intra
biennium bonis venditis iuſſus ſolum mutare: tùm quòd ſociam
ciuitatem læſiſſet, tùm quòd nuper in coniugem ipſius ieciſſet cō-
uicia. Erfurdiani militem dimittunt: & Duci, qui ſociorum li-
bertatem non neglexiſſet, agunt gratias.

Aliam mox controuerſiam inter Henricum Suarceburgium,
& Henricum Stolbergium, & inter ciues Northuſanos, qui de
finibus litigabant, & ſeſe mutuò iam læſerant, ſuo arbitrio diri-
mit atque componit.

Anno M. CCCC. LXV. LVDOVICVS Heſsiæ Princeps 1465.
arma illaturus SIMONI Præſuli Paderbornenſi, auxilia à VIL- *Vilhelmus*
HELMO petit: qui mittit ad illum octodecim ſigna militū: eisq; *ſuppetias*
Sigmundum præfecit Glichenſem. Præſul Heſſo intrepidè non *mittit Heſ-*
paruâ Saxonum manu obuiam it. Cum autem ad certum prælių *ſiæ Landg.*
res ſpectaret: ne propter fines alterutrius ditio omnis perdere-
tur; miſsis vtrâque ex parte legatis pax inter Heſſos & Vueſtoua-
los redintegratur.

APOLLONIVS, Apollonij filius, Vicethumus nouas res
tacitè moliri dicebatur ad parentem vindicandum. Ea res VIL-
HELMVM non latuit: itaque Tanrodam mittit, qui eum cape-
rent: cumq; arcem ipſo non opinante inuaſiſſent; audito tumul-
tu de mœnibus proſiliens, noto itinere per tenebras elabitur.
Dornbergius præfectus exemplo perterritus, & arcem & oppidū
tradit. Dornbergum Princeps ipſe retinuit: Tanrodam vendit
Ludouico Glichenſi. Memorabile ſanè exemplum eſt APOL- *Fortunæ*
LONIVS: nam qui apud Principem fuerat præcipuus & gra- *inſtabilita-*
tiſsimus: qui opibus, amicitiis, potentiâ, maximè floruerat: qui *tis exemplū*
hominum generoſorum affinitatibus ſe munierat: is tandem a- *Apollonius.*

Vilhelmus Dux Sax. miſsis omnibus fortunæ & dignitatis, ornamentis, cum filijs & fratribus in exilio vixit atq; obiit.

1466. Altero anno mercatores Norimbergios in ſuis prouinciis capi & carceribus mandari VILHELMVS imperat: interdicit etiã ſuis, ne quis cum iis negocietur, aut cuiquam debitum æs ſoluat: donec Antonius Paumgartnerus & depoſitam pecuniam reddat, & ſibi defraudato legibus ſatisfaciat. Plebs cum eam ob cauſam fremeret, Antonius profugit: Senatus Norimbergius Erfurdianorum operâ Duci reconciliatur.

1467. *Vilhelmi expeditio in Saxon.* Poſt hoc tempus filiam CATHARINAM Friderico deſpondet Brandeburgico: nuptiæ fiunt M.CCCC.LXVII. Eodem anno rurſus duas expeditiones Vilhelmus ſuſcipit: vnam in Saxoniam, alteram in Franciam. Ducibus Brunſuicenſibus VILHELMO & FRIDERICO patri ac filio rebellabant, non ignobiles Saxoniæ ciuitates, Embeca, & Gottinga: quæ cum in ſocietatem ſuam Magdeburgum, Hildeshemiam, Brunſuigam, Goslariam, & pleraſque alias pertraherent: Duces impreſsionem veriti, VILHELMVM adeunt: cauſam exponunt: auxilia impetrant. Primum ſuos armat, & ire cum Principibus iubet: mox conſcribit militem Boemicum, qui iam ſæpius Germanis militauerat, & vſum armorum atq; opinionem fortitudinis illis temporibus habebat. Ad frangendas porrò ciuitatum Saxonicarum vires, immittit Embecenſibus & Gottinganis Quernfurdium: qui inimicitias eis denuncians, ſexcentis equitibus modò in hunc modò in illum agrum incurrebat; nec exiguam ex vrbium ſociarum agris prædam comportabat. Saxones, qui non facilè cedunt aduerſis, incommoda non curare: ſed Principibus confidentius reſiſtere, & firmiora circumſpicere auxilia: quod cum præter opinionem Brunſuicenſi accideret, ſeque hoſtibus peruicacibus quaſi vallatum cerneret: vxorem ſuam ad Vilhelmum mittit, quæ oret atque precetur, vt ipſe arma ſumens hoſtes terreat, finem bello nõ funeſtum imponat. Maxima tum erat Vilhelmi auctoritas: qui cum nouas adduxiſſet copias: ciuitates territæ conditiones accipiunt, arma deponunt, ablata reſtituunt.

Vilhelmi expeditio in Franciam. Hoc tumultu feliciter ſedato, contra ANTONIVM Præſulem Pabergenſem mouet in Franciam: copias cum Salueldiæ colligeret; Præſul animaduerſo ſuo ſuorumque periculo, legatos de pace mittit: nec belli cauſa, nec pacis formula in annalibus Neuſtadienſibus, quos hîc potiſsimum ſequimur, ſunt perſcriptæ.

Erant

Erant circa idem tempus in armis LVDOVICVS, Heſsiæ Landgrauius, & REINHARDVS Abbas Fuldanus: cum hoc Henricus Ludouici frater cum illo ſuæ ſororis filio arma iungebat VILHELMVS. Geiſam oppidum Ludouicus occupat per legatum ſuum Hermannum Riteſelium, cuius cauſa bellum ſuſceptum erat: deinde multos pagos Abbatis cremat & diripit. Fuldanus ſibi legat Ioannem Comitem Hennebergium, qui eidem poſteà ſucceſsit: is Geiſam ciuium voluntate recipit, & præſidiũ Landgrauij captum Fuldam deducit. Acceptis hinc indè damnis, vtrinque ab iniuriâ ſpontè deſiſtunt: & arbitro Vilhelmo redeunt in concordiam. *Vilhelmus Dux Sax. Bellum inter Heſſiæ Landgrauium & Abbatem Fuldanum.*

Eodem anno Facha oppidum, orto in ſuburbio incendio figuli negligentiâ, exceptis quinq; domibus, totum reſedit in cineres: diſtat autem quinq; à Fuldâ milliaribus. *Facha exuſta.*

Fiebant tum paſsim latrocinia, vt ſolent poſt bella fieri: in primis autem in VILHELMI ditione, ciues & mercatores Erfurdiani ſpoliabantur: noti auctores non erant: Culpa autem cum in duos aulicos, Rudenitium & Rapponem viros militares eſſet collata; hic ſpontè abiens in exilium fortunas: alter gladio percuſſus, vitam amiſit. Nec vulgare VILHELMI præconium fuit, quod ſocias ciuitates defenderet, & vicinis laborantibus præſto vbique eſſet. *Latrocinia in Turingia.*

Nondum ſolum mutauerat, neq; accuſatoribus reſponderat ERNESTVS Glichenſis: qui cum vario vteretur prætextu, neq; quicquam proficeret: contumaci ditio adimitur, ipſe agitur in exilium: Fratris cauſam cum Eruinus ſuſciperet: tandem in poteſtatem Ducis captus venit. *Erneſti Glichenſis exilium.*

Anno M. CCCC. LXXIV. menſe Martio VILHELMVS ad comitia iuit Treuerenſia, quæ Imp. indixerat. Eodem cum veniſſet Glichenſis exul: cauſam ſuam ita per viros Principes promouit, vt ei ignoſceretur, & vt in patriam redeundi liberam haberet poteſtatem. Iunio Menſe Sigmundo Glichenſi armenta iubet abigi, ex agro Tonnenſi, propter controuerſiam de finibus: quæ mox arbitris conſtitutis dirimitur. 1474. *Comitia Treuirenſia.*

Anno hunc ſequente Vuelsnachum in ditione Hauelpurgenſi vicum, magnus concurſus religionis gratiâ factus eſt, pueris puellabusque ita faſcinatis, vt nemo eos retinere poſſet; retenti animis deficerent. Iſenaci edictum propoſitum contra eos, qui eò migrarent. 1475.

Iactatus VILHELMVS plurimis calamitatibus, & fatigatus bellis, tàm domeſticis quàm externis; cum in fratris ſui filiis

Fridericus II. Placidus El. Sax. videret dignam imperio indolem: cumq; in altero ſummam integritatem & prudentiam, in altero magnanimitatem & liberalitatem admiraretur: tutam fore putauit ſub illorum cura Remp. Igitur ipſe ſeſe tali otio tradidit, quo & viribus ſuis conſuleret, & ſuis populis maximè prodeſſet: Conſilio præfuit adoleſcentibus, quos armauit, & eorum factis lætatus eſt, quia erant præclara & ſalutaria, cum neque virtute neque felicitate deſtituerentur. Eo igitur Principe, quo nemo minùs quietus viſus erat; qui bellis ſuæ ætatis omnibus aut præfuerat, aut interfuerat; nemo poſt id tempus quo fratris filij imperare cœperunt, fuit moderatior & tranquillior. Tanta autem æſtimatione virtutis fuit, vt paſsim vulgi ſermone iactaretur, cum Vilhelmus calcaria induceret pedi, per arcem Vinarienſem incedens, eorum ſtrepitum latè per omnes vicinas gentes exaudiri.

Vilhelmi laus.

Vilhelmi mors. Clauſit vitæ ſuæ diem XV. Calend. Octobris, Vinariæ M.
1483. CCCC. LXXXIII: quo eôdem die Torgæ, vicus Lipſenſis & piſcatorius cremantur. Idem Vinariæ cum vxore poſtremâ eſt in Franciſcano ſepultus: nam prima ad veterum Landgrauiorum tumulos Reinhardburnam deportata fuit.

FRIDERICVS II. PLACIDVS.

1411. FRIDERICVS, Friderici primi Electoris filius primogenitus naſcitur IX. Calen. Septembris anno M. CCCC. XI: quo anno propter Iudæos in Miſniâ, & propter factionem tribulariam motus fuerunt in Turingiâ.

Friderici matrimonium. Duxit vxorem MARGARITHAM Erneſti Ducis Auſtriæ ſecundam filiam, Friderici III. Imp. ſororem. Genuit ex eâ FRIDERICVM, ALEXANDRVM, HENRICVM, ERNESTVM, ALBERTVM: item AMELEIM, quam ÆMILIAM nonnulli appellant, nuptam Ludouico Bauariæ, cognomento Diuiti: hæc ſexto & ſexageſimo ætatis anno vidua obiit Rochlicij M. D. II. ſepelitur ad ſepulcrum patris Miſenæ: ANNAM, Alberti Principis Brandeburgici, dicti Achillis Germanici, coniugem ſecundam: AVRELIAM in pueritiâ mortuam: HELVIGIM Sacerdotem maximam Quedilnburgenſem; MARGARITHAM Suſelicenſem. In hâc ſtirpe enumerandâ, annales Erfurdiani deprauati; reliqui impreſsi mutili ſunt, omiſsis aliquot nominibus: Hæc ſunt quæ retulimus, è monumentis Aldenburgicis & Milnenſibus collecta.

FRIDE-

FRIDERICVS grauia ſui imperij initia habuit. Nam poſt cladem Auſtianam, & hoſtibus animus acceſſerat: & Reſp. non parum diminuta viribus, exterorum auxiliis indigebat. Curabant autem Sigmundus Imperator, & Martinus V. Pontifex; vt Boemi rebelles & ſchiſmatici ad obedientiam Regis atque Eccleſiæ cogerentur: quod ut maiore fieret auctoritate: Henricus Vintonienſis Anglus, diui Euſebij Cardinalis legatus in Germaniam mittitur: qui diris Boemos deuouens ad communem quaſi peſtem repellendam, animos Principum inſtigabat. Militem autem Italicum & ipſe ſecum ducebat: quem pecuniâ & pontificiâ & Anglicanâ, ex Sacerdotum decimis alebat. Regnum Boemiæ, cum in medio penè Germaniæ ſuperioris ſitum ſit, nulli ab eorũ furore finitimi tuti ſatis erant: & vicini Sileſij atque Miſnenſes, quid armis poſſent, iam experti non vnâ clade fuerant. Neiſam, Sileſiæ oppidum, factio Boemica captum tenebat: in quo Præſulis Vratislauienſis arx atque ſedes eſt. Ad id liberandum multis verbis Cardinalis adhortatur Electorem: eique perſuadet, facilius eſſe arcere in alienis finibus hoſtem, quàm ex agro ſuo eiicere. Ad id negocium, cum & animo & ætate promptus eſſet Elector; & ſuos ad Auſtiam interfectos geſtiret: quocunque modo poſſet, vindicare, nihil à ſe deſiderari patitur. In caſtra Sileſiorum venit Menſe Auguſto, eodem anno, quo pater ipſius è vitâ exceſſerat. Cardinalis indulgentias apoſtolicas, pontificia edicta, Eccleſiæ obedientiam, venias delictorum, ore magno buccinat: Boemos canes, ſchiſmaticos, filios Satanæ, membra putrida matris Eccleſiæ, ſponſæ Chriſti violatores nominat. Germanis ingentia cœlo terrisque præmia, etiam redimendis ab inferis, maiorum animabus, confidenter proponit; & ſecuros eſſe iubet: neuè funderetur ſanguis Chriſtianus, hoſtem obſeſſum fame eſſe cogendum ſuadebat. Boemi, qui Cardinalem nihil metuebant, & Electorem non ſatis exercitatum nouerant, illa tarditate & ſecuritate vſi ſunt ad emolumentum ſuum. Die igitur certo, eruptionem ipſo diluculo ex oppido faciunt: caſtris & impedimentis & curru ipſius Cardinalis potiuntur: nec paucos in fugâ ſternunt & interficiunt: & niſi Boemi ad prædam verſi fuiſſent, maximam hoſtium multitudinem deleuiſſent. Huius quoque cladis crimen transferebatur in Apollonium: qui Cardinali ſubieciſſet, obſidendos potius hoſtes, quàm oppugnandos. Elector in Luſatiâ ſuas copias recolligebat: vt ſi fortè hoſtes progrederentur, eis poſſet eſſe obſtaculo.

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Boemorum rebellio.

Cardinalis dira in Boemos.

Boemorum eruptio.

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Itaque cum creſcere hoſtium potentiam, vires aduerſantium imminui, & Germaniæ calamitatem imminere omnes intelligerent: communis decernitur expeditio in Boemiam, ingenti multorum Principum ſtudio & apparatu. Ipſis autem cum difficile fore videretur, copias in Germaniâ coniungere: ſuum quisq; iter tenuit, vt tribus exercitibus magis eſſent hoſti in ſolo proprio terribiles. Perſuaſum militibus erat, qui in illo bello oppeterent, pro Romanâ Eccleſiâ ſuſcepto; eorum animos beatos ſtatim in cœlum euolare. Multi igitur conducti, multi volentes caſtra ſequebantur. Saxonibus ad Oceanum habitantibus, & inter Albis ripam atque Viſurgis præerat FRIDERICVS Saxoniæ Elector: Heſſis & Francis Princeps Brandeburgicus: Bauaris: Sueuis & militi Romano, Otho Antiſtes Treuerenſis. Hi tres ſacri belli legati nominabantur, quia auſpicio Pontificis militabant. Erant autem illis coniuncti alij Antiſtites, Duces, & Præſules: qui ſua opponere corpora hoſtibus tàm impiis & immanibus ſtatuerant; & non modo prædam ex iis, qui plurimos deprædati fuerant, ſperabant: ſed præmia etiam ſempiterna, ſi quid illis humanitus in bello accidiſſet, expectabant. Superatâ ſiluâ & montibus, cum nemo ad arcendum in terrâ hoſtili occurreret (nam ipſi inter ſe diſsidebant Boemi) Duces nemine impediente exercitus ſuos coniungunt. Myſa oppidum, quod in fide Pelſinenſium erat, & Pontifici fauebat, eodem tempore capitur à Pribicone Cleuonio, copiarum Pragenſium præfecto. Ad hoc oppidum recipiendum Germani adiiciunt animos: quia facile expugnatu videbatur, & inde hoſtibus terrorem ſe incuſſuros, ſi qualemcunq; victoriam initio belli conſequerentur, non dubitabant. Pragenſes, qui tum per regnum adminiſtrabant omnia, nihil territi, alacriter ad arma conclamant; & in Germanorum caſtra irruere contendunt, quæ iam ſæpius vicerant & expugnauerant. Tanta erat in Boemo ferocia & confidentia, vt hoſtes planè contemneret, & nullam eorum metueret multitudinem. Miles etiam, quoties arma rapiebat, aut ſcuta de humeris ſuſpendebat; quaſi certum habens in manibus exitum, de ſpoliis & prædâ diuidendâ loquebatur. Aduentu Pragenſium cognito, terrore quaſi panico perculſi Germani, à Myſâ abeunt: & de reditu in patriam conſultant, & hoſtem præſtolari nolunt. Miratus demiſsionē animorum & muliebrē trepidationē Vintonienſis, iuxta Thaconiam illis occurrit, fugā exprobrat, ſumere animos viris dignos iubet: ſed neque obiurgādo neque hortando quicquam efficit. Non igitur humanum putabatur tantas copias, tamque inſtructas ad nomen tantùm Boemicum

Communis expeditio in Bohemiam.

Boemorum animoſitas & victoria.

Fridericus II. Placidus El. Sax.

micum frigere & fugere. Boemi magnâ celeritate timidos cũ inſequerentur, ipſo illo impetu Thacouiá expugnant, & diripiunt; tormenta bellica ibidem inuenta Pragam mittunt: & itinere cõtinente pars eorũ excurrit in Auſtriam, pars in Franciam, pars in Miſniá, quibus in regionibus implebant cædibus atque incendiis omnia. Inuictas eorum vires, turpis noſtrorum fuga, & inſolitus tremor efficiebat. Interpellationibus & querelis multorum permotus Imp. SIGMVNDVS, comitia indicit ad Cal. 8. Iulij Norinbergam: eôdem Pontificis nomine alius legatus mittitur Iulianus diui Angeli Cardinalis: is oratione graui & prolixâ Principes ad nouam expeditionem accendit: quid debeant Eccleſiæ, quid patriæ, commonefacit: notum eſſe hoſtem, & eius potentiam non formidandã: damna eſſe accepta aliqua, non ipſius virtute, ſed ducum lentitudine, & militum ignauiâ, & plebis fugâ: Boemos habere ipſum Deum, & omnes ſanctos iratos; quorum templa & ſacra prophanârint: diſsidere animis ipſos inter ſe, cùm non exigua pars Catholicam defendat Eccleſiam: ipſos præterea deſertores hæreticos, alium ab alio ſententiis variare, idque nouis ſubindè declarare factionibus, quod alij Thaboritas & Orphanos, alij Orebitas, alij Pichardos ſeſe nominent: ex iſtâ opinionum diuerſitate orituram breui diſſenſionem & perturbationẽ armorum. Bene igitur ſperare, & fortiter dimicare, & delere acceptam ignominiam iubet: victoriam fore eorum, qui & rectiùs de Deo ſentiant, & religionem à maioribus acceptam colant, & Pontifici Romano tanquam Chriſti vicario adhæreant. Conſtituitur & Imperatoris & Principum ſuffragiis dux belli FRIDERICVS Brandeburgicus: eum ſequuntur IOANNES & ALBERTVS filij: Dux Saxoniæ FRIDERICVS: Duces Bauariæ ALBERTVS & CHRISTOPHORVS: auxilia mittunt Præſules Francici: item qui ad Rhenum & Moſellam habitant: præterea potentiſsimæ Imperij ciuitates. Non audiuerant homines, tantas vnquam copias Germanorum fuiſſe collectas. Ducitur exercitus in Boemiam, viâ teplicenſi, qui locus à Thermis nomen vernaculum accepit. Quantus autem animorum ardor in ſuſcipiendâ expeditione fuit; tam fœdus & inopinatus conſecutus eſt exitus. Nam cùm iam propius hoſtem acceſsiſſent: tantus ſtupor confeſtim inuaſit: vt non de progreſſu, ſed de reditu; non de prælio, ſed de fugâ conſilia tractarent: & abiectis armis de difficultate euadendi propter obſeſſas vias, & ſiluarum impedimenta quidquam cogitare; hoſtem abſentẽ & nondum viſum horrere,

Comitia Norinbergenſia.

Claſſicum Iuliani Cardinalis ad bellum Boemicum ſuſcipiendum.

Noua Principum expeditio in Bohemiam, irrita ſucceſſu.

Fridericus II. Placidus El. Sax.

more belluarum palare, & latibula circumſpicere. Ducibus ipſis admirationi ea res fuit: & certo prodigio ſimile habitum eſt, ita Germanos ſuæ oblitos virtutis atque conſtantiæ. Nonnulli dicebant carminibus ereptas militibus mentes, & faſcinatos ſenſus. Cardinalis nominatim Principes obiurgabat: & nihil tale de Germanis vnquam compertum clamabat: ſed ſurdis & reluctãtibus omnia canebantur. Meruerant videlicet grauia hominum delicta tam atrox ſupplicium: & Germanis, quia ad folij ſonantis ſtrepitum animi cadebãt, magna erat timenda propter iram cœleſtem calamitas. Duæ igitur maximæ expeditiones, quibus peruagari Italiam & Galliam potuiſſent, ſine vllo planè fructu ſuſceptæ, cum dedecore diſsipatæ ſunt. Boemi id diuinitus fieri prædicantes, quòd cauſam Pontificis malam & iniuſtam, religioné eius inanem & ficticiam defenderent: ideò Germanis nec conſilium, nec vires amplius ſupereſſe, quòd iis pro hoſte Dei, nempe Romano Pontifice vterentur.

Germanorum copiæ viſæ nondum hoſte diſsipatæ.

Nullam autem gentem Boemi peius oderant Miſnenſe: & ex regione fertili ac opulentâ prædam aucupabantur. Itaq; in cómuni deliberatione ſtatuunt in Miſniam redeundum: floré nobilitatis interfectũ, multos conciſos in expeditionibus; ducem eorum adoleſcenté, nec ſatis belli expertum: plena timoris & conſternationis in vulgo eſſe omnia. Collecto igitur agmine prædatorio, anno M. CCCC. XXIX. in Miſniá irrunt IV. Cal. Octob. Principio agrum Pirnenſem populantur, & oppidum tentant: quod cum & naturâ loci, & arce Sonneſteinâ, atque præſidiis munitũ eſſet: prædâ contenti per Albis ripam deſcendunt, Veterodresdam inuadunt, & cœnobium Eremitarum ſtatim inflammant. Elector hoſtium aduentu nunciato, Dresdenſibus opitulaturus, accurrit: turrim ad pontis lapidei fontem poſitam, ne in hoſtis poteſtatem veniret, Ioannes Gunſtadius, vir equeſtris, cauerat: quam vt Boemi expugnarent, domum balnei publici ponti contiguam occupabant. Gunſtadius noctu balneum incendit, hoſtes cedere compellit, captos in Albim deturbat. Inde ſine morâ abeuntes, Cotysbrodâ vino laudatum vicum cremant, torcularia corrumpunt, vineta exſcindunt. Inter eum pagum & vrbem Miſnam, villas populantur incendiis. Procticius pagus eſt è regione arcis Scharfenbergiæ, quã poſsidet Milticiorum familia. Eius pagi incolæ pecora & armenta coegerant inter Albim & foſſam, quã ad ſui defenſioné ſubitò fecerant: quæ eos tutos aduerſus hoſté reddidit, qui, quidquid agebat, feſtinãdo peragebat.

Boemorum irruptio in Miſniam.

1429.

Cotysbroda.

Vrbs

Vrbs Miſna inprimis petebatur. Nam Præſulem Ioannem IV. qui in conuentu Conſtantienſi cum aliis Huſſum damnauerat, perditum cupiebant: tum in Sacerdotum ædibus prædæ inhiabant. Suburbium Nicolainum cum templo cremant, & vrbem ſe obſeſſuros ſimulant. Erat in eâ Ioannes Ianus præfectus, vir equeſtris, & ciuis fortis, & magnum præſidium nobilium: veriti igitur ne in vallibus illis vniuerſi opprimerentur, propoſitum exequi non ſunt auſi: quia in celeritate ponebāt omnia. Eo tempore ſedes Ducis & Præſulis in ea vrbe erat in vno colle: interiectâ inter vtriusque arcem Baſilicâ. Vrbs Miſena, qua ortum ſpectat, & flumen habet, magis patet: reliquis partibus vndique incluſa montibus eſt; interiectis tamen vallibus amœnis atque herbidis, per quas ab Auſtro Trebiſa torrens defluit: ab aparctia riuulus ille celebris, à quo primum vrbs ipſa, deinceps regio nomen eſt conſecuta. A Miſena diſceſſurus hoſtis, ne venas metallicas Scharfenbergi cultoribus fructuoſas relinqueret, puteos terra egeſta replet, & cuniculorum ora atque aditus obruit.

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Vrbis Miſenæ deſcriptio.

Hanam inde oppidum adoritur, ſed conatu irrito: erat enim valido munitum præſidio. In itinere quicquid occurrit, furioſè ſternit; & aut igne aut ferro perdit. Nullis tectis minus parcit, quàm templorum: & quamuis erat in homines omnes crudelis, tamen ſingularem exercebat in captos flamines miſſarios ſæuiciam. Agro Miſnenſe hinc inde vaſtato, ſecundum Albis ripam prædas agit, Riſam cœnobium, Strelam, & Belgram, oppida, & Torgana ſuburbia incendit; & latrocinando Magdeburgū vſq;, tempeſtatis in morem procedit. Ita enim conſternati hominum erant animi, vt nō repellere hoſtē tentarent; ſed ſalutē intra muros & arces, tanquā ſtabulis incluſa pecora defenderent. Antiſtes Magdeburgicus ſuo equitatu hoſtē aggredi nō ſuſtinuit, ſed eum ad vrbis defenſionem reſeruauit. Boemis terrori ipſe ſucceſſus erat; cumque eſſent à patria euagati longius, ante Magdeburgum conſultant, de mutando itinere: timentesque Antiſtis equitatum, ex eius diœceſi diſceſſum maturant. Collectis autem in ripa lembis & ſcaphis & compactis ratibus, Albim traiiciunt: nec minore ſucceſſu per Marchiam & Luſatiam feruntur, quàm in Miſnia & Saxonia fecerant. Loca quæ habebant præſidia, ne quid properantibus obſtaret, prætereunt: in aliis inuiolatum indireptumq; nihil relinquunt. Ante Gubam, quod ad amnem Sueuum ſitum oppidum eſt, incendunt, Veſtalium cœnobium

Boemorum crudelitas.

Boemorum progreſſus in Luſatia.

& vi-

Fridericus II. Placidus El. Sax. & vineta diſsipant: tandem etiam oppidum capiunt, direptumque incendunt. Diſsitam inde duobus milliaribus Nouocellam, Ciſtercienſium collegium ſpoliant: monachos primum excruciant ad prodendos theſauros, tum brachiis & cruribus truncant. In agrum Gorlicianum cum veniſſent; in vrbem legatos mittit ipſorum præfectus, qui Senatores aliquot euocent ad colloquiũ. Quod cum eo animo fieri ciues ſuſpicarentur, vt eos aut vitâ, aut certâ pecuniâ mulctarent: nihil aduerſum laudi iuſticiæ, quam ſeculis multis obtinuerant, ſe facere exiſtimantes Gorliciani, legatos inſutos culeis in profluentem Neiſam conijciunt. Boemi eo in loco malè accepti, ſpem certiorem de capiendâ Budiſsinâ concipiunt. nam ſcriba oppidi pecuniâ corruptus, infusâ aquâ puluerem tormentarium fecerat inutilem: quod factum cum per nobilem quendam Cotbuſium, hoſpitem Budiſsinorum, deprehenſum eſſet: ſumitur de proditore membris diſſectis, & corde in faciem eius proiecto ſupplicium: ſed ne in ſuburbia ignem inferret, numeratur hoſti mandata pecunia. Lebba oppidum ſeruari non potuit, quamuis hoſti portas vltrò aperuerint; vnde à vicinis ciues peſsimè audiebant, quaſi & religionem & libertatẽ prodidiſſent. Iſta omnia conficiebant quâdam mirandâ pernicitate, quâ inopinatos opprimebant; & inauditâ crudelitate, quâ pauorem miſeris incutiebant. Crudelitas autem eò magis metuebatur, quòd auaritiâ extorquebant pecunias, à quibus poterant: quâ partâ nihil minus in corpora ſæuiebant. Ingenti igitur prædâ aucti domum reuertuntur, & ſeſe ſpoliis exonerantes, plures in ſocietatem eiusdem latrocinij attrahunt. Duces ſibi legunt è popularibus Iacobum quendam, notæ feritatis & proteruiæ hominem, & Procopium cognomento Raſum, qui in monaſticæ ſuperſtitionis contemptum ſeſe totõderat, & ſatellites item tonſos ducebat. Redeunt eâdem viâ Pirnam, Veterodresdam, Miſenam: & reliquias ex agris auferunt: plebem & agricolas trucidant: oppida ipſa propter præſidia non aggrediuntur. Facti certiores Electorem in Oſterlandia equitatum cogere, rectà ipſi in conſpectum eunt: vel vt imparatum adhuc impedirent, aut opprimerent, vel vt prælio cum eo de ſumma rerum decertarent. Itaque Albi relicto Lomacium & Mogellam; & à latere vtroque inde Dobelam, hinc Dolam, oppida diripiunt: eaque poſt ſtupra & cædes commiſſas ritu barbarico incendunt. Brandeburgicus copias ſuas Oſchacium propè Colebergum ſitum oppidũ, quinto à Lipſia milliario perduxerat: verùm audito Boemorum aduentu, mœnibus & foſſa ſe non tutum fore ſperans, cum ipſis ciuibus

Secunda Bohemorum in Miſniam irruptio.

uibus oppidum relinquit: quod, vt cætera ſpoliatum & direptũ, immiſsis flammis in cineres redigunt. A tranſitu Mildæ fluuij aduenientes arcere voluit Electoris legatus, Ioannes Pollentius, qui anteà in Boemiâ militauerat, & arcem Pragenſem Zeuchi cuiusdam perfidiâ proditam receperat. Is cum octingentis equitibus prope Grimmam eis occurrit: & præſidiariis, qui Vurcinam tenebant, equites aliquot transmittit. Hoſtes aduentu eius nihil permoti, agmen quadratum inſtruunt, & venientem ſine trepidatione excipiunt. In annalibus Miſnenſibus perſcriptum eſt, Petrum Malticium in exercitu Boemorum fuiſſe: gnarumque rerum & locorum omnium multum iis profuiſſe, ad cruentas incurſiones & rapinam immanem. Pollentius ſiue cupiditate cæcâ nimiæ gloriæ, ſiue vſus exploratoribus non certis, hoſtem tàm propè ad ſe acceſsiſſe reſciuerat. Cum ad arma peruentum eſt: hoſtis è caſtris ſuis, quos curribus de more munierat, cum clamore & impetu maximo non expectatus erumpit. Pugnatum utrinque acriter eſt: ſed equitatus Electoris imparatus, diſsipatusque tandem in fugam vertitur: cæſi ſupra quadringenti equites: capti verò centum & quinquaginta. Eo prælio ceciderunt de primâ nobilitate Ditericus Vicelebius, cui adhuc ſpiranti oculos exſculpſerê, Georgius Vuangenhemius, Fridericus Vicethumus, conſiliarij Vilhelmi. E Miſnenſibus annotatum inueni neminem, excepto Hugoldo Sleinicio, Ioannis Præſulis Numburgani fratre: qui inter Dobelam & Grimmam ante commiſſum prælium capitur, & redimitur pecuniâ. Eo tempore cum ambobus fratribus Elector Lipſiæ erat, eiusq; ſocij Antiſtes Magdeburgicus Guntherus, & Marchio Brandeburgicus Fridericus, qui Oſchatio diſceſſerat. Rumore pugnæ infelicis è fugientibus Lipſiam perlato, trepidatum vehementer eſt: quia obſidionem verebantur. Boemi biduo morati in quo conflixerant campo, & villas hinc inde ſpoliantes atque incendentes, fore putabant, vt Elector cum ſuis erumperet, & nobilitatem vlciſceretur. Id an virtute fecerint, an ſimulatione, eſt in dubio. Simulatione factum veriſimile eſt, quia relictâ Lipſiâ in agrum Grimmanũ & Choldicium, ire pergunt; in quo ſine impedimento, quæ placuiſſent, agunt: & à Muldæ ripâ deflectentes, adoriuntur Aldeburgum. Hæc vrbs ad Pleiſſam ſita nomen terræ Pleiſſenſi dedit: olim Burggrauium imperialem habuit: eſtq; vna ex antiquiſsimis in hâc regione. Ad noſtros Principes autem quo modo peruenerit, eſt libro ſuperiore expoſitum. Oppidani aduentu hoſtis audito, cum vxoribus & liberis tecta deſerunt, & in vicina oppida profugiunt: nonnulli etiam

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Aldeburgi direptio.

Fridericus II. Placidus El. Sax. iam in lateribus ſiluæ ſeſe abſcondunt. Referta vrbs erat omnibus rebus ad victũ pertinentibus, multâ etiam copiâ rerum aliarum. Hoſtes igitur in vrbe vacuâ luxuriantur pro libito. In arcem editam ſeſe receperat nobilitas, ſed pauci nihil potuerunt contra exercitum victorem: nec erat quiſpiam, qui auxilium ferret, aut ſpem faceret, quò illi animoſiores redderentur. Miles barbarus cibo & potu multo obrutus, in templis, curiâ, domibus, omnia refringere atq; deſtruere. De imbellibus, qui neceſsitate permanſerant, per fora & vicos triumphare; nobiles in arce impetere & ſubſannare; furias & rogũ erigere in conſpectu, quibus illis minitarentur cum cruciatu pænâ, & cum infamiâ excidium. *Crudelitas Boemorum.* Parte vrbis è duobus aduerſis lateribus incenſa, vno loco in ignem diuûm ſtatuas & imagines, altero hominum ſenum atq; ægrotorũ corpora coniiciunt. Quibus omnibus inaudito crudelitatis exemplo pro libidine perpetratis, faces ingerunt in reliqua tecta: oppidum antiquum & nobile miſerrimũ in modum complanant. Erat in vrbe vna baſilica, & cœnobia tria, & ſedes Ioannitarum: in quibus omnia flagitiorum & turpitudinis genera exercuerunt: neq; vnâ nece, ſed multiplicibus cruciatibus ſuſtulerunt vtriusq; ſexus homines religioſos: quibus facinoribus ſe manibus & cineribus Huſsi parentare dicebant. *Boemorum irruptio & tyrannis in Vodlandia.* Incendebant hinc inde in agris villas plurimas, tùm Smolim & Grimmitiam oppida: in Vodlandiâ autem Vuerdam, Reichenbachium, Auerbachium, & Olsniciã. Impetu autem inprimis furioſo ibant in Henricum Plauenſem: is in carcere detinebat captum Sternbergium, Baronem Boemũ, quem dare redimendum illis noluit. Oppidum Plaua inter Eliſtrum & Siram fluuios, arcem in excelſo colle habet: huic præfectus erat Georgius Radschauerus: cum quo paciſcebantur hoſtes, vt ipſe ex arce diſcederet, milites arma deponerent, ſalui abirent: nî facerent, extrema minitantur. Spacio ad deliberandum conceſſo, arcem in poteſtatem Boemi accipiunt: nec pacti memores, deditiτios inermes crudeliter interficiunt: inter quos de nobilitate plures quàm centum necati & ſpoliati ſunt. Metu illo ſublato in ciues ferrum ſtringunt, & ſupra nongentos trucidant: in Senatum & flamines, magis quàm in cæteros, ſuâ conſuetudine truces. Octo fratres Marianos, & quatuor Dominicanos vnâ foſsâ viuos obruunt. Ædem Marianam extruxerant Burggrauij Miſnenſes, qui oppidum Plauam tenebant: templum verò Dominicanorum nobilis Chaniſiorum familia. Editâ per oppidũ cæde vniuerſorum, arcem diruunt, & tecta incendunt VIII. Cal. Febr. quo die memoriâ conuerſionis Pauli Apoſtoli celebratur.

Propter

Fridericus II. Placidus El. Sax. Erfurdianorum metus.

Propter famam tanti ſucceſſus, quem Boemi habebant, trepidari in vniuersâ Germaniâ cœptum eſt. Erfurdiani Henricum, Vuiſengerodenſem præfectum ſuum auxilio miſerant Electori Lipſiam: ij vehementer ſibi metuentes propter claritatem & diuitias vrbis, ex quâ prædam capere hoſtes poſſent, præfecti abſentis loco Ioannem Præſulem Hildeshemiū ſtipendiis conducunt, qui ab omnibus vir caſtris, quàm Eccleſiæ aptior habebatur: is cum equitatu Saxonico in vrbem venit, ſimulque ſigna peditum tria adduxit. Militi publicè dabatur commeatus in Franciſcano & Dominicano, iunctaq; ea cœnobia ſunt pontibus ligneis: Militi autem peruagari vrbem non licebat; & excubias ad portas & in mœnibus ipſi agebant ciues. Ex his Nicolaus Talmannus cum ſociis quinque transfugiens in ſiluâ Schobenfurſtâ ramis & foliis tectus, ſeruuli indicio protrahitur; & eodem die, quo captus erat, gladio feritur. Comportauêre Erfurdiam fortunas ſuas & res precioſas multi è Trebocis & Herciniis, qui nunc Buchonij & Eisfeldenſes nominantur, nec non finitimi ex Francis montanis. Reparauerunt ſimiliter ſuarum vrbium mœnia nouis propugnaculis & turribus Magdeburgenſes, Brunſuicenſes, & Luneburgenſes.

Boemorum irruptio in Franciam & Bauariam.

Boemi Miſniâ & Vodlandiâ peragratâ inuadunt Franciam & Bauariam: agrum Coburganum vaſtant: Colmbachum & Berreutam oppida incendunt: & ferarum ritu tàm in plebem, quàm in honoratiores ordines ſunt truculenti. Religioſos clauſtrales & flamines alios aut in rogos ardentes coniiciebant: aut in glaciem fluminum impoſitos, frigidaque perfuſos necabant. Gloriabantur autem, quod nouum tormentorum mortisq; genus cotidiè excogitaſſent. Norimbergenſes numeratâ pecuniâ ſeſe ab iniuriâ redimunt, & pacem impetrant. Idem faciebant Marchio Onolsbachius, Albertus Præſul Pabergenſis, Ioannes Dux Bauariæ, Fridericus Præſul Eiſtetenſis. Subitâ enim vi oppreſſi, aliâ ratione euitare periculum præſens non potuerunt. Dies alius indictus eſt Norimbergam; quo conuenirent, & de communi ſalute deliberarent ſuperioris Germaniæ Principes omnes: is erat ad IX. Cal. Maij M. CCCC. XXXI. PROCOPIVS 1431.
ingenti pecuniâ, & immenſâ prædâ ditatus, & fauente ſibi fortunâ quaſi ebrius, domum cum ſuis reuerſurus, ad Egram oppidū, religioni Romanæ addictum, ſuæ aduerſans, cum veniret; ciues pecuniam promittunt, vt agro & ædificiis parceret. Acceptâ pecuniâ, præter datam fidem, Egranis ſubiectos ſex & triginta pagos diripit & incendit: erat enim non minus hoſtili in ſuos animo,

Egra.

 mo,

Fridericus II. Placidus El. Sax. mo, quàm in exteros: vt fieri plerunque in controuerſiis religionis & bellis ciuilibus ſolet. Hæc vrbs libera aliquando fuit: quam Ludouicus Bauarus Imp. Ioanni Boemiæ Regi ſeu oppigneraiuit, ſeu vendicauit, circa annum milleſimum trecenteſimum tertiū
1313 decimum. Fuit ea hiems calida admodùm & hoſtibus oportuna. Venerunt in ſuſpicionem proditionis Iudæi, qui è ditione Principum Miſnenſium & Turingorum excedere iubentur, fortunâ tamen & vitâ incolumi. PROCOPIVS maleficio aſſuetus *Procopij ſecta.* plurimum in regno Boemico turbabat: non modò factioni infeſtus Pontificiæ, verùm etiam iis qui à ſuâ opinione diſſentirent. Nam ſecta ipſius Thaboritarum erat, cum alij Orebitæ dicerentur: & qui Ziſcham ſecuti erant, diuerſis ab vtriusque ſententiis, Orphanos ſe appellarēt, mœſto amiſsi ducis ferociſsimi deſiderio.

In patriâ autem turbulentas res videns & ſibi metuens, rurſus *Procopij Boemi irruptio in Sileſiam.* exercitum educit: & proximè irrumpit in Sileſiam: nec multum, quin Lignitium dolo caperet, abfuit. Vratislauienſes cum armatis ciuibus occurrentes, vnam ex Procopij exercitu cohortem occidunt: reliquas, quæ Nemiciam fugerant, obſident, ſed oppidum non capiunt. Reichenbachium in agro Gorlitiano pagus eſt, in quem agricolæ armenta & ſarcinulas ſuas congeſſerant, ductaq; foſsâ & vallo extructo mœnia templi, loco propugnaculi habebant. Elector Saxonicus delato ad ſe vicinorum periculo, equitatum ſuum auxilio mittit. Non enim dubium erat, ſi ex ſententiā illis, vt antea ſæpius, res ceſsiſſet, quin in Miſniam redituri eſſent, quam intra annum vnum bis peruaſerant, & impunè vexârant. Reichenbachij cum ſemel atq; iterum hoſtem incurrentem feliciter repuliſſent: Luſatij & Miſnenſes ad pagum liberandum cōcurrunt, hoſtes in fugam vertunt, caſtris eorum potiuntur. Hic primum hominibus iniecta ſpes eſt, hoſtem eſſe vincibilem: modò eſſent, qui vnanimiter & fortiter pugnarent, nec animum ante tubā abiicerent & deſponderent. Victores arma telaq; Boemis erepta, hinc inde ad amicos mittebant, ſuæ virtutis teſtimonia.

1431. Eodem anno, qui fuit M.CCCC.XXXI. obierat illuſtris fœmina CATHARINA, Friderici primi Electoris vxor, XVII. Cal. Februarij: quæ exercitum è Fribergo Auſtiam euntem fuerat comitata, vt anteà de eâ ſcriptum eſt.

Comitia Norimbergenſia. Ad diem dictum Principes cum conueniſſent Norimbergæ, quò & Imperator acceſſerat; Eugenius IV. nuper factus Pontifex, Germanos pro religione Romanâ tuendâ, ad bellum reparandū excitat: quod quò facilius ſuſciperetur, legatum etiam creat Germanum Ditericum Antiſtitem Colonienſem. In conuentu Norinber-

Fridericus II. Placidus El. Saxon.

rimbergenſi erant Antiſtes Magdeburgicus, & alij præſules Saxonici atq; Francici, item Duces Bauariæ, Brunſuigi & Marchiæ: qui penè omnes à Boemis læſi: itē Saxoniæ Elector, qui plura aliis dāna acceperat. Huic autem vexilla Eccleſiæ, auctoritate & nomine Pontificis offert Colonienſis: eidem belli ſocios ſe profitentur Ioannes Bauarus, & Fridericus Brandeburgicus. Viſum omnibus ſalutare, vt arma in Boemiam transferrentur: in quâ habituri eſſent adiutores, qui Eccleſiæ Romanæ iugum non depoſuiſſent, neq; vnquam depoſituri viderentur.

Fœderis fraterni & hæreditarij inter Electorem & fratres & Haſſiæ Landgrauium renouatio.

Renouatur eodem anno XI. Cal. Nouemb. fœdus fraternum & hæreditarium inter Electorem & fratres; & inter Ludouicum IV. Heſsiæ Landgrauium, exceptâ ditione Saxonicâ; quæ nec in fœderibus maiorum fuit comprehenſa, quia ad Imperium pertinet, nec generi tribuitur, ſed honori. Leges fœderis erant, quæ antiquitus; nempè libertas, iura, & bona communia. Summa fœderis: vt alterutra familia ſine hæredibus ſublata, altera in poſſeſsionem terrarum ſuccederet: ne defuncti teſtamentum vllo modo violaretur. In teſtamenti autem factione nihil legandū aliis præter definitam pecuniæ ſummam: nullam ditionis partē abalienandam: dotem filiabus, ſororibusq; liberaliter & ſine exceptione numerandam: Ordinibus cunctis ſeruandas immunitates & antiqua priuilegia: miniſtris dandam mercedem & conſtituta ſalaria, nihil cuiq; de ſuo iure detrahendum: donationes eſſe debere ratas & firmas. Prætereà æs alienum perſoluendum: arces aut vrbes oppigneratas primo tempore redimendas.

1432. Principum Germanicorum expeditio in Boemiam, ignominioſa.

Hæc cum peracta eſſent conſenſu vnanimi, initio anni inſequentis ad bellum Boemicum Elector ſe comparat. SIGMVNDVS frater eius conſcriptis quatuordecim cohortibus, oppidum Belinam, quod aliquando Comitum Choldicēſium fuit, in finibus Boemiæ propè Graupam (hoc quoque ad eandem familiam pertinuit) ſitum obſidet, expugnatumq; cum ipſis incolis cremat: arcem dehinc Spicebergam capit, pagos ſupra centum euertit aut incendit. Copiæ reliquorum Germanorum cum in locum deſtinatum veniſſent, duces inter ſe intempeſtiuè contendunt, quis videlicet damna accepta alteri compenſaret: tandē Elector belli præſentis dux, pro cuius finitimâ ditione bellum gereretur, non obſcurè deſignatur, qui cæteris caueret, ſi quid detrimenti acciperent. Id cum iniquè peti à ſe diceret Elector, quòd non Miſnenſiū ſolùm, ſed Eccleſiæ causâ ageretur: neq; tantum gentis Saxonicæ, ſed Germaniæ totius ſalus in periculo verſaretur: valdè aliorum animos offendit. Colonienſis per Sanctos omnes obteſtatur, vt

Fridericus II. Placidus El. Sax.

conſenſu & ope communi conſulant religioni & patriæ: de ſumptibus mentionem iam non rectè fieri: quod cuiq; deſit, ex opulento hoſte petendum: nihili faciendã pecuniam, qua ſalus & incolumitas quæratur: confecto bello, ſe cum aliis conſulturum, ne iuſta deſint præmia benemerito; nec paſſurũ Romanum Pontificem, vt priuato paucorum damno, communi cauſæ conſulatur. Dum inter ſe diſceptant Germani, crebri intereà nuncij in caſtra perferuntur, hoſtem prælij cupidum inſtructâ acie aduentare: quod cum certis auctoribus conſtaret, Bauarus noctu caſtra mouet, & impedimenta relinquit, quibus diripiendis hoſtes retardarentur, vt tutius fugeret. Idem facit Brandenburgicus. Deſertus à ſociis Elector, & hoſti impar, etiã ei tergum vertere cogitur: cuius currus in ſiluâ Boemicâ ſpoliãtur à Brandenburgicis. Henricus Suarceburgus ipſius legatus, factus certior de ipſorũ iniuriâ, indignatur grauiſsimè: & ſuis animũ addit ad repetendam rapinam: depre-hẽſos aliquot ſuâ manu iugulat, aliquos ſuis ſatellitibus ſuſpẽdẽdos tradit. Amiſit Elector currus mille & ducentos, tormenta curulia diuerſi generis centum & quinq;, multa arma, & commeatum abundantem. Colonienſis Norimbergam celerrimè contendens, Principum fugam ignominioſam Imperatori exponit, cum deteſtatione cupiditatis & perfidiæ: neq; Elector, quid ſibi obtigerit, diſsimulat: ſuum animum ſemper fuiſſe rectum & ſtudium voluntarium: ſed ſe obiectum hoſti, & ſpoliatum ab amicis: obliuiſci ſe dedecoris & damni: ſed dolere Reip: nomine, nihil expectandum ſibi, quàm nouam in ſuas terras irruptionem. Quamobrem Imperatorem rogat, oratq;, vt cum publicâ causâ ſuã quoq; ſuſcipiat defendendam. Expeditionis autem illius expectatione Ludouicus, Auſtriæ dux, in Morauiam vſq; proceſſerat; vt ſi qua ſpes fortunæ lætioris ſe oſtenderet, ipſe pariter hoſtes adortus, eorum vires, quibus pugnandum diuerſis in locis foret, debilitaret, & cæterorum Principum victoriam adiuuaret. Diſceſſu dictorum modò Principum liberati periculo maximo, Boemi, ad Auſtriacũ repellendum feſtinant: quorum ille aduentũ expectans, locum caſtris idoneum capit, & aciẽ inſtituit. Hoſtes celeriter & confusè & iniquo loco cum ipſo congreſsi, facilè in fugam coniiciuntur, & ex iis cæduntur cohortes decem; mox ad Cromenam vſq; oppidum eos palantes inſequitur. In id oppidũ cum ſe maxima pars recepiſſet, obſidionem eius molitur. Boemi & de clade ſociorum, & de Cromenæ obſidione intelligentes, cũ nullius hoſtis præſentiâ impedirentur, occiſos ciues vlturi, & vrbem ſociam liberare aduolant: quos cum multitudine confidentes & furore rabidos, audiret in armis eſſe Dux Auſtriacus, expectare

ctare ipſos noluit: & Principum cæterorum ignauiam ſua cœpta impedientium vehementer accuſauit. *Fridericus II. Placidus El. Sax.*

Boemi laceſsiti tertiò in Miſniam irrumpunt: actiſque per prouincias Vodlandiam & Pleiſſenſem prædis, eam Oſterlandiç partem, quæ ab ipſorum armis immunis fuerat, inuadunt. Imperator Bauaro perſuaſerat, vt ſuas copias denuò coniungeret cum Electoris copiis, qui quidem nullum pro Rep. vnquam detrectaſſet periculum, & cuius prouinciæ præ cæteris eſſent protritæ & exhauſtæ. Ad Taucham oppidum, quod nunc Haubitiorum poſsidet familia, inter Lipſiam & Illeburgam ſitum, caſtra Boemi locant. Militem Saxonicum & Bauaricum Lipſiâ educebat Electoris legatus: quem in conſpectum datum ipſi hoſtes ferociter ſine morâ aggrediuntur. Initio conflictus Bauari ſtationem ſuam deſerunt: Saxones aliquandiu ſuſtinentes cæduntur: è Bauaris captus nemo, quia fugâ maturâ euaſerant: è Miſnenſibus & Turingis multi, à quibus grandis eſt pecunia extorta: Taucha euertitur, & mœnia complanantur, quibus ante annos ducentos & duodecim Albertus Magdeburgicus illud oppidum munierat: rudera adhuc ſunt ante oculos, & via ampla ſilicibus ſtrata. Factum hoc eſt anno M. CCCC. XXXIII. Elector ſupplementum Lipſenſibus mittit, & ciues forti eſſe animo iubet: ſe propediem cum equitatu affuturum, & maleficium ab ipſorum agris & mœnibus prohibiturum. Boemi eo quo venerant itinere, domum feſtinanter redeunt. *Boemorum tertia irruptio in Miſniam.* 1433.

Irruperant quædam eorum cohortes in Bauariam: qui circa Nappurgum & Suarcehouium ſpoliabant villas, & ab ijſdem oppidis extorquebant, ne ignem in tecta inijcerent, pecuniam: idem antea Rottingi, Vualdebachi, Reichenbachi & Nittenauiæ fecerant. Cum autem Hildersritam veniſſent, in colle quodam caſtra metantur: quia Bauarum in armis eſſe, & ſe aſſectari videbant: qui collectâ virorum fortium manu, vt ſuos populos metu liberaret, & hoſtes è patriâ eijceret, cum iis ad pugnam deſcendit. Boemi nihil territi caſtra ſua defendunt. Signifer Bauarus primo aditu globo traiectus, terrorem ſuis incutit: quo proſtrato ſignũ corripit Fridericus Volfenſteinius: quem ſecuti Hindico Pflugus, Ducis legatus, & Vlricus Vuartbergerus aciem inſtaurant. Bauari fortiſsimè pugnantes hoſtem in fugam coniiciunt: prædâ potiuntur, caſtra incendunt. In cœnobio Caſſellenſi dicuntur extare inſignia huius prælij monumenta, quod commiſſum eſt XI. Cal. Octobris. *Boemorum irruptio in Bauariam.*

Anno hunc ſequẽte Iunio Menſe horrẽda obſcuratio ſolis fuit: 1434.

Fridericus II. Placidus El. Saxon. Octobri ſtella crinita effulſit: Eclipſin ſequitur inundatio fluminum: Cometam penuria quinquennalis.

Obiit anno eodem HENRICVS Electoris frater, magnæ ſpei Princeps.

Güntherum Antiſtitem eiecerant Magdeburgici: quo abſente & circumſpiciente auxilia, tumultuantur Halenſes. Antiſtes exul, primum ad fratrem Sunderhuſiam (erat enim ex Comitibus Suarceburgi) inde Baſileam, quò indictum fuerat concilium, proficiſcitur. Suſcitatis Principum vicinorum armis, qui Antiſtitis vicem dolebant, & petulantiam ciuium reprimendam *Halæ obſeſſa.* cenſebant: Saxo & Heſſus Halam obſident Cal. Maij M. CCCC. XXXV. in quâ obſidione puer à curâ Electoris, ad ipſius latus 1435. globo ſaxeo traiicitur. Diuturna fuit viſa, & periculoſa expugnatio. Ideò ſolutâ obſidione, exitus aditusue ciuibus ſociiſque intercluditur. Arcem Gibechenſteiniam Saxones & Heſsi; Eglenſem occupant Suarceburgius & Honſteinius Comites; qui inde excurrentes, multa intulerunt damna Halenſibus. Conduxerant hi trecentos equites ex Herciniis: ſed antequam in vrbē venirent, fugati & diſsipati ſunt. Halenſes interclusi & deſerti, & ſpe omni ſubſidij ſublatâ, gratiam Antiſtitis implorant, duobus vſi precatoribus Ioanne II. Præſule Merſburgico & Comite Anhaltino: iubentur reſtituere, quæ abſtulerant, reparare, quæ auerterant: quæ autem violata aut prophanata erant, numeratâ pecuniâ, cóſecrabat Antiſtes. Apud Pontificem & Imperatorem culpam ipſorum deprecatur Albertus Burggrauius Norimbergicus, cui ſumptus præbebant ad eam actionem neceſſarios Magdeburgici, qui ſocij defectionis fuerant.

Anna ſoror Electoris nubit Heſſo. Renouato, vt dixi, confirmatoque mutuæ fraternitatis fœdere, Ducum Saxoniæ ſorori ANNÆ, Heſſus fidem matrimonij obligat: cui cum anteà deſponſata eſſet Philippi Comitis Naſſaenſis, deinde Adolfi Ducis Cliuenſis filia, promiſſam vtrique, ſi mutaret conditionem, numerat pecuniam. Sponſalibus confectis, per Saxoniam, Miſniam, Oſterlandiam, Vodlandiam, Tu-1436. ringiam, Franciam, Heſsiam, euntes Principes; à nobilitate & reliquis Ordinibus fidei ſacramentum accipiunt. Altero pòſt anno in fine menſis Auguſti, puella ſponſa à Sigmundo Electoris fratre Caſſellam deducitur, magnifico apparatu, tantoque nomine & ſplendore digno. Idem Landgrauius Comitatum Zigenhanium & Niddanum; Henricus eius filius Cattimelibocenſem & Dietium, mortuis hæredibus iuſtis, ad ſuam ditionem adiungunt.

Inter

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Inter Sacerdotes Naumburganos & oppidanos, propter iura ſuburbij, quod aſyli loco habent, tumultus ortus eſt: quē cum Petrus Præſul ſedare non poſſet, Elector à ſuburbanis iuramentū poſtulat: ciuibus quoq; iratus erat, quòd Magiſtrum, vt vocant, tormentorum cum globis & puluere contra ſuum Antiſtitem miſerant Halenſibus.

Frauenſteinia arx obſeſſa.

Anno M. CCCC. XXXVIII: in fine menſis Iulij obſidetur arx Frauenſteinia in finibus Boemiæ, quæ ſedes olim Burggrauiorum fuit, tunc poſſeſſa à Diterico Vicethumo, qui Electori rebellis erat, & exercebat latrocinia: eum per præfectos ſuos capit: qui cum auium, achantidis, frangillæ, ciconiæ cognomina haberent, iocus vulgo manſit, vt nidificaſſe hæ aues Frauenſteini dicerentur. 1438.

Alberti Auſtriaci Imp. bellum Boemicum cum Thaboritis.

His temporibus ALBERTVS Auſtriacus, poſt obitum Sigiſmundi, Rex Vngariæ & Boemiæ creatus; omnes ſuas cogitationes ac ſtudia conuertit ad ſedandum inter Boemos bellum inteſtinum. Cumque à Germanis Imperij quoq; dignitas ad ipſum deferretur: polliciti ei Principes ſunt tam contra domeſticos, quàm externos hoſtes auxilia. Thaboritæ potentiſsima Boemorum factio, cumprimis Alberto aduerſabatur, & Caſimiro Regis Poloniæ fratri fauebat: cui cum ſpem regni feciſſet, duo millia equitum Polonorū ſui præſidij cauſâ impetrat, nec non militem ſtrenuum & latrociniis exercitatum habebat. Re intellectâ, Principes Germaniæ, qui nouo Imperatori coronam de more ferream Aquiſgrani impoſuerant, ad Polonum legatos mittunt, qui hortentur è regno aliquò vt ſuas copias educat: nec maiorum diſsipationum auctor eſſe velit: alioquin ſe ſuſcepturos Imperatoris & finitimorū defenſionem. Polonus dimittit legatos ſummâ cum humanitate: ſed ambitione ductus, aliud oſtentat Imperij legatis, aliud ſuæ potentiæ amplificandæ causâ agit. Palatinos Sindomirienſem & Poſnanienſem cum delecto equitatu in Boemiam anteà miſerat; quibus iam legatum tertium adiungit Henricum Praſconem, cum iuſto exercitu. Nauclerus tradit millia quatuordecim Polonorum in Boemia militaſſe: in agro Pragenſe miles externus agebat pro libito: quem inde fugatum Coloniam compulit Imperator ALBERTVS: prope quam cum à Georgio Podiebrado pars equitatus Alberti cæſa eſſet; & altera miſſa ad recuperandam Morauiam abeſſet: magnum ſubiiſſet diſcrimen Imperator, niſi cum equitatu Miſnenſi & Saxonico Elector tuliſſet ſuppetias. Igitur cū Thaboritæ & ab Imperatore & ab Electore impugnarentur, ſuas vires cum Polonis coniungunt.

Albertus

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Albertus excellenti virtute, ne timore ſuo augeret hoſtium audaciam, proximè eorum ſtationes caſtra admouet, & hoſtem ad pugnam prouocat. Fiebant leuia prælia multa ab excurrentibus: & in terrorem aliorum nulli capto parcebatur. Germani cùm annonæ & commeatus difficultate premerentur, & impatientes inediæ atque moræ eſſent, prælium depoſcunt: cumque contineri non poſſent: Elector aciem inſtruit, & quid hoſtis animi viriumue habeat, vult experiri. Erat cum Alberti imperio mutata fortuna: & cùm ipſe nullum trepidationis metusue ſignum daret, milites etiam facti ſunt animoſiores Cum elicere ad certamen Polonorum neminem poſſent: tormenta in ipſorum ſtationes immittunt: cladem que eis ingentem adferunt. Et niſi oppidi mœnibus recepti eſſent: abſque armis fuiſſent interfecti & deleti omnes. In caſtra Germanorum delata cibaria ſunt: Poloni verò prohibiti pabulatione, & laborantes penuriâ, & exhauſti pecuniâ, & equorum maximâ parte amiſsâ, abitum meditantur. Itaque captato tempore, in fugam ſe conijciunt: in itinere excepti & trucidati multi, pauci domum egentes & ſpreti perueniũt. Eiecto è Boemiâ, armis & auxilio Electoris equite Polono; eius fidem Imperator ſingulariter commendat: præmia tribunis aliquot diſtribuit, & cum honore multo poſt tertiũ menſem ipſum cum comitatu ſuo dimittit: addit prætereà duces itineris, qui tutum ad fines vſq; regni deducant & comitentur.

Polonorum clades.

Sternbergij bellum cum Friderico Electore.

Sternbergius & Detſchenſis reputantes, ſe nactos occaſionem, qua magnũ ſibi inter ſuos populares nomen parerent: nuncios ad Satienſes & Lunenſes celeriter amandant: de ſecuritate hoſtium edocent, & ad armorum ſocietatem euocant: ſe occurſuros equitatui Saxonum & Miſnenſium, quem toties in ipſorũ patriâ fuderint: propoſitam ſpem victoriæ certam, prædam expectandam grandem, gloriam parandam inter ciues eximiam: hoc hoſte profligato aut capto, neminem exterum auſurũ amplius ingredi in Boemiam: moram fore pernicioſam teſtantur; conſilium cœptum eſſe cautum & prouidum. Impetratis iis, quæ optârant à duabus illis ciuitatibus; cum ſex armatorum millibus agmen Electoris in agro Brixiano prope pagum Selnicium adoriuntur. Animaduerſa hoſtili audacia, non parum animo Elector commouetur: cumque ſuſpectos haberet Boemos, Ianchugium ducem itineris minabundus appellat, exprobrans illi gentis perfidiam: ſe ærarium exhauſiſſe, ſuos ciues adduxiſſe, ſuum corpus oppoſuiſſe ad defendendam regni Boemici dignitatem & libertatem: nihil conſecutum tot tantisque meritis, niſi vt pro-

ditione

ditione extinguatur cum ſuis. Ianchugius cum irato reſpondiſſet ex ſententiâ, nullumque facinoris dediſſet indicium: Elector perſpectâ ſociorum fide Saxones & Miſnenſes ad pugnam adhortatur, & inſtruit: qui etſi hoſtibus erant longè inferiores, animis tamen & virtute fractiores non erant. Equitibus præcipit, vt arma expediant, & tormenta in hoſtem intentent; tum diuiſo in duas acies exercitu, alteram ipſe ducit: alteri præfecit Vilhelmum Brunſuicenſem: Schonbergio autem tribunisq; aliis dat negocium, curent, ne à tergo quis hoſtis inuadat: iubet eſſe omnes animo præſenti & intrepido: propoſitam videlicet eſſe aut victoriam præclaram, de quâ non dubitet: aut interitum turpē, & ad omnem poſteritatem duraturam infamiam, niſi vltis prius hoſtibus oppetant: ſe daturum aliis exemplum, quid facere tali in loco oporteat, quid neceſsitas fugiendi dedecoris & turpitudinis flagitet. Nemo non viſus paratiſsimus ad confligendum fuit. Tormentarij ad currus Boemorum, quibus circumuallare caſtra conſueuerant, accurrentes globos confertim emittunt inſecuti equites reliqua obſtacula refringunt: quibus ſuperuenientes pedites in caſtra hoſtilia nitendo irrumpunt: Sternbergius, qui ſuis præſtò vbique erat, in conflictu capitur: Elector inſigni victoriâ potitur IX. Cal. Octobris M.CCCC. XXXVIII. De ipſius exercitu, vt conſtanter traditur, ſexaginta tantum homines amiſsi: Cæſa autem Boemorum duo millia: capti mille & octingenti, vt annales noſtri teſtantur. Dubrauius ſexcentos occiſos captos & abductos in Saxoniam quingentos ſcribit. Hæc erat altera victoria ad Bruxiam à noſtris ducibus parta: priorem ante annos ſeptendecim conſecutus erat Electoris pater. Huius fama quò eſſet illuſtrior per ſingulas ciuitates, & oppida captiuos Elector diſtribuit: Miſenæ, Fribergi, Chemnicij, Zuiccæ, Aldenburgi, Lipſiæ turres & carceres replentur. Sternbergius Rochlicium mittitur, cui cum eſſet conceſſa liberior cuſtodia, ex eâ euadit: ſed antequam fines attingeret patrios, è fugâ retrahitur. Vulgus partim interit fœtore carcerum, partim imponitur rogis: nam quibus cruciatibus & pœnis noſtros affecerant, iiſdem ipſis pereundum aliquot in vrbibus fuit, præſertim iis, qui maiorem cæteris cladem ab eâ gente acceperant. Redimendi autem ſui Elector nulli poteſtatem conceſsit: quod ab illis contra morem militarem ex inſidiis ſibi vim factam diceret. Atrox igitur & temerarium conſilium, quod in noſtros Sternbergius intenderat, in caput ipſius & ſociorum recidit.

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Sternbergij captiuitas. 1438.

Pœna talionis.

His

Fridericus II. Placidus El. Sax. His geſtis Boſo Vicethumus, Vilhelmi conſiliarius, ire in Auſtriam cum Imperatore iubetur ad conficienda ſponſalia cum filiâ Imperatoris, quam VILHELMVS ſibi deſponderi cupiebat.

Hetſtetæ expugnatio. Arx in Herciniis Hetſteta duobus ab Islebiâ milliaribus à Saxone & Heſſo intra paucos dies expugnatur: præſidiarij ad vnum omnes occiduntur: ciues in eâ vinculis detenti liberantur: vnde id latrocinij causâ eſſe factum coniicimus: nam annales aliud non narrant. Cum Hetſtetenſibus vel ſenſerant vel eorum complices hoſpitio exceperant Halberſtadij, Quedilnburgij & Aſcanienſes, hos nunc Aſcherslebios nominant: quorum ſingula oppida vndecim millibus nummûm mulctantur. Per agrum etiam Aſcanienſem prædabundus ducitur exercitus.

1439. Anno M. CCCC. XXXIX. FRIDERICVS, Baldaſaris Turingi filius obit: eius prouinciæ ab Electore & fratre ipſius occupatæ: populus & nobilitas iuramento obſtricti. Secuta ſtatim exactio eſt: quæ quia inſolita fuit, grauis admodum in vulgus viſa. Renouata itidem res nummaria; percuſsi nummi cum capite Iudæi pileato, quorũ viginti aureo valerent Rhenano: tum nummuli dicti Lansbergenſes, quorum ſexaginta eundem aureũ precio æquarent. Id autem factum eſt, quia Friderici negligentiâ omne genus nummorum minùs proborum, in has prouincias importatum erat: exteri omnes edicto exterminati ſunt, exceptis Boemicis. Latæ ſunt itidem Leges ſumptuariæ & veſtiariæ.

Bellum Vurciburgicum. SIGMVNDVM Electoris fratrem, factum Præſulem, repudiabant Vurciburgij: ciues eum accuſabant malæ adminiſtrationis: collegium profuſionis & negligentiæ: æmulus eius Godfridus cognatione patriæ & fauore Imperatoris erat gratioſior. Vilhelmus arcem Vurciburgiam, vrbi imminentẽ, tenebat cum præſidio: Elector coacto Salueldiæ exercitu Ochſenfurtum parat obſidere. A collegio vocatus in auxilium Marchio Brandeburgicus, Electoris conatus impediit: cumq; Miſnenſes & Brandenburgici, non procul à Mœno, caſu concurriſſent: quia neutri adeſſe alteros tàm propè nouerant: facto prælio multi ex vtraq; parte ceciderunt: ea clades effecit, vt de pace ageretur: quâ factâ Elector è Franciâ abiit: Vilhelmus arce ceſsit; Sigmundus dignitate: huic in patriam reuerſo certa pecunia annua in ſumptus numeratur.

1440. *Friderici controuerſia cum Antiſtite Magdeburgica.* Anno M. CCCC. XL. ſeditionem Magdeburgenſem compeſcuit: & ſacerdotes, à ciuibus expulſos, reſtituit: quæ controuerſia non durauit vltra menſes tres. Accidit vt inter Antiſtitẽ Fridericum

dericum & ipſum alia naſceretur controuerſia: cui Elector facturus bellum, exploratorem mittit in aulam ipſius, qui de conſiliis & apparatu cognoſcat. Is nullum militem conſcribi, & nihil bello oportunum parari lætus renunciat. Elector interrogans exploratorem, num de ſuo apparatu audiuerit Antiſtes? reſpondit, nemini eſſe obſcurum quid moliatur: ſed dixiſſe Antiſtitem, ſe functurum officio ſuo, & totum belli negocium, quod ſibi intendatur immerenti, Deo commiſſurum, qui arma pro ſe ſumpturus ſit. Tum Electorem dixiſſe ferunt: Abſit hæc à me inſania, vt illi bellum inferam, qui pro ſe defenſorem Deum aduocat: & ita armis abſtinuit. Dubium ſanè, vter laude dignior ampliore ſit: Antiſtes, qui Dei patrocinio præclarè fiſus bellum propulſare nõ curauit: an Elector, qui nomen Dei ſanctè reueritus, iam ſuſceptum etiam depoſuit. *Fridericus II. Placidus El. Saxon.*

Magnæ fuerunt tempeſtates in Saxoniâ, cum calamitate agrorum: æſtate quoque mediâ frumentum in agris frigore periit; quod cum aliis locis non fieret, præter Albi vicinis: deprehenſæ ſunt in diœceſi Vitebergenſi anus maleficæ, quæ id incantationibus effecerant. Hæ quæſtionibus ſubiectæ, multas facinoris participes prodiderunt, quas Magiſtratus alligatas ad palos viuas cremauit.

VILHELMVS, Electoris frater, vxorem ducturus deſponſam ſibi defuncti Imperatoris filiam: diuidi prouincias inter ſe & fratrem voluit. Varia agitata conſilia ſunt de modo diuidendi: tandem in eam itum ſententiam eſt, vt minor natu VILHELMVS æquum vtrinque ſtatueret: FRIDERICVS natu maximus optionem haberet. Conuenire de æquitate non potuerũt: iuſſi autem è nobilitate & ciuibus ſunt viri primarij id tractare negocium: iuſſi ſunt tres Præſules, Miſnenſis, Numburganus, Merſburgicus, adiunctis abbatibus, qui in tutelâ Principum erãt: ſed omnis tractatio irrita, & labor inanis fuit. Nam quò diutius rationes conferrent, eò magis animi fratrũ diſtrahebantur. Culpa in vtriusque familiares translata, quòd iuſticiæ & tranquillitati minùs ſtuderent, quàm ſuis opibus & auctoritati. Mirum verò fuit omnium ordinum ſtudium, in retinendâ pace publicâ, & in conciliandis fratrum animis: ideò quæſitæ rationes ſunt, quibus id ſine acerbitate inter fratres, & ſine motu in Repub. fieret. Hæc quidem erat bonorum voluntas & ſententia, qui publica cum ſuis ſeruari ſtudebant. Sed qui ex publicis priuata captabant commoda; illi vt aſtutiâ & malitiâ, ita auctoritate plus valebant. In amborum igitur aulis feruebant odia, ſimultates, inimicitiæ: *Vilhelmus prouinciarum diuiſionem petit.*

Fridericus II. Placidus El. Sax.

dumq; ſui quisque domini ingenio aut cupiditati obſequeretur, intercluſa æquitati & moderationi via eſt. Hic in conditionibus culpabat prodigalitatem in alterum: ille aut oppidi, aut ſiluæ, aut fluuij alicuius amænitatem diuitiis anteferendam cenſebat. Erant præterea contentiones non modicæ cum de metallis, tùm de agris. His vberior & fructuoſior ferebatur Turingia: illis magis ferax & ſplendida Miſnia. Erant de hominibus imperio ſubiectis, quòd alij aliis locupletiores, fortiores, copioſiores: erant de tutelâ Pręſulum, Abbatum, & aliorum primatuum: qui potiſsimum patronus fieret eius, de cuius gratiâ aut poſſeſsione vel amplior haberetur, vel maiora ſperaret emolumenta. Hæc prudentiores cum animaduerterent, nec inter ſe poſſe componi res tantas viderent: adhibiti in conſilium ſunt cognati Saxoniæ familiæ Principes, & ex aliis vrbib. & rebuſp. delecti homines ſpectati: quibus deliberandi locus eſt conſtitutus, Halis Saxonica, quæ ꝓpter ſitum parti vtriq; oportuna; propter dominatũ alienum magis tuta, minus habita ſuſpecta. In Franciſcano congreſsi, rebus vtrinq; pertractatis, cõmittitur cognatis Principibus arbitrium: ij Friderico, vtputa, Electori aſsignant Saxoniã & Miſniã, exceptoq; Fribergo; ex quo parem ambobus fructum relinquunt, decimas ex metallis: præterea Schellebergum, Chemniciũ, Aldeburgum, Zuiccam, quæq; ad eas pertinerent præfecturas: in Oſterlandiâ, Torgam, Delicium, Lipſiam cum minoribus aliquot oppidulis: Vueidæ oppidi in Vodlandiâ partẽ aſsignant dimidiã: pro alterâ redimendâ, duodecim aureorũ millia ſoluat, aut ſuâ parte ꝓ eâdem pecuniâ fratri cedat: addunt Borgenã propè agrum Ienenſẽ in Turingiâ propter vineta. Vilhelmo deinceps totam aſsignant Turigiam: & in Oſterlandiâ Vueiſenuelſam, & Friburgiam pręfecturam: in Franciâ Coburgum, Konigsbergum, Hilpurgũ, Hilpershuſiam, Eiſueldam: quæq; ad has diœceſes pertinerent, tam arces, quàm oppida. Iſtis comitiis ſatis diu tractatis, fratres placati diſcedunt; non intermiſsâ tractatione & renunciatione fœderis vetuſti; ſi pars alterutra ſine hæredibus diſcederet, ne ad alienos dominos ius poſſeſsionis veniret.

Diuiſio prouinciarum inter fratres Duces Saxoniæ.

Turingorum fœdus cum Antiſtite Magdeburgico.

Cum ſuam quisq; partem occupaſſet, Turingi non improbante Vilhelmo fœdus cũ Antiſtite Magdeburgico ineunt: vt quod ad negociationes & contractus, & ſeruitiorum mercedem, & alias quasdam res ciuiles pertineret, iure inter ſe communi vterentur. Hæc comprobata à nobilitate ſunt, & tacitis libellis conſignata; & pœna conſtituta grauis, ſi quis contrà ageret. Quamuis autem de induſtriâ res celabatur: tamen latère diutius Electorem non potuit: qui cum moleſtè ferret, ſe excluſum ab illo

conſilio:

conſilio: cumque præter alias conditiones ſibi ſuisque graues, hanc quoque in libellis additam cognoſceret, ne quem defuncto ſuo Principe alium reciperent, niſi eadem decreta populo & nobilitati confirmare vellet: Elector ratus fraudem ſibi factam, Turingis grauiter iraſci, & compellare fratrem cœpit, & reuocare ei in memoriam iura fœderis à maioribus accepta, & nuper renouata: recentia illa decreta in præiudicium ſuorum poſterorũ perſcripta, ſibi non eſſe ferenda; conditiones adiunctas iniquas eſſe & abolendas: ſeſe conuentis manſurum, nec paſſurum, vt violetur ius vtrique æquum atque bonum, & Reip. inprimis ſalutare, & ad tuenda maiorum benè parta, & retinendum nobiliſſimæ gentis decus, præcipuum & vnicum fundamentum. Hanc Electoris voluntatem frater improbare nõ potuit, nec probaſſet Miſnenſibus & Oſterlandis cauſam, etiamſi defendere Turingos voluiſſet. Quamobrem libelli decreta illa recentia continentes ſuppreſsi ſunt, neq; eorum auctor eſſe quiſquam voluit: ſcriptos etiam in eandem ſententiam quidam Vilhelmi familiares pernegabant. Elector ſuſpectos habebat APOLLONIVM & BOSONEM Vicethumos: quorum ille Roslæ, hic Dornbergi ſedem habuit: quibus cum facere credebantur Kochbergius & Vicelebius: de quorum conſiliis VILHELMVS omnia faciebat. A fratre igitur contendit, ſi animos fraternos concordes & ſaluã patriam cuperet, illorum conſiliis nimium ne tribueret, eosq; ex aulâ ſuâ diſcedere iuberet. Id agere ſimulatione & ſilentio Turingi viſi ſunt, vt Miſnenſium imperium excuterent: quod vltra centum & octoginta annos, à temporibus Henrici cognomento Munifici, ſuſtinuerant: viam autem voti eius conſequendi putabant, ſi fœdus inter Principes de ſucceſsione factum, tacitè reſcidiſſent: ſeque vicinorum muniiſſent amicitiis. Verùm qui non intelligunt homines, imperiorum regnorumque mutationem diuinæ eſſe voluntatis atque prouidentiæ; ij ſapientiâ ſua importunâ & patriam turbant, & accerſunt exitium.

Fridericus II. [illegible] El. [illegible]

Vicethumi de fœdere Magdeburgico ſuſpecti.

VILHELMVS ſuperbam eſſe ratus Electoris poſtulationem, dimittere de ipſius ſententiâ ſuos familiares & conſiliarios noluit; & Apollonius infamiæ ſibi, cæterisque id fore ratus, non parum multa contra Electorem dixit, & in conſiliis publicis & 1442. in collocutionibus priuatis. Ortum anno M. CCCC. XLII. pridie Pentecoſtes incendium Torgæ eſt, quo pars vrbis cum cœnobio & diui Nicolai templo conflagrauit. Elector infeſtus Apollonio, & eius in ſe amarulentiæ non neſcius, copias in Turingiam ducit, Roſlam Apollonij ſedem euerſurus: vt pœnam de ficto a-

Apollonius fax diſsidij fraterni.

 mico

Fridericus II. Placidus El. Sax. mico fratris, & hoſte ſuo manifeſto ſumeret. Erat tum Ienæ apud Vilhelmum ALBERTVS Brandeburgicus: qui in caſtra Electoris profectus, eius iracundiam placat, & inducias impetrat, & ſe arbitrum interponit. Elector ei aſſenſus, ab armis recedit. Non deſtitit tamen crebris inſtare hortatibus fratri, vt modò nominatos quatuor conſiliarios aulâ exturbet. Vilhelmus ſe ſuos minimè dimiſſurum, niſi cupiditatis & perfidiæ iure victi ſint: aliter ſe paratum pro iis ire in exilium, vel vitam ponere: Dolebat etiá non parum, arma eſſe ſumpta in Apollonium, qui primas apud ipſum potentiâ & auctoritate tenebat. Itaq; vt ſuo viciſsim hoſti talioné redderet, ſtatim bellum denunciat Præſuli Numburgano Petro, cum fratre ſentienti, & ſibi præ cæteris aduerſanti in conſiliis: erat is de Schleinitiorum familiâ, vir prudens, ſed propter linguę vicium non aptus ad dicendum. Cum viæ Naumburganis intercluderentur; ipſi contra Præſulem inſurgunt, quod vrbs populoſa difficultate annonæ, & aliarum, quæ importantur, rerum penuriâ premeretur: quos ille hâc ratione deliniuit: ſe pacé maximè exoptare, & nunc propter pacis ſtudium arma potentioris iniuſta ſuſtinere: habiturum autem rationem vitæ & fortunarũ ſuorum ciuium, nec ſe iri deſertum ab Electore, propter quem verſetur in periculo. Hortatur omnes, vt bono ſint animo: & ſe ab iniuriâ, quantum poſsint, defendant: & auxilia certiſsima expectent. Elector cognitâ fratris mente, rurſus ſe ad bellũ inſtruit, & vim vi repellere conatur: vt quod ratione & conſiliis non poſſet, fortunæ belli quaſi aleæ committeret. *Auxilia Electoris.* Cum eo faciebat Antiſtes Magdeburgicus, qui cum è Turingis natus eſſet, patriam lacerari dolebat: præterea de generosâ ſtirpe Bodo Stolbergius, Guntherus & Ioannes Bichlingenſes, Volradus & Guntherus Mansueldij, Erneſtus & Ludouicus Glichenſes, Bruno Quernfurdius: de nobilitate verò Hermanus Harraſius, & Chriſtannus Vicelebius, & Dapiferi Tautenbergij, dignitate & opibus præ cæteris florentes. Id autem agebant, vt ſeruituté Apollonij nulli non moleſtam effugerent: & Vilhelmo occaſioné darent melius ſentiẽdi & conſulendi ſuis, qui à factione Vicethumianâ rarò æqui aliqd *Conuentus procerum Erfurdiæ.* impetrabant. Hi omnes cógreſsi Erfurdiæ, quaſi ibi Bacchanalia acturi; querelis inuicé expoſitis, mutuam alius alij fidem obſtringentes, Electorem, vt conſulat honori ipſorũ adhortantur: inprimis eos grauabat, quòd in ipſorum aulâ querelæ non audirentur, nec expedirentur negocia; nec quod alijs ad vlla munera acceſsio concederetur, ſolo cum ſuis dominante Apollonio.

VILHELMVS alienatos à ſe tantorum hominũ animos vidés,

primò

primò impotentiores aggreditur, vt metu alios terreat: Chriſtanno Vicelebio partem Vendelſteniæ arcis adimit; eamq; Friderico fratri eius, ſuo conſiliario, integram tradit: Harraſium poſſeſsionibus omnibus exuit; & vxore eius cum liberis fugatâ, arcem Asmeſtetam cremat: magnum frumenti numerum vtroque in loco inuentum, ſuis inferri horreis imperat: ſupellectilem lautam dat militi diripiendam. Elector contrâ fructus, quos vnà è metallis capiebat frater, ſibi reſervat: arci Fribergiæ in Miſniâ præſidium imponit: præfectos metallis & officinis iureiurando ſoli ſibi obligat: Lichteualdam arcem, quæ Apollonij Vicethumi, Roslæ habitantis, erat, vno à Chemnicio milliario ſitam, pro acceptis damnis tradit Harraſio perpetuò poſsidendam: quæ noſtro tempore in Euſtachio ſine hæredibus viuente ad alienos dominos ſpectat. Harraſius præ aliis ſtrenuam nauabat operam Electori. Viha arx & oppidum in aureis illis tempe, quæ vocant, ad Vnſtrutam ſita, habebat præſidiũ Apollonij: id Comes Bichlingenſis & Harraſius eijciunt, arcem capiunt, quæ paulò pòſt vendebatur Henrico Comiti Suarceburgio. Alter Apollonius Tanrodanus, Nebram poſsidebat, in colle ſaxoſo ſitum oppidũ: id occupant Antiſtes Magdeburgicus & Guntherus Manſueldius. Quanquam autem Vicethumos tantùm euertere cupiebant: tamen ſine detrimento ditionis Vilhelmianæ id non poterat fieri: ea enim magnâ ex parte pignore tenebatur à Vicethumis, eorumq; clientibus. Poſt hæc Roslanus, Dornbergius, Vueiſenuelſenſis ager incurſionibus vaſtatur.

Fridericus II. Placidus El. Saxon. Mutuæ direptiones arcium in Turingia.

FRIDERICVS Elector Brandeburgicus, & LVDOVICVS Landgrauius Heſsiæ, affinitate Principibus iuncti, dolebant tantas ſtrages vndique fieri, & diſtractione ciuili periclitari bonum publicum. Itaque fratres hortantur, vt odia hoſtilia deponant: auctores tantarum turbarum & motuum ne audiant: patriæ infelici & ciuibus immeritis parcant: denique multis hortationibus efficiunt, vt conuentus Numburgum indicetur. In eo cum præſentes eſſent fratres, alter alteri verbũ nullum facit: ſed quod ad pacem firmandam pertinet, tractant cognati atq; affines Principes, Brandeburgicus & Heſſus: ille autem ſuos etiam fratres adduxerat. Cum fruſtrà vtrinq; dicerentur ſententiæ; & arbitris videretur eſſe priuatim agendum cum iis, quorum in poteſtate Principes eſſent: conuentus ſoluitur, & aliud tempus deliberandi præſtituitur. Intereà quibus nomen pacis inuiſum erat, apertè furtimque ſtruere atque machinari, ne quid decerneretur, quod

Brandeburgicus & Heſſus pacis arbitri.

Conventus Numburganus.

 ipſis

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Apollonius fax belli fraterni.

ipſis eſſet pernicioſum. Nam, quia conſcij ſibi perfidiæ erant, & cauſa ſuorum commodorum Principes colebant, nullos ſe fore proſpiciebant, ſi vnum & idem fratres ſentirent. APOLLONIVS ante alios ſuam laborare dignitatem & fortunas intelligens; belli ſuſcipiendi auctor & adiutor eſt VILHELMO: profectusque in Boemiam, Sternbergium & Donenſem pollicitationibus adducit, vt ſuo Principi militent. Metuendum tum nomen Boemicum erat: & aſſuetus armis populus, inclaruerat non paucis neque obſcuris victorijs. Præterito trium menſium ſpatio, rurſus arbitri Numburgum veniunt; aderant inſuper Antiſtitum Moguntini & Magdeburgici, ciuitatum item aliquot liberarum legati. Diſputatum magnis contentionibus, ſed nullo planè fructu: in ipſis comitiis arma ſtringebant nobiles, conuitia iactabãt oratores: in agro autem Boemi, qui Vueiſenuelſum venerant, Mersburgicas & Numburgicas villas ſpoliabant: idem contrà faciebat in agro Vinarienſe Ludouicus Glichenſis: verùm Apollonius Tanrodanus vt hunc auerteret, Glichenſis ditionem vaſtat incendiis: quem Comes viciſsim vlciſcebatur in fundis atque agris ipſius. Dies quatuordecim conſumpti Numburgi, & voluntates nunquam antè magis diſtractæ fuerunt, quàm tum erant.

Electoris Brandeburgici adhortatio ad mutuam concordiam.

Ex ipsâ vrbe cum diſcederetur, ambo fratres perſuadentur à cognatis Principibus, vt tentandæ beneuolentiæ causâ ſub dio alter alterum accederet: quod cum eſſet impetratum: Elector Brandeburgicus orat ambos, vt odia deponant, colantque fraternam amicitiam, & ne ſe exponant aliis irridendos: cauſam committant æquis iudicibus, & eis pareant: ipſi, quod natura & ius poſtulet, inter ſe ament, & venerentur: ſeruent patriam non parum afflictam: maiorum præclarè parta & ſanguine conquiſita bona tueantur: ſuæ dignitatis atque maieſtatis ſint memores: recordentur à Boemis nuper laceratam Miſniam, Oſterlandiam, terram Pleiſenſem: ſeruandas & inſtaurandas ipſis eſſe reliquias: ne cum patriâ gerere bellum, idque ſponte perdere velle videantur, quod ab hoſte ſæuo ſit reliquum. Mouit ambos grauis & vera oratio. Quare dextris datis pacem & inducias ad menſem vſque Nouembrem ſtatuentes; fratribus Brandeburgicis & Heſſo dant poteſtatem dirimendarum controuerſiarum, primùm inter ſe, de diuiſionis æqualitate: deinde de negocio Vicethumiano, quod ad ſolum ſpectabat Electorem. Quidquid interea iudicauerint, eſſe iuſtum, & quas conditiones inuenerint,

uenerint, & quam rationem retinendæ in perpetuum pacis elegerint, in conuentu Mulhuſano, qui ſimul indicebatur, liberè exponant.

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Addunt hoc quoque, vt ex ſuâ quisque ditione ſpectatæ fidei & integritatis viros decem, Principibus adiungat, qui iurati ſimul conſulant, & cauſis diſcuſsis æquum decernant. Elector in illâ actione ſtatim quoſdam excipit, qui ſecuti ſe erant, Antiſtitem Magdeburgicum, Præſules, & homines generoſos, qui ſuprà nominati ſunt, item Erfurdianos, contra quos nullam concedebat cuiquam aliquid ſtatuendi poteſtatem: eas res agerent, orabat, quæ controuerſæ propter prouinciarum diuiſionem eſſent; alienas ſecluderent, & ſuo tempori locoque reſeruarent; ne tractandis videlicet negociis ad rem minùs pertinentibus, capiti cauſæ ipſius nocerent, turbasque maiores excitarent.

Hoirsuerda Luſatiæ ſuperioris oppidum tenebatur à Schonbergiorum familiâ, ita vt nunc tenetur: id menſe Auguſto Elector cum arce expugnat. Cauſa in annalibus eſt prætermiſſa: fortaſsè terrorem incutere Boemis voluit, quos ad arma ſui fratris nomine incitabat Vicethumus.

Arbitri Principes initio Septembris veniunt Mulhuſiam; adiunctisque illis viginti viris, quorum decem ex Electoris, totidem ex Vilhelmi ditione delecti erant: Fratres ipſi præſentes actioni intererant, quorum quisque adducebat oratorem. Nomine Electoris dicebat Henricus Geræ & Slobitij dominus, prudentiâ & facundiâ equeſtris ordinis vir primarius: nomine Vilhelmi, Cnorrius quidam iuris doctor, & Canonicus Erfurdianus. Prima dies ſingulorum Principum aduerſariis eſt conſumpta. Acerrimus aduerſarius Electoris erat Apollonius Vicethumus Roslanus: Vilhelmi verò, Erneſtus Glichenſis. Peractis accuſationibus, iudicium Principibus & XX. viris permittitur: & eorum ſententia ab vtroque oratore in diem alterum pronuncianda poſtulatur. Die ſequente, cum ordines ad id deſtinati omnes conueniſſent, inter ſe inuehuntur ipſi oratores: nam alter alterum tanquam alienum facientem officium reiiciebat: quod certamen, vt inter ambitioſos ſolet, cum non ſine conuiciis & acerbitate fieret; inſtante maximâ contentione Gerenſe, iudicum ſententiis Cnorrio agendi adimitur poteſtas, eique interdicitur, ne ad illum conſeſſum amplius accedat. Vilhelmus ægerrimè ferens è cœtu aſſurgit, atque abit. Itaque eius quoque diei tempus & actio neceſſaria extrahitur, & impeditur.

Conuentus Mulhuſanus.

Fridericus II. Placidus El. Saxon.

In initio cauſæ,tantâ difficultate obiectâ, aliud â Principibus arbitris initur conſilium· Hâc enim viâ rem nunquam proceſſuram videbant. Nam in ciuilibus motibus, vnoquoq; ſuam perſequente iniuriam, nequaquam coire animi poſſunt, & pax quæſita conſtitui. Arbitri igitur ſine diſceptatione præſcribunt compoſitionis modum, vt res potius beneuolentiâ & æquitate, quàm clamoribus & iurgiis tranſigatur: nec abhorruerunt ab eiuſmodi ratione voluntates fratrum; qui pacem cupiebant, viam eius incundæ nondum reperiebant: erant enim vtrinque graues offenſiones: eæque augebantur ſuſpicionibus & ſuſurrationibus, & calumniis, quæ ſolent cùm in aulis obſtare concordię, tùm in omni vitâ humanâ obeſſe tranquillitati. Nihil omittebatur ab arbitris, quod ad pacificationem pertineret, & in articulis non multis cõtrouerſia erat: quos cum improbaret Elector, Molhuſiâ diſcedit: eum inſequuntur Erfurdiam vſq; Conſiliarij Vilhelmi, & Albertus Brandeburgicus: hortantes ipſum, ne propter leues cauſas impediret negocium, tantis difficultatibus cognitum, tot laboribus transactum: de iure ſuo, ſi quod eſſet, potius decederet, quàm patriam nouis motibus turbaret: repreſſo nonnihil impetu, admittit conſilia ſalutaria: Quamobrem redactis vtrinque ad ſanitatem & ad placida conſilia animis, pacis optima ſpes oſtentatur, quæ ſingulari omnium populorum animos lætitiâ perfudit.

1449. *Belli fraterni recrudeſcentis cauſa.* Anno M. CCCC. XLIX. aliena controuerſia bellum fraternum renouat. Comites Suarceburgij, HENRICVS & GVNTHERVS, fratres patrueles, hoc pacto inter ſe conuenerant, vt alter hæredibus carenti vel orbato alter ſuccederet, ne gentis dignitas & amplitudo interiret. Henricus Arnſtadium & Sundershuſiam poſsidebat: Guntherus Suarceburgum & Blanchenburgum: ille vitâ defunctus ſibi cognominem reliquit filium, qui partem bonorum Guntheri ex illo fœdere, quòd hic prolem maſculam nullam haberet, vſurpabat: quod ſenex fieri conceſsit: verùm adoleſcens illiberaliter & inhumaniter agnatum tractabat; adeò ſordidus & iniquus, vt ſeni non ſatis proſpiceret de victu atq; curâ corporis: vtque propriarum poſſeſsionum liberam fruendi poteſtatem nõ relinqueret. Guntherus indignitate motus, adoleſcentem per amicos compellat, & officij admonet: & ne ignorantiâ ſe excuſare poſsit, egeſtatem ſuam exponit. Animus adoleſcentis inſolens, non curare ſenem, non audire amicos, & obliuiſci pacti, & mortem agnati expectare. Itaque cùm nihil proficeret: ſuos generos ad ſe vocat Ludouicum Glichenſem,

Diſsidium inter fratres patrueles Schuarceburgios.

ſem, Henricum Gerenſem, Othonem Leiſnicenſem: de contemptu & iniuriâ conqueritur, inopiam oſtendit, conſilium petit. Pactum igitur ab adoleſcente violatum, de ſuorum ſententiâ reſcindit, & ſuam ditionem per eoſdem Electori reſignat: qui ad ſuſtentandũ ſenẽ, quoad viueret, arcem Tarantinã, & oppidi Dipoldiſualdi fructum tradit; dotis nomine tribus eius generis nouem millia nummûm pendet. Henricus tantâ acceſsione priuatus, vehementer dolere, & Electorem accuſare, & in Guntheri generos iacere conuicia; denique flagitare, vt cauſa coram hominibus minimè ſuſpectis diiudicetur. Nomine Electoris Suarceburgum Gerenſis ex pacto occupat: ad quem cum varij rumores de Henrico Suarceburgio perferrentur, quòd ſubditi Electoris tuti ab eo non eſſent: in agrum Rudolfſtadienſem incurrit. Henricus quiduis potius tolerare decreuerat, quàm vt Electoris rapinam (ita ipſe vocabat) & Gerenſis præfecti iniuriam inultam pateretur. Igitur Henricum Comitem Leuchtenbergium & Bodonem Stolbergium implorans; eorum operâ ex Gerenſis ditione prædas agit & villas populatur. Hæc fiebát conniuentibus vtrinq; Electore & VILHELMO. Hic tamen, vt Suarceburgij ius tueretur, iterũ Boemos euocat: qui cùm in Vodlandiæ & Miſniæ finib. graſſarentur, contra eos ſubitò collectas copias Elector educit: ſed ne ad manus perueniretur, hominũ prudentum autoritate eſt effectũ, qui à patriâ periculum omnibus rationibus auertebát. Boemi cum retroceſsiſſent, ſuos itidem equites Elector dimittere inſtituit. Ecce autẽ ſubito è Turingis ad Electorẽ literæ; quibus nomine Henrici Suarceburgij bellum denunciant Adolfus & Sigiſmundus Glichenſes: iis ſubſcripſerant Georgius Hoppegartus, & Burchardus Vicethumus, homines nũmati & locupletes. Elector nihil moratus, equites in Turingiã mittit, caſtra iuxta Portã cœnobiũ 9. Cal. Iulij, figit, inde mouet Vuicherſtetã: quo in loco cũ conueniſſent, quos vocauerat; in agro hoſtili Medlingũ, Madelã, Drobiſchimam, Lothindorfiũ, Vicethumi pagos cremat. Eodem veſtigio Ilmenã oppidum adit; à cuius obſidione, poſt primũ & vigeſimũ diem, crebris telorum miſsiliumq; ictibus repulſus, pagos finitimos populatione peruadit. In oppido ipſo erat Henricus Suarceburgius, q ciuibus & ſociis ſuâ virtute animos addebat. Re infectâ ab Ilmenâ diſcedens, ſe conferunt Maroldishuſiam, quod ſibi oppignoratũ tenebat Suarceburgius: inde Molsdorfiũ, quod tum poſsidebat Henricus Vicelebius: in his duobus locis præter cibaria nihil adimebant agricolis. Progreſsi in ditionem SIGMVNDI Glichenſis; pagos eius, Vechmariam, Ingerslebiã, Suabhuſiam, Ordorfium, Gonnerslebiam; item Appelſtetam, Holdshuſiam,

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Fridericus bellum denunciant Glichenſes.

Fridericus II. Placidus El. Saxon.

huſiam, Harhuſiam, incendunt: è quibus tres poſtremi pagi ad arcem Vuaſsinburgiam pertinent, & tum temporis oppignorati Boſoni Vicethumo erant. In caſtra Electoris ad Vuechmariam veniebant Erfurdiani, iure ſocietatis euocati. Aucto igitur exercitu Iunnam proficiſcitur, Adolfi Glichenſis arcem expugnaturus: pagum arci ſubiectum primo aduentu cremat, ſed arcem nõ capit: idem circum Glicham & Dulſtetam facit: nam & eædem arces firma habebant præſidia. Profectus inde in agro Vuiſenſeheſiſe, & Echardbergo, vno die pagos ſexaginta cremat per Hermannum Harraſium, quem incendiis præpoſuerat. Id auctum
1450. anno M. CCCC. L. die duodecim Apoſtolis feſto.

Bellum fraternum recrudeſcit.

Turingi præter opinionem tantis affecti calamitatibus, accurrerunt frequentes ad VILHELMVM, vt fratris violentiæ obſtaret: neue ſe ſuoſque ſpoliari atque perdi per deſidiam permitteret. VILHELMVS cum Boemos ad ſe reducere ſubitò non poſſet, ALBERTVM Brandeburgicum de fratris in ſuos iniuriâ facit certiorem: prò iure neceſsitudinis & multorum officiorum rogat, ne ſe in tanto periculo deſerat: quo ſocio ſibi celeriter adiuncto Aldenburgenſem, Citienſem, Numburganum, Gerenſem agrum vaſtat: iumentis abactis & diſsipatâ ſupellectile, aut vacuas poſſeſsiones cultoribus relinquit, aut ædificia tota incendit. Elector vt ſuis opem afferat, è Turingiâ mouet: ſed fraternis copiis multò inferior prohibere non potuit: quin & in Miſniâ & Turingiâ cùm pro libitu Vilhelmiani agerent, prædando, incendendo, euertendo, quæcunque ſibi obſtarent, aut aduerſarentur: interea ſeſe Lipſiæ continet Elector, donec ciuibus & ſociis collectis iuſtum fratri opponeret exercitum: qui cum ſatis ſe habere virium confideret, in Turingiam redit, & paria reddit aduerſariis: Echardbergum & Buſtedam oppida, Nebuſam & Manſtetam pagos, Goteſtetam arcem, incendiis vaſtat: Viham oppidum & arcem, quam paulò antè Henrico Suarceburgio venditam ſcripſimus, recipit: pagos Friderici Vicelebij circum Steinam ſitos, vniuerſos cremat: mox in agrum Vinarienſem tendens, iuxta Ottersbergum minus caſtra in colle quodam collocat: quod fieri animaduertens VILHELMVS, Blanchenhainæ obſidionem ſoluit, Vinarienſibus auxilio venit. Animis vtrinque accenſis, coactis in vnum exercitibus, ad manus fuiſſet ventum: niſi Deus bellum, parricidio quàm pugnæ ſimilius, à ceruicibus auertiſſet vultu benigno & propicio. Vilhelmo in votis erat, armis & fortunæ ſuam populique ſalutem committere: nam

nam aduentu militis Boemici certam ſibi victoriam polliceba- *Fridericus II. Placidus El. Sax.*
tur: quem cum inuaſiſſe iam in Miſniam, ferroq; & incendiis ſibi
paſsim iter patefacere audiret: Elector occurrendum ratus, è Turingiâ abiit: quid facto opus ſit, mandat: miſsisq; per oppida nũciis, vt ſe fortiter defendant, hortatur: ſe affuturum illis in tempore, ne dubitent. Acceſſerant iam ad Vilhelmum Boemi: acceſſerat Fridericus Brandeburgicus. Nam Albertus antea in caſtris erat. Spectaculum erat omnibus horrendũ: fratris contra fratrẽ, generi contra ſocerũ arma ſtricta & micantia inter duces intueri; & cum vnum oppidum, vnus pagus interdum vtrique eſſent obligata Principi; cernere ex vnâ acie ſtare filium, ex alterâ patrem; hinc nepotem pugnare, inde auum haſtam tenere tremulam. Pegam, Oſterlandiæ fertili in planicie ſitum oppidum, Boemi fruſtrâ cùm oppugnarent, non eſſe terendum ibi tempus exiſtimabant: etenim cupiditate prædæ oderant otium; & præſentia periculi, ſolui obſidionem præoptabant. Aliud conſilium agitabat Vilhelmus, qui omnes belli vires collaturus erat in Præſulem Numburganum: aliud illi ſuggerebat Gerenſis, vt opinor, fatum. Sunt enim Turingicæ, Boemicæ, Brandeburgicæ copiæ omnes ad Geram oppidum adductæ: id vi captũ & expugnatum eſt, & ciues truculenter occiſi: oppidi dominus contumax captus, in Boemiâ moritur: nec non alij de nobilitate, vel ſui domini imitantes ſtulticiam, vel domeſticâ temeritate impediti; non perſoluentes iuſſam pecuniam, in carceribus obierunt. Elector cladem prohibere, & ſocios liberare non valuit. Nam præfecti equitum eius, Nicolaus Pflugus & Conradus Kaufungus, intercepti à Vilhelmianis ſunt, ne ſe poſſent cum copiis ipſius coniungere: quadringentos autem ſinguli equos ducebant. Quare Elector reliquum exercitum, ne viribus imbecillior opprimeretur, celeriter abducit: & partem in Turingiam, partem in Brandeburgici ditionem, qui fratris ſocius erat, ire iubet. Res admodum memorabilis in caſtris ante Geram accidiſſe traditur. nam cum quidam, qui tormentis præerat, Electori polliceretur, ſe finem bello impoſiturũ, & fratrẽ ipſius intra vallum globo bombardico, ſi id fieri vellet, traiecturũ: Princeps indignatione piâ motus, deteſtatus illũ eſt: & vt fratri parceret, ſeuerè imperauit. Reſpexit nimirũ in extremo diſcrimine, & optimos Principes, & noſtrã patriam, omniũ animorũ atq; affectuum moderator, omnipotens DEVS. Nam voce Electoris per certos homines ad ſe delatâ Vilhelmus; pietate fraternâ obſtupuit: & AntiſtesMogũtinus ea, quæ gerebantur in viciniâ, audiens, cauſam communem tuendam verâ animi magnitudine

Fridericus II. Placidus El. Sax.

tudine ſuſcepit. Datis enim ad Fridericum III. literis cum graui adhortatione ipſum Imperatorem monet: ne fieri patiatur, vt illa nobilis Imperij natio feraliter laceretur, aut cum pernicie Germaniæ totius minuatur, quæ virorum fortiſsimorum patria ſit, & omni copiâ aliâ ad vtilitates gentium vicinarum abundet, frumento, vino, lignis, ſale, guado, metallis varij & diuerſi generis. Mittitur igitur inſtinctu Moguntini legatio ab Imperatore in caſtra: quæ pollicitationibus minas pœnasque mandatis adiungens, effecit, vt conſilia pacis fruſtrà tentata toties, agitarentur. VILHELMI animum mitigatũ pietate fratris diximus: Electoré etiam victo ſimilem, hinc inde copias ſuas diſperſiſſe, donec ſpes melior daretur. Quamobrem mentio pacis propter imperantis autoritatem neutri accidit ingrata: vulgus verò omne diuturna & grauia tàm ab externis hoſtibus, quàm à mutuis ciuium enſibus, mala & incommoda belli expertum, adeò inclinatis ad concordiam animis erat; vt voces paſsim iactaret, ſe fore vltorem eorum, qui diuinitus oblatam pacis ſpem vel verbo vel nutu impedirent. Deſignabantur autem nonnulli è conſiliariis, quos belli iſtius eſſe quaſi tubas & faces omninò dubium nulli erat. Facile erat Miſnenſibus & Turingis perſuadere, vt arma deponerent; ſed adhuc obſtabant Boemi, qui propter ſtipendia tumultuantes, ea impetrarunt cum omni prædâ, quam ex hoſtium ſociorumq; bonis collegerant, deportandâ. Dimiſſo cum beneuolentiâ milite externo, Principes cum fidis aliquot hominibus ſpondent ſe conuenturos Numburgi; deinde profecturos Pabergam, quò Imperatoris legati eos vocauerant, eo fine, vt ſi minùs inter ſe cõuenirent, cauſa dirimeretur Imperatoris auctoritate & arbitratu. Factæ dehinc vtrinq; induciæ, vt intra certum tempus captiui ſe redimerent: neue pars vna ab alterâ plus exigeret, quàm in caput equitis aut peditis, item in nobilem aut plebeium, communi lege belli ſtatutum eſſet: addebatur tamen conditio pro delicti cuiusq; magnitudine. Variæ factiones fuerant in vrbibus atque oppidis: & homines aut ſermone liberius vſi, aut aduerſæ partis fauore aliquo nixi, multi in vinculis erant: quos alij bonis, alij carcerum grauitate, alij denique capite cenſebant mulctandos. In conuentu Numburgano inter ſe locuti Principes ſunt, id ſtudente Electore Brandeburgico, qui vnà cum fratribus & Heſſo aderat: nam id antea aliquoties variis modis erat impeditum. Factâ deprecatione pro iis captiuis, qui non transfugæ fuerant, aut inſaniâ aliquâ notati, aut ſceleris conuicti, ſed linguis (vt fit) vſi fuerant intemperantius: Elector reſpondit: nos cum errorem noſtrum

Frideri i III. legatio in caſtra.

ſtrum agnouerimus, etiam aliis ignoſcimus, qui ſe fatentur erraſ- *Fridericus II. Placidus El. Sax.*
ſe. Inter omnes autem delationibus grauati erant Fribergenſes,
quòd vulgus metallicum perpetuas factiones aluiſſet, nec conui- *Electoris clementia.*
cia facta Senatus ſatis ſeuerè puniiſſet: At nobis (inquit ille) iniuriam verbis factam, verbis cum eò venerimus, caſtigabimus: intereà, qui in vinculis ſunt, ad noſtrum vſque aduentum detineantur. Similiter alios accuſatores dimittens, magnam clementiæ laudem ſibi peperit. Actionum inter ipſos Principes nulla in Annalibus mentio alia: ſed ex eo conuentu planè concordes diſcedunt, & Elector ad fratrem Vueiſenuellum venit: remotoque arbitro multa inter ſe colloquuntur familiariſsimè. Omnium *Colloquium Principum.* hominum animi lætitiâ & gratulatione erecti & alacres erant, exceptis paucorum, qui propter cupiditatem & prauitatem ſibi conſcij ſceleris & malitiæ erant. Lipſiam cum veniret Elector, ita vt conuenerat cum Friderico Brandeburgico, nobiles eius eo bello captos gratis dimittit: è quibus fuere præcipui, Ioannes Potelitius, Boſſo Schuleburgius, quatuor Brandæ, duo Ludericij, duo Alterni, Ioannes Suberas, Nicolaus Zichius, Ditericus Holcindorfius, Arnoldus Crommeſius, Ludolphus Arnus, Vuernerus Alslebius. Hoc autem illi in vulgus crimini fuit, quòd alienos dimitteret: ſuos, qui Geræ capti erant à Boemis, non liberaret: quod indicto tot hominibus copioſiſsimis redemptionis precio, facere ære alieno potuiſſet. Hæc in noſtris annalibus aliter perſcripta, quàm in ſuâ metropoli Crancius refert. Erturdiani, qui opem ei contra Glichenſes tulerant, impenſis ſuis ſatisfacere Comitibus coguntur. Itaque Adolpho arcem Varilam tradunt ad annos duodecim fruendam: Sigmundo totidem annis certâ pecuniam numerant: cremati præterea in ipſorum agro pagi octo erant, & ſpecula Ouſhuſia. Ipſi ſocietatem Principum ſibi videntes eſſe perniciosam, ab ea paululum ſe retrahunt.

APOLLONIVS, de quo ſæpius iam dictum eſt, conuentui *Apollonij iter Romanum.* Numburgano non intererat. Nam poſt cladem Gerenſibus illatam, cùm ſe minùs gratioſum animaduerteret, honeſto nomine periculum vitare cupiens, Romam contendit: vel vt religionis prætextu ſeſe aduerſariis inſinuaret: vel vt conſilia tuendæ exiſtimationis temporis ſpacio iniret. Vir enim & naturâ & vſu rerum callidus fuit, & fortunam in magnis negociis comitem habuit. Eius abſentia plurimum ad ſanciendam concordiam profuiſſe ferebatur. Domum autem itinere religioſo confecto rediens, ſe Coburgi defendere parabat: & tantum animorum ſumpſerat, propter clientelas atque opes, vt non inferiorem ſe ipſo

Fridericus II. Placidus El. Saxon.

Principe duceret. Albertus Brandeburgicus agi id percipiens, ſeſe interponit; eoque rem deducit, vt Vilhelmus iure potius, quàm Marte rem experiatur.

Legati Burgundi à Vicethumis violantur.

Miſerat ad Ducem Burgundiæ Elector legatos Erneſtum Glichenſem, aulæ ſuæ præfectum, & Georgium Bebenbirgium Mareſchalcum affinitatis contrahendæ gratiâ: quibus reuertentibus præclarum comitatum Burgundus, cum multis muneribus nomine atque fortuna tali dignis adiunxerat. Moguntium cum veniſſent Glichenſis & Bebenbergius, ſocium legationis Ioannē Aleblumum cum Burgundis relinquunt: ipſi Electori hominū amicorum aduentum nunciaturi, eos præcedunt. Legati Erfurdiam ingreſsi, octo ibidem dies in vrbe maximâ contemplandâ conſumunt. Pridie Cal. Nouem. Apollonius, vt Vilhelmo ægrè faceret, & notam apud exteros inureret, rebus exploratis atque prouiſis, Bernardum fratrem mittit, qui legatos excipiat. Is equitibus in loco certo collocatis, aduenientes inuadit, verberat, ſpoliat, vincit. Tam barbaram iniuriam hoſpitibus legatiſque in ſuâ prouinciâ illatam Princeps multis de cauſis vindicandam ſtatuit: præcipue verò ne fratri ſuſpectus fieret, quaſi ſuſcitaturus bellum eſſet vix ſopitum atque extinctum. Quamobrē Vicethumos patriæ hoſtes iudicat: exploratiſque cuſtodiis, in quas deducti legati eſſent; anni tempore iniquiſsimo, ſeriū bellum ſuſcipit: prædia & agros Vicethumorum, ne alter alteri ſuppetias ferret, locis diuerſis vno tempore vaſtat: arces munitas obſidet: caſtella quædam vi expugnat: legatos poſt duos menſes demū conditionibus liberat. APPOLLONIVS rebus ſuis diffidens, maturè fugerat in Boemiam: BERNARDVS exilium ſibi elegerat inferiorem Luſatiam: de BOSONE nihil relictum in Annalibus, quo ſe contulerit. Vxori eius reddita dos eſt, & cum filiorum nomine ſponderet, Apolledæ cū iis quieta habitauit. Diſciplina publica bellorū continuatione, vt fieri ſolet, erat diſſoluta & collapſa. Poſitis igitur armis, leges cenſoriæ datæ de rebus diuerſis, ad omnium ordinum dignitatem in aulâ, vrbibus, agro, pertinentibus: nominatim genus quoddam ocrearum interdicto prohibitum, ne quis eo, qui honeſtus haberi vellet, vteretur. Id longum admodū erat, & tantoperè de tibiis pendulum, vt ſupra talos hærens, non viſui, ſed oneri; neque tegumento, ſed impedimento eſſet: pluuias autem imbreſque cum excepiſſet, ipſa grauabat iumenta. Nam inceſſum euntis planè impediebat. In eorum locum noſtro tempore braccas illas & caligas, velis nauiū magis laxas ſucceſsiſſe, Dœmonis cuiusdam artificio, non ſine publicâ Magiſtratus infamiâ vidimus.

Vicethumis bellum infert Vilhelmus.

Vicethumiorum fuga.

Leges Cenſoriæ.

Ocreæ.

Demi

Fridericus II. Placidus El. Saxon. Controuerſia inter Boemum & Electorem de 64 arcibus & oppidis.

Domi cum eſſet res tranquilla atque compoſita, noua quaſi tempeſtas oritur ex Boemiâ. Rex enim LADISLAVS quatuor & ſexaginta arces atque oppida, quæ ſui iuris eſſe diceret, è prouinciis Electoris repetit: Cui etiamſi Elector quæ æquæ erant, reſponderet, noluit tamen acquieſcere: & niſi reſtitutio aut cōpenſatio intra certum tempus ſequatur, bello ſe petiturum ius ſuum fatetur. Elector vt Regis pertinaciam vidit, primùm per literas, quæ ære ſuo comparauerit, quæ à maioribus hæreditate iuſtâ acceperit, declarat. In his ſi quid controuerſum maneat, ſe nō fugere cognitionem, quæ iure fiat indicat, eâdemq; de cauſâ generū ſuū Bauariæ Ducem, & fratrem VILHELMVM, illum Regis cognatum, hunc affinem Pragam ablegat, per quos animus Ladiſlai flectitur, & immutatur: & dies conſtituitur, quo cauſa Pragæ cognoſcatur coram regni ordinibus. Is dies erat XI. Cal. Octob. anni M. CCCC. LIV. 1454.

Vicethumus bellum molitur patriæ

Vicethumum, Vilhelmi conſiliarium, ſe in Boemiam contuliſſe, modo eſt memoratum. Is propter ereptos ſibi fundos & bona plurima, vindictam expetens, cùm in Boemica tùm in Polonicâ aulâ id agebat, vt bellum his regionibus magnum conflaret: eò pernicioſior hoſtis patriæ, quò callidior atque nummatior erat. Magnum enim pondus auri, argentique ex bello ciuili conflatum ſecum extulerat.

Vilhelmus Pragam abit cum ſplendido comitatu.

VILHELMVS, qui Regis ſororem in matrimonio habebat, fratris nomine ad diem præſcriptum Pragam venit, comitantibus illum Friderico Antiſtite Magdeburgico, Caſparo Præſule Miſnenſi, Henrico Brunſuicenſe, Ludouico Heſſo: viris generoſis, Henrico Suarceburgio, Guntero Mansueldio, Vilhelmo Hennebergio, Henrico Stolbergio, Ioanne Bichlingo, Erneſto Glichenſe, Georgio Anhaltino, Henrico Gerenſe, Brunone Quernfurdio. Diebus inter amborum cōſiliarios quatuordecim diſceptatū: quòq; magis res agnita, eò minor compoſitionis ſpes apparuit. Tandem itum in eam ſententiam eſt, vt arbitri tres nominarentur, Ladislaus Rex Poloniæ, Ludouicus Dux Bauariæ, Albertus Princeps Brandeburgicus; de quorum iudiciis ſententia ferretur in conuentu Vratislauiano, qui ſimul indicebatur ad 8. Id. Decem. Quid molitus fuerit Rex Polonus de faciendo his terris bello; quid Boemi in animo habuerint, de opprimēdo in ipsâ Pragâ Vilhelmo; mirabili caſu enunciatum, & ſingulari Dei beneficio impeditum, & ad patriæ & ad Ducum noſtrorum ſalutem fuit. VILHELMVS ſubito Pragâ diſcedit, cauſam diſceſſus ſimulat, quem honorificè Rex affinis dimittit. Tempore ſtatuto

Vilhelmus Pragâ diſcedit.

Fridericus II. Placidus El. Sax.

Boemus & Bauarus Vratislauiam veniunt: Saxo legatos mittit. Polonus ſuam abſentiā literis excuſat: quamobrē actio diſtrahitur vſq; ad diem Pentecoſtes: ad quod tempus rurſus tractatio ſuſpenſa fuit: idq; non factum ſtudio concordiæ, res declarauit.

Boemi Pirnam occupare moliuntur.

Boemi enim, qui odio inueterato Miſnenſibus malè cogitabant, autore præfecto arcis Blanchenſteiniæ, Pirnā occupare per inſidias cogitant, vt facto belli initio vrbem illā ſitu & opere munitam, quaſi præſidium tenerent aduerſus Miſnenſes. Scalis igitur multis comparatis & clam diſpoſitis armatis hominibus, 17. Cal. April. tenebris & ſilentio noctis accedunt. Voctus, vt nominatur, prouincialis tum erat Bruno cognomento Porta, vir ſtemmate veteri: is per hominem fidū admonitus ciues armat, rei ignaros: quos cùm ex oppido ad dimidiū milliare eduxiſſet, quo in periculo vita & fortunæ ipſorū ſint, denunciat: hoſtesq; iam iam furtim affuturos dicit: hortatur vt hoſtem animis intrepidis expectent, & facinus ingens edant. Cum Boemi ſecuri aduentarent: ſtatim impetus in eos fit, qui abiectis & ſcalis & armis, quantum poſſunt, fugâ ſe proripiunt: quibus niſi tenebrarum obſcuritas ſaluti fuiſſet, & vicinæ ipſorum arces, nemo ex iis viuus euaſiſſet: eos quos Pirnenſes ceperant, manè in vrbem cum plauſu introducunt: iis, qui domi manſerant, res viſa inopinata: capti hoſtes illuſi includuntur robori, & carceribus mancipantur.

Bello contra Albertum Brandeburgicum, quod tum flagrabat, præfecti Norinbergenſiū erant Comes Heideccius, & Conradus Kaufungus, quem paulò ante à Vilhelmianis cum Pflugio captum narrauimus. Hunc Elector redemerat ſuâ pecuniâ, illum redimere recuſauerat: quod cū ſibi ignominiæ loco duceret, aliquoties pecuniam, quam pro ſe liberando expoſuerat, nummûm videlicet aureorum quatuor mille à principe poſtulat: idq; cum repulſus non deſiſteret facere: Elector iratus propter hominis importunitatē & ſermones minaces, illum in exilium agit: arcem coram, inter Penicam & Frobergum oppida ſitam; item Calebergum inter Penicam & Vualdenburgum adimit. Conradus exul Iſenbergum emit in Boemiâ. Intereà vias omnes meditatur atq; init, quibus ſe vlciſcatur: non de ciuibus aut agricolis, qui culpam dominorum luere non debent, ſed de ipſis Principibus: idque non obſcurè præ ſe ferebat. In aulam autem Electoris, quæ tum Aldeburgi erat, cocum muneribus & pollicitationibus prouocatum mittit; per quem inter miniſtros receptum, quæ vult, explorat. Is rurſum, quæ ſciebat, renunciabat duobus Oſterlandis, Conradi ſociis, Vilhelmo Moſenæ & Vilhelmo Schonuelſio. Accidit vt ſuorum negociorum causâ Elector Lipſiā iret:

Conradi Kaufungi exilium.

filiosq;

filioſq; ERNESTVM & ALBERTVM miniſtris commendaret. CONRADVS in abſentiâ Principis ſcalis nexilibus, loci adminiculo, in arcem aſcendit: & ad conclaue adoleſcentulorũ ſibi non ignotum rectâ contendit, & ſine obſtaculo intrat. Armatus cum miniſtris aſtans, eos qui circũ Principes erant minis terruit, ne vocẽ aut clamorem ederent. Erant autẽ aliquot adoleſcentes æquales, qui vnà educabãtur, & Principib. miniſtrabant: ipſi autem Principes annos adoleſcentiæ modò ingreſsi iam erant. Triſtitiam pauitantiũ lenit, ſi ſe ſequantur, tutos fore: ſin aliter agãt, aut ſilentium rumpant, ſicam nudatã intentat. Ipſis, ait, nihil periculi fore ex raptu: ſe ius ſuum quærere, quod ipſorũ interceſsione ab inhumano patre ſe ſperet conſecuturũ: ERNESTVM natu maiorẽ ipſe abducit; ſocius alter comitẽ Barbenſem comprehendit, qui vnà inſtituebatur cum Principibus. Conradus errore animaduerſo, Erneſtũ ſocio tradit; ipſe conclaue repetens, ALBERTVM ſuâ educit dexterâ. Qui in arce ad cuſtodiã aulæ & dominorũ erant relicti, conuiuiũ in vrbe agitabant: quare Conrado nõ neceſſe erat, vt alij ſcribunt, de feneſtrâ altiſsimâ funibus aut ſcalis demittere Principes, ſed per arcis portam incuſtoditã (id enim curabat cocus facinoris adminiſter) ambos educit: & cum Albertus robuſtior eſſet, licet ætate minor, Conradus cum in ſuo equo tenebrarum beneficio deportat: Erneſtum curæ ſociorum committit, qui equum eâ de causâ adductum adoleſcenti tradunt; & ab vtroq; latere cingunt ſuorum corporũ cuſtodiâ. Conſpirauerant inter ſe Plagiarij, ne vnâ eâdemq; viâ raptos ducerent, neuè alter ſine alterius voluntate atq; conſenſu cauſam componi permitteret. Nam raptu patefacto dubitare non poterant, quin magni tumultus & celeris inſectatio eſſet futura. In arce Aldenburgiâ primùm miniſtrorũ conſternatio eſt & planctus, qui in cuſtodiendis Principibus abſente domino non fuiſſent vigilantiores: deindè in cõclaui matris & gynæceo puellarum magnus eiulatus & vociferatio. Mittebatur ſtatim legatus, qui patri factum violentum & inſolens nunciaret: quod vt portento ſimile viſum eſt, ita credi vix potuit, & tanta hominis audaciſsimi temeritas, & tàm ſupina præfectorũ cuſtodumq; negligentia. Data in omnib. oppidis atq; agris ſigna ſunt ære campanarum, vt ciues & agricolæ plagiarios inſectarẽtur, & Principes inueſtigarent. Conradus cum ad meridiem vſq; per auios ſaltus & ſyluas Albertũ duxiſſet: Princeps ſe eſurire conqueſtus eſt, fortè in illis locis ruborũ copia fuit: ex quibus fraga cum ipſi decerperet, interuenit caſu carbonarius; qui, quẽ adoleſcentem, & quò deducat, quærit: ille ſe famulum fugitiuum reducere ad herum ſuũ reſpondit. Carbonarius vi-

Fridericus II. Placidus El. Saxon.

Kaufungi Plagium.

Fridericus II Placidus El. Sax.

us vigorem adoleſcentis quamuis triſticiâ pleni, conſiderans; ductusq; miſericordiâ promittit hoſpitiũ. Conradus progreſſurus, calcaribus implicitus in terram cadit, neq; expedire ſe, aut leuare vllo modo potuit. Adoleſcens carbonario in aurẽ dicit qui ſit: qui audito Principis ſui nomine in iacentẽ ſude irruit, quẽ interemiſſet, niſi Princeps iuſsiſſet parcere, & manũ abſtinere. Vxor carbonarij tumultu audito, accurrit; & percuſſa (vt ſolent) ſecuri, notũ ſignum dat ſociis vicinis: quorũ concurſu adhuc in terrâ ſeſe volutans CONRADVS capitur, non procul ab Elterla oppido. Liberatus adoleſcentulus Princeps, primùm in carbonarij clauſalâ pane reficitur: tùm ab Abbate Grunhanio ſuſcipitur: Socij ſceleris quinq; qui dominũ paulò antegreſsi erant, rerum ignari, à miniſtris Abbatis ſtatim capiuntur. Conradus cum ſuis eodẽ die Zuiccam deductus in vincula coniicitur. ALBERTVS dux matri redditur Aldenburgi. Parentes gratificaturi carbonario petere iubẽt, quid velit abſq; repulsâ: is rogat tantum lignorũ ſibi dari, quantũ ad ſe alendum ſingulis annis opus habeat. Laudata hominis ruſticani virtus atque ſimplicitas, & addita præterea villa eſt, quam in ſiluâ habitaret, & immunitas onerum publicorum. Venit mihi in mentem mulieris Venetæ pauperculæ, quæ cum ciuem ſeditioſum Teupolum iacto de feneſtrâ lapide proſtrauiſſet: petiit à Senatu eius caſulæ, quam conduxerat, poſſeſsionẽ, & vexillum diui Marci, quod diebus ſacris aut feſtis è domus ſuæ feneſtrâ in rei memoriam efferret. Venit itidem nautæ Florentini: is Iohannem Medicen in Arnum prolapſum ſeruauerat: eundem factum Leonem decimũ adit, & ſui beneficij illum admonet: Leo non inhumanus, mandat illum præmium petere quod placeret. Nauta omnia circumſpiciens, auratum lacunar, parietum varia ornamenta, purpuratorum circumſtantium ſplendorem, hæſitans ſubticet: iuſſus liberè & ſine metu loqui, Myoparonem, inquit, nouum peto, quo vtar ad me ſuſtentandum; quod ſi ſemel tantum frumenti, quantum ille capiat ad alendam familiam, adderes abundè mihi ſatisfactum exiſtimarem. Animus ſorte exiguâ & quietâ contentus, faſtum pontificium & regum diuitias & ſplendorem ſine dubio ſuperat. Moſena & Schonuelſius è campanarum ſonitu ſocium ſuum deprehenſum colligunt: ſed conuentorum cum Conrado immemores, vt ſuam vitam fortunasque conſeruarent ad præfectum Zuiccanum, Vitum Schonburgium, ſtirpe generosâ ortum, ſcribunt, ſe ERNESTVM reducturos, ſi ſibi impetret ab Electore facti atrocis veniam; ſibiq; ſuos tenere fundos ſine periculo queant. Quod cum nomine Electoris

Conradi captiuitas: liberatio Alberti Principis.

Carbonarij ſimplicitas.

Ernesti reſtitutio.

ctoris ſanctè illis recepiſſet præfectus: & ERNESTVM Principem & ſe ipſos in arce ipſius Hartenſteinâ præſentes ſiſtunt. ALBERTVS reſtitutus parentibus eſt die poſt raptum altero, ERNESTVS quarto, quem iuxta Eiſenburgum in antro ſilueſtri celauerant. Rapti autem ſunt M.CCCC.LIV. Non. Iul. alij minus rectè, 8. Id. ſcribunt, neq; anni numerum tenent. *Friderikus II. Placidus El. Saxon.* 1454.

Cocus proditor, cognomento Schualbus, membratim diſſecatur Zuiccæ: Iano Sueinicio, Conradi exploratori, & tribus aliis ſociis gulæ laqueis franguntur. Ipſe Conradus talium pœnarum ſpectator adhibitus, inde Fribergum mittitur. Cum ducendus ad ſupplicium eſſet, veniam ſui delicti petit; facinus commiſſum eſſe grande, ſed ignoſcendum, propterea quòd vitæ adoleſcentum, quos in ſuis manibus habuerit, pepercerit; & quod parricidio perpetrato locus, tempus fuerit facilius euadendi. Auditus autem ab iis non eſt, qui nomine Ducis aderant; qui, ſi pœnam distuliſſent, fortaſsè potuiſſet liberari. Habebat enim in aulâ Saxonicâ Conradus ſummæ auctoritatis neceſſarios, Hildebrandum Einſidelium, vxoris ſuę fratrem, Maraſchallum: Nicolaum Schonbergium, affinem, Hugoldum Sleinicium ſororis ſuę filium. Feretro mortui pannus auro textus fuerat impoſitus conceſſu Caſparis Præſulis Miſnenſis de familiâ Schonbergiorum: eam ob cauſam Elector indignatus eſt: & Vilhelmus frater eius, eius cadauer è templo Petrino effodi iuſsit: quod deportatum in pagum Neukirchium eſt, quem hoc tempore Mergentalij poſsident. Conradi frater Ditericus, facinoris ſocius, verba quædam acerba iactitans, nidum videlicet Electori relictum, ereptos vultures, linguæ petulantis ſupplicium capite luit. Lacernæ & tunicæ Principum, quibus induti fuerant, beatæ Virgini ſuſpenſæ ſunt Ebersdorfij, dimidio à Chemnicio milliario, quæ in hunc vſque diem ibidem viſuntur. Mentionem faciunt huius raptus Æneas Syluius, Ioannes Nauclerus, Albertus Crancius, Gerardus Regiomontanus, Sebaſtianus Franco, Henricus Mutius: ſed diuerſa narrant penè ſinguli. Nos quod in noſtris Annalibus lectum eſt, & ex maiorum relatione cognitum, fideliter expoſuimus. Iſenbergum arx filiorum Conradi in Boemiâ occupatur à Georgio Podiebrado, Ladislai gubernatore: qui verebatur, ne per prætextũ aliquem ab Electore occuparetur, cui vicina Bruxia adhuc oppignorata erat. Cum ab arce, quã armis Boemi inuaſerãt, domũ redirent: inopinato incendio arſit oppidũ Bruxia; quidam in id irruendum clamabant, turbatis ciuibus, eisque opem ferendam, ſed diſſuaſit Georgius: nam in arce præſidium Miſnenſium *Supplicium de raptoribus.* *Bruxiæ incendium.*

 erat.

Fridericus II. Placidus El. Sax. erat. Crematâ maximâ oppidi parte, opifices multi in alia loca ſe contulerant, in quibus victũ quærerent fortunis abſumptis: quod cum ad oppidi perniciem & ſolitudinem ſpectaret: Boemi turpe id fore putantes, vacuum ac penè deſertum oppidum ſibi rurſus vendicant, vt ope communi ciues miſeros ſubleuarent. Miſnenſibus perſuadent, vt arce diſcedant: ...nque committunt Baroni Haſio, qui tam diu teneat, donec cum Electore tranſigatur.

Ademptum eodem anno Leiſnicium eſt Georgio Comiti: qui ſedem cum tribus filiis tranſtulit Penicam: cauſa in annalib. ſiletur, ſed ex temporum motu colligitur, eum in bello ciuili Electori fuiſſe aduerſatum. Incidit in alterum annũ expeditio per
1455. Germaniam contra communem nominis Chriſtiani hoſtẽ Turcam: qui in Vngariam centum quinquaginta millibus barbarorum irruperat, ad eum repellendum Capiſtranus Principes vndique adhortabatur. E ditione Electoris paſsim multi proficiſcebantur in eam militiam: quæ duce Ioanne Hunniade, Regis Matthiæ patre, feliciter eſt finita. Rebus domi trãquillis Elector cum fratre leges emendat, & rem nummariã reſtituit: cumq; moneta exterorum viliore reiectâ, nouam ipſi cuderent cæteris probiorẽ: ea non diu durauit, tandem cum Heſſo & Brunſuicenſe conſenſum eſt, vt eodem precio ac probitate nummos argenteos ipſi quoque cuderent. Tum diſputationes ortæ, ſunt aliquoties repetitæ & agitatæ noſtris temporibus, vtrum ſit conducibilius Reip. & Principibus, vilem habere & mixtam monetam, an precioſam atque puram. Dici in vtramque partem multa poſſunt, & ratione quidem: ſed Illuſtriſsimi Saxoniæ Duces ad hoc vſque tempus prætulerunt magnâ ſua laude, nec exiguo populorum ſuorum fructu precioſiorem: ſic, vti cæteris nationibus leges meliores ac diſciplinam cultiorem, ita etiam nummos probatiores habeant.

Expeditio in Turcam, duce Ioanne Hunniade.

Rei nummariæ emendatio.

Rege LADISLAO caſu mirabili & repentino præter opinionem extincto è nobilitate eligitur GEORGIVS Podiebradius Rex in Boemiâ: Matthias Hunniades in Vngariâ. Georgius actionem contra Electorem renouat de reſtituendis vrbibus atque arcibus ad regnum Boemiæ pertinentibus. Interea Elector Noribergam vocatur ad componendam litem inter Bauarũ & Brandeburgicum: ſed cum neutra pars cederet, aut vtilia audiret, nihil in præſenti actum eſt; & bello demum finis controuerſiæ impoſitus. Electoris natu maiorem filiam ducebat ALBERTVS Brãdeburgicus, à Siluio dictus Achilles Germanicus: nuptiæ celebra-
1458. tæ Id. Nouemb. M. CCCC. LVIII.

Controuerſia de quibusdam arcibus & vrbibus à Georgio Rege renouatur.

Is ſtatim

Is ſtatim poſt finitas nuptias à ſocero ad conuentum Egram mittitur, vt cauſa inter Boemos & Miſnenſes, quæ Rege priori viuente determinari Pragæ & Vratislauiæ non potuerat, maiore diligentiâ tractaretur. Nihil pro ſuâ autoritate omittit Brandeburgicus, quò illam controuerſiam dirimat; & nouas amicitias inter Regem nouum, & Duces Saxoniæ conciliet. Vocatus deinceps eôdem eſt Elector ad præſtandam obediẽtiam, cum ſolenni pompâ ſacramenti: cui Rex omnia humanitatis officia exhibet. Cauſa etiam de finibus vtrinq; pertractata & diiudicata eſt: Rex iuri ſuo, quod haberi in Miſniâ viſus fuerat, pro ſe poſteriſque ſuis in perpetuum renunciat; præſentibus Electoribus aliis, Ludouico Palatino & Alberto Brandeburgico, & Principibus multis. Arcium autẽ & oppidorum nomina corã regni ordinibus conſignabantur literis; quæ noui fœderis cauſâ tum temporis conſcriptæ conſignatæq; ſunt. Elector contrà reſtituit oppidũ & arcẽ Bruxiam, & aliã arcem Riſenberg, cis ſiluam ſitam: nam quæ trans ſiluã erant, manſerũt Ducibus Saxoniæ tranquillè poſsidẽda. Ceſſerãt antea oppido Cometauio Anargus & Henricus fratres, Vualdenburgi & VVolckenſtenij domini: quorum ditio propter ipſorum æs alienum divendita, & familia ipſa paulò pòſt, ipſis ſine hęredibus defunctis, eſt extincta. Similiter Dux Vilhelmus ius ſuũ dimittit, ꝗ dotis nomine in Boemia Luſatiaq; habebat. Poſſeſsio arcium & oppidorũ quatuor & ſexaginta, de quibus controverſia fuerat, minori Electoris filio traditur Alberto, cum inſignibus & titulo Marchionis Miſnenſis. Deſpõdetur deinceps eidẽ filia Regis Zedena: filio autẽ Regis Henrico nubit filia Vilhelmi Anna. In ſequente anno III. Id. Nouem. Vilhelmus Regio iuueni filiã cum tribus equitũ millibus Egrã deducit: in eius comitatu erant Fridericus Antiſtes Magdeburgicus & Marchio Albertus. & Eodem acceſsit Rex Boemus cum filiâ, deducens eam Alberto Electoris filio. Pompa illorũ dierũ frequens & celebris admodum fuit, apparatu ſplendidiſsimo & ludis equeſtribus varijs. Vincere Saxones Boemi omni ſtudio contendebãt, & armis quiſq; conſpicuus atq; invictus eſſe ſatagebat. Palma tamen ALBERTO Miſnenſi omnium ſententijs data, cuius indoles & virtus admirationi fuit: nondum enim annum ſextum decimum egreſſus erat. Nuptiis peractis inſigni magnificentiâ ſuam quiſque ſponſam domum deducit, quæ nubiles nondum erant: nam Regis annum nonum, Vilhelmi ſextum agebat: propter linguæ autem commercium malebant apud ſocrus, quàm in matrum gynæceis educari atq; inſtitui. Alberto verò curæ inprimis erat, ne Huſsitarum religione imbueretur: quæ quòd pontificiæ aduerſa erat, in prauis atq; damnatis habebatur. Iam

Fridericus II. Placidus El. Saxon.

Affinitas Ducum Saxoniæ cum Rege Bohemiæ.

1459.

Fridericus II. Placidus El. Sax. Iam ab vno atque altero anno in vaſtis & ſilurſteib. montibus metalla plumbi nigri feraciſsima Geuſinbergi florere cœperant, in finitimis Graupæ montanis. Immunitates autem cum *Fodinæ Aldenbergenses.* daret Elector iis, qui metalla foderent; breui oppidum Aldenbergum condi cœptum: vndique confluentibus exteris ſpe diuitiarum allectis. Ibidem excogitatæ inuentæq; machinæ ad aquas extrahendas ex profundiſsimis puteis: quibus maiores & operoſiores ante id tempus non creduntur fuiſſe. Damna in bellis illata, DEVS hoc munere quaſi compenſare voluit.

Fridericus Elector moritur. Elector autem redactâ in patriam pace, rebusque domi ac foris compoſitis, mortalem cum immortali vitâ permutat VII.
1464. Idus Septemb. M. CCCC. LXIV. obiit Lipſiæ: conditur Mile- *Error tumbæ.* næ in ſacello, quod ipſe ad Baſilicam antiquam extruxerat. Extat adhuc tumba ænea, in quâ tamen numerus anni deprauatus eſt: nam dies obitus eius patri inſcriptus legitur, qui Aldenburgi (vt dictum) ſepultus eſt. Tumba autem cum ab Erneſto demum filio extructa fuiſſe videatur: error culpa artificum inſciorum videtur commiſſus.

HENRICVS.

HENRICVS, II. Electoris Friderici primogenitus filius obiit
1435. XI. Cal. Auguſti M. CCCC. XXXV.

FRIDERICVS.

FRIDERICVS, ſecundi Electoris Friderici alter filius, obiit M.
1451. CCCC. LI. in fine menſis Decembris, circa annum ætatis duodecimum.

ALEXANDER.

ALEXANDER, II. Electoris Friderici tertius filius, obiit M.
1446. CCCC. XLVI, Hi omnes Miſenæ ad patrium monumentũ conduntur; quorum nomina à pleriſq; omiſſa, ex annalibus Miſnenſibus & ex tabellâ olim ad ſepulcra appenſa deſcripti, & eodem modo in annalibus inueni.

ERNESTVS ELECTOR.

1441. ERNESTVS, II. Electoris Friderici filius quartus, naſcitur Mi- *Ernesti matrimonium & liberi.* ſenæ 8. Cal. Apr. anni M. CCCC. XLI. nonâ horâ pomeridianâ. Vxor eius ELISABETHA, Alberti III. Bauariæ Ducis filia: Filij, FRIDERICVS III. Elector, ALBERTVS Antiſtes Moguntinus, ERNESTVS Magdeburgicus, VOLFGANGVS prima ætate mortuus, IOHANNES Elector. Filiæ, CHRISTINA nupta Ioanni Regi Danorum, MARGARITHA Duci Brunſuicenſi Henrico, Othonis filio.

Fuit Erneſtus ſapientiâ, virtute, integritate Princeps maximus: liberis,

liberis, fortunis, opibus, gratiâ, florentiſsimus. Poſt bella grauiſsima & varios fluctus Reip. eius moderamine iuſto & quieto ciues recollegerunt vires amiſſas, & reſtituta patriæ diſciplina eſt. Diuinæ prouidentiæ munus, dari poſt bellatores pacis & concordiæ ſtudioſum Principem, fouentem iuſtitiam & tranquillitatem, omnibus mortalibus bona ſalutaria. *Erneſtus El. Sax.* *Erneſti adminiſtratio Reip.*

Altero poſt obitum patris anno, ad FRIDERICVM Imp. auunculum ſuum ERNESTVS & ALBERTVS proficiſcuntur: vt maiorum inſignibus de more ornarentur, & fidem pariter darent Imperatori debitam. Inuitati à Norinbergenſibus & Ratisbonenſibus eas vrbes perluſtrant: & per Danubij ripam mille equis Viennam deſcendunt: inde Neuſtadij Imperatorem ſalutant & conueniunt. Habiti perbenignè ab Imperatore, datis acceptisque dextris, titulum & dignitatem Electoris Erneſtus, ambo ducatus Saxoniæ, & reliquarum prouinciarum inſignia accipiunt. Inde ab ſalutandum quoque Regem affinem, per Morauiam atque Boemiam ſeſe Elector domum recipit. *Erneſti & Alberti iter ad Imp.*

ALBERTVS Princeps Brandeburgicus bellum gerebat in Sileſiâ, propter ducatum Croſſanum, quem ſibi (neſcio) quo iure vendicabat, contra Ducem Saganum Ioannem: Brandeburgicus autem ab Erneſto auxilia petiit & impetrauit. Dux Saganus eò tandem redactus inopiæ eſt, vt ſuam ditionem venderet, vt mox pluribus dicetur. *Alberti Brand. burgi bellum cum Ioanne Saganenſi.*

Primam autem ipſe ERNESTVS expeditionem ſuſcepit contra Plauenſes: nam ab eo populus nimium preſſus defecit, ſeque ad Saxoniæ Duces contulit. Accuſabatur Plauenſis profuſionis & iniuſticiæ, quòd in adminiſtratione negligens, atque violentus exhauriret ciues ſine causâ, ditaret miniſtros, ipſe perpetuò egens. Multò autem magis accuſabatur vxor eius Bunana Eliſtroburgica; quòd ea fundos fructuoſos & ſibi oportunos tàm ciuibus quàm nobilibus per vim eriperet, & loca culta redigeret in pecuarias: dicens maiorem vtilitatem percipi è ſtabulis ouium ac iumentorum, quàm ex hominum villis atque tuguriis. Plauenſis autem ſæpius interpellatus & admonitus, nec amicorum conſilia nec ſubditorum queleras admiſit, iurgio & importunitate (vt ferunt) vxoris. Elector tàm à nobilitate quàm à plebe rogatus IV. Idus Februarij M. CCCC. LXVI. in Vodlandiam mouet, agrum Plauenſem prædabundus ingreditur. Pauciſsimi erant, qui cum ſuo domino facerent; nec iis fidere tamen ipſe audebat: ij autem, qui ab ipſo locupletati auctique erant, timentes ſibi, dominum aut deſerunt, aut cum eo fugam capeſſunt. *Erneſti expeditio contra Plauenſes.* 1466.

Igitur

Ernestus El. Sax. Igitur ciuibus non repugnantibus oppidum præcipuum Plauam Elector occupat: tum arcem oppidi capit, & illam omnium antiquiſsimam Vodbergam, quam nonnulli à Druſo prætore Romano perhibent extructam: vnde etiam Vodlandiam quaſi terram prætorum, ſeu, vt ſcriptores recentiores, aduocatorum dictã volunt. Veterem ibi Nariſcorum ſedem fuiſſe veriſimile eſt: ſed quid in illis locis egerint Romani, verè affirmari non poteſt. Olsnicienſes & Adorfij ſponte in caſtra veniunt, ſeſeque dedunt. Aſperitate hiemis multi de Electoris exercitu perierunt. Plauenſis amiſſâ ditione confert ſe in Boemiam: cui certam pecuniam Elector numerat, de quâ Deuſingam oppidum & Engilsburgum emit.

Factio Stelmeiſiorum. Eodem anno Stelmeiſiorum factio valdè affligebat prouinciam Brandeburgici: cumque (vt fit inter malos) adeo augeretur, vt & oppidis & arcibus eſſet metuenda: Elector ad eam opprimendam ei equites Miſnenſes mittit: qui manifeſtè tenebantur, eis auferebantur fortunæ, ipſi includebantur carceribus, ſuſpectiores ſe purgabant iureiurando.

Diræ Pontificiæ in Regem Georgium. Res Boemicæ tum temporis turbulentæ adhuc erant; & propter cauſam nouæ religionis tota fuerat perturbata Germania. Cum potentiæ Regis GEORGII, inter ſuos populares gratioſiſsimi, inuideretur; & qui regnum ambirent, Pontificis Pauli II. gratiam aucuparentur: factum eſt, vt ipſi Georgio ſacris; iis, qui eum Regem venerarentur, aquâ & igne interdiceretur, tanquam hoſtibus Eccleſiæ Romanæ inteſtabilibus. Quicquid alij conſequerentur meriti bellando contra Turcas; item Romanâ, Compoſtellanâ, Hieroſolymitanâ peregrinationibus; item eleemoſynis, inediâ, orationibus, extruendis templis & clauſtris; id omne conſequi, qui arma ferrent contra Boemum, & eius prauæ ſectæ ſocios. Legatum cum ſummâ poteſtate mittit in Germaniam Pontifex, qui eas diras denunciet: alium in Sileſiam, qui populum iureiurando abſoluat: Vngaro & Polono auxilia promittat, qui Boemiam occuparent: Sternbergios & Haſios Boemiæ primates literis & præmiis animet, vt contra Regem factiones alerent. Imperatorem denique adducit, vt Noribergam ad Comitia Principes vocaret. In iis Comitiis mandatur Ordi-*Comitia Noribergenſia.*nibus Imperij, vt arma alacriter ſumant, ſuis ipſi copiis præſint, tranſitum in Boemiam ituris patefaciant & permittant, ſacram militiam omnibus opibus & beneficiis adiuuent. Appellatur inprimis Elector Saxoniæ, vt virtutum patris atque aui ſui meminiſſe, & auſpicium bello propter vicinitatem facere velit. Is ne

inſolenter

inſolenter agere aut præfractè videretur, ſpacium ad conſulendum poſtulat: tandem de VILHELMI patrui, & ALBERTI fratris ſententiâ in hunc modum reſpondet: Maiorum ſuorum pietatem atque fortitudinem nulli mortalium obſcuram, qui initio cum aliis, poſteà ſoli obſtiterat vicinis turbulentis & crudelibus: tot inflammatas vrbes, tot arcès euerſas, tot exciſa oppida, eſſe monumenta & indicia oculata: quæ ipſorum voluntas fuerit tuendæ religionis: geſtum eſſe bellum vltra annos quadraginta, aliquot commiſſa prælia infauſta: in oppidorum externorum præſidiis occiſum militem: proditam nobilitatem: irruptionem ter factam in Miſniam: intra penates & templa plebem aut vinctam aut jugulatam: exhauſtas omnibus rebus neceſſariis ſuas prouincias: exceptis iis, quos ipſi aut ſtipendiis euocauerint, aut aluerint ciuium bonis: fuiſſe auxilio neminem. Hæc non egere probationibus, quia ſint in hominum memoriâ. Tot iniuriis, damnis, calamitatibus adactum patrem ſuum, vt pacem faceret cum Boemis & affinitatem iniret cum Rege GEORGIO: idq; ſe feciſſe non inſcientibus neque repugnantibus Pontifice & Imperatore. Nunc ſibi eſſe difficilimum arma contra potentiores ſumere: impium, fœdus cum cognato initum violare, & cæteris præbere anſam belli contra amicum: ſuum verò fratriſque animum vt obedientem, operamque paratam Imperator cernat, ſe hâc conditione pugnaturum, ſi Imperator ipſe expeditionem in Boemiam faciat, aut ſuo nomine belli ducem è Principibus Germaniæ decernat, ſique Electores & Principes cæteri vnà militent. Id ſi fiat, aui patriſque exemplo ſe non defuturos cauſæ publicæ, & ante laturos religionis nomen fæderi & affinitati. Nam pro ſacris, pro Imperio, non ſolùm fortunas, ſed vitam in diſcrimē ponere, ſibi videri pulcherrimum. Prudentia Electoris commendata plurimum fuit: & quia non iniqua dixit, compelli vltra non potuit. Diſputata variis rationibus cauſa cum eſſet, conuentus ſoluitur.

Erneſtus El. Sax.

Erneſti reſponſio.

Principes autem quantum quisque poterat, bellum contra Boemos, quod paucis feliciter euenerat, detrectabant. Pontifex nō quieſcendum ratus, ſuū inſtitutum gnauiter perſequitur: per Imperij oppida, nouum legatum dimittit, qui militaturis culpæ & pœnarum veniam nunciet, eosq; à commiſſis committendiſque peccatis abſoluat, ſoboli in quartam vſque progeniem bona eadem polliceatur. Regis nomen GEORGIO, ius ſucceſſionis filiis abrogatum: factoſque omnes eorum aſſeclas, anathemata:

Pontifex Principes ad bellum Bohemicum ſuſpiciendum exhortatur.

Erneſtus El. Sax.

in eos licere omnibus, quidquid poſſent aut vellent: talem hominem qui tollat, illum facere Deo: bona qui eripiat, tantum mereri, quantum largiendo pauperibus mereatur. Militum volonũ ingens multitudo vel religione vel ſpe prædæ, Norinbergâ, Erfurdiâ, Magdeburgo, Vratislauiâ coiuerat, & in Boemiæ finibus non ſine maleficio graſſabatur: ſed quia duce illuſtri carebant, nec tormenta habebant bellica, prædam non retinent, & paſsim in itiheribus & ſiluis opprimuntur: nec euaſiſſet ex iis quiſquam, niſi Fridericus Schonburgius Miſnenſis, ſtirpe ingenuâ ortus, aliquot ſigna collecta reduxiſſet in patriam. Imperator cùm ſuorum negociorum causâ in Italiam iret, nec vllus Germaniæ Principum in id bellum incumberet: Georgio non valdè incommodatum fuit: qui vbicunque poterat, ſuppetias oppreſsis ferebat, hoſtes repellebat, nutantes confirmabat.

Contentio Vngariæ & Poloniæ Regum de regno Bohemiæ.

De regno Boemiæ inſtinctu Romani pontificis duo fortiſsimi Reges contendunt, MATTHIAS Vngariæ, & CASIMIRVS Poloniæ. Imminebant tum Chriſtianis arma Turcica: ſed Pontifex ſuæ timens potentiæ, acerbiùs oderat Boemos, quàm Turcas: & inteſtinum hoſtem magis formidabat, quàm remotum. Regnum igitur Boemiæ offerens MATTHIÆ eius conatus præclaros, imo inchoatum victoriæ curſum retardauit & impediit in Vngariâ. Polono magis tum fauebant Boemi, & erat addictior eidem Imperator. In his motibus Vratislauienſes magni aliquid facere aggreſsi (Sileſia enim & Luſatia propemodum omnis à Georgio defecerat) militem conſcribunt, vrbem ſuam valido præſidio muniunt. Id intelligentes volones, qui ſupererant omnes accurrunt: è quibus nobiliores etiam ſtipendiis inuitabantur. Vratislauienſes igitur equitibus octingentis & ſex hominum millibus vicina caſtella & oppidula, quæ in fide Georgij adhuc erant, capiunt: tum militem ſuum arci Francheſteino imponentes, in agros finitimos excurrunt. GEORGIVS Rex ope aliorum Germanorum deſtitutus erat, exceptis Saxone & Brandeburgico: quos cùm de periculo ſuo, & de Vratislauienſiũ iniuriâ feciſſet certiores, equitatum ei continuò mittunt: pedites Boemi Franchẽſteinum obſident; Equites Germani in ſocios Vratislauienſiũ excurſionem faciunt. Tale nihil metuerant qui arcem tenebant: tum inter ipſos & volonum colluuiem nullus erat conſenſus. Dum quid faciendum ſit, dubitant, & inter ſe ſententiis digladiantur: Saxones improuisò in oppidum arci ſubiectum irrumpunt. Equites Vratislauienſium portâ aliâ effugientes, magnâ ex parte euadunt: milites eâdem trepidatione arcem deſerunt: volonum circa quatuor millia à Boemis obtruncantur: capti

capti aliquot è nobilioribus mulctantur pecuniâ. Clade iſtâ ac- *Erneſtus El. Saxon.*
ceptâ, non ſolùm Sileſij, ſed & alij hoſtes Georgij quieſcunt, &
occaſionem meliorem expectant.

Pontifex omnem mouere lapidem non deſiſtit, quò regno atq; ſolio ipſum deturbaret, Vngaro perſuadet, vt impreſsionem in Morauiam faciat: Polono vt ſibi vſurpet Sileſiam.

ERNESTVS & ALBERTVS Saxones, circa id tempus compararunt arcem Doleſteinam & ducatum Saganum.

Anno M. CCCC. LXXII. initio Ianuarij apparet cometes 1472.
ingens, qui vno menſe & dimidio viſus fuit.

Eodem anno cœpit florere Schnebergum metallum, quo v- *Schneber-*
berius in Germaniâ in hunc diem non fuit. primæ autem fodinæ *genſes fodi-*
fuerunt Diui Pauli, & diui Georgij: venarum argenti feracium *næ.*
fructus ampliſsimus, ita vt non numeraretur cultoribus moneta percuſſa, ſed vt maſſæ argenteæ appenderentur infectæ. Argentum tam multum ſolidumq; fuit, vt Magiſter metallicorum in eo menſam & ſellas excinderet, & Ducem cum ſuis aulicis ad accumbendum ibidem inuitaret. Frequentia hominum ad ea loca commeantium effecit, vt Snebergum coleretur: & nouum oppidulum (hoc enim appellatur nomine) in ſubiectâ valle ad alterum oppidum montanum conderetur.

Inſequente anno menſe Octobri arcem Riſenbergiam in 1473.
Boemiâ Elector obſidet, expugnatam inflammat: eam primum *Riſenbergia*
tenuit familia inde dicta, quę cœnobium Oſsigam condidit. Ce- *expugnata.*
pit etiam arcem & oppidum Duxam: ad quam tormentis & *Duxa ca-*
miſsilibus non pauci ex Miſnenſibus interierant. In earum arciũ *pta.*
præſidiis multi Boemi capti, & in Miſniam abducti ſunt, qui libertatem pecuniâ redemerant.

Cum VILHELMO patruo fratres Principes paulò pòſt Lip- *Principum*
ſiæ conueniunt, & de variis rebus ad Remp. pertinentibus con- *Saxoniæ*
ſultant: nam mala, quæ ex diſcordiâ & diſtractione oriri tàm *conuentus*
Principibus quàm populo ſoleant, VILHELMVS expertus erat: *Lipſiæ.*
& ſuos agnatos quàm coniunctiſsimè viuere cupiebat. Itaq; coram omnibus ordinibus eos hortatur, operam dent, ne aliqua a- *Concio Vil-*
nimorum diſiunctio leuibus de rebus oriatur: ſin orta fuerit, *helmi Ducis.*
quàm primùm cauſa cognoſcatur & diiudicetur: obſecrat, vt iuſtitiam ament & virtutem, & ſibi errorẽ demonſtrari animo iniquo aut iracundo ne ferant: vtque alter (ita vti fratres decet) alteri facilitate concedat, beneuolentiâ ignoſcat.

Inuehitur deinde grauiter in miniſtros, qui non Principes ament: ideò quia amandi ſint, ſed vt ſuam potentiam augeant,

Erneſtus El. Sax.

aut ſibi opes magnas adiungant: obſcuris deinde ſermonibus aliquorum qui aderant, cupiditates & fidem lubricam perſtringit: auctores bellorum ciuilium, quæ afflixerint ſe atque maiores ſuos, acerbis verbis deteſtatur. Conuerſo deinde ad ordines præſentes vultu atq; ſermone, vniuerſis commendat patriam: quâ ſaluâ, cunctis benè ſit: commendat Principes, quorum dignitatẽ tueri, eſt defendere propriam. Nullum maius bonum eſſe ciuibus, quàm pacem: nullum præſidium tutius, quàm fortem principem. Hâc concione habitâ, incredibilis omnium oratio fuit, ducem olim bellicoſiſsimum tam commodè atque ſeuerè de pace loqui: eò autem magis animos penetrabat oratio, quia nouerant belli incommoda expertum dicere. Multæ tum controuerſiæ diuturni temporis ipſius auctoritate compoſitæ ſunt; & is cõuentus futuræ pacis magnam omnibus ſpem atque lætitiam attulit. Ferunt indeſcenſu è curiâ dixiſſe ipſum ALBERTO, cuius ingenium acre videbat: tu aliquando me vera dixiſſe profiteberis: ſuperos autem precor, vt tu ditior ex bellis, quàm ego, euadas.

Intra annos duodecim, facto initio ab anno ſeptuageſimo, partim improbitate, partim negligentiâ hominum hæ vrbes & oppida igne cremantur, Elboga, Friburgum, Odera, Erfordia, Oſterfelda, Zigenrucca, Numburgum, Mersburgum, Schmidberga, Dummitium.

Bellum inter Mathiam & Caſimirum Reges de regno Bohemiæ.

Iam Reges potentiſsimi Vngarus & Polonus de Boemiâ contendentes copias ingentes duxerunt in Sileſiam: MATTHIAS ad mœnia vſque Vratiſlauiæ cum cæde atque incendio progreſſus, ad ipſas portas iuxta fanum diui Vincentij caſtra locauerat: CASIMIRVS quatuor inde milliaribus agrum Oppalienſem vaſtabat. Elector magnum Germaniæ periculum eſſe præ foribus, nec Reges exteros fore in victoriâ temperantes, facile prouidebat. Ideò patriæ cauſam ſuſcipiens, conſilium communicat cum ALBERTO Electore Brandeburgico: qui cum paratus eſſet ſalutem communem vnà tueri, ſuam illi operam opemque pollicetur. ERNESTVS igitur nihil moratus mille & quingentis equitibus, quos è ſuis prouinciis conſcripſerat, Vratiſlauiam contendit: domi mandata relinquit, ſi res poſtulet, vt plures ſequantur. Quantas copias duxerat Brandeburgicus, non legi: neque idem legi, quod Mameranus ſcribit, Matthiam duce Erneſto bellum ſponte denunciaſſe: nam tot bellis diſtricto ſtultum fuiſſet, potentiſsimum Germaniæ Principem laceſſere.

Erneſti Saxonis & Alberti Brandeburgici legatio ad Reges.

Cum ſuum equitatum coniunxiſſent Saxo & Brandeburgicus, legationem ad ambos Reges decernunt: primum monent, vt ſine

vt ſine detrimento populorum regnum quærant, nec eos pergant exhaurire & perdere, quos ſperent ſeſe habituros ſubditos: tum ad arma deponenda hortantur, & ab aditu Germaniæ deterrent: ad extremum ſe adiutores profitentur fore eius contra alterum, qui ſua conſilia reſpuat, & modum non ſtatuat cupiditati. MATTHIAS primùm legatos non valdè curare: deinde minitare Principibus ſuo conatui ſine causâ obſtantibus: nam vt perpetuò hoſtilem in Germanos animum habuit: ita coram legatis ſimulare odium non potuit. Præfecturam apud eum militarem gerebat Georgius Stenius è Marchiâ, Germanus: cuius fidem atque virtutem perſpexerat, & quem Budiſsinenſibus præfecerat: is animũ Regis eò perpulit, vt legatis maiorem exhiberet beneuolentiam: non tamen ab iniuriâ, dum negotium vtrinq; tractaretur, MATTHIAS abſtinuit. nam aduerſus Polonum dare aliquod ſuæ aſtutiæ atque fortitudinis documentum cupiebat CASIMIRVS multò erat æquior, & auditis clementer legatis, à graſſatione, dũ de pace ageretur, ſuos prohibuit. Parum autem abfuit, quin cum legatis oppreſſus eſſet in caſtris, ad quæ cum magnâ celeritate & impetu MATTHIAS acceſſerat, & non paucos è Polonis & Tartaris obtruncârat. Germani autem Principes Vngari pertinaciâ minimè deterriti, nec eius ſucceſſu timidiores, ſeriò agunt pacis negotium, voluntq; è Germaniâ exercitus educi: idq; nunquam non aſſentiente illis Polono. Quamobrem cum MATTHIAS conſideraret, quibus viris armisque inſtructi Germani veniſſent: ſimulque vereretur ne in aduerſarij Regis partes inclinarent, datâ iam ſuæ virtutis ſignificatione, quòd Polonum Ducibus inſpectantibus opprimere potuiſſet; illâ gloriâ contentus, conſilia de de pace tandem admittit. Ambo igitur Reges partim bellis domeſticis reuocati, partim metu Principum ſubacti, exercitus domum reducunt: quatuor ſinguli legatos ad tractandum negotiũ relinquunt. Vngari nomine manebat Rechenbergius eques Miſnenſis. Poloni verò, Hauguicius Luſatius, qui in regum exterorũ caſtris meruerant: Brandeburgicorum nomina expreſſa non inueni: ſed Saxonis nomine conſultando affuerunt, Vilhelmus Comes Hennebergius, Hugoldus Sleinicius, Ditericus Schonbergus, Ioannes Scheiba Lipſienſis Iureconſultus. Prudentiâ igitur ERNESTI conſtantiſsimâ, & eximio labore effectum eſt, vt à Germaniæ ceruicibus, duo illorum temporum Reges formidabiles, & gentium exterarum arma crudelia auerterentur. Igitur quod vaſtationes prouinciarum, vrbium excidia, ſpoliationes agrorum, expilationes plebis, raptus matronarum & virginum,

Erneſtus El. Saxon.

Matthiæ faſtus. & hoſtilis animus.

Caſimiri æquitas.

Reges exercitum abducunt.

 cædes

Erneſtus El. Sax.

cædes virorum ſortium, vincula hominum liberorum, prophanationes ſacrorum, legum atque diſciplinæ euerſio, ſeruitus denique miſera & turpis non ſint conſecuta; ſed ab iis incommodis omnibus liberata Germania: id poſt Deum, ERNESTI optimi atque ſapientiſsimi Principis beneficium fuit.

Erneſti filij poſtulantur in Antiſtites.

Apud ſuos autem ſummâ tranquillitate, & præclarâ laude iuſtitiæ tenebat imperium: cuius filij domi foriſque honeſtè & liberaliter educati, magnæq; virtutis inſigni indole adoleſcentes ante annos poſtulantur, alter in Moguntinum, alter in Magdeburgicum Antiſtitem: illius gubernatio quieta & non diuturna, huius laborioſior & difficilior fuit. Ciues enim aliquot potentes & nummati ſuorum Antiſtitum contemptu, leges negligebant, diſciplinam laxabant, & cum ferocitate & laſciuiâ tumultuabantur.

Erneſti bellum Quedlinburgicum.

Primi in Herciniâ fuerunt Quedilnburgij: ij ſororem Electoris, ſummi ſacerdotij honore præditam, nullâ in re audiebant: ea de iniuriis conqueſta fratri, orat, vt vetera Eccleſiæ iura, & Imperatorum ſanctiones, & ſuam dignitatem tueatur: reprimatq; ciuium factioſorum ſuperbiam. Deferebantur per idem tempus aliæ querelæ ab Antiſtite Magdeburgico, de ſuorum ſubditorum inſolentiâ non ferendâ. Elector ſorori primum opem fert, ſi fortè exemplo vicinorum mouere Saxones poſſet, vt proniore voluntate & modeſtiâ dominis legitimis parêrent. In agrum igitur Hercinium profectus, oppidum Armeslebam, arcem Falcoſteinam, cœnobium Conradibruccam, ſororis nomine occupat. ALBERTVS frater, cum delecto equitatu celeriter progrediens, antequam capta loca iſta ſcirent, mœnibus Quedilnburgi appropinquat: noſtri aditum quærentes ad irrumpendum tormentis diſploſis arcentur. Interea ſubſecuti pedites alij portis ſubeunt, & eas ſecuribus perfringunt; alij cuniculos ad mœnia agunt, donec ſcalæ fabricarentur; telorum & lapidum iactu, plurimi oppreſsi & vulnerati ſunt. Verùm cum maiorem aduentare exercitum ciues cognoſcerent, terrore timidi, & malèferiati ita percelluntur, vt ex arce fugerent, & oppidum relinquerent indefenſum: in eâ fugâ pauci ex Herciniis interfecti, pars eorum maxima comprehenditur. Antequam Elector cum milite reliquo ſequeretur, oppidum diripitur. Ipſe in oppidum vacuum ingreſſus: cauſam tumultus è ſorore ſciſcitatur, & arce occupatâ, ſenatum conuocat, & temeritatem reprehendit: in quo religione iuriſiurandi ſeditionis auctores inquiruntur, qui indicio patefacti, pœnas capite luunt: alij bonis priuati cedere patriâ iubentur: nobilibus ſuſpe-

ctis

ctis dies dicitur, quo ad obiecta reſpondeant, aut in hoſtium numero habeantur. CAROLVS Magnus è Germanis primus Imperator Romanus, in liberis Saxoniæ ciuitatibus ſtatuam Rolandi in conſpicuo vrbis loco ponendam ſub dio conceſſerat, quemadmodum olim ſtatua Marſyæ, & in Græciæ ciuitatibus, & in foro apud Romanos collocata fuit: eiusmodi in foro Quedlinburgio tùm temporis erat; eam in ademptæ libertatis dedecus, qua vti proteruum vulgus neſciuerat, æneo tormento deijci atq; comminui & locum complanari iubet. Molendina ciuibus erepta, ſacerdoti aſsignat: & pecuniam annuam numerandam præſcribit; & vrbi dat præfectum, & leges condit, ſecundum quas viuant. In eâdem vrbe ſepulcra, ſunt Henrici I. Imperatoris cognomento Aucupis, & Mechtildis vxoris eius, & filiæ matri cognominis, ſacerdotis maximæ. Ipſius Imperatoris adhuc viſitur ſine vllâ magnificentiâ. Halberſtadij illis ſocietate iuncti fuerant, & auxilia tulerant, & eiectos factioſos receperant: in eos exercitum ducturus Elector, per Præſulem Gebhardum placatur: quem etſi minimè obſeruarent ſubditi ſui, tamen illius causâ aut incommodi alicuius aut interitus eſſe noluit: mitiora autem agitabat conſilia, vt potiùs bonitate & patientiâ frangeret, quàm vi manifeſtâ magis alienaret. Talis viri leniſsima indulgentia apud nobilitatem effrenem & vulgus imperitum nihil effecit, donec illi administrator eſt adiunctus Antiſtes Magdeburgicus filius Electoris: cuius potentiam veriti, ſimulatione obſeruantiæ quieuerunt. *Ernestus El. Saxon.*

Halis Saxoniæ lauta admodum vrbs eſt, & propter fontes ſalis à Cornelij Taciti celebrata temporibus: nam de iis fontibus Catti & Hermunduri inter ſe præliati ſunt. Ea vrbs initio ad diœceſin Mersburgicam pertinuit; poſtea Antiſtiti Magdeburgico fuit ſubiecta. In ea vrbe multum inter ſe diſſentiebant, & qui è ſalinis magnos fructus caperent, homines diuites, & reliqui opifices plebeij, qui ſuarum manuum laboribus viuerent. Illis acceſſus patebant ad munia publica, & dignitates ciuiles: quas ita tenebant, vt cum ſuis clientibus poſsidere regnũ viderentur: reliqua verò multitudo deſpectior, ſeruilem in modum tractabatur: tacebant leges, diſciplina, iudicia: verùm vt impunis eſſet licentia atq; libido, largitionibus ſibi fautores & patronos comparauerát in aulâ Ioannis Antiſtitis. Is cum annis & valetudine eſſet infirmior, ſuis cõmiſerat adminiſtrationẽ, & ſibi iam aſciuerat collegã ERNESTVM Electoris filiũ, qui & adoleſcẽs erat, & ſuprema poteſtate nondum potiebatur: igitur ciues illi opulentiores abutentes ætate ſuorum dominorum, luxui & voluptatibus dediti, *Hala.* *Sedi. Halæ.*

Erneſtus El. Sax. nihil quicquam curabant publica: in conuiuiis, nuptiis, Chariſtiis & aliis congreſsibus honeſtis ſumptus immodicos faciebant: qui eam exæquare magnificentiam non poterat, pro tenui & vili reputabatur. Siquid neceſsitatis causâ in Rempub. aut honoris aut beneuolentiæ gratiâ in ciues pauperiores conferendum eſſet; ibi reſtricti & tenaces eſſe, & plebem queritantem cum contumeliâ dimittere. Erant tribus in vrbe ſex, in quas omnis plebs diuiſa erat; piſtoria, laniaria, lintearia, coriaria, inſtitoria, fabrilis; quarum magiſtri tot iniuriis & apertâ oppreſsione moti, cum etiam ſuas artes & opificiæ valdè minui cernerent, ſeſe aliquoties Senatui & potentioribus oppoſuerunt. Nullo iure bonoque impetrato, libertatem armis quærere, & vrbe totâ tumultuare cœperunt. Interiecto tempore vita functus erat Antiſtes ſenior: & ERNESTVS de totâ causâ certior factus, curam plebis ſuſcepiſſet, niſi intempeſtiuâ impatientiâ incurriſſet crimen læſæ ſupremæ dignitatis. Ratus igitur ſe iuſtam vtrinque nactum occaſionem puniendi, & magiſtratus ſuperbos, & plebem dementem, idque factu facilimum fore in factioſâ ciuitate: patrem Electorem rogat, vt exercitum ad vrbem ſine morâ admoueat, & obſidionem paret. Opulentiores ſuſpectam habebant plebem, quòd Electorem accerſiuiſſet: plebs ipſa lætabatur inſperatum ſibi adeſſe auxilium; minusque detrectabat ſeruitutem, modò minore ſeruiret anguſtiâ & turpitudine. Electori itaque portæ aperiuntur, eumque vulgus cum lætitiâ & plauſu introeuntem proſequitur. Qui ſuis diuitiis & potentiâ abuſi fuerant, non ſolùm carceribus ſunt & vinculis, ſed & grandi pecuniâ mulctati: tum furor plebis cohibitus, & antiſtiti iura antiqua renouata ſunt, & aucti è ſalinis reditus. Pœnam ſuperbiæ dignam penderant ditiores, & plebem ſuſcitati tumultus ſerò pœnituit. Antiſtes in vrbem cum ſuis conſiliariis, & equitatu inſtructo veniens, iuſiurandum à ciuibus exegit: leges quasdam ſuſtulit, alias correxit, nouas multas tulit: præfectosq; monuit, cauerent, ne in poſterum ſimultates aut factiones fierent, inſolentiæ & audaciæ maturè remedia quærerent. Incidit hæc caſtigatę vrbis pœna in annũ M.CCCC.
1478. LXXVIII.

1480. Biennio poſt Elector cum delectu nobilium equitatu Romam iuit religionis causâ: ibique humiliter ſalutauit Sixtum IV. Pontificem: à quo aliquot ſacerdotiorum collationem in Eccleſiâ Miſnenſe accepit, & munus inſigne habitum, Roſam auream: eam rediens in patriam, donarij loco obtulit atque dicauit baſilicæ Miſnenſi. Aliqui ſcribunt florem amomi fuiſſe, quem Roſam

Electoris iter Romanum.

Hierichuntis

Hierichuntis nominant: ſed ea à Pontificibus non tradi ſolet, ſed Præſules tantum in collegiis ſacri loco habent, & aris imponunt feſto natalis Chriſti, tanquam miraculosè calicem aperiat, & folia explicet eo tempore: quod facere tamen ſolet aliàs, cum vino ſicca imponitur. Fuit in Ducis comitatu Ioannes V. Præſul Milnenſis, vir cumprimis magnificus, & rarò in templis, perpetuò in aulis modò Regis Boemiæ, modò Ducum Saxoniæ verſatus.

Erneſtus El. Saxon.

Abſente Electore inter fratrem & præfectos, quos reliquerant, conſenſus non fuit; qui auctoritatem ALBERTO, quam debuiſſent, non tribuerent: eaque res effecit, vt Dreſdâ proficiſcens, vbi vnà cum fratre annos multos ſummâ concordiâ cum liberis & familiâ vixerat, ſibi Torgæ eligeret domicilium: non quòd à fratre diſsideret, id quod inter ipſos auditum non eſt: ſed vt inſolentiæ eorum, qui circum fratrem erant, quæ ipſi non videbatur ferenda, cederet.

Seditio Halberſtadij.

De Halberſtadiis dici cœptum erat, quod ſui Præſulis æquitate eſſent vindicati à bello & ſeruitute: ſed non agnoſcentes tale beneficium, poſt mortem Gebhardi, in ſuâ manſerunt pertinaciâ: nam etiam ERNESTI Antiſtitis, qui illi ſucceſſerat, accipere præfectum recuſabant; & poteſtatem iudiciorum, quam pacto & pignore tenebant, noluerunt appellati ijs, quibus præſcriptum erat, conditionibus reſtituere: & dum libertatem quærebat plebs indomita, Senatum armis inuadit; legesq; pro ſuo libitu alias abrogat, alias ſciſcit, alias renouat. Inteſtinum illud incendium alebatur à Comite Quernfurdio, antiquæ nobilitatis viro, qui plebis partes tuebatur. Hoc aliqui ſenectuti & delirio tribuebant; aliqui cupiditati, quod honorem ERNESTO inuideret: cui quamuis longè potentiori, imprudentiâ & leuitate aduerſabatur. Talia autem nobilitatis certamina, & tam pertinax plebis furor, in causâ fuit, vt in eligendis Pontificibus (quemadmodum Crantius ſcribit) non amplius religio, non doctrina, non vitæ ſanctitas, ſed externa quæreretur potentia. Sacerdotes, exceptis iis, qui cum Quernfurdio facerent, vrbe omnes exibant. Reliquæ ciuitates Saxonicæ proſpicientes, fore non bonum talis temeritatis exitum, à ſocietate ſeſe retrahunt: & vt ab incepto deſiſterent, ſuo ipſos facto adhortantur. Poſteaquam redire ad ſanitatem plebs noluit, Antiſtes Magdeburgicus rurſus patre implorato arma capit; & extremo menſe Iulij, anno M. CCCC. LXXXII. primum Halberſtadiis vias intercludit: deindè vrbem magno exercitu obſidet. Quernfurdius, etiamſi ſacris initiatus eſſet, armatus incedebat, & inſanæ multitudini ducis loco erat, & ſpes

Erneſti expeditio in Halberſtadenſes. 1482.

Ernestus El. Sax.
ſpes inanes oſtentans, eam propugnare fortiter iubebat. Toto menſe percutiuntur mœnia: demum magna eorum pars iuxta diui Ioannis portam proſternitur: veriti ciues, ne vrbs expugnata diriperetur aut incenderetur, viros honeſtos in caſtra ablegāt: ſuam amentiam deplorant, veniam exorant, deditionem ſupplices offerunt, & ſe imperata facturos promittunt. In vrbem cum eſſet ventum, miles à vi contineri vix potuit: aliquot domus direptæ, & Quernfurdius duci iuſſus, & in locum ſacrum confugiens templi, indè extrahi: ſeruatur à ſtentoribus, quos Chorales nominant: ij enim ante ſacrarij adytum militum cohortem cernentes, templum ſpoliant, araſque nudant ſcapis & columellis, aliiſque, quæ ira miniſtrabat telis, quibus pugnantes militem repellunt atque fugant: nec ſenex Quernfurdius, otioſus aut ſegnis ſpectator erat; tandem præfectum cohortis captum, ſibi more militari data manu ſtipulari cogit. Rem geſtam audiens Elector, riſu eam excipit, & apud Antiſtitem filium pro ſene intrepido intercedit: cui, quæ aliis obeſſe ſolent, ſaluti fuit ſenectus & audacia. Ciuibus Halberſtadiis adimitur libertas: ſenatus in ordinem redigitur: præfectum autem & prætorem, aliosque magiſtratus conſtituit Antiſtes, certam item pecuniam imperat: ſacerdotes exules reſtituuntur, aliis ſecutis Quernfurdium datur orantibus venia. Nobilitati autem, quæ ciuibus non magis ſapiens fuerat, eripitur ampliſsimæ dignitatis ſpes in Collegio: ab eo enim tempore præſulem nullum habuerunt: ſed Antiſtes Magdeburgicus eſt eius Eccleſiæ perpetuus adminiſtrator. Gentiles Quernfurdij, Bruno iunior, & filius eius, paucos poſt annos morbo populari intereunt: pater ſenex confectus mœrore obiit: & filio, nepoteque amiſſo, eius ditionis partem quæ hærede caruit, Antiſtes capit Magdeburgicus: partem Albertus Dux Saxoniæ, quia hæreditas ad vtrumque illarum terrarum iure antiquo ſpectabat.

Tumultu Halberſtadij ſedato, Antiſtes Moguntinus accuſat Erfurdianos, qui ſe inſciente cœnobium quoddam in vrbem tranſtulerant: & in colle ſacro arcem ædificârant, quæ in hunc diem Ciriaciburgum nominatur. Elector ad Erfurdianos ſcribit, aut Antiſtiti ſatisfaciant, aut arcem nouam demoliantur. Delictum igitur prophanati loci ſacri, compenſatum pecuniâ eſt: qui Veſtalibus, quæ collem illum inſederant, nihil ereptum: & alius locus ad habitandum belli paciſque temporibus opportunior intra muros conceſſus: eſtque illis populi impenſis, exædificatum iuxta diui Andreæ, aliud ædificium.

Filiis igitur cum tranquillitatem peperiſſet, & pace felici in his terris florerent omnia: domi inſtaurat & reſtituit diſciplinā, adhibitoque ad conſultandum fratre, leges publicè promulgat, quibus ordines inferiores tenerentur, & quas cæteri honoratiores ſua auctoritate defenderent, viri generoſi atque illuſtres: quales erant Præſules atq; Abbates. Quod ad ſumptus attinet, quibus vita indiget cotidiana, leges fert cibarias: in quibus ageretur de numero conuiuarum in ſponſalibus, in nuptiis, in repotiis, in encæniis, in ludis, aliis diebus ſtatis aut ſolennibus: item de modo ciborū & ferculorum: in prandio, vltra fercula ſex, in cœnâ vltra quatuor apponi prohibet, nec præter duo vini genera. Sacerdotibus tamen ſuas cænas ſatiares permittit, quibus initiandis ordinibus, & conſtituendis ſodalitatibus, temporibusuè ſtatutis vti conſueuerint. Interdicit mercede ſeruientibus, ne die feſto in cauponis aut tabernis ſedeant, ante peracta ſacra: præfectis aut aliis, omninò ne conſpiciantur potantes, ludentesuè: tollit plus quàm beſtialem propinandi conſuetudinē, quâ paria faciendi ius exigitur: vetat, ne quis potet non numeratâ præſente pecuniâ, ne ære ſuo venditor fraudetur, alieno bibulus obruatur. Leges dehinc fert veſtiarias. Virgini aut matronæ nobili, aut pictum pectorale, laciniam, fimbriam, & manicas, & vnam veſtem ſericam concedit: ornamentorum ex auro in monilibus, armillis, annulis, item in flammeis ſeu reticulis, modum præſcribit: Equiti aurato aut conſiliario binas veſtes ſericas, viro nobili vnam, easque certi precij tribuit, cocci tincturam, cum ſericis comparat, villoſo, Damaſceno, & Cendulatis cæteris. Veſtes autem ſubſericas mulieribus, panni externi viris, quantum comparare velint, permittit. In vrbibus ſericum adimit multitudini, excepto thorace, quo viri vtantur honeſtiores: aurum & argentum omne fœminis, præter ornamentum capitis, quod viginti aureos Rhenanos in opulentiſsimis non excedat. Eundem modum ordinibus inferioribus & paruis oppidulis habitâ æqualitate deſcribit. Pannos Belgicos & Anglicos, nobilitati & ciuibus vult eſſe communes, vſu atque ornatu, non tamen precio & numero: agricolas & operarios panno patrio contentos eſſe iubet: ſponſo tamen thoracem ex Belgico, ſponſæ flammeum ex ſerico indulget.

Ernestus El. Saxon.

Instauratio disciplinæ.

Leges ſumptuariæ.

Leges veſtiariæ.

Poſtquam copia inutilis de menſis, & luxus immodicus de veſtitu detractus eſt: agitur de ſeruitiis, atque iis, qui manuum opere viuerent: ne quis paterfamilias ſumptu, propter ſeruitiorum aut operarum auaritiam, præter modum grauaretur. Conſtituitur igitur certa argenti merces miniſtris nobilium & poten-

Leges mercenariæ.

Erneſtus El. Sax. potentiorum in veſtes quoq; pannus in his prouinciis textus: iis, qui dominorum curam agerent chlamys aut penula geſtaretur ex panno noſtrate: ſagum, thorax, caligæ, etiam ex Belgico aut Anglico. Atrienſibus & Villaticis in omnem veſtitum nullus alius, quàm prouincialis. Decretum huic legi additur, ne quis famulorum, famularumuè, cuius res ad ſe alendum tenuior, & ætas apta ad laborem ſit, vltra dies duodecim viuat otioſus ſine domino: quo ſi intra id tempus operam non locet ſuam, tantâ pecuniâ puniatur, quantâ per integrum annum ſeruiat: nihil enim Rebuſp. pernicioſius, quàm homines validi, egentes, & otioſi. Conſtituitur etiam ſua merces architectis, fabris, lapicidis, agricolis, aliis opificibus, & mercenariis, quâ contenti neminem grauarent; neuè ditiores precio maiore ſoluto, aliorum ſeruitia aut operas ad ſe pertraherent: præterea qui cibi, & quoties præbendi ſint die, ſi quis alimenta præbere eiuſmodi hominibus velit.

Mutatio monetæ. Vt autem precia rebus minora imponerentur, de mutatione monetæ tractatum eſt, non vt detraheretur de bonitate, ſed vt nummi minoris ponderis cuderentur. Erant autem in vſu nummi argentei, qui à cenſu tunc dicebantur, & nunc à vicinis dicuntur Snebergij: ij quidem mutati non ſunt, ſed percuſſi noui, quorum duo tantum valerent, quantum antea vnus: his à notâ gladiorum, nomen inditum: horum quadraginta valebant aureo Rhenano: percuſſi item nummi minores, quorum duodecim precio æquarent nouem antiquos, qui à leone nomen habuerãt: percuſſi denique obuli, quorum quatuor & viginti tantum penderent, quantum antea octodecim. Hoc eâ de cauſâ factum eſt, vt in ſeruitiis atque operis numerandâ mercede, item in comparandis rebus neceſſariis, vilior moneta eſſet; & pretia rerum augeri minùs poſſent. Cautum autem mandato eſt, vt omnes alij nummi argentei exterminarentur, præterquàm Boemici, qui probitate ad Miſnenſes proximè accedebant.

Nobilibus cauponaria & inſtitoria interdicitur. His prudentiſsimè conſtitutis, quia nobiles quæſtu illiberali ciuitatibus; ciuitates verò quæſtu indigno nocere tàm nobilibus, quàm aliis hoſpitibus notum erat: ideò ordinis equeſtris hominibus cauponariam & inſtitoriam, ab ipſorum nomine & ſplendore alienam interdicit: præterea ne alios in ſuis villis habeant opifices, præter fabrum & lintionem, iis tamen villis ſolis, quæ ſunt ab vrbibus remotiores præcipit: indignum enim eſſe vni cõcedere eam artem exercendam in agro, de quâ victus pluribus quærendus ſit in vrbe, aut oppido hominibus: huic tamen decreto eximit eos, qui iura aut priuilegia annorũ aliquot habeãt.

Magi-

Magiſtratibus autem ciuitatum imperat, ne in hoſpitiis publicis nobiles aut alij exteri peregrinatores exhauriantur, vt ſingulo ſemeſtre pro annonæ pabuliue caritate vel vilitate precium ſtatuant, quod ſit pro homine, iumentove numerandum: cum mediocre lucro hoſpitis, minimoque detrimento peregrinatoris. Homicidis, latronibus, fugitiuis & improbis, ſeruitiis, nullibi vult patêre in ſuis omnibus prouinciis aut aram aut hoſpitium. Hæ leges menſe Aprili ad valuas arcis Dresdenſis affixæ, & typis excuſæ, per alias inde prouincias propagatæ ſunt, cum graui pœnâ, ſi quis contra ageret, anno M. CCCC. LXXXII. *Erneſtus El. Saxon.* 1482.

Biennio pòſt Lipſiæ obiit Electoris mater menſe Februario: eiusdem filius ALBERTVS, Antiſtes & Elector Moguntinus, menſe Maio. 1484.

Variæ deliberationes totos quinque annos poſt mortem VILHELMI, Ducum noſtrorum patrui, de prouinciis diuidendis habitæ: ex quâ controuerſiâ bellum ingens antea fuerat conflatum. Id cum meminiſſent viri quidam ætate prouecti & prudentes, vt quantum homines poſſent, bellorum futurorum cauſam tollerent: more maiorum abolito, non ſingulas ſingulis prouincias aſsignandas cenſebant: ſed ita partiendas, vt in ſingulis prouinciis præſertim Miſnenſi, Turingicâ, & reliquis maioribus ſuum quisque teneret; annuorum redituum æqualitas eſſet, metallorum prouentus ambobus communis maneret: fieri autem augurabantur, cum alter ſine ſuâ pernicie perdere alterum non poſſet, fore perpetuam concordiam: cum ante illa tempora his regionibus nulli externi hoſtes tantùm intulerint calamitatis, quantùm ſit illatum inteſtinis armis atque diſcordiis. Sed profectò in rebus humanis non fortuna, aut hominum prudentia dominatur: ſed ille conditor rerum omnipotens, cuius obtuitu & cuſtodiâ populi, nationes, regna conſeruantur. Diuiſio autem prouinciarum tandem confecta eſt Lipſiæ M.CCCC.LXXXV. Menſe Nouembri. ALBERTO fratri Electoris data optio eſt, natu minori, vt prolixius paulò infrà perſequemur. *Diuiſio prouinciarum inter Erneſtum & Albertum fratres.* 1485.

Initio ſequentis anni FRIDERICVS Imp. Francofurtum euocat Electores, qui cooptaturus in Regem Romanorum erat MAXIMILIANVM filium. ERNESTVS Elector ab Imperatore auunculo ſuſcipitur humanè & liberaliter: cui triſtem de ſororis valetudine aduerſâ nunciũ attulit, quę in ipſius abſentiâ pridie Idus Februarij expirauit. Imperator expoſito Electoribus ſuo conſilio, ipſis non inuitis perſuadet, vt ſuum filium Regem Romanorum deſignent. Erat MAXIMILIANVS natus annos ſeptẽ 1486. *Comitia Francofurtenſia.*

Albertus El. Sax. & viginti, literis, humanitate, atque omni virtutis genere orna-
Maximiliani in Regem Rom. inauguratio. tiſsimus, & ſingulariter gratioſus: fortitudinis autem documen-
ta iam dederat prælio Terbonenſi, quo Ludouici XI. Galliæ Re-
gis copias fuderat, eumq; caſtris exuerat. Declaratur Rex Roma-
norũ vnanimi conſenſu XIV. Calend. Martij, anno M. CCCC.
1486. LXXXVI. In iis comitiis fato functi ſunt, ALBERTVS Elector
Brandeburgicus, & IOANNES Præſul Auguſtanus.

Ernesti mors. ERNESTVS quoq; eodem anno VII. Cal. Sept. moritur in arce Coldicenſi, quam ædificiis inſtaurauerat: inde Miſenam ad patrium monumentum pompâ ſolenni defertur. Ædificauit autem alias arces Peliciam & Schueinitiam: hæc tota erat vaſta: in quâ turris ruinâ Alberti Saxoniæ Electoris filij ante annos quatuor & ſexaginta miſerrimè erant oppreſsi.

ALBERTVS ANTISTES.

Albertus Antiſtes Moguntinus. ALBERTVS, Erneſti tertij Electoris ſecundus filius in aulâ Ditheri Iſenbergij educatur adoleſcentulus: ſacris initiatur anno ætatis octauo decimo: cuius inſigni & laudabili indole perſpectâ, Ditherus collegio ſuo auctor eſt, vt hunc Antiſtitem eligant: nempè eius conſiderent nòn tantum ætatem, verùm etiam nobilitatẽ & virtutem. Erat multis modis lacerata ſedes Moguntina duorum Antiſtitum ambitione: bellum autem cum nullum ita finiatur, quin ſeminaria inimicitiarum odiorumque relinquat plurima; viro aliquo potente deſignato, videbatur pax conſeruari poſſe. Quamobrem auctoritate Ditheri, cui ſemper pro ipſius prudentiâ tribuerat omnia, collegium facile paruit.
1482. Eligitur anno M. CCCC. LXXXII. confirmatur à Sixto IV. pontifice, apud quem pater ipſius Erneſtus gratiâ valebat, & à quo aliquot immunitates Eccleſiaſticas, dum Romæ erat, impetrauerat. Adminiſtrationis ſuæ initio duo curabat præcipuè: & vt Academiam nuper inſtitutam à Dithero amplificaret, & vt damna bellis illata reſarciret: atque in conatu magno & propoſito vtili, morte impeditur. Monaſterium Veſtalium in diui Cyriaci monte extra Erfurdiã ſitum, vſq; ad fundamenta flammis conſumptũ erat: cum templo & omnibus ad id pertinentibus rebus, Veſtalibus hoſpitiũ in vrbe dederat, ſenatus iam ad annũ vſq; duodecimum. Cum autẽ è Rep. videretur, vt eum collem Senatus occuparet, & ad vrbis defenſionẽ arcem ibidem extrueret: populi decreto id factũ eſt, & Veſtalibus locus datus eſt intra mœnia, & ſumptu publico extructũ aliud Cœnobiũ. Hoc quia inſciente Antiſtite actum erat, qui eius vrbis antiquâ conſuetudine, quod ad religionem attineret, poteſtatẽ habebat, mulctam eis pecuniariã indicit:

indicit: quam pacis causâ Reipub. illa pendere non detrectauit. *Ernestus El. Saxon.*
ALBERTVS cum non totum ſediſſet biennium, febris ardentis ſubito morbo extinguitur in arce Aſchafenburgiâ: conditur Moguntiæ in baſilicâ Martinianâ, M. CCCC. LXXXIV. menſe Maio. Succeſſorem habuit BERCHTOLDVM Hennebergium, virum doctrinâ & conſilio eximium. 1484.

ERNESTVS ANTISTES.

ERNESTVS, patri cognominis, eiusque tertius filius, anno ætatis ſuæ vndecimo, non ſolum Pontificis & Imperatoris beneuolentiâ, verùm etiã collegij ſuffragiis, & aliquot Antiſtitum fauore, in Antiſtitem Magdeburgicum poſtulatur. *Ernestus Antiſtes Magdeburgicus.*

In vrbibus Saxoniæ, iuri Eccleſiaſtico ſubiectis, multæ factiones erant: & nobilitas quæ poterat bona ab Eccleſiâ abalienabat, aut rapiebat: ciuitatũ item potentiorum magiſtratus corruptis aulis dominabantur, & multis modis opprimebant plebem. Cauſa tantorum malorum prima erat, quòd præſules quærebant non dignitatem, vtilitatemque Eccleſiæ, ſed ſuarum familiarum amplificationem, & otium atque voluptates corporis. Itaque Ioanni Antiſtiti ſeni coadiutor, vt vocant, adiungitur hic adoleſcentulus; donec ad ætatem iuſtam perueniret, ipſiq; adoleſcentiæ annis, à latere viri prudentis non diſcedens, aptus adminiſtrationi fieret. Iis autem, qui Eccleſiam ſpoliârant, aut eam ſpoliandi ſpem tacitam alebant, vt iniiceretur terror, V. Calend. Nou. M. CCCC. LXXVI à patre Electore Magdeburgum deducitur, quatuor millibus equitum: in eo comitatu erant Albertus Dux Saxoniæ, Ioannes Elector Brandeburgicus, Vilhelmus pater & filius, Duces Brunſuicenſes, Ludouicus pater, & Vilhelmus filius, Haſsiæ principes: Eccleſiaſtici verò Præſul Halberſtadiús, Hildeshemius, Miſnenſis, Merſburgicus, Numburganus, Brandeburgicus, Hauelburgicus, Lebuſius. Erant eôdem vocati tàm è nobilitate, quàm ex vrbibus, qui ad eam diœceſin pertinerent: neuè venire quis detrectaret ad mandatum pœna adiecta erat. In publico igitur loco, & in ampliſsimo tot Principum atq; præſulum conſeſſu, primum commendatur adoleſcentulus ſuo Antiſtiti, viro grauiſsimo, ex Rheni Comitibus Palatinis nato: tum ſubditi ſeuerè admonentur, vt æquis animis pareant, ſimultates deponant, & à violentiâ inuadendi res Eccleſiaſticas abſtineant: aliter ſi faciant, neceſsitate in contumaces & rebelles eſſe animaduertendum: poſtremò iubentur ij, qui aut fundos Eccleſiaſticos, aut iudicia oppignerata teneant, de iis certo tempore ra- *Factiones in vrbibus Saxoniæ.* 1476. *Ernesti deductio Magdeburgum.*

Erneſtus Antiſtes Magdeburgicus. tionem reddere, & antiſtitis ſententiam audire. Tot Principum præſentiâ & conſenſus animos eorum, qui ſibi conſcijerant, præcellebat: aliorum, qui ſeditioſa agitabant conſilia, retinebat, ne quid mouerent: ſpes autem quietis & concordiæ cum non paucorum gaudio ingenti affulſit.

Seditio Halæ. Eo ipſo biennio plebs Halenſis odium inueteratum erga ordines ſuperiores oſtendit aperto tumultu: ſed ea ſtatim armis cohibita eſt, & legibus grauioribus conſtricta petulans licentia: tum mulcta nummaria grandis impoſita opulentioribus, eorum faſtum & temeritatem fregit.

1479. *Magdeburgum obſeſſum ab Erneſto Electore.* Anno M.CCCC.LXXIX. Gebhardo Hoymo Præſule Halberſtadio defuncto, ERNESTVS Magdeburgicus eiuſdem Eccleſiæ declaratur Adminiſtrator: quem cùm ciues dominum recuſarent, Elector vrbem obſidet & armis ad obediendum compellit. Poſt eum tumultum compoſitum filium ipſe introducit pater ſine pompâ: comitabatur eum vnus Henricus Dux Brunſuicenſis, Vilhelmi filius, qui eodem tempore eidem tyro militabat. *Beblinga eripitur Hollecio.* Suſpectus erat de latrocinio Laurentius Holleccius, vir dignitate equeſtri: eius arcem Beblingam in diœceſi Halberſtadianâ cum expugnare præſul decreuiſſet; ſententiam mutauit, veritus, ne Henricum Brunſuicenſem hoſtem ſibi faceret. Quocirca datis ad ipſum literis, queritur de Holleccij iniuriâ: conſilium petit, quid ſit agendum contra hominem facinoroſum. Brunſuicenſis teſtatur, ſe non ſolitum vllius iniuriam aut facinus defendere. Arx igitur corpori Eccleſiaſtico, ipſius ope atque conſenſu inſeritur: Laurentius agitur in exilium.

Halberſtadij obſidio. Halberſtadij Antiſtitis præfectum contemnunt, & facere imperata detrectant, quamobrem menſe Auguſto exercitum ad mœnia adducit: memores autem eius calamitatis, quam ante octo annos acceperant, tandem conditionibus ſeſe dedunt. Interea autem dum obſidetur vrbs Antiſtitis pater moritur.

Annos iam duodecim in ſuo verſatus erat munere antiſtes, ſed ritu ſolenni inauguratus nondũ erat. Igitur anno M. CCCC.
1489. *Erneſti Antiſtitis conſecratio.* LXXXIX: TILONEM Præſulem Merſburgicum ad ſe accerſit: à quo infulam, pedum, annulum, & cætera inſignia ſacro in loco, de maiorum conſuetudine accipit, nullis adhibitis ſumptibus ſuperuacaneis aut pompâ inani: ſubſeruiebant ei duo Præſules, Boſo Hauelburgius, & Ditericus Numburganus. Oblata ſibi à ciuitatibus munera, Antiſtes benigniſsimè accepit, conſuetudinis & honoris causâ: ſed ne quid iacturę facerent eadem maioribus ipſe compenſat. Fuit in ſummâ apud omnes obſeruatio ne: & vt

& vt ſuâ ſapientiâ ſtatum priſtinum reſtituit, ita cum auctoritate quoque conſeruauit.

Erneſtus Antiſtes Magdeburgicus.

Scitum eſt, quod de ipſo aliquorum literis & ſermonibus multorum adhuc fertur. Ebræus quidam, quibus hoſpitium tum præbebant Principes Germaniæ, caſu in puteum, in quem ſordes confluunt, inciderat die Sabbato: eum ſui religione prohibiti extrahere noluerunt. Id delatum ad Antiſtitem dum eſſet, ſtatim interdici mandat, ne altero itidem die extrahatur, qui ſit Eccleſię Chriſtianæ feſtus; ſuperſtitioni nimirum illorum feſtiuè illuſit, & fatuam legis non intellectæ arguit ignorantiam.

Iudæus in cloacam lapſus, Sabbato non extrahitur.

Ipſe in obeundis muneribus Eccleſiaſticis diligens & aſſiduus fuit: ea enim quæ maiores ipſius per vicarios aut ſuffraganeos, vt nominant, egerant; aut quæ multis annis planè intermiſerant, ipſe per ſe egit atque inſtaurauit: turpe dicens eſſe Epiſcopi dignitate excellere & gloriari; & ea, quæ ad officium pertinent eius, pudore aut ſuperbiâ omittere atque negligere. Sacra igitur ſæpius ipſe facit, quæ Halberſtadij hominum memoriâ in ſuo templo ab vllo præſule celebrata nulli meminerant. In arcis templisve dedicandis alij locum reliquit nulli, ea tum religio præcipua erat, & opus vnicum præſulum: nam docendi munus monachis mendicantibus aut curionibus mercenariis committebatur: cum id non modo Canonici non ſuſciperent, ſed minorum etiam ordinum ſacrifici ad ſe pertinere non exiſtimarent.

Diligentia Erneſti in obeundis muneribus.

Eo tempore ſi aulas Antiſtitum vidiſſes, Regum aulas diceres: tàm venerabiles comitatus, & tàm ſelecti miniſtri erant: in veſtitu verò atque ſumptibus exquiſita copia & varietas. Quod cum pugnare cum ſuo officio duceret: diſciplinam domeſticam correxit, luxum ſuſtulit, frequentiam turbæ ad minorem numerum coegit: in miniſtros fidos & ſpectatos ſemper manſit perhonorificus.

Diſciplinæ domeſticæ correctio.

Magnificentia.

Sumptus autem præ cæteris maiores facit in ædificia. nam arcem Halenſem de fundamento excitat, & à diuo tutelari Mauricianam appellat: ſacellum in eadem ornatiſſimum extruit, idque & pluribus & precioſis auget donariis. Tum alias quoque per vniuerſam diœceſin aut condit aut renouat, Eglenſem, Vancelebiam, Volmerſtetiam, Gruningiam, Iatterslebiam, Glanſtetiam. Palatia etiam, in quâ ſedes præſulum erant, Magdeburgij & Halberſtadij, in formam meliorem reduxit & ampliauit.

1492.

Anno M. CCCC. XCII. HENRICVS & ERICVS fratres Brunſuicenſes à ciuibus diſsidentes, agrum Brunſuigium vaſtabant, & mœnia totis ſex menſibus obſidebant: nullum autem certius

Bellum Brunſuigium Principum cum ciuibus.

Erneſtus Antiſtes Magdeburgicus. certius auxilium ſperabant, quàm ſibi & affinitate & vicinitate coniuncti Antiſtitis: quem cum literis ſæpè interpellarent, & certam victoriam præmiaq; oſtenderent: adminiſter alienæ iniuriæ eſſe noluit, ſed ſeſe, ſi commodum ipſis eſſet, pacis arbitrum obtulit. Duces & capiendæ vrbis, & permouendi Antiſtitis ſpe fruſtrati, tandem ad ipſum ſcribunt, & arbitrium pacis ad ipſum deferunt, eâ conditione, ne cum dedecore ipſorum fieret. Hanc operam Antiſtes ſeſe inprimis dignam iudicans, cauſam libenter ſuſcipit: & Ceruetium parti vtrique diem indicit: adiuncti erant illi arbitri duo, Ioannes Elector Brandeburgicus, & Magnus Dux Mechelburgicus.

Cauſa magno ſtudio tractatur, ſed non componitur: cum iniquum peterent fratres Brunſuicenſes, & cum vrbs de ſuâ libertate cedere nequaquam vellet. Indignati HENRICVS & ERICVS, quòd non arma minitatus eſſet populo Brunſuicenſi, & quòd popularem ciuilemque, vt ipſi dicebant, licentiam augeret: alieniore erga Antiſtitem animo fiunt: nec deſiſtunt ei in poſterum, quod poſſunt, ægrè facere: apertè tamen hoſtes eſſe auſi non ſunt. Accuſabantur eiuſdem imperio variis de cauſis Ebræi, qui negotiabantur in diœceſi Magdeburgicâ: quos cum ſuis fuiſſe populis grauiſsimos diligenti inquiſitione cognoſceret, è totâ diœceſi eos expulit; & locũ ſuburbanum, quem Magdeburgi colebãt, in ciues diſtribuit: ex eorũ cæmeterio nouale fecit: tùm ex bonis & facultatibus æs alienum diſſoluit: quod ſupererat, totum illis reſtituit. Inferri de eâ pecuniâ in ſuum ærarium noluit quidquã; nec miniſtris aut quæſtoribus, vt aliquid inde raperent, permiſit.

1495. Anno M.CCCC.XCV. mittit legatos Quernfurdiam, qui oppidanos ſibi iure iurando obligent. nam extinctâ ſine hæredibus illa veteri & nobiliſsimâ familiâ, quæ ab oppido denominata eſt, ius ditionis ad ipſum Antiſtitem pertinuit.

Compoſitio diſſidij inter Antiſtites & Senatum Magdeburgicum. Inter Senatum Magdeburgicum veteris ciuitatis & Antiſtites, multæ longorum annorum erant iniuriæ: quas poſterorum gratiâ tolli vehementer cupiebat, ne quid reliquiſſe diceretur, quod aliquando poſſet eſſe detrimento ciuibus aut oneri ipſis Sacerdotibus. Igitur arbitro Duce Saxoniæ Alberto ſic omnia componuntur. Primùm vt numeraret Senatus octo millia nummûm argenteorum certo tempore, tum vice alterâ nummos mille ſex, ſexcentos, ſex & ſexaginta, quorum vnus aureo valeret Rhenano. Nihil reliquum erat, neque intra ipſius diœceſin, neque extra eam, propter quod vllus belli metus incidere poterat: quamobrẽ ipſo ſedente & Eccleſia tranquilla & Reſpub. felix, habita fuit:

ciues in otio bonis ſuis fruebantur: negotiatores pace diteſcebant: ex agrorum cultu magnos percipiebant fructus agricolæ: nobilitati ex fæcundis præſidiis atq; fundis plurimum accedebat. Antiſtitem ſuum amabant, venerabantur, prædicabant vniuerſi. *Ernestus Antiſtes Magdeburgicus.*

Anno M.D. Auguſtâ proficiſcitur cum fratre FRIDERICO Electore ad Gomitia, quæ Maximilianus indixerat, menſe Aprili: mox ad alia accedit Noribergâ, indicta menſe Octobri; è quibus ſexto demum menſe domum rediit. 1500. *Iter ad Comitia.*

Regi Daniæ affini ſuo contra Ditmaros, gentem Oceani littoralem atque feram, auxilia mittit: ſed Rex infeliciter pugnans, vltra ſeptem millia hominum amittit: inter quos antiſtitis equitatus magnâ ex parte occiditur. *Auxilium contra Ditmaros.*

VILHELMO Præſuli Argentoratenſi, è Comitibus Honſteniis nato, Rege Romanorum Maximiliano præſente, apicem infulatum imponit. In nuptiis Ioachimi I. Electoris Brandeburgici, quæ celebrabantur Stendelij, ſacra Antiſtes ipſe facit: & ei regiam ſponſam Elizabetham Danicam ſolenniter copulat.

Cum Fridericus frater Academiam Vitebergenſem aperire decreuiſſet: conſilio ipſius omnia fere egit: habuitque eum præclari incepti adiutorem prudentiſsimum, vtentem auctoritate Raimundi legati, Cardinalis Gorcenſis. *Acad. Vitebergenſis.*

HEDVIGIS ſacerdos maxima Quedilnburgenſis, Erneſti amita Idib. Iunij obiit M. D. XI. 1511.

Cum autem Erneſtus iam inde ab adoleſcentiâ feliciter gubernaſſet Eccleſiam, in arce à ſe extructâ Hali obiit anno ætatis octauo & quadrageſimo, III. Non. Aug. M. D. XIII. eodem videlicet die atque anno, quo naſcitur Ioannes Marchio Brandeburgicus, qui adhuc eſt in viuis. Ante mortem eius nullo impellente ingens candelabrum in ſacello, ab ipſo extructo, corruit atque diminuitur: id prodigij loco habitum fuit. Delatus Magdeburgum in ſepulchrum Antiſtitum conditur in delubro, quod eſt infra templi turres. Mors eius dies aliquot celatur: & cadauer in feneſtris poſitum fuiſſe fertur, vt viuere atq; proſpicere crederetur, donec rata fuit Alberti Brandeburgici Ioachimi I. fratris electio: qui ſtudio potenti ſuffragantium Saxoni ſuccedit. *Erneſti mors.* 1513.

VOLFGANGVS.

VOLFGANGVS Electoris Erneſti quartus filius in ipsâ pueritiâ ex vitâ mortali in ſempiternam eſt translatus.

Albertus Dux.Sax. Reliquos duos Erneſti filios FRIDERICVM & IOANNEM, vtrunque Electorem reiiciemus in librum ſequentem; primùm de fratre eius ALBERTO & huius filiis dicturi: vt commodius poſtea continuetur de Electoribus narratio.

ALBERTVS.

ALBERTVS ſecundi Electoris Friderici filius quintus, naſcitur in arce Grimmâ Cal. Aug M. CCCC. XLIII. Vxor eius
1443. *Alberti liberi.* ZEDENA Georgij Regis Boemiæ filia: cum quâ dotem grandem accepit: & iis nuptiis ſublatæ controuerſiæ ſunt, quæ multis annis inter Boemos & Miſnenſes durauerant. Filij fuerunt, GEORGIVS, IOHANNES I. LVDOVICVS, IOANNES II. FRIDERICVS, HENRICVS: filiæ, CATHARINA primogenita, cuius primus maritus Sigiſmundus Auſtriæ Dux; alter Ericus Dux Brunſuicenſis, neuter ex eâ liberos procreauit: MARGARITA & ANNA primis annis obierunt puellæ.

Alberti raptus ex arce Aldenburgica. ALBERTVS, vt antea dixi, annis adoleſcentiæ ex arce Aldenburgiâ à Kaufungo equite Miſnenſe rapitur: huic enim propter damna bello accepta cum non fieret ſatisfactio, qualem ipſe petebat; cumque de parente vlciſci ſe non poſſet; ſine aliorum hominum incommodo in filiis effecit. ALBERTVM fratre ERNESTO alacriorem, & valentiorem, ſuâ manu è conclaui, & in itinere ſuo equo deportauit. Adoleſcens ingenij minimè ſtupidi, vt moram iniiceret plagiario, cum fraga illis locis eſſent, ſe eſurire ait: ad quæ decerpenda de equo deſcendens Kaufungus, caſu mirabili capitur. Magnum DEI beneficium fuit: qui per ſuos angelos, adoleſcentes principes in eiuſmodi calamitate defendit.

Albertus bellicoſus. ALBERTVS autem ætate paulò profectior, laude & gloriâ bellicâ Princeps maximus & celeberrimus ſui temporis extitit: qui pro duobus Imperatoribus Friderico III. auunculo, & Maximiliano conſobrino, bella extra patriam multa & magna gerens; ſuis agnatis ſaluti, Regibus potentiſsimis terrori fuit.

Cum deſponſa ei eſſet Egræ Regis Georgij filia, pax omninibus grata & accepta conſequitur. Annos quatuor pòſt moritur VILHELMVS Ducum patruus: ab eo tempore fratres ſimul imperarunt, ita tamen vt ſumma rerum eſſet penes ERNESTVM, ætate grandiorem, Principem planè optimum. Filia Regis cum

gis cum annum attigiſſet quartũ & decimum; ALBERTVS verò *Albertus*
primum & vigeſimum, menſe Maio nuptias celebrant, ſine ap- *El. Sax.*
paratu anno M. CCCC. LXIV. *Nuptiæ Alberti.*

Anno altero poſt accepta prouinciarum ab Imp. inſignia, 1464.
fratre ad ſuos redeunte, in aulâ Imperatoris annum vnum man- 1465.
ſit; & ſummâ in dole virtutis excelluit: ſed vxoris rogatu & optimatum conſenſu domum reuocatur; vt paternis, auitisque artibus apud ſuos inſtitueretur, & libertate; ne corrumperetur apud exteros.

Fratres cum ſimul ambo imperarent, & alter honore alterum præuenire ambiret, dici non poteſt, quàm iucunda inter ipſos conſuetudo, quam dulcis & venerabilis conſenſus fuerit. ALBERTVS fratrem nunquam ſine honoris præfatione appellabat: idque eius tribuebat cùm ætati tum amplitudini: ERNESTVS contrà vt minori, omnia Alberto deferebat; & ipſum honorabat propter prudentiam, & ſibi præferebat propter animo- *Fratrum*
ſitatem, & heroicam totius corporis præſtantiam. Viuebant in *concordia.*
vnâ ambo arce, cum vxoribus & liberis ad annos aliquot: nulla ſimultas, nulla controuerſia, nulla querela; nõ modo inter ipſos, ſed ne inter coniuges quidem & familiam toto illo tempore audiebatur. Quamuis autem in tot regionibus neutri deeſſet domicilij locus & amænus & commodus: tamen fratrem à ſe dimittere ERNESTVS noluit; donec ipſe vtriusque honorem & dignitatem conſiderans, Torgam ſe cum ſuis contulit, vt paulò pòſt dicemus pluribus.

Prima ALBERTVS tirocinia fecit in caſtris fratris, cum Pla- *Alberti*
uenſis è ditione eiicitur, & exilio damnatur. *prima tyrocinia.*

Proſcriptis iterum atque iterum à Pontifice Romano Boemis, contra Regem, ſocerum, ſibiq; fœderatum arma aut auxilia ferre noluit, niſi certis & honeſtis conditionibus: nam belli auſpicium atq; moles in ipſum fratremq;, vtpote vicinos, tota deuoluebatur. quod cum aſtutè fieri, cæteris Principibus omnibus valdè abhorrentibus, animaduerſum eſt: ſe non auctores belli, ſed ſocios fore profitentur, ſi communibus Germaniæ viribus expeditio ſuſcipiatur. De regno Boemiæ, quod Georgio viuente pon- *Contentio*
tifex bullis & diplomatibus abſtulerat, & modò huic, modò illi *Regum de*
Regi offerebat, vt gentem à religione Romana diſſentientem *regno Boemiæ.*
euerteret, etiam contendebat FRIDERICVS III. qui id ad Imperium magis pertinere, quàm ad Reges exteros diceret. Boemi voluntate Friderici cognitâ, non expectantes, donec ad ſe iretur,

copiis

Albertus D. Sax. copiis contractis ſponte in Auſtriam proficiſcuntur: & antequã Imperator ſe colligeret, hoſtiliter deprædantur agros & oppida, multis in locis eiiciunt, cæduntque præſidia. *Boemorum irruptio in Auſtriam.* Auſtrij audaciam hoſtium admirati, maiores conſcribunt copias: & vocato in ſocietatem Rege Vngarorum MATTHIA, qui cum Imperatore tunc ſentiebant, in conſpectum Boemorum veniunt: hi perſpectâ hoſtium multitudine, de fugâ cogitant: quæ vt minus nota foret, in caſtris muniendis occupantur, mox captâ occaſione abeunt. Equites Vngari leuis armaturæ, quos Huſſaros nominant, eos in itinere aſſecuti, fortiter in terga vertentes impetum faciunt, & ad conflictum compellunt. Crancius ſcribit, Boemos in quoddam monaſterium profugiſſe, vt ſe contra primum impetum mœnibus ſepirent: tum dimiſſos inde eſſe conditionibus. *Boemorum ſtrages.* Dubrauius verò affirmat, magnam procerum turbam in molendinum quoddam fuiſſe compulſam; ad quod incendendũ, cum ſarmenta & faces Vngari congererent atq; deferrent; interuentu equitatus Alberti eos fuiſſe depulſos. Proceres Boemici eius beneficij memoriam nunquam apud ſe intermorituram teſtabantur; & Saxonum fidem prædicabant. Militabant autem mille equites Miſnenſes VICTORINO, Regis Georgij filio: quibus admodum iniquus erat miles Boemicus: nam & in partâ prædâ maiorem partem ſemper vſurpabat, & in ſtipendiis numerandis duces ipſi tardi, nec non fraudulenti videbantur. Miſnenſes inſolentiæ & iniuriæ inſueti, palam queri: mininumque aberat, quin ſeditionem in caſtris excitaſſent eo tempore, quo & contra Imperatorem & contra Vngarum maximè illis opus erat conſenſu & concordiâ: deliniti precibus Victorini, à tumultu quieſcunt: ſed dimiſsionem petunt, neque poſſunt vllomodo adduci vt maneant. Quare cum beneuolentiâ, & excuſatione ſui iis abeundi facit poteſtatem. Poſt eorum diſceſſum miles audacius etiam contra Regis filium agere: quem ſuo viuere arbitratu cogebat; & ſucceſſu elatus, omnium mortalium ſe victorem fore confidebat. Miſnenſium pars domum redierunt: alij ad Imperatorem profecti ſunt, quamuis ille à caſtris aberat, & Lincij deditus venationibus erat.

Expeditio ad Elbogã. Elboga, ad flumen Egrum ſitum oppidum, quod Anconam ſonat, & quod Dubrauius cubitum appellat, in finibus Boemiæ eſt, quod vnâ tantum portâ aditur, & arce editâ eſt conſpicuum: id Cancellario ſuo CASPARI Slicconi Sigmundus Imperator donauerat, *Familia Slicconum.* SLICCONVM familia à Baſſano Venetiæ oppido oriunda,

oriunda, nobilis & antiqua eſt, & virorũ fortium alumna. Matthiæ Caſparis filio oppidani rebellabant: qui implorato Ducum Saxoniæ auxilio, eos ad parendum adacturus erat: quia autem & naturâ loci & induſtriâ incolarum munitum erat, fraude rem tentabat. Mittebantur equites & milites in oppidum, qui, tanquam peregrinantes, hoſpitiis vterentur: verùm cum ij diutius hærerent, & alij ſubindè aduentarent: ciues id quod erat, ſubodorantur. Itaq; legationem celerem mittunt ad Plauenſem, vt cum equitatu ſibi quàm primum adſit: quid timeant, exponunt: & quid ſpei habeant, indicant. Plauenſi nihil optatius accidit, qui odio Miſnenſium quaſi cuniculo aduentat, & noctu in vrbem intrò admittitur. Nihil propius fuiſſet, quàm vt Miſnenſes per domos ciuium interficerentur: niſi à ciue quodam, cuius humaniter vſi fuerant hoſpitio, admoniti, die præterito nullâ interiectâ morâ ex oppido confertim diſceſſiſſent. *Albertus El. Sax.*

ALBERTVS ſimulationem & malas artes peroſus; aditu oppidi vndique luſtrato, iuſtis copiis id obſidet menſe Martio: admotisque tormentis quaſſat mœnia multis diebus, ſed conatu irrito. Oppidani in caſtris Alberti plurimos & è nobilitate & è vulgo ſuis tormentis lædunt, ſternuntque: & ſatellites Principis ad ipſius latus globis ſaxeis traiiciebantur. Non deſiſtit Albertus incœpto; quia ſciebat, copiam illis cibariorum deeſſe: nulli enim rei, quæ ad trahendum bellum pertineret, prouiderant. Deficiebat paucos intra dies oppidanos commeatus: ideò conditiones pacis quæſitæ ſunt, & facta deditio: patrocinium oppidi commiſſum Duci Alberto: poſſeſſio reddita Slicconi. Actum id eſt anno M. CCCC. LXXI. quo anno 1471.
GEORGIVS Rex Boemiæ moritur: GEORGIVS Dux Saxoniæ, filius Alberti, naſcitur.

Iaciuntur eodem anno fundamenta nouæ arcis Miſnenſis: cuius architectus fuit Arnoldus quidam VVeſtoualus. Ea in colle orientali ſita Albim proſpicit, & valles ſubiectas, quia à tribus lateribus foſſas à natura factas habet: quare eo ſitu olim delectatus HENRICVS Auceps Imp. in eodem colle arcem exſtruxerat: cui contra Vngaros has terras vaſtantes præſidium impoſuit. Eadem arx habet conclauia & ſedilia ex ſolido lapide, cellaria ampla & profunda in ſaxo magnâ ex parte exciſa: eſtq;, ſi vlla alia, ſitu & ſalubritate amœniſſima. *Arx noua Miſnenſis extructa.*

Erneſtus El. Sax.

Poſt obitum GEORGII magnâ ambitione certatur de regno Boemiæ. Reliquerat ille tres filios; Victorinum, HINCONEM, quem Leproſum noſtri annales nominant, & HENRICVM, quibus omnis erepta regni ſpes eſt: cùm propter nouitatem generis: tùm propter inuidiam, quia hæreſi contaminati dicebantur. Senatus Pragenſis & nonnulli ex optimatibus legatos mittunt ad ALBERTVM Saxonem, qui eum in Boemiam vocent; & quia gener Regis erat ſpem regni adipiſcendi ei faciant: ſed id non honoris ipſius, ſed ſui defenſionis causâ faciebant. Nicolaus Cocericius equeſtri familiâ natus, qui ad Albim Vuelæ, non procul à Pirnâ, habitabat, tantum apud Albertum poterat, vt conſilia eius gubernaret. Is argumentis multis ſuadet, vt legatis pareat: occaſionem fructuoſam ne dimittat: magnum ſibi patriæque decus comparet: regni opulentiſsimi dignitatem ſibi debitam eripi ne patiatur. Ei aduerſabatur Hugoldus Sleinicius, & maxima procerum pars, quibus animi Boemorum in homines noſtros ſuſpecti erant: neque obiiciendum Ducem alicui nouo & non neceſſario diſcrimine dicebant; prouinciis multis & magnis eum præeſſe: regnum non exoptandum. Animus iuuenis magna cupientis & minimè ſuſpicacis, ab inſtituto non mouetur, & Cocericium ſequitur. Delecto igitur ex omnibus prouinciis ornatiſsimo equitatu, Pragam poſt feſtum Paſchale venit: plauſu magno ab omnibus ordinibus excipitur: primùm ei gratiæ actæ, qui in regnum tanto apparatu acceſſerit: deinde ab eo votis communibus petitum, vt Matthiam Regem ſuis ceruicibus imminentem, ſi neceſſe eſſet, armis mutuis propulſaret. Albertus ſuam operam offert liberaliter, iubetq; eos conſilia inire ad eam rem oportuna Luſatius ille, quem nominaui, aliquot præhēdebat proceres: ſed & animos & vultus ſimulatos atque auerſos intelligebat: erantque competitores tres, Imperator, Vngarus, Polonus, multò præſtantiſsimi. In talibus motibus erant vehementer diuiſa hominum ſtudia. plerique tamen ab homine extremo omnes abhorrebant: & ſi neceſsitate capiendus eſſet aliquis, inclinabant in Polonum, linguæ commercio & æqualitate nonnullâ morum genti Boemicæ magis cognatum. Dum Pragæ ALBERTVS moratur: Rex eum Vngarus per miniſtrum fidum admonet, caueat à Boemorum blanditiis: inſidias eſſe paratas, niſi in tempore conſulat: non eſſe obſcurè ad ſe delatum, quòd acceptas à maioribus ipſius tot calamitates & iniurias, ipſius vinculis aut oppreſsione vlciſci meditentur: ipſum cum præclarâ quidem nobilitate iſthîc adeſſe, ſed verſari tamen intra mœnia hoſtilia:

Regnum Boemiæ Alberto delatum.

Regni Boemici competitores.

hoſtilia: & vt ſibi auditione acceptum ſit, nihil deeſſe ad facinus, praeter occaſionem, quam ipſo ſecuro hoſtes clandeſtini facilè ſint inuenturi. Qui id nunciabat, cùm alias ſignificationes oſtendit præclaræ voluntatis Regis, tum hoc præterea addidit, ferre Regem non poſſe, vt talis Ducis virtus malitia doloue opprimatur. ALBERTVS etſi tale nihil metueret ab iis, de quibus ipſe optimè ſentiebat; & non planè fideret Regi extero: tamen inſolentiæ rumoris, & nouitas nuncij eum perculſit: neque id cælare ſuos, quorum ſalutem cariſsimam habebat, diu potuit. Nobiles, qui iter illud diſuaſerant, ſuſpicionem illi augent: caſus autem, qui Vilhelmo patruo ipſius acciderat, quem ſupra memorauimus, rem totam faciebat vero etiam ſimilem. *Albertus Dux Sax.*

ALBERTVS de diſceſſu cogitans, ne ſuſceptum facinus homines inſidiatores maturarent, tale nihil præ ſe ferebat: ad eludendas autem improborum ſpes, & perturbanda conſilia diem indici imperat publicæ lætitiæ, quo ſe conuiuiis & choreis, cum ciuibus Pragenſibus, decurſionibus & certaminibus equeſtribus, cum nobilitate aulicâ delectaret. Ad eum diem multa parari atque conuehi magnificentiſsimè imperat: equos autem extra vrbem de more ad certamen quotidiè cum ſuis exercebat: quod cum diebus aliquot fieret, ſuos ad vnum omnes hora certa iubet eſſe expeditos, tanquam vniuerſis præbiturus ſpectaculum eorum, qui ſeſe iam in armis exercuerant. Conſcij & populares ſceleris gaudere, & ad diem præſtitutam arma aliaque inſtruere, vt noſtros vel die ſpectaculis intentos, vel noctu poculis aut quieti indulgentes, & hinc inde per vrbem diſperſos aggrederentur. ALBERTVS cum in agro ſuos paratos imparatoſue recenſuiſſet; ſe à fratre magnâ de causâ domum vocari, & iam iam tempus diſcedendi eſſe ait: reditum in vrbem propoſito ſupplicio interdicit, efferre inde aliquid volentes prohibet. Relictis cibariis, ſuppellectile, impedimentis, apparatu, poſt vnum ibi menſem & dies aliquot tranſactos, nec opinato diſcedit: quæ relicta erant partim vulgus, partim hoſpites rapiebant, diſtrahebantque: propter quam iniuriam poſtea expoſtulatum eſt cum Pragenſibus, & eorum, quæ relicta fuerant æſtimatorum poſtulata reſtitutio. Hæc vix credibilia, vt in annalibus Neuſtadienſibus perſcribuntur, retuli: quæ an comperta ſint annè commentum Matthiæ fuerit, in medio relinquo: Albertum certe deluſum fuiſſe res ipſa declarauit, qui etiam iter ita in patriam fecit, quaſi ſingulis locis & momentis eſſent inſidiæ & oppreſsio pertimeſcenda. *Albertus abitum ex Praga meditatur.*

 meſcenda.

Albertus Dux Sax. meſcenda. Ambitu autem de regno Boemiæ adhuc flagrante, cum Reges (vt dixi) potentiſsimi è Germanis, Vngaris, Polonis ſui rationem haberi peterent; & Imperator auctoritate propriâ, duo reliqui Pontificis gratiâ niterentur: tandem poſt multas diſcepationes, nec non effuſo populorũ ſanguine, ſceptrum offertur Regis Poloni filio LADISLAO, illi genti cæteris coniunctiori.

Societas inter Imperatorem & Matthiam iam ſublata erat: nam hic milite Vngarico & Dalmatico vaſtabat Auſtriam; nec pauci in caſtris eius ſtipendia faciebant Germani, quorum aliqui ſpontè ad eum acceſſerant, aliqui beneficiis affecti erant. Imperator ſuorum fauore deſtituebatur; quos incitabat Albertus Auſtriacus, ipſius frater germanus. Quamobrem in alienis Ducibus atque populis plus inuenit amoris & obſeruantiæ, quàm in ſuis: nemo tamen erat ſtudioſior maieſtatis ALBERTO Duce Saxoniæ: qui in auxilium vocatus, omnes res poſthabuit, vt dignitatem Imperij & nomen Auſtriacum vendicaret: is itaque ſuo equitatu ſeſe MATTHIÆ oppoſuit: & Auſtriacis, qui ab Imperatore adhuc ſtabant, animos reſtituit. Viribus igitur communibus Saxones & Auſtriaci Matthiam inſequebantur, quocunque iret; eumque à graſſatione quantum poterant, prohibebant: ſua autem omnia negotia Vngarus exequebatur aſtu & celeritate, & incendiis vehementer affligebat prouinciam. Saxo quia grauiorem equitatum habebat, feſtinantem raró poterat aſſequi: itaque quó illum profecturum putabat, ſemel atque iterum non vano augurio præuertit: ſi ad prælia veniretur, pugna ſtataria vincebat ALBERTVS; velitationibus ſuperior erat MATTHIAS: & erant illa reuera non prælia, ſed exercitationes præliorum, quibus alter vires alterius ita explorauerat, vt de victoriarum euentu, quoties ad manus veniretur, certi eſſent. Factæ ſunt deinceps cum Vngaro menſium aliquot induciæ: nam contra CAROLVM, Burgundiæ Ducem, iturus erat, qui ingenti gloriæ cupiditate & immensâ ſuarum virium fiduciâ, libertati Imperij imminebat.

Albertus Imperatori militat contra Matthiam Regem Vngariæ.

Erat ortum ſchiſma inter Colonienſem Antiſtitem, & Canonicorum collegium. Antiſtes RVPERTVS qui è Palatinis Rheni ortus erat, obſidebat Noueſium: & in eius belli ſocietatem aſſciuerat magnis præmiis & pollicitationibus Burgundum: Collegium è ſuâ ſocietate ducem belli elegerat Hermanum, Haſsiæ Landgrauium. Noueſium, ad Rheni ripam in loco accliui ſitum oppidum, viis atque portis tantummodò duabus aditur: id tenebat Heſſus cum magnâ difficultate & inopia rei frumentariæ: oppugnabat idem omnibus

Obſeſſio Noueſij.

omnibus opibus Burgundus. Imperator cum Antiſtitis, alienaturi ſuam diœceſin ab Imperio, iniquitatem animaduerteret; conſcribit exercitum in Germaniâ ſuperiore: & cum multis Principibus, ad liberandum Noueſium, in Germaniam inferiorem proficiſcitur. De eius copiis aduentuque certis acceptis nunciis, Burgundici oppidum mirum in modum acriùs oppugnant. Cum caſtra propius vrbem Imperator moueret; Cæſariani & Burgundici ſæpe inuicem leuibus prælijs confligunt: quæ cum noſtris non ſatis cederent ex ſententiâ, Imperij ſignifer in ipſis caſtris declaratur ALBERTVS. Quamobrem cum ſe multitudinè Burgundus longè eſſe inferiorem videret; tandem conditiones quærit: & ſuorum vltra quindecim millibus amiſsis, re infectâ diſcedit. Rupertus cuſtodiæ traditus, in eâ vitam finiuit: Hermanus à collegio propter reſtitutam libertatem Antiſtes deſignatus. Noueſium obſidione ſolutum anno M. CCCC. LXXIIII. 1474. Extat duriſsimæ obſidionis monumentum, agger glandium & globorum ſaxeorum, qui ex tormentis in mœnia tectaque emiſſi ſunt.

Albertus Dux Sax.

Albertus Imperij ſignifer in expeditione Belgica.

Anno eodem ALBERTVS vnà cum fratre Electore Vratiſlauiam proficiſcitur: cuius agrum populabatur Vngarus, & in eundem cum maximis copiis ibat Polonus. Actum inter vtrumque de pace eſt, quam minimè recuſare videbatur Polonus: is caſtra ad flumen Olam, non procul ab oppido Briga, fixerat. Dum causâ adhuc dubia hinc inde comeant legati: MATTHIAS improuisò aggredi caſtra Polonica, quæ à ſuis quatuor tantùm miliaribus aberant, ſtatuit: nam & Regem improuidum lentumque eſſe nouerat; & diſciplinam in eius exercitu corruptam licentiâ ſciebat. Itinere illo noctu properanter confecto, ſtationes Polonicas inuadit, pabulatores excipit: quibus cum opitulatum accurrerent Tartari, Polono militantes, multi interficiuntur pugnâ tumultuaria: in quâ etiam cadunt duo tribuni regij Vilhelmus Bernſtenius, & Petrus Hauguicius. Sermonibus iactaſſe fertur MATTHIAS, ſe depugnare eo die potuiſſe, niſi ſanguini Chriſtiano peperciſſet. In caſtris tum Polonicis erant legati Electoris: qui turbatas videntes actiones pacificas, Vratiſlauiam redeunt, ſpem de compoſitione factam irritam teſtantur. Polonum aiunt declarare voluntatem concordię cupidam. Saxo autem & Brandeburgicus non deſiſtunt, vt pax vtrinque concilietur. In his tumultibus delatum ad Matthiam erat, ducem Albertum neſcio quæ verba ieciſſe in ipſum contumelioſa: quod

Alberti cum fratre expeditio in Sileſiam.

Albertus Dux Sax. pro ſuâ natura animo iracundo tulit. Id Saxoni nunciatur, qui *Albertus adit Mathiam Regem.* aſſumpto interprete, reliquis miniſtris ſubſequi iuſsis, acceſſum ad Regem præſens petit. Rex admiratus viri dignitatem & animi præſentiam, illum cum lætitiâ admittit. Albertus Rege eo quo debuit honore ſalutato: ſe non verbis aut conuitiis more muliebri: ſed manu & armis conſuetum militare dicit: præterea ſeſe obſeruare Regem, vt virum fortem; nec ei eſſe inimicum vlla priuatâ de causâ, ſed Imperij nomine: veniſſe nunc ſe in ipſius conſpectum ad adimendam leuitatis de ſe & ignauiæ ſuſpicionem. Incredibile, quantum ducis ſermone & vultu Rex fuerit delectatus, qui ipſum quoque cum beneuolentiâ dimiſit. Tandem effectum eſt vt & Vngari animus moueretur ad pacem; & vt exercitus immanes ducum præſtantiſsimorum formidine ex Germaniâ abirent: & negotium relinqueretur arbitris excutiendum.

1476. Anno M. CCCC. LXXVI. iter cum multis ſuorum inſtituit in Palæſtinam menſe Martio: nam quod maiores ſuos feciſſe cognouerat, idem ſe quoque decere exiſtimabat. *Alberti iter in Palæſtinam.* Inter præcipuos VILHELMVS Princeps Hennebergius, & SIGISMVNDVS Anhaltinus erant eius comites. Primùm cenſuerunt adeundam Romam ad ſalutandum Sixtum IV. Pontificem. Ab omnium ciuitatum ducibus aut primatibus honorificè tractatur: exceptis Bononienſibus, Florentinis, & Senenſibus. In reditu Florentini etiam negârunt hoſpitium: Sancaſsiani choreas ei celebrarunt, quod Duci illorum morum ignaro periucundum accidit. Ab ipſo Pontifice, quem cum triginta quatuor viris præclaris, nigro ſerico villoſo indutis adiit: tum à Venetorum duce Vendramino in honore habitus (nam bello contra Vngarum, virtus eius celebris iam vndique erat Venetiis) patrũ magnificentiâ & formâ Reip. ſe delectari dixit: & Venetos prædicauit eſſe viros prudentes, qui ſenes eligerent Duces: eos enim & annis & viribus infirmos, eſſe ad ſeruitutem aptiſsimos: quod ideò dicebat, quia dux Venetus legibus Reip. tenetur; neq; habet liberam, vt cæteri Principes pro arbitratu agendi imperandiq; poteſtatem. In eâ vrbe quicquid fuit conſpicuum tam publicè quàm in nobilium palatiis, id ei omne patuit. Hic pro ſuâ vrbanitate in nobiles luſit: qui non è fundis ſuis alerentur, ſed aut nauigationibus aut negotiationibus, rem facerent atque augerent: itaque nobilitatem eorum, magis nauibus quàm armis; auro ſignato, quàm ferro polito, ſtudere. Rhodum aduectus, audiuit Ægyptium impreſsiones feciſſe in Palæſtinam: adeò

adeò vt ei ſuaderet Magiſter magnus, ne iter periculoſum conti- *Albertus Dux Saxo.*
nuat: ſed Princeps à cœpto auocari non potuit. Cum ad littus Ioppenſe veniſſet: ſocij itineris nolebant egredi naui: ſed de reditu in patriam propter diſcrimen Principis vnanimiter conſenſerunt. ALBERTVS vltimam dixit ſententiam, ſi quis in triremi manere velit, id ei licere: ſed ſe Dei ductu eò veniſſe, & eiusdem porrò poteſtati ſuam ſalutẽ permittere. Erat ei vir nobilis Chriſtophorus Berenſtenius linguæ Slauicæ, quam in Vngariâ didicerat, peritus, qui veſtitum Raſcianum ſumpſerat: cum eo Turcæ familiariùs loquebantur: ipſe ſe in pueritiâ ab Vngaris venditum in Germaniam aiebat, ſed colere adhuc ſectam Mahometanam. Suadebant ipſi vt maneret, non fore ſine honore: ſed negabat id facere poſſe, quod Mahometam abiuraſſet. quod ipſis placuit: eumque habuerunt cæteris liberaliùs; hortatique ſunt, vt ſe prius decoriandum præberet, quàm ab eâ fide deſciſceret. Nihil autem ipſis à barbaro & pagano populo accidit periculi, præter pecuniæ expilationem. In reditu è Cypro inſulâ ſoluentes trium dierum intempeſtate incertâ nauigarunt: tandem in ſummo malo facula ardens viſa diſcurrere eſt: & nonnihil tranquillius cœlum factum. Eiusmodi ignes nautis non ſunt ignoti, qui à veteribus Caſtores nominantur, cum ſint gemini. Solitarius qualis hic fuit, Helena dicitur: nunc ſtellæ Archangeli, aut pedum diui Nicolai appellantur. Amiſit dux nauſeâ & morbis inter redeundum è nobilitate Bernardum Schonbergium, Othonem Schidingum, Ioannem Bernſtenium, Conradum Amsdorfium, Eberhardum Brandenſteinum, qui obiit Metonæ. A Regina Cypri Nicotiæ & à Magiſtro Rhodiorum multâ exceptus humanitate eſt. Reuerſus ad ſuos, omnium gratulationibus excipitur: non ſolum quòd eſſet incolumis; verùm etiam quòd iam ſuperos habere videretur magis propicios, quorum calcaſſet veſtigia.

Incidit eius reditus in bellum, quod contra Quedilnburgios ERNESTVS ſuſceperat frater; id nullo negocio eſt confectũ: & poſt id ſedati quoque ſunt tumultuantes Halberſtadij.

Poſt hoc tempus ALBERTVS filiam fratris CHRISTINAM (quam Crantius errore Catharinam nominat) Regi Daniæ IOANNI (non Chriſtierno, vt Crantius ſcribit) deſponſatam deducit equitibus octingentis, curru aurato, & inſigni matronarum nobilium comitatu. Nuptiæ celebrantur in regiâ vrbe Hafniâ multis diebus: ludis & velitationibus equeſtribus primã laudem Albertus retulit. In reditu inuitatus à Senatu Lubecam diuertit: quâ in vrbe liberaliſsimè habetur: muliebrẽ licentiam; *Chriſtinæ deductio in Daniam & nuptiæ.*

Albertus Dux Saxo. qua per domos ſubterraneas, eo loco frequentes, perſonatæ decurrerent, ſibi diſplicere aiebat: nec ſe in ciuitate tàm benè conſtitutâ aliud vidiſſe dedecus. Is ſermo viris prudentibus & magnificis pudori fuit: quamobrem Senatus honeſtatem & famam ſexus conſiderans edicto cauit: ne in poſterum id fieret. Mirati autem ſunt & in Duce & in iuuene tantam curam pudoris, & ſexus fœminei reuerentiam.

Alberti iter in Morauiam. Nondum erat compoſitum inter Vngarum & Polonum negocium: ad quod tranſigendum arbiter vocatur in Morauiam ALBERTVS: isque rem tantoperè promouet, vt Poloni filio regnum Boemicum MATTHIAS concederet; ſponderetque ſe id infeſtare amplius nolle. Olomuntiæ vltra tres menſes agit: & in aduerſam incidens valetudinem in lecticâ Dresdam deportatur.

Anno M. CCCC. LXXX. frater Alberti Romam iens
1480. cum multâ & ſplendidâ nobilitate, domi præfectos conſtituit, qui prouincias gubernarent: hi minùs tribuerunt ALBERTO quàm par fuit: quorum ſuperbiâ vehementer commotus eſt, ſed iram omnem diſsimulauit, vsque ad reditum fratris; à quo ſe diſiunxit, neque Dresdæ amplius habitare voluit. Imperium *Fratrum coniunctiſſimorum diſiunctio.* omne fratri reliquit, ipſe ſe cum vxore & liberis Torgam contulit, & ibi rem curauit familiarem: contentus exiguis reditibus ad eam ſuſtinendam annuatim conſtitutis. Ibidem arcem ornat ædificiis, & piſcinas illas amplas fodiendas curat. Amiſit ibidem vno anno & menſe IOANNEM & LVDOVICVM filios
1481. infantes: altero etiam poſt ipſos anno obiit VILHELMVS Ducum patruus eodem menſe Septembri, quo anno ſuperiore infantes obierant.

1484. *Catharinæ filiæ deductio Oenipontem.* Anno M. CCCC. LXXXIV. menſe Februario, filiam vnicam CATHARINAM Albertus deducit Oenipontem, quam deſponderat Sigismundo Duci Auſtriæ, quem à ditione Alpinâ Atheſinum vulgus nominabat. In pompâ iſtâ ſolenni nihil magis conſpicuum erat, ipſis Ducibus ſocero atque genero, ſuorum temporum Imperatoribus fortiſsimis. Ille victoriis contra Vngaros, hic contra Venetos clarebat: ad ambos videndos ex vicinis multi confluebant, & de nobilitate & de plebe homines.

Diuiſio prouinciarum inter fratres. Reuerſus ex eo itinere fratrem alloquitur, & augeri ſibi reditus annuos poſtulat, quibus Vilhelmo viuente fuerat contentus. Nihil iniquum petiit: & à fratre reſponſum, quale voluit, tulit. Eius autem poſtulationem cum ad conſiliarios Elector retuliſſet:

tuliſſet: viſum prudentioribus eſt, vt vniuerſæ diuiderentur prouinciæ, primum id facile eſſe, cum fratres inter ſe mutuò plurimum amarent; tùm id ad amorem retinendum quaſi vinculum quoddam fore: prætereà maximè ex vſu publico eſſe, cum ambo filios haberent; ne tantarum prouinciarum poſſeſsio relinqueretur ad hæredes incerta atque indirempta. Placuit idem fratribus quoque: eſtque ea res per totos quinque annos mirabiliter agitata. Penſitatis igitur tanto tempore omni diligentiâ rationibus, & conuolutis de more ſcitalis; ex ALBERTO propoſitæ ſunt; qui eos, quorū auctoritate res agebatur admonuit, ne aſtutè agerent; neue tantùm hominum præſentium, ſed poſterorum etiam rationem haberent: ſe quidem facile conſenſurum cum fratre: cauendum, ne aliquando nepotes cauſam diſcordiarum magnam & iuſtam habeant. In vnâ parte erant vrbes & oppida prouinciarum Miſniæ, & Pleiſſenſis, duodecim, Saxoniæ quindecim, Turingiæ octo & triginta, Franciæ nouem, Vodlandiæ duodecim, cum pertinentibus ad ea arcibus, villis, poſſeſsionibus atque aliis: his inſuper adiuncta grandis pecunia: in alterâ verò parte pecunia nulla, & loca pauciora; prouinciarum ſcilicet Miſniæ & Oſterlandiæ oppida duo & triginta, Saxoniæ duo, Turingiæ duo & viginti: Reditus ex metallis æquales: æquales decimæ: patrocinium religioſorum, generoſorum & reliquæ nobilitatis diſpertitum. ALBERTVS natu minimus præter expectationem omnium, etiam ſuorum, hanc partem eligebat, quæ minimum haberet pecuniæ. Credebatur enim alteram electurus, primùm propter Torgam, in quâ rem familiarem conſtituerat, & eâ plurimum delectari videbatur: deinde propter vrbem & arcem Ienenſem, quam arbitris exemerat, & ad alteram partem iuſſerat apponi. Diuiſio facta eſt in curiâ Lipſenſi, IV. Id. Nouemb. M. CCCC. LXXXV. Hîc in annalibus, qui in manus venerunt meas, omnibus & ſingulis querelam communem deprehendi: minus bona ſecuta poſt hanc diuiſionem, Reipublicæ tempora. Verùm qui rerum humanarum mutabilitatem conſiderant, & qui ex ſuo ingenio fingunt non ſolùm formas Rerump. verùm etiam euentus negociorum, non conſideratâ videlicet DEI prouidentiâ: in alias atque alias ſubinde cauſas malorum initia conferre ſolent: quam diſputationem in vtraque parte magnos patronos inuenturam, prudens in hâc narrationis breuitate omitto.

Albertus Dux Saxo.

1485.

Magna vis pecuniæ ALBERTO ſoluenda erat fratris filiis:

Albertus Dux Saxo. nam poſt diuiſionem Elector diu non ſuperuixit: eâ de cauſâ ſuis conuentum indicit Lipſiam: ſed re propoſitâ nihil obtinet, idq; paucorum culpâ, qui ipſius profuſionem non ferendam eſſe dicebant; & quòd teſſaræ ac luſionum eſſet nimis ſtudioſus, accuſabant. ALBERTVS etſi ægerrimo id ferret animo: tamen iniuriam diſsimulabat, & pecuniam aliundè mutuatur, maiore ſuorũ populorum detrimento, quàm ipſi tum intelligebant: fratris autem filij, quod debebatur ipſis, per tutorem ſuum Comitem Glichenſem Sigismundum ſummoperè efflagitabant.

Mathiæ Regis in Auſtria facinora. Ab armis MATTHIÆ in Auſtriâ nihil tutum aut munitum ſatis erat. nam & Viennam metropolin ceperat, multaque crudelia & proterua in ciues ediderat exempla: tum incendiis & latrociniis reliquam exhauriebat prouinciam. Viennenſes videbantur plurimis iuſtas pœnas dare ſeditionis & contemptus Imperatoris; quem obſeſſum etiam fame afflixerant cum vxore & filio. FRIDERICVS Imperator dolens multitudinis vicem, ingentibus promiſsis ALBERTVM euocat, cuius virtus & felicitas inter Principes eminebat. Erat infeſto in Germanos animo MATTHIAS: & ſæpe minabatur ſe daturum Turcæ ad vexandam Germaniam tranſitum. ALBERTVS intelligens, ſe non modò pro Imperio contra Matthiam, ſed etiam contra hoſtem omnium immaniſsimum Turcam bellare; quem, ſi potuiſſet, immiſſurus Germanis erat: nullum detrectabat onus aut periculũ. Itaque manu Miſnenſium & Saxonum validâ in Auſtriam venit. Erant tum in agro Lorchicenſe Vngari: qui ager miſeris modis tractus & vaſtatus erat; ex eo hoſtem graſſatorem pellit, qui trans flumen Anaſum ſeſe recipit. Matthias miſerat equitatum in Stiriam: qui ex eâ quoque quantam poſſet prædam ageret, & agris incenſis terrorem vrbibus inferret, ſi quas fortè maleficio poſſet ad deditionem compellere. Fuerat colluuies hominum ſine capite, ex Vngaris, Auſtriacis, Dalmatis, Pruſsis, Polonis, congregata: hi validam conſpirationem habebant, & inuicem ſe fratres nominabant: itaque erant potentes facti, vt FRIDERICI aliquot oppidula, tum Regis Poloni diriperent, eademque ad ſe defendendos munirent: eorũ pars iam ſuperata erat & diſiecta, partim à præfectis Imperatoris, partim ab ipſo Matthiâ. Qui autem fugâ euaſerant, ſeſe rurſus iam colligebant. In eorum reliquias incidens equitatus MATHIÆ, omni prædâ partâ exuit, & ita deleuit, vt nomen factionis illius amplius non audiretur.

Alberti expeditio in Auſtriam & Vngariam contra regem Matthiam.

Trigæ obſeſſio. Vrbem Stiriæ Trigam, in quam metu Vngarorum plurimi confugerant, MATTHIAS obſidebat: ciues propugnabant fortiter,

titer, eo propoſito, vt priùs vitam relicturi eſſent, quàm mœnia tradituri ei hoſti, à quo omnis abeſſet humanitas & miſericordia. Perſequebatur cum ſuo equitatu Matthiam ALBERTVS: vtque animum Stiriis adderet, aliquot equites præmittit, qui ſocios iuuarent, & Vngaros conſiſtere non paterentur. Cum Trigæ oppugnatio eſſet acerrima; ALBERTVS ſeſe in conſpectum hoſtibus offert: qui eius aduentu cognito, quid facere ſibi expediat deliberant. Alij impetum in eum adhuc feſſum eſſe faciendum cenſebant: alij tutius conſilium dabant, vt vrbs relinqueretur, ipſi ſibi fugâ cauerent: fore eam tutam, nondum recreatis ex itinere Germanis, & ſibi minùs turpem, quòd totam penè ſpoliaſſent rebus mobilibus & ad victum pertinentibus prouinciam. Id cum ſpe prædæ retinendæ omnes probarent: in caſtra Neuſtadiana, octo à Viennâ miliaribus continente itinere profecti ſunt: agricolas captiuos, qui ſequi non poterant, interficiunt.

Albertus Dux Sax.

Neuſtadium ampla & munita vrbs eſt in ripâ Danubij: ad quam integrum fermè biennium habuerunt caſtra Vngari. In vrbe erat Ioannes VVolframsdorfius Vodlandus, tribunus fortis; qui extrema malebat perferre, quàm eam hoſti dedere: eſt autem tentatus & promiſsis & minis à Matthiâ: ſed planè fruſtra. Itaque cum nihil proficeret, vrbem oppugnare ſtatuit: totoque eam exercitu MATTHIAS obſedit. Imperator in diſcrimine maximo poſitus, comitia celebrat Noribergæ: quo in ſtatu res Auſtriacæ ſint, exponit: ab Imperij ordinibus belli ſumptus petit: & ad id ducem decernendum flagitat; inprimis, vt Neuſtadij obſeſsis auxilium feratur, contendit. Reſponſum eſt, cauſam Imperatoris eſſe priuatam: iniquè id onus imponi Imperij ordinibus. Reuerà autem Matthiam omnes timebant, fortitudine & felicitate Regem illuſtrem. Tandem ſtudio & precibus Imperatoris, pollicentur opem Principes: ſed qui gerere id bellum vellet non eſt inuentus.

Neuſtadium à Matthia obſeſſum.

Comitia Noribergæ.

ALBERTVM igitur amplexus Imperator, rogat atq; orat, ne deſiſtat cumulare in domum Auſtriacam beneficia: ſimul ſignificat de violentia Regis, & de hoſtium crudelitate: commemorat ſuorum populorum calamitates: promittit etiam delectibus habitis ſe miſſurum ſupplementa. Videri ſibi hoſtem vinci poſſe, & expugnari caſtra regia; in quibus ex partis victoriis magna ſecuritas ſit. ALBERTVS quamuis domi magnis diſtineretur negociis, & à ſuis familiaribus admoneretur, ne tantis ſe periculis offerret, & Regem potentem ac fortunatum laceſſeret: tamen nihil tanti fuit apud animum ipſius, vt à ſuo ſenſu conſtanti

Albertus ad bellum contra Matthiam ab Imp. ſollicitatur.

& ma-

Albertus Dux Sax. & magnanimo depelleretur: turpe enim ſibi aiebat, vt quidquã præferret ſaluti & dignitati, & ipſius Imperatoris, & ſui auunculi. Lætabatur autem datam ſibi oſtentandæ virtutis ſuæ occaſionem; & quod aliquando acie congreſſurus eſſet cum hoſtibus iis, qui ſibi de omnibus mortalibus pollicerentur victoriam. Dixiſſe Matthiam Regem ferunt, neminem obſtare poſſe ſuis auſpiciis & fortunæ, præter ALBERTVM; & eum ſolum è cæteris Germanis ducem nominandum: ſi abſque eo eſſet, ſe breui in mediâ Germaniâ caſtra eſſe poſiturum. ALBERTVS autem non ſolùm animo beneuolo Imperatori obſequitur: verùm etiam quia imparatum ipſum à pecuniâ videbat, ſuis ſtipendiis turmas aliquot equitum conſcribit. Imperator receperat ſe Lincium, quod eſt oppidum in ripâ Danubij: miſſurum ſe eò pollicebatur apparatum & tormenta & pecuniam: ibique futuros præſtò Auſtriacos & Stirios: hi ſunt Pannones & Norici. Eam in vrbem cum ad 19. Cal. Sep. ALBERTVS veniſſet cum mille & ducentis equitibus; neque tormenta, neque militem, neque pecuniam inuenit. E totâ nobilitate Auſtriacâ, duo ſolùm venerant: in tanto contemptu Fridericus apud ſuos erat: eos ad Imperatorem ipſos ire iubet, primùm vt conquerantur de negligentiâ; deinde vt ſe excuſent, qui Matthiam non aggrediatur: id enim nullo modo fieri poſſe, cum ipſe Neuſtadiũ magno exercitu obſederit. VVolframsdorfius qui vrbem defendebat, cum & laboraret commeatus difficultate, & miles abſumeretur peſtilentiâ, & nulla vſpiam auxilij ſpes affulgeret; cum Vngaro paciſcitur & vrbem tradit. Inde multarum aliarum vrbium conſecuta defectio: Stirij ſeſe MATTHIÆ magnâ ex parte dedunt, ne à domino ſuo deſerti funditus exſcinderentur. ALBERTVS nihil prætermittit ſtudij, quò aliquos ad ſe attrahat. multi conqueruntur nihil ſibi ſupereſſe, præter corpora & domos fortunis vacuas: eos hortatur & confirmat: è præſidiis quibuſdam militem euocat. Cum iam ſpeciem quandam exercitus iuſti labore grandi congregaſſet: maius ei obortum eſt periculum: quia enim ſtipendia menſibus aliquot ſoluta non erant, miles fremere & queritari: modò haſtas, modò ſclopetos ei intentare. Egentes compeſcendi ratio nulla alia erat, quàm præſens pecunia; igitur triginta nummûm millia de ſuo diuidit, & ſpem bonam in poſterum iniicit. In Saxonica caſtra iocabantur Vngari, & Albertum ignauum nominabant Germani, qui Regis partium erant. Inſolens ALBERTVS ignominiæ, equites aliquot ante ſe mittit, qui ad caſtra hoſtium accedant propiùs, & eorum ferociam experiantur: ipſe proximè

Friderici Imp. contemtus apud ſuos.

Neuſtadij deditio.

Alberti induſtria & animoſitas.

proximè inſequitur cum Georgio Vuolframsdorfio, Gotio Sta-
renbergio, & aliis tribunis fortiſsimis. MATHIAS hoc intelligēs, *Albertus Dux Saxo.*
animū ſuis addit: & turmis leuium equitum ſelectis negotium
dat Albertū excipiendi. Tumulum igitur ad impreſsionem opor-
tunum occupant, vt tranſeuntem inuaderent, aut certè ab inſti- *Alberti*
tuto itinere prohiberent. ALBERTVS per exploratores re co- *cum Mathia Rege*
gnitâ, de viâ nihil deflectit; ſed rectâ in occurſum tendit: hoſtéq; *conflictus.*
oculis obiectū loco deturbare aggreditur: moxq; dato ſigno pu-
gnandi facit poteſtatē. Vix primum ſuſtinentes inſultum Vngari, *Vngarorum*
ſeſe in fugam effundunt, certi nimirum, grauis armaturæ equitē *fuga.*
ſtantibus fore ſuperiorem, & non facile fugientibus nociturum:
proſtrati ſunt baliſtis & tormentis circiter ducenti. Negana arx
Borneggi expugnatur à duobus Miſnenſibus, Diterico Harraſio,
& Ioanne Minguicio. E regiis oppetière octoginta; è noſtris duo
haſtati, & tres pedites. Acceſſerat ad Albertū iam Vilibaldus Schā-
bergius cū milite Bauaro, quē Georgius Dux miſerat: & Germa-
nis animus ardebat pugnâ ſtatariâ confligendi cum copiis Regis.
Hiems autem vrgebat, vt circumſpicerent præſidia, & ea cuſtodi-
rent ab Vngaro. Igitur prouinciæ ſupra Anaſum, itē vrbibus me-
tallicis, in quibus ſal & ferrum foderetur, Græcio, Bruccæ, Eiſen-
ſtadio, Strichſteinæ, Vaidhouæ, caſtellis & arcibus præſidia im-
poſita ſunt. Pleriq; etiam præfecti Imperatorij ſuas arces cōmen-
darunt ALBERTO defendendas, & in Stiriâ & in Auſtriâ, non-
nullas etiam finitimas Antiſtes Salceburgius. Videbatur tota fa-
cies rerum Auſtriacarum mutata cum ALBERTO: quem amici
venerabantur, hoſtes pertimeſcebant. Interiecto hiemis tem-
pore conditiones de pace cœperunt ferri & tractari: eoque dedu- *Tractatio*
cta cauſa eſt, vt Vngarus & Saxo inducias menſtruas facerent, vt *pacis.*
inter ſe de tractatione humaniter colloquerentur. MATHIAS in
oppidum Melcam venit cum equitibus quádringentis: ALBER-
TVS Marsdorfium cum equitibus totidem. Ipſi tandem conue-
niunt in diui Hippolyti oppido; & remotis arbitris præter inter-
pretes, ſecretò inter ſe colloquuntur. Tracto inter ipſos ſermone
longiùs, miniſtri qui ad fores expectabant, alter alterum propter
ſuum dominum laceſſere, adeò vt murmura tollerentur. Regius
quidam conſiliarius tumultum veritus, portam aperire audet:
ibi eos lætos & erectos, brachiis alter humero alterius impoſitis,
ſtare in complexu conſpicantur. Suæ cauſæ arbitrum conſtituit
Vngarus Romanum Pontificem: Saxo ipſum Imperatorem. Fa-
ctâ huiusmodi compoſitione Rex Viennam, & vrbes, arcesq; à ſe
captas munit præſidiis, & in regnum ſuum proficiſcitur.

Interea

Albertus Dux Sax.
Comitia Noribergenſia.

Interea alium conuentum Imperator indicit Noribergam: nam & filio MAXIMILIANO tradere Imperij habenás volebat, & gliſcentia vndiq; bella componere. ALBERTVS eò veniens, res in Auſtriâ à ſe geſtas, & quibus cum MATTHIA conditionibus pacem iniiſſet, coram Ordinibus exponit. FRIDERICVS enim ſimulatâ indignatione, quòd pacis conditiones accepiſſet; ipſum in conſpectum admittere, & audire noluit: cuius indignationis cauſa fortaſſe fuit, inopia & pudor. Nam cum ſumptus ab Imperij ordinibus, quos volebat, non tuliſſet; nec ſtipendia promiſſa Alberto ſoluere, nec expenſas ab eodem factas potuit reſtituere: erant autem expenſa trium menſium ſpatio millia nummûm quinquaginta. itaque pro pecuniâ indignationem, pro beneficio animum parum memorem retulit. Tulit talem iniuriam animo quidem iniquo: ſed patriæ amor effecit, vt in poſterum minimè deſiſteret non modò fortunas, ſed & vitam paruifacere pro Imperio & Cæſaris honore. Pax cum MATTHIA facta vſque ad eius obitum durauit: poſt triennium autem mortuus eſt, & Auſtria à Maximiliano recipitur.

1486.
Maximilianus Francofurti in Comitijs Rex. Rom declaratur.

Duces Electores in conuentu Norinbergenſi, Imperatori pollicentur, ſe anno ſequente Francofurdum venturos ad Comitia. Declarato in iis omnium conſenſu Rege Romanorum MAXIMILIANO: ipſe è Flandris delectum equitatum adducit Aquiſgranum: vt ibi primam de more Imperij coronam ab Antiſtite Colonienſe acciperet. Eodem venit ALBERTVS cum equitatu ſuo; quo eſſe ornatior & inſtructior tum temporis non putabatur. Eodem anno, qui erat ſextus & octuageſimus, mater Electoris moritur menſe Februario: ipſe Elector corpus hoc caducum deponit menſe Auguſto. ALBERTVS in Miſniam profectus, Reipub. negotia diſponit, & cum fratris filio FRIDERICO Electore multa de rebus communibus, & ad patriæ pacem pertinentibus, vnanimiter deliberat. Filiam defuncti fratris natu minorem MARGARITHAM, Henrico Brunſuicenſi nuptá, vt deduceret, à cognatis ſponſoque rogatur: quod impetrari à ſe paſſus eſt, quia nepti patris loco erat. Nuptiæ celebrantur in arce Cellenſi, quibus interfuit Regina Daniæ, ſponſæ ſoror.

Nuptiæ Margaritæ cum Henrico Brunſuigio.

Maximiliani contemptus in Flandria.

MAXIMILIANVS deſignatus Rex Romanorum, cum in Flandriam nullâ maiore pompâ, quàm antea conſueuerat, veniret, contemni à ſuis cœpit. Vulgus enim è miniſtrorum frequentiâ, ſplendore purpuratorum, clientum comitatu, item ex largitionibus publicis æſtimat potentiam: neque honorem ipſum conſiderat, ſed honoris ſpeciem. Præterea erant antea ab eo alie-

nati

nati popularium animi, propter quæſtorum, quos illis relique- *Albertus Dux Sax.*
rat auaritiam & rapacitatem: quorum aliqui è gregariis mili-
bus, reliqui ex humili loco nati opes maximas comparauerant.
Flandris autem cum nouas exactiones imponeret, & grandem
pecuniam imperaret: animos vulgi planè accendit. Viri eccleſia-
ſtici, & nobiles multitudine & vulgo prudentiores, eam non ne-
gant quidem: ſed modeſtè addunt conditiones, ne videlicet ea
vtatur ad fœdera cum Anglis & Hiſpanis contra Gallos facien-
da: ſed ſui honoris & neceſsitatis gratiâ. Admonetur ab iiſdem
turba & vulgus, ne deſit dignitati & amplitudini ſui Principis:
ad quem honor in terris ſummus ab Imperij ordinibus tanto cō-
ſenſu delatus ſit: verùm ſurdis & amentibus canebatur. In vrbibus
præcipuè tribus Brugis, Gandauo, & Ipra, homines fremebant in-
dignatione: quorum hominum audaciâ quædam aliæ minùs
potentes ciuitates mouebantur, & iugum intolerabile recuſabāt;
& Regi ſtudebant Gallico magis quàm ſuo domino. MAXIMI-
LIANVS vt plebem ſuâ terreret præſentia: Brugas venit menſe *Tumultus Brugis.*
Decembri. Erant ibi è fabrorum tribu aliquot puniti capite: eo-
rum amici cum tribubus cæteris primum tumultum mouent, &
de tyrannide conqueruntur: tum plebe excitâ omni, Regis ho-
ſpitium pridie Cal. Ian. armati adeunt: vtque in liberam ipſe cu-
ſtodiam eat, ſuperbi & minaces depoſcūt. Miniſtri quidam, per-
ſpectâ factione plebeiâ, ſeſe furori ſubtraxerant, & vrbe exceſſe-
rant, qui è Germaniâ ſuperiore erant, abire celeriter iuſsi ſunt, e-
rant autem pauci: nobiles qui remanſerant, ciuibus dati ſunt aſ-
ſeruandi: Conſiliarij, quiq; à libellis & ſecretis erant, miſsi poſt
multos dies Gandauum ſunt, quorum aliqui in carcere interie-
runt. Iuit primùm MAXIMILIANVS in domum Vellenſem,
inde in Craneburgiam: demum in Graſsiâ aromatariâ menſes a- *Maximiliani captiuitas.*
liquot fuit. Erat in oppido Huiſtena, duobus à Brugis milliaribus
ſito, Regis præſidium militum circiter quingentorum: eòdem ſe
contulerant nonnulli, qui animaduerſo Regis periculo, Brugis
exiuerant. Ciues Brugenſes MAXIMILIANVM cogunt, vt loci
præfecto ſcribat, militem eſſe deducendum, & tradendum Bru-
genſibus oppidum. Eas literas fuiſſe extortas, præfectus è muliere
transfugâ cognoſcit: ideò mandatum non exequitur. Quia autē
impreſsionē metuebat: præſidiarios & oppidanos iureiurando
nouo obligat: qui ſe morituros priùs, quàm turpe facturos faci-
nus, ſanctè recipiunt. Oppidum ipſum Brugenſes & Gandauen-
ſes auxiliis communibus adoriuntur, & viribus ſummis oppgnāt:
donec nox illis arma telaq; extorſiſſet. Perierant multi in foſsâ,

 multi

Auguſtus Dux Sax. multi læſi miſsilibus erant. Præfectus vrbi facilè conijciebat acceptam cladem ipſos eſſe vlturos; nec inde abituros, donec oppido potirentur; vt aliis vicinis ſpem ſui defendendi adimerent. Igitur ipsâ nocte, caſtra illorũ ſpeculatus, videt raras excubias, diſsipatos milites; laſsitudine & ſomno iacere omnia. In vrbem properè rediens ſuos armat atq; animat; tum ſilentio educit; & mandata, quibus pareant, præſcribit. Irruptione factâ trium horarum ſpatio quinque millia Brugenſium & Gandauenſiũ in caſtra cædit; & cum diluculo triumphans in vrbem acquiſita ſpolia importat. Quâ calamitate & dedecore affecti vrbem relinquunt Gandauẽſes: vt ſuæ vrbi aliquod præſidiũ parârent, ne fortè commeatu intercluderentur: oppidum Aldenardũ eâdem ratione aggrediuntur: ſed cùm armis non potuiſſent, per fraudem tandem in ſuam poteſtatem redigunt. Vulgatâ facinoris & confidentiæ famâ de capto Maximiliano, Pontifex diras iacit: Imperator bellũ intentat impiis ciuibus. Ille appellat Antiſtitem Coloniẽſem ad mandata ſua exequenda: hic Dalburgium Præſulem, Vuormacienſem legatum, pro filij liberatione ad Principes mittit: ſed auxilia nemo miſit, donec intellectũ eſt, ipſum in armis eſſe Imperatorem, ad ferendum filio auxiliũ. Venerant Mechliniam Volfgangus Dux Bauariæ: Ioannes Iuliacenſis: Carolus Princeps Badenſis: Electores, Colonienſis & Treuirenſis: Imperator eòdem acceſsit cum Brãdeburgico die ſecundo Pentecoſtes: euocatus quoque erat Albertus Dux Saxoniæ, quem domi retinere potuiſſent multa: periculum à Ladislao Rege Boemiæ, qui cum Friderico Electore, ſui fratris filio, controuerſiam habebat; item à Matthia Vngariæ quẽ offenderat, & qui vicinas aliquot prouincias tenebat, prætereà cauſa cum ſuis ſubditis nondum compoſita, qui ab ipſo alieniores fuerant conuentu Lipſenſi, vt dictum eſt. Accedebat denique nobilium pertinacia: quæ omnia diſſuadebãt, ne ſe alienis ingereret negotiis, & nimis grauibus, & moleſtis. In conuentu igitur Dresdenſi corã omnibus dixit: ſe malle pauperem viuere, quàm illatam Imperio & nomini Germanico, iniuriam tantã tolerare: iturum bonis auſpiciis, & gratiã habiturũ iis, qui non inuiti ſeſe ſequerentur. Georgio filio ſeptendecim annorum adoleſcenti habenas gubernationis tradit: eiq; adiungit virum ſplendidum & iuriſperitum Sigmundum Pflugum, ſuum Cancellarium, & alios de nobilitate prudentiſsimos. Oblitus itaque ingratitudinis Imperatoris & diſpendij ſui, & ſpretis ſuorum conſiliis, menſe Maio cum inſigni equitatu ſeſe dat in viam. Dum adhuc in itinere eſt, Spangebergi in Haſsiâ nunci-

Brugenſiũ & Gandauenſium clades.

Principum expeditio contra Gandauenſes & Brugenſes.

nuncium accipit, eſſe liberatum Regem. Nihilominus vt ſuam fidem & obſeruantiam teſtaretur, ad Imperatorem contendit. Rex ſolutus & liber, ad patrem proficiſcitur Mechliniam: ei exponit, quibus legibus dimiſſus ſit, quid iureiurando promiſerit: rogat, bellum hoc tempore Brugenſibus ne faciat; cum eorum ſimiliter ſociis Gandauenſibus & Ipranis clementer agat. Iniuria videbatur indignior, & nouitas ſceleris maior, quàm vt manere impunis deberet. Vaſtatur ager totius prouinciæ, inuito MAXIMILIANO: in Gandauenſi etiam ſæuitur. Nam compertum erat ſtuduiſſe ipſos Maximilianum Brugenſibus eripere, & Regi Galliæ tradere cuſtodiendum. *Albertus Dux Sax.* *Maximiliani Regis liberatio.*

ALBERTVS vt aduentare nunciatur; extra mœnia in agrum procedit obuiam MAXIMILIANVS; intraque vrbis portam excipit FRIDERICVS. Duos menſes in Flandriâ moratus Imperator, nullius animum erga ſe beneuolentiorem & virtutem promptiorem cognouit, quàm ALBERTI: quem inprimis probabat & diligebat MAXIMILIANVS; & vt ipſum maximi faceret pater, omnibus modis ſtudebat. Reliqui Principes, qui comitari Imperatorem fuerant, ſtatim, vt liberatus eſt ipſius filius, domum ſunt reuerſi: quod ſuo officio & mandato Imperatoris iam ſatis eſſe factum dicerent. Commiſſa ſunt, dum in Belgio manet FRIDERICVS, leuia cum hoſtibus prælia proſpere & feliciter induſtriâ ALBERTI: qui nullam gloriæ occaſionem negligebat, & in primis ordinibus verſari conſueuerat. Erat in ſuos difficilior & moroſior Imperator, quàm patrem aut auunculum decebat. Hoc vitium nouerat filius, ſed ferebat & emendabat lenitate & veneratione. *Flandriæ depopulatio.* *Alberti virtus.*

Tandem igitur effectum eſt, adhortante neceſsitate: vt FRIDERICVS ALBERTVM honorificè appellaret: eique & filium & nepotem commendaret: ipſum itaque accerſitum ad ſe, patrem ſuorum, cuſtodem ſalutis publicæ nominat: gubernationem totius Belgij, & magnitudinem curamque belli committit. Idque vt cum autoritate ageretur: conuocat Mechliniam nobilitatem Belgicam, & vrbium optimates: eisque Saxonem conſtituit præfectum & moderatorem; & parêre tanquam ſibi præſenti mandat atque imperat. ALBERTVS etiamſi plenum difficultatis & periculi negotium ſibi ſubeundum cerneret: tamen non modò fortunas & opes, verùm etiam vitam pro dignitate Imperatoris impendere paratus erat. Belgæ etiamſi ferebant grauiter, externum ſibi Principem dari: tamen diſsimulabant ægritudinem, ſperantes ſe inuenturos facilè rationem, quâ eius iugum à ſe *Alberto gubernatio Belgij committitur.*

 abijce-

Auguſtus Dux Sax.

Azalienatio Philippi Raueſteini à Maximiliano.

abiicerent. Animi autem omnium præclarè erant affecti erga PHILIPPVM Raueſteinum Cliuenſem, virum illuſtrem & ipſis carum, ſpectatæq; fidei hominem. Is Maximiliano intimus aliquando fuerat, & eius nomine Brugenſibus iurauerat: quem ſi in ſuâ amicitiâ retinuiſſet, non dubitabát, quin minore odio, ſui ſuorumq; incommodo, omne Belgium in officio retinuiſſet. Is autē à Rege ſeceſſerat; & oppidum maritimum Sluſam, naturâ munitū, occupauerat; idq; nouis operibus validius muniebat. Miſerat contra eum Rex copias ſuas, exiſtimans initiò eum opprimi poſſe: ſed Raueſteinus armis vſuq; exercitatus, ad Thamum oppidū, inter Sluſam & Brugas ſitum, eis occurrit: & impreſsionē ſubitò faciēs, optatâ potitur victoriâ: neq; alius excepto Raueſteino metuendus erat, cui Flandri & Brabanti partim apertè, partim ſingulariter fauebant. Albertus bellum moueri certum videns, nititur populos illos humanitate & beneuolentiâ ad ſe traducere: quamobrem quoſdam ex iis ad conſilia adhibet: & de ratione gerendi contra pertinaciores belli cum iis deliberat. Verùm inter ingenia hominū varia, raram fidē, odium verò immenſum aduerſus Regem cōperit. Agitantur tacita cum Rege Gallico conſilia: & Raueſteinus animos ſibi multorū conciliat, & ſe defenſorem libertatis vult nominari Albertus, qui bellū, niſi neceſsitate, facere nolebat; lentitudine ſuâ pænè nocuiſſet cauſæ regiæ. Nam multæ ab eo vrbes deficiebant: & qui adhibebantur in conſilia, ea aduerſariis prodebant. Quocirca non nimium ceſſandū ratus, dum Bruxellani Viluordiam, iuxta flumen Sennam oppidulum, diripiunt atque cremant; ipſe aliud vicinum Grimbergam adoritur: in cuius oppugnatione virum fortem & generoſum amittit ERNESTVM Schonbergium Miſnenſem. Potitur autem eo IX. Calen. Februarij. In eo autem verſabantur conſilia ALBERTI, vt Sluſâ Raueſteinum expelleret. Nam auctore belli & turbarum fugato, prouincias tranquilliores fore, non temerè ſibi perſuadebat. Quamobrem in agrum Brugenſem cum ſuo agmine procedit; illis tamen, memor fæderis regij, nullam infert iniuriam; ſed eorum amicitiâ vtitur ad honorem & commodum Regis. Capiendi oppidi Thami (quod Latini Aggeres vocarent) conſilium iniit, non longè à Sluſâ diſtantis: idque vt minimo ſuorum periculo faceret, hoc vtitur ſtratagemate. Rogat Brugenſes, vt cum certis equitibus, vrbis perluſtrandæ gratiâ ſe intromittant. Eâ poteſtate impetratâ, ſuos ſatellites, qui hoſpitia inſpicerent, item miniſtros alios curæ corporis ſui deſtinatos, præmittit. Ciues nihil aliud ſuſpicati, cùm apud ſe per-

Grimbergæ expugnatio.

Albertus cum exercitu in agrū Brugenſem progreditur

Stratagema Alberti in capiendo oppido Thamo.

nocta-

noctaturum Ducem crederent; in apparandâ cænâ, quo ipſum more gentis lautè & opiparè accipiant, toti occupantur. Equites primi intromiſsi, hoſpitia adeunt: alij veluti comites eorum in vrbe non manſuri, per aliam portam, quâ Thamum aditur, exeunt. ALBERTVS alio itinere ad ſuos contendit, ita vti conſtitutum erat. Interea nunciatur Albertum non veſperi, ſed die altera in vrbem venturum: eâ de causâ, & alij equites ex vrbe exeunt. Cum ſuos collegiſſet equites loco deſtinato, Thamum ſilentio pergit: ciues rerum ignari, auxilia adeſſe ſociorum opinãtur; portisque apertis eos volunt excipere. Ipſis inſcientibus & ſecuris equite verò Miſnenſe cupido & feſtinante, vnà per portas irrumpunt: in ipſoque conſiſtentes aditu noſtri, cæteros in ſequentes præſtolantur. Thamenſes præ terrore & formidine conſilij inopes, cum multò maiores adeſſe copias, ſeſeque proditos ſuſpicarentur; ne quid grauius in ſe ſtatueretur, neue domus militi darentur diripiendæ, deditionem faciunt: cûmque ipſum adeſſe ALBERTVM cernerent, ipſi ſeſe ſupplices commendant. Captum oppidum aſtu & celeritate eſt, quod armis expugnari difficulter potuiſſet. Rumore Brugas delato, primates ſe tacitè incuſabant, quod tàm ſtupidi & negligentes fuiſſent: factum ſermone aperto improbare non audebant, quia nihil contra eos actum hoſtiliter erat. Sluſenſes contra Raueſteinum tumultuabantur; vel quòd miles externus & gentium diuerſarum grauis ipſis erat: vel quòd vulgus ſuâ naturâ commutabile eſt, & timidum in periculis. Nam de Thamo occupato audientes, iam intra ſua mœnia atque tecta verſari Saxonem putabant, cuius aſtutiæ & audaciæ fortuna iam eſſet propitia. Raueſteinus ſe vehementer vrgeri videns, Comitis Naſſaenſis conſilio, qui vnà cum ipſo in vrbe militabat, primùm ciues ſolatur, & placat, & eis ſpem pacis iniicit; deindè cum Alberto inducias menſium aliquot paciſcitur. Brungenſes oppido tàm oportuno amiſſo, militem, quem cum ingenti detrimento diu aluerant, ex vrbe dimittunt; & ſeſe totos ad Alberti auctoritatem conuertunt; vrbique ſuæ patronũ & defenſorem aſſciſcunt. Interea Raueſteinus homo ſagax & interritus, nullam prætermittit occaſionem, quâ aliquod præclarum pro ſuis facinus moliatur. Igitur & armis & dolis oppugnare Saxonem intentat. Non ignarus erat, ALBERTO haud multum relictum pecuniæ, & ipſum ſuis ſtipendiis militare; nec magnas habere copias: regio quoque militi veterano aliquot menſium deberi ſtipendia. Hos igitur egentes ſolicitat pollicitationibus ad partes ſuas: Albertum verò prouocat ad prælium:

Albertus Dux Sax.

Tumultus Sluſenſium contra Raueſteinum.

Albertus à Raueſteino dolis & armis oppugnatur.

 ratus

Auguſtus Dux Sax. ratus fore, vt vel milites tumultum excitarent, vel Princeps ſe copiis inferior fugam capeſſeret. Induciarũ tempore finito, cum aliquoties pacis mentio fruſtra facta eſſet; Sluſæ arcibus Raueſteinus præſidia imponit, & contra Saxonem tum Mechliniæ agentem inſtructum educit militem ſuum; cui magnam ſpem fecerat victoriæ, maiorem prædæ. Dimittit certos homines paſsim ad vrbes dubias atque labantes, vt ſe pecuniâ adiuuent, ſi milite non auſint: nunciari præterea illis iubet, militẽ veteranum ad ſe breui tranſiturum, modò offerretur ei ſtipendium: equitatum Saxonis absq; eo milite nequaquam timendum eſſe. Bruxellæ delectus agit, nam multi ad eum vndiq; milites confluxerant. Inter Bruxellam & Voluertham amnis eſt non niſi ponte transmeabilis; ex vtraq; ripâ amborum conſedêre copiæ. Cùm neuter pontẽ tranſire vellet, tormentis alter alterum laceſsit: totoq; die ſuos armatos in acie continet. Raueſteinus in eo ponebat victoriam, ſi Saxo ponti ſeſe committeret: nam in eundem tormenta ænea latentia direxerat, & reſcindendum aut incendendũ ſigno dato curârat.

Raueſteinus Bruxellæ mœnibus ſe includit. Cum euentus cogitatis non reſponderet: noctu intra Bruxellæ mœnia ſe recipit: neque amplius cum ALBERTO ſibi pugnandum cenſet, quia ſua ipſum conſilia deceperant, vel militem alienandi, vel ipſum in locum prælio iniquum alliciendi. Inprimis autem illum terrebat inuictus ALBERTI animus, quod irato ſibi & milite vacillante, & minore equitatu inſtructus, tamen congreſſum non fugeret. Saxo toto incumbebat ad obſidendam Bruxellam impetu: itaque aliquot militum cohortes Voluerthã mittit, qui vias Bruxellenſibus intercludant, & excurſionibus agrum vexent. Herſium & Fechtela, pagi frequentes & populoſi, dantur in prædam militi. In magnis autem anguſtiis, propter æs alienum, & dubios milites, ALBERTVS Imperatorem literis hortatur, vt ſtipendia militibus, & ſibi ſupplementum mittat: rem in ſummo eſſe diſcrimine, fidos haud multos eſſe ciues: ſe non defuturum cauſæ regiæ, nec deſperare de victoriâ, cum animi ſint factionibus diſtracti: victo aut conciliato Raueſteino, ſe in portu fore: vereri autem, ne miles deſtitutus ſtipendiis, pecuniâ Gallicâ corrumpatur, & ſe deſerat: ei plus indulgendum quàm deceat, & quàm ſit toti bello opportunum. Bruxellam primò vere ſe obſeſſurum; vt vnius ciuitatis exemplo, reliquæ territæ, fiant modeſtiores. Verùm in recuperandis Auſtriæ vrbibus occupatus Rex, ſpem ſatis amplam facit; ſed parum opis conſecutum eſt. *Securitas Bruxellenſium.* Bruxellenſes ſuis mœnibus fidentes erant ſecuri, nec cura-

curabant Saxonem. Ea ſecuritas Miſnenſibus ignota non erat. Diebus igitur Bacchanalibus equites aliquot è Voluertha propius vrbem accedunt, & iuxta mœnia ciuibus armenta abigunt. Rumore in vrbem delato, vt quisque magis temeto ardebat, ita audaciùs arma rapiebat. Effunduntur portis ciues circiter ducenti ad retrahendam prædam: in quos equites ſubito irruentes, eos circumueniunt, & in conſpectu ipſius vrbis cædunt. *Albertus Dux Sax.*

Veteranis cum ſtipendia ſolui non poſſent; ne iis planè fraudarentur, duci ſuo Georgio Eberſtenio parentes, Præſulem Cameracenſem, & regium Senatum in vincula coniiciunt; ſeſeque Mechliniam drepturos & trãſituros ad Gallum minantur. Antuerpia, Mechlinia, Lira, Halis, hactenus in fide ſolæ permanſerant: eas vrbes Albertus appellat, vt certam pecuniam ad ſe mittant ad ſedandos milites, ne ij irritatiores facti, aut ſocias vrbes crudeliter violent, aut parti ſe aduerſariæ furenter adiungant. Verùm, cùm exhauſtas ſeſe dicerent, nihil impetrauit: fidentiùs petere, ne ipſæ quoque fierent alienæ, noluit. Buſcoducenſes neutri parti penitus addicti, quod aliæ ciuitates facerent, vltrò ſe facturos pollicentur. Albertus anxius curâ & ſolicitudine, in animo habuit ferro reprimere militem ſeditioſum, vinctosque regios armis liberare. Quod cum illi arduum factu eſſet, & facere tamen percuperet, etiam diſſuadentibus ſuis: Mechlinienſes & Liranos rogitat, vt peditem è ſuis ciuibus conſcribant: ſed ipſi metu veteranorum ſeſe excuſant, quod difficulter fortunas ac patriam ſuis ciuibus tuebantur. Saxo vndique preſſus, iracundiam diſſimulat, milites furentes blandè appellat: quidam armis tormentisque minabantur, & muliebria iaciebant in ipſum conuicia. Dicendi tandem poteſtate impetratâ. nihil (inquit) vobis deerit, ſocij, neque virtus veſtra fraudabitur præmiis: modò inter medios hoſtes iam quieſcite, neque vosmet ipſos coniicite in diſcrimen: nihil ipſe ſum habiturus proprij, quod non velim vobis eſſe commune: vitam pro Rege vobiſcum neglexi. nunc etiã huc aduectis theſauris meis, ſupellectilem precioſam & opes meas in vos diuidam atque diſpertiam: mox prolatis ciſtis, aurum, argentumq; factũ infectumue militi dedit. Veterani liberalitate Ducis perſpectâ eum ad cœlum tollere, dignũ imperio clamare. *Veteranorum ſeditio erga regios.*

Animis militum reconciliatis, eos in agrũ Halenſem ducit: quæ vrbs duob à Bruxella diſtans milliaribus, obſidebatur à Raueſteino, expectãte exitũ tumultus militaris, vt in viciniã ſuæ cauſæ cõſuleret; & hoſtib. oblato tempore quàm maximè incõmodaret. Verùm auditis quæ acciderãt, & Alberti aduentu cognito, flãmas inte- *Halis obſeſſa à Raueſteino.*

Auguſtus Dux Sax. in tecta immittit; ſuasque copias traducit in Hannoniam: quem, quantum poteſt, Saxo inſequitur, neque vllum dat quieſcendi locum: & caſtella cum ſuis arcibus octo occupat: milites Gallos & Flandros, qui deditionem fecerant, armis exutos, æreque diminutos dimittit.

Arſchoti oppugnatio. Oppidum Arſchotum tribus à Louanio milliaribus, in fide Louanienſium erat: id firmâ defendebat manu VILHELMVS Comes Arnbergius: Huius pater, quòd ſperatam non obtinuiſſet dignitatem, à Maximiliano defecerat; & depræhenſus Traiecti, capitis ſupplicio affectus erat, cùm ob illam ipſam defectionem, tùm propter occiſum præſulem Leodienſem. Oppidum itaque Saxo obſidens, ter oppugnat; ter non ſine ſuorum ſtrage repellitur. Inde igitur parauit diſcedere, ad comparandum ſupplementum. Ceciderant in eâ oppugnatione multi veterani, & plerique omnes, qui auctores ſeditionis, de quâ dixi, fuerant. ALBERTVS palàm dicebat, ſe ipſorum culpâ infeliciter egiſſe, quòd nulla contra Magiſtratum licentia ſit impunis; idque credi volebat, ne in poſterum facinus malum milites committerent. Diſcedens ab oppido, ab Arshotiis ludibriis irridetur parum viriliter. *Arſchotiorum petulantia.* Scrofam enim colum fuſosque tenentem, pinnis murorum imponunt: clamitantes, tum potiturum oppido Saxonem, cum Scrofa penſum illud deduxiſſet. Poſthæc cum tripudio & clamoribus, bacchantium in morem ſcrofam per omnes vicos agitant. Saxo per illos dies diſsimulanter militem paratum eſſe iuſſerat, vt ad oppidum diui Trudonis iretur, quod tenebatur à Raueſteino. Is famâ ad ſe perlatâ oppidum deſerit. ALBERTVS interim volens caſtigare Arſchotiorum petulantiam, paulum ab oppido digreſſum militem reducit: & quid conſilij animo agitet, explicat. Poſt eius diſceſſum vino & ſomno proſtrata erant in oppido omnia. Erat is dies futurus VI. Non. Maij. Cum igitur *Arſchoti expugnatio.* ad Arschotum reuerſum eſſet; pedites ſcalas admouent, equites machinis & ſecuribus portas perfringunt: Arnbergius beneficio tenebrarum & locorum noticiâ euadit, paulò ante lucem, cum ipſo diluculo oppidum capitur: ciues ante militem proſterni, veniam petere, vitam orare: ſed ſine diſcrimine primo impetu interficiuntur: ætas imbellis mulierum, puerorum, ſenum, oppido excedere iuſſa, ne quid acerbiùs in direptione paterentur, iniuriæ magis obnoxij. Ciconiæ nidus in ſupremâ priuatæ domus parte, vel bombardæ globo ignito vel alio caſu flammam corripuit: inde in lignea ædificia ignis delatus, oppidum cum ipſo templo conſu-

cõſumit. Dederunt Arſchotij triumphi ridiculi pænas non ridiculas. *Albertus Dux Saxo.*

Saxo in ipſius fortunæ curſu ducit exercitum Thenas, vrbem & loci ſpatio, & multis aliis rebus ornatam: Ea diſtabat tribus à Louanio milliaribus, habebatque præterquàm, quod munita eſſet, præſidium militum vltra ſeptem millia. Quod quidem non ignorat ALBERTVS, ſed id, quod augurabatur futurum, euenit, vt vrbs terrore potiùs quàm armis caperetur. *Albertus Thenas capit.* Thenenſes ſimul Arſchotiorum cladem auditione perceperunt, ſimul agro ſuo & ipſis mœnibus hoſtem inopinatum imminere viderunt: dici non poteſt, quàm vulgus exanime trepidauerít: quidam è fortioribus arma capiebant, ſed paucíſsimi. Quia autem noctu acceſſerat, adeſſe copias multò maiores rati, milites deditionem ſuadere: multitudo per vrbem incerta conſilij ferri, lamentari, proditam ſe captamq; deplorare. Non magno igitur labore vrbe potitur. Externus miles iuſſus excedere, ciues arma deponere: qui clementiam Saxonis implorant, ne ſe perderet: facturos imperata omnia pollicentur. Is militi ſeuerè imperat, vt à cæde & ab incendiis abſtineret: prohibere à direptione non valuit. Multi ſuas fortunas & quicquid precioſi habuerant, in illã vrbem comportârant: quod cum militi prædæ auido innotuiſſet, ruere, raptare, conuaſare omnia. Ex vrbibus vicinis aliqui, quibus ciuium facultates notæ & exploratæ erant, calonibus & lixis ſe immiſcuerant: prodendoq; & rapiendo minus ipſis hoſtibus incommodabant. Albertus delata ad ſe querelâ publico interdicto omnem externã colluuiem, quæ nomen militię non dederit, exire mandat intra certarum horarũ ſpatium: depræhenſis ſupplicium capitale ſtatuit. Tum ciuibus conuocatis oratione graui eos obiurgat, quòd ſuum Regem contemnerent, perduellibus fauerent: ſi quam cladẽ acceperint ipſorum temeritate accidiſſe, & furore vulgi. Iureiurãdo deinceps nouo obligat, obſides imperat, & ære grandi mulctat.

Clades Arſchotiorum cæteris quoq; rebellibus metum iuſtum attulit: nam cũ matronæ, puellæve & ſenes expulſi, ſedes vndiq; quærerent; longè lateq; ipſorum miſeria peruagabatur. ex quorum calamitate, quid ſibi accidere poſſet, metiebantur vicini. Augebat conceptum timorem caſus Thenenſium infelix, qui amiſſis fortunis vix vrbem & vitam ſeruauerant.

In vrbibus Belgicis propter diligentiam hominum & locorum oportunitatẽ magna ſunt mercimonia & plures ciues multũ copioſi. In vrbibus igitur captis, vel ditabatur miles rapinâ: &, vt in locis lautis, rurſus parta profundebat libidine & luxuriâ.

In vr-

Albertus Dux Sax.

In vrbibus verò clauſis aut obſeſsis homines laborabant inopiâ: & quia ſolitas exercere operas, & merces euehere non poterant; diuturnitate feſſum vulgus, inuidiâ flagrabat potentiorum: quos etiam ſermonibus inceſſebat & contumelijs. Senatum Lovanienſem plebs accuſat, qui ciuium cõmoda bello iniquo minuat, patriam in periculum coniiciat, ſocias vrbes deſerat, & hoſti exponat. Igitur ad Saxonem, cuius armis reſiſti non poſsit, legatos mitti vult: Arſchotum & Thenas documento eſſe, quid ſuæ vitæ fortunisque ſit metuendum. Idem faciebant Bruxellenſes, qui nouerant ſibi inprimis Saxonem malè cogitare atque velle: parum abfuiſſe, quin primi perierint. Niſi enim tumultus militaris cœpta impediiſſet, vrbem obſeſſam fuiſſe, nihil opitulante Raueſteino, in quo ſpes omnes multo tempore fruſtra collocauerint. Barlandus in Brabantiæ Ducum hiſtoriolâ, peſtem in causâ fuiſſe ciuibus exiſtimat pacis petendæ: nam eâ lue horribili extincta Louanij viginti hominum millia: Bruxellæ duo & triginta. Itaque diurnis nocturnisque ſuorum funeribus ciues fractos & exanimatos decreuiſſe legatos de pace amandandos: ſalutarius conſilium non inueniri, maius ſolatiũ optari non poſſe, quàm pacis & quietis: nimirum vt liceret ipſis intra lares domeſticos placidè vitam reddere, ſuos propinquos amicosue ſepelire, ijsdẽ parentare, iuſtaque facere: aut certè, ſi qui fugâ ſaluos ſe futuros ſperarent, ſine periculo foris æuum protrahere. Itaque Louanienſes & Bruxellenſes communicatis ſententiis idem decernunt: & legatos ad ALBERTVM adhuc Thenis commorantem, cum muneribus mittunt. Is cum eos poſt menſis demum ſpatium admiſiſſet, audiuiſſetque, initio durè reſpondet: totamque rem ad Regem abſentem reiicit: cuius ſententiâ & mandato velit cognoſcere, quid ſit faciendum in tàm improbos ciues, tamque rebellionis ferè principes. Legati ſuppliciter obſecrant, ſi ſe ſaluos eſſe velit, errorem ignoſcat: eâ enim lege dimiſſos à ſuis, vt niſi nuncium de pace lætum referant, in exilium eant, nec ad ſuos lares vnquam reuertantur. ALBERTVS pœnitentiam animaduertens eſſe ſeriam, diem dicit, quo ſe rurſus adeant & reſponſum expectent. Cum ea dies adeſſet; veſtitu atro & lugubri, ipſius genibus prouoluti, ſubmiſsè petunt veniam: ſe bellum non contra Regem ſuſcepiſſe, ſed motam iniuriâ quorundam præfectorum plebem non potuiſſe contineri, à quâ tanquam æſtu quodam ſe fuiſſe abreptos, niſi ſimul omnes perire maluiſſent: acceſsiſſe ad partes iniuſtiores alios metu, alios neceſsitate, nonnullos certa ſpe ſe data occaſione cauſæ regiæ profuturos: FuiſſeRaueſteinum impedi-

Legati Louanienſium & Bruxellenſium ab Alberto pacem orant.

impedimento, quò minùs id factum ſit: qui fidos Regi homines occiderit, ciues ſaltem muſsitantes fugârit, plebeios vinculis detinuerit: Accidiſſe Belgio hanc fatalem calamitatem: plebem nũc ſerò cernere, & experiri ſuo malo, quantum peccauerit: ſeſe luituros pœnam, quam voluerit: facturos iuſſa quæ mandauerit, modò pacem promittat & miſeros ſuſcipiat. Orare tamen & obteſtari ſe, vt clementiæ ſuæ meminiſſe velit: quâ etiamſi ſe indignos eſſe fateantur, ipſi tamen nihil ſit eâ dignius: Regem quoq; maiorem tum fructum tum voluptatem capturum, ex ſeruatis quàm perditis ciuibus. Motus ſermone ALBERTVS, poſtridiè eius diei adeſſe iubet, quo ſuam ipſis exponit ſententiam. Cum deliberatio incideret, nonnulli de grauitate pœnarum ſtatuendarum diſputant, vt exemplum ſeueritatis terreat alios: alij ſupplices recipiendos, & quid faciendum deinceps ſit, cognoſcendũ ex Rege: maturandum autem factum, antequàm metus vulgi in furorem vertatur, nondum ſcilicet victis Raueſteino, & nunc noua arma minitantibus Montfortiis: certum eſſe non ſuis opibus eos bellum gerere, ſed vt noſtri loquuntur, ſub illo puluino Regem Galliæ latêre. Intercedebant præterea Flandri & Brabanti, qui à partibus Regis ſteterant. Nihil enim magis cupiebãt, quàm liberari milite externo prouinciam. Itaque ALBERTVS vocatis legatis, primùm inſignem crudelitatem exprobrat, quòd Regis aliquot familiares, & ciues innocentes excruciatos gladio necârint: deindè acriter in ipſorum inuehitur leuitatem & ſuperbiam qui fictam libertatem quærant ſub dominatu Galli: ſuam ſecundam fortunam ferre neſciant, legitimos dominos per contemptum abiiciant; externos contra ius fidemque & propria emolumenta expetant. Verùm, vt ſciant, in Regis bonitate & ſuâ clementiâ ſpem eſſe veniæ repoſitam: ſi redire ad bonam mentem velint, petita auditurum iis legibus: vt vrbes cum municipiis in ſuam poteſtatem tradant: regiis præfectis dignitatem & iura erepta reſtituant: fœderibus Gallicis & Cliuenſibus apertis renunciẽt; tecta aperiant: nomina eorum, qui ſeditionem aluerint, deferant: Regi ſe iureiurando rurſus obſtringant: veniam ab ipſo ſingulariter petant: ſtipendia denique perſoluant militibus. Additur Bruxellenſibus illa conditio, vt Viluordiis, quorum vrbem cremârant, ad eam inſtaurandam ſint adiumento: aliis, quos perdiderant, ſatisfaciant de iniuriâ; & quæ ciuibus miſeris ademerint per vim, reſtituant. Legati nihil horum facere negant: & mox claues ſuarum vrbium Louanij & Bruxellæ Alberto porrigunt.

Albertus Dux Sax.

Deliberatio de danda pace Louanienſibus & Gandauenſibus.

Pacis conditiones.

Ea po-

Albertus Dux Sax. Ea poteſtas more Germano maxima permittitur Principibus, ſi deditio vrbium facienda eſt. Nihil in iſtis motibus actũ ab Alberto crudelius in ſupplices eſt, cum crudelitatis autores non defuerint, ex ipſis Brabantiis: quos priuatas iniurias publico nomine vlciſci cupientes Princeps animo forti prohibuit.

Indicta erant in menſem Martium anni M. CCCC. XCI.

1491. *Comitia Norinbergenſia.* comitia Norinbergam, ad quæ Fridericus Imperator eſſet venturus. Ad ea cum & ALBERTVS è Belgio vocaretur: Viluordam, Ienepam, Gorcheimum, Berbam, arces ſibi traditas, donec quod promiſſum erat, ſtipendium numeraretur, Vicelebio & Seidſitio commendat: reliquis præfectis mandat, darent operam, ne ſe abſente aliquid oriretur tumultus: præcipit vt & ipſi ab iniuriâ ciuium abſtineant, & cupiditatibus moderentur. Conuocatis præterea ciuitatum optimatibus eos hortatur, vt rerum nouarum ſtudioſis obſiſtant: ipſi in fide maneant; plebi anſam ſeditionis ne præbeant: præfectos colant & obſeruent. Norinbergam cum veniſſet, eôdem tres ſuos euocat filios. Gratiæ illi publicè aguntur, cum magnâ teſtificatione virtutis & meritorum, quòd Regis cauſam ſuſceperit, vitam in diſcrimen poſuerit, populũ à malis conſiliis flexerit, ſeditioſos vindicauerit, factioſos placârit, ſeruitutem Gallicam à Belgio depulerit. Poſthac in ſocietatem velleris aurei recipitur: qui honos non niſi intimis Cæſaris amicis tribui ſolet.

Æſtatem deinceps ALBERTVS domi agit: & Dreſdam ſe abſente magnâ ex parte crematam in formam ædificiorum meliorem redigit. Inde, vt bello Belgico finem imponeret, menſe Octobri equitatum ſcribit, ſibique eſſe Lipſiæ præſtò iubet: natuque minorem filium HENRICVM ſecum ducit in Brabantiam.

Raptus ſponſæ Maximiliani. Mittuntur circa id tempus à MAXIMILIANO in Brabantiam citeriorem, nobilem Galliæ prouinciam, ad ducem Armoricenſium legati, qui filiam Franciſci Ducis Annam, ritè deſponſatam, ſibi deducerent. In eâ legatione inter viros militares locũ primum tenuerunt, Volfgangus Polhemius Comes Auſtriacus, & Hugo Comes Leiſnicenſis è Miſniâ. Carolus VII. Rex Galliæ, tutum iis iter permittit: verùm in reditu puellam eripit, & ſibi matrimonio iungit. Legati de vi conqueſti, tacere iubentur: ipſis conceſſum iter tutum atq;. concedi puellæ regio thalamo honeſtandæ, nullam fieri iniuriam. Volfgangus & Hugo Oenipontẽ profecti, rem omnem MAXIMILIANO nunciant: qui adeò non motus raptu eſt, vt eo die armatus concurrerit cum aulico.

Indicitur

Indicitur propter eam iniuriam anno altero, principum conuentus Confluentiam à Friderico. Verùm, cum MAXIMILIANVS iniuriâ leuiter moueretur, & Principes belli cauſam contra Regem potentiſsimum non ſatis iuſtam cognoſcerentq́; raptionis iniuria diſsimulatione & ſilentio tecta eſt. *Albertus Dux Sax.* 1492.

Arcem Holandiæ Vuordam, naturâ atque arte inexpugnabilem, poſsidebant duo fratres, Comites Montfortij; è quâ littoribus vicinis multa ſæpe damna inferebantur, & Comites ipſi rarò cum prouincialibus ſentiebant: tùm omnes cenſebant armis repetendam, vt bellorum quaſi anſa præcideretur. Tenentibus enim Sluſam Raueſteino, & Vuordam Montfortiis; nunquam defuturam ſeditionum occaſionem: patêre editum per eas vrbes atque arces cuiuis hoſti ad vexandos prouinciales, & ad ſpoliandos negotiatores. Saxo itaque ſuos milites confirmat: & Belgicis delectibus habitis per Thomanum Pflugum & Henricum Vueisbachium, eorum copias recenſet: & ad Vuordam obſidendã per Ditericum Vicelebium, qui in parandis armamentis & omni apparatu bellico ſingularem habebat peritiam, res inſtruit neceſſarias: quas cum ex ſententiâ adornaſſet, eam aggreditur. Ab vnâ parte oppidi flumen erat, ab alterâ foſſa ampla & profunda: ea niſi repleta, aut alium in locum aqua deducta eſſet, nulli erat ad vallum ſuperandum aditus. Machinis itaque ſtructis, quas equi verſabant, foſſam exhaurit: & qui opus faciebant, ita tecti pluteis & vineis erant; vt & ipſi opus facere & pugnare, lædi tamen telis aut tormentis hoſtium non poſſent. Menſibus quatuor in obſidione conſumptis, milites cũ Alberto loquuntur: & deditionem ſpondent, ſi ipſis incolumitas daretur. Id cùm impetratum eſſet, nouum Vuordæ præſidium imponitur; inde rectà Montfortum itur. *VVorda. arx.* *VVorda obſeſſa ab Alberto.* *Monsfurti oppugnatio.*

Erat & illud oppidum mænibus, propugnaculis, foſſâ expugnatu difficilimum. Luſtrato undiq; aditu, cùm inſidijs nullus pateret locus, tormentis dies noctesq́; concutitur. Cives aliquoties erumpentes, ut ſuarum virium periculum facerent, ſtatim intra mænia fugantur. ALBERTVS eâ uti occaſione volens, ad intercipiendas portas, ſuis imperat, ut civibus terga dent, & in eos viciſsim irruant, deinde cohortes diſponit, quæ validiore impreſſione factâ vnà cum civibus intra mænia irrumpant: ijs cohortibus præerant Neidhardus Fuchſius Francus, & Georgius Anger, qui virtutis opinione nulli cedebant in toto Alberti exercitu. Die quodam benè manè egrediuntur Montfortij; ut ijs qui excubarent ſublatis, aut facinus memorabile ederent, aut ſaltem caſtra

Albertus Dux Sax. turbarent: opportunùm in armis erant cohortes Alberti, quarum latera claudebant tormentarij: hi nimium feſtinantes in hoſtes bombardas ante tempus emittunt, & Alberti conſilium impediunt. Hoſtes, re cognitâ, ex oppido rurſus emittentes colubrinas (ita tormenti quoddam genus nominant) milites Alberti non parum lædunt: dumque illis cedentibus inſtant, nobiles aliquot capiunt. Poſt illud ſtratagema vulgatum, ſe porrò muris ciues continuerunt. Cum autem ſine intermiſsione oppugnaretur oppidum: tandem fratres Montfortij animos demittunt, ſuæque & ciuium ſaluti conſulturi de pacificatione deliberant. Egreſsi itaque in caſtra, veniam ſibi ſociiſque ab Alberto impetrant: vrbem tradunt: ſeque Regis auctoritati ſubmittunt. Datâ fide promittunt ſe regij hoſtes pro hoſtibus habituros, eique militaturos ſub ſacramento, quibuscunque in bellis eorum operâ vti dignetur.

Raueſteini prætextus renouandi belli. Reſtabant ad hoc bellum finiendum ſoli Gandauenſes, in quos omnis armorum impetus fuiſſet translatus, niſi Raueſteinus animos Hannoniorum concitaſſet. Is autem vt renouandi bellum haberet prætextum: accuſabat Regem & Saxonem, & in eos tantarum calamitatum, quibus Belgium indigniſſimè affligeretur, culpam coniiciebat: ſe quoque in regiis partibus, pro eodem capto ſpopondiſſe: coactum verò iniuriâ & neceſsitate ab ipſo deceſsiſſe: quia non ſuorum populorum ſalutem quæreret, ſed potentiam iniuſtam. Non amplius Regis cauſam agi, qui occupatus Imperij negotiis, non poſſet curare omnia: ſed Belgij gubernationem ſpectare ad Philippum Regis filium, qui ſit legitimus earum prouinciarum heres atque dominus. Malè conſulere filio patrem, qui ipſius ditionem laceret & exhauriat: neque Saxonem pro Rege pugnare, ſed pro ſuâ gloriâ & vtilitate. Regi nihil accedere ex rapinis & actionibus: ſed ditari militem & Saxonis amplificari fortunas: qui multas iam arces quaſi proprias poſsideat, tantumque corrodat atque emungat, quantum ipſius cupiditati ſatis ſit. Hannoniis plauſibiles videbantur eæ rationes, qui Philippum ſe dominum agnoſcere, & tutelam eius Raueſteino mandari volebant: eum eſſe auito ſanguine Regi propinquum, & populis Belgicis magnanimitate & induſtriâ ac multis beneficiis notiſsimum. Decernunt igitur Saxonem pro Rege militantem, auxilio communi profligendum. Idque vt efficerent, Holandos & Phryſios in ſuam ſententiam adducunt: eâ videlicet ſpe, ſi belli initium factum eſſet,

à Saxo-

à Saxone ciuitates defecturas, quæ non ſponte parêrent, & libertatem ſibi ereptam dolerent, & militem externum odiſſent. Erant paſsim in vrbibus, qui longiùs prouidentes, Raueſteini technas cognoſcerent, & vulgo aduerſarentur: qui quamuis mutire vix auderent, tamen communis ſalus interdum voces exprimebat paulò liberiores: quod cùm capitale fieret, ipſi quoque ſilentio ſibi conſulebant: ſuos videlicet populares in ſe habituros ſæuiores vindices, quàm ipſos hoſtes.

Albertus Dux Sax.

Herlemum vrbs copioſa, locoque oportuno & peramœno ſita, hactenus nihil hoſtile contra quenquam egerat; ſed ſecuta ſui prætoris & quorundam optimatum conſilium, ad victoris partes & fortunæ vultum inclinauerat. Eam vrbem, qui Raueſteinij cauſam agebant, primò inuadendam cenſent: & in eâ ſtatuendum exemplum, ne quis contrà quàm ipſi aut facere aut ſentire præſumeret; eius autem euertendæ militi Phryſio ſæuo atque agreſti datur negotium. Hic nihil recuſans prædæ causâ, in vexillis ad irridendos hoſtium leones & aquilas, panes & caſeos depinxerat. Herlemij in pace ſecurâ nihil timentes aduerſi, vrbem ſubitò amittunt: nam Phryſij in vicino nemore latitantes, per dolum ingreſsi pro ſuâ agunt omnia libidine. Prætor vrbis & aliquot è decurionibus gladio feriuntur in foro: bona ciuium opulentiorum crudeliter diripiuntur: & niſi Holandi furori obſtitiſſent, tota vrbs fuiſſet peſſundata. Neutras autem hactenus ſecuta partes, quem imploraret, non inueniebat. In matronas, virginesque ea ediderunt flagicia, quæ ne ſocij quidem aſpicere oculis æquis poterant.

Herlemum ab Holandis & Phryſiis oppugnatur.

Rumore vrbis captæ in caſtra Saxonica delato, ad eam liberandam ſeſe omnes accingunt, antequam hoſtes ſuas auxiſſent copias. Phryſij ſucceſſu inſolentes, Leidam verſus, quod inprimis lautum oppidum eſt, contendunt. His in medio penè itinere equitatus ALBERTI improuidis occurrit: contra quem cum pugnare non dubitarent: ex eorum numero quingenti occiduntur: reliqui diſsipati, fugantur: vexilla panibus caſeisque inſignita tria capiuntur: præda maiore ex parte eripitur. Holandi fugâ Phryſiorum, & præſentiâ ALBERTI cognitâ, fœdus repudiant, & noua conſilia capiũt. Herlemij ad aliquot milliaria ALBERTO veniunt obuiam, non mittentes legatos; ſed magnâ multitudine effuſi, ſe, ſuas fortunas, & vrbem ipſam tradentes eius fidei. His ille imperat, vt bombardas de propugnaculis deponant, arma in forum omnia deportent, ſua poſthac mandata fideliter exequantur. Vrbem ingreſſus, tormenta armaque illis adimit,

Phryſiorum cædes & fuga.

Herlemiĳ Alberto ſe dedunt.

Albertus Dux Sax. caſtrum ibidem extruit Saxeburgum: eique Miſnenſe imponit præſidium, ciuibus ſtipendia perſoluentibus: Georgio Cocericio & Georgio Gablentio ſuis conſiliariis mandat; vt Senatoribus dignitatem ereptam reſtituant, ciues in officio contineant, militem agere violenter ne patiantur. Leidanis, Delfiis, Goudanis, item Alemanenſibus, & Amſterdamiis, aliis præterea qui legatos miſerant, pollicetur beneuolentiam, ſi ſint modeſti: contrà verò ſi quid aut contra Regem, aut ſuos magiſtratus temerè moliantur, minatur grauiter. Vno igitur conflictu Holandiæ plebi ſeditioſæ animus ferox ademptus eſt: & ipſo ALBERTO propter illud beneficium augetur annuatim ſtipendium.

Alberti expeditio in Zelandiam. ALBERTVS vt ſuarum victoriarum curſum continuaret, in Zelandiam parat traijcere, ne quid vſpiam relinqueretur, vnde timendæ nouæ turbæ eſſent. Cum naues confici iuſsiſſet, quibus militem in Scbaldiam inſulam transportaret: Zuriceenſes, quorum vrbs decore ſplendida, & naturâ munita eſt, legatos quinque, ciues honeſtiſsimos mittunt; qui ſponte inuitent Saxonem vt ſeſe adeat, fidemque per legatos offerunt totius populi nomine: quorum humanitate & precibus adductus, in vrbem venit; & portum munit ligneo vallo & propugnaculo. Fama nominis ALBERTI totam pervagata erat Europam; qui Pannonicis & Belgicis victoriis illuſtris & felix, aliquando hoſti immaniſsimo Turcæ opponi poſſe iudicabatur. Et fuerunt, qui ex ipſo audiuerant, nihil ſe magis in votis habere, quàm ſi caput pro religione Chriſtianâ periculis obiectare deberet: libenter oppetere in tali certamine aut conatu velle. Innocentius VIII. Pontifex Romanus honoris & virtutis ergô, ei roſam auream in Zelandiam mittit: quam Zuriceæ accepit cum gladio. In adiunctis literis, ALBERTVM dexteram Imperij manum nominauit: quòd eius animi magnitudine & indefeſsis laboribus ſalua eſſet atque inuicta Imperij maieſtas. Eam roſam in patriam filio GEORGIO mittit, Baſilicæ Miſnenſi dicandam. Solet Romanus Pontifex gladium cum pileolo & roſam conſecrare, quæ munera honoris cauſâ ad eos mittit Reges aut Duces, quibus plurimum tribuit: & quos ſingulare aliquod in Eccleſiam aut Imperium meritum illuſtrauit.

Albertus Dextera Imperij manus.

1492. *Venæ metallicæ in montibus Sudetis.* Anno M.CCCC.XCII. plures venæ metallicæ in montibus Suditis (qui à ſolitudine meridionali videntur eſſe dicti linguâ vernaculâ) cœperunt eſſe fertiles: primum in oppidulo Glashuta, (quod officinam vitri ſonat) quod diſtat à Dresdâ tribus milliaribus Boemiam verſus: ibique à ſummo ceſpite argen-

tum

tum purum initiò eſt erutum: deinde multò copioſius repertum Schrechenbergi, quatuor à Chemnicio milliaribus, in quo loco nunc vrbs populoſa condita eſt, in radicibus montis altiſsimi Pilæ, quem nonnulli Pelium & Peliacum nominant: quæ vrbs à diuâ tutelari appellatur nunc Annebergum: primus ibi cuniculus eſt in Schrechenbergum actus. Ab anno ſexto & nonageſimo, quo primum cultoribus diſtributa de partibus ſors eſt, vſque ad annum centeſimum, numerata ſunt aureorum Rhenenſium centum viginti quatuor millia, octingenti & triginta octo, non putatis decimis & impenſis. Cuduntur noui nummi, dicti à loco Schrechenbergij, à nota verò Angelici: quos vulgus etiam à vicino molendino, vt opinor, aliquando molares nominauit: eorum nummorum ſeptem valebant aureo Rhenano: primum nomen à loco ipſo inditum in hunc diem retinent. *Albertus Dux Sax.*

ALBERTVS Zuriceæ tres menſes moratur ad diſponendas & conſtituendas res Belgicas; ad quem paſsim vrbium oppidorumque legati confluebant: inde diſcedens, ne quis ſollicitare eam vrbem ad defectionem auderet, aut vim facere, reliquit ibi præſidium. Conſilio deinceps ſuorum mittit ad Regem in Auſtriâ tùm agentem legatos; qui de victoriis in Flandriâ, Brabantiâ, Hannoniâ, Holandiâ, Zelandiâ, partis nuncient: reſtare nihil præter Sluſam & Gandauum, ad eas vrbes breui ſe ducturum exercitum: Regi, ſi ſit commodum ſuadet, vt iter maturet in Belgium: ad extremum adiungit petitionem, vt ſibi pro tot laboribus & periculis numerentur ſtipendia: ſe patriæ deſiderio teneri, ne ſuorum populorum depoſuiſſe curam dicatur: ideò etiam miſsionem rogat. *Legati Alberti ad Maximilianũ.*

E Zelandiâ diſcedens cum toto exercitu, literas ad Mechlinienſes mittit, eorum ſe hoſpitio aliquandiu vſurum & diſtributurum equitatum per vrbem, & quaſdam villas finitimas; donec conuentu acto negocia ad prouinciam pertinentia tranſigat, & leges pacis vndique ratas faciat atque confirmet. Præterea ad ordines aut legatos aut nuncios amandat, qui illis diem præſtituãt, quo Hulſtenæ parati adſint. In itinere, quo Mechliniam ibat, filio HENRICO mandat, vt agrũ Gandauenſem inuadat: & quia tempus meſsis erat, fruges ex agris euehat: aut ſi id non poſsit, eas conſumat aut perdat: villas item prædæ exponit, numero decem. Coniiciebat autem fore, vt direpto & exhauſto agro populus ad pacem animos adiiceret: idque conſilium, vt raro aliud, ALBERTVM nequaquam fefellit. Populus enim ſibi malè conſcius & obſidionem timens, patribus iraſci & minari, niſi à pauperie *Diſceſſus Alberti ex Zelandia.* *Gandauenſis agri vaſtatio.*

 & va-

Albertus Dux Sax. & vaſtitate agrum, à periculo atque interitu vrbem immunem præſtent: ſe vrbe ipſos exacturos, & ſuâ ſponte ituros ſupplices ad Saxonem, hoſtium iam omnium fauſtum & clementem victorem. Senatus in magnâ anguſtiâ verſabatur: ab hoſtibus verens obſidionem, à populo tumultum. Promittit igitur ciuibus, curæ ſibi fore ſalutem publicam, & iam iam inituros conſilia de legatis idoneis eligendis: iram victoris ſe ſcire non leuiter eſſe pertimeſcendam, quam lenire velint ſuæ vitæ diſcrimine. Itaq; è nobilitate, patribus, & ciuibus dignioribus, per ſuffragia eliguntur viri centum, canicie & grauitate venerabiles. *Gandauenſium legati ad Albertum.* Ii non collectis in reticulum aureum vel ſericum capillis, qui tùm ornatus virorum erat, ſed iis in humeros demiſsis & habitu funebri Hulſtenâ eunt. Fortè prætereuntes forum, & ALBERTI hoſpitium; ipſum de feneſtra proſpicientem vident: ante quem flexis genubus in terram prolapſi, manibus ſublatis & vultu ſupplice ſuam voluntatem ſignificant. Loco & die conſtituto admiſsi, magni facinoris veniam orant: & interceſſu Saxonis, quem flentes obſecrant, Regis clementiam implorant. Accuſata ipſorum ſuperbia eſt, qui ſoli manſiſſent in malo propoſito pertinaces: accuſata perfidia, qui Regem captũ Brugenſibus eripere, & hoſti tradere deſtinaſſent: accuſata denique leuitas, qui mites dominos abijcerent, & ſuam libertatem ſponte proderent alienis atq; externis. Verùm vt in iuſtis dominis fidem & amorẽ erga ſubditos perpetuũ agnoſcerent, eſſe locum veniæ etiam in maximis delictis: donari vitam iis, qui Regis familiaribus & ciuibus fidis eam crudeliter ademerint: relinqui patriam liberam, quam ipſi Gallicæ ſeruituti per furorem ſubiicere voluerint. Talibus beneficiis ſi in poſterũ grati & obſeruantes vti vellent, iri reſtitutum in libertatem. Præſcribuntur ſimul conditiones, quibus ſine detrectatione aut exceptione viuerent, & Regi mox venturo facerent ſatis.

Belgarum legati ad Rauesteinum. In conuentu Hulſtenio, qui frequentia admirabili celebratus eſt, inter cætera deliberatur, de expugnandâ Sluſâ, quam tenebat Raueſteinus. Miſerunt ad eum nomine ſuo Belgæ petitum, vt arcem & vrbem traderet: non poſſe reſiſti potentiæ Saxonis: ciues optimè de ſe meritos ne coniiceret in certum exitium. Viro forti iſta dicebantur quaſi ſurdo. *Sluſæ oppugnatio.* SLVSA portus eſt commodus & frequens; arte, naturâ, propugnaculis, arcibus duabus firmiſsimus: addiderat alia quædam munimenta Raueſteinus: præterea commeatu, armis, tormentis, rebusque inſtruxerat neceſſariis ad durandam obſidionem: intus autem militem Phryſium, Gallicum,

licum, Anglicanum habebat: pecuniam partim acceperat à Gallo, partim comparauerat rapinis, & interceptis mercatorum nauibus. Ad eam oppugnandam ALBERTVS ſuum militem inſtruit, & ex Belgis delectum agit. Nihil enim actum tantis rebus geſtis putabat, niſi Raueſteinum, belli auctorem primarium, viciſſet; & Sluſam nauigationes Belgicas impedientem recepiſſet. Locis circùm omnibus conſideratis, caſtella quatuor extruit mirâ celeritate: & quantis viribus poteſt, muros tormentis quatit: duo quoque lignea exædificat propugnacula, & aggeres iacit, ad excludendum maris impetum. Aliâ enim ratione penetrare ad mœnia miles non poterat. Erat oppugnatio difficilima, & iactus tormentorum propter loci ſpacium penè inanis. Ad hæc Saxonis exercitus rei frumentariæ laborabat inopiâ: quamobrem ne in maiorem incideret penuriam, copia frugum abundantem inſulam Caſſantanam occupat. Ea Ducibus Brabantiis vetus officina fuit, in quâ moneta aurea cuderetur. Erat in agro meſsis vberrima, ex quâ ſibi commeatum comparat: neue miles, quem traiecerat, in vadis reuerſurus hæreret: ad aquas admittendas hinc inde ampliores foſſas ducit. Miles in excutiendi frumenti & foſſarum ducendarum opere occupatus, & concluſus in anguſtiam eius inſulæ, facilè cladem accepiſſet, ſi fuiſſet è Sluſâ facta eruptio. Diſſuadebant nonnulli, ne repeteretur tàm dura atque difficilis, & fortaſsè irrita atq; ignominoſa Sluſæ obſidio: quorum ALBERTVS dicebat parum virile eſſe conſilium, & non admittendam ſententiã. Extruens autem minuta nauigia, pontesq; ligneos terra intus ſaxisq; ſtipatos, ſibi propiorẽ viam ſternit ad mœnia: tum caſtris translatis tumulũ quendã inſidet diuæ Annæ templo religioſum. Tranſigebatur in obſidione iam quartus menſis, non ſine iacturâ militum: ſed cum arx Sluſæ altera propemodum tota diſiecta eſſet; ſpem habebat ALBERTus potiundę partis vrbis, ne omninò cum dedecore diſcederet. Intra mœnia duplici moleſtiâ Raueſteinus angebatur: irâ militũ, qui collecti è diuerſis gentibus erant; & lue grauiſsimâ peſtilentiæ, quâ ſingulis diebus vitã plurimi exhalabant. Quocirca non tædio aut labore, ſed neceſsitate ſubactus pacis cœpit mentionẽ facere: quâ & ciuibus & militi nihil fuit acceptius. Emiſſo ad Saxonem caduceatore, offert deditionem: ſi & ſibi & militibus libertas abeundi; & ciuibus, alienâ culpâ miſeris, veniæ ſpes non adimatur. ALBERTO benignè promittente, luce alterâ cum ſelectâ militum manu, inermis tamen portâ egreſſus, ſupplex ALBERTO fit in ipſius tentorio: cumq; orat vt ciuibus parcat, & ſolita ſibi facilitate erga ipſos vtatur.

Albertus Dux Saxo.

Raueſteinus pacem petiit.

Albertus Dux Sax.

Raueſteinus in aulam Regis Galliæ ſe confert.

Erat excellens virtus in Raueſteino, qui Maximiliano antea familiaris fuerat; ſed iniuriâ neſcio quâ offenſus, placari poſtea non potuit: ſeque in aulam Ludouici XII. Regis Gallici poſt id tempus contulit: cui deinceps poſt annos aliquot, vt Palmerius ſcribit, contra Bazaitem Turcarum tyrannum pro Lesbo inſula militauit: ſed ſignis infelicibus congreſſus, exercitũ amiſit ad Mitylenen: ipſe lembo difficulter euaſit.

Alberti literæ ad Maximilianum.

Maximiliani iter in Flandriam.

1493.

ALBERTVS hoſtibus ſuperatis omnibus, & redacto ad obedientiam Belgio, conducere honori Regis & commodis exiſtimans; denuò eum hortatur per literas, vt quamprimùm ſe in ſuas prouincias conferat, præfectos conſtituat, populorum animos confirmet, ſuâ præſentiâ cõtrouerſias ipſi relictas tollat. Delectatus ſemper fuit domicilio vrbis Oenipontis, propter venationes, quas in illis Alpibus crebrò exercebat: acceptis ibidẽ Alberti literis, ſe ad iter accingit, etiam de patris ſententiâ. In Flandriã cum veniſſet, paucos ibi menſes morato, nuncium affertur de patris obitu, qui XIV. Cal Sept. Anno XCIII. vitam clauſiſſet Lincij: non enim Viennæ obiit, vt Cromerus ſcribit. Quamobrẽ res omnes pro breuitate temporis conſtituit: & præfectis committit gubernationem, donec Philippus filius eius inauguraretur dominus atque Princeps.

Exequiæ Friderici III. Imp.

Rediens in Auſtriam curat exequias paternas. Parentationem differt in menſem Decembrem: cui Viennæ præter proceres alios plurimos interfuit. ALBERTVS Dux Saxoniæ, & Edouardus iunior, Angliæ Regis filius.

Maximiliani matrimonium, & reditus in Flandriam.

In patriam reuertitur ALBERTVS eo tempore, quo per omnes ferè vrbes vulgatus erat morbus peſtilens & contagioſus; qui in Miſniâ totum triennium durauit. Interea MAXIMILIANVS ducit MARIAM BLANCAM Galeatij Ducis Mediolanenſis filiam: cumque eâ profectus in Flandriam, filium PHILIPPVM ritu ſolenni eis conſecrat atque commendat Principem. Quod eo maiore lætitiâ & gratulatione factum eſt, quò magis deſideratus ab omnibus Princeps fuerat. Nam ante id tempus & à præfectis regiis, & proximè bello diuturno exhauſti ciues plurimum erant; peſteq. ac bello ad numerum minorẽ redacti.

1495.

Comitia Vormacienſia.

Anno M.CCCC XCV. MAXIMILIANVS indicit Comitia Vuormaciã, quibus interfuêre ſex Duces Saxoniæ: FRIDERICus Elector, cum IOHANNE fratre; item ALBERTVS cum tribus filiis. Ducit præterea ſe cum equites auratos Henricũ & Fridericũ Vuicelebios, Vitualdũ & Georgiũ Schaumburgios, Chriſtophorũ Richenbergiũ. In iis comitiis deliberatur de Regis coronatione, & de pro-

de profectione eius in Italiam, quam Gallus penè omnem occupauerat: & appellatus Albertus, vt vnà Imperatorem ſequatur: quod ille ſe facturum non negauit. Maximilianus inter alia enumerat ordinibus, quæ pater, quæq; ipſe bella geſſerint, quos ſumptus fecerint, quantum æris alieni contraxerint; petit ab ipſis vt comunibus opibus ſe ſubleuent, ſed principes alia agẽtes, certi nihil reſponderunt. Inſtabat ALBERTVS, vt expenſa pecunia ſibi reſtitueretur, nec deſiſtebat ſua cõmemorare beneficia quod verè poterat: etenim ſuis ſumptibus (vt & Mameranus teſtatur) magnâ ex parte bellũ Belgicum geſſerat, & ſæpè in vitæ periculo verſatus erat, & viros fortes multos amiſerat: & videbant, qui iniqui eſſe nollent, ipſius virtute illas prouincias dotales, genti Auſtriacę conſeruatas: ideoq; aliorũ ducum principumq; gratia negotium ſuũ agebat. Reſponſum illi à conſiliariis regiis humaniter eſt; vt morâ in tantis occupationibus Regis, animo æquo ferret: & ne planè ingrati in Ducem optimè meritum viderentur, reditus ex aliquot vectigalibus & portoriis Danubij, annuatim ipſi ſe tradituros pollicentur, præter eos, quos ex arcibus agriſq; Belgicis antea habuerat. Ad eas autem quatuor arces, quas ſupra memorauimus, additę fuerant Limberga, Riſela, Reparmunda. Electores & cæteri ordines iiſdem Comitiis ab Alberto petunt, vt patrociniũ Imperij dignetur ſuſcipere; & contra hoſtes eius, ſummam rerũ ſibi decerni, ſeq; ducem nomine publico deſignari patiatur: ſuam autem petitionem vehementer & ſeriò vrgebant. Albertus ipſorum de ſe honorifico iudicio & ſummâ beneuolentiâ gauiſus, agit gratias: & re deliberatâ onus ſuis viribus impar recuſat, ita tamen, vt nullo tempore ſe defuturum ſaluti communi diceret. Nulla fuerant hominum memoriâ comitia frequentiora & magis celebria: ſed nihil operæ precium aut ſalutare quicquam inde conſequebatur. Sunt autem poſt illud tempus comitia ex comitiis quaſi ſeminata, quæ non parum debilitarunt & opes & potentiam Germaniæ.

Albertus Dux Saxi.

Electores & Ordines Imperij ſummam rerum Alberto decernunt.

Imperator altero anno expeditionem facit in Italiam, vel à Mariâ Sforciâ Duce Mediolanenſe inuitatus, vel vt aliquam eius partem ſibi ſubiiceret. Cum tota Italia Regum exterorum bellis flagraret: vrbem Hetruriæ antiquiſsimam, ſed minimè populoſam, Piſas cepit, & portum Liburnum, quem antiquitus Volaterranum fuiſſe volunt, ſedecim pedum millibus à Piſis ſitum. Ante eius portus ingreſſum turres in mari quatuor extructæ fuerunt, quas Maximilianus diſiecit: tres in hunc diem iacent dirutæ: quarta ſolùm renouata, & ei cuſtodia impoſita eſt.

1496.

Maximiliani expeditio in Italiam.

Abſens

Albertus Dux Sax.

Abſens indicit conuentum Lindauiam, ad lacum Podamicum, miſsis eò ſuis legatis: ſed pauci Principes eò venerunt, & quidam ibidem menſes aliquot expectantes, tempus fruſtrâ conſumpſerunt. ALBERTVS moram non ferens, quia ſua nondũ acceperat ſtipendia, in Inſubriam proficiſcitur: & in agro Mediolanenſi Maximilianum alloquitur, menſe Septembri.

1498.

Comitia Friburgenſia.

In alterum annum, qui erat M. CCCC. XCVIII. alius conuentus celebratur Friburgi in Briſgauia menſe Iunio. ALBERTVS cum filio FRIDERICO ad Imperatorem venit Vlmam: inde Friburgum cum eo profecturus: aurati equitis inſignia FRIDERICVS Vlmæ accipit, & magiſter ordinis Pruſsiaci declaratur. In comitiis Friburgi variis de rebus tractatum eſt: factaque Turcici, Italici, Heluetici, Geldrici, Phryſiaci bellorum mentio: conſilia bona non defuerunt, ſed nerui bellorum pecunia defuit.

Bellum Geldricum.

Decretum autem bellum eſt in CAROLVM Ducem Geldriæ, cui vrbes & plebs fauebat: nobilitas ipſum pertinaciſsimè oderat: cuius etiam inſtinctu id bellum ſuſcipiebatur. Imperator perſuaſus variis rationibus ipſe in Geldriam cum copiis proficiſcitur: ſed ſtatim inde reuocatur bello Heluetico. Itaque Principibus quatuor Saxoni, Bauaro, Iuliacenſi, Cliuenſi ſuas partes committit. Vaſtabatur ſolum Geldriæ à milite egente: & quia differebatur ſtipendiorum ſolutio, in agrum Iuliacenſem & Cliuenſem

Incurſiones in agrum Iuliacenſem & Cliuenſem.

incurſiones fieri incipiebant: quas cum ſine tumultu prohibere Duces Vilhelmus Iuliacenſis & Ioannes Cliuenſis non poſſent, & ſuis prouinciis inferri damna dolerent; certis conditionibus cum Geldrio conueniunt. Quâ de causâ factũ eſt, vt & Albertus Saxo & Georgius Bauarus ſuas itidem copias, non ſatis futuras ad bellum finiendum firmas, antequam cladem aliquam acciperent, maturè reducerent. Geldrius ingenti metu liberatus, ſuorum popularium fauore & conſtantiâ ditionem totam recipit. Nobilitas ſuperba, facti ſui pœnitentiâ nimis ſerò ducitur, & neciſsitas parendi ei imponitur, non ſine dedecore.

Alberti cura de filijs.

ALBERTVS curâ rerum externarum nonnihil ſolutus, quomodo amplas filiis fortunas relinqueret, animo ſecum verſabat. Itaque ſuarum prouinciarum adminiſtrationem filio maiori committit GEORGIO: FRIDERICVM ſacris initiatum, militiæ equeſtris magiſtrum efficit in Pruſsiâ: HENRICO natu

Alberti gubernatio Phryſiæ hereditaria.

minori, quem Hieroſolymam religionis causâ ad calcanda Chriſti ſeruatoris & aliorum ſanctorum veſtigia miſerat, deſtinat gubernatorem Phryſiæ. Eam enim magnorum meritorum virtutiſque præmium acceperat ab Imperatore; cum nec vectigalia nec

nec portoria ſatisfacerent; & Principes reliqui ſæpius admoniti, *Albertus Dux Sax.*
ad ſoluendum æs publicum nihil contribuerent. In eo tamen Imperatori aſſentiebantur reliqui Principes, vt Phryſiam potius traderet Duci alicui virtute & nobilitate ſpectato; quàm vt ab externo aliquo Rege occuparetur, qui per eam aditum haberet ad vexandas vicinas prouincias. ALBERTVS primùm id facere recuſauerat, quia armis paranda gubernatio erat: verùm cum & Rex inſtaret, & Principes non repugnandum ei cenſerent: gubernationem hæreditariam Phryſiæ pro ſe ſuisq; poſteris ſuſcepit; eoq; motus magis, quòd vrbes nonnullæ eum expeterent, & duo Comites Phyſiæ orientalis Edezardus & Hugo Embdani, mitterent legatos, & eum magnis promiſsis inuitarent.

Itaque cum ad ſubiugandum eam neceſſaria compararet, in conuentu Lipſienſi, quid ſibi oblatum ab Imperatore ſit, quid alij Principes cenſuerint, quid ipſe animi habeat, nobilitatem populosque ſuos facit certiores: & coram ordinibus ipſe loquitur, quæ ad perſuadendum pertinere maximè exiſtimabat. Nobilitas magnâ conſenſione bellum diſſuadet, cum diceret, ſine ſuâ calamitate aut interitu neminem laceſsiſſe gentem feram. Cæſum à Phryſiis Imperatorem Vilhelmum: fugatum Albertum Ducem Brunſuicenſem; eundemque Bremenſem Antiſtitem: vulneratum captumque Nicolaum, alterum Antiſtitem: *Bellu Phryſiacum Alberto à ſuis diſſuadetur.* horum quoque vtriusque copias equeſtres internecione deletas. Voces in eo conuentu multorum liberrimæ fuerunt, eorum præſertim qui bellis Belgicis interfuerant, & patriam pecunia virisque exhauriri & redigi ad inopiam videbant: nonnulli etiam tectè incuſabant ingratum Regis animum: quem dicebant frangendæ potentiæ Saxonicæ causâ, populis immanibus ducem velle obiicere. Præterea magnos & nouos ſumptus faciendos diſſerebant incerto emolumento, & fortunâ valde dubiâ. ALBERTVS ſuorum conſilia non audiebat, & talia iactantium reprehendebat ignauiam. Creditum eſt, animos illi ſublatos feciſſe *Rationes Alberti pro bello contra Phryſios ſuſcipiendo.* metalla, quæ tùm temporis maximè in Miſniâ florebant: ſed & tribus rationibus contra ſuos nitebatur. Bellum contra Phryſios à ſe iuſtè ſuſcipi, qui Imperio rebelles eſſent, & in Zelandiam proximè nulla iuſta de cauſa incurriſſent: & victoriam fore non difficilem, ipſis inter ſe digladiantibus: ſe hoſtium operâ vſurum contra hoſtes, donec omnem eorum terram perdomaret. Ad extremum profert pollicitationes Comitum Embdanorum, qui concupiſcant eius aduentum, & rebus patriæ cupiant conſulere.

Decer-

Neidhardus Fuchſius, qui erumpentibus hoſtibus magno ſemper animo ſeſe ſolebat obiicere; aliquando cupiditate protectus longius, ſerò à ſociis ſe relictum animaduertit. Quamobrem arbore conſcensâ ſe putauit euaſurum: deiectus autem globo ferreo eſt, eiusque corpore potitus hoſtis: quod agnitum in vrbem deportat, & cadauer ſpectaculi causâ in foro erigit, & triumphum de eo agit. fuerat enim ſtaturâ vir admodum procerus, & in mortui vultu virtus adhuc erat conſpicua. *Fridericus Magiſter Ordinis Teutonici.*

In caſtris ad Groningam ALBERTVS ægrotare cæpit febri ſubitâ; quæ cùm auctior cotidiè fieret, Embdam, quæ nominatur ſuperior, deportatur. In ipſo morbo præfectis ſuis & Edezardo mandata dat: eosque fidei & iurisiurandi commonefacit: filios abſentes ſuis maximo ſtudio commendat: & vt eos obſeruent & venerentur, conſiliis & opibus nunquam deſerant, ſummoperè flagitat: patriam denique & Remp. vt iuuent atque defendant, tantâ ab iis contentione petit, vt nihil ipſi ante hoc tempus in hâc vitâ etiam in momento mortis antiquius & ſanctius fuiſſe videretur. *Alberti morbus.*

Cum autem non totos octo dies decubuiſſet, magno ſuorum dolore & gemitu in eâdem vrbe pridie Idus Septemb. vitam claudit, anno ætatis ſeptimo & quinquageſimo. Sunt qui ſcribant, tormento ictum oppetiiſſe: de quo in noſtrorum ſcriptis inuenio nihil, ſunt qui ſuſpicentur, potione venenatâ ſublatum; quod affirmare non auſim, neque de eo certi quidquam legi. Tautenbergius, cui ſummam in ea prouinciâ poteſtatem dederat, conditis in quodam cœnobio extis, corpus tranſportat Miſenam, ad ſepulchrum paternum: quod V. Id. Nouemb. IOANNES VI. & IOANNES III. præſules, Miſnenſis & Numburganus honorificè accipiunt: iuſtiſque more conſueto & ſolenni factis, die altero terræ mandant: & vexilla aliquot hoſtilia ad tumulum ſuſpendunt. *Alberti mors.* 1500.

IOANNES I.
LVDOVICVS.
IOANNES II.

Hi tres filij Alberti, ſunt ei nati Torgæ, & in primâ ætate in vitam meliorem translati: poſtremi duo, vno menſe videlicet Septembri obierunt.

FRIDERICVS.

FRIDERICVS V. Alberti filius, naſcitur 8. Calend. Ian. 1474.

Fridericus Magiſter Ordinis Teutonici. Anno M. CCCC. LXXIV. in arce Torganâ ex ZEDENA Georgij Boemiæ regis filiâ: falsò enim Lazius ex Mariâ Philippi Ducis Pomeraniæ, natum ſcribit: nam Albertus præter Boemicam non aliam vxorem habuit.

Adoleſcentia Friderici. Adoleſcentem adhuc pater ſecum ducit ad Comitia Norimbergam, vt Fridericum Imper. & eius filium Maximilianum ſalutaret: domum reuerſum ire iubet Lipſiam, vt artes liberales diſceret: quibus inſtituto, addit honeſtorum hominum Comitatum, & eum Senam mittit, quæ vrbs Hetruriæ inprimis lauta, & virorum eruditorum famâ celebris erat. In eâ amiſit ſocium ſtudiorum Ioannem Truxeſium Balderſualdium, florentis ætatis atque doctrinæ iuuenem: cuius tumulum marmoreum in diui Dominici, in quo ſepulchra Germanorum plurima ſunt, ipſi vidimus. Reuerſus ex Italiâ interfuit conuentui Vuormacienſi: ad quem ſecum deduxit inter præcipuos Euſtachium Leiſnicenſem Comitem, & Anargum Vuillenuelſium, & Chriſtophorum Gabelentium doctorem, Moguntinum & Miſenenſem canonicum. Vixit deinceps in aulâ Antiſtitis Moguntini Berchtoldi, qui eum Herciniis præfecit, qui nunc Eisfeldenſes nominantur.

Canonicatum Vurciburgium Georgius Kera, nobilis Francus ei reſignat; vt haberet faciliorem ad ſummam dignitatem aditum. Collegium eâ de causâ Keram excludit, Rodolpho præſule indignante, à Franciâ nobilitate honorem ſupremum ad Principem externum transferri. Igitur Kera ad ſuos propter periculum non rediit, ſed Dresdæ vitam annos aliquot peregit. In iurgio, neſcio quo, Georgium Schleinicium vulnerat, qui ex eo vulnere obiit. Familia igitur Schleiniciorum è Franciſcano, quo aſylum quæſiuerat, Keram eripit, & in vincula coniicit, & actionem contra ipſum capitalem inſtituit. Kera tandem carcere vrbano effracto fugâ euadit.

FRIDERICVS patrem Albertum ſecutus Vlmam, à MAXIMILIANO ornamenta equeſtria accipit: & ab eodem Præfectis & Magiſtris ordinis Teutonici in Pruſſia commendatur. Anno M. CCCC. XCVIII. in eam prouinci-
1498. *Friderici iter in Pruſſiam.* am proficiſcitur, comitante ipſum fratre Georgio cum equitibus octingentis. Regiomontem intrauit, in quâ Magiſtri ſedes eſt, IIII. Calend. Octobr. vbi cum gratulatione excipitur. Nicolaus Pflugus, Ioannes Truxeſius, Nicolaus Almanshouius, eidem militiæ dantes nomina, baltheos accipiunt, &

ritibus

ritibus conſuetis initiantur, & apud Principem ſuum ibidem manent.

Fridericus Magiſter Ordinis Teutonici.

Impugnabat eo tempore Pruſsiam Poloniæ Rex IOANNES ALBERTVS; qui cum FRIDERICVM admoneret fœderum communium, & interpellaret de iureiurando, id præſtare noluit: quia ſciebat, ſe ſuſcepiſſe honorem illum, non vt ſeruiret Regi, ſed vt eam prouinciam liberam ſeruaret Romano Imperio. Rex offenſus, quòd id recuſaret, Pruſsis minatur; & legatos mittit, qui Friderici ſententiam aut flecterent, aut bellum ei denunciarent. FRIDERICVS excuſationes adhibuit, quas potuit; ita vt nec negaret omninò, neque tamen certi aliquid reſponderet. Intereà Maximilianum Cæſarem & cœteros Germaniæ principes hortatur, vt ſibi adeſſent; & prouinciam Imperij ſanguine Germanico partam, in alienam poteſtatem venire non paterentur. Dum hæc fiunt, Rex Polonus ſubito mortis genere extinguitur: cui cœlibi defuncto, cum frater, Lituaniæ princeps, ALEXANDER ſucceſsiſſet; conſtitutis in regno Polonico rebus, ipſe in Pruſsiam aduentat, & iuſiurandum à ciuitatibus exigit. FRIDERICVS ſpe vanâ ſatis diu ſuſpenſus, cum nullum acciperet ab Imperij principibus auxilium, ne accuſari poſſet, quòd Imperij prouinciam ſuæ ambitionis aut alicuius emolumenti cauſâ alienaſſet, è Pruſsiâ diſcedit: ſociis mandat, ne quid temerè faciant, & ſe Reip. tempori meliori, quibuſcunq; honeſtè rebus queant, conſeruent. Quo in ſtatu, quantisq; in periculis res Pruſsiæ ſint, Cæſarem certiorem facit: ſuum ſtudium ſignificat in recuperandâ illâ prouinciâ, ſi ſibi decernantur ſumptus bellici; aut ſi idoneus ad id gerendum dux eligatur. Ita tum erant omnia in Italiâ atque Germaniâ perturbata armis & diſſenſionibus; vt nec Pontifex, nec Imperator quidquam præſtare poſſent: cum non neſcirent, quàm fortes viri deſererentur, & quàm fida Imperij pars à reliquo veluti corpore auelleretur.

Pruſsiacum bellum Regum Poloniæ.

Præfuit FRIDERICVS, Pruſsiæ annos duodecim, & menſes tres: vitam tranſegit reliquam Rochlicij in Miſniâ. Iulius III. Pontifex eum declarat collegam Erneſti Antiſtitis Magdeburgici, patrui ſui, vt partâ aliquando potentiâ maiore inſtaurare rẽ Pruſsicam poſſet: ſed in aduerſam incidens valetudinem, & hydrope per triennium ferè vexatus, morte eripitur, die ſolſtitij hyemalis Idib: Decemb: anno M. D. X. quo eodem anno mater 1510.
quoque eius ZEDENA moritur in arce Tarantanâ Cal. Febr. Conditus eſt Miſenæ ad tumulos maiorum.

Georgius Dux Sax.

GEORGIVS.

GEORGIVS Alberti maximus natu filius, naſcitur VI. Cal. Sept. meridie, eo anno quo ipſius pater ad regnum Boemiæ vocabatur. Vxorem duxit BARBARAM, Regis Poloniæ Caſimiri quartam filiam: ex eâ procreauit filios quinque, & totidem filias: Filiorum nomina ſunt: CHRISTOPHORVS I. CHRISTOPHORVS II. VOLFGANGVS; qui primâ infantiâ ſublati morte ſunt: IOANNES, & FRIDERICVS, qui hæredibus caruerunt: Filiarum, MAGDALENA, Ioachimo II. Electori Brãdeburgico nupta; CHRISTINA Philippo Heſsiæ Principi: ANNA, AGNES, MARGARITHA puellæ extinguuntur.

Georgij matrimonium & liberi.

Georgij adoleſcentia.

GEORGIVS adoleſcens bonis literis atque artibus Lipſiæ inſtituitur: in quibus tantum progreſſus eſt, vt cum exteris ſine interprete, quæ vellet, in ſermone familiari loqueretur. Vidi fragmentum commentarioli de rebus geſtis Alberti patris, ab ipſo conſcripti, quod etiam in hâc narratione ſtudioſè ſecutus ſum. Ad imperium, à patre, bellis externis plurimùm occupato, maturè adhibitus eſt: fuitq; iam inde ab ipsâ pueritiâ in eo grauitas & prudentia ſingularis: neque corporis heroica dignitas ipſi deerat. In comitiis Norimbergenſibus, quæ anno poſt electionem Maximiliani quinto Fridericus Imp. indixerat, à patre ad Imperatorem deducitur: fuitque indoles adoleſcentis ſeni potentiſsimo admodum probata. Eodem anno in vico Linteonum, dicto paruo, Dreſdæ incendium oritur: quo pars vrbis dimidia cum templo conflagrat menſe Iunio, die ipſo cladis Auſtianæ.

Maximiliani Imp. Comitia Vormacienſia.

Poſt Friderici Imp. obitum anno proximo prima comitia agit MAXIMILIANVS Vuormaciæ; in quibus more maiorum Electoribus, aliisque Principibus ſuarum ditionum inſignia tribuit. Præcipuos ſecum habuit ibidem GEORGIVS è ſuis Guntherum Manſueldium Comitem, Sigmundum Pflugium, & Gaſparum Schonburgium, barones; & Sigmundum Malticium mareſchallum. In iisdem Comitiis EBERHARDVS Comes Vuirtenbergicus, cognomine Barbatus, Ducis titulo atque ornamentis extollitur. De expeditione Turcicâ deliberatio prima fuit, cum etiam de Italicâ, contra Gallorum Regem Carolum VIII. multo & optato fortunæ ſucceſſu vtentem: belli præterea Belgici mentio renouata eſt.

Ebrardus Dux Vuirtembergicus.

Hoc bello diſtentus Dux Saxoniæ ALBERTVS, quo nemo ipſius ætate conſtantius Imperatorem defendit; GEORGIO filio annum quintum & vigeſimum egreſſo, dare vxorem, & committere

Matrimonium & nuptiæ Georgij.

mittere imperium domeſticum ſtatuit. Decernitur eâ de causâ ad Polonum CASIMIRVM legatio, cui Henricus Schleinicius præerat. Is filiam Regis BARBARAM ſui Ducis filio vxorem poſcit atque impetrat. Idem honoris causâ â Duce arcem Honſteniam ſupra Pirnam ſitam accipit: quæ hominum memoriâ dominos ſæpius mutauit, donec noſtro tempore à Baronibus Schonburgiis ad Mauricium peruenit. Nuptiæ GEORGII celebrantur Lipſiæ X. Cal. Decemb. anno M. CCCC XCVI. quantum aliæ nullæ apparatu & ſumptu magnifico ex inuitatis; equites ſex mille ducenti octoginta ſex ibi numerati ſunt: præter hos ſpectatorum ex aliis prouinciis turba frequens fuit. Durauit illa ſolennitas dies continuos ſex, variis ſpectaculis & certaminibus. Inter equeſtria tùm Germanorum, tùm Polonorum, & virtus & ornamenta fuerunt conſpicua.

Georgius Dux Saxo. 1496.

Biennio peracto, fratrem FRIDERICVM, ad quem ordinis Teutonici dignitas erat delata, Regiomontem proſequitur in Pruſsiam. Eodem anno IOANNES ei naſcitur filius. In Phryſiâ ſatis ex ſententiâ rem gerebat ALBERTVS: & iam ſpe tenebatur potiundæ totius prouinciæ: ſed in ipſis fortunæ blanditiis morbo violento correptus, è vitâ migrat: de cuius morte ſubitâ & inopinatâ filius nuncium accipit priùs, quàm patrem ægrotantem cognouerat. HENRICVS alter filius, retinere Phryſios in officio ſtudebat, & per arces atque oppida præfectos conſtituerat: ſed ipſi Ducis morte facti animoſiores, adoleſcentis imperium minùs curare, rebus nouis ſtudere, & ſe in libertatem excuſſo iugo Miſnenſium vendicare cogitabant. GEORGIVS animum addebat fratri, & pollicebatur auxilium contra ſeditioſos aut rebelles: nec non Edezardum Comitem à patre legatum conſtitutum officij admonet: quorum diligentiâ effectum eſt, vt maneret tranquillitas: & Miſnenſes vbique intenti erant, ne quid turbarum naſceretur. Phryſij etiam à bello & calamitatibus acceptis, nondum reſpirauerant.

1498. *Alberti mors.* 1500. *Phryſiorum rebellio.*

Annus poſt Alberti mortem ſecundus, aeris infectione peſtilens hominibus: corruptione paſcuorum pecori lethalis fuit: fluminum prætereà inundatione agris ſatiſque admodum incommodus.

1502. *Peſtilentia.*

Obiit Rochlicij in fine eius anni, menſe Nouembri, ſoror Alberti Ameleis, matrona optima, bonâ ſenectute, vt antea notatum eſt.

Georgius Dux Sax.

Morbus Gallicus.

Nomen morbi Gallici quem appellant, tùm primùm in Germaniâ auditum: quo morbo non alius initiò tetrior & magis perniciosè ac deformiter contagioſus fuit: bello Neapolitano cœpit, cum ſanguinem leproſorum, quos interfecerant, vino miſcuiſſent Itali, & hoſtibus bibendum reliquiſſent, qui in horto regio ad Sebbethum luxuriabantur.

Qui paſcua in his prouinciis, inprimis Miſnenſi, corruperant, demum tertium poſt annum in iudicio deprehenſi, poſt cruciatus & tormenta rogis imponuntur.

Seditio ruſticorum in Palatinatu.

In Palatinatu valida conſpiratio plebis agreſtis fuerat contra ſacerdotes: quam in tempore patefactam PHILIPPVS Elector oppreſsit. Cum autem eam peſtem quâdam contagione, vt ſolet, latius ſerpſiſſe intelligeret: ad Principes vicinos ſcribit: inter eos GEORGIVM quoq; Ducem monet, vt vigilans prouidusq; ſit; neq; indulgeat vlli malefico aut turbatori: ſi opus ſit, à ſe auxilia petat atque expectet: quæ diligentia curaque Electoris, vehementer Georgio grata acceptaque fuit.

Circa idem tempus, hoſtilem erga Ducem animum literis declarabat Georgius Gutterſteinus Boemus, & Eberhardus Bradeſteinus. Hoc more fieri apud noſtros conſueuit, cum non expectato iure, aut eodem negato, vindictam ſuo expetunt periculo: idq; ſibi glorioſum ſolet nobilitas ducere. Poſt miſſas literas

Biſchofſuerda diripitur 1502.

conſilium ſtatim ineunt diripiendæ Verdæ epiſcopalis: quam inſulam (id enim Verda noſtris ſignificat) amnis Polsnicius & loca vliginoſa faciũt. Plauſtra aliquot milite implent: quæ velis tecta, qualia apud nos ea ſunt, quibus frumentũ importantur, in oppidum cum primo diluculo vehi curant; idq; eo die & horâ faciũt, quâ homines templis intereſſe & dare ſacris operam ſolent. Sequũtur tanquã illa translaturi, inſtructi ad facinus equites. Ii, qui plauſtris latebant, cùm iam putarent equites maximâ parte adeſſe, & ſtrepitum aliquorum introeuntium ſentirent: accepto illo ſigno confertim è plauſtris proſiliunt, portas obſident, vicos intercludunt, equitem reliquũ intromittunt. E veſtigio ad ſpoliandum templũ, & diripienda tecta eundo diſperguntur: ciues attoniti & inermes nõ reſiſtunt, metu minisq; vim inferentiũ territi. Direpto templo & oppido ciues primi nominis atq; ordinis quadraginta captiuos abducunt: è quibus nouẽ mortui ſunt in carcere arcis Gutterſteniæ: reliqui menſe demum nono, ſuo ſeſe ære

1502. redimunt. Captum oppidum eſt 5. Cal. Decemb. M. D. II.

Rumore Dreſdam delato, Dux GEORGIVS Baldaſarem

Grens-

Grenſchbitium, vrbi præfectum, & Georgium Angerum Verdã mittit præſidij causâ: qui ciues ſibi iureiurando obligant: quamuis id ægrè ferret Ioannes VI. Præſul Miſnenſis, qui duobus indè milliaribus ſedem ſuam habebat, & oppidi dominus erat: poſt quintum menſem præſidio dimiſſo oppidum ei reſtituitur. *Georgius Dux Sax.*

Monetam adulteratam in nummis, quos vocant, Angelicis deprehenſum eſt: falſarius diu latuit: ſuſpicio conijcitur in Iudæos, quorum duo fugâ ſibi conſuluerunt, tertius Lipſiæ crematur. *Monetæ adulteratio.*

Raimundus Cardinalis Gorcenſis, miſſus ab Alexandro pontifice legatus, has terras peragrabat. Lipſiæ cum diuerteret in Paulinum, miniſtrorum eius incuriâ pars cœnobij conflagrat, nõ ſine vrbis periculo. Miſnia terræ motu quatitur nocte natalis Chriſti incoante annum M. D. IV. fiebat ea concuſsio cum ſono & fremitu, qui tonitruum fragori erat non diſsimilis: nulla autẽ cœli obſcuritas, nulla pluuia, nullum deniq; fulgur viſum, vt eſſe tonitrua diceres: ſolus fremitus terribilis & horrendus animos hominum percutit: quod genus concuſsionis, cum diſſolutis elementa compagibus quaſi aſsiliunt & relabuntur, Philoſophi (nî fallor) Myceriam nominant, & hiſtorici talium exempla prodiderunt memoriæ. *Terræmotus.* 1504.

Eodem anno ad conſtituendas res Phryſias equitatus conſcribitur: pars præmittitur in Phryſiam, cui præfectus erat quidã Eblingus, vnà cum ſignis aliquot peditum: partem alteram ſecum GEORGIVS ducit in Burgundiam, cum Philippo Maximiliani filio collocuturus Idibus Martij, quo die domi egreſſus fuerat, naſcitur ei filius FRIDERICVS. In Phryſiam venienti obuiã procedit Edezardus, quem ſibi legauerat: eundem comitabatur pauca nobilitas, ſed vulgus plurimũ armis inſtructum. GEORGIVS per ſuos præfectos iuramentũ à ſubditis poſtulat, leges præſcribit: Edezardo poteſtatem maiorem, quàm anteà, concedit: nouos ei reditus ex Vmblandiâ conſtituit, præfectosque ſuos ei fideliter commendat. In contentione militari Eblingus non ſatis iuſtâ de causâ transfigit præfectum peditum, virum ſtrenuum & fortem: quæ res magnæ ei infamiæ fuit. Conſtitutis rebus Phryſiis, poſt ſextum menſem ad ſuos Dux reuertitur: quo abſente incendiarij damna dederant agricolis. Præterea Colditium oppidum Miſniæ totum: Vueida Vodlandiæ bonâ ex parte conflagrat. Sequente anno, 8. Calend. Febr. fratres prouinciam Saganam in Sileſiâ inter ſe partiuntur: rationibus exactis Electori FRIDERICO Sora & Betſcha, GEORGIO Saganum & Prebuſium ſorte euenit. *Georgij expeditio in Phryſiam.* 1505. *Saganæ prouinciæ inter fratres diuiſio.*

Georgius Dux Sax.

Elboga à Georgio capta.

Elbogani eodem tempore Nicolao Slicconi rebellabant, qui in GEORGII patrocinio erat: à quo contra ciues opem implorabat: eâ impetratâ, oppidum nocte intempeſtâ aggreditur; in quo fautores aliquot habebat: quorum operâ cum intromitteretur, quamuis offenſus valdè erat, vitæ tamen ciuium pepercit: ſeditioſos verò migrare vniuerſos iubet: colonos ex aliis locis eò deducit. Pulſis graue exilium erat, quòd initio Februarij frigus eſſet ingens: ſed meruerat contumacium culpa, ne illis ignoſceretur. Quidam è ciuibus, ne alieno relinqueret ſuum domicilium id incendit: quo incendio intra breue ſpacium domus ſeptuaginta ſunt conſumptæ: & niſi flammam reſtinxiſſent milites, totum oppidum in cineres fuiſſet redactum.

Indulgentiarum Pontificiarum venundatio.

Venditabat tùm per Miſniam Chriſtianus Baumgartnerus, patriâ Noribergenſis, indulgentias pontificias contra Ruſſorum gentem, armis Liuoniam infeſtantium: is per Ducis prouincias iam multum pecuniæ collegerat: ad ſuam verò accedentem diœceſin præſul Miſnenſis, Ioannes VI. de Salhuſiorum familiâ, noluit admittere: in quem cum ſententia excommunicationis ab illo circulatore mercenario lata eſſet, factum ſuum ad Pontificem, non tamen ſine magnis ſumptibus defendit.

Iureconſulti Lipſienſes docebant in cœnobio diui Thomæ, ſub templi interiore porticu: quorum collegium extructo nouo ædificio translatum eſt in vicum diui Petri cognomine. Iaciebantur eodem tempore fundamenta duorum cœnobiorum, Ducis liberalitate; Franciſcanorum in Annebergo, & Cœleſtinorum in rupe Regiâ, quæ vulgò Konigſteinum dicitur, monte ad Albim altiſsimo & præcipiti: de quibus cùm magnificè dici audiret idem Præſul; feſtiuè reſpondit, fruſtrà illa loca religioſè excoli: hos exturbatum iri à ventis è Boemiâ flantibus, illos à fumo officinarum, in quibus metalla excoquuntur. Quem ſermonem ad ſe delatum Dux animo iracundo tulit, præſertim à Præſule iocante prolatum. Sed viri ſagacis non brutum fuit vaticinium: nam duce ipſo adhuc viuente Konigſteinianum à ſacerdotibus fugitiuis deſertum eſt.

Cœnobia duo extructa.

1506. *Peſtilentia.*

Anno M. D. VI. peſtilentia in multis prouinciis graſſatur: immunia ab eâ contagione fuerunt oppida montana, & tractus Albinus à Pirnâ Torgam vſque: ſed anno altero eadem loca in-
1507. fecta ſunt. In arce Schellenbergiâ, ſexto à Chemnicio lapide ſita, Dux ſeſe toto illo continuit tempore. Annonæ iiſdem duobus annis vilitas maxima fuit.

FRIDERICVS, Georgij frater, tum è Pruſiâ, cedens armis

Polo-

Polonorum rediit: & Imperij vires ſine aliquo emolumento *Georgius Dux Saxo.*
implorauit. Indicta erant Comitia Conſtantiam menſe Iunio *Comitia*
M. D. VII. eò legatos mittunt, FRIDERICVS Pruſsiæ magiſter, *Conſtantienſia.*
quod Imperij prouincia in periculo verſaretur exponẽs; GEORGIVS Dux æs alienũ patri ipſius debitum, repóſcens. In eo conuẽtu cum præter alia de ſumptibus bellorũ, quæ geſſerat, pro Imperio, diſputauiſſet Maximilianus, & Imperij ordines ad ſubleuandam inopiã appellaſſet; auditus quidem eſt, ſed adiutus à nemine. Legati Saxonici promiſsis onuſti reuertuntur. 1508.

Anno ſequente obit mater Georgij VII. Cal. Febr. 1510.

Anno decimo GEORGIVS Pragam ſe confert, vt vrbium *Georgius iter Pragam*
oppidorumq; poſſeſsionem more ſolenni ab affine Rege acciperet: *ſuſcipit.* eodem ſecum vxorem ducit, Ladislai ſororem. Pompa magnificè peragitur in fine menſis Ianuarij: equitibus octingentis, quos Georgius adduxerat, Rex epulum dedit.

Rediens Pragâ ad Comitia ſeſe parat Auguſtana, quæ indi- *Comitia*
cta erant ad IX. Martij, quæq; mandatis ſeueris vrgebat MAXI- *Auguſtana.*
MILIANVS, Venetis bellum facturus. Ælianus Vercellenſis Præſul in iis Comitiis contumelioſam orationem habuit contra Venetos, quæ poſteà in multas linguas transfuſa eſt, cum quodam ſcripto Nicolai Mengij: in quo facinora multa congeſta eo propoſito, vt odium nomini Veneto concitaret. Sumptus in iisdem Comitiis tanti facti ſunt, quibus legiones aliquot aluiſſent: Nam duo de quadraginta Principes Germani præſentes fuerunt.

Erant nonnullæ res domi controuerſæ inter Saxoniæ Duces: *Conuentus*
ad eas expediendas ipſi cònuentus egerunt Chemnicij: eò cum E- *Chemnicij.*
lectore Friderico, Ioannes frater, cum Georgio Henricus veniebat. Actũ ibidem præter cætera de amborum adoleſcentum connubio, ætate atque vigore florentium, quod eſt intra triennium conſecutum.

Indicebántur per Imperium continuis annis alia poſt alia cómitia, Treuerim, Coloniam, Auguſtam: ad ea mittebat legatos ſuos GEORGIVS: latas in iis leges ad Remp. & ad mores bonos pertinentes, domi promulgabat: ipſe non accedebat, partim aliorum Principum exemplo, partim occupatus domi.

Intereà non expectati è Phryſiâ motus nunciantur, quorum EDEZARDVS eſſet auctor. Traditam Alberto de Imperatoris *Motus in*
ſententià & Electorum conſenſu Phryſiam gubernandam, pecu- *Phryſia.*
liares etiam legatos miſſos à Comitibus Embdanis fratribus, qui ipſi perſuaderent id eſſe faciendum, expoſitum ſuprà eſt. Edezardo igitur ſemper plurimũ tribuerat ALBERTVS: eundẽ erga ipſum

Fridericus Magiſter Ordinis Teutonici.

ipſum animum cum ſingulari beneficentiâ declarat GEORGIVS; quibus non modò viuentibus, verum etiam filiis poſteriſq; eorum omnia ſtudia promiſerat, quæ à ſubditis fidelibus bonisque, pro cuiusque dignitate & ordine ſunt expectanda. Functus autem annos aliquot præclarè ſuo officio eſt, & ſine vllâ ſuſpicione cupiditatis: donec & opes plurimum auxiſſet, & populum obſequiis planè feciſſet ſuum; qui cum exteros præfectos cæpiſſet odiſſe, & apertè in Edezardum inclinare, ſecum ipſe de comparandâ ſibi potentiâ cogitauit. Reſtabant Groninga & Thamum vrbes nondum ſubactæ; quas ſe ad obediendum compulſurum promiſerat: idque vt faceret, & nunciis & literis ſæpius vrgebatur: neque id Georgij præfecti deſiſtebant facere, in quos ipſe poteſtatem Ducis permiſſu omnem habebat. Groningenſes diuturnâ incurſione & viarum interclusione in id anguſtiarum redacti erant, vt paucisſimorum dierum haberent cibaria. Cum ijs Embdanus per colloquium trâſigit, vt & ſe acceptum faceret, & militem externum ab vrbe dimoueret, quam ſuo præſidio muniuit.

Edezardi tranſactio cum Groningenſibus

Accuſatus eſt poſteà, quod callidè egiſſet in eius vrbis obſidione: quam cum & ſtipendiis & milite Georgij domuiſſet, dimittere è ſuâ poteſtate noluit: ſeque vrbis patronum nominauit. Mittitur eâ de causâ ad ipſum legatio, quæ eum officij admoneat & fidei: poſtulatumque eſt, vt Groningam traderet, tributa ex Vmblandiâ penderet, & eam ditionem acceptis impenſis ſuis reſtitueret. Ad hæc reſpondit, Groningam ſibi non conceſſam reddere, donec controuerſia inter Phryſios & Præſulem Traiectinum foret compoſita: hunc enim ſibi vendicare eius vrbis imperium. Redituum prætereà reddere rationem noluit, neque Vmblandiam reſtituere, niſi præſens illi pecunia numeraretur. Legati id facere non negabant, & triginta aureorum millia addituros ſe dicebant; certo quoque loco depoſituros pecuniam. Sed non impetrarunt, vt datis vadibus ſe ipſis ceſſurum, clarâ ſententiâ pronunciaret. Animi à Georgio abalienati non dubia hæc erant indicia. Itaque ne magis irritarent eius ferociam, cum eo omnia agunt liberaliter: nam & plebis defectionem, & ſuorum præſidiariorum metuebant periculum. Legatis hæc domum renunciantibus cùm de mutabilitate vulgi, & diſcrimine ſuorum ſignificantibus, cauſa reijcitur ad Imperatorem. GEORGIVS ad ipſum literas dat, in quibus æquitatem conditionum ſuarum exponit: de iniuriâ Comitis queritur; accepta damna recenſet, accipiendorum mentionem facit: dehinc orat, vt ſuâ auctoritate vti velit, neque pati, vt cum dedecore Imperij & magnis incommoditatibus ſuis Comes vtriſq;

Querela de Comite Embdano.

vtriſque illudat: ſe paratum ſequi aliorum iudicia, ne quid videatur agere, cuius non cauſam iuſtam & veram poſsit afferre. Imperator arbitros conſtituit Antiſtitem Colonienſem Philippum, & Vilhelmum Ducem Iuliacenſium: addit è familiaribus ſuis Ludouicum Senshemium, virum nobilem & prudentem. Arbitri conueniunt Noueſij: cauſam præſentibus amborum legatis tractant: ſed cum pertinacia Edezardi nihil efficerent: denuò negotium ad Imperatorem defertur. Is Comitem ad dicendam cauſam euocat Auguſtam: ſed venire detrectauit, modò periculum ſuum obtendens propter aduerſarium potentem, modò aliis elabens inſidiis: intereà ſocietatibus ſeſe munit, & factiones concitat, & omnia ſic agit, vt ſacerdotibus quàm maximè incommodet. Nonnulli è factioſis deprehenſi conuictique à præfectis Georgij, publico ſupplicio afficiuntur, vt alios deterrerent à ſimili facinore. Fatigatus Imperator querelis, contumaci mandat, vt cum Saxone tranſigat: aut ſententiam damnationis breui expectet: ſe malle vti in ipſum clementiâ, quàm iure aut pœnâ: caueat, ne ſibi malum conciliet, aut ſuæ familiæ labem aſpergat, ſi perduellis declarandus, & armis cogendus ſit. Cauſam Edezardi de oppreſsione conquerentis ſuſcipiunt Præſul Monaſterienſis Conradus, & tres Comites, Schaumburgius, Ritbergius, & Lippenſis: quos etiamſi arbitros reijcere potuiſſet Georgius, propter Edezardi cum ipſis & cognationem & neceſsitudinem: tamen ne videretur iniquus, ipſis permittit de ſuis actionibus, & de Comitis inconſtantiâ iudicium. Cauſa agitata Coloniæ eſt: ſed ne iſtis quidem conſultoribus peracta atque compoſita. Imperator cum vias pacis & beneuolentiæ omnes tentaſſet, tandem EDEZARDVM publicè proſcribit, conſtituto eidem ad pœnitentiam tempore duorum menſium. Oblatas literas Comes neque accipit neque legit.

Georgius Dux Saxo.

Embdani pertinacia.

Edezardi proſcriptio.

Bellum igitur cum neceſſariò eſſet faciendum, cùm ad retinendam Imperio illam prouinciam, tùm ad impenſas recuperandas, quas Duces Saxoniæ propter duos Impp. fecerant: GEORGIVS conuentum indicit Lipſiam, in quo de ratione belli, & de ſumptibus cum Miſnenſibus & Turingis deliberat. Decernuntur ſtatim legati duo, clari bello homines, Georgius Anger, & Ioannes Grumbachius: & ad impediendos Edezardi conatus, ſinguli cohortes militum tres ſecum ducunt. In Phryſiam cum veniſſent, agrum Lomelcium inuadunt; & in actiones Comitis ſunt intenti: qui cum militum cohortes quatuor, agre-

Georgij bellum contra Edezardum.

ſtium

Georgius Dux Sax. ſtium duodecim collegiſſet, legatis tamen ire obuiam auſus non eſt: vel quòd occaſionem quæreret eos opprimendi ſine ſuorum diſcrimine: vel quòd contra copias Ducis Georgij aduentantes, eas integras ſeruare cuperet. Erat eo tempore tanta hyemis frigorumque vis, quantam nemo vel maximè ſenex fuiſſe meminerat. *Hyems aſpera.* Ideo cum ingenti eorum damno, qui agros villasque habitarent, bellum gerebatur. Choderlandia ſuperior ad Comitem pertinebat: in eam irruunt Miſnenſes, pagos domosque diripiunt: coactoque in vnum frumento, rebusque ad victum pertinētibus, vicos & caſtella ſex atq; viginti incendunt. Magnam ſpem habebat Edezardus in illo milite, quem Henricus VIII. Angliæ Rex bello Scotico finito dimiſerat: Ducesque præmiis & pollicitationibus trahere ad ſuas partes tentabat. Erant ipſi duces patriâ Miſnenſes & Saxones, Ideò contra Georgium facere noluerunt, & periculum à Comite imminens, ipſi ſignificarunt.

GEORGIVS cum domi ſe ad bellum inſtruxiſſet, Duces Brunſuigios certiores eâ de re facit, quos erat ſocios habiturus. *Georgij expeditio contra Edozardum.* Erant Brunſuigiis, propter Antiſtitem Bremenſem, veteres cum Phrygiis ſimultates: itaque ſuâ ſponte ſe cum Georgio coniungunt Duces quatuor, Henricus pater & filius Brunſuigij, Philippus Grubenhagius, Henricus Luneburgius: qui pariter Ducum Brunſuigiorum titulos habent. Hi arma capiunt, vt ius Eccleſiaſticum vendicarent Chriſtophoro Duci Brunſuigio, Ioannis III. Antiſtitis collegæ. Hanc ſocietatem aliqui è prudentioribus non probabant propter cauſæ diuerſitatem. Nam qui Bremenſis nomine pugnabant, videbantur Phryſiorum expilationem quærere: alia autem ratio GEORGII erat, qui pro Maximiliano arma induere, & ſtabilire ipſis æquum & legitimum imperium vellet. Verum hæc conſideratio âd illos diſtrahendos non iuſta ſatis habita fuit. Ineunte anno M.D.XIV. GEORGIVS militem, quem rigido brumę tempore collegerat, ipſo die Epiphanię Lip-
1514. ſiâ educit cum equitibus trecentis. Ad eum in itinere venit cum ducentis aliis præfectus Ducis Luneburgij. GEORGIVS autem ſibi legauerat virum ſpectatâ fide atque virtute Ioannem Pincernam Tautenbergium. Iumenta & homines inter eundum frigore multa concidebant: ſed id tempus oportunum Dux rebatur, quia Phryſia lacubus & paludibus inuia plurimis in locis eſt: quibus gelu conſtrictis, ad vrbes aut caſtella, aliter non accedenda facilior aditus patère videbatur: tum etiam tormenta bellica duci adhiberiq; ad expugnanda loca tempore alio non potuére.

Prima

Georgius Dux Sax. Botgagerlandia capta.

Prima incurſio fit in Botgagerlandiam, primoq; impetu ea ditio capitur: ex agricolis, qui arma ſumpſerant, occiduntur circiter trecenti; reliqui aut capiuntur, aut diſperſi fugiunt. Inhuſia arx maritima ſeſe dedidit: Frideburgum, poſtquam diebus aliquot tormentis percuſſum eſſet; tum ſupplicibus militibus ducentis, & trecentis agricolis qui præſidio fuerant, permittitur abeundi licentia: idem Bodenſis & Knippenſis arcium præſidiariis accidit. Edezardus, ad defenſionem oppidi Aurigæ duo caſtella extruxerat, vnum Merhuſiæ, alterum Brugſetleræ; eadem valloq; foſsisque muniêrat: caſtello priore vi expugnato, alterum implorat Miſnenſium fidem: vtrunque ſpoliatur atque incenditur; milites circiter ducenti trucidantur. Paucis etiam diebus in poteſtatem noſtrorum veniunt Sinhuſa, Vplenga, Dornhemium. In hâc arce ſedibus diſtinctis trium nobilium domicilia erant: quorum vnus propter ætatem aberat, alter ſeſe ad GEORGIVM conferebat, tertius ibidem captus Leuardum deducebatur.

Inhuſiæ deditio. Frideburgi expugnatio

Nordæ direptio.

Norda vicus frequens erat: ad quem miles prædæ ſpe feſtinans in itinere caſtellum Arlanum demolitur; inde Nordam inuadit & diripit.

Orlæ oppugnatio ob Henrici Brunſuigij interitum intermiſſa.

Inde pars exercitus ductus ad Orlam; quæ cum oppugnaretur acriter, HENRICVS Brunſuigius pater, dum pontem inter primos occupat, è caſtello vltra Amaſum, globo ferreo per caput traijcitur IX. Cal. Iulij: qui cum ex acie elatus eſſet mortuus, propter eum caſum oppugnatio intermittitur. Præſidiarij re animaduerſâ erumpunt, & aliquot tormentis hoſtium diſcedentium potiuntur. Ab irato milite Brunſuigio propter amiſſum Ducem ager vicinus longè lateque vaſtatur; pecoris numerus magnus abigitur.

Groningæ obſidio.

Poſt obitum Brunſuigij conſilio Ducis Georgij, caſtra Principes coniungunt; vt ad obſidionem Groningæ eſſent paratiores. Ea vrbs prouinciæ metropolis eſt, ſitu atque arte munita, fluminibusque & foſsis hinc inde adeunda: ciues ipſi cœteris Phryſiis cultiores: in eam igitur vrbem ſuas fortunas pleraque nobilitas, & vici ditiores contulerant. Viribus Groningenſium præcipuè nitebatur EDEZARDVS: qui eâ vrbe ſeruatâ, ſe pariter ſeruari intelligens, ciuibus animos addit, & ſe pro iis oppetiturum promittit: Geldrenſem, & Monaſterienſem, & Veſtoualicum equitatum in vrbem introducit, & Comitem Hoium eis præficit: rebus ad obſidionem neceſſariis comparatis, vt

Ccc forti-

Miſnenſes templum demoliuntur, foſſam terræ æquant, tormẽta in caſtra deportant. Ad certamen multis modis eliciebantur Groningenſes: ſed ne cum hoſte confligerent, eos dehortatus erat EDEZARDVS, & mandato continebat Hoius. Militem factum negligentiorem cum cernerent, ne planè deſidiæ damnari poſſent: certo die non procul à caſtris ad Saluartum tacitè egrediuntur; onuſtos pane & frumento currus centum intercipiunt: quos cum ad Niſſam vſque compuliſſent; Saxones re intellectâ celeriter inſequuntur, prædam ereptam impetu recipiunt. Ripæ fluminis Amaſi commiſſæ erant Fabiano Draxdorfio, qui celocibus vndecim, & vnâ ſcaphâ, & nauigio maiore vno, quod nomine Græco ipſi quoque Holcada nominant, eas cuſtodiebat: ciues exitu, negociatores aut milites aditu prohibebat. Ad eas naues capiendas vel diſsipandas, animos Groningenſes intendunt, vt flumen ipſis peruium & liberum maneret: itaque Draxdorfium inopinantem aggreſsi, emiſsis ſerpentinis vnam celocẽ frangunt: qui in celoce erant, in nauigiũ maius euadunt incolumes: fortiterque reſiſtentes, certamen in horas quatuor producunt: tandem quatuor celoces fugam capiunt: ſed qui ex holcade propugnabant, cæteris ſaluti erant, donec ciues ſeſe in vrbem reciperent. Omico Dornhemius è caſtris Saxonicis domum rediens, penè oppreſſus eſt, cum Fincone fratre. *Georgius Dux Sax.*

Thamum oppidum inter Groningam & Oceanum, loco valdè commodo ſitum, Groningenſibus commeatum præbebat; & militem, quoties opus erat, ſubmittebat: eſt enim ex eo facilis in Phryſiam tàm orientalem, quàm occidentalem acceſſus. Eo capto, magnum fore operæprecium Saxones exiſtimabant: In cœnobio Aduarto duæ cohortes Miſnenſium, totidem Phryſiorum relinquuntur, totidem in caſtris ad Saluartum cohortes Brunſuigiorum: reliquæ copiæ omnes traducuntur ad Thamũ: tormenta maiora tredecim, ſerpentinæ ſex, minora varij generis eòdem adducuntur. Legatus ab Edezardo Thamiis datus erat Otho Diffoldius: eique additi tribuni Ioannes Funcius & Ioannes Nolla: miles maximâ ex parte erat Geldricus. Vocati ad colloquium Thamij, id ſuperbè recuſant; loci autem firmitate confiſi, etiam reſpondent procaciter: inprimis ſperabant ſociorum auxilia: quos ſibi perſuaſerant oppidum oportuniſsimum nullo modo deſerturos, neque paſſuros vt in manus hoſtiles veniret. Diſtat Thámum duobus à Groninga milliaribus, quod nec obſideri nec tormentis quati poterat propter impedimenta foſſarũ; quarum aliæ terrâ replendæ, aliæ pontibus coniungendæ, aliæ *Thami obſidio.*

 ruptis

Georgius Dux Sax. ruptis aggeribus deducendæ erant. Locis quatuor obſidio tentatur: equitatui præerat Dux GEORGIVS, & Duces Brunſuigij: nigras peditum cohortes, vt nominabant, Hugo Comes Leiſnicius ducebat: albas, Caſpar Ziglerus: Amalum, vt anteâ, tenebat Draxdorfius. Milites partitis vicibus operi incumbebant: quod intra dies paucos ex ſententiâ perfecerunt ita, vt tàm equiti, quàm pediti circum mœnia ſine remora iſus abitusuć patens eſſet & expeditus. Oppidani aggerem ſtagni cuiusdam perfodere nitebantur, ne haberent loca, quo tormenta admouerent.

Thami oppugnatio. Id proſpiciens GEORGIVS Dux, eos retrò depellit: & cohortem peditum ad ſtagnum ſeruandum apponit. Paratis ad oppugnationem diſpoſitisque omnibus, mœnia impetuntur tormentis, dies tredecim continuos: quæ cum paſsim rupta & diſsipata iacerent, tempus expugnandi adeſſe Duci Georgio viſum eſt. Militem igitur alloquitur, vt ſeſe recreet: arma expediat, nouam gloriam quærat: horam conſtituit quartam pomeridianam non opinatam hoſtibus, ſuis optatam. In quatuor ordines militem diſpertit, & totidem ſimul locis oppugnare imperat: ſingulos duces & tribunos, vt viri eſſe meminerint, appellat. Rumor in caſtris erat, Edezardum Thamiis tantoperè laborantibus ſuppetias laturum: quem cum non poſſent non pro veriſsimo habere: eâ de causâ mille pedites & equitatus omnis ſtare in procinctu iubetur; vt ſi res exigat, cum eo confligant: præmittuntur item exploratores, qui de eiusdem aduentu certa referant: nuncij quoque in caſtra Saluartica & Aduartica ablegantur, qui neceſsitate poſtulante eruptionem illis imperent. Equitatus in acie ſtetit omnis, cum mille ſelectis peditibus; vt ſi ad liberandos ſocios Groningenſes egrederentur, cum illis prælio decertarent. Hæc vbi conſtituta prudenter ſunt: tormenta ſimul omnia diſploduntur in mœnia: & ad incendenda intus ædificia globi arte facti iaciuntur. Proſpectu & luce propter tormentorum fumum hoſtibus erepta, ſignum militibus datur, qui magno impetu alacres mœnia adoriuntur & conſcendunt.

Eâ parte, quæ tradita Zieglero erat, acerrima fuit dimicatio, & maximum periculum. Diffoldius enim & ciues non ſegniter propugnabant. Interea flammam intus domus quædam corripit: quæ in vicinas aliquot diſperſa, primùm ciues ipſos, tùm etiam militem perturbat: paulum vltra horæ dimidiæ ſpatium durauerat oppugnatio, cum Diffoldius notis diuerticulis ex vrbe fugeret; reliqui obruti & oppreſsi ſtationes (Thami expugnatio.)

deſere-

deſererent. Saxones mœnibus potiti, domorum incendia reſtinguunt, viginti autem ignibus iam ſubſederant: tum ſine diſcrimine cœdibus ſæuire incipiunt. Implentur cadaueribus vici & forum, loca ſacra prophanaque: nullum paries, aut conclaue, aut latebræ tegebant: cæſi perhibentur homines ſupra mille & ducenti: ex fugâ retracti trecenti & quinquaginta, & inter hos Diffoldius, qui ad captiuos cœteros in cuſtodiam arcis Leuardiæ deducitur: alij quidam nobiles capti, fidem dederunt, vt ſe ſiſterent locis, qui illis nominabantur. *Georgius Dux Sax.*

Noſtris quoque non planè læta contigit victoria: Volfgangus Endius enim in cranio grauem plagam accepit: ceciderunt de nobilitate equeſtris dignitatis viri, Iacobus Collar, Vilhelmus & Volfgangus Loſeri, Paulus Eichius, præterea Slibenſis, Zemius, Schaurodus, Loſchuitius: vulnerati telis & bombardis alij nobiles ſex & viginti, & ſexaginta pedites. Inueniuntur in oppido tormenta, quæ Dux Georgius menſe Martio in Botgagerlandiâ; Brunſuigus ad Lichurdam menſe Iulio amiſerat: liberantur itidem duo tribuni, qui capti in vinculis detinebantur. Hâc victoriâ potitur Dux Saxoniæ, Nonis Auguſti: quo eodem die ante annos tres & nonaginta Fridericus proauus eius, primus Saxoniæ Dux & Elector, Pragenſes vicerat ad Bruxiam. Thamiis relinquuntur præfecti Viguoldus Emſius eques auratus, & Georgius Carolouicius Miſnenſis: additæ ad præſidium tres militum cohortes.

Clades iſta ſociorum Groningiis ſollicitudinem & pauorem attulit: qui vt victorem tacitè morarentur, ſpem deditionis faciunt: quam cum ille animo conciperet, & de vrbe & ditione totâ obtinendâ iam certus videretur, ſibi cunctatione illâ imponi non ſenſit: Varias autem ipſi conditiones proponunt, ſed ſemper eiuſmodi, quas Ducem minimè accepturum ſcirent: intereâ dum nuncij eunt redeuntque; & arbitri modò hi, modò illi nominantur; res differtur in hiemem, quo anni tempore propter aquarum inundationes oppugnatu eſſent difficilimi: ſperantes id, quod accidit, cœpta Ducem relicturum imperfecta. Venit tum ad Ducem GEORGIVM Harlingi commorantem, IOANNES filius ex aulâ Brabantiâ: in quâ cum Carolo Regis Philippi adoleſcente filio educabatur: eum Phryſiis à ſe ſubactis commendare, & fratri ad tempus adiungere ſtatuerat. Menſe Nouembri in caſtellum Vuerdenbrachium, equites aliquot ire iubet: quod erat propè Groningam extructum eo conſilio, vt Geldricos, qui iuxta id villam quâdam vallo munierant,

Georgius Dux Sax. opprimeret, qui conatibus ipſius maximè obſtabant. Ipſi cùm eſſet res enunciata, fugam inde continenti itinere faciunt, donec Vmbam Præſulis Traiectini oppidulum ingrederentur. Diem iam alterum nullo cibo ſumpto, Dux Georgius eos inſequebatur: cumque Vmbæ propinquus eſſet, vbi quieſcere, & ſeſe epulis reficere Geldrici ſtatuerant, menſas inſtructas hoſti relinquunt: ipſi curſu citato in loca tutiora abeunt.

GEORGIVS ad caſtellum rediens, quia tempeſtas anni bello erat incommoda, militem partim dimittit, partim in hiberna diſtribuit; Phryſios præfectis commendat. Ipſe ad Heſſiæ Landgrauium, qui nuper habenas gubernationis patre Vilhelmo mortuo ceperat, proficiſcitur Caſſellam: cum quo de totâ illius belli ratione communicat conſilium, fortaſsè vt ad ſuas eum partes adiungeret. *Georgius deſiſtit à bello in Phryſia perſequendo.* Verùm cum id non conſecutus eſſet ex ſententiâ; tandem animo ſuo repetit, ſe & patrem in Phryſiâ amiſiſſe; & iam bis magnos atque inutiles ſumptus feciſſe, non paucos viros fortes oppetiiſſe, partam victoriam ſibi maximo conſtare, eſſe abalienatos animos ſuorum populorum & præcipuè nobilitatis, Edezardum ex amico factum hoſtem, ei fauere Phryſios magis, quàm ſibi, ipſum habere tacita potentum auxilia: itaque ſententiam belli tam grauis perſequendi mutat; & ad Imperatorem, qui tum Lincij agebat, contendit: cui cum voluntatem expoſuiſſet ſuam, inter cœtera ſignificauit, ſe eam prouinciam aut ipſius Imperatoris præfectis, aut Imperio relinquere domandam: id bellum ſe non quæſiuiſſe, ſed relictum à patre accepiſſe, propter ſtipendia ipſi debita, quæ in eum vſque diem non ſint perſoluta. Petiit ab Imperatore, curaret ſibi ſatis fieri, ſumptusque nomine Imperij à ſe atque patre factos reſtitui: nunquam deſideratam patris, aut ſuam diligentiam: iuſtum videri, vt viciſsim ſibi honos habeatur, & hoc onus belli à ſuis prouinciis dematur. Quamuis autem difficilimum erat facere, quod peteret, & tamen æqua petere nulli non videretur: inuenta tandem ratio eſt, vt quieſceret, & ſine querelâ ab Imperatore diſcederet.

Solutus Dux tantâ curâ belli inauſpicati, in quo etiam ſuorũ quorundam fidem deſiderauerat: totũ ſe ad pacis ſtudia, & ad rem familiarem inſtaurandam conuertit. De quibusdam autem domi, loco honeſto ortis hominibus, qui conuicti egeſtatis & perfidiæ erant, quòd corrupti muneribus cum hoſte colluſerant, ſumpſit ſupplicium: alios gladio in vinculis puniens, *Perfidiæ pœna.*

alios

alios carceribus perpetuis includens. Ipſorum autem ſcelera ita patefiebant, quod alter alteri ea in ſermonibus congreſsibusue publicis obiiceret, & ſimul cibum capere, aut iisdem conſiliis intereſſe nollet. Quicunq, pœnam publicè non dederunt, eos aut ſubitaneâ malaue morte extinctos, aut ſine hæredibus mortuos progreſſu temporis obſeruatum eſſe, de viris fide dignis accepi. Contempta, initio imperij, ætas Georgij fuerat: verùm cum iuſticiæ & moderationis documenta præclara daret, amare ipſum & colere populus cœpit, & nobilitas quoque tandem reuereri. *Georgius Dux Sax.*

Anno M. D. XVII. Imperator Comitia indicit Moguntiam, ad quæ miſit ſuos conſiliarios: ipſe propter occupationes non acceſsit. 1517. *Comitia Moguntina.*

Menſe Nouembri anni eiusdem filio GEORGII ſponſa deducitur Heſſorum Principis filia, quæ Lipſiæ magnificè & ſingulari gratulatione accipitur.

Altero mox anno alia comitia habentur Auguſtæ: in quibus vt præſentes eſſe vellent Principes, literis etiam pontificiis ſunt admoniti. Turca ZELIMVS iam Ægyptum ceperat, eamque Rege altero interfecto, altero ad portas regiæ ſuſpenſo, in prouinciam redegerat. Ideò deliberatum eſt, quibus viris aut viribus reſiſti ei poſſet, ſi poſt orientales victorias, aut occidentis aut ſeptentrionum regna inuaderet; id quod facturus multis indiciis credebatur, & voces quaſdam iactare ſolitus erat Europicis metuendas. Eam ob cauſam inducias cum Venetis MAXIMILIANVS facit, & Duci Vuirtenbergico ignoſcit, & aliis turbis modum quærit: vt ſublatis motibus inteſtinis, auxilia contra Turcam firmiora decernerentur. In iisdem Comitiis ALBERTVS Brandeburgicus Ioannis filius, Cardinalis creatur: & eius patruelis CASIMIRVS Friderici filius, nuptias, celebrat cum Suſannâ Bauaricâ. Eſt quoque tractatum inter Imperatorem & Georgium Saxonem de ſumptibus Belgicis atque Phryſiis. 1518. *Comitia Auguſtana.*

Anno hunc ſequente Imperator MAXIMILIANVS in Velsâ Auſtriæ oppidò moritur: nepos CAROLVS in eius locum deligitur. 1519.

Circa hoc tempus prælium committitur non procul ab arce Peinâ, in ericeto (vt nominant) Luneburgico, inter Præſulem Hildeshemium IOANNEM è Ducibus Leoburgenſibus, ac HENRICVM Luneburgicum, & inter ERICVM & HENRICVM Duces Brunſuigios. Hos bello Phryſio ſocios ſuos noluit auxiliis deſtituere GEORGIVS: *Prælium ad Peinam, inter Hildeshemium & Duces Brunſuigii.*

Georgius Dux Sax. igitur è Turingis & Miſnenſibus equitatum miſit. In eâ pugnâ ſuperior fuit Præſul, quamuis minores haberet copias, Aſchami Crammij legati ſui prudentiâ & fortitudine, & Luneburgicus: ERICVS verò Brunſuigius, & Antiſtes Mindenſis, nec non VILHELMVS Henrici Brunſuigij frater, in hoſtis poteſtatem veniunt: Volcmarus Collar Eq. Turingus, qui Georgij copiis auxiliaribus præerat, haſtâ per collum traiectus capitur: Georgius Pflugus, Ioannes & Vilhelmus Haubitij, & alij Miſnenſes ſuâ quoque ſe redemerunt pecuniâ. Cumque victores Caroli Cæſaris iuſſu ab armis diſcedere, & captiuos Principes ipſius poteſtati permittere, vſque dum causâ cognoſci poſſet, recuſarent: is pro iure & auctoritate Imperij tàm Antiſtitē Hildeshemium, quàm Ducem Luneburgicum proſcripſit: eiusq; proſcriptionis (vt vocant) executionem victis videlicet ERICO, qui ſeſe iam redemerat, & HENRICO Brunſuigiis demandauit: quo quidem executionis titulo illi vniuerſam ditionem Hildesheimenſem, paucis arcibus exceptis, armis occupatam ſuis ditionibus adiiciunt, atq; etiamnum hodiè detinent.

Henrici Luneburgij iter in Galliam. Quod autem in ditionem Luneburgiacā nihil ſimile ſit tentatum: id HENRICus Luneburgius hoc potiſsimum modo præuertit, quod ſtatim poſt proſcriptionem, & antequam ad executionem procedi poſſet, hanc ipſam ditionē (ex conſilio, vt creditur, Friderici Saxoniæ Electoris, cuius ſororem in matrimonium habuerat) tribus ſuis filiis volens ceſsit, ac ipſe ſeſe in Galliam recepit: vbi cum ad annum octauum & vigeſimum degiſſet; tandem in Germaniam reuerſus, & anno trigeſimo Carolo Cæſari ſupplex factus, à ſententiâ proſcriptionis abſolutus eſt. Acceptâ vtrinq; clade & exhauſtis ærariis, per arbitros Antiſtitem Magdeburgicum, & Ducem Georgium cauſa diu iactata componitur.

Mutatio religionis. Incidit in hæc ipſa tempora, inaudita ſeculis aliquot religionis controuerſia, quâ Pontificis Romani dignitas valdè minuebatur, & miniſtrorum eius ſacra venalia circumferentium mendacia & rapinæ exagitabantur à MARTINO LVTHERO Eremitano: qui Tecelij impoſtoris impudenti audaciâ motus, primùm contra indulgentias ſcripſit: quem, cum non ratione aut argumentis vincere, ſed potentiâ opprimere vellent, maiores quotidiè animos ſumpſit; & diſputando ſcribendoq; confirmauit, in Eccleſiâ nullam debere auctoritatem plus valere, quàm verbi Dei, quod ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum contineretur: in dijudicandis quoque Eccleſiæ controuerſiis, non ſolius eſſe Pontificis cenſuram & iudiciū, ſed Eccleſiæ Catholicæ & liberi

beri concilij, quibus Pontifex ipſe vetere & vero iure Eccleſiaſti- co ſit ſubiectus. GEORGIVS Dux vehementer aduerſabatur do- ctrinæ iſti nouæ, cui videlicet imponebat mos maiorũ antiquior, & dignitas atq; potentia Romana. Paulò antè quàm mota fuerat hæc controuerſia, Ioannem Staupicium hominẽ nobilem, & ſui ordinis in Saxoniâ primarium, GEORGIVS rogauit, vt ſibi pro- bum & eruditum aliquem concionatorem mitteret: id quod ille facturũ ſe recipit: eiq; ſtatim miſit Vitebergâ LVTHERVM: quẽ vt ſummæ indolis iuuenem, ſtudiisq; & moribus ſibi ſpectatum, commendauit. Is Dresdam cum literis Staupicij veniens, coram Duce iubetur verba facere in arce: Summa eius ſermonis fuit: Sa- lutis fiduciam nulli mortaliũ eſſe abiiciendam, quod ij, qui ver- bum Dei animis attentis audirent, veri Chriſti diſcipuli, & ad vi- tam æternam electi & prædeſtinati eſſent. In eâ materiâ amplifi- candâ immoratus eſt, totamque doctrinam prædeſtinationis, ſi à Chriſto fiat initium, ſingularem vim habere affirmauit: ad tol- lendum pauorem illum, propter quem cogitatione ſuæ indigni- tatis homines trepidantes, à Deo fugerent, ad quem confugere vnum maximè deberent. Erat honeſta matrona, gynecæo præ- fecta BARBARA Salana: eam in prandio Dux interrogat, quo- modo concio placuiſſet: quæ reſpondit, ſi alteram talem audire poſſet, ſe animo tranquilliore morituram: cui Dux iratior, ſe magnâ redempturũ pecuniâ reſpondit, talem non audiuiſſe con- cionem, quæ homines temerarios faceret: idq; repetiuit aliquo- ties. Salanæ autem, id quod optauerat, accidit, vt intra menſis ſpa- tium inciperet decumbere, & læta ex hâc vitâ decederet. Poſt id tempus Dresdam LVTHERVS non rediit.

Georgius Dux Saxo.

Lutheri Concio in arce Dresdenſi.

Hoc ipſo anno paſsim incendia ſunt orta: Lipſiæ primùm, quod paucis domibus conſumptis reſtinctum eſt: ſed Vurcina oppidum, duobus templis exceptis, totum crematum: Villæ item Taucha & Goles magnâ ex parte: item in Voidlandiâ, Olsniciũ.

Cauſa religionis maiora cotidiè incrementa capiebat: Nam Romanenſium commenta ad lucem verbi Dei collata facilè pa- tebant; & vita Sacerdotum in aulis & collegiis ſic inquinata erat, vt ab eorum moribus homines abhorrerent: & omninò nihil e- rat reliquum in orbe terrarum, quàm nudum religionis nomen, quod hypocriſi & ſimulatione ſoli tuebantur monachi. ECCius Profeſſor Ingolſtadianus, magnis clamoribus prouocabat Carolo- ſtadium & LVTHERũ ad diſputationẽ publicam: locum diſpu- tantibus Dux GEORGius Lipſiã concedebat: præſul Mersburgi- cus Academiæ patronus negabat; cauſam aliã non afferens, quàm quod

Lutherus ab Eccio ad diſputationem publicam prouocatur.

Georgius Dux Sax. *Georgij literæ ad Præſulem Mersburgicum.*

quod literæ Româ ſcriptæ id vetarent. Indigniſsimè eam recuſationem Dux tulit: & ad Præſulem literas ſubiratas mittens: Miramur (inquit) te obſtare mori maiorum, quo permiſſum publicè omnibus eſt, veritatem diſſerendo exquirere, ita vt hactenus factum eſt; & ſæpè de Trinitate, de ſacramentis, de aliis articulis, diſputatum ſine cuiusquam impedimento conſtat: nec inutiliter tractaretur hoc ipſo tempore ſonans in templis quæſtio illa, cum nummus in peluim iactus ſonitum edat, num rectâ ad cœlum anima euolet? Nam iſtâ ſophiſticâ à plebe ſimplice & imperitâ multum pecuniæ emungitur. Verùm quantum nos coniicere poſſumus, tuâ tergiuerſatione quæritur prætextus ocioſis quibusdam & nihili hominibus, qui more militum ignauorum, ante clangorem tubæ, fugam circumſpectant. Diſputantium conſuetudo antiqua eſt, vt & pro ſe dicant, & contradicant aduerſario. Quod ſi Theologi noſtri ſuam tueri ſententiam non poterunt; minimè offendent Pontificem & Eccleſiam, ſi veriori aſſentiantur: ſin defendere ne ſuâ quidem didicerunt, rurſus ipſorum prouocatio neque Pontifici neque Eccleſiæ improbabitur. Doctrinæ enim cognitionem hactenus vſitatam nondum interdixit Pontifex: de quo nos planè ita ſtatuimus, cupidum eſſe veritatis & lucis: etenim in luce qui ambulat, minus errat. Neque opinor diſplicere pontifici eiusque Senatui, vt nos quoque turba imperitior rectè inſtituamur, vt quid verè ſentiendum ſit de ſalute, ſciamus. Prætereà ſi quid ſit interpretum malorum culpâ deprauatum, vt illæ corruptelæ orbi Chriſtiano fiant manifeſtæ. Quod autem ſe diſputaturos Theologi noſtri abnegant, contra ipſorum dignitatem eſt: propter quam & locum in pulpitis altiſsimum, & in ſuis prandiis ſummum obtinent. Nam niſi ſatisfaciant & muneri, & nomini ſuo, pueros & anus minore ſumptu Reip. aleremus: in pueris ſpes eſt indolis & obedientiæ: anus verò aut canerent, aut lanam & fila deducerent. Velim autem pro tuâ prudentiâ ipſe cogites, quid paſtori opus ſit eo moloſſo, qui aut latrare neſciat, aut lupum aggredi non auſit? Quamobrem peto à te, ne patrocineris ignauię Theologorum; ſed cum iis agas, niſi apertum Pontificis mandatum obſtet, vt lucem & palæſtrâ ne fugitent, erroresque & hæreſes animosè confutent, quod eorum officij & profeſsionis munus proprium eſt: quæ ipſorũ fortitudo neque Eccleſiæ aut Academiæ vllum periculum afferet: neque nobis Principi Chriſtiano, fuerit infamię. Quod ſi neque auctoritas tua neque cupiditas noſtra illos mouet: mihi certè perſuadeo, & alios idem ſenſuros ſcio, eos impoſtores eſſe, & tantum

ad ple-

ad plebeculam decipiendam eruditos: nimirum, quod nec ſuam doctrinam in lucem proferre audeant: nec nouam iſtam impugnare aut refutare ſciant. Nobis erit quoque idem ſcripto publico teſtandum, cupere nos atque optare incorruptam & ſeriam tantæ cauſæ cognitionem: ſed eam Theologos noſtros ſuſtinere non poſſe, & modis omnibus impedire, propter ruditatem & ignorantiam. Id quàm toti ordini veſtro honorificum, ipſis Theologiæ candidatis & magiſtris glorioſum futurum ſit; tu conſidera: & in hâc causâ Præſulem & virum te præſta. Tum temporis Præſul erat ADOLPHVS Anhaltinus: Decanus Theologiæ Matthias Haina: Doctores, Hirſbergius, Schuofemius, Konigeshouius, Ochſenfurtus: Licentiati, Langſchneiderus & Frauendinſtus Hæ literæ non minus acerbè, quam expoſui, ſcriptæ; pudorem incuſſerunt Theologis, vt refragari amplius aut hiſcere non auderent. *Georgius Dux Sax.*

Dies IV. Non: Iulij anni M. D. XIX. diſputationi dicitur, 1519. frequenti & celebri mortalium multorum concurſu & expectatione. Conuentum eſt horâ ſeptimâ in arce Lipſienſi, quem locum dignitatis causâ Dux ſelegerat ECCIVS ſecum adduxit Academiæ Ingolſtadianæ, & quoſdam Erfurdianæ viros præcipuos: LVTHERVS Caroloſtadium, quos ſequebatur rector Academiæ, BERNIMVS Dux Pomeraniæ, & PHILIPPVS MELANTHON. Antequam exordium fieret diſputandi, Petrus Moſellanus orationem habuit: quod ei munus biduo tantum antè impoſitum fuit. Decretum erat, vt eam pronunciaret puer, qui & morum innocentiâ & habitu referret ſpeciem Theologi: ſed vt puerile fuit conſilium, ita eſt repudiatum. Itum deinde eſt ad virum nobilem, Othonem Paccium, aulicum: is ſubitâ valetudine correptus, Ducis mandatum exequi non potuit. Cum & pueri deeſſent, & oratores, quos vulgus putat, tanquam ſemine Cadmeo (vt eſt in fabulis) è terrâ ſimul & naſci, & pugnare: tandem ad virum ſcholaſticum peruentum eſt, ipſum Moſellanum, qui orationem ſcripſerat, & tum arcem doctrinæ tenebat, planè bonum & veritatis ſtudioſum. Is multa eruditè dixit, adhortando, ne quis ſuam gloriam quæreret, ſed Dei: idque ſine acerbitate faceret verborum: nemo vincere ſuam eſſe putaret ſapientiam, aut vinci dedecus: vinci enim, dicebat, quid aliud eſt, niſi ab errore, in quem noſtra nos duxit fragilitas, in veritatis viam reuocari? vt non minus eſſe in votis debeat, vinci, quàm vincere: nimirum, quòd qui vincit,

Diſputatio Lutheri cum Eccio Lipſiæ.

Petri Moſellani oratio.

multum perhumaniter collocutum perhibent CAROLVM: quorum etiam prudentiâ & virtute vehementer eſt delectatus. Cauſam in illis comitiis pro ſe coram Imperatore & ordinibus modeſtè & conſtanter dixit LVTHERVS.

Georgius Dux Sax.

Rex Poloniæ cum Pruſsis bellum gerebat: horum nomine Principes Brandeburgici in Miſniâ milites conſcribebant: ſed cũ res ageretur negligentiùs, antequam auxilia mitterentur, ipſi ſunt ſubiugati: & illa prouincia olim à Germanis ad Chriſti religionẽ adducta, legibus moribusq; exculta, in Regis externi poteſtatem venit. Albertus Magiſter ordinis veram religionem ſuſceptam defendit, vxorem duxit: & more aliorum Principum ditionem gubernat: ab illo tempore nunc & Regibus Poloniæ præſtat obſequium. CHRISTINAM filiam Georgius deſpondet Heſsiæ Principi XV. Cal. Nouemb. anno XXIII. MAGDALENAM Electori Brandeburgico VIII. Id. Nouemb. anno ſequente: nuptias ambarum celebrauit inſigni apparatu Dresdę, ſed per interualla: & poſteriores fuerunt multò celebriores prioribus: quibus Principes tres & viginti interfuerunt, nec maior ſolennitas facilè viſa eſt.

Pruſſia à Poloniæ Rege ſubacta.

Nuptiæ filiarum Georgij.

1523.

1524.

Hic vterque annus calamitoſus fuit vulgò. Nam altero fluuiorum inundatione difficultas frumenti: altero frigoris intemperie vini fuit penuria. Acceſsit ad ea inopia ſalis, propter tumultum à plebe Halenſe contra Antiſtitem ſuſcitatum. Ciuis quidam Lipſenſis factus perduellis, in agro Sangerhuſano ouilia Ducis & Cœnobium Caldeburnam cum gregibus & iumentis incendit. Georgij ſoror Catharina hoc ipſo tempore vitam cum morte permutauit.

Annus calamitoſus.

Anno M. D. XXV. agreſtium ſeditio per Germaniam propè vniuerſam præter omnium opinionem grauiſsima excitatur: quæ ita ſubitò vires & progreſſus cepit, vt non ſine diſpendio maximo & periculo multorum ſit oppreſſa. In Sueuiâ GEORGIVS Truxeſius primarius Dux confœderatorum, vt vocabatur, Sueuiæ: in Lotharingiâ ANTONIVS, Dux eius regionis, vnà cum fratre CLAVDIO GVISO circa Othoualdiam; & in Franciâ LVDOVICVS Palatinus, nec non in ditione Salisburgicâ Duces Bauariæ, & ſupra nominati confœderati Sueuiæ arma contrà tulerunt: nec mediocriter ab aliquibus ſæuitum eſt: nam Lotharingici poſt arma depoſita, impunitate & veniâ ipſis promiſsâ nihilominùs omnes interfecerunt: cuius ſæuitiæ ex aggeſtis craniorum & oſsium cumulis adhuc extant in quibusdam locis monumenta. Effecerant id agreſtium furiæ, qui ſummæ

1525.

Seditio ruſticorum per Germaniam.

Georgius Dux Sax. dignitatis homines tractauerant inclementiſsimè. Audiui à Nicolao Gerbelio, viro optimo tribus libris à ſe expoſitam illius tumultus hiſtoriam: ſed ij libri in manus hominum nondum venerunt.

Ex Abbatis Fuldani diœceſi, in quâ templum diui Bonifacij antiquum in agro ſitum, incenſum erat, & vrbs Fulda occupata, diuulgatur iſta veluti peſtis in Turingiam. In agris paſsim concurſationes & tumultus fiebant, item direptiones atque incendia: ſpoliabantur templa, cœnobia, & nobilium ædes, violabantur ſacri prophanique vtriusque ſexus homines. Itaque vrbibus præfecti cuſtodias agere, & oppida claudere & munire cœperunt: ſacerdotes & nobiles profugos vrbes nonnullæ recipiebant, aliquæ excluſos irridebant. Primi Salcenſes in Turingiâ factionem agreſtem ſponte intra mœnia recipiunt, abſente ipſorum præfecto Sittigone Berleuicio: qui ciuium temeritate cognitâ ſtatim aduolat, & ad moderata conſilia ſtudet flectere: ſed ab iis cum fremitu repulſus, in arcis turrem quandam confugit: inde extractus iurare cogitur, ſe nunquam in vrbem præfecti nomine reuerſurum. Alios nobiles deprehenſos, aut iurare eodem modo compellunt; aut catenis vinctos ſecum circumducunt: quosdam etiam à ſuis ruſticis accuſatos damnant & interficiunt. Gangolfum Heilungium, virum fortem & apprimè honeſtum, vt capite plecteretur, productum ſui excuſant; quòd eos nunquam grauârit, nihil iniuſtè exegerit, nulla onera noua impoſuerit: cui etiam vincula leuarunt, & ſibi donari poſtulârunt. Id exemplum poſteà imitati plures, ſuos dominos precibus liberant. Qui iis cohortibus præerat, & ſententiam in nobiles tulerat, ſartor fuit: eum rurſus accuſatum, quòd crudelius egiſſet, plectunt gladio. Nulla tempeſtas tàm atrox & violenta eſt, quàm huius nefandi tumultus fuit: erat audire turbas & clamores inſanos: erat videre confuſionem & barbariem inauditam: non bello apta arma, ſed varia agricolarum & opificum inſtrumenta, vt cuique aut furor aut formido miniſtrauerat: nec erant duces aut tribuni, qui imperarent: ſed quod ſtultiſsimo & audaciſsimo cuique in mentem inciderat id procaciter & crudeliter ſocij exequebantur. In agris trepidantium fuga & conſternatio: cum neque locus vlli tutus, nec profugium certum eſſet, neque cui ſe crederet, aut quem fugeret, haberet. Vnus ſæpè homo totum pagum concitabat, tribus quatuorue perſuaſis: cœteri ſequi cogebantur: non ætas, non imbecillitas quenquā excuſabat, non deniq; fortuna: in multis villis præter matresfamilias & li-

& liberos arma ad ferenda ineptos, erat inuenire maſculum neminem. Flagrabant arces & pagi: in cineres redigebantur cœnobia & templa: caſtella item & oppidula capta diruebantur: aurum argentumque auferebatur: vaſa inſtrumenta, vtenſilia, ſuppellex, corrumpebatur: & ne quid deeſſet, quod etiam poſteritati incommodaret, bibliothecas, libroſque omnes aut igne delebant, aut ſecuribus lacerabant; quaſi memoriam redituum, vectigalium, tributorum tollerent, & ab earum penſione ſe in perpetuum liberarent. Libertatis præterea & licentiæ vocibus perſonabant omnia: clamabant fundos, ſiluas, flumina, orbem terrarum omnibus eſſe communem: nullum ampliùs principem aut dominum pertimeſcendum: nulla oneræ ſubeunda religionis aut Imperij, aut vllius denique rei: opes, dignitates, immunitates, honores, æqualiter ſingulis tanquam fratribus vſurpanda. In hâc confuſione Fuldam occupabat PHILIPPVS Heſsiæ Princeps. Ex agro Islebiano agreſtes fugabat Albertus Mansueldius. *Georgius Dux Sax.*

THOMAS MVNCERVS natus erat Stolbergi in Herciniis: cui à pueritia calliditas & contumacia inerat: ingenio prauo & turbulento, animo audace, moribus ad dolum & ſimulationem compoſitis. Is ſtudio Theologiæ ſeſe dederat, & honores conſecutus erat. Initiatus autem de more ad munus Eccleſiaſticum; primùm docuit Brunſuigi in Saxoniâ, deinde Zuiccauij in Miſniâ. Hic nactus aſſeclam, hominem impudentem & improbum, STORCHIVM lanificem; cœpit audacter nouas opiniones ſpargere, & eas audaciùs aſſerere: tùm Storchium ipſum pro concione, multitudini commendare. Secundâ concione, quam eâ in vrbe habuit, res accidit prodigioſa. Parietes templi, quod ei commiſſum erat, vetuſtate collapſi reficiebantur: tectum erat ſuſtentatum pilis & tibicinibus. Dum in magnâ frequentiâ vulgi verba facit, tignum quoddam tecti cum ingenti ſtrepitu ſoluitur, & in trabem vicinam incumbit: populus metu ruinæ territus plenis portis certatim aufugit, & loquentẽ deſerit. In eâ fugâ eſſedum plenum collectum eſt pileorum & calceorũ, quos trepidantes amiſerãt. Calceorũ virilium eiusmodi tum vſus erat, qui tantum plantas tegunt, & pedis pollici ac talis adhærẽt, ſupernè ſine corio & fibulâ: ij tum militares appellabantur: Accidit id anno M. D. XX. die aſcenſus Chriſti ante prandium. Hoc prodigio futura turba & diſsipatio ſignificata fuiſſe multis videbatur. Storchius ſui opificij homines planè in poteſtate habebat: ex iis creabat apoſtolos duodecim; item duos & ſeptuaginta diſcipulos. Hi clandeſtinos conuentus agebant: eoſque *Thomas Muncerus.* *Prodigium*

Georgius Dux Sax. qui aduerſarentur, minitabantur ſe vi oppreſſuros. Re per fidum hominem enunciatâ, præfectus vrbi Volfgangus Vueisbachius ferè omnes iſtos comprehendit, & in vincula coniicit. *Storchij interitus.* Storchius cum omnes auras aucupatur, id præſentit, & fugâ elabitur: qui nullam ſedem inueniens, & hûc illûc vagatus, perit eodem anno miſerè in Bauariâ: nam cum Monaci diuertiſſet in tabernam publicam, in eâ morbo, neſcio quo, conſumitur, nulli cognitus.

Munceri exilium & impoſtura. Fugam ſimiliter capeſcens MVNCERVS iter ſuum dirigit in Boemiam. Satij & Pragæ concionatur per interpretes; dies paucos moratus Pragæ, propter nouitatem doctrinæ capitur; ſed cuſtodibus quatuor deceptis, euadit. Ita totum pene biennium errans, & bonum virum ſimulans, redit in Hercinios. Alſtetum oppidum, ſedes olim & domicilium Palatini Saxoniæ fuit: in eo munus docendi ſuſcipit, & vxorem ducit: ſed quia inſignis veterator erat, ſanctimoniæ ſpecie homines ſimplices decipit: mox comparatis ſibi patronis, vulpem antiquam prodit. Ex eo quoque oppido abire iuſſus, furtim ſe Norinbergam confert, ſi quibus ibi ſe inſinuare fortaſſe poſſet: ſed metu nihil moliri auſus eſt, quòd ipſi ignota non erat Senatus ampliſsimi ſeueritas & vigilantia. Demum ab amicis ſuis, quos ſibi Alſteti conciliauerat, vocatur Molhuſium, vrbem Turingiæ imperialem: ibi denuò adiungit ſibi hominem nefarium PFEIFERVM quendam, olim monachum Præmonſtratenſem. Inualuerat iam tumultus agreſtium: & in Franciâ atque Herciniis iuſtus eorum confluxerat exercitus: nihil potuit oportunius & optatius iſtis turbulentis accidere. *Pfeiferus.* Pfeiferus animo ferocior, cum ſuâ factione Molhuſium egreſſus, prædam agit ex agro Comitum Mansveldiorum. Muncerus in ditione Suarceburgiorum furentes ſequitur; & Francenhuſium, ab antiquâ ſede Francorum dictum oppidum, ſe ad ipſos confert. Ad id autem circiter octo millia agreſtium conſederant: hi Muncerum magnis clamoribus excipiunt: alij Ioſuam, alij Gideonem ſuum eſſe vociferantur. Habebant natos loco honeſto homines multos captiuos, & inter hos vnum è Comitibus Suarceburgiis: quos nullo honore dignatos fratres nominabant.

Principum coniura ſeditioſos Anabaptiſtas. Rumore tantarum turbarum excitati Duces, iam in armis erant, GEORGIVS Dux Saxoniæ, HENRICVS Brunſuigius, & PHILIPPVS Heſſus: auxilia miſit ſua ALBERTVS Antiſtes Magdeburgicus: quinquaginta bombardarios adiecit IOANNes Elector

Elector Saxoniæ: copiæ Georgij conueniunt Echardbergi in aditu Turingiæ. Antequàm progrederetur, in caſtra agreſtium ter mittitur Comes Suarceburgius, qui hortetur, vt arma deponant, ad ſua tranquillè redeant, de clementiâ in ipſos ſuâ ſpem certam concipiant, mala conſilia & propoſitum temerarium mutent: ea omnia fruſtrâ canebantur inſanis, quos amplis promiſsis & verbis magnificis lactabat Muncerus, cunctos reliquos vincens inſaniâ. Duces cùm ſuos exercitus coniunxiſſent, in eorum conſpectum accedunt: & ſi adhuc ad ſanitatem reuocare poſſent, literas mittunt per adoleſcentem nobilem: monebantur, quæ antea moniti erant, nempe, vt aut ab armis quieſcerent, aut pœnam facinoribus debitam expectarent. Agreſtes ſuo agentes ingenio, literas diſcerpunt, & adoleſcentem more barbaro interficiunt. Ducum equitatu ad ſtationes ipſorum accedente, tormenta emittunt, quæ declinare non erat difficile. Interea ad ipſorum munitiones aduecta erant Principum tormenta. Muncerus ſuos hortari & incendere: ſeſe globos hoſtiles manicis excipere velle, certam victoriam polliceri: itidem in ſuis ſignis, & eodem momento in aere apparentem, quaſi præſagium victoriæ oſtentare: addit ad extremum, hoc die finem fore tyrannidis principum & nobilium, quibus hactenus indignius, quàm vlla mancipia ſeruierint: mox per occiſorum corpora ſeſe ingreſſuros ad omnes alios caſtigandos arbitratu ſuo.

Georgius Dux Sax.

Hæc illo per imprudentiam & rabiem declamante, tormenta immittuntur: quæ arte in ipſum collem, quem occupauerant, directa, magnam cladem ſtatim inferunt: turbam agreſtem cum munitionibus ipſis deiiciunt, & præcipitant. Vulgus deſperabundum, gladiis nondum ſtrictis, fugam arripit: plurimi in vrbem ruunt, qui in ipſis portis tanquam pecora ſternebantur: alij ex collis alterâ parte fugientes conciduntur à Caſparo Ruxlebio, qui ſuos equites ad excipiendos illos collocârat. Collis autem nudatus arboribus nullibi præbebat latebras, & fuga palantium latè erat conſpicua. Muncerus in caſulam quandam propter portam oppidi confugerat, ibi latens in lectulo, morbumque ſimulans, duobus indiciis deprehenditur, primùm literis iuxta inuentis, quas ſcripſerat Comes Manſueldius: deindè veſte ſericâ villosâ, quam Apollonij Eblebij viri nobilis fuiſſe, poſteà cognitum eſt. Captus deducitur ad Erneſtum Schonburgium, Ducis Georgij legatum: miſſusque in arcem Heldrungiam, cum haberetur de eo quæſtio, animaduertitur

Seditioſorum agreſtium clades.

Munceri captiuitas.

 ſingu-

Georgius Dux Sax. Molhuſii obſeſſio.

ſingularis eius peruicacia. Fuſis fugatiſque agreſtibus, exercitus Ducum iubetur ire Molhuſium: in quâ vrbe reliquiæ factionis erant, quæ ſociorum expectabant victoriam. Senatus, qui ſuâ auctoritate liberè non poterat vti, Ducibus mittit legatos duodecim obuiam, qui deditionem polliceantur, veniam petant, corporum fortunarumque poteſtatem faciant: iura ſolummodò, quibus Cæſari & Imperio ſint obſtricti, excipiant. Hi in caſtra venientes, & humo proſtrati ſupplices, non audiuntur. Dum hæc extra vrbem aguntur; Pfeiferus portam vectibus & bipennibus rumpit, & cum hominibus quadringentis ſe in fugam dat: eum

Pfeiferi fuga & captiuitas.

Volfgangus Endius, eius quem bello Phryſio cecidiſſe ſcripſimus filius, cum dimidiâ equitum turmâ in agro Ienacenſi aſſequitur; & cum centum ſociis retrahit: cœteros reſiſtentes partim occiderat, partim fugârat. Molhuſij in ſummo diſcrimine conſtituti, & iam propter fugam Pfeiferi magis iram Principum metuentes, de ſalute ſuâ deſperant: ſe occiſum iri cum vxoribus & liberis, vrbem dirutam conquerebantur matronæ. Itaque grauidæ & puellæ virgines circiter octingentæ, paſſis comis & ſtolis ſordidatis in caſtra egrediuntur: geſtu humili & eiulatu miſerabili vitã petunt: infantes vteris clauſos, ſuam pudicitiam & ſalutem Principibus commendant. Spectaculo triſti Duces permoti, eas alloquuntur humaniter; & in vrbem reduci tutas imperant. Capita factionum inueſtigantur; ne cum nocentibus innoxij, cum procacibus coacti punirentur. Inuenti ſunt non modò infimi homines, ſed & prætorij & conſulares nonnulli, qui vulgus inſtigâ-

Munceri & Pfeiferi ſupplicium.

rant inani nomine libertatis. Muncerus & Pfeiferus, qui erant meritò omnib. deteſtabiles, in medium producti, feriuntur gladiis: & capita eorum affiguntur contis. Aſtabant ſimul vincti homines trecenti, eandem ſubituri pœnam: quâ ſatiati Principes, multitudinem reliquam iratæ nobilitati & militi cupido eripiunt. Tumultu ſedato Molhuſiis eripitur libertas, & pars muri deſtruitur. Vrbis gubernatio diſtribuitur inter Principes, vt eam ſinguli annis ſingulis viciſſim tenerent, vterque Saxo & Heſſus, in quorum finibus ſita eſt. Francenhuſij certas maſſas ſalis, cuius ibi officinæ ſunt, iubentur Georgio pendere. Salcenſes, qui primi portas patefecerant, mulctantur pecuniâ: & ciues quadraginta ſupplicio afficiuntur capitali. Ex Sangerhuſiis item duodecim. Vuiſenſehenſes ſoli in officio permanſerant.

Georgij animaduerſio in ſeditioſos Lipſienſes.

His actis, GEORGIVS Lipſiam venit, & in paucos ſeditioſos ferro animaduertit: tum Adelphum Præſulem & Sacerdotes, qui Lipſiam fugerant, Merſburgum reduci mandat: telonio

præfe-

præfectum & ciues ſeptem conuictos capite plecti, quindecim alios perpetuo exilio damnari, à ſenatu tria nummûm millia ꝓ pœna exigi. Erant è Lipſienſibus accuſati multi: quamobrem Dux ciues vniuerſos in arcem conuocat; de ſuâ erga ipſos beneuolentiâ per Simonem Piſtorium Cancellarium grauiſsimè loquitur: factioſos accuſat, qui & ſibi publice conuicium fecerint, tanquam ſanguinario & tyranno: & de ſenatu opprimendo, de euertendâ Academiâ, de trucidandis religioſis, & occupandis ſacris ædibus, crudelia conſilia inierint: præterea multitudini agreſtium ſi adueniſſent, portas reſerare ſtatuerint: petulantiæ & temeritati tam perditę ſe non debuiſſe ignoſcere: ideò auctores ſcelerum iam eſſe punitos: ſe paucorum illorum ſupplicio ad tempus contentum fore: eos qui in vinculis ſint, ſenatus poteſtati permittere: aliis trecentis, quorum nomina manu ſcripta teneat, clementer ignoſcere: modò in poſterum magiſtratū obſeruent, ſintque obediens & modeſtus populus. Erant autem enſe puniti, Conradus telonio præfectus, & ſeptem è tribubus mechanicis infimi homines: in cuſtodiam Merſburgicam vnus Sacerdos, & quidam artium magiſter, qui leuitatem plebis ſecuti erant, ablegantur. Pro tantâ clementiâ ſenatus, totius Reip. nomine, gratias Duci & eius filiis, qui vnâ aderant, ſubmiſſè agit: omniaque ſtudia & obſequia bonorum ciuium in poſterum pollicetur: factum hoc eſt IX. Cal. Iulij.

Georgius Dux Sax.

Dum reſtituitur in Turingiâ & Oſterlandiâ magiſtratibus dignitas: Erneſtus Schonburgius per Miſniam & vrbes metallicas, in quibus animoſior plebs eſt, ſeditioſos inquirit. Agreſtes, qui culpæ conſortes erant, ſinguli bacillum album geſtabant, quo agnoſcerentur: iis mandatum fuit, vt damna data ſarcirent: ſacra loca diruta inſtaurarent, aut de integro extruerent: prædã apud ſe inuentam redderent: mulctam pecuniarum intra tempus certum numerarent. In Miſniâ ſeditio pullulârat, necdum erant facta incendia, aut alicui grandis iniuria illata; niſi quòd nonnulli ſupellectilem ruſticam rapuiſſent in pagis, & in cœnobiis conſumpſiſſent frumentum & cibaria. Opinio erat multorum, ſi Miſnia & Saxonia furere cœpiſſent, ſerò nimis fuiſſe quæſitum à Ducibus tam atroci peſti remedium: ea enim quæ animos feroces occupat, maiori contagionis vi facit vaſtitatem, quàm quę corpus inuadit atque affligit. Hoc bellum GEORGII, cui præſens interfuit, erat poſtremum: nam deinceps non modò apud ſuos, quæ tranquilla & moderata eſſent, voluit & probauit:

Seditioſi in Miſnia inquiruntur.

Georgius Dux Sax. 1526. bauit: verùm etiam aliis, quantum potuit, conſilia ad pacem & quietem ſpectantia, impertiuit.

Ferdinandus Rex Vngariæ & Boemiæ. Eodem anno FRANCISCVS Gallorum Rex ſecurus & incautus à Cæſarianis capitur ad Ticinum: & LVDOVICVS Rex Vngarorum, anno inſequente deſertus ab iis, quos putabat fidos, profligatur à Turcis. Vngaro in magnâ contentione ſuccedit FERDINANDVS, qui pariter regni Boemici fit hæres. Ad eum gratulationis causâ GEORGIVS ipſe proficiſcitur Vratislauiam: & ſuarum quarundam prouinciarum accipit de more ab eo inſignia.

Res numaria. Domum reuerſus Torgam deſcendit ad nuptias IOANNIS FRIDERICI conſobrini. Tractari inter ipſos tum cœptum eſt de monetâ renouandâ; ſed cum non conuenirent Ducum conſiliarij, non amplius ſignabatur notâ communi, ſed ſuum quisque ſignum impreſsit. Nouos etiam nummulos cudit Georgius, pondere minores ſuperioribus & precio, ſed non bonitate: nam ipſo numero precia rerum, quæ cotidiè vendendæ proponuntur, creſcere minuiue conſtat.

Libellus de fœdere Pontificiorum contra Lutheranos clandeſtino. Rumor hoc tempore differebatur de fœdere quodam facto contra Saxoniæ Electorem, & Heſsiæ Landgrauium. Præterea libellus vulgabatur, in quo perſcriptum erat, extirpandam funditus doctrinam regno pontificio aduerſam: erantque in eodem libello, quaſi victoriâ potiti eſſent religionis hoſtes, pœnæ eiusmodi deſignatæ: ignoſcendum Landgrauio tanquam iuueni, & ab aliis decepto. Electorem ita caſtigandum, vt ſenſum doloris perciperet: vrbi Magdeburgo ſpem veniæ nullam relinquendā: ſociis cœteris imponendam mulctam pecuniæ grandem. Ferebantur conſortes eius fœderis Rex Ferdinandus; Electores Moguntinus, Treuerenſis, Palatinus, Brandeburgicus: Francici Præſules tres. Georgius Dux Saxonum, Henricus Brunſuicenſium. Tali periculo intellecto Heſſus celeriter militem conſcribit; & ſocios ſuos appellat, & diſcriminis admonet, & fœderis illius clandeſtini formulam publicat, & bellum apertum Præſulibus vicinis molitur. Viſa res omnibus noua atque inaudita eſt; ſeque primum Rex ipſe Ferdinandus, tum cœteri ſingulatim publicis ſcriptis excuſant, quod fœderis illius planè ſint ignari: nihil tale aut cogitatū, aut factum, aut perſcriptum vnquam eſſe. Quamobrem accuſantes Heſſum, quòd id finxerit ad perturbandam Germaniam; eò adigunt, vt eum, qui formulam fœderis ſibi tradiderit, nominet. Inſtabat autem ei præ aliis, Georgius Saxoniæ Dux, ſocer eius. Tranſlata omnis ſuſpicio atque culpa eſt in

Otho-

Othonem Paccium, virum equeſtri dignitate, & Iureconſultum & Georgij Vicecancellarium, qui menſes aliquot apud Heſſum egerat propter controuerſiam, quam cum Comite Naſſaenſe habebat. Paccio dies menſe Iulio dicitur Caſſellæ ſui purgandi gratiâ. Venerunt eô legati Ferdinandi, trium Electorum, excepto Moguntino, & Georgij. A legatis poſtulatur, vt dedatur ſibi Paccius, ad extorquendum ab eo ficti fœderis auctorem. Aderant Georgij Ducis nomine Erneſtus Schonburgius Baro, Chriſtophorus Taubenhemius eques auratus, Simon Piſtorius: ij primum proferunt literas, quibus Paccium falſi conuincant: ſed eæ literæ ad fœdus nihil pertinebant: deinde alias latinè ſcriptas oſtendunt, in quibus ferebantur Paccij ſermones, quos in legatione Polonicâ dixerat: poſtremò vt ficti illius fœderis auctorem accuſant, non ſine exprobratione ſceleris, perfidiæ, proditionis. Heſſus dedere Paccium noluit; ſed illi pro ſe reſpondendi ad ea, quæ obiiciebantur, poteſtatem fecit. Crimina quæ ex literis intentabantur, oratione tantùm percurrit; & tanquam ad præſens negocium nihil attinentia, attingit leuiter: de factione fœderis omnibus audientibus ſcripto dictato reſpondet: Primùm ſe formulam fœderis vidiſſe Lipſiæ, præſentibus ibi Saxone & Brunſuigio, caſu ſibi traditam à Piſtorio imprudente: quá cum obiter percurriſſet, ſe patefeciſſe rem Landgrauio: eiq; ſcriptã formulã paulò pòſt exhibuiſſe Dreſdæ, & mox illius exemplũ, quod originale vocant, pollicitũ ipſius Secretario Ioanni Nordeccio: idq; ſe feciſſe animo ſincero erga Landgrauiũ, nullâ gratiâ, nullo præmio expectato. Ipſum verò fœdus, nec ab vno potuiſſe homine confingi, nec vno tẽpore, id per ſe patère prudentibus ait; quò minùs in ſe nimis imperitum culpa coniicienda ſit. Congreſſus autẽ legatorum Moguntini, Brandeburgici, & Saxonis Georgij, quos ſæpius habuerint Iuterboci, Ceruetij, Deſſæ, non eſſe ignotos: in quibus, quid ſit actum tractatumq; contra Electorẽ Saxonem, id poſteà Comitiis Norimbergicis & Spirenſibus palàm cognitũ. In fœderis autem formulâ ineſſe ſimilia capita, quæ ibi protulerint: cuius fœderis auctorem ſe, falsò pronuncient: ſe non negare, quod rem patefecit Landgrauio; idque feciſſe meritò, quòd ei iuramento fuerit obſtrictus. In extremâ ſui ſcripti parte refutat prolixius conuicia, quæ in ipſum Saxoniæ Cancellarius congeſſerat. Poſt illam actionem idem Cancellarius Paccium eſſe hominem audaciſsimum arguit: & ex literis ad Vuiſſenſehenſes & Denſtadios de ſuis commodis ſcriptis fallariũ eſſe probat: vſumque ſigillo Principis cupidè & perfidè, pro ſuâ voluntate, quo etiam

Georgius Dux Sax.

Georgius Dux Sax. iam fœderis illam formulam, à ſe fictam, obſignauerit. Principum, quos nominauerit, actiones non eſſe in obſcuro, qui ſemper ſtuduerint & pacem Germaniæ conſeruare, & Imperatori obtemperare, in quâ mente adhuc ſint. Quod verò ex eorum actionibus excerpat, quæ videantur, iisque pro ſe vtatur, id calumniosè & improbè fieri. Conuicium porrò nullum, ait, eſſe tam magnum, quod in ipſum non conueniat; qui tranquillitatem Germaniæ, neceſsitudinem ducum, concordiam fœderatorum conatus ſit perturbare & permiſcere factionibus, tumultu, armis omnia. Cupiditatis præterea conuinci, propter acceptam ab Heſſo pecuniam quinque nummûm millia, & propter tantam aliam promiſſam, ſi originale, vt vocant, fœderis Nordeccio obtuliſſet: falſi quoque conuinci ex epiſtolis ſub ſigillo Principis ſcriptis. Cum res ita manifeſtè teneretur, vt Paccius ſatis excuſare ſe non poſſet, rurſus poſtulatum eſt, vt dederetur legatis regiis: ſed cum id præter morem & ius imperij eſſe diceret Heſſus, illis non conceſsit. Soluto illo conuentu Paccius ſeceſsit in Belgium, vbi aliquot menſes defenſus eſt à Mariâ reginâ gubernatrice, Ferdinandi ſorore. Inſtabat vehementer ſecretarius Georgij Ioachimus Heidius, qui Belga erat, vt de eo cognitio fieret, & ſupplicium dignum ſumeretur. Itaque iter in Angliam Paccius clam deſtinauit, ſed antequam nauim conſcenderet, in portu Caletano captus eſt, & tandē perduellis atq; falſarij pœnam luit Mechliniæ, non Antuerpiæ, vt Sleidanus ſcribit.

1529. *Comitia Spirenſia.* Indicta erant comitia in annum M.D.XXIX. Spiram: ad quę Dux domi impeditus non venit. Vocabantur in iisdem principes in Italiam, ad Caroli Imp. coronationem, quæ peracta triumpho maximo eſt Bononiæ. Interfuit ex Electoribus nemo, præter Philippum Palatinum: Gladium Saxonis nomine tulit, Franciſcus Maria Dux Vrbinas: ſceptrum Brandeburgici, Bonifacius Palæologus, Princeps Monferratenſis. Interfuêre etiam Carolus Sabaudus, & Henricus Comes Naſſaenſis: alios impediit longitudo itineris & metus belli Turcici.

1530. *Comitia Auguſtana.* Ad Auguſtana alterius anni GEORGIVS acceſsit: quo primum anno in Germaniâ congrediuntur CAROLVS & FERDINANDVS fratres, in monte Pyrenæo, alpium Iuliarum altiſſimo, inter Stercingum & Stenachium oppida: quod teſtatur monumentum illo in loco ex ære in hunc diem poſitum. Rurſus in comitiis & de cauſâ religionis, & de bello aduerſus Turcam deliberationes grauiſsimæ fuerunt. Antequam ad Comitia iret Dux; armamentarium Dresdæ crematum, & ignis per ventum in ar-

in arcem delatus, turris tectum apprehendit. Georgius erat tum abſens Leutomericij: filius eius Ioannes Miſenæ. Dum Auguſtæ agit, incendiũ negligentiâ aliud ortum, domus quatuor & quadraginta Dresdæ conſumpſit. Ipſe Auguſtæ cum maiore natu filio menſes ſeptem permanſit: nam quantum in ſe erat, valdè expetebat, aliquando & finem deliberandi confici; & quæ eſſent communibus votis ac ſuffragationibus conſtituta, pro nomine Chriſtiano & dignitate Imperij, ea etiam re ipsâ fieri, nec diem ex die trahi. *Georgius Dux Sax.*

Eodem tempore ipſe, & Rex Poloniæ arbitri dati ſunt, inter Ferdinandum Regem, & Ioannem Tranſyluanum Vaiuodam: latæ quidem conditiones ſunt, ſed diu non durauerunt.

Anno altero IOANNES Elector & GEORGIVS Dux Grimam ſuos conſiliarios, ad cognoſcendas cauſas, quæ multos annos fuerant inter ipſos maioresque controuerſæ miſerunt: ſed, quod fieri ſolet, altercando & diſceptando lites accreuerunt, & agnatorum animi impenſius exacerbati ſunt. 1531.

Anno M.D.XXXII. propter Turcam Germaniæ imminentem Ratisbonam veniunt Imperator, & Rex Romanorum, eôdem euocatis omnibus Principibus, Auxilia conſenſu omnium decernuntur in Vngariam. Militi ſuo GEORGIVS præficit Hoierum Manſueldium, ſenem armis exercitatum. 1532. *Bellum Turcicum.*

Vilhelmus Haubitius, cum ambigeret de finibus cum Lipſenſibus, præfectum vrbi Spigellium, & Ludouicum Fachſium conſulem, captos per inſidias, abducit: proſcriptus à Duce, poſt triennium Principis Heſsiæ & ſuorum agnatorum interceſsione atque precibus vitam vix impetrat: tum pecuniâ, & annorum aliquot exilio mulctatur. *Haubitij exilium.*

Imperatori pollicitus fuerat CLEMENS Pontifex, ſe indicturum orbi Chriſtiano liberum concilium, in quo cauſa religionis æquis excuſſa iudicibus tranſigeretur: nam eum motum, qui multum propter diuerſas ſententias inualuerat, vehementer obſtare, ne Turca repelli à ceruicibus Chriſtianorum poſſet, qui curſu quaſi continente vnâ poſt alteram victoriâ potiretur. Eam ob rem præſul Aquenſis legatus ad GEORGIVM venit; cui omnia ſtudia, omnia auxilia ſua offert atque promittit. Tenebatur Dux ſapientiſsimus, & pacis ſi quiſquam appetens, duobus quaſi vinculis, auctoritatis Eccleſiaſticæ, & conſuetudinis antiquæ: erant præterea homines, quibus ipſe tribuebat omnia, qui compoſito literas eliciebant à Roterodamo, Sadoleto, & aliis, quibus in ſententiâ confirmaretur,

Eccle-

Georgius Dux Sax. Eccleſiam Romanam errare non poſſe: Pontificem vicarium Chriſti ſummam poteſtatem tenere: quo prætextu omnes errores & ſuperſtitiones defendebant,& ſenem credulum in profundiſsimum tenebrarum barathrum coniiciebant; neque patiebãtur oculos ad lucem veritatis attollere. Conductus poſtea ex aduerſariorũ parte mercenarius eſt, *Georgius Vuicelius.* Georgius Vuicelius, (verbo latino Muſtelam nominares) qui ſe quaſi medium ſtatuebat conciliandi doctrinam puram, (à quâ ipſe defecerat) & Pontificiam, cuius patronum agebat. De vitâ Pontificiorum laſciuâ & impurâ, quam in hunc diem nemo ſanus probauerit, declamitabat ſatis acerbè: inprimis autem monachos,& eorum luſtra inceſſebat: de doctrinâ verò longè diſputabat remiſsius atq; confuſius: cum ſalute fidei miſcebat virtutes hominum: cum merito Chriſti, neceſsitatem operum: cum gratiâ & dono Spiritus Sancti, voluntatis corruptæ arbitrium: cum omnipotentiâ diuinâ, poteſtatem ſanctorum ſepultorum: cum mandatis Dei, ſanctiones pontificum: cum inſtituto Chriſti in ſacramentis, decreta & placita cõciliorum. Talia libris prolixis blatiens, magno (vt fit) plauſu ab iis, qui de religione ocioſè & ſecurè contendunt, audiebatur. Ipſe verò non audiebat Chriſtum dicentem per Paulum: Quæ communio luci cum tenebris? quæ concordia Chriſti cum Belial? non audiebat Spiritum Dei loquentem per Tertullianum: quid Athenis & Hieroſolymis? quid Academiæ & Eccleſiæ? Libri ipſius tanquam actoris prudentioris & modeſtioris Romá miſsi ad Pontificem ſunt: ſed in illo theatro delicatiſsimo non ſtetit, & quòd ſummum hiſtrionem carperet, & quòd hypocritarum purpuram deformaret. Audiebat præterea peſsimè in Miſniâ apud commilitones ſuos Amnicolam, Blichium, Syluium, Alueldium, Sagerum; quod ſecum vxorem, liberos, & familiá circumduceret, & ipſorum clauſtra religioſa ſcriptis diffamaret. Itaque cauſæ eorum, ad quos declinauerat, magis credebatur obeſſe, quam prodeſſe. Ipſe autem comparata gratiâ & magnis reditibus, tandem tacere didicit. *Georgius Dux hoſtis Lutheranorum acerbiſsimus.* GEORGIVS Dux in ſuo propoſito vehementer perſtabat,& diuerſum à ſe ſuisque Theologis ſentientes in ſuis prouinciis ciues non paucos mulctabat aût cárcere aut exilio; qui vel cibis illicitis & vetitis veſcerentur, vel aliena templa frequentarent, vel teſtamentum Chriſti ſecundum Pontificis inſtitutum non ſumerent: Sacerdotes, quos depræhendebat, Stolpam aut Mersburgum præſulibus mittebat excruciandos; quorum aliqui addicti perpetuis vinculis ſunt, aliqui penuriâ & fœtore carcerum perierunt: defuncti ibidem per lictores

aut

aut carnificem vehiculo in loca profana tracti, & in mortici- *Georgius Dux Sax.* nis ſepulti ſunt. Ciues ipſi in oppidis & vrbibus, ſimili modo ſepulturæ honore & loco ſolito caruerunt: inter quos Lipſiæ fuit honeſtus & doctus vir Auguſtinus Picus Iuriſconſultus. Condebantur autem aut extra mœnia & terminos cœmeteriorum, aut in ea loca deportabantur, in quibus nocentes gladio puniri ſolent. Nonnullis, qui exulatum ex vrbibus deducebantur manu, vt fieri ſolet, tortoris aut lorarij, pannus non conſutus, ſed mediâ ex parte ſciſſus, vnde caput exererent, de humeris ſuſpendebatur ludibrij causâ, quod Dresdæ fieri ipſi vidimus. Lutherus ad exules Lipſienſes, Oſchatios, Miduedenſes, & alios literas dedit: quibus illos ad quietem & patientiam adhortabatur: teſtatus Ducis furorem minimè fore diuturnum aut impunem.

Excidit eodem tempore Ducis gratiâ vir clarus NICOLAVS Schonbergius: cuius arcem vno ab oppido Miſenâ milliario ſitá, occupat, & quamuis patruus eccleſiæ Romanæ Cardinalis, pro eo literis deprecaretur, tamen placari Dux non potuit. De Schonbergij fortunâ variâ in ſequentibus dicemus. Caſpar etiam ex eâdem familiâ, qui Renisbergæ habitat, Fribergum conceſsit, quia Lutheri doctrinæ addictior habebatur.

Initium anni M. D. XXXIV. ſummam Duci attulit 1534. mæſticiam: primùm obitu filiæ MAGDALENÆ, quæ moritur menſe Ianuario: deinde coniugis optatiſsimæ, quæ mortua deinceps eſt Februario.

Bellum pro Duce Vuirtenbergico ſuſceperat PHILIPPVS Heſsiæ Princeps, contra Regem FERDINANDVM: id bellum ex ſententiâ intra dies paucisſimos conficit, & VLRICO annum iam quintum decimum exuli, ereptum imperium paternum reſtituit. *Vlricus Dux Vuirtembergicus exul reſtituitur.* Eam ob cauſam videbatur imminere Heſſo periculum: quod vt à genero GEORGIVS auerteret, quem honeſtè non potuiſſet deſerere, ope maximâ annixus eſt. Conueniunt Chemnicij arbitri ad id negotium delecti Antiſtes Moguntinus, Ioannes Fridericus Elector, Georgius Dux; habitoque inter ſe colloquio, inde Cadenam ad Regem proficiſcuntur, vbi & Vuirtenbergici & Heſsi (ac ipſius Ioannis Friderici) conſiliis tractata atque ad exitum tranquillum cauſa perducta eſt.

Moritur anno eodem ERNESTVS Schonburgius, ſtirpe ingenuâ ortus, è Ducis Conſiliariis vir primarius: is in morbo ſuo *Erneſti Schonburgij mors.* ad GEORGIVM ſcribit; vt ſibi liceat, ipſius poteſtate, Chriſti teſtamento vti, eâ ratione atque modo, quo ipſe mandaſſet: quod cum Duci diſpliceret, neq; reſponſum daret ipſi probandũ;

Georgius Dux Sax. datis ad Electorem literis petit, vt virum pium & eruditum ad ſe mittat, cuius voce inſtituatur, & de cuius manibus ex Chriſti iuſſu, & traditione Apoſtolica, ſumat corpus & ſanguinem Domini. Mittitur ad illum Chriſtophorus Eringius, patriâ Lipſienſis, qui tum doctor erat Zuiccaenſis Eccleſiæ. Mortuus paulò pòſt Erneſtus in oppido ſuo Glauchâ, ad Vuolfgangi fratris latus ſepelitur: vir ſummæ ſemper libertatis & ſeueritatis. In arce ipſius Hoenſtenia paucis ante mortem diebus, horreum centum & quinquaginta pedes longum, frumentoque refertum, à typhone loco motum eſt pedes circiter nouem: tectum totum diſsipatum cum trabibus & ſubliciis. Simile quid acciderat ante fratris eius VOLFGANGI mortem in propinqua arce Lomiâ; cum officina, in qua lateres fiunt, à vento traheretur atque diſijceretur.

Anabaptiſtarum Monaſterienſium ſeditio. Tumultus Vueſtophalicus, quem Monaſterij (vrbs ea olim Mimmigarda dicebatur) atrociter mouerant Anabaptiſtæ, incrementa cepit ſubita & mala: ad quem reprimendum ſua GEORGIVS appellatus miſit auxilia. Erat illi priori agreſtium tumultui hic longè magis horrendus & ſæuus: qui ſi vires conſecutus eſſet ampliores, neque fuiſſet vnius vrbis mœnibus incluſus, perdere potuiſſet vniuerſam Germaniam: tantus in cæcitate impiâ turbæ atque multitudinis furor eſt.

Monetæ emendatio. Circa hæc tempora florebant metalla in Miſniâ, & inprimis vena cœleſtis exercitus nominata apud Annebergios. GEORGIVS monetam omnem exteram, tanquam Saxonicâ minus probam damnat: non excipiens Boemicam, quæ apud maiores perpetuò fuerat excepta tentatum id antea aliquoties fuerat fruſtra: ſed cum ipſe ſumtus non detrectaret facere, adulteratam aut vilem cum graui & probatâ permutandi, tandem quod ſuis commodum maximè cenſeretur, perfectum eſt.

Bellum Cæſaris cum Gallo. Renouatur bellum illud funeſtum apud Imperatorem Gallum: illi ſua Principes rogati adiunxerunt auxilia. GEORGIVS ſelectas aliquot è ſolâ nobilitate cohortes in prouinciam Narbonenſem mittit; nam tum Maſsiliam vrbem maritimam Cæſar oppugnabat. Duces nobilium erant, Otho Diſca, & Chriſtophorus Eblebius.

1537. Anno ſequente, qui fuit ſeptimus & trigeſimus, menſe Ianuario, obiit Georgij filius Ioannes patris ſenis deſiderio & luctu ingenti. *Ioannis Ducis mors.* Menſe Maio ſuos Lipſiam conuocat, eisque vnicum adhuc ſuperſtitem filium Fridericum ſingulariter commendat: quem poſt ſuum obitum, vt dominum reuereantur, & vt principem defen-

defendant. Inde deliberatum eſt de tradendâ ipſi coniuge: placuit patri de ſtirpe generoſâ Erneſti Comitis Manſueldij filia, modeſtiâ & pudicitiâ puella inſignis, & eo nomine cara Georgio, quod & ipſa & parentes à doctrinâ nuper renouatâ abhorrerent. *Georgius Dux Sax.*

Moritur anno altero ſine hæredibus HVGO Leiſnicius, qui 1538. in bello Phryſio Ducum Alberti & Georgij fuerat legatus: is tum habitabat in oppido Penicâ ad Muldam flumen: petitum eſt pro MAVRICIO Henrici filio, vt eam terræ partem ipſi Georgius traderet: ſed non impetratum; proptereà quòd ſuperiore anno puriori doctrinæ Euangelicæ locum Fribergi pater dederat, item Vulchenſteni & Mariebergi: hæc enim oppida ſola poſsidebat. *Hugonis Lesnicij mors.*

FRIDERICI nuptiæ celebrantur Dresdæ IV. Cal. Februarij, ſine pompâ: Iuuenis ipſe cùm à re vxoriâ ſemper alienus fuiſſet, in morbũ repente incidens, mox IV. Cal. Martij vitâ fungitur. Addiderat ei pater viros octodecim delectos de nobilitate primarios, item quatuor Eccleſiaſticos, & totidem è ciuitatum magiſtratibus: iis iniunctum erat iuratis, vt vnà cum ipſo Rempublicam gubernarent. *Friderici nuptiæ & mors.*

Cauerat etiam teſtamento, ne frater liberiue eius ſibi ſuccederent; niſi nouam, vt nominabat, religionem abiicerent aut abiurarent: quod ſi in ſententiâ frater permaneret, vt liberi patris ſententiam ſequerentur. Heredes ſuarum prouinciarum inſtituere parauit Carolum & Ferdinandum, fratres Cæſares. De vrbibus aliquot muniendis ipſo viuente ſæpè deliberauerat nobilitas: ſed is non mœnibus aut propugnaculis, ſed vicinorum amicitiis & beneuolentiâ ſe munitum dicebat, quod firmiſsimum eſſet ad incolumitatem præſidium. Erat autem Dux GEORGIVS omnibus fortunis, quas è metallis, & tranquillâ annorum multorum gubernatione comparauerat, planè florentiſsimus: ſed infelix nimium ſenex, quòd intra ſex annorum ſpacium filiæ dulciſſimæ, optatiſsimæ vxoris, obſeruantiſsimorum filiorum, occaſus & interitum videret; neq; hæredem, qualẽ exoptaret, regionum ampliſsimarũ relinqueret: ipſe quoq; de conſtituendâ Rep. anxius & ſolicitus, orbitate, ſolitudine, ætate, curis, deniq; cõfectus; à morte filij ad ſeſquimenſem medicos circa ſe doctiſsimos habuit, Stromerũ, Schiltelium, Pfeilium: à quibus, cum optimè iam valere iudicaretur, ipſi dimiſsi ſunt. Die autem Aprilis ſextodecimo, cum ante cœnam ſolitâ vteretur potione, nocte illâ torminibus vehementiſsimis vexatus eſt. Vocari ad ſe aliquoties iuſsit *Exhæredatio Henrici fratris.* *Georgius infelix ſenex.* *Georgij morbus & mors.*

Georgius Dux Sax. Cancellarium, vt teſtamentum aut faceret, aut obſignaret: ſed is cùm circa horam quartam manè veniſſet, verbum nullum amplius Dux emittere potuit. Erant illi præſentes Rotha medicus aulicus, & Iſenbergius paſtor Dresdenſis: hic agentem animam iuſsit inuocare, tutelarem ſuum Iacobum apoſtolum: ſed ille clamauit, potius inuocandum Chriſtum Ieſum: paſtorem etiam repulerunt Ioannes Lindenauius & Fridericus Olsnicius, viri nobiles, Ducis familiares. In eiusmodi contentione, ne placidè quidem, aut ſine dubitatione mori ſenex ærumnoſus potuit, qui vitam reliquit poſt filij ſ vltimi mortem die nono & quadrageſi-
1539. mo, XV. Calend. Maij anno ætatis octauo & ſexageſimo, nati Chriſti M. D. XXXIX. Mortem eius menſe Ianuario cometa anteceſsit, & poſt ipſum proximo die inſequente lumen ſolis defectione obſcuratum eſt. Cum vxore & filiis vltimus è Principibus Miſenæ ſepelitur: ſed occupato ædis ſacræ loco, ſibi & vxori ſacellum proprium extruxerat; cuius aditus marmore candido & rubente, & opihtinis columnis exornatus eſt, & vtrorumq; loculis æneæ laminæ ſunt impoſitæ.

CHRISTOPHORVS I.

CHRISTOPHORVS primogenitus Georgij, obiit Non. Sept.
1497. M. CCCC. XCVII. Lipſiæ, annis primæ infantiæ.

IOANNES.

IOHANNES, ſecundus Georgij filius naſcitur M. D. I. die Veneris poſt feſtum Bartholomæi: educatur adolescens cum Ca-
1501. rolo V. in Belgio, quem in bello Phryſio poſt captum Thamum pater ad ſe euocatum in caſtra ducit. Poſt id tempus à latere ſuo ipſum non dimittit; ſed & domi, & in illis publicis conuentibus Principum, ad quos eum frequenter ducebat, conſiliis adhibet. Curâ autem Reipub: non videbatur affici, deditus illorum familiaritati, quorum mores pater propter intemperantiam oderat. Vxorem duxit ELISABETHAM, Vilhelmi Principis Heſsiæ filiam, anno ætatis ſuæ octauo & decimo, cum quâ coniugium ſterile habuit. Fuit in ipſo animus ſecurus adminiſtrationis: de religione interdum grauiter, interdum cum ioco loquebatur: quæ res non parum doloris patri prudentiſsimo attulit. Obiit Dresdæ anno ætatis ſeptimo & trigeſimo. III, Idus Ianuarij. M. D.
1537. XXXVII.

CHRISTOPHORVS II.
VOLFGANGVS.

CHRISTOPHORVS II. & VOLFGANGVS Georgij filij primâ ætate vitam cum morte commutant.

FRIDE-

FRIDERICVS.

FRIDERICVS, quintus Georgij filius naſcitur Idib. Martij hora X. pomeridianâ anno M.D.IV. naturâ ſimplex & bonus, ſed ad rerum gubernationem ineptus. Pater ei deſpondet AGNETAM, Erneſti Comitis Manſueldij filiam: nam alium iam hæredem non habebat. Cum autem non ignoraret filij ingeniū, delectos ei viros adiungit, quorum conſiliis vteretur. Eo autem die, quo Dresdâ manè exiturus eſſet, vt ſolenni ſacramento ſubditos ſibi obſtringeret, in morbum incidit: & ſtatim poſt meridiem morte inopinatâ tollitur, octauo & vigeſimo poſt nuptias celebratas die. Cùm de morte variæ ſpargerentur opiniones, Sebaſtianus Rotha, aulicus medicus, corpus ſecuit: cor flaccidum & exangue inuentum: iecur ſiccum & quaſi perforatum in ſuperficie: lien tabo ſimilis, & adeò corruptus, vt lienem habuiſſe negaretur: ſtomachus etiam contractus, & inſtar telæ, quæ vetuſtate conſumpta eſt, diſſolutus. Mirum viſum eſt, in tantâ omnium membrorum conuulſione potuiſſe tamdiu viuere iuuenem. Nam annum ætatis XXXV. attigit. In hoc igitur filio tota ſtirps maſcula Georgij tollitur: & ad HENRICVM fratrem, ab ipſo contemptum, inque periculis & peregrinationibus multis à Deo ad ſalutem patriæ reſeruatum, imperium transfertur: vt libro ſequenti exponam, poſtquam de Erneſti poſteritate ſatis dictum fuerit.

Fridericus Dux Sax. 1504.

FINIS.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ GEORGII AGRICOLAE MED. D. CONTINENTIS narrationem de origine Ducum Saxoniæ

AD MAVRICIVM ELECTOREM, ET AVGVSTVM FRATREM, Duces Saxoniæ &c.

SAEPE MIHI MEMORIA REPETENTI VEtuſtiſsimas quasque & illuſtriſsimas Germanorum familias: ex numero earum quæ de his ſuperſunt, veſtra, Duces optimi, videri ſolet facilè ſecundas tenere. Nam & pacis bellique laudibus abundat; & multæ nationes in eius poteſtate ſunt: & opibus copiiſque affluit. Etenim cum SIGARDO bellum diuturnum ſuſcepit Rex Francorum Dagobertus iunior; quod deinde cum eius filio DITERICO, quem genuit ex MILANDA filia Ducis Venedorum, primò geſsit Carolus Martellus, auus Caroli Magni: deinde Carolomannus Martelli filius: tum, idem Carolomannus & eius frater Pipinus. Illos autem duos Saxonum Principes, maiores veſtros, nonnulli Francorum Annales, vt etiam mos Romanorum eſt, Reges nominant. DITERICVS verò ex DOBRA filia Ducis Obetritorum, procreauit VERNECHINVM: cuius temporibus, Pipinus Caroli Magni pater rurſus bellum Saxonibus fecit. VERNECHINVS autem ex CVNILDA filia Ducis Rugorum ſuſcepit VITECHINDVM & BRVNONEM proauum Imperatoris HENRICI: cuius filius fuit Imperator OTTO Primus: nepos, Secundus: pronepotes OTTO Tertius, & HENRICVS Secundus. Cum Vitechindo & cæteris Saxonum principibus, quod acerrima illa natio à religione Chriſtiana abhorreret, Carolo Magno per annos amplius triginta bellum fuit; quod plures ſcriptores narrant. VITECHINDVS autem ille duos filios ſuſtulit: ex GEVA ſorore Siuardi Regis Danorum, VIPERTVM maiorē natu; ex SVATANA Lechi Zeſcorum & Boemorum Ducis filia VITECHINDVM minorem. Maioris filius fuit VALBERTVS: qui multos liberos procreauit, DITERICVM ſcilicet, VITECHINDVM, IMMIDVM, REGEBERTVM: atq; quartus ille, vt auctor eſt Vitechindus Corbeienſis, Danorum copias fudit, & Saxoniam ab eorum irruptionibus vindicauit. Diterici verò filia Mathilda nupſit Imperatori Henrico Primo, Ottonis Saxonum Ducis filio. VALBERTVS quidē & ex eo generati Veſtfalos tenuerunt in ſua ditione. Sub minoris autem eiuſdem VITECHINDI filij poteſtatem, vt etiam his temporibus ſub veſtram, partim ſubiuncti erant Saxones Oſtfali: ſic maiores noſtri Orientales vocarunt, vt etiam nunc occidentales Veſtfalos nominamus: nam Ceruccij Princeps fuit, & præfectus præterea Soraborum: qui duos filios FRIDERICVM & DITGREIMVM, ex IVLANDA vxore Comitis Rochlicenſis ſuſcepit: quorū hic occiſi fratris vlciſcendi cauſſa temporibus Ducis Ottonis in Saxonia, vt Vanco ſcribit, bella geſsit. Sed filius eius DITMARVS, quem ex BOSSENA filia Comitis Pleiſenſis ſuſtulit, & iam Vittinū poſſedit: & bellator prudens Imperatorem Cunradum primum, qui exercitu collecto Henricum primum, tunc Saxonum Ducem, Grunæ obſidere volebat, eluſit fingendo maximum exercitum mox affuturum, cum nullū conſcripſiſſet & comparaſſet. Eundem Ditmarum & Bernardum Redariorum præfectum Obetritos, Vilzos, Heluelos, Zeſcos præliis fregiſſe, idē Vitechindus Corbeienſis in primo rerū Saxonicarū libro ſcriptum reliquit. Huic DITMARO

vxor

vxor fuit Villa filia Comitis Northringenſis: ex qua genuit Christianvm Principem Luſatiæ & Dedonem comitẽ Vittini. At Dedonis filio Diterico, ex Ivdita filia Comitis Merſeburgẽſis nati ſunt Dedo & Fridericvs: Dedoni autẽ Otto III. vt Annales Lauterbergij tradunt, regionẽ mortui Bionis Comitis Merſeburgenſis dedit. Eius Dedonis filius Diterricvs ex vxore Mechtilda, filia Eccardi Principis Miſeni, procreauit ſex filios & vnicã filiam: atq; ex numero tot filiorũ Tymo, qui dux exercitus Henrici V. fuit & meruit Miſenã, ex Hilda filia Principis Sradenſis multos liberos habuit: quorũ Cvnradvs & eius nepos Fridericvs cũ Saracenis in acie pugnarunt: alter, cùm iſtis chriſtiani nominis hoſtibus bellũ faceret, Imperator Cunradus III: alter, cum Fridericus I. cognomento Barbaroſſa. Ex hoc Cvnrado Leutgarda natio ne Suecua peperit ſex filias & totidẽ filios. Eorũ Otto duxit vxorẽ Hedvigem filiam Alberti Ducis Saxoniæ: ex qua procreauit Ditericvm. Cui ex Ivditha filia Hermanni Prin. Toringi natus eſt Henricvs, primus veſtræ ſtirpis Turingiæ princeps. Huius Henrici ex Alberto filio nepos Fridericvs pro ſua & patriæ ſalute magnos labores & ſpe maiora pericula ſuſcepit: etenim duos Imp. Adolphũ nimirũ & Albertum I eorũ copiis, ſed maxime Sueuis ad Luccam oppidũ profligatis, ex erepta Turingia expulit. Cui duplex cognomen fuit: vnũ traxit ex morſu: etenim mater Margaretha filia Ducis Sueuorum, cùm quòd ei maritus vim intentaret, ſe infugã conijcere vellet, illius, qui iã annos tres haberet, malã, vt memor eſſet improbitatis paternæ, vulnerauit dentibus: alterũ habuit ex Turingia, quã amiſerat (id autem etiã accidit patris iniquitate) recuperata: Fortis enim dictus fuit. Eius verò filius Fridericus, veſter tritauus ex grauitate nomen inuenit. Atq; hic reliquas arces, quas auus Albertus, alienauerat, recepit. Cuius rurſus filius Fridericus, veſter adauus, cognomento Strenuus, Erphurdiam menſibus duobus obſedit. At abauus veſter, cui item Friderico nomen, cum Zeſcis, qui incolunt Boemiam, pugnauit: & cum inter omnes principes vnus tunc excelleret prudentia, opibus, potentia: Sigiſmundus Imperator ei munus eligendi Cæſaris detulit, & Ducem Saxonibus præbuit. Cuius filius Fridericus, veſter proauus, item bellũ intulit Zeſcis: atq; hi quinq; Principes e continenti genere, tametſi eſſent bellicoſi, tamen quoad fieri potuit, non tantùm nomine ſed reuera fuerunt Friderici: nam magis etiã cõmodè adminiſtrarunt ornamenta pacis, quàm rem bellicam. Sed Albertus veſter auus acerrimè propugnauit pro Imperatoribus. Etenim Matthiæ Vngariæ Regis, qui bellũ mouerat Friderico III. & Pannoniam ſuperiorem, quam appellamus Auſtriam partim occupauerat, impetus repeſsit: Flandros, qui Brugis Maximilianũ dediſſent in cuſtodiam, maximè perculit & afflixit: Friſeos dicto non audientes Imperatorẽ, fregit ac domuit: atq; patrẽ veſtrum Henricũ Framiæ obſeſſum, ex periculo exemit. Georgius etiam patruus veſter non tãtùm ex genere & opibus fuit nobilis & clarus: ſed ei ex prudentia quoq; & fide multum laudis acceſsit: Imperatorum enim fuit obſeruantiſsimus. Deinde veſtra familia dominatur in Hermunduros, Turingos, Saxones, Francos. etenim veteres Hermundurorũ Sueuorum reliquiæ nos, ad Albim habitantes, ſumus: quos poſteri nomine, vt fieri ſolet, mutato vocarunt Miſenos à Miſena: ꝙ illud oppidũ Principum (Marchiones nos vocamus) imperio domicilium ac ſedem præbuerit: cuius ergô is, qui iura Saxonum ante aliquot ſecula ſcripſit, Principem Miſenũ nuncupare Sueuũ videri poteſt; non tã quòd ipſe Sueuus eſſet, quàm quòd Hermunduris Sueuus impéraret: reliquã verò regionẽ Hermundurorũ, in qua ad orientẽ Albis oritur, relictã à olim ab incolis, qui in No-

in Noricum & Rhetiam ſecundam migrarunt; vel Venedorum, ſiue Slauorum gens, quæ ſe appellat Zeſcos, occupauit; vel tenent hi Germani, quos Boemos priſco vocabulo nominamus. Sed etiam huius regionis veſtræ non exiguam partem olim incoluerunt Venedi, dicti Sorabi: qui partim præliis cùm à Francis tùm à Saxonibus deleti ſunt; partim ſe receperunt ad ſuos; partim ſeruitute oppreſsi, ſermone noſtro cœperunt vti. Itaque noſtri ſunt Hermunduri illi qui cum Cattis (vt ſcribit Cornelius Tacitus) magno prælio certarunt, dum flumen gignendo ſale fœcundum & conterminum vtraque gens vi ad ſe traheret. nam vel hodie ad flumen Salam, ſalis hi fontes in nobili vrbe, quæ Hala inde dicta, conſpici poſſunt. bellum autem hoc eodem authore Hermunduris proſperum, Cattis exitio fuit: quorum terram partim poſſederunt hi potiſsimum Saxones, quos appellamus Veſtfalos; partim ſeruarunt ipſi Catti, hodie Heſsi nominati. Turingi vero inprimis nobiles habitant in optimis illis & vberrimis campis, qui cinguntur & concluduntur ſylua Semana, & Meliboco monte, & Sala fluuio. At Saxones transalbini, qui in veſtra ditione ſunt, Sueuorum Semnonum regionis partem incolunt: cis albim Cheruſcorum ſiue Ceruecciorum illo autem nomine eos vocat Cornelius Tacitus; hoc Vibius Sequeſter: & certè Ceruecium oppidum extat. Francorum denique gentis, cui Gallia occupata inter extera immortalem gloriam dedit, non contemnenda pars eſt ſub imperio Principum: qui ex eadem, ex qua nos, ſtirpe orti ſunt. Atque hæ regiones longitudine, quæ eſt ab Albi ad Verram (ſic flumen alterius fontis Viſurgis appellatur) CL. millia paſſuum implent: latitudine excedunt: ea verò eſt à Francis ad Saxones: eos dico qui in veſtra ſunt ditione. nam alioqui vtriusque gentis, ſed maximè Saxonum terræ longè atque latè patent: ſed Sala flumen Turingos diuidit ab Hermunduris. Vtrorumque regio omni ex parte denſis ſyluis & crebris montibus munita eſt; præterquam vbi altera alteri & vtraque Saxoniæ ferè veſtræ iungitur: vt has gentes inter ſe natura ipſa conciliaſſe videri poſsit. Hermundurorum autem montes adeo metallorum, præcipuè verò argenti, fertiles ſunt: vt nulli regioni de eius copia concedant: colles ad Albim ſiti generoſum vinum gignunt: planicies abundat frumentis. Turingia tamen tritici vbertate non modò hanc, ſed omnes alias magnæ Germaniæ terras facilè ſuperat: vt lumen Germaniæ rectiſsimè dici poſsit. Nec verò vinum ipſi deeſt: & magnos fructus capit ex Iſatide herba, quam vulgus guadum vocat. In his autem regionibus ſunt vrbes amplæ & florentes: oppida pulchra & ornata: plurimæ arces naturâ & ſitu inprimis nobiles. Quæ omnia quicunque contemplans expendit; quàm veſtra familia abundet laudibus & belli & pacis, videt: quàm acerrimæ nationes in eius ſint poteſtate: quàm diuitiis affluat: ſed quorſum hæc mea ſpectat oratio? quorſum? vt, Duces illuſtriſsimi, conſuletis paci: quam hæ veſtræ nationes & gentes ſub maioribus veſtris verè Fridericis, id eſt pacis diuitibus, tutam tranquillamque traxerunt vſque ad hæc turbulentiſsima tempora: quibus inter Germanos ſumma de religione diſſenſio non modò regionibus veſtris, ſed toti ferè Germaniæ maximam calamitatem dedit. Conſulere autem poteritis paci, ſi Apoſtolorum non modò ſcripta ſed etiam traditiones (παραδόσεις Græci vocant) & ſanctæ Catholicæ eccleſiæ ritus, quos vetuſtiſsimi quique Chriſtiani ſcriptores literis memoriæque mandarunt, non reieceritis: ſi, vt inſtituiſtis, obedientes fueritis poten-

tiſſi-

riſsimi Caroli V. & Ferdinandi Regis imperio: ſi denique eritis coniunctiſſimo animo cum reliquis Germaniæ Principibus. Quamprimùm autem hi, qui vobis parent, hæc intellexerint: eis quoque rurſus pax & concordia inſidebit: & legibus quibus aſtricti ſunt, obtemperabunt.

MAGNIFICO VIRO, DIGNITATE, VIRTVTE, doctrinâ præſtantiſsimo D. Vlrico Mordiſio I. V. Doctori & illuſtriſs. Saxoniæ Electoris conſiliario intimo, patrono ſuo obſeruando.

S. D. Magnifice vir & patrone obſeruande, Iudices in meo labore difficili & inuidioſo habiturus ſum infinitos, ſed adiutorem tam planè reperio neminem. A te quid petierim proximis literis, meminiſti: ſed quia aliâ ratione perueniri ad id, quod cupio, non poteſt, mitto ad te Erneſti & Alberti fratrum illuſtriſsimorum res geſtas, quantum ego quidem inueſtigare potui. Eas velim mittas ad virum ornatiſſimum, omniq́ genere doctrinæ & laudis præſtantem D. Chriſtophorum Carolouicium, vt è ſuis commentarijs, quos ipſe ſcripſit, hæc noſtra fideliter emendet, & hoc patriæ tribuat, vt ducum præſtantiſsimorum facta ad poſteritatem fiant illuſtria: facturus quidem rem mihi optatiſsimam, ſed ſe multò magis dignam, patriæ verò & optimè meritis de ipſo Principibus, planè debitam. Ego, qui in hoc negocio mihi impoſito, nec ſumptibus aliquibus nec valetudini parco, tuæ fidei me totum commendo, & te ſpero auctorem fore, vt etiam mihi liberaliter, pro meis vigilijs atq́ laboribus, præmia decernantur. Vale feliciter. Miſenâ è ludo illuſtri VII. Calend. April: M. D. LX.

T. M. obſeruantiſs.

Georgius Fabricius Chemnicenſis.

NOBILI ET ORNATISSIMO VIRO DOCTRINA, dignitate virtute præſtanti D. Simoni Piſtoris I. V. D. & Illuſtriſs. Saxoniæ Electoris conſiliario, patrono & domino ſuo colendo.

Magnifice vir, patrone obſeruande, nuper Torgæ tecum profectus eodem curru, mentionem feci Genealogiæ Saxonicæ quam in manibus habeo. Interea vitã Illuſtris Ducis Georgij abſolui è varijs locis, quanta potui diligentia collectã: quam ad T. M me promiſi miſſuram, vt tuo acri iudicio emendetur, qui illis temporibus in Repub. maximum nomen & dignitatem obtinuiſti. Ego non is ſum qui mea pertinaciter defendam: ſed ijs gratias habebo perpetuas per quos proficio, tuumq́ nomen in illa narratione honorificè prædicabo. Quamobrem, vir ornatiſsime, meum ſcriptum tenue libenter lege, audacter corrige, liberè emenda. Poſſent quædam ornatius dici, ſed difficile eſt rerum multarum inſcio mihi id facere: falſa verò aut excogitata afferre præter viri boni officium eſt: & deformat narrationes ipſa vanitas deprehenſa. Nullo meo iure hoc onus impono M. T. ſed id fero humanitati tuæ quam mihi maximè oſtendes, ſi errata liberrimè tolles. Vale feliciter. Miſenæ XI. Decemb. Anno M. D. LXI.

Georgius Fabricius.

HVMA-

HVMANISSIMO ET ENCYCLOPOEDIÆ doctiſsimo viro D. Georgio Fabricio amico ſuo.

SAlutem & pacem in Chriſto Ieſu. Eruditiſsime Fabrici valdè libenter legi ea quæ ſatis eleganter de ſeculi noſtri rebus geſtis concinnaſti. Non agnoſco autem me eum qui quicquam emendare vel Ariſtarchum præſtare poſſet, admonebo ſolum de aliquibus quæ mihi obſcura eſſe videntur & aliter accidiſſe conſtat. Memini autem Ducem Albertum ex Friſia magna pompa multiſq́ vexillis deductum ad ſepulturam Miſnam. Diſputatio Lipſica habetur impreſſa & cepta 27. Iunij & ſic ſex diebus ante 4. Non. Iulij. Et memini me in die Petri Pauli Lutherum prædicantem audire contra primatum Pontificis. Et quanquam diſputationis illius gratia Moſellanus præſcripſerit orationem, non tamen debuit ipſe recitare: ſed ad hoc ſe obtulit Otto qui deinde ſimulauit ægritudinem. Sed tamen oratio ei adſcripta extat impreſſa. Inter Theologos non noui Keytzenhoffen, ſed Konigshofen. Bello contra ruſticos propè Franckenhauſen non interfuit princeps Ioannes, ſed ab ipſo Dux Georgius quinquaginta baliſtarios impetrauit: & ſolus ipſe geſſit cum equitibus Cardinalis aduocato Landtgrauio & Braunſuicenſi qui obiter ſubegêre Saltzenſes. Quod autem Duci Georgio adſcribis quod nouos cuderit nummos pondere ſuperioribus minores, miror. Extant autem adhuc & ſunt iuſti ponderis niſi fallor habent in ſupraſcriptione. Newe Müntz nach̄m alten Schrott vnd Korn. *Deinde per arbitrium Grimmenſe fuerunt denuo iuncti ita quod Marcha diminuta fuit vno quadrante, ad quod certè Dux Georgius ſatis ſe difficilem præſtitit. Præterea ſcribis Ottonem Vicecancellarium Georgij accuſatum quod literas finxiſſet falſas, & tamen extat fœdus ab ipſo confictum. Huius negotij Functius quidem mentionem facit non autem ficti fœderis de quo & apud Sleidanum nihil. Habes autem hic quo pacto accuſatus fuerit, ſi forte inde places ſummam elicere, ſed ita vt remittas. Ante mortem autem ipſius Ducis Georgij ita contigit, quod à morte filij Ducis Friderici præcipuos apud ſe medicos ad ſeſquimenſem habuit, ni fallor, Stromerum Schiltelium & Pfeilium. Et cum per illos ſatis videretur ſanitati proſpectum & amandati forent XVI. April. Anno XXXIX. ad veſperam antè cœnam vſus eſt ſua ſolita potione, poſt quam inſequenti nocte in colicam paſsionem incidit ac ſæpius quidem iuſsit me aduocari, id tamen mihi demum manè hora quinta fuit ſignificatum & cum veni nullum aliud verbum potuit emittere quam* Cantzler *Plebanus autem D. Petrus Eyſenberg morienti inclamauit quod deberet implorare ſuum Apoſtolum S. Iacobum, D. Roth autem dixit potius Ieſum Chriſtum, & circiter horam nonam expirauit: inſequenti die viſa eſt Eclipſis Solis. Bene vale & boni conſule. Senſelicij poſtridiè Iduum Decemb. Anato Chriſto M. D. LXI.*

Simon Piſtoris. I. C.

ORNATO IVVENI DOCTRINA ET VIRtute Iohanni à Krockau etc. amico ſuo chariſsimo.

S. D. Voluntatem tuam erga me promptiſsimā, Iohannes, cognoſco ex tuo officio, quamobrem te amo, & tibi gratum facere viciſsim cupio. Accepi autem quæ

miſiſti

miſiſti omnia,etiam pecuniam. De bellis quæ ſunt,& gliſcunt,nihil habeo, niſi quod cognoſco è literis tuis,& absq; ijs eſſet,planè nihil haberem, niſi rumuſculos, quos plerunq; vanos eſſe nouiſti. Origines Saxonicas iam in manus ſumo,vt ab initio deſcribantur,itaque libro quoque finito,cum mittam ad virum Magnificum patronum noſtrum,doctrinâ & experientiâ ſummum, vt de eo iudicet,& meam inſtruat aut excitet,pro ſuâ ſapientiâ induſtriam:tu ſignifica,cui Dresdæ tutò poſſim committere. In Senecam nulla Scholia ſcripſi,neq; ſcribere eſt otium:in Horatij odas abſolui duplicem commentarium,alterum verborum,alterum rerum: & eum poetam edam, cum caſtigationibus,quo non extat melior poſt Virgilium. Expecto codicem veterem ex Oſnaburgo Saxoniæ,& habeo præclarum,quo me Georgius Anhaltinus donauit: ex quo ante annos vndecim auxi & emendaui Acronis Helenij commentarios,ſed typographus,qui correctorem non habuit,valdè corrupit operam meam. Spero denuò excuſum iri, tum veteribus addam etiam mea. D. Hiobo, ſi notas locorum mittes,quos cupit deſcriptioni ſuæ inſerere,facies illi rem gratam,& modò neceſſariam. Pſalterium verterunt Germani aliquot piè, Itali,vt ſolent,eleganter, inprimis Flamminius: ſed nunc omnium induſtriam vicit Georgius Buchananus Scotus: veritate ſententiarum,& puritate ſermonis,quo libello te dono, &,vt conſueui,addo conditionem talem, vt totum perlegas: quod ſi feceris ſemel,leges ſæpius. Vale feliciter. Miſenâ pr. cal. ſept. M. D. LXVI.

Georgius Fabricius.

AMPLISSIMO VIRO, VIRTVTIS ET SAPIENtiæ ornamentis omnibus clariſsimo D. Chriſtophoro Carolouitio, Rubræ domus Domino, Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario patrono ſuo obſeruando.

S. D. etc. Miſiſſem ad T. A. libellos meos Rerum Miſnicarum, ſed typographus mihi obſtitit: primus continet ἐν ἐπιτομῇ Electores Saxoniæ;alter Marchiones Miſnenſes ſcriptus carmine: tres ſequentes vrbis Miſnæ Annales, duo poſteriores ſunt Siffridi cuiusdam Miſnenſis presbyteri,qui vixit ante annos CCL. antea non editi. Ab amplitudine tua,nobiliſſime vir,quod æſtate proxima petij,cupiditate,vt puto,non inhoneſta: id nunc iterum ſubmiſſè peto, vt me gratia, fauore, auctoritate,iuues,in conſequenda laurea,idem ſignificaui patronis meis, viro Magnifico D. Floriano Grisbeccio, & D. Georgio Cracouio: ſed in tuo patrocinio mihi dignitas præcipua eſt. Id autem fieri cupio non tam mea cauſa,quàm filiorum, quibus exiſtimo relinquendum, ſi non doctrinæ,ſaltem diligentiæ exemplum, & teſtimonium honeſtatis ad imitationem. Quicquid acceſſerit ad ornamenta mea, id totum tuæ beneuolentiæ & bonitati debebo. Vale vir ampliſſime. E ludo illuſtri Miſenæ VII. Cal. Febr. M. D. LXX.

Ampl. T.
Obſeruantiſſ.

Georgius Fabricius.

DOCTRINA ET VIRTVTE NOBILI VIRO, moribus optimis prædito D. Iohanni à Croca in familiâ Carolouicianâ,amico ſuo colendo.

S. D. Ad virum ampliſſimum,communem patronum,ſcripſi de cupiditate quadam mea,ſed interrogare auſus non fui,ad quem potiſſimum in aulam ſcriberem

Imp.

Imp. aut ſi id facere neceſſe non eſſet: te igitur oro, vt id meo nomine facias, & facias cum obſeruantiâ, & ſimul è vultu & ſermone viri ſapientiſsimi cognoſcas, nũ reprahenſionem merear, nam quidquid facio, alieno fit impulſu & hominum non malorum. Accipies etiam catalogum meorum laborum & exercitationum, qui in difficultate & inopia non deſtiti benè mereri, pro meis viribus, & præſertim de adoleſcentia. Si cenſes D. patrono noſtro offerendum, facere per me licet. Mitto nunc imaginem temporum noſtrorum librum hiſtoriarum decimum. Integrum exemplum breui ad ipſum dominum mittam. In Schola Argentoratenſi Andreas Iociſcus Philoſophus obiit, III. Aug. Melchior Speccerus Theologus XIII. Nouemb. Elias Kyberus linguæ Ebraicæ profeſſor XIX Nouemb. In eiusdem Menſis fine Baſileæ Cælius ſecundus Curio: Romam & libellos antiquitatum, Annotationes & Caſtigationes in Terentium, an ſim recepturus ab Oporini mortui carnificibus, adhuc dubito, quamuis ad ſenatum Illuſtriſs. Elector pro me ſcripſerit. Vale feliciter. Miſenæ è ludo illuſtri die Polycarpi Ignatij diſcipuli, qui in Theologia ſemper idem ſenſit, vt loquitur hiſtoria Eccleſiaſtica. Anno à nato Chriſto ſeruatore M. D LXX.

Georgius Fabricius.

ORNATO NOBILITATE, DOCTRINA VIRO, & moribus optimis prædito D. Iohanni à Croca in familiâ Carolouicianâ, amico ſuo colendo.

S. D. Æterne fili Dei, nate pro nobis, pontifex noſter, & frater humani generis, te inuoco, vt patronum noſtrum, de ſtudijs honeſtis optimè meritum, diu conſerues incolumẽ: quem tua gratia ornaſti, & effeciſti vtile membrum Eccleſiæ tuæ, & Reipub. Ita hoc tempore libet ordiri ad te, mi Iohannes, & ſcio certè preces eſſe efficaces: quod nunc loquor experientia. nam in mea Eccleſiola domeſtica ſanati ſunt Magnifici noſtri patroni filij ambo: ſanati duo filij mei natu maiores, quos tamen extra domum ire non patiar, niſi facto cœlo ſereniore: ſanatus Martinus à Maxen. Neue intermittantur preces: decumbit Fridericus Schonbergius, filij mei duo natu minores: filiola natu maior. Video Dei præſentiam, & animo ſum paterno, modò molli, modò magno. Commendabimus patronum noſtrum etiam Eccleſiæ. Mitto tibi bouem & Aſinum. Magnifico patrono initia rerum Miſnicarum miſi, quæ remittes donec integros libellos mittam. Si vacaret ipſi propter morbum, mitterem librum VII. Originum Saxonicarum, vt corrigeret, quæ vellet: ſed vereor hoc facere, niſi explorato eius animo. Tu igitur ſcribes, & meas ante triduum ſcriptas curabis pro diligentia tua, quas ſcripſi manu aliena. Vale, ſubitò, Miſnæ V. Cal. Febr. M. D. LXX.

Georgius Fabricius.

ORNATO NOBILITATE, DOCTRINA VIRO, & moribus optimis prædito, Iohanni à Croca in familiâ Carolouiciana, amico ſuo ſingulari.

S. D. Inundationes aquarum naturaliter ſequuntur penuria & peſtilentiæ: fataliter, tumultus, bella, vrbium incendia, & dominiorum mutationes. Talis autẽ inundatio in hac vrbe non fuit intra annos nouem & ſexaginta. Deus à nobis omnibus malum auertat, & à totâ patriâ. Mitto ad ampliſs. patronum noſtrum librum ſeptimum Originum Saxonicarum, ſed mitto fortaſsè parum in tempore, quia

grani

gravi in valetudine copiam non habebit, mutandi & emendandi, quæ ipſi non placuerint, id enim ſpero, ipſum facturum non invitus, cum rerum non ſolum noſtrarum, ſed externarum, imò totius antiquitatis ſit unus omnium peritiſsimus. Si quid tamen fieri poteſt, tu curabis ut nullâ cum patroni noſtri moleſtiâ, & minimo aliquo ipſius incommodo fiat. Si quid habes de pace in Galliâ, de obitu Pontificis, id ut communices mihi, te rogo. Vale feliciter. III. Februarij, è ludo illuſtri Miſna. Anno à nato Chriſto Seruatore M. D. LXX.

Georgius Fabricius.

ORNATO VIRO, GENERE ET DOCTRINA moribuſque optimis prædito D. Iohanni à Croca in familiâ Carolouicianâ, amico ſuo colendo.

S. D. Literas tuis adiunctas, reddes amicis quibus inſcriptæ ſunt, meque ipſis commendabis. Loqueris etiam cum magnifico viro Doctore Cracouio, quæ tecum locutus ſum corâm. Tu autem pro tua erga me amore, & diligentiâ, quæ tibi propria eſt, negotium meum curabis. Annales Miſnici cùm primùm abſoluti fuerint, ad te mittentur. Credo autem id futurum propediem. Vale feliciter, & patronum noſtrum magnificum ſaluta reverenter. Vale feliciter. Miſna die obitus Lutheri, qui eſt feſtus Concordiæ in Faſtis Romanis: Conſtantiæ, in Faſtis Moguntinis. Anno à nato Chriſto. M.D.LXX.

Georgius Fabricius.

ORNATISSIMO VIRTVTE ET DOCTRINA Viro, moribus optimis prædito, Iohanni à Croca, in familiâ Carolouiciana, amico ſuo colendo.

S. D. Ampliſsimi Viri, Patroni noſtri, ſingularem diligentiam in meo negotio, laudo vehementer, & ſcriptum D. Bannonis probo, cuius exemplum remitto cum effigie Phœnicis, qui eſt imago mortis, & reditus in vitam celebris, quem loco inſignis elegi, ante annos aliquot, cùm ſub eius imagine legiſſem Rauennæ hoc diſtichon pulcherrimum.

Securus moritur, qui ſcit ſe morte renaſci:
Mors ea nec dici, ſed noua vita poteſt.

Quanquam autem ego, præter Lauream, nihil expetiui, ultra ſortem meam, tamen agnoſco beneuolentiam, & admitto iudicium virorum optimorum & prudentiſsimorum: nam quod patroni noſtri magnifici nomine tu ad me ſcribis, idem mihi ſignificandum curauit magnificus D. Griesbeccius. Meam igitur famam & honorem, iudicijs ipſorum, & fidei mihi perſpectæ totam commendo. D. Georgius Carolouicius huc nondum venit, qui mihi potuiſſet plura, ut ſcribis, referre. Patronum noſtrum ampliſſ. meo nomine reuerenter ſaluta, & vale. E ludo illuſtri Miſnâ, feſto Palmarum. Anno à Chriſto ſervatore nato M. D. LXX.

Georgius Fabricius.

MAGNIFICO VIRO, NOBILITATIS ET VIRTVTIS ORNAmentis Clariſsimo Dn. Chriſtophoro à Carolouitz Rubræ domus & Herminiæ Domino, Cæſareæ Maieſtatis Conſiliario, patrono ſuo ampliſsimo.

S. D. Ampliſsime patrone, domine obſeruande, D. Georgius Carolouicius, gentilis tuus, hodiè me eſt allocutus, qui mihi M. T. prolixam beneuolentiam cumulatè prædicauit, dixitq;

dixitque & de laureâ, & de priuilegio, & de inſignibus, quæ pauci, quod ſciam, impetrârunt, & quibus ego ſingulis me non iudico eſſe dignum, & contentus eſſem honore illo primo, de quo etiam cum M. T. coram collocutus ſum. Sed cum ampliſsimo tuo iudicio nihil ſit aut poſsit eſſe honorificentius, non audeó, neque debeo id leue aut repudiandum putare. Literas ſupplices meo nomine ſcriptas, ita relinquo, verbis tamen pauculis mutatis: quid præterea faciendum ſit, ego quidem ignoro, ſed relinquo prudentiæ & fidei tuæ, & quia me clientem tuum perpetuum ornandum ſuſcepiſti, tibi me totum, famamq; & honorem, trado atque commendo, & quidquid mihi eâ in re contigerit, tuæ virtuti, auctoritati, bonitati, dum viuam, tribuam atque debebo: quidquid verò tibi diſplicuerit, id ipſe ratum non habebo. Deo æterno tuam, tuorumque valetudinem commendo, qui ut Reipub. diu te ſervet incolumem, precor atque peto. Vale feliciter. E ludo illuſtri Miſnâ XIII. Cal. April. Anno à Chriſto ſeruatore nato M.D.LXX.

T. Ampl.

Cliens

Georgius Fabricius.

ORNATISSIMO VIRO NOBILITATE, DOCTRINA, virtute D. Iohanni à Crocau, &c. amico & domino ſuo obſeruando.

S.D. Pro ampliſsimo beneficio, quod mihi vir ſplendidiſsimus D. Chriſtophorus à Carolouitz ſua auctoritate a Cæſ. Maieſt. impetrauit, verbis non poſſum ſatis gratias agere, tibi etiam & cæteris amicis, item Doctori Bannoni, & Melchiori Ritter. Id autem, quidquid in me eſt obſeruantiæ, honoris, grati animi, omne ad vos defero, & meipſum veſtris ſeruitijs addico. Scripſiſſem præcipuè ad ipſum D. Carolouicium, ſed morbus meus, qui auctior valdè factus eſt, me impedijt, ut etiam manu alienâ uti ſim coactus. Præcedente ſeptimanâ etiam ſpem de vitâ abieceram, ſed me conſolatus eſt Deus, & animum addidit, ac vires etiam auxit: & ſi deſierint in ſomnia reſtitutus videbor. Curaui tres libros rerum Saxonicarum illuſtriſſ. Principi reddendos, primum videlicet de rebus Anglicis & Saxonicis, alterum de Imp. Othonibus tribus, Heinricis duobus. Tertium de Ducibus Bauariæ, Sueuiæ, Carinthiæ natis e ſtirpe Saxonica. Hos poſtea alij inſequentur, & cùm ornatiſſ. patronus noſter D. Carolouicius ad ſedem ſuam rubram redierit, etiam eum librum, quem ipſius amplitudini emendandum dedi, repetam. Vale feliciter, Miſnâ è domo mea. Viſitauit me in morbo Iacobus frater, cuius literas ad te, & ad D. Bannonem ſcriptas mitto. XIII. Martij, Anno à nato Chriſto Seruatore. M.D.LXXI.

Georgius Fabricius.

AVCTORVM ANNALIVM ET CHRONICORVM NOMINA QVORVM IN OPERE HISTORICO hoc de illuſtri ſtirpe Saxonica fit mentio, & quorum citatur authoritas.

AVTORES.

Ado Præſul Viennenſis.
Albertus Crancius.
Albertus Argentinenſis.
D. Ambroſius.
Aemilius.
Aeneas Siluius.
Annonius Francus.
Antonius Sabellicus.
Arrianus, ſcriptor græcus.
Auentinus.
Auctor de vitâ Henrici IIII.
Auſonius.

B.

Balæus.
Beda Anglus.
Beatus Rhenanus.
Bilibaldus Pircheimerus.
Blondus.
Bonfinius.
Bonifacius.
Bruſchius.

C.

Caſpar Hedio.
Chriſtophorus Carolouicius.
Claudianus poeta.
Conradus Celtes.
Conradus Vrsbergius ſive Lichtenauius.
Conradus Presbyter Lauterbergius.
Conſtantinus Phrygio.
Coſmas Decanus Pragenſis.
Cl. Ptolomæus.
Caſsiodorus.
Cornelius Tacitus.
Cuſpinianus.

D.

Dantes Hetruſcus.
Ditericus Engelhuſius.
Ditericus Engelſuſius.
Ditmarus præſul Mersburgius.

E.

Eraſmus Stella.
Erneſtes Broduſius.
Eutropius.
Euodius epiſcopus Ticinenſis.
Eucherius Lugdunenſis.
Exequiarum liber.

G.

Georgius Agricola.
Georgius Spalatinus.
Georgius Rixnerus Bauarus.
Georgius Tur nenſis.
Geraldus Regiomontanus.
Gilda.
Ganguinus, fuit Gallus.
D. Gregorius.
Gregorius Pontifex.
Godfridus Viterbienſis.

H.

Hermannus, Comes Veringius.
Henricus Mutius.
Helmuldus presbyter Lubecenſis.
Henningus Hildeshemius.
Hirsueldenſis.
D. Hieronymus.
Homerus.
Hunibaldus.
Humfridus.
Hegeſippus.

I.

Iacobus Foreſtus.
Iacobus clauſtri Neoburgij præpoſitus.
Iohannes Munſterbergius.
Ioſephus.
Iohannes Carion.
Iohannes Cuſpianus.
Iohannes Garzon Bononienſis.
Iohannes Nauderus.
Iohannes Næuius.
Iohannes Dubrauius Olomucenſis.
Iohannes Stumpfius.
Iuo Carnotenſis Cardinalis.
Iuris Saxonici ſcriptor.

L.

Lambertus Schafnaburgius.
Latinus Pacatus, orator.
Lazius Barlandus.

Leander Bononienſis.
Lilius Gyraldus.
Ludpraudus Ticinenſis.

M.

Matthæus Sarctorius.
Marcellinus Comes.
Mameranus.
Maior.
Marianus Scotus.
Melitus.
Muncerus Chronographus Fuldanus.

N.

Natalis Venetus.
Nauclerus.
Niemius Magdeburgius.
Nicetas Choniates.
Nicolaus Reuſnerus.

O.

Onufrius Veronenſis.
Otho Friſingenſis.
Origines, vel libri ſtemmatis Saxonici veteres.

P.

Palmarius.
Paradinus.
Panuinius.
Paulus Oroſius.
Paulus Diaconus.
Petrus Appianus.
Petrus Vinea.
Philippus Foreſtus Bergamas.
Philippus Melanchthon.
Plinius.
Platina.
Polydorus Virgilius.
Plutarchus.
Ptolomæus.
Prudentius.

R.

Raphael Volaterranus.
Regino Prumienſis.
Roſuita Saxonica.

S.

Sabellicus.
Saxo Sialandicus.
Scriptores Saxonum vetuſti.
Scriptores Italici.
Sebaſtianus Franco.
Sidonius Appollinaris præſul Aruernorum.
Siffridus præsbiter Miſnenſis.
Sigebertus Gemblacenſis.
Strabo.
Supplementum Schaffnaburgij.

T.

Tacitus.
Thomas Vualdius Carmelita.

V.

Valentinus Muncerus.
Venantius Fortunatus Pictauorum præſul.
Vetislarienſis.
Viglius.
Victruuius.
Vilhelmus Tyri antiſtes.
Vuitalianus Pontifex.
Vuitechindus Corbeienſis.
Vincentius.
Volaterranus.
Vuolfgangus Cruſius.
Vuolfgangus Lazius.

ANNALES.

Antiſtitum Magdeburgiorum.
Gozecenſes.
Lauterbergiani.
Moguntini quos Bruſchius collegit.
Sabaudici.
Saxonici.
Vuormacienſes.
Reinhartbornij.
Erfurdienſes.

CHRONICA.

Brunſuigium.
Chemnicenſe.
Erfurdianum.
Geriſualdenſe.
Goteſeccenſe.
Iſenacenſe.
Magdeburgium.
Miſnenſe.
Neuſtatenſe.
Oſchacenſe.
Peganum.
Pirnenſe.
Quedlinburgium.
Saltzenſe.
Sangerhuſanum.
Saxonicum.
Veterocellenſe.
Vinarienſe.
Vinetanum.
Diplomata & literæ.

MONVMENTA Sepulchrorum.

Cellenſia.
Fribergia.
Lauterbergia.
Miſnenſia.
Suſelicia.
Vinarienſia.

RERVM MEMORABILIVM IN OPERE ORIGINVM SAXONICARVM

INDEX.

ABa tyrannus injuſtè R. Vngaricum occupans. 83
Abbacellenſium alpes. 413
Abrahamus præſul Friſingenſis 186. 331. conſpirat cum Henrico Bauaro Rixoſo 332. relegatur. 332

ACADEMIAE { Cracouiana in Poloniâ, Erfurdiana in Turingiâ, Ingolſtadienſis in Bauariâ } quando ceperint 687
{ Lipſienſis in Miſniâ, Roſtochienſis in Saxoniâ, Vitebergenſis in Saxoniâ } 797
Pragenſis in Boemia quando diſsipata 686

Acceſsio ad cultum diuinum. 13. 17. 266
Accuſatio fraudati ſtipendij. 7
Accuſatio violatæ conuentionis. 7
Aceris fl. 493
Achaiam occupat Bonifacius III. Montferratenſis. 455
Ada fl. 493
Adalbertus præſul Vurciburgius conſpirat cum reliquis 354. obit. 376
Adalgiſus f. Deſiderii fugatur à Carolo Magno: 426
Adalgiſus D. exercitus Caroli oppetit. 430
Adela Vx. Geronis C. Aſcanij. 191
Adela f. Geronis C. Aſcanij. 191
Adela f. C. Seuſani, Vx. Hugonis I. 470
Adela f. Conradi III. M. Miſn. Vx. I. Suenonis Danorum R. 537
Adela f. Othonis M. Miſniæ, Vx. Premislai R. Boemiæ 555. repudiatur à marito 556. eius exilium. 563
Adelbertus præſul Brixianenſis. 253
Adelgadus Arc. Hamburgius. 225
Adelhardus præſul Papienſis. 144
Adelheidis Vx. Friderici III. Palatini C. adultera. 84
Adelheidis Sacerdos M. Quedlinburgia 89. eiuſdem obitus. 227
Adelheidis f. Rudolphi Burgundi. Vx. Othonis I. Mag. 126
Adelheidis f. Othonis I. Vx. Valrami Montferratenſis. 127
Adelheidis vel Alunda Vx. Lotharij capta cuſtoditur Veronæ. 329
Adelheidis f. Henrici Rixoſi D. Bauariæ, Vx. Burchardi C. Geiſenhuſij. 331
Adelheidis f. Diterici M. Oſterlandiæ & Lansbergi Sacerdos Vueiſenuelſi. 586
Adelſtanus VII. R. Angliæ è Sax. 42
Adoleſcentes à muneribus Eccleſiaſticis arcendi. 270
Ado præſul Viennenſis. 2. 77
Adoldus Abbas Collegij S. Crucis Hildeshemij. 338
Adolfi præſulis Moguntini bellum contra L. Haſsiæ 661. Baldaſarem L. Turingiæ ad ſuas partes ſollicitat. ibid.
Adolfus D. Cliuenſis. 713
Adolfus C. Glichenſis bellum mouet Friderico Electori Sax. 716. 763. capit arcem Cappelndorfum Vicethumiorum, 725
Adolfus Naſſauienſis Imp. emit Turingiam ab Alberto L. Turingiæ 48. 587. ei Iſenacenſes primum iurant ibid: eiuſdem in Turingia tyrannis, ibid. & 612. eius clades 599. petulantia militum Adolfi 600. eius in Friburgenſes & Numburganos tyrannis ibid. eius altera in Turingiam expeditio 601. eiuſdem clades 603. eiuſdem deiectio & interitus. ibidem & 617.
AdolfusNaſſauienſis præſul Spirenſis contendit cum Ludouico Pabebergenſi, de præſulatu Moguntino 667. venit in Turingiam ibid.

am ibid. Gebeſam obſidet ibid. reprimitur. 668
Adolfoburgum opp. poſtea Alsburgum dictum è regione Creuceburgæ. 602
Adulteratio pecuniæ. 60
Adulterium. 84. 204
Adulus mons. 438
Aduolfus R. Sax. orient. 28
Aedificia olim Saxonum quæ 68
Aegyptus à Zelymo Turca capta. 857
Aeneas Siluius, ſcriptor. 183. 709
Aequitatis exemplum. 6. 361
Aeſtus & annonæ caritas. 214. 220
Aethecius Arelatenſis Ant. 13
Affinitas. 6
Affectatio Imperij. 207. 241. 603
Africani pugnant in exercitu Græcorum. 193
Agaunenſes martyres. 263
Agaunum vicus Veragrorum à Petro Sabaudo petitur. 474
Agnes f. Dedonis Luſatiæ & Lansbergi M. & C. Vitini, Vx Friderici C. Gozecenſis. 82
Agnes Henrici D. Luneburgij f. Vx. Friderici C. Summerſenburgij. 88
Agnes Vilhelmi III. Montferratenſis f: Vx: Guidonis C. Blandrati. 446.
Agnes Henrici III. Imp: Vx: 339. eidem poſt mortem mariti tandem adimitur gubernatio Imperij 340. in cænobio Friceriæ vivit. ibid.
Agnes è famil. Brandeburgia Vx. Friderici Comitis Brenæ. 553.
Agnes f: Vlrici D. Boemiæ Sacerdos Gerbſtetenſis. 555.
Agnes f: Philippi Landgr: Haſsiæ, vx: I. Mauricij Electoris Saxoniæ: II. Iohannis Friderici II. Ducis Saxoniæ. 574
Agnes f. Othogari R. Boemiæ, Vx. Henrici L. Turingiæ. 577
Agnes f. Alberti L. Turingiæ, Vx. Henrici mirabilis D. Brunſuicenſis. 589
Agnes f. Venceslai Vx. I. Friderici D. Brunſuicenſis II. Baldaſaris Turingiæ L. & M. Miſniæ. 656
Agnes Mansfeldenſis nubit Friderico Duci Sax. 879
Agreſtium tumultus. 49
Aidanus Scotus, Epiſcopus Lindiſarnenſis. 19
Alani vel Germani. 54
Alara fl. 430
Alaricus R. Gothorum vaſtat Italiam. 62
Albente cænobium. 460
Albertus Crancius, ſcriptor. 61
Albertus Argentinenſis ſcriptor. 47
Albertus C. Summerſenburgius. 82
Albertus C. Gozecenſis Bremenſis Ant. [illegible] Patriarcha regnorum Septentrional. Daniæ, Suediæ Noruegiæ. 83
Albertus Beringarij f. Corſicam inſulam dolo accipit 163. ſuperatur. 169
Albertus Ant. Magdeburgius 190. interdicit ſacris Diterico M. Miſniæ. 565
Albertus f. Leopoldi M. Auſtriæ ſuccedit patri. 228
Albertus C. Babapergenſis. 105
Albertus Ant. Pragenſis moritur. 228
Albertus Ant. Hamburgius, partes Othonis D. Bauariæ impugnat. 341
Albertus C. Turingiæ Sax. partes ſecutus, fit ſupplex Imp. Henrico. 353
Albertus præſul Vuormacienſis obit. 376
Albertus orientalis Carinthiæ Marchio. 408
Albertus C. Murcetalius, limitis Meridionalis M. 410
Albertus C. Brandeburgius. 538
Albertus Ant. Bremenſis ſimul proficiſcitur in Hiſpanicam expeditionem. 540
Albertus M. Soldueddelius intereſt bello Vandalico. 541
Albertus M. Brandeburgius, gener Conradi III. M. Miſniæ. 541
Albertus II. Præſul Miſnenſis. 554
Albertus Diterici I. C. Brenæ f. aduocatus templi Mogellani. 554
Albertus f. Othonis M. Miſniæ, Vx. eius Sophia f. Friderici D. Boemiæ 559. eius liberi ibid. eiuſdem auaritia in theſauros paternos ibid. fratri bellum mouet ibid. fugatur ab Hermano Turingiæ Landgrauio 560. vulneratur in acie 561. molitur bellum in Imp. ibid. veneno tollitur 562. conditur Cellæ ibidem.
Albertus Brunſuicenſis, partes Sophiæ Brabantinæ ſequitur in occupanda Turingia 580. præſidium Iſenacoburgum extruit in perniciem Turingiæ & Miſniæ ibid. eius bellum in Oſterlandia 582. eiuſdem clades 583. capitur ibid. traditur aſſeruandus Mersburgio 584. liberatur à filijs ibid. octo cogitur tradere arces. ibidem.
Albertus præſul Halberſtadius f. Alberti Brunſuicenſis redimit vna cum fratribus patrem captiuum. 584
Albertus L. Turingiæ f. Henrici M. Miſniæ & L. Turingiæ 585. 588. dictus Degener 588. eius indoles ibid. tyrocinium eiuſdem in bello Pruſsiaco: ibid. Vx. eius I. Margaritha Sueuica f. Henrici II. Imp. ibid. eius in Vx. primam perfidia 589. Altera Cunegundis

Digitized by Google

gundis Iſenbergia, pellex 591. Vx. tertia Alheidis C. Arneshaugij vidua 604. fit ſubditis inviſus 591. conatur euehere Apitum ſpurium ibid. & 611. receptacula aliquot latronum euertit & fœdus init cum Turingiæ comitibus ibid. eius bellum cum filijs 592. init gratiam cum filijs 593. conatur Turingiæ hereditate filios privare: ibid: capitur à filio Friderico 595. 611. eijcit ditione fratrem Henricum 596. incitat in filios alios Principes 597. 611. Turingiam vendit Adolfo Naſſauienſi Imp. 597. 612. eiuſdem tyrannis 604. pellitur à filio Friderico in exilium 605. moritur ibid. & 635

Albertus Dux Saxoniæ, L. Turingiæ, ex arce Alteburgia raptus 771. 798. liberatur per Carbonarium. 772. eius coniugium & liberi 775. 798. 799. prima tyrocinia; 799. cum Erneſto fratre concordia 799. Torgæ ſibi domicilium eligit 787. defertur ei regnum Bohemiæ 802. cum fratre prouincias diuidit 808. eius expeditio in Sileſiam 805. iter in Paleſtinam 806. iter in Morauiam 808. militat Imp. Friderico III. contra Mathiam Regem 804; ab Imp. ad bellum contra Mathiam ſollicitatur 811. conflictus cum Mathia & pacis tractatio 813. Imperij ſignifer in expeditione Belgica 805. eius expeditio contra Gandauenſes & Brugenſes 816. 817. Ei Belgij committitur gubernatio 817. bellum eius cum Philippo Rauenſtenio 818. Groningam expugnat, & Thanum ſtratagemate capit 818. à Rauenſteino dolis & armis oppugnatur 819. Arſchotum oppugnat & expugnat 822. Thenas capit 823. Louanienſib. & Bruxellenſib. pacis conditiones proponit 825. proficiſcitur ad Comitia Noribergenſia 826. VVordam obſidet 827. Montfurtum oppugnat 827. cædit Phryſios 829. Ei ſe dedunt Herſenij, ibid. Dextera Imperij manus cognominatur 830. eius expeditio in Zelandiam. 830. legatio ad Maximilianum 831. diſceſſus ex Zelandia, ibid. Sluſam oppugnat 833. in patriam reuertitur. 834. proficiſcitur ad Comitia Vormacienſia. ibid. Contra hoſtes Imperij ei ſumma rerum decernitur 835. in Inſubriam proficiſcitur ad Maximil. Imp. 836. Vlmam venit ibid. Eius cura de filijs 836. bellum Phryſiacum 837. Groningam obſidet. 838. moritur 839

Albertus præſul M:rſburgius. 607

Albertus Auſtriacus Imp. cum Adolfo Imp. de regno contendit 603. eundem in prælio interficit. ibid. & 617. Albertum L. Turingiæ ob eius tyrannidem obiurgat 604; eius bellum Miſnicum 618. eius clades 620. eius bellum Turingicum 621. Bauaricum; ibid. Boemicum; 622. Turingicum ſecundum 624. eius literæ ad C. Turingicos 626. molitur rurſus bellum in Turingiam. 627. eius cædes ibidem.

Albertus Kætenſis C. Anhaltinus 630. capitur, & certis conditionibus dimittitur. 633

Albertus Canutus Turingus vir factioſus à Friderico [illegible] Miſniæ & L. Turingiæ in carcerem conjicitur. 636

Albertus C. Leiſnicenſis diſceptat cum C. Schonburgio 672. eripit Ab. Chemnicenſi Rabeſuinum. ibid.

Albertus præſul VVurciburgius. 672

Albertus III; ult. Elector ex famil. Anhaltinâ 697

Albertus D. Saxoniæ & Elector ſine hæredibus diſcedit. 693

Albertus Brunſuicenſis cognomento Salzanus diſſentit à Friderico L. Turingiæ 677. ei bellum infertur à Friderico ibid. pacem impetrat 678. eandem ſtatim violat. ibid. rurſus fit ſupplex 679. omninò reconciliatur L. Turingiæ ibid.

Albertus Dux Brandeburgicus intereſt nuptiis Vilhelmi D. Sax. & L. Turingiæ; 708.

Albertus D. Bauariæ intereſt bello Boemico. 739

Albertus præſul Pabebergenſis. 745

Albertus Brandeburgius mouet bellum Noribergenſibus 715. ſequitur partes Vilhelmi D. Sax. contra fratrem 716. 764. intercedit pro Apollonio Vicethumo 730. eius bellum cum Bauaro ibid.

Albertus Brandeb. Achillis Germanici nuptiæ 774. bellum cum Ioanne Saganenſi 777. expeditio in Sileſiam, & legatio ad Reges Bohemiæ & Vngariæ. 782. mors. 792

Albertus M. Brandeburgius fit Cardinalis. 857

Alberti Electoris Mogontini vita & mors. 791. 792. 793

Albertus D. Auſtriacus ambit R. Boemiæ 728 creatur poſt obitum Sigiſmundi Imp. R. Vngariæ & Boemiæ 751. eius bellum Boemicum cum Taboritis. ibid.

Albertus Burggr. Norimbergicus ſuppetit ſumptus Ant. Magdeburgico expulſo. 750

Albero præſul Hamburgius intereſt bello Vandalico. 541
Albio Inſula quomodo poſtea dicta. 41
Albis fl. 8
AlboinusR. Longobardorum inItaliam proficiſcitur. 57
Albro R. Sax. deliberat cum Vuitechindo de Chriſtianiſmo accipiendo. 78. cum eodem baptiſatur & gratiam conſequitur 79. fit Palatinus Saxoniæ. 79. 436
Alchfleda f. Oſuini, Vx. Pendæ R. Merciorum 31
Alcuinus, legatus Cenulfi. 33
Aldenardum à Brugenſibus & Gandauenſibus capitur. 816
Aldenburgicus conuentus. 560
Aldenburgum opp. Milniæ conditum 776. oppignoratum Henrico Munifico. 596
Aldeburgum urbem Imperij accipit Fridericus M. Milniæ pro compenſatione damnorum 628. diripitur à Boemis 743. eius ager vaſtatur. 764
Aldenburgum arx in Turingia capitur ab Erfurdianis 649. complanatur. 717
Aldendorfum & Arnſtenium, ducatus Brunſuicenſis, traduntur HenricoM. Milniæ pro redimendo Alberto Brunſuicenſi. 584
Aldeuiga. 98
Aldfridus R. Northumbrorum rebellis patri 20 rurius ſe ſuomittit patri 21. accerſitur ad regnum 22. regnat tranquillè. 22
Aldhelmus, Monachus Maldesburienſis. 33
Aldibertus R. Saxonum, f. Emerici. 12
Aldiberta f. Emerici R. Saxonum. 12
Alemania ſuperior qualis olim natio fuit. 2
Alemania inferior qualis. 3
Alemani in Sueuia ſuperantur ab Audouagrio ſiue Odoacro. 54
Aleslebia opp. Vdonis MarchionisStadenſis. 365
Alexander Friderici II. Elect. Sax. filius. 776
Alexandri R. Poloniæ bellum Pruſsiacum. 841
Alexandria Vrbs Mediolanenſis. 444 494
Alexius Comnenus Imp. Conſtantinopolitanus 453. pulſus cum vx. Euphroſyna ad Bonifacium III. Montferratenſem ſe confert 455 mittitur in Germaniam ut ſine periculo viuat 455. capitur à R. Bulgariæ 490. liberatur à Sabaudo. 491
Alexius D. Boemici exercitus 372. interficitur. 373
Alfridus II. R. Angliæ è Danis 45. tollitur veneno. ibid.
Algania. 671
Alheidis Brunſuigia Vx. Henrici L. Haſsiæ. 573
Alheidis C. Arneshaugij vidua, Vx. tertia Alberti L. Turingiæ 604. eius querelæ de marito. 623
Almanus præſul Patauienſis. Pontificis legatus, intereſt conventui Triburiæ 356. obiit 376
Alphonſus Hiſpanus, R. Caſtellæ, regno pellitur. 48
Alredus regno eijcitur. 23
Alrichus f. Vuitredi, R. Cantianorum. 14
Alſteta opp. 286. obſidetur ab Alberto L. Turingiæ. 591
Alſtetenſis conuentus. 316
Alteburgum metropolis Vuagitorum, aliis Stargarda. 166
Altenſehenſe cænobium 341. inſtauratur ab Oth. D. Sueuiæ. 384
Amalbinus, Caroli Magni familiaris, ad Vuitechindum mittitur. 434
Amberia Delphinatus opp. capitur & diripitur. 482
Ambitio eccleſiaſticorum. 497
Ambitio. 244. 268. 298. 370. 537. 603
Ambitionis poena. 241. 269
Ambruna opp. ad pontem fl. Ayni ſita. 482. 486
Amedea f. Ioh. Iacobi Montferr. Vx. Ioh. Iacobi R. Cypri. 460
Amedeus I. vel Immedus XII. Sabaudus &c. 497
Amedeus II. vel Immedus XIII. M. Sabaudiæ. 502
Amelungus præſul Verdenſis 383. è Stubeſgehornia familiâ. 182
Ameleis vel Aemilia f. Friderici II. Placidi Elect. Sax. Vx. Ludouici Bauari Diuitis. 736
Ameleis Friderici II. El. Sax. filia obijt 843
Amelberga f. Clodouei R. Francorum, Vx: Erinfridi R. Turingorum. 570
Amicitiæ reuerentia. 293
Amicitia propter utilitatem non expetenda. 55

Amos

Amor religionis. 425
Amor & pietas in patriam. 224. 270.
Amurrhates Imp. Turcicus, cum R. Bulgaro, occupat agrum Conſtantinopolitanum. 490
Anabaptiſtarum ſeditioſorum clades. 863. Monaſterienſium ſeditio. 876
Anargus Vualdenburgicus 682 cedit Cometauio. 775
Anaſtaſius Imp. quo temporæ vixit. 2.
Andegauum ſubigitur à Saxonibus. 54
Andislebia arx ab Erfurdianis euerſa. 629
Andreas R. Vngariæ. 408
Angelfridus Patriarcha Aquileienſis intereſt R. Synodo. 163
Angermunda opp. 264
Angili à quibus populis oriundi. 8. Vbi olim eorum ſedes. ibid.
Angiſa f. Hengiſti. 11
Angriuarij quales populi. 2
Anhaltina Ditio depopulatur à Burggr. Leiſnicenſi, & Friderico L. Turingiæ. 587
Anna Britannica, ſponſa Maximiliani Imp. rapitur à Gallo. 826
Anna R. Anglorum orientalium. 13. 21
Anna Eni f. R. Saxonum orientalium. 27
Anna f. C. Salinarum, Vx. Hugonis III. Sabaudi. 473
Anna ſoror R. Vladislai, Vx. Henrici D. Carinthiæ. 635
Anna f. Friderici III. Grauis M. Miſniæ & L. Turingiæ, in pueritia obit. 640
Anna f. Friderici bellicoſi Electoris Sax. Ludouici II. L. Haſsiæ 684. 750. eius mors 731
Anna f. Alberti Auſtriaci, Imp. Vx. Vilhelmi D. Sax. 705. moritur. 731
Anna f. Vilhelmi D. Sax. Vx. Henrici D. Munſterbergi 705. tractatur à marito illiberaliter. ibid.
Anna f. Friderici II. Placidi Elect. Sax. Vx. Alberti D. Brandeburgici, Achillis germ. 736
Animaduerſio fornicationis. 167. item in delinquentes. 264. 431
Annebergi cœnobium Franciſcanum conditum. 846

Annales
- Antiſtitum 129. 229. 552
- Aquileienſes. 414
- Auſtriaci. 290
- Boemici. 367. 671
- Britanici. 19
- Brunſuigij. 104
- Cellenſes. 555
- Erfurdiani. 84. 89. 382. 705. 736
- Fuldani. 311
- Gozecenſes. 82. 88
- Hamburgici. 99
- Heſsiæ. 47
- Hildeshemij. 99. 338
- Iſenacenſes. 610
- Lauterbergij. 82. 89. 518. 544. 549. 555. 562
- Magdeburgij. 62. 248. 565
- Mersburgicorum præſulum. 581
- Moguntini. 77. 381
- Mindenſes. 99
- Milnenſes. 301. 611. 605. 606
- Neuſtadienſes. 705. 734
- Norinbergij. 100
- Pegauienſes. 84. 89
- Polonici. 262
- Reichenauienſes. 414
- Reinhartbornij. 84. 89
- Sanctogallini. 414
- Saxonici. 89. 381. 440
- Turingici. 47. 562. 577. 637. 655. 676
- Veterocellenſes. 261
- Vngarici. 298
- Vuormacienſes. 77
- Vurciburgij. 298

Annonæ caritas & vilitas. 706
Anno Ant. Colonienſis: Otho Bauarus & Ecbertus M. Saxoniæ, eripiunt Auguſtano Henricum IV. Imp. adhuc puerum 339. ob hoc factum ſeſe ſcripto publico ſuſpicione liberant. ibidem.
Annus calamitoſus. 863
Anſegiſus præſul Trecarum. 161
Anſelmus præſul Hildeshemins. 336
Anſelmus præſul Hauelburgius intereſt bello Vandalico. 541
Antiſsiodorum opp. 429
Antonius dominus Campaniæ. 490. idem conſtituitur præfectus arcis Limenæ captæ à Sabaudo. ibid.
Antonius Paumgartnerus ciuis Noribergius in iram incurrit grauem apud Vilhelmum D. Sax. 734
Antonius præſul Pabergenſis in Francia bello petitur à Vilhelmo D. Sax. 434
Antuerpienſis Marchio natus Imp. ceſsit. 190
Appenninus mons. 445
Apitius ſpurius Alberti L. Turingiæ 591. eius vis in agro Reinhartbornio 594. repri-

reprimitur ibid. moritur. 604
Apollonius Vicethumus cum alijs arbiter inter C. Leiſnicium & Ab. Chemnicenſem 672. 682. intereſt bello Boemico 700: eſt conſiliarius Vilhelmi D. Sax. & L. Turingiæ 707. cauſa diſsidij inter principes fratres: ibid: & 709 75[illegible]60. 761. eius iter Romanum 720. 767. [illegible]urgum occupat 721. profugit in Boemiam 726. eius technæ 727 bellum molitur patriæ. 769
Apollonius Eblebius Dornbergi ad Salam capitur. 725
Apolleda opp. Vicethumiorum. 725
Apollonius f. Apollonij Vicethumus Tanrodenſis iuramento ſe purgat apud Vilhelmum D. Sax. 733. ſuſpectus redditur propter parentem 733. obſidetur Tanrodæ ibid. clam fugâ elabitur. ibid.
Appelſtera pag. Vicethumiorum crematur. 763
Appulium bellum. 58
Aquiſgranum urbs 127. ibidem conuentus principum agitur. 234
Archangeli templum in Apuliæ monte Garguno ſpoliant Mauri. 174
Aremoricus tractus quis 4
Argentinenſe templum incenditur. 243
Argentinenſis ager vaſtatur ab Armeniacis. 707
Argentorati templa inſtaurantur. 285
Argolicum ſinum tranſit Bonifacius III. Montferratenſis. 455
Armegardis f. Vigberti D. Angrinariorum, Vx. prima Ludouici pij, Caroli M. filij 440 ſepulta Moguntiæ in D. Albani monte. 440
Armeniacus exercitus. 500
Armeniaci irrumpunt in Alſatiam. 707
Armesleba ab Erneſto Electore occupatur. 784
Arneburgum opp. 275
Arnesburga arx Vueſtualiæ inſtauratur. 265
Arneshauga arx prope VVartburgum. 604
Arnulphus Schierenſis oppetit. 150
Arnulphus Bauarus Oth. I. Imp. equitum Magiſter. 111. 128
Arnulphus II. Schierenſis infeſtat Bauariam. 330
Arnulphus Imp. 105. eundem Ticinenſes exagitant. 253
Arnulphus Imp. ubi conditus. 330
Arnulphus Rauennæ Ant. deturbatus reſtituitur. 283
Arnulphus præſul Halberſtadius. 248
Arrianus, Græcus ſcriptor. 3
Arrogantiæ & audaciæ poena. 4. 5. 235 255
Arſchotorum petulantia. 822
Arſchoti oppugnatio & expugnatio. 822
Artharius R: Saxonum. [illegible]
Arua fl. Geneuenſis. 480
Aſaburgum urbs, nunc Oſnaburgum. 431
Aſcalo urbs Paleſtinæ. 447
Aſcania arx. 100
Aſenbergum caſtellum expugnatur à Sax. 346
Aſſaſini populi è gente Chaſiorum. 447
Aſſaſini quid vocabulo Italico dicantur. 447
Aſſaſini duo ſicarij interficiunt Conradum Montferratenſem. 452
Aſſenſio veri cultus Dei. 13
Aſmeſtera arx eripitur Hermano Harraſio. 158. 709
Aſta, urbs Mediolanenſis 460. obſidetur à Bernabone Vicecomite. 492
Aſtartes, Venus Syriaca. 25
Ater Deus, idolum. 63
Aterna fl. Haſsiæ. 429
Atha Edelfridi R. Northumbr. f. 16
Athenæ à Bonifacio Montſerratenſe captæ. 555
Atila R. Gothorum. 57[illegible]
Athendorium, urbs Vueſtualiæ. 434
Athendorium Vuitichindas vocatur. 434
Atticam ditionem Bonifacius peruadit. 454
Attila R. Hunnorum. 54
Attiniacum, urbs prouinciæ Tranſrhenanæ. 78. 434
Auares populi Italiæ 436. vaſtant Turingiam 571
Auaritia. 138. 289. 290. 320. 341.
Auctores ſceleris meritò puniti. 18
Audacia ſcelerum. 84. 105. 128. 383
Audacia ſexus foeminei inaudita. 33. 84. 174
Audouagrius ſiue Odoacer D. Saxonum. 54
Auentinus, ſcriptor. 100
Aufredus Traiectinus. 99
Augia inſula. 243. 301
Auerbachium opp. à Boemis crematur. 744
Augusta Vindelicorum. 152
Auguſtana Comitia. 145
Auguſtinus Ant. Cantuarienſis. 13
Aurelius Ambroſius quomodo cognominatus. 11
Aurelia f. Friderici II. Placidi Elect. Sax. in pueritia obit. 736

Auſtia in Boemiâ oppugnatur 699. eiuſdem direptio. 701
Auxilij diuini imploratio. 349
Axona fl. 189
Aynus fl Sabaudiæ. 482
Azo Canuſius propter factionem Beringarij exulans. 161
Azo Scriniarius Legatus Pontificis Romani. 161

B.

BAba Vx. Henrici Palatini C. Francici. 100
Babaperga opp. 100
Badalicenſe præſidium expugnatur. 131
Bagoenſis Comitatus. 496
Balæus, ſcriptor. 34. 41
Baldaſar L. Turingiæ, f. Friderici III. Grauis. Vx: eius I. Margaritha f. Ioh. Norinbergij Burggr. 656. 660. II. Agnes, vidua D. Brunſuicenſis, f. Venceslai. 656. militat Edouardo VI. Anglo contra R. Galliæ & Pictones: ibid: eidem Regi inſeruit contra Henricum Hiſpanum: 657. domi Vodlandis præficitur ibid: eius bellum cum L. Haſſiæ contra Brunſuicenſem & Zigenhanium 659. reprimit & delet Stellatorum factionem 660. eius bellum Moguntinum ibid: diuidit prouincias cum fratribus ſuis ibid: placat ciuitates Imperiales ibid: bellum eius cum Hermano L. Haſsiæ 661. auxilio venit Ludouico præſuli Halberſtadio fratri ſuo 668. Gebeſam liberat à Spirenſe præſule ibid. vaſtat agrum Erfurdianorum 669 cenſum imperat ſubditis 663. moritur: ibid.
Baldaſar Vuangenheimius Dornbergi capitur. 725
Baldericus C. venenum propinat Vuigmano. 300
Baldericus f. Merouei R. Francici conditor Bæneburgi, Schauenburgi & Stalburgi. 570
Balduinus VI: Flandriæ & Inſubrarum Comes. 44
Balduinus IV. Flandriæ C. urbem Valentiam capit 265. rurſus Valentiam reddens placatur Imperatori, 265. declaratur C. Valentiæ & Valachiarum. 266
Balduinus IV. R: Ieroſolymitan⁹ contra Saracenos & Aegyptios pugnat 446. vixit cælebs, aſciuit ad regnum Vilhelmum generum ſuum. 447
Balduinus V. Vilhelmi IV. R. Ieroſolymitani f. moritur ſtatim poſt auum Balduinum. IV. 447
Balduinus C. Flandriæ in caſtris Venetis pugnat. 453. creatur Imp. Conſtantinopolitanus 454. capitur à Myſis & truncatur. 456
Balduinus Ant. Moguntin⁹ cum Henrico Ant. contendit. 642
Balenſtadium, arx prædatoria in Hercinijs diruitur à Friderico Bellicoſo Electore Sax. 684
Balthaſar Coſſa ambit Pontificatum Romæ. 498
Balthicum mare. 8
Bangorienſium monachorum clades. 16
Bardoguni baptiſantur juſſu Caroli Magni. 431
Bardeuicus Ant. Magdeburgius conſtituitur arbiter inter Imp. & Sax. 361
Bardouicum, urbs propè Luneburgum. 437
Bartholomæus Barenſis Neapolitanus ab Italis eligitur Pontifex Vrbanus VI. dictus: 494
Barum, urbs Apuliæ. 191
Baſilienſe concilium diſsipatur. 500
Baſilius f. Nicephori Romani Imp. 174
Baſinus R. Turingorum. 570
Baſina Vx. Baſini R. Turingorum, ſtupri conſuetudinem habet cum Childerico R. Francico. 570
Baſſus Dux, Eduini R. Northumbr. 18
Bauaricum bellum. 132
Bauarica nobilitas turbas excitat. 242
Bauaria inueſtatur ob Henricum M. Auſtriæ. 250
Beatrix f. Raimundi C. Prouinciæ, Vx: Thomæ II. Sabaudi. 473
Beatrix f. Thomæ II. Sabaudi, Vx. Caroli R. Galliæ, Ludouici filij. 474
Beatrix f. Immedi VII. Sabaudi, Vx. Ducis Clarentiæ in Angliâ. 479
Beatrix f. R. Portugalliæ, Vx. Caroli II. Sabaudi. 507
Beatrix f. Friderici III. Grauis M. Miſniæ & L. Turingiæ, Sacerdos Magna Suſelicij cænobij. 640
Beatus Rhenanus, ſcriptor. 8
Beauregarda urbs ad Ararim fl. 494
Beblinga eripitur Holleccio. 794
Beda, ſcriptor. 4. 9. 34
Bedericus Teucherinus in villa Quizana à Viperto Groicio interficitur. 370
Belgarum legatio ad Raueſteinum. 832
Bellum contra Attilam R. Hunorum. 54

Bella Sax. cum Francis varia. 69. 74. 75. 76. 77.
Bellum contra Pictauienſem. 299
Bellum contra Saracenos. 66
Bellum cum Slauis. 156
Bellum Turcicum. 873
Belina opp. propè Graupam capitur ab Huſſitis. 691. rurſus capitur à Sigmundo D. Sa. & crematur. 474
Belgardum, Vngariæ opp. 701
Belgera ſaltus. 269
Belgra opp. Geronis M. Miſniæ: ibidem conuentus agitur. 272
Bemelbergiorum & Vuangenhemiorum nobilium inter ſe diſſenſio. 727
Bæneburgum à Balderico R. Francorum extructum. 570
Benedictinorum Monachorum ſodalitas. 83
Benedictus V. Pontifex eligitur contra Imperatorem. 164
Benedictus Cardinalis, legatus Romanus. 179
Benedictus VII. Pontifex. 234
Benedictus VIII. Pontifex deturbatus Poledam ad Imp. venit. 282
Benedicti Pontificis decretum. 372
Beneuentum diripitur 196. quomodo initio dicta ibid. redditur Italis ab Oth. III. 226
Benno D. Saxoniæ vel Luneburgij, iniungit filio, ut ablata reſtituat Eccleſijs 265. moritur. 271
Benno Ant. Oſnaburgenſis Imp. Henrici IV. partes ſequitur 346. mittitur legatus in Sax. caſtra. 346
Benno Ant. Miſnenſis in Imp. Henricum IV. conſpirat 346. fit ſupplex. 353. liberatur è cuſtodia. 355
Bennonis Ant. Oldeburgij pietas in recolligendis Eccleſiarum reliquijs à Slauis dirutis. 292
Benredus R. Merciorum 33. regnum amittit eo ſcelere, quo conſecutus eſt. 321
Berbena vrbs ad Albim prope Angermundam ſita. 264
Berbenſe Monaſterium, 129
Barbinum opp. deſtruitur à Diterico M. Oſterlandiæ & Lansbergi. 586
Berchta Seburgia necat phyltro Hermannum f. Ludouici Placidi, Landgr. Turingiæ. 573
Bercha arx adimitur C. eiuſdem nominis ab Alberto L. Turingiæ. 592
Berengarius, ex Inſubribus ejicitur 144. in Germaniam proficiſcitur: ibid. reconciliatur Imp. 145. ei adimitur Veronenſis & Aquileienſis Marchionatus 145. eiuſd. aſperitas ibid. eius fuga 162. montem Leonis munit 163. obit Pabepergæ. 171
Berenaldam caſtrum Vilhelmus Cocles ad ſe transfert. 671
Bergenſis ditio vaſtatur. 714
Bergomum. 494
Beringerus C. Turingiæ rapit ſponſam Ludgardam 226. reſtituit eam ſine iniuria 227. impetrat veniam ab Imp. 227
Beringerus M. Ballenſtadius accuſat Dedonem C. Mersburgium: 269. proſcribitur 279. rapit Reinhildim Beichlingiam 285. moritur. 286
Beringerus C. Sangerhuſij, Hoeſtoinum arcem extruxit. 535
Beringerus Schidingenſis eques auratus Echardbergum tenuit. 637.
Bernabo Vicecomes Mediolan. D. bellum Immedo facit, 492. 671. eius ſimultas cum Galeatio. 494
Bernabo Vicecomes & Franciſcus Carrarius Patauinus reconciliantur ab Immedo XII. Sabaudo. 497
Bernhardus D. Luneburgius 187. eius victoria de Danis 197. deficit ab Imp. 313. conſequitur rurſus veniam. 314
Bernard⁹ Saxo, Magiſter equitum, vel ſtabularius Imperii 213. captiuos redimit à Danis grandi ære. 222
Bernardus Marchio ſeditionem Magdeburgi mouet 300. ſatisfacit Magdeburgio 301. in amicitiam redit cum C. Summeringijs 301 reconciliatur Geroni Ant. 312
Bernardus præſul Halberſtadius. 177
Bernardus D. Saxoniæ, filius Bennonis degener 271. turbat Miſniam 291. reconciliatur rurſus Imp. 292
Bernardus C. Palatinus paralyſi extinguitur. 301
Bernardina ſocietas. 666
Bernardo Anhaltino eripitur à C. Falchenſtenio arx Rhena 589. idem Anhaltinus vaſtat agrum Mersburgicum. 689
Bernardus C. Reinſteinius vaſtat agrum Mersburgicum 689. capitur in fuga. ibid.
Bernardus Kochbergius conſiliarius Vilhelmi D. Sax. & Landgr. Turingiæ 709. autor diſsidii inter principes fratres. ibid.
Bernardi Schonbergij mors. 807
Bernardus Vicethumus legatos Burgundios intercipit. 722. oppugnatur à Vilhelmo D. Sax. 724. exulat: ibid.
Bernarius præſul Verdanus. 243
Berneburgum à Slauis incenditur. 226

Berno

Berno C. Heſſus reprimit factionem contra ſe excitatam. 300
Bernuardus præſul Vurciburgius. 219. legatus in Achaiam miſſus. 226. ibidem moritur. 226
Bernhardus præſul Hildeshemius educat Henricum II. Bauarum. 238. intereſt conuentui Mersburgico. 242. ab Altmanno C. Brunonis milite obſidetur. 313
Berrhæa vrbs in Theſſaliâ. 455
Berrenta opp. crematur a Boemis. 745
Bertha vxor Edelberti R. Saxonum. 12
Bertha f. Ludouici I. M. Salutiarum vx. Ducis Bauariæ. 473
Bertha vidua Popponis C. Vipperenſis nubit Geroni C. Brenæ & Camburgi. 529
Bertha f. Viperti Oſterlandiæ M. & Groicenſis C. vx. Dedonis VI. M. Miſniæ. 536
Bertha f. Conradi M. Miſniæ, ſacerdos Gerbſtetenſis. 537
Bertharius R. Turingorum. 570
Bertholdus R. Sax. domeſticus primus. 69
Bertholdus Dux Saxoniæ. 79
Bertholdus D. Bauariæ obit. 329
Bertholdus D. Zaringiæ obit. 376
Bertholdus Schierenſis conſpirat contra Imp. 332
Bertholdus D. Charinthiorum legatus mittitur in caſtra Saxonum. 346. negat ſuum auxilium Imperatori. 352
Bertoldus Hennebergius fit El. Moguntinus. 793
Bertoldus Zaringius D. & Philippus Sueuiæ inter ſe contendunt. 435
Bertoldus Hanſtenius aduerſarius Friderici L. Turingiæ capitur. 664
Bertholdus Niger Germanus monachus bombardarum inuentor. 677
Bertrada f. Conradi Burggr. Vitini vx. Beringeri Comitis Sangerhuſij. 535
Beruizo homicida accuſatur à Diterico f. occiſi Dedonis. 518. proſcribitur. ibid.
Berungum maius Vuangenhemo traditur. 641
Bertuolfus R. Merciorum. 33
Bichina opp. 297
Bichlingum arx Salio eripitur. 86
Biellam à Viccecomitibus occupatam Sabaudus recuperat. 496
Bieſſa comitatus. 496
Billingius R. Obetritarum. 73
Bilſteinum arx ducatus Brunſuicenſis traditur Henrico M. Miſniæ pro redimendo Alberto Brunſuicenſe. 584
Binera fl. 557
Bio C. Stadenſis accipit proſcripti Beringeri ditionem. 279
Bio C. Mersburgius in prælio interfectus. 517
Biſchoffuerdæ direptio. 844
Bitterfelda adimitur Anhaltinis. 587
Blanca Maria vx. Amedei XIII. Sabaudi f. Ioh. Galeatij D. Mediolanenſis. 503. eius prudentia. 504
Blancha f. Eduardi, vx. Ludouici IIII. R. Franciæ. 42
Blanchaſchildis vx. Vuilhelmi C. Aureliani, mater Ludouici I. Turingiæ Præfecti. 42
Blanchenhaina arx obſidetur. 717. opp. incenditur. ibid. eiuſdem altera obſidio ſoluitur. 764
Blondus, ſcriptor. 183
Blumbergum incenditur. 713
Bobenburga arx Mindenſis diœceſis. 76
Bobienſe cœnobium. 284
Bobeſtetum euertitur. 646
Boda fl. 132
Bodelſteta in Turingia ab Erfurdianis petitur. 642
Bodo R. Saxonum. 11
Bodo C. Stolbergius improbat propoſitum Vilhelmi D. Sax. 758. ſequitur partes Electoris contra Vilhelmum. ibid. adiuuat Suarceburgium. 763
Bohemicum bellum ſub Othone. 128. recrudeſcit. 142. finitur feliciter. 143. Boemis proponuntur pacis conditiones. ibid.
Bohemorum ſæuitia in Miſnia. 198
Bohemiæ Duces fratres bellum mouent inteſtinum. 216
Bohemicum bellum ſub Imp. Henrico II. 257. conficitur feliciter. 259. alterum. 272. 293. alterum ſub Sigiſmundo Imp. 697
Bohemici regni competitores. 802
Bohemiæ regnum Alberto D. Sax. defertur. 802
Bohemi calliditas. 294. renouat bellum cum Sax. 294. victoria potitur. 295. eiuſdem ſuperbia & pertinatia. 302
Bohemorum noua in Miſniam irruptio. 533. eorundem legatio de pace ad Imp. 369. item victoria ad Auſſiam. 701. irruptio in Miſniam. 717. animoſitas & virtus. 737. victoria. 738. altera irruptio in Miſniam. 740. 742. crudelitas. 741. tertia in Miſniam, Vodlandiam & Bauariam. 749.

749.irruptio in Auſtiam.800.Pirnam occupare moliuntur. 770
Bolislaus D.Boemiæ. 128
Bolislaus II. legatos Romam mittit. 175. de iniuria Miſnenſibus illata ſatisfacit. 213. Idem obſidet Budiſsinam. 267. idem è manibus hoſtium elabitur.273 iterum arma induit. 276. excæcatur à Polono. 276
Bolislaus R.Poloniæ legatos ad Imp. mittit. 278.eidē traduntur Mersburgi ſigna equeſtria.280.iraſcitur Imp. ꝓpter captū ei⁹ filiū. 288. corrumpit pecunia Principes & præſules Imp. 288
Bomenburg propè Northeimum. 366
Bonifacius, ſcriptor. 154
Bonifacius Pontifex. 13.17
Bonifacius Epiſcopus. 40
Bonifacius Valrami M.Montferratenſis f.C. Sauonæ. 445
Bonifacius I.Vilhelmi M.Montferratenſis f. vx. eius Maria f. Philippi III. R. Franciæ. 445
Bonifacius II.Vilhelmi III.f.vxores eius duæ.I.Eliſabetha Iſacij Imp.Conſtantinopolitāi f.II.Margaritha,BelæIII.R.Vngariæ f.449. adiungit ſe Guidoni Luſignano R. Ieroſolymitano.449.accipit R.Theſſaliæ. 449.Saracenicum bellum continuat.449 capitur à Saracenis & liberatur à filio Conrado. 449
Bonifacius III.Bonifacij II.f.Montferratenſis,vxx. duæ, prima non nomitata: altera Emerici R. Pannoniæ f. Iſaacij Angli viduam. 453. intereſt duabus expeditionibus Venetorum. 453. eius expeditio in Thraciam. 454. mittit in Theſſaliam contra Scythas auxilia. 455
Bonifacius IV. Vilhelmi V. f.M.Montferratenſis.456.vx.ei⁹,Conſtantia,Amedei D. Sabaudiæ primi f. 456
Bonifacius I.Ioh.Iacobi f. M.Montferratenſis eius vxx. I. Conſtantia, Sabauda. II. Maria, è Palæologorum gente. 462. eius obitus. 462
Bonifacius II. Vilhelmi III. f. M. Montferr. excutitur ex equo & moritur. 464
Bonifacius I. Thomæ II. filius Abſolon dictus,Ant.Cantuarienſis fit. 476. ædificat extra Londinum ad Thameſim fl. Sauoyam. 476. duas arces in Sabaudia extruit. 476. ſepelitur in templo Haultecombeio. 477
Bonifacius II. Immedi VI. f. 482. C. Vallis Oſtæ & Zables, capitur vnâ cum C.Salutiarum & in vrbe Aſta moritur. 483
Bonna f. Ludouici V. Sabaudi, vx.Galeatij Mariæ D.Mediolanenſis. 501
Bononia capta à Galeatio Vicecomite. 489
Boriſſa Slauorum præfectus ſtrangulatur. 264
Borgena,arx euertitur. 717
Borna, oppidum obſeſſum fortiter ab Hermāo Canuto defenditur.614.capitur.616 rurſus redditur Friderico L. Turingiæ à capto legato Imp. 617. crematur à Boemis. 717
Boſſena, f. C. Pleiſſenſis vel Aldenburgij, vx.Ditgremi Budſecij. 513
Boſſena, cænobium ſpoliatur à Boemis. 717
Boſo præſul Mersburgius inauguratur. 179
Boſo Vicethumus Miſnenſium præfectus in bello Boemico. 700. conſiliarius fit Vilhelmi D.Sax.& L.Turingiæ. 709. fax diſcordiarum inter principes: ibid. incidit in ſummum diſcrimen. 710. proficiſcitur in Auſtriam cum Imp. 454
Botgagerlandia capitur à Georgio D. Sax. & Brunſuigijs. 851
Botho I Immedi f. 468
Botho II.Retingi I f. 468
Botho III.Retingi II.f.468. obit ſine prole. ibid.
Bottelſtadium oppigneratur Erfurdianis. 715
Brabanti quales populi. 4
Brana Hadrianopolitanus tumultuatur contra Iſaacium Angelum Conſtantinopolitanum.451.eiuſdem cædes. 452
Brandeburgiæ Eccleſiæ fundatio. 124
Branco vir nobilis,Imp. Henr.ſatelles pœna afficitur. 264
Brandagus vel Bronhagus Fuldanus creatur Ant.Halberſtadius. 317
Brandeburgum, Brandeuelſa } arces, tribuuntur ab Alberto L.Tu.f.Apitio.594
Bregſuida,vx.Hederici R.North. 16
Bremenſis Ant. aſſentatio & πλανηξία. 340. gratia excidit apud Imp. 341
Brenenſe cænobium ab Eliſabetha f.Alberti I.Sax.Electoris conditum. 555
Breitenbachium, arx ab Abb. Hirſueldenſe & Fuldano euertitur. 632
Breitenheida euertitur. 646
Breſſenſis ditio. 482
Bretingum propè Iſenacum. 651
Bretislaus Boemus prædam magnam abigit è Boemia & Miſnia. 308
Briſacenſes ſe dedunt. 137

Briſacum opp.ad Rhenum obſidetur. 136
Britani quales populi. 4
Britania quomodo deinde dicta. 41
Britanica factio in Algauia. 671
Britanorum orientalium reges è gente Sax. oriundi. 27
Britones quales populi. 22
Brixiani intromittunt Imp. Henric. II. 253.
Brugenſium clades. 816
Bruno Henrici I. Imp. f. Colonienſis Ant. doctiſsimus. 322. adhibitus ad expeditiones belli propter prudentiam ſingularem 322. compeſcit latrocinia in diœceſi Bellenſi. 322. in perpetuum relegat Raginerum C. Montenſem. 322. reconciliat Galliæ R. & C. Pariſienſem. 323. eius morbus & mors. ibid. Coloniæ ſepelitur. ibid. laus eius ſumma. 324
Bruno M. Saxoniæ, Henrici D. Bauariæ f. 324
Bruno I. f. Henrici I. ex Iutta Bauarica. 334. Vx. Hildeſuinda, C. Croatiæ f. ibid. accipit Marchionatum Saxoniæ. ibid. intereſt Troiamini Conſtantienſi. ibid.
Bruno II. M. Saxoniæ f. Brunonis, Vx. Giſela f. principis Vuerlaenſis vel Lotharij R. Franciæ. 335
Bruno III. M. Saxoniæ. 335. eius controuerſia cum Othone M. Turingiæ. ibid. in mutuo conflictu cum Othone M. Turingiæ oppetit. 335
Bruno I. Othonis D. Sueuiæ f. 383. Pontifex Romanus. 384. ſuccedit Ioh. XVI. Gregorius quintus dictus. 225. 384. vir doctiſsimus & prudentiſs. 384. eijcitur à Creſcentio. 385. fugit primùm in Hetruriam, deinde in Germaniam ad Imp. ibid. reſtituitur. ibid. eius mors & ſepultura. 386
Bruno Lodolphi f. præſul Verdenſis, ſucceſſor Amelungi. 383. conditor Vlſenſi cœnobij quod Alſtadium nominauit. 383
Bruno, ſcriptor, qui Henrici IV. vitam deſcripſit. 364
Bruno D. Angriuariorum & Vueſtualorum. 92
Bruno. II. 98. quomodo perijt. 99
Bruno C. Arnburgius. 189
Bruno fr. Henrici II. Imp. præſul Auguſtanus. 245
Bruno præſul Mersburgius obſidetur in ſua arce. 313
Bruno præſul, Cunonis I. f. præſul Vurciburgius. 407. cum Conrado II. Imp. proficiſcitur in Inſubriam. ibid. eius altera expeditio in Vngariam cum Henrico III. Imp. ibid. eius mors. ibid. ſepultura & eiuſdem eruditio. 407
Bruno D. Sax. & Angriuariorum ſe Carolo M. ſubijcit. 427
Brunonis & Helponis legatorum Othonis I. expeditio in Italiam infelix. 161
Bruno C. Quernfurdius addictior partibus Electoris, quàm ſui domini, Vilhelmi D. Sax. 758. moritur. 788
Brunonis Portæ bellica Prudentia. 770
Brunoburgia arx. 427
Brunsbergum inchoatur. 94. perficitur. 98
Brúſuiga vrbs. 98. rebellat ſuis principp. 734
Brunſuicenſium Ducum expeditio in Phryſiam. 850. prælium ad Peinam cum præſule Hildesheimenſi. 857
Bruſchius, autor annaliũ Moguntinorum. 77
Bruxelléſes pacé orãt ab Alberto D. Sax. 824
Bruxia expugnata. 691. cremata. 773. Bohemis reſtituitur ab Elect. Sax. 775
Bucco nobilis Auſtriacus. 245
Bucco præſul Halberſtadius in Imp. Henricum. IV. conſpirat. 345. fit ſupplex. 353. liberatur è cuſtodia Pabebergica. Idem relegatur in Vngariam. 355. contradicit Hartuigo pacem ſuadenti. 374
Bucellinus D. Francorum a Narſete interfectus. 56
Buchonii ſtellatæ factioni addicti partes ſequuntur Oth. Brunſuicenſis contra L. Haſſiæ 657
Buda, opp. 697
Budiſsina obſidetur à Guncelino. 393. capitur deditione. 394
Bulchus Vngarus captiuus. 121
Bunana Eiſſtroburgica vxor Plauenſis. 777
Burchardus D. Sueuiæ III. cadit in bello Vngarico. 155
Burchardus Præſul Vuormacienſis. 238
Burchardi D. Sueuiæ expeditio in Italiam. Ité eiuſdem victoria. 169
Burchardi Miſnenſis inauguratio. 179
Burchardus, præſul Loſannenſis cæditur. 375
Burchardus D. Turingiorum ab Vngaris cæſus. 382
Burchardus C. Nellenburgius irruit in cœnobium Sanctogallinum, omnia incendit. 413
Burchardus Ant. Magdeburgicus Henricũ præſulẽ Mersburgicũ vinclis includit. 607
Burchardus Varila ſupremus aulæ iudex. 733
Burchardus Vicethumus in Electorem Sax. conſpirat. 763

Burgum, Caſtellum Immedus IX. capit. 493

BurgundiæRegnum Henrico II. Imp. traditur. 298

Burgundi in Alſatiam irruunt. 312

Buſacteri. 2

Buſchutum, vrbs Daniæ. 187

Buſteda, opp. vaſtatur incendijs. 764

Buttileri, nobiles Thuringi. 603

C.

CadualadrusR. Sax. occident. 37. Romæ priuatus obijt. ibi.

Cala, opp. Turingiæ capitur deditione à Friderico Bel. Elect. Sax. 684

Calamitates publicæ. 309. 354

Calba, opp. 185. 670.

Caleberga à M. Miſnenſi Henrico extructa contra vi SophiæBrabantinæ inTuringia. 581. rurſ⁹ab eodē euerſa. 581. ConradoKauffungo abElectore Friderico adimitur. 770

Calonymus Ebræus. 193

Calliditas. 60. 392. 394

Cambergum, pag. Vicethumiorum à Vilhelmo D. Sax. occupatur. 724

Camerinates & Spoletani inter ſe diſſentiunt. 164

Cameracum in Burgundia. 141

Caminenſis Eccleſiæ fundatio. 124

Campania regio. 281

Campi Catalaunici. 54

Cantabrigiæ lud⁹ literarum conſtituitur. 26

CantianorumReges qui 10. Cantuarij qui. 8

Canutus R. Angliæ èDanis. 44

Canutus II. R. Angliæ è Danis. 44

Căpelndorſum, arx Vicethumi. 723. ibidem capti legati Burgundici à Bernhardo Vicethumo aſſeruantur. 723. obſidetur à Vilhelmo D. Sax. & capitur. 725

Capuana ſylua. 361

Capunga, opp. 304. ibi extructum collegium Veſtalium. 312

Carauſius D. Romanus oppreſsit multos Saxones & Francos. 4

Carbonarij in Principem pietás & ſimplicitas. 772

Carolomanus, Caroli f. R. Francorum. 76.

Carolus M. Rex Franciæ quo tempore vixit, 33. 78. & quo tempore Imp. declaratus eſt. 40. recipit in gratiam Albronem & Vuitichindum. 79. varia eius bella cum Sax. 92. 94. 425. 429. 430. 432. eorum idola deſtruit. 425. 426. hybernat Dedenhouæ. 426. Deſiderius. R. Longobardorum ei bellum infert 426. defectio Saxonum. 427. ei orientales Sax. ſe ſubijciunt. 427. Eidem D. Bruno cum ſuo populo, ſe ſubijcit ibidem eius altera expeditio in Italiam. ibid. rurſus eius bellumSaxonicū. 428. eius manſuetudo ergaSaxon. ibidem quatuor millia & quingentos Sax. pœna capitali uno die afficit. 431. hybernat Eresburgi. 432. quatuordecim prælia cum Sax. commiſſa. 433. Vuitechindum ad ſe literis tuti itineris vocat. ibid. conſtituit aliquot præſulatus, 436. proficiſcitur in Italiam. ibid. eiusdem bella diuerſa contra Sax. tumultuantes. ibid. & 437. 438. 439. hybernat Heriſtelli. 438

Carolus Comes, f. Ridácli Marchionis, obijt in exilio. 285

Carolus I Amedei XIII. f. 505. ei Ludouicus M. Salutius fit rebellis. 506

Carolus. II. Philippi III. f. Vx. Beatrix R. Portugallia f. ſignifer Caroli V. in bello Smalcaldico. 527

Carolus IV. Imp. Lucelburgius proficiſcitur in Galliam. 492. per Sabaudiam redit in Germaniam. 493. componit bellum inter Spirenſem & Pabēbergenſem præſules. 669. eius expeditio in Italiam. 671. eius bellum cum Rutheno Plauenſe. 674. author arcis Caroloſteiniæ. 693. ambit. R. Boemiæ. 728

Carolus VII. Francorum R. 732

Caroli Badenſis expeditio contra Brugenſes & Gaudauenſes. 816

Carolus Burgundus Noueſium obſidet. 804

Caroloſteinum arx à Carolo IV. Imp. exædificatum. 693. oppugnatur à factione Huſsitica. ibid.

Carnia regio Vngariæ. 329

Caſparus Rechenbergius, Eques Miſnenſis, præfectus Auſtriæ in Boemia. 699

Caſpar Hedio, ſcriptor. 707

Caſimiri Brandeburgij nuptiæ. 857

Caſimirus R. Poloniæ contra Pruſſos pugnat. 727. funditur ad Choiniciam. ibid. ambit R. Boemiæ. 728. contendit ob regnum Bohemiæ cum Mathia Vngaro. 780. 782 exercitum abducit. 783

Caſimirus frater R. Poloniæ poſcitur R. Boemiæ a factione Thaboritica. 751. reprimitur & funditur ab Imp. 752

Caſlalana ſedes Imperatoria. 289

Caſſander R. Sicambrorum. 1

Caſsiodorus, ſcriptor. 54

Caſſella, ſedes Landgr. Haſsiæ inferioris. 573

Caſtores. 807

CatalogusPræſulum Pauebergenſium. 555

Catha-

Catharina f. Henrici Brunſuicenſis, Vx. Friderici Bellicoſi Electoris Saxoniæ 684. eiuſdem magnanimitas. 699. mors 746
Catharina f. Friderici Bellicoſi ElectorisSax. Vx. Friderici II. Electoris Brandeburgici. 684
Catharina Alberti D. Sax. filia nubit Sigiſmundo Auſtriaco. 808
Catharina f. Eberhardi Brandſtenij Vx. I. Hersbergij nobilis Francici II. Henrici D. Munſterbergij. 705
Catharina f. Vilhelmi D. Sax. vx. Friderici Brandeburgici. 734
Catharina f. Henrici C. Hennebergij: vx. Friderici Strenui L. Turingiæ. 650.652.674
Catilnelenbogij Comites. 645
Catimelicenſis comitatus ad L. Heſsiæ accedit. 750
Cauponaria nobilibus interdicitur. 790
Cauchi qui populi. 55
Cauci minores qui populi: majores qui. 2.8
Cauſa euerſionis regni Anglici quæ. 9
Cæcitas & ſtultitia. 337
Cædes. 129
Cearlas I. R. Merciorum. 30
Cedoualdus R. Britaniæ. 13
Cedoualdi factio reprimitur. 19
Ceduolfus qualia habuit tempora. 23
Cedoualdus R. Sax. orient. & Merid. 34. 36
Ceduolfus R. Merciorum. 32
Cella noua, monaſterium ad Oderam in Luſatia ab Henrico M. Miſniæ & L. Turingiæ extructum. 586
Cellenſe monaſterium ab Othone M. Miſniæ extructum. 557
Cenelmus f. Cenulfi. 33
Cenomani quales populi. 54
Cenultus R. Merciorum. 33
Ceolredus f. Edelredi. 30.32
Cerenus, pagus propè Miſnam obſidetur à Boemo. 393
Ceruetium opp. in Sax. 267.689. à Bolislao Boemo adoritur. 267
Ceunlinus R. Sax. Occident. & Merid. 34. 35
Chali quales populi. 2
Chamberina urbs. 493
Chamburgum præſidium Alberti M. Miſniæ. 561. eius ager vaſtatur. 710
Charudes quales populi. 2
Chemnicium urbem Imperij accipit Fridericus M. Miſniæ pro recompenſatione damnorum. 628. agitur ibidem conuentus. 683
Chenredus R. Sax. Occident. 37
Cherſoneſus Cimbrica quid. 2.4
Cheulerena, pagus diripitur à Schonburgio. 672
Chiburgum arx Torgouiæ celebris ab Vlrico ſolo complanatur. 411
Childaricus D. Danorum. 2
Childericus R. Galliæ vel Francorum pulſus ad Baſinum R. Turingiæ confugit 570. conſuetudinem ſtupri clàm habet cum eius vx. ibid.
Chocuburga vx. Eduini. 30
Choinicia in Pruſsiâ. 727
Choldicius ager vaſtatur à Boemis. 743
Chonredus R. Sax. occident. bellum infert Ecberto. 23
Chiezo Quedilburgius ad Lutitios deficit contra Imp. 220. conſequitur gratiam ab Imp. 221. patriam rurſus oppugnat & interit. ibid.
Chriſtiani cur à barbaris hoſtibus tàm crudeliter oppugnentur. 121
Chriſtianus Baumgartnerus indulgentias Pontificias vendit. 846
Chriſtianus C. Viburgius. 183.191
Chriſtianus Rotenburgius interficit clàm Cunonem C. Northeimium. 365
Chriſtina f. Alberti M. Miſniæ, vx. Hermani C. Lodeburgij. 559
Chriſtianus Sebergius cadit in acie. 701
Chriſtianus Vicelebius addictior Electoris partibus, quàm ſui domini Vilhelmi D. Sax 758. cadit in prælio ad Auſtriam 701.
Chriſtianus Haina præfectus Vuaſſenburgi capitur. 734
Chriſtianus Vicelebius partibus Friderici Electoris addictus 709. à Vilhelmo D. Sax. bonis ſuis pellitur. ibid.
Chriſtina Duc. Saxoniæ Ioanni Regi Daniæ nubit. 867
Chriſtina Georgij D. Sax. filia deſpondetur Philippo Heſsiæ Landgrauio. 863
Chriſtophorus Berenſteinius. 807
Chriſtophorus I. & II. Georgij D. Sax. F. F. 878
Chriſtophorus D. Bauariæ intereſt bello Boemico. 739
Chriſtophorus Michelanus Dornburgi capitur. 725
Chronicon
- Brunſuigium. 98.127.441.551
- Cellenſe. 75.577
- Magdeburgium. 304
- Neuſtadianum. 549.707
- Peganum. 365.559
- Quedlinburgium. 295.322

Saxonicum. 440
Turingicum. 463
Veterocellenſe. 89. 441
Vinetanum. 41
Chunburga ux: Alfridi Northumbrici. 30
Chunibertus R. Galliæ. 36
Chunhildis uxor Oſſualdi. 35
Chunhildis ux. Vuernechini, f. Rugiorum D. mater Brunonis & Vuitichindi, qui fuerunt authores primi noſtrorum Ducum ſtirpis illuſtriſſimæ. 80.
Chunhildus vel Cyngilus R. Sax. Occidentalium. 35
Chunhilda vel Chunegundis, ux. Henrici III. Imp. prima. 44
Chunciminda Annæ R. filia, uxor Pendæ R. Merciorum. 27
Chunualdus R. Sax. occident. eijcitur è regno à ſocero Penda I. reſtituitur poſt annum tertium. 35
Chunnolſus R. ult. Sax. occident. 37
Chunreda f. Cenulphi. 33
Chunredus R. Northumbr. 22.
Cidinus tumultus. 177
Cimbri quales populi. 8.
Cinberga f. Pendæ R. Merciorũ. ux. Aldfridi R. Northumbr. 21
Cinna opp. diœceſis Magdeburgiæ. 149
Cinnam conventus indictus. 149
Ciſtercienſis ſocietas. 557
Citienſis ager vaſtatur. 716. 764
Civitatum liberarum conſpiratio in Sueviâ, Franciâ, Bavariâ, 662
Clades. 99. 107. 117. 195. 224
Clades monachorum Bangorienſium. 16
Clades Saxonum. 70
Clades Francorum. 107
Cl. Ptolomæus, hiſtoricus ſcriptor. 2. 8
Claudianus Poeta, ſcriptor. 5
Clara f. Friderici III. Grauis, in infantia moritur. 640
Clementia. 2. 51. 130
Clemens Pontifex ab Henrico IV. Imp. inauguratur. 363
Clodoveus quis ita vocetur. 74
Cluflochius qui vocetur. 364
Cobbo vir nobilis. 321
Cocareſium urbs. 157
Coldicium in Miſniâ venditur Vilhelmo L. Thuringiæ. 672
Coburgum opp. Franciæ. 722
Coburgani ſe dedunt Vilhelmo D. Sax. 726
Coburganus ager vaſtatur à Boemis. 745
Collapſi regni reſtitutio. 14
Colonia Agrippina. 60
Colonienſis cum Trevirenſe Ant. de ſeſſione contentio. 127
Colonienſe bellum. 713
Cometæ duo viſi. 22. Comites. 781
Comenſis lacus. 163
Comites Sax. Palatini. 80.
Comitia Auguſtana. 847. 857. 872
Conſtantienſia. 847. Francofurtenſia. 791 841. Friburgenſia. 836. Moguntina. 857. Noribergenſia. 778. 797. 811. 418. 826 Spirenſia. 872. Vormatienſia. 834. 842. 862
Comnenus Iſaacius tyrannus, 46
Compotatio Saxonum. 64
Comum urbs Italiæ. 256
Confidentiæ pœna. 45
Confluentia opp. 297
Coniugia oli ſuperſtitione diſſoluebātur. 21
Coniuratorum bellum contra Oth. M. 326
Conradus Lichtenauius vel Vrsbergius, ſcriptor, 61. 96
Conradus C. Metenſis declaratur Imp. ab Oth. M. 101. eius in Henricum I. conatus malefici 105. eiusdem bellum cum eodem. 107. 514. eius mors. 109.
Conradus, Rheni Palatinus. 119
Conradus, R. Franciæ. 119. creatur D. Lotharingiæ. 140
Conradus, præſul Conſtantienſis. 127
Conradus, D. Francorum. eſt à partibus Imp. Oth. 133. deſciſcit ab Imp. 145. iterum conſequitur gratiam. 149. 151. cadit in bello Vngarico. 155
Conradus Francus, Camerarius Imperii. 213
Conradus D. Lotharingiæ occiditur. 322
Conradus, Henrici D. Bauariæ f. ab Vngaris interfectus. 324. 331
Conradus Ant. Traiectinus conſtituitur arbiter cum reliquis inter Imp. & Sax. 361. interficitur in templo. 376
Conradus C. Aleslebius intereſt conuentui Quedlinburgio. 371
Conradus M. Miſnenſis vnâ intereſt bello Vandalico. 541
Conradus II. Dedonis f. à Ruthenis occiditur. 523
Conradus Zaringius intereſt bello Vandalico. 541
Conradus M. Miſnenſis, Thimonis f. 528. capitur ab Henrico II. M. Luſatiæ. 529. vinctus tenetur catenis ferreis in Kirchberga arce. 529. potitur poſt ditione Henrici II. agnati ſui à Lothario Imperatore. 529

Conradus Burggr. Vitini, quintus Diteri II. M. Lansbergi f. vx. Ochtildis, ſoror Diterici C. Catenelenburgi. 535
Conradus III. M. Miſniæ, Thimonis f. 537. vx. Lutgardis, Alberti Sueui nobiliſſ. f. 537. perficit cœnobium Lauterbergium. 538. eius controverſia cum Alberto Brandeburgio. 538. conſequitur comitatum Rochlicium. 539. eius iter in Paleſtinam. ibid.
Conradus Imp. intereſt Syriacæ expeditioni. 540
Conradus D: Burgundiæ intereſt expeditioni Hiſpanicæ. 540
Conradus Lauterbergius, ſcriptor. 441
Conradus Pius Bonifacij II. f. 449. vx. eius Iſabella, Amalrici R. Ieroſolymitani f. Balduini IV. ſoror. 450. eius tyrocinium in Italia. ibid. eius bellum in Syria: ibid. liberat Imp. Conſtantinopolitanum obſidione. bid. patrem Bonifacium reſtituit: ibid. Guidonem reducit Ieroſolymam: ibid. Saracenos reprimit. 451. multi confugiunt ex Palæſtina, Syriâ & Phœniciâ ad eum. 451. ſua manu interficit Branam Hadrianopolitanũ in prælio 452. eius cædes. 453. Tyrij ſepelitur. ibidem.
Conradus, Dedonis C. Rochlitij f. Canonicus Magdeburgius. 547. renunciat ſacerdotio ibid. vx. Eliſabetha, Meſiconis D. Poloniæ f. 548. legatus cum Diterico præſule Mersburgio ad Innocentium III. Pontif. à R. Philippo mittitur: ib. eius bellũ cũ Polonis. ib. potitur victoria. 549. Lebuſiá capit, ꝑfectosq; ſtragulari curat. ib.
Conradus II. M. Diterici I. f. è Dobrogneua Polonica 544. haſtæ ictu Viennæ transfoditur. 544
Conradus, f. Henrici Burggr. Vitini & Zorbeccæ, puer obit. 550
Conradus C. Brenæ, Vx. eius Eliſabetha, Alberti I. Sax. Electoris f. 554
Conradus, Diterici M. Miſniæ f. puer obit. 568
Conradidorſi propè Penicam metallum ferri. 682
Conradi Amſdorſij mors. 807
Conradus Einſidelius capitur in prælio ad Auſtiam commiſſo: 701. liberatur tandem poſt 30. annum. ibid.
Conradi Kauffungi importunitas, exilium, & vindicta 770: plagium. 771. captiuitas 772. ſupplicium. 773
Conradus Smetus primus flagellifer. 726
Cõſenſus. 7
Conſilium prudens. 288. 325
Conſpiratio & eius pœna. 131. 133. 144. 145. 137
Conſtantia in rebus agendis. 329.
Conſtantia f. Immedi VI. Sabaudi, Vx. I. Boneri C. Chalonenſis. II. Emanuelis R. Hiſpaniæ fratris. 477
Conſtans quis & cuius filius. 11
Conſtantienſe concilium. 688
Conſtantia, f. Belæ III. R. Vngariæ, Vx. Bremiſlai R. Boemiæ. 556
Conſtantia, f. Leopoldi D. Auſtriæ, Vx. Henrici Landgr. Turingiæ. 576
Conſtantinus Pontifex. 28
Conſtantinus M. Imp. quo tempore vixit. 30
Conſtantinus f. Rom. Im. 174
Conſules capti abducuntur in Saxoniam. 171
Contentio de Palatinatu. 87
Conuentus
- Aldenburgicus. 560
- Aquiſgranenſis. 234
- Alſtetenſis. 316
- Auguſtanus. 145
- Belgranus. 272
- Bruxianus. 721
- Chemnicenſis. 682
- Cinnenſis. 149
- Citienſis. 707
- Egranus. 565
- Erfurdianus. 596. 626. 728
- Forchemius. 357
- Francofurtenſis. 266
- Fraſanus. 387
- Fritislarienſis. 101. 109
- Fuldanus. 556. 617
- Gatterslebius. 312
- Gerſtrungenſis. 347
- Goslarienſis. 374
- Gothanus. 729
- Halenſis. 708
- Lipſienſis. 708
- Magdeburgius. 178
- Mersburgenſis. 242. 245. 336
- Mittelhuſianus. 629. 642
- Moguntinus. 211
- Mulhuſanus. 714. 761
- Nocmerslebianus. 521
- Noribergicus. 730. 739. 692. 745
- Numburgenſis. 707. 720. 759
- Oppenheimius. 356.
- Quedlinburgius. 371
- Reinhardbornius. 643
- Treuerenſis. 735
- Triburienſis. 356
- Verlanus. 388

Vormacienſis. 425.428.170
Vratislauienſis. 735
Vuartburgius. 627
Coppenicum opp. 577
Copulæ aptæ celeritati. 65
Corbeienſium Monachorum diſciplinæ emendatio. 289
Cornelius tacitus, hiſtoricus. 3
Cornubij qui populi. 7
Corinthus à Bonifacio Montferratenſe occupatur. 455
Corinthia arx in Iſthmo. 455
Corſica opp. 164
Cracera urbs. 410
Cracouia urbs. 229
Crana opp. 247
Creſcentius conſ. Romæ dominatum rapit. 205.229
Creſcentij & Pontificis Simoniaci ſupplicium 231
Cretenſes pugnant in exercitu Græco. 193
Creuceburga opp. ſitum ad Verram à Brunſuicenſe expugnatur & inceditur. 581. reſtitutum rurſus expugnatur ab Adolfo Im. 602. rurſus eius ager a Fuldano & Hirſueldenſe Abb: infeſtatur. 631
Creuceburgi, nobiles Turingi. 603
Cribri vaticinatio ſuperſtitioſa. 548
Cribeſteinum arcem ad Tſchopæ fl. Ditericus Berualdus Eques extruxit 689: inde expellitur à Staupitio: ibid. in eadem Staupitius obſidetur ab Electore Friderico. ibid.
Crimen læſæ maieſtatis. 395
Criocrene in Lybia. 124
Crodus Idolum. 61. eius deſcriptio. 166
Cromena, opp. 188
Cromerus, ſcriptor. 229
Crosna opp. 290
Crudelitas inhumana. 5.63.197
Cruciferi Mariani. 727
Cruſinia arx 245. obſidetur, 246. crematur. 247
Cultus Dei mixtus in aliquibus locis. 25
Cunegundis, vidua Cunonis, C. Northemij, nubit Viperto C. Groicio in Oſtelandia. 366
Cunegundis filia Cunegundis, nubit Viperto iuniori C. Groicio. 366
Cunegundis, vidua Summeringica redimit captiuos fratres. 222
Cunegundis, f. Siffridi Palatini Rheni, Vx. Henrici II. Imp. 239. ſuam innocentiam probat. 240. coronatur Paderbornæ à Moguntino. 242. Argentorati D. Petri iunioris templum ædificat. 285
Cunegundis Iſenbergia, pellex, Vxor altera Alberti L. Turingiæ, bellorum Turingicorum fax & fomes. 591.604. moritur. 604
Cunegundis, f. Philippi Imp. Vx. Venceslai Boemi. 565
Cunemundi nobiles Turingi. 641
Cunemundorum mater lacrymas ſanguinolentas ob ſupplicium filiorum emiſit. 641
Cunibertus C. Franciæ. 141
Cuno Carinthiæ D. viam ferro aperit in Italiam ab Harduigi factione intercluſam. 252
Cuno Ab. D. Mauricij Hildeshemij. poſt præſul Brixinenſis creatur. 338
Cuno, f. Othonis D. Bauariæ & Sax. Comes Beichlingi. 338
Cuno, D: Sax. Othonis Gotingenſis f. C. Northemi & Beichlingi 365. unus ex Magnis principib. 365. militat contra Henricum IV. ibid. Sedes eius Konigshouia, ibid. fundator Catelnburgi cænobi: ibid: eius cædes. ibid.
Cuno, Othonis D. Sueuiæ f. D. Carinthiæ. 383
Cuno I. Othonis Gotingenſis f. Vx. eius Mathildis e C. Quernfurdijs 406. D. Carinthiæ: ibid. cadit in prælio. ibid.
Cuno II. Cunonis I. f. obſcurus moritur. 406
Cuno III. Cunonis II. f. Carinthiæ ſeu Noricorum itē Bauariæ D. ad Comitia Triburiana non acceſsit. 408. rebellis Imp. fit. 408. amittit D. Bauariæ. ibid.
Cuno IV. Cunonis III. f. 408. amittit Carinthiam, & abit in exilium, 409. eius filij Carinthiam ſupplices ab Imp. recipiunt. ibid.
Cura & ſolicitudo Imperij 225
Cuſpinianus, ſcriptor. 44.100
Cuthenbergum metallum capitur à Iohanne Lucelbergio Imp. filio R. Boemorum creato. 635
Cuttenburgum, pag. Vicethumiorum à Vilhelmo D. Sax. occupatur. 724
Cyprus Inſula. 46
Cybele. 726

D.

Dago præſul Magdeburgius intereſt conuentui Fraſæ. 787
Dagobertus R. Franciæ. 18
Dagoberthuſa prope Marpurgum in Haſsiā unde. 73

Dagoberſteta in Turingia vnde dicta. 73
Dalbina pag. 268
Dalmatia. 192
Dalmatæ pugnant in exercitu Græcorum. 193
Damiata, Aegypti vrbs. 48
Damianus vel Thammo, vulgò Dago, Præſul Magdeburgius. 249. moritur. 275
Dancueroda vrbs. 335
Dangmarus f. Brunonis. 98
Dangmarus, Othonis I. Imp. Saxonum f. 100. in fratrem conſpirat. 131. interficitur in templo. 131
Dangmarus Henrici I. Imp. f. C. Turingiæ. 320. eius ingenium. 320. ſimultatem alit contra fratrem Othonem. ibid. eius ſimultatis origo. ibid. poſtulat Mersburgum poſſeſsionem ſibi iure propinquitatis debitam. 320. expugnat Badalicenſe præſidium & capit Henricum fratrem. 320. eius bellum cum Othone. I. 321. capit Mersburgum. ibid. eiusdem tyrannis. 321. eiuſdem cædes. ibid. ſepelitur in templo, quo fuerat ſublatus e medio. 322
Dani infeſtant Miſniam. 97. eorum ſuperſtitio. 114. fiunt Chriſtiani. 114. 179. clàm per loca alia ſe ſubducunt. 224. utuntur ductu militis Saxonici Herualdi captiui 124. eorum crudelitas. 223. eorundem clades. 224.
Danicus exercitus in Anglia Ethelredi R. fugati coniugem obſident Londini. 301
Daniel Guthus, præfectus Gothanus comitatur legatos Burgundicos. 723
Dantes Aldigerius, Florentinus poeta Heruſcus, epitaphium ſcripſit Diecmani M. Oſterlandiæ. 609
Danubius fl. 56. 63. 118.
Dapiferi Tautenbergij addictiores partibus Electoris, quam ſui domini D. Sax. 758
Debinum caſtellum ad ſe Vilhelmus Cocles transfert. 671
Dedicatio vel conſecratio templorum. 274 374
Deberſtetenſis præfectura Moguntino ſubijcitur. 382
Dedo I. C. Gozecenſis, Saxoniæ Palatinus. 81
Dedo II. D. Gozecenſis, Palatinatus Saxoniæ. 83
Dedo, Zorbecæ Burggr. Comitatum Merſburgium accipit. 261. accuſat Beringerum M. Ballenſtadium coram Imp. 269
Dedo M. Miſnenſis in Imp. Henricum IV. conſpirat. 346. moritur. 352
Dedo II. M. Luſatiæ & Lansbergi degener. 522. aduerſatur patri bello Turingico. ibid. Gladium Attilæ ab Othone Bauaro amicitiæ gratia accepit. 523. interficitur. ibid.
Dedo III. in pueritia obijt. 523
Dedo VI. f. Thimonis M. Miſnenſis, Vx. eius Bertha, Viperti Oſterlandiæ M. & C. Groicenſis f. 536. fundator templi D. Petri in Lauterbergo. 537. repudiat vxorem, rurſus recipit. ibid.
Dedo, Valrami M. Montferratenſis f. C. Inciſæ. 445
Dedo, Ditmari Burggr. I. f. intereſt ludis equeſtribus Magdeburgi celebratis. 515
Dedo, Diterici f. Budſecius C. Vitini. Vx. Ditberga Diterici M. Brandeburgij f. 517. Boemo militat, ditionem Citienſem vaſtat. 517. reſtituitur in gratiam Imp. ibid. Burggr. Zorbecæ adipiſcitur. ib. eius controverſia cum Beringero M. Balbenſtadio. 517. 518. conſultat cum Friderico C. Summeringio de opprimendo Ballenſtadio 518. interficitur. 518
Dedo I. Diterici II. f. Luſatiæ M. Vxx. I. Oda Ditmari II. M. Luſatiæ vidua, II. Adela, vidua C. Orlemundi Othonis 520. reſiſtit Imp. bellum mouenti Turingis. 521. ſua lenitate frenat Turingos. ibid.
Dedo Craſſus, C. Rochlicij Vx. Mathildis Goſuini C. Humelbergij f. 545. Oſterlandiam à Barbaroſſa Imp. emit. 546
Decuriones Romæ damnati ſuſpenduntur. 171
Dedicatio vel conſecratio templorum. 274 374
Defuncti non inquietandi. 235
Delferſa a Miſnenſibus deſtructa. 852
Deliberatio in cauſa religionis. 78
Delitium, opp. adimitur Anhaltinis. 587
Delphinus ſuum vendit ducatum Carolo R. Franciæ filio. 488. confert ſe ad monachos Dominicanos. 488
Denisbruna quare poſteà Himelfelda dicta. 19
Dertona, opp. 494
Deſiderius R. Longobardorum. 93. in Inſubria debellatur, à Carolo Magno. 426. capitur. 426
Deſenburgum Saxones oppugnant. 95
Deſpectio. 361

Dibena

Dibena parochia ſubijcitur Magdeburgio Antiſtiti. 297
Dibenum propè Grimam. 558
Dibenum propè Ileburgum. 558
Didymotichum, ſedes belli Bonifacij, M. Montferratenſis. 454
Dicemanus, M. Oſterlandiæ & Lansbergi, f. Alberti L. Turingiæ. 606. vx. eius Iutta, f. Bertholdi C. Hennebergij. ibid. educatur à patruo Diterico. ibid. eiusdem pericula. & bella. ibid. capit Henricum Harraſius inſidias vitæ ejus ſtruentem. ibid. vaſtat agrum Peganum. 607. eiusdem interitus. ibid. & 621
Dienizum, caſtellum in Boemiâ. 277
Dietius comitatus ad L. Heſsiæ transfertur. 750
Dillinga, præſuli Auguſtani ſedes. 237
Diocletianus Imp. quando regnauit. 4
Dipoldus C. Dillingenſis, cæſus in bello Vngarico. 155
Diſſaca, genus gladij. 66
Disbergum, caſtellum Varemundi & Clodij Regum Gallorum in Turingia. 570
Diſenburgia, arx à Sax. tentatur. 427
Diſſenſio odij & diſcordiarum cauſa. 47
Ditbaldus f. Edelfridi R. Northumbr. cadit bello Scotico. 16
Ditbaldus, ſatelles Henrici Dangmarum interficit. 321. perit rurſus miſerabiliter in bello Lotharingio. 321
Ditbaldus, nobiliſsimus vir, D. Boemiæ declaratur. 565. reconciliatur Premislao vel Othogaro R. Boemiæ. ibid. ei datur nuptum filia Henrici Vratislauiæ Principis. ibid.
Ditericus, C. Catelnburgi, Saxonum partes ſecutus, fit ſupplex Imp. Henrico IV. 353
Ditericus, Verdunenſis præſul. 357
Ditericus, C. Brenæ f. Geronis negligitur. 353. eius virtus in vindicanda patriæ libertate. 354
Ditericus, M. Lansbergius, cum Eſicone ſe Boemis obijcit. 399
Ditericus, R. Gothorum, in prælio vulneratur. 54
Ditericus, Francorum R. 54. euocat Saxones contra Aff. Erinfridum R. Turingorum. 571
Ditericus, R. Sax. Antiquus. 73. Tria eius bella cum Francis. 74
Ditericus, R. Sax. Bertholdi f. 79
Ditericus, C. Rochlicius, C. Summerſenburgium accipit. 89
Ditericus, præſul Mindenſis. 99
Ditericus, Burggr. liberat ſtratagemate Saxoniam à Francis. 108
Ditericus Ant. Brandeburgius. 190
Ditericus Egeshemius fit Landgr. in Alſatia. 228
Ditericus Ant. Metenſis. 251. intereſt Romanæ ſynodo. 163. diſſentit cum Hermano. C. 301
Ditericus, M. Slauorum, ſocius Bernhardi D. Sax. contra Imp. 291
Ditericus, f. Valberti D. Angriuariorum & C. Ringelhemius. 442
Ditericus, Ditmari Burggr. II. f. C. Budlecius, eius vx. Iutta, Bionis C. Mersburgij f. opponit ſe Bohemo vaſtanti Miſniam. Item Dalemincios vincit. 516
Ditericus, Dedonis f. Budſetius, vx. eius Mechtildis Echardi M. Miſniæ Turing. & Sax. f. 518. Ileburgium Comitatum accipit. 519. intereſt Boemicis & Polonicis bellis. ibid.
Ditericus conſtituitur à patre M. Luſatiæ & Ileburgi. 541. vxx. eius I. Dobrogneda, Meliconis D. Poloniæ ſoror. II. Cunegundis, vidua C. Plocenſis. 542. cum Friderico Barbaroſſa Imp. Venetias proficiſcitur. 543
Ditericus Beiersdorfius interficitur. 543
Ditericus præſul, M. Diterici II. f. ſuccedit Eberhardo præſuli Mersburgio. 545
Ditericus, f. Dedonis Craſsi Rochlicij, vx. Mechtildis Ludouici I. Landgrauij Turingiæ f. 546. eius mors. 547
Diterico D. Moſellano inſidiæ ſtruuntur. 270
Ditericus I. C Brenæ, f. Friderici II. 554
Ditericus II. Diterici I. f. ſocius ordinis Templariorum. 554
Ditericus, M. Miſnenſis, f. Othonis Marchionis, bello petitur à fratre. 559. in auxilium vocat Hermanum L. Turing. ibid. ducit eiuſdem filiam in vxorem. 560. 562. variæ ei inſidiæ ſtructæ. 563. ſequitur partes Philippi Imp. in bello Boemico. 564. fert ſuppetias Vernigerodæ Comitibb. contra Brunſuigium. 565. diſſentit cum Henrico C. Aſcanienſe. ibid. eiuſdem aduerſitates & pericula. ibid. ſequitur partes Friderici II. Imp. 566. eius bellum contra Lipſienſes. ibid. Groiziam accipit hæreditario iure. 567. incommodat Peganis. ibid. eiusdem mors. 568. conditor

D. Thomæ

D.Thomæ Lipſiæ, & ſanctæ crucis Miſnæ, cœnobiorum. ibid.
Ditericus, Diterici M. Miſniæ f. puer obit. 568
Ditericꝰ, f. Henrici M. Miſniæ & L. Turingiæ. 585. M. Oſterlandiæ & Lansbergi. 586. vx. eius Helena, f. Iohannis M. Brandeburgici. ibid. dictus ſapiens & pinguis. ibid. adiuuat partes Ant. Magdeburgici. 587. ſceleratè ab eodem capitur. ibid. redimit ſe pecunia. ibid. deſtruit Berbinum & Taucham, oppida Ant. Magdeburgici. ibid. fratri auxilio eſt contra Alſtetenſes. ibid. eius mors & ſepultura. 587. condidit cœnobium Suſelitium ad Albim. ibidem eius prudentia erga fratrem adhibita. 590
Ditericus Denſtedius ſecutus partes Friderici III. Grauis, M. Miſniæ, cadit in acie. 648
Ditericus Vuicelebius ſignifer oppetit in bello Vuirciburgio. 657
Ditericus Berualdus Eques, extruit Cribeſteinum, arcem. 689. pellitur à Staupicio. ibid.
Ditericus Paccius, Eques Miſnenſis, præfectus Auſtiæ opp. Boemiæ. 699
Ditericus Schleinicius, cadit in acie ad Auſtiam. 701
Ditericus Ant. Moguntinus. 705. cohibet Vilhelmum D. Saxoniæ. ibidem. legatos mittit de reconciliatione Principum. 719
Ditericus, Ant. Colonienſis. 713. eius clades ad Suſatum accepta. 714
Ditericus Schillenſtadius, præfectus Cappelndorfi. 724. tradit arcem Vilhelmo D. Sax. 725
Ditericus Vicelebius tribunus militum in bello Boemico. 700. cadit in acie contra Boemos. 743
Ditericus, Ant. Colonienſis, legatus Pontificis in reprimenda factione Huſitica. 746
Ditericus Vicethumus, rebelllis Electori Sax. 751
Diterici Kauffungi ſupplicium. 773
Ditgremus, Burggr. Zorbecæ. 100
Ditgremus, f. Vuitechindi, vx. Boſſena C. Pleiſenſis f. eiuſque res geſtæ. 513
Dithelmus ab Echardo ſtimulatus ut Vlrico Abbati bellum faceret. 412. ſuperatur ab Vlrico. ibid.
Ditherus, R. Sax. 56
Dithulſus, R. Sax. orient. 25
Ditio Saxonum olim quæ fuerit inter Viſurgim & Albim. 55
Ditmarus, præſul Mersburgenſis diligens & celebris. 41. 99. ex familia C. Summeringiorum conſecratur Neuſtadij. 269
Ditmarus, Saxo fit Epiſcopus Pragenſis. 175
Ditmarus Viburgius M. Luſatiæ templum cum fratre Ant. Gerone Munchneuburgi D. Cypriano ſacrum extrui curat. 295
Ditmarus, f. Ditgremi Zorbecæ Burggr. vx. eius Vuilla, è C. Nortringorum familiâ. 513. Stratagema eiuſdem in liberando Henrico Aucupe Groningæ à Francis obſeſſo. 524. nauat operam Bernardo. M. Luſatio contra Slauos. 515. intereſt bello Vngarico. 515
Ditmarus, præſul Verdenſis ſimul proficiſcitur in Hiſpanicam expeditionem. 540
Dobela, opp. à Philippo Naſſanienſe legato Imp. Adolphi capto reſtituitur Friderico M. Miſniæ. 617. crematur à Boemis. 717. diripitur ab iiſdem. 742
Dobra, ſeu Dobragena, vx. Diterici, filia Billingij R. Obetritarum. 73
Dobrogneua, aliàs Ludgardis, ſoror Meſiconis, D. Poloniæ, vx. Diterici M. Luſatiæ. 542
Dobriſchina, pag. Vicethumiorum à Vilhelmo D. Sax. occupatur. 724. crematur à Friderico Electore. 763
Dodechinus, ſcriptor. 375
Dola, oppid. à Boemis diripitur. 742
Doloſteina à ducibus Saxoniæ comparatur. 781
Dominicani Monachi. 488
Dondorfia præfectura. 73
Dornburgum Suarceburgiorum C. traditur Friderico ſtrenuo I. Turingiæ & M. Miſniæ. 675. eius ager vaſtatur. 710
Dorſa, in Turingia. 662
Dortonenſes urgentur à Vilhelmo II. Montferr. 462
Drahomira, mater Bolislai Boemi. 142
Draſico tumultuatur in Sax. 437. reprimitur à Caroli M. præfectis. ib. ſe ſubducit clàm. ibid.
Dreſda recuperatur à Friderico M. Luſatiæ & Lansbergi. 587
Drifurtum, in Turingia. 640. capitur. 646
Driſortini fratres capiuntur à Friderico Vuangenhemio nomine Frideri. III. Grauis M. Miſniæ. 641. redimunt ſe grandi pecunia.

nia ibid. rurſus reprimuntur à Princip. Haſsiæ & Turingiæ. 645
Drogo præſul Oſnaburgius. 99. 383
Drutmarus Lorishemius fit Abbas Corbeienſis. 289
Dubrauius Olomucenſis, ſcriptor. 635
Duces Magni Saxoniæ. 91
Duces Bauariæ è gente Saxonica. 324
Ducium, pagus. 432
Dulſteta, opp. obſidetur à Balduino Ant. Moguntino factioſo. 645. traditur Friderico L. Turingiæ. 664. obſidetur à Friderici Electoris exercitu. 764
Dunmitium crematur. 782
Duncheslarienſis ditio in Bauariâ. 334
Dunſtanus, Ant. Cantabrigienſis obruitur lapidibus. 301
Duſſeldorpium, opp. 389
Duxa ab Erneſto Elect. Sax. capta. 781

E.

Ebba, ſacerdos maxima. 21
Ebbecsdorfum, in ditione Luneburgiâ. 99
Eberhardus, frater Conradi Imp. 109. eius ad Henricum profectio & fœdus. ibid.
Eberhardus, Rheni Palatinus, Oth. I. Imp. Dapifer. 128. in Imp. bis conſpirat. 131. 133. cadit in acie. 137. 328.
Eberardus Dux VVirtembergius. 842
Eberhardus Schierenſis. 155
Eberhardus, præſul Pabebergenſis, à Moguntino inauguratur. 266
Eberhardus, C. Ellenbergius. 523. perſequitur in fugâ Dedonem ſibi traditum educandum. 526. eiuſdem duo filij oppetunt. 349
Eberardi Brandeſteini mors. 807
Eberardus Brandenſteinus Verdam epiſcopalem diripit. 844
Eblebia, pag. Vicetumiorum, à Vilhelmo D. Sax. occupatur. 724
Eboracum, vrbs. 17
Ebrietas Sax. 64
Ecbertus, Erconberti filius. 13
Ecbertus II. Ecberti f. 14
Ecbertus. R. Northumb. 23
Ecbertus, R. Sax. occident. totam inſulam Angliam ſui iuris facit. 40. Magni cognomentum conſecutus. 40
Ecbertus Ludolfi f. 99. eiuſdem temeritas, clades & cædes. 129
Ecbertus Luneburgius conſpirat cum Vuigmano. 156. gratiam conſequitur ab Imp. 160
Ecbertus, M. Saxoniæ. Otho Bauarus & Ant. Colonienſis, eripiunt Auguſtano Antiſtiti & matri Henricum IV. Imp. adhuc puerum. 339
Ecbertus I. Ludolfi f. M. Miſniæ & Turingiæ. 366. vx. Gerberga Lausbergia. 367. inchoauit D. Cyriaci templum extra Brunſuigam. 369. conditor arcis Vuolfenbutelæ. 369. mors eiusdem. 369
Ecbertus II. f. Ecberti poſthumus & unicus. Item eius indoles admiranda. 369. eius bellum cum Boemis in Miſniâ. ibid. eripit Miſniam hoſtibus. ibid. eius virtus in bellis quatuor, quæ Rudolphus contra Henricum IV. geſsit. 370. eius cum Viperto Groicio conflictus propè Teucheram opp. 371. oppida & caſtella præſulis Hildeshemij ſibi ſubijcit. 371. proſcribitur. 372. redit in gratiam cum Imp. 374. deſciſcit ab Imp. ibid. contradicit Hartuigo pacem ſuadenti ibid. obſidet Hildeshemium. 376. eius interitus. ibid.
Ecbertus, M. Miſniæ. 335. Bernardi C. filium interficit. 336. eijcit præſidia Boemica. 534. interficitur à factione Imp. 534. negatur ei primum ſepultura in templo Naumburgano. ibid.
Eccius Lutherum ad diſputationem publicam prouocat. 859
Ecfridus, f. Oſuini. 21. bellum Mercijs infert. 22. cadit in acie. ibid.
Ecfridus f. Offæ R. Merciorum. 33
Ecfrida, f. Offæ R. Merciorum. 33
Echardus Marchio obtruncatur Poledæ. 241
Echardus, M Miſnenſis proſcribitur. 279
Echardus Olomucenſis ſuccedit in præſulatu Pragenſi Ant. Theadago. 305. 309
Echardus I. Othonis D. Sueuiæ f. M. Sax. 383. 386. Echardisberga ab eo ædificata. 386. vx. Suanhildis f. Hermani D. Luneburgij Ditmari Luſatiæ vidua. 386. cum Oth. III. in Italiam profectus, ad Creſcentij tyrannidem reprimendam. ibid. res geſtæ eius ibid. Gunthero C. Turingorum ſuccedit: ibid. eius ambitio & affectatio Imperij. 387. eius vindicta & odium erga proceres Imperij. ibid. eidem inſidiæ ſtruuntur. 389. Poledam diuertit. ibid. obruitur in hoſpitio & interficitur. 390. eius vidua cum filijs Miſnam ſe contulit. 391
Echardus, Abbas Reichenauienſis. 399. à

Præſide Parmenſe dimittitur. 411. recuperat ablata ab Henrico Abbate. ibid.
Echardus, M. Miſniæ Ciſalbinæ. 387
Echardus II. Echardi Rebellis f. 386. vx. Suanhildis vidua Othonis Sueinfurti. 402. in Inſubria ſub Henrico II. Imp. militauit. 402. accipit C. Rochlicium. ibid. infenſus fit Heiconi Ameſlebio. 403. fit alienior ab Imp. 404. auctor templi Georgiani Naũburgi. ib. eius delirium in repudianda vx. item mors. 405
Echardisberga ſiue Echardbergum ab Echardo I. M. Sax. ædificatum. 386. euertitur à Friderico M. Miſniæ. 637. eius ager vaſtatur incendijs. 764. oppidum crematur. ibid.
Edualdus. R. Sax. 13
Edelbertus, R. Sax. & ſuæ ditionis amplificator. 12. eius pietas. 13
Edelberga cognomine Tata, vx. Eduini Northumbrici. 13
Edelbertus II. vel Hildebertus, Vuitredi f. Cantianorum Rex. 14
Edelbertus III. R. Angliæ. è Sax. 41
Edelberga, vx. Eduini, Edelberti R. Vuitorum filia. 17
Edelberga, Annæ R. f. Abb. Brigenſis. 27
Edelberus frater Annæ R. Angliæ orient. 21. eius calamitas & interitus. 21
Edelgerus Hueldius interficit Cunonem C. Northemium. 365
Edelfridus, R. Northumbrorum. 16. ſucceſſus eius in bello. ibid.
Edelhanus, f. Eduini. 17
Edelhardus, R. Sax. occident. D. Angriuariorum Iburgi & Oſnaburgi. 37. 75. quinque geſsit bella cum Francis. 76
Edelholfus II. R. Angliæ è Sax. 41
Edetredus, & eius exercitus funditur. 22
Edelredus eiuſdem filius. 30. 32
Edelredus I. IV. Angliæ è Saxonibus. 41
Edelredus II. IX. Rex Angliæ è Saxonibus. 42
Edelredus III. XIII. Rex Angliæ è Sax. 42. eius monumentum Londini adhuc extans. 43
Edelricus, f. Pendæ R. Merciorum. 30. 32
Edelrida, vel Edeltruda, f. Annæ R. Anglorum, vx. Ecfridi. 21
Edelualdus, f. Oſualdi. 19. fratri ſuo Oſuino inſidias ſtruit. 20
Edelualdus, R. Merciorum. 23. idem creatur R. Northumbrorum. 23. 32
Edelualdus, R. Sax. orient. & merid. 28. 34
Edezardi Comitis Embdani tranſactio cum Grouingenſibus. 848. pertinacia contra Imp. Maximil. & proſcriptio. 849. bellum cum Georgio D. Sax. 849
Edgarus II. R. Angliæ è Sax. 42
Editha, f. Edmundi R. Angliæ, vx. Othonis I. Magni. 126. inauguratur ibid. ſepelitur Magdeburgi. 142
Edgina, vx. Eduardi. 41
Edgina, f. Eduardi, vx. Caroli Simplicis R. Francorum. 42
Edmundus, Edelfridi f. R. Northumbr. 16. eius obitus. 16
Edmundus I. VIII. Rex Angliæ è Saxon. 42
Edmundus II. XIIII. Rex Angliæ è Saxon. 44
Edo, R. Scoticus. 16
Eduardus VI. R. Angliæ è Sax. 41
Eduardus XII. R. Angliæ è Sax. 42
Eduardus III. XIX. Rex Angliæ è Danis. 44
Eduardus I. poſt conquæſtorem R. Angliæ è gente Normanicâ. 48
Eduardus II. R. Angliæ. 48
Eduardus III. R. Angliæ. poſteà R. Romanorum declaratur. 49
Eduardus IV. R. Angliæ. 51
Eduardus V. R. Angliæ. 51
Eduardus VI. ſectus ex utero matris, R. Angliæ 52. eius bellum cum Rege Franciæ. 643. recuſat Imperium ad ſe delatum. 654
Eduardus Immedi VII. f. C. Sabaudiæ, vx. eius Blancha, Philippi D. Burgundiæ f. 483. eius indoles & virtus ibid. eius bellum cum Fuſmeiero. 484. idem cum C. Geneuano confligit. 485. capitur in prælio ſed à ſuis rurſus liberatur. 486. mortuus ſine hærede maſculo. ibid.
Eduardus, præſul Sedunenſis. 495
Educatio liberorum apud Sax. 67
Eduinus, f. Edelfridi, R. Northumbrorum. 16. in regnum paternum reſtituitur à Redualdo R. Angliorum. ibid. princeps ſapiens & Chriſtianus. 17. curat monumenta liberis ſuis erigi Eboraci. ibid.
Eduinus, X. R. Angliæ è Sax. 42
Egidius Munio, ambit Pontificatum Romæ. 498

Eginhardus, ſcriptor. 425
Egnatius, ſcriptor. 183
Egra, fl. Boemiæ. 372
Egricus, R. Sax. Orient. 27
Eglenſis, arx obſidetur à Suarceburgio & Honſteinio Comitibus in obſidione Halæ. 750
Eichelredum cænobium. 20
Eidfridus, Eduini f. R. Bernicorum, ſeſe dedidit R. Merciorum Pendæ à quo interficitur. 18
Eidfrida, filia Eduini. 17
Eilbertus, Ant. Mindenſis, in Imp. Henricum IV. conſpirat. 346
Eilnardus præſul Miſnenſis. 297. exit vrbe. 399
Eiſenbergum, pagus. 376
Eisleldam, opp. cum vxore in dotem Baldaſar L. Turingiæ accipit. 660
Eiteluolfus, R. Cantianorum vltimus. 14
Eitersbergum petitur à Vilhelmo D. Sax. 717
Ela, inſula. 27
Elboga opp. 800. crematur. 782. obſidetur ab Alberto Duce Sax. 801. capitur à Georgio D. Saxoniæ. 846
Electorum conſtitutio. 232
Electorum conſtitutionis cur rarior apud hiſtoricos fit mentio. 233
Electores & Duces Saxoniæ. 683
Eleonera, f. Thomæ II. Sabaudi, vx. Eduardi R. Angliæ. 474
Eleonora, f. Immedi VII. Sabaudi vx. C. Auſerani, qui in prælio contra Philippũ Galliæ R. cecidit. 479
Eleutheri⁹, Gilberti Epiſc. Pariſienſis nepos. 53
Elerſteda. 286
Eliſabetha, Annæ Bollinæ, ſecundæ vxoris Henrici, filia, Regina Angliæ. 53
Eliſabetha, vx Iohannis Montferratenſis. 459
Eliſabetha, f. Meſiconis D. Poloniæ, vx. Conradi C. Rochlicij. 548
Eliſabetha, f. Alberti I. Sax. Electoris, vx. Conradi C. Brenæ. 554
Eliſabetha, f. Friderici Fortis, vx. Henrici L. Halsiæ. 574
Eliſabetha, ſoror Philippi Landgr. vx. Iohannis Georgij D. Sax. filij. 574
Eliſabetha, f. Malticij Lichtenſtenij, vx. Henrici L. Turingiæ. 577
Eliſabetha Suarceburgia, vx. Friderici M. Miſniæ. 588
Eliſabetha, f. Friderici M. Miſniæ & L. Turingiæ vx Oth L. Halsiæ. 636. accuſatur falſo crimine adulterij. 645
Eliſabetha, f. Friderici III. Grauis, vx. Friderici Burggr. Noribergici. 640
Eliſabetha, f. Iodoci D. Morauiæ, vx. Vilhelmi L. Turingiæ. 671
Eliſabetha, Sigiſmundi Imp. f. vx. Friderici Auſtriaci. 706
Eliſabetha, Bauarica, vx. Erneſti El. Saxoniæ. 776
Eliſabeth Hennebergica nubit Ioanni D. Saxoniæ. 878
Eliſter niger fl. Luſatiæ. 302
Eliſter fl. Oſterlandiæ. 359. 546. 744
Ella, Rex Sax. Meridionalium primus. 33
Ellerum, opp. inflammatur. 130
Embecca, opp. Brunſuicenſis obſidetur. 677
Embeccanis pecunia extorquetur. 713. rebellant ſuis principp. 734
Emericus, R. Sax. 12
Emmericus, R. Cypri coronatur. 450
Emma, Richardi II. D Nortmanorum filia. 44. vx. I. Edeltedi. ibid. II. nubit Canuto. ibid.
Emſius fl. 79
Endanum cænobium. 341
Engelbertus, Ant. Treuerenſis, conſtituitur cum reliquis arbiter inter Imp. & Sax. 361
Engilbertus, C. itidem oppetit in prælio Sax. 349
Engelricus, C. Ratisbonenſis, tractum Traſamium dono accipit ab Oth. III. Imp 228
Enſis mactatorius. 66
Eporedia, opp. regionis Pedemontanæ. 456
Eppenſtenius Baro, hoſtis Vilhelmi D. Sax. 729
Erbualdus, R. Sax. orient. ab Eduino Northumbrico compulſus ut rurſus verã coleret religionem. 26
Erbo, Burggr. Ranshouius. 468
Erenfridus vel Ermenfridus, R. Turingorum 54. 571. Diterico affini fidem violat. 571. circumuenitur aſtu, ſicut ipſe fratribus ſuis fecerat. ibid. interficitur ab Iringo conſiliario ſuo. ibid.
Eresburgi Carolus M. hybernat. 432
Erfurdia crematur. 782
Erfurdiana præfectura ſubijcitur Moguntino præſuli. 382
Erfurdiæ crematur templum beatæ virginis & D Seueri. 359
Erfurdianorum bellum cum Friderico M. Miſniæ. 628. ijs indicitur dies Mittelhuſiã. 629. eorum ſuperbia contra Fridericũ. ib. male tractãtur ab eodẽ. ib. damnũ ab exercitu Frid. accipiunt. 630. obſidẽtur. ib. excurrunt & vaſtant rurſus Turingiam. 631

petunt auxilium contra Fridericum. 623. ijs pacis conditiones præſcribuntur à Friderico.634. fames. ibid. vaſtant rurſus Turingiam. 642. eorum amicitia cum princip. Turingiæ renouatur.657. obſidentur rurſus.669. pacem petunt & fœdus ineunt cum L. Turingiæ.680. metuunt ſibi de Boemicâ tyrannide. 745. ab Antiſtite Moguntino accuſantur. 788
Erfurdiana comitia. 596.626
Erfurdiana Academia quando cœperit. 687
Erhulphus præſul Verdenſis. 99
Eribertus creatur Ant.Mediolanenſis. 311
Ericus, R. Daniæ, ſimul proficiſcitur in Hiſpanicam expeditionem. 540
Ericus, D. Lauenburgicus, ſibi poſcit Electoratum Saxoniæ, & exhibet falſas literas. 696
Erici Ducis Brunſuigij bellum cum ciuibus. 795
Ericus, Ant. Magbeburgius, irruit in Turingiam. 586. repellitur ab Alberto L. ibid. eiuſdem aſtutia ibid. capit Ditericum M. Oſterlandiæ & Lansbergi. 587
Erintridus, R. Turingorum, ſuperatur à Diterico R. Francorum. 54. inſidijs à ſuis tollitur. 55
Erneſtus, f. Leopoldi M. Auſtriæ, D. Sueuiæ accipit. 228. moritur. 289. Vurcibúrgi conditur. 290
Erneſtus, M f. Henrici M. Auſtriæ.245. capitur & in exilium mittitur ab Henrico Imp. 246
Erneſti Electoris Saxoniæ raptus ex arce Aldenburgia 771. reſtitutio, 772. matrimonium & liberi.776. adminiſtratio Reipub. 777. expeditio contra Plauenſes. ibid. expeditio in Sileſiam, & legatio ad Reges Vngariæ & Poloniæ. 782. bellum Quedlinburgicum. 784. 804. iter Romanum. 786. expeditio in Halberſtadenſes. 787. diſciplinæ inſtauratio. 789. prouinciarum cum Alberto fratre diuiſio. 791. 808. bellum Magdeburgicum. 794. mors. 792
Erneſtus, Erneſti Electoris Sax. F. fit Antiſtes Magdeburgius 785 793.794. eius in obeundis muneribus diligentia, & magnificentia 795. iter ad comitia Noribergica. 797. auxilium contra Ditmaros. ib. mors. 797
Erneſti Schonbergij mors. 818
Erneſtus Schonbergius ſeditioſos in Miſnia inquirit. 869 moritur. 875
Erneſtus, C. Glichenſis, Turingorum præfectus in bello Boemico. 700
Erneſtus, C. Glichenſis, addictior Electori quàm Vilhelmo D. Sax. 758. 761
Erroris venia. 243.245.262.299.310
Eruinus, C. Glichenſis, liberatur à vinculis. 726
Eſchenuega in Turingia. 342. capitur deditione à L. Türingiæ Baldaſaro. 661
Eſchinburgum, arx ducatus Brunſuicenſis ad Viſurgim traditur M. Miſnenſi ab Alberto Brunſuicenſi. 524
Eſico, C. Mersburgius. 245
Eſico, C. Vurcinenſis ſeſe obijcit copijs Boemi. 399
Eſquilinus, mons Romæ. 363
Eſſex, qualis ditio. 8
Etersberga, arx C. Stolbergiorum in Hercinijs capitur à Friderico III. Graui. 652
Ethelinda, vxor Edelredi, Edmundi & Adelſtani mater. 43
Ethelinda, f. Othonis D. Bauariæ & Sax. ad Viſurgim, vx. Guelfi IV. D. Bauariæ, & Hermani C. Vueſtoualiæ. 338
Eucherius Lugdunenſis, ſcriptor. 12
Euerſio fortunarum & fundorum. 235. 291
Eugenius IV. Pontifex Romanus, Martino ſuccedit. 498. excitat Princip. Germaniæ ut Boemis reſiſtant fortiter. 746
Eugenia, f. Friderici C. Brenæ, in infantia obit. 553
Eunius, præfectus palatij R. Aurelianenſium alias Mummolenus. 58
Eutropius, hiſtoricus. 4

F.

Fabricius, pons Romæ in Inſula Tiberis. 196
Facha, opp. exuritur. 735
Facinus audax. 83. 105. 128. 136
Facetiæ. 47
Factionum in urbibus Saxonicis cauſæ. 793
Fœdera. 109
Faginea ſylua. 79
Falchenſteniana arx. 340. reſtituitur à Moguntino L. Haſsiæ. 662
Faſtrada, Caroli M vx. 431. ſepulta Moguntiæ in D. Albani monte. 440
Fechtelæ pagi deprædatio. 820
Felix, Epiſcopus Nannetenſis. 26.59
Ferdinandus Rex Vngariæ & Bohemiæ, 870
Feſularum mons. 284
Fladichemium, pagus in Turingia ad Vnſtrum. 358

Flandri, quales populi. 4
Flandriæ depopulatio. 817
Flinnus, idolum. 62
Fœdus Ducum Saxoniæ cum Bohemis. 775
Forchemius conventus. 357
Fortitudo in præſentiſsimo periculo. 66. 69. 76. 197. 349
Fortunæ inſtabilitatis exemplum in Apollonijs Vicethumijs. 733
Fraini, nobiles Turingi. 603
Francheſtena arx obſidetur ab Adolfo. 601
Franchenhuſia, opp. Suarceburgiorum C. 575
Franciſcus R. Galliæ à Carolo V. Imp. captus 870. bellum renouat. 876
Franciſcus Sfortia D. Mediolanenſis. 461
Franciſcus Carrarius, Patauinus & Bernabo Vicecomes reconciliantur ab Immedo Sabaudo. 497
Franci olim Sicambri dicti. 1
Franci littorales qui. 4
Franci Sax. ſupplices contemnunt. 57
Franci veniam conſequuntur. 243. eorum de Turingis victoria. 54. eorundem victoria de Sax. 429. eorum clades. 107. 430
Franci ſtellatæ factioni addicti partes ſequitur Oth. Brunſuicenſis contra L. Haiſiæ. 657
Francoburgum, opp. crematur. 716
Francofurtum factionibus repletum Croneburgius continet. 662
Franconis præſulis Vormacienſis mors. 225
Franciſcus Crimignola. 460
Fraſa, vrbs regia. 387
Fraſunum, opp. 210
Fraterna concordia. 799
Fraxinetum, vrbs à Mauris munitum. 174
Fraterna diſſenſio. 132. 133
Frauenberga, arx à Sophia Brabantina in finibus Turingiæ extructa. 580. diruitur ab Henrico M. Miſniæ & L. Turingiæ. 582
Fraus Siccarij. 26
Frechangerus ſupplicio afficitur. 103
Freda, pagus ad Alaram fl. 431
Fribergenſes argenti fodinæ quando cœperint. 556
Fribergum unde dictum. 556
Friburgum, opp. ad Vnſtrutam proditione capitur ab Adolfo Imp. 600. expugnatur à Friderico III. Graui. 653. crematur. 782
Fribergium à Georgio Oetingenſe C. legato Imp. Adolph. 615. capitur deditione. 616. munitur præſidio à Friderico Elect. Sax. 759
Fribergenſium literæ ſupplices ad Fridericũ M. Miſniæ & L. Turingiæ. 616
Fridebergi expugnatio. 851
Friceriæ cænobium. 340
Fridericus I. C. Gozecenſis. 82
Fridericus Abbas Gozecenſis. 83
Fridericus II. Palatinus Saxoniæ. 84. in exilium mittitur Ticinum. 86
Fridericus III. Palatinus Saxoniæ. 84
Fridericus IV. Palatinus Sax. cædem patris vindicat. 86. graſſatur in ditione Ludouici II. C. Turingiæ. ibid.
Fridericus Ant. Moguntinus in Imp. Oth. conſpirat. 132
Fridericus Schachemius. 191
Fridericus, Ant. Moguntinus, princeps factionis contra Imp. Oth. I. 326. eius aſtutia in conſilio dando. 327. defectio & tranſitio eiuſdem ad hoſtes. 328. captus in caſtra Imp. mittitur. 328
Fridericus C. Arnsbergius. 339
Fridericus, Ant. Monaſterienſis in Imp. Henricum IV. conſpirat. 346
Fridericus Summerſenburgius, Sax. Palatinus, in Imp. Henricum IV. conſpirat. 346. fit ſupplex. 353. dimittitur è cuſtodia. 355
Fridericus Staufenſis, D. Sueuicarum copiarũ in bello Henrici IV. Imp. contra Rudolphum æmulum. 359
Fridericus M. Salutiarum. 489. amittit aliquot vrbes. 489. cogitur ſupplex adire Sabaudum ſuſpenſa de collo mitra. 489
Fridericus, Vitechindi Budſetij I. f. Zorbecã à patre accipit, oppetit ſine hærede. 511
Fridericus, Diterici f. vx. eius Hidda Burgg. Magdeburgij f. 516
Fridericus, præſul Monaſterienſis, Diterici C. Ileburgij & Suſelitij f. 519
Fridericus, D. Sueuiæ, poſteà Imp. factus, unà proficiſcitur in Syriacam expeditionem. 540
Fridericus, Ant. Magdeburgius, intereſt bello Vandalico. 541
Fridericus Summeringius, Sax. Palatinus, intereſt bello Vandalico. 541. à patre Conrado conſtituitur C. Brenæ. ib.
Friderici Summerſenburgij filij conſequuntur Palatinatum Saxoniæ. 88
Friderici, præfecti Miſnenſis cædes. 212
Friderici Cutſeſij bona diripiuntur à Viperto Groicio. 371
Fridericus, C. Brenæ f. Conradi Magni M. Miſniæ, vx. Heduigis, Dipoldi, D. Boemi, f. 551 eius liberi. ib. eius mors. & ſepultura. 552
Friderici II. Imp. bellum in Sicilia. 551. eiuſdem bellum in Syria. 553. eiuſdem bellum contra Othonem. 566

Fridericus C. Brenæ, Friderici f. vxx. I. Iutta, f. Friderici C. Zigenhanij. II. Agnes è familiâ Brandeburgia. 553. intereſt bello Syriaco. ibid. addicit ſe ordini Cruceſignatorum. 553
Fridericus Barbaroſſa Imp. Lubecam vrbem maritimam ad Imp. adijcit. 557. imperat Alberto Marchioni ut patrem dimittat. 558
Friderico, præſuli Mersburgio, traditur Albertus Brunſuicenſis aſſervandus. 584
Fridericus D. Auſtriæ, f. Hermani, capite truncatur Neapoli. 584
Fridericus D. Auſtriæ f. Leopoldi, ab Vngaris interfectus. 584
Fridericus M. Oſterlandiæ & Lansbergi, f. Diterici, vx. Hildegardis Bauara. 587. eius contentio cum Numburgano & Mersburgio præſulibus de finibus ditionis. ibid. eiuſdem cum præſule Miſnenſe diſſenſio. ib. perit toxico. ibid. ſepelitur Suſelitij. 588
Fridericus, f. Henrici M. Miſniæ & L. Turingiæ, vx. Eliſabetha Suarceburgia. 588. diſcedit ſine liberis. ibid.
Fridericus I. Fortis, f. Alberti L. Turingiæ. 589. M. Miſniæ & L. Turingiæ. 609. ſcelerate ab Ant. Magdeburgio capitur. 587. 610. Idem capitur à patre. 592. 610. mox elabitur è cuſtodiâ. ib. reconciliatur patri à Rudolpho Imperatore. 593. eius reſponſio ibidem. capit patrem. 595. 611. rurſus dimittit eum authoritate Imp. ibidem & 611. vxx. eius. I. Agnes, D. Carinthiæ. f. II. Eliſabetha, f. C. Arnſhaugij. 609. eam rapit nouercæ Alheidi. 604. eius cognomẽ duplex. ibid. eiuſdem virtus in aulâ Vuenceslai. II. R. Boemiæ ſpectata. ib. capit Ele. Brandeburgicũ, & Anhaltinos, principp. contra ſe incitatos. 597. 612. ei inſidiæ ſtruuntur ab Adolfo Imp. Aldenburgi. 614 redimit Fribergenſes ab Imp. ſuperatos traditis opp. quatuor. 616. eius prudentia & victoria in occupando Rochlicio. opp. ib. potitur omni Miſniâ excepto Fribergo. 618. victoria eius. 620. eiuſdem victoria de Naſſauienſe. 621. oppugnat & recipit Fribergũ. ib. accuſatur à patre apud Imp. 622. nouercæ beneuolentiâ potitur Vuartburgo & patrem in exiliũ pellit. 605 623. augetur filiâ natâ. 624. eiuſdem periculũ & in filiolam pietas. ibid. eiuſdem protectio diuina. 625. eius filia baptizatur Tennebergi. ibid. eius facinus animoſum in ferendo auxilio obſeſsis. ibid. capit legatum Imp. C. Milhouenſẽ. 626. ignoſcit Ilenacenſibus. 628. pax. ib. eius bellum cum Erfurdianis. ib. eoſdem dicto audientes reddit. 630. C. Vinarienſem præcipuis vrbibus priuat. 631. rurſus eius hoſtes tumultuantur ib. eius liberatio mirabilis 633 ducit exercitũ in Buchoniam ulturus Abbates. ib. eiuſdem pietas in ſuos. 636. euertit arces prædatorias. 637. eius conſternatio ob comediam de 10. virginibus Mat. 25. 638. eius morbus & mors. 639
Fridericus II. Claudus, f. Friderici fortis, M. Miſniæ. 639. eius interitus & ſepultura. ibid.
Fridericus III. Grauis. M. Miſniæ & Oſterlãdiæ. L. Turingiæ f. Friderici I. Fortis 639. vx. eius Mechtildis Ludou. IV. Bauari Imp. f. 640 filiam Boemi ſibi prius deſponſatã repudiat. ib. & 641. eius bellum cum Erfurdianis. 642. intereſt ludis Martialibus Pegæ celebratis. 643. in caſtra R. Angliæ ꝓficiſcitur. ib. eius diſſidium cum matre propter vrbem Gotham. 644. latrocinia compeſcit ib. eius bella cũ Nebranis 646. cum C. Vinarienſi. ibid. cum C. Suarceburgio. 647. vulneratur in prælio. 648 intereſt ludis equeſtribus Iſenacenſibus. 649. eius bellum cum Hennebergio C 650 eiꝰ periculum. 651. ſervatur à Iohanne Frinario Iſenacenſe. ib. eius victoria de Hennebergio. 652. pax cum Hennebergio. ib. expugat Friburgũ. 653. recuſat habenas Imperij ad ſe delatas. 654. moritur. 655. conditur in Veterocellenſi cœnobio. ibid.
Fridericus, f. Friderici III. Grauis, obit infans. 656
Fridericus, Abbas Fuldanus, Baldaſarem L. Turingiæ contra Steineccios ad auxilium vocat. 663. moritur. ibid.
Fridericus, L. Turingiæ, è Margaritha Norica. 663. vxor Anna Guntheri Suarceburgij. f. 664. equeſtria ornamenta accipit bello Boemico. ibidem. renouat fœdus cum agnatis. 665. moritur ſine liberis. 666
Fridericus, Henrici f. in Cella ſepultus. 606
Fridericus, præſul Mersburgius, creatur. 607
Fridericus Auſtriacus, & Ludouicus Bauarus de Imp. contendunt. 635
Fridericus Vuangenhemius defendit partes Friderici III. Grauis. 641
Fridericus C. Vinarienſis, vnâ cum fratre extruit Vuindelſteinam arcem. 644
Fridericus Drifurtinus Iſenaci obit in mendicanti Monachorum ſecta. 646

Fridericus, M. Miſniæ, & Vilhelmus eius frater in Turingiam expeditionem faciunt. 664: reprimunt Suarceburgij C. iniquitatem. 665. renovant fœdus cum agnato. ibid.

Fridericus Strenuus, L. Turingiæ, & M. Miſniæ, f. Friderici Gravis. 674. vx. Chatarina, f. Henrici C. Hennebergij. ibid. ſtudijs militarib. imbuitur. ib. eſt quaſi tutor fratrib. ſuis. ibid. eiuſdem æquitas in adminiſtratione. ibid. bellum ejus contra Ruthenum Plauenſem. ibid. eius negotium cum Suarceburgijs C. 675. bellũ cum Abbate Fuldano. 676. ejus bellum cum Brunſuicenſe. 677. eiuſdem bellum cum Erfurdianis. 679. pax conſtituitur. 680. eius prudentia. ibid. eius diviſio prouinciarum cum fratribus. 681. ſumma eius cum fratribus coniunctio. ibid. eiusdem mors. ibid.

Fridericus, Friderici Strenui, filius obijt annis infantiæ. 681

Fridericus Bellicoſus, f. Friderici Strenui. vx. Catharina, f. Henrici Brunſuicenſis. 684. militat Burggr. Norinbergio in Franciâ. ibid. Conrado in Liuoniâ. ibid. Vilhelmo patruo in Boemiâ. ibid. Adoleſcens tenet Lanſbergiam præfecturam. ibid. diruit Balenſtadium arcem prædatoriam. 685. eius bellum cum Suarceburgio. ibid. expellit ſuâ ditione Iudæos. 688. ab eodem factio Tribularia reprimitur. ibid. ſequitur partes Imp. in bello Boemico contra Huſsitas. 690. fit Elector Saxoniæ. 695. eius expeditio in Boemiam. 699. eius legatio ad Pontificem & Imp. 702. eiuſdem oratio ad filios. ibid. eius obitus. 703

Fridericus C. Beichlingenſis, legatus Friderici Electoris Sax. in Boemico bello. 690. 700

Fridericus Brandeburgicus, ſuas copias in Ludouicum Bauarum ducit. 692. ſequitur partes Imp. Sigiſmundi in bello Boemico. 697. ſequitur partes Vilhelmi D. Sax. 718. ei ſubditæ civitates pleræque rebellant. 734. conſtituitur D. belli Boemici. 739. copias ſuas Oſchacium ducit. 742. coniungit ſe cum Elect. 743. cum eodem ſe in Boemiam confert. 747. arbiter in Electorem & Vilhelmum D. Sax. 759. ſequitur caſtra Vilhelmi. 764

Fridericus C. Tunnenſis, intereſt Boemico bello. 700

Fridericus Vicelebius, conſiliarius Vilhelmi D. Sax. & L. Turingiæ. 709. author diſsidij inter fratres princip. ibid. læditur bombarda. 712

Fridericus III. Imp. legatos de reconciliatione ad DD. Sax. mittit. 719. 766. ambit R. Boemiæ. 728. de regno Bohemiæ contendit. 799. bellum eius cum Mathia Rege Vngariæ. 804. 811. contemptus apud ſuos. 812. expeditio contra Gandauẽſes & Brugenſes. 816. mors & exequiæ. 834

Fridericus Ant. Magdeburgius. 733

Fridericus, D. Sax. intereſt bello Boemico. 739

Fridericus Vicethumus cadit in acie contra Boemos. 743

Fridericus, Præſul Eiſtetenſis, redimit ſe pecuniâ ab iniuriâ Boemorum. 745

Fridericus Volſenſteinius in bello Boemico exercitum Bauaricum à fugâ reducit. 749

Fridericus II. Placidus, Elector Sax. vx. Margaritha, f. Erneſti D. Auſtriæ. 736. eius liberi. ib. eius expeditio in Boemiam irrita. 738. fœderum veterum renovatio cum L. Heſſiæ 747. eius altera expeditio in Boẽiam quoque ignominioſa. ibid. & 748. reconciliat Naumburganos ſacerdotes cum oppidanis. 751. eius bellum cum Sternbergio. 752. eius victoria de Boemis. 753. eius bellum Vurciburgium pro fratre Sigiſmundo præſule. 754. eius controverſia cum Ant. Magdeburgico. ibid. eius pietas in Deum. 755. diuiſio prouinciarum cum fratribus. 756. eius diſsidium cum fratre Vilhelmo. 757. ei ſeſe bello opponit frater. 764. eius controuerſia cum Ladiſlao Bohemo de LXIV. arcibus & oppidis. 769. renouatur à Georgio Podiebradio Rege. 774. rem numariam emendat. 774. moritur. 776

Fridericus Friderici II. Electoris Sax. filius. 776

Fridericus Dux Saxoniæ, Magiſter ordinis Teutonici. 836. 840. moritur. 841

Friderici D. Sax. Georgij filij, vita & mors. 879

Frideruna, f. Retingi II. vx. Harduigi C. Burghuſij & Scalani, & Burggrauij, Ranshouij. 468

Frideslaria, vrbs. 93. conventus ibidem celebratus. 102

Frobergum opp. incenditur à Philippo Naſſauienſe, Imp. Adolfi legato. 614

Frutmunda, opp. 86

Furſtenſteinum, arx ad Viſurgim, traditur Henrico

Henrico M. Miſniæ & L. Turingiæ pro Alberto Brunſuicenſe redimendo. 584
Fulda, opp. Haſsiæ. 137. ibidem conuentus agitur. 617. 558. à Philippo Haſsiæ Landgrauio occupatur. 865
Fuldanorum Monachorum petulantia. 280
Funccius, ſcriptor. 121

G.

Gaillia, caſtellum capitur ab Immedo IX. Sabaudo. 493
Galeatius, Vicecomes Mediolanenſis, Bononiam capit. 489. inuadit fines Sabaudi. 492. diuidit cum patruo Bernabone vrbes. vx. Catharina, patrui ſui Bernabonis f. 494
Galliarda, arx Sabaudi è fundamento deſtruitur. 481
Gallorum perfidia in Regem Ludouicum. 141
Gallicus morbus quando cœpit. 844
Ganda, fl. 98
Gandauenſis ager ab Henrico II. Imp. depopulatur. 265
Gandauenſium clades. 816
Gandauenſis agri vaſtatio. 831
Gandauenſium legati ad Albertum D. Saxoniæ de pace. 832
Gandershemum, opp. 98. 102. 219.
Ganguinus, ſcriptor. 207
Garganus, mons Apuliæ. 174
Garuuildus, f. Geroldi. 77. facinus eiuſdem. 77
Gatterſlebienſis conuentus. 312
Gaurinus, Ant. Colonienſis. 205
Gebeſa obſidetur à Præſule Spirenſe. 667
Gebenenſis præſul à Gallis eligitur Pontifex dictus Clemens VII. 494
Gebhardus, D. Francorum, oppetit. 320
Gebhardus, C. Supplinburgius, pater Lotharij Imp. cadit in bello contra Henricum IV. Imp. 350
Gebhardus, Ant. Salceburgius, adhibetur ab Imp. ad pacis tractationem cum Saxonibus. 352. conſtituitur cum reliquis arbiter inter Imp. & Sax. 361. eius obitus. 376
Gebhardus, Vratiſlai frater, Ant. Boemicarum & Morauiarum Eccleſiarum. 372
Gebhardus, præſul Conſtantienſis. 412
Gebhardi Hoymi præſulis Halberſtadij mors. 794
Gebhardus, C. Querfurdius. 539
Gebhardi, præſulis Ratisbonenſis controuerſia cum Henrico Bauaro Rixoſo. 333
Gebhardus, præſul Mersburgenſis. 653
Gebichſtena, arx ad Salam. 85. occupatur à Sax. & Heſſo in obſidione Halenſi. 450
Geilo, D. exercitus Caroli M. oppetit. 430
Geiſa, R. Vngariæ, pater Toxis. 315
Geiſa, Fuldani opp. obſidetur ab Heſſo. 676. occupatur ab Hermano Ritelelio legato Heſsico. 735
Geita, opp. à Philippo Naſſauienſe, legato Imp. capto, Friderico M. Miſniæ reſtituitur. 617
Gelderus, R. Sax. 2
Geldricum bellum. 836
Gelhuſa factionibus repleta ſedatur à Croneburgio. 662
Gemilda, vx. Canuti prima. 44
Genealogia Auſtriaca conſcripta à Iacobo clauſtri Neoburgij præpoſito. 100
Georgius Agricola, ſcriptor. 3. 469
Georgius Rixnerus, ſcriptor. 442
Georgius, Bonifacij I. ſecundus f. vx. Iulia Arragonia, Friderici R. Neapolitani f. 464
Georgius, f. Friderici Strenui, obſidioni Pragenſi intereſt. 682. ſepelitur in Portenſi cœnobio. ibid.
Georgius, C. Oetingenſis, legatus Imp. 615
Georgius Vilſdorfius vinclis tenet Eruinum C. Glichenſem. 726
Georgius Vuangenhemius, cadit in acie contra Boemos. 743
Georgius Radſchauerus, præfectus opp. Plauæ. 744
Georgius Hoppegartus ſequitur partes C. Glichenſium. 763
Georgius Bebinbergius, conſiliarius Friderici Elect. cauſa diſſenſionum inter Principp. fratres. 707
Georgius Podiebradus conſtituitur R. Boemiæ. 728. intercedit pro Apollonio Vicethumo. 730. controuerſiam de arcibus nonnullis cum Friderico II. Electore Sax. renouat. 774. à Pontifice Rom. diris petitur. 778. cladem Sileſijs infert. 780. moritur. 801
Georgius Anhaltinus præſul Mersburgius. 862
Georgius Dux Saxoniæ naſcitur. 801. matrimonium eius & liberi. 842. adoleſcentia. ibid. nuptiæ. 843. expeditio in Phryſiam. 845. victoria de Elboganis. 846. iter Pragenſe. 847. querela apud Imp. de Edezardo C. Embdano. 848. bellum contra Edezardum Comitem. 849. Thamum

obſidet. 853. oppugnat & expugnat. 854. deſiſtit à bello in Phryſia perſequendo. 856. literæ eius ad Præſulem Mersburgicum, locum diſputationi denegantem. 860. expeditio contra ſeditioſos ruſticos & Anabaptiſtas. 866. animaduerſio ſeuera in ſeditioſos Lipſenſes. 868. hoſtis Lutheranorũ infeſtiſsimus. 874. moritur infelix ſenex. 877
Georgius, Præſul Pabergenſis, ſequitur partes Alberti Bauari. 730. arbiter conſtituitur inter Bauarum & Brandeburgium. 731
Georgio Comiti Leiſnicium adimitur. 774
Georgij Gutterſteini vindicta. 844
Georgij Keræ fortuna. 840
Georgius VVicelius apoſtata. 874
Georgianum templum Pragæ. 259
Georgithalianis in Turingia iumenta ab Hennebergio abiguntur. 665
Geraldus, Immedi f. alias Geroldus. vx. Catharina Bauarica. 469. vixit in aula Oth. III. Imp. 469. fugit ex aula in Burgundiam. 470. Boſoni & Rodolpho Regg. militat item committitur ei regnum Burgundicum ab Imp. 470. acquirit regno C. Moriennæ. 470 auctus ditione Allobrogica, quæ nunc eſt Sabaudienſis. 470
Gerardus, præſul Naumburganus, ſuſpectus de latrocinijs Turingiæ. 644. ad concilium Conſtantienſe mittitur. 689
Gerardus, præſul Vurciburgius, iuuat C. Suarceburgium. 685. eiuſdem bellum cum ſuis ſubditis. 686
Gera, oppidum obſidetur. 717. expugnatur. 765
Gerberga ſacerdos Gandershemia. 324. 335
Gerberga, f. Henrici Aucupis. vx. Giſelberti D. Lotharingiæ, & Ludouici VII. R. Franciæ. 104
Gerdrudis, f. Ecberti M. Miſniæ, vx. Henrici Craſsi. 364. auia Lotharij Imp. proauia Henrici Superbi, D. Bauariæ & Sax. abauia Henrici Leonis, atauia Oth. IV. Imp. 367
Gerdrudis, Henrici Craſsi f. vx. Conradi Rheni Palatini. 364
Gerdrudis, f. D. Lotharingiæ, vx. Philippi I. Sabaudi. 473
Gerdrudis. f. Diterici M. Luſatiæ Gerbſtetenſis ſacerdos. 542
Gerdrudis f D. Brunſuigi & M Sax. vx. Henrici M. Luſatiæ. 523. rumor vanus de ea ſparſus. 527
Gerdrudis, f. Conradi III. M. Miſniæ, vx. Hermani C. Palatini Rheni. 537
Gertrudis, vx. Vualteri C. Arnſtenij. 538
Gerdrudis, f Conradi Magni M. Miſnenſis, fundatrix cænobij Pauebergenſis D. Theodori. 555
Gerenſis ager vaſtatur. 764
Gerhardus Hartinbergius ab Hercinijs in Turingiam incurſiones faciens capitur. 662
Germanus Epiſcopus. 28
Germani totam Calabriam & Apuliam in libertatem rurſus vendicant. 174
S. Germanus, caſtellum ab Immedo IX. capitur. 493
Gero, M. Luſatiæ, aſtu vtitur ad opprimendos Slauos. 138. in Rugos mittitur. 151. eiuſdem victoria cruenta de Slauis. 165. eius ditio vaſtatur à milite Imp. 272
Gero, C. Aſcanienſis in monomachia congreditur cum Vualdone. 190. eius ſupplicium. 191
Gero, M. Luſatiæ, è ſtirpe Viburgia, cadit in acie. 295. Miſnam corpus deportatur & Muncheneburgi ſepelitur. 295
Gero, Ant. Colonienſis, templũ Muncheneburgi D. Cypriano ſacrum extruit. 295. reconciliatur cum Bernhardo Marchione. 312
Gero, Scheuerenſis C. Bauaricus, Palatinus Seburgius. 535
Gero, C. Brenæ & Camburgi, Diterici M. Lansbergi f. vx. Bertha, vidua Popponis Vipperenſis. 529
Geroldus Ant. Moguntinus, ſocius belli Pipino. 77. interficitur. 77
Gerſtrungam Fuldanus L. Turingiæ vendit. 663
Gerſtrunga oppidum Fuldani obſidetur. 676
Gerſtrungenſis conventus. 347. 522
Geſericenſi parochia ſubijcitur Magdeburgio Antiſtiti. 297
Genſinbergi fodinæ. 776
Gibechſteina, arx ad Muldam. 275
Gibellina factio in Inſubribus & Hetruſcis à Boemo reprimitur. 641
Gicheburgum. 118
Gilbertus, Pariſienſis Epiſcopus. 35. idem fit Pontifex, dictus Silueſter II. 234
Gilda Sapiens Scriptor. 12
Giſela, vx. Conradi II. Imperatoris Saliqui. 42
Giſelarius obetritis occurrit. 199
Giſela, vx. Henrici Bauari. 210. obit. 206

Giſela

Giſela, f. Conradi D. Lotharingiæ, vx. Henrici Rixoſi. 331
Giſela, f. Henrici Rixoſi D. Bauariæ, vx. Toxis poſteà dicti Stephani R. Vngariæ. 315. 331. fundatrix Baſilicæ, Veſpriniæ in Vngariâ & Patauienſis in Bauariâ. 331
Giſela, f. Principis Verlaenſis vel Lotharij, R. Franciæ vx. trium maritorum. I. Erneſti D. Sueuorum II. Brunonis II. M. Miſniæ. III. Conradi II. Imp. 334
Giſelbertus Lotharingius, Oth. I. Imp. palatio præfectus. 228. in Imp. conſpirat. 133. ſubmergitur in Rheno. 137
Giſelbertus, f. Siffridi, Palatini Rheni, frater Reginæ Cunegundis, Romæ interfectus. 254
Giſelerus, Ant. Magdeburgius. fit ſupplex Oth. III. Imp. 227. eius mors. 248
Giſo C. Hollandius adiuuat perfidiam Hermani. 341. in ſuo caſtello interficitur. 346
Gleicha, arx Ecberti, obſidetur ab Henrico IV. Imp. 374
Glicha vexatur oppugnatione. 764
Glindeſmora palus. 224
Gliſbergum Vicethumiorum euertit. 724
Glogauia, vrbs Boemiæ. 273. vaſtatur. 305
Glomacius tractus item opp. 100
Gneſna, vrbs. 228
Godeſchallus, præſul Friſingenſis. 259
Godeſchallus, Imp. legatus reverſus è Daniâ à Sax. tumultuantibus interficitur. 439
Gonnerſlebia, pag. vicethumiorum crematur. 763
Coritia, opp. 408
Goſlaria, vrbs ab Henrico Aucupe extructa. 124. amplificatur ab Henrico. II. 304. ſeditio ibi oritur. 374
Goſlarienſia metalla in Saxonia. 173
Goſlarienſis conuentus de pace & libertate Sax. 374
Gotfridus Lotharingius agrum Metenſem depopulatur. 300. cum C. Gebhardo bellum gerit. 307. vincit. 307. Idem in tumultu à Phryſijs capitur. 311. eiuſdem liberatio & mors. 311
Gotfridus, C. Zigenhanius, ducit ſororem Othonis Brunſuicenſis. 657
Gotha, vrbs ab Abbate Hirſueldio Meingotho primum condita. 382. ab Erfurdianis petitur. 642. vexatur ab Hennebergio. 651
Gothardus, præſul Hildeshemius factus. 384
Gothi, victores totius ferè orbis. 6
Gothi & Scythæ placant Deos ſanguine humano. 63
Gothi vaſtant Italiam. 62
Gotinga, vrbs Sax. 339. rebellat ſuis Principib. 734
Goteſtera, arx incenditur. 764
Gotolengum, Brixianorum caſtellum.
Gozeca, arx. 83
Gradum, caſtellum. 163
Gratianus Imp. quando vixit. 5
Gratitudo. 121. 480
Graupa, in finibus Boemiæ. 747
Gregorius Pontifex, & ſcriptor hiſtoricus. 12
Gregorius Turonenſis, ſcriptor Francicus. 56
Gregorius pro Pontifice ſe gerit. 282
Gregorius Pontifex fugatur. 363
Gregorius XI. Pontifex. 667. 491
Grimani ſeſe dedunt Friderico M. Miſniæ. 620
Grimanus ager vaſtatur à Boemis. 743
Grimbergæ expugnatio. 818
Gripho, Caroli f. R. Francorum. 176. 37. ad Saxones ſe confert. 76
Griſhemium diruitur. 647
Grona, palus in Oſterlandia. 359
Groiza caſtellum Oſterlandiæ à Philippo Naſſauienſe, Imp. Adolphi legato, ſolo æquatur. 614
Groningæ obſidio. 838. 851
Gryer, fl. 489
Guido, f. Berengarij in acie cadit. 169
Guido, Metenſis præſul, exploratoris agit partes. 169. capitur & relegatur. 169
Guido Bibliothecarius, Legatus Romanus. 179
Guidoni Luſignano Cyprum tradit Sabaudus. 501
Guncelinus, Othonis f. M. Miſniæ. 247. 391. liberat ſe à ſuſpicione in bello Polonico. 293. eius rapinæ in ditione patrui abſentis. 400. eiuſdem cauſa cum Hermano Rochlitio tranſigitur. 271. recipitur in gratiam. 309. eius amicitia cum Boliſlao Boemo ſimulata. 392. oppugnatur à Boliſlao. 392. Boemo damnum infert. 393. eius cum Imp. in Boemiam expeditio. ibid. eius eximia virtus in bello Polonico & Boemico. 394. eius contentio cum Hermano Rochlitio de bonis maiorum. 394. Strelam Hermani oppugnat. ibid. Rochlitium incendit. 395. accuſatur ab Hermano Rochlitio apud Imp. ib. accuſatur vehementius.

hementius ab ipſo Imp. ibid. traditur cuſtodiendus Antiſtiti Arnolpho. ibid.
Gundisberga à Moguntino reſtituitur L. Haſsiæ. 662
Guntherus, C. Suarceburgius, repugnat Friderio III. Graui. 646. capitur unà cum filio. 648. dimittitur. 649. eligitur Rom. Imp. 655. veneno tollitur. ibid.
Guntherus, f. Guntheri Suarceburgij, eius in generum iniquitas & aſtutia. 664. cupit abalienare Turingiam ſuis, proprijs dominis. ib. ignoſcitur ei & pax confirmatur. 665. eius cum fratre patruele contentio. 762
Guntherus, C. Bichlingenſis, addictior Electori, quàm Vilhelmo D. Sax. 758
Guntherus, C. Manſfeldius, addictior Electori, quàm Vilhelmo D. Sax. 758
Guntranus, R. Aureliarenſium. 58
Guozedecum, caſtellum inſtauratur à Boemo. 372. 373. 527

H.

Hadamarus, Abbas Fuldanus. 141
Hadmundis, f. Ludolphi D. Sax. præfecta cœnobio vel Abbatiſſa. 97
Hagena, nobilis præficitur Imperatorio exercitui. 133
Haiaroldus, D. Baiocenſis. 141
Haimo, Abbas Petrinus, Giſeleri præſulis Merſburgij Vicarius. 245
Haimoni, præſuli Verdunenſi inſidiæ ſtruuntur. 270
Haimuſius, Saxo nobilis, fortiter pugnans oppetit. 260
Hala obſidetur. 208. 750
Halæ ſeditio. 785. 794
Halis à Raveſteino obſeſſa. 821
Halberſtadij ſeditio. 787. obſeſsio. 794
Haldeſlebia, vrbs ab Ant. Magdeburgio Vuigmano obſidetur. 557
Halmyrus, vrbs traditur Alexio Imp. pulſo habitanda à Bonifacio III. Montſerrat. 455
Halſtadium, pagus. 633
Hamburgum vrbs in Sax. è Danis euerſum. 98. 137
Hamerus R. Turingorum. 1
Hammerſteina arx ad Rhenum. 315
Hana opp. Miſniæ præſidijs munitur à Dicemano M. Oſterlandiæ. 611
Hana, opp. Imperiale, ſeditionibus impletū compeſcitur à Cronebergio. 662
Haneſteinum, arx Bauariæ, demolitur. 343
Hanno, Berbenſis monaſterii præpoſitus. 129
Hanno, præſul Vuormacienſis. 167
Haraldus, R. Daniæ. 23
Haraldus, R. Angliæ è Sax. 44
Hardiſlebia euertitur. 646
Hardolphus, R. Northumbrorum ultimus. 23
Harduigus, C. Burghuſius & Scalanus. Burg. Ranshouius. 468
Harduicus, Abbas cœnobij Tegernſchenſis. 384
Haduigus, M. Mediolanus, ſalutatur Rex ab Hetruſcis & Inſubribus in Italiâ. 241. gerit ſe pro rege. 251. eijcitur. 253. 255
Harimarus, præſul Padelbornius, præficitur Saxon. veri cultus diſcendi gratiâ. 428
Hartenbergij, nobiles Turingi. 641
Hartesbergum propugnaculum Sax. diruitur. 425. inſtauratur à Carolo Magno. 427. eiuſdem oppugnatio. 522. antea Satersburgum dictum. 539
Hartmanus, Theodori II. f. præſul Curienſis in Alpibus Rheticis. 460. capitur in bello. ibid.
Haſino, D. Sax. orientalium. 427
Haſsiam obtinent Brabanti Duces. 573
Haſsicorum principum cum Miſnenſibus confœderatio multorum ſeculorum. 573. eiuſdem fœderis renouatio. 658. 747
Haſunga caſtellum. 343
Hatiburgis, Henrici I Imp. I. vx. 103. 320. dimittitur ob ſanguinis propinquitatem. 320
Hatto, Ant. Moguntinus. 105. eius interitus. 106
Hauelandia. 528
Hauelburgum præſidium. 197
Hauelburgiæ Eccleſiæ fundatio. 124
Hauellorum exploratores deprænhenduntur Ranſtadij. 272
Hauelus fl. 280. 578
Haultecombeium cœnobium in Sabaudiâ. 478
Hæreſis cauſa omnis mali & euerſionis regnorum. 9
Hebrides, quales Inſulæ. 17
Hebuſus, Hengiſti filius. 11
Hebuſi filij, qui & qualium populorum auctores. 9
Hedericus, R. Cantianorum. 14
Hedericus, R. Northumbrorum. 16. eius obitus. 17

Heduigis

Heduigis, Vlrici D. Saxoniæ filia, à marito repudiatur. 84
Heduigis, vx. Othonis R. Romanorum. 100
Heduigis, vx. Hugonis C. Pariſienſis. 104
Heduigis, Henrici D. Bauariæ f. vx. Burchardi D. Sueuorum. 324
Heduigis f. Henrici Bauari Rixoſi, vx. Lotharij vel Ludberti Burggr. Magdeburgij. 332
Heduigis, M. Cliuenſis f. vx. Diterici, D. Angriuariorum. 442
Heduigis, f. Bernhardi D. Sax. I. Electoris, vx. Vlrici Burggr. & C. Vitini. 551
Heduigis f. Dipoldi, D. Boemi, vx. Friderici C. Brenæ. 551
Heduigis, f. Friderici C. Brenæ, celebs obit. 553.
Heduigis, f. Alberti Electoris Brandeburgici, vx. Othonis M. Miſniæ. 555
Heduigis, f. Diterici M. Miſniæ, in infantia obit. 562
Heduigis, f. Diterici M. Oſterlandiæ & Lambergi, ſacerdos VVeiſſenuelſenſis. 586
Heduigis Abbatiſſæ Quedlinburgicæ mors. 797
Hegmannus, nobilis falsò accuſat Henricum Bauarum. 341. propter rapinas dignitatem amittit. 344
Heico, Ameſlebius vir nobiliſs. 403
Heideccia arx capitur. 715
Heidenhemium opp. à Brandeburgo oppugnatur. 731
Heila, filia Rathbodi R. Phryſiorum. vx. Edelhardi R. Sax. 75
Heimeburgum, caſtellum expugnatur à Sax. 346
Helbinus, R. legatus celeriter occurrit Sax. 439
Heldolphi Zorbecenſis periurium. 528. eiuſque pœna. 529
Helena, Caroli f. vx. Eduardi III. R. Angliæ, poſteà R. Romanorum. 49
Heleonora, f. Raimundi M. Sabaudi vx. Henrici III. 48
Helena f. Ioannis M. Brandeburgici, vx. Diterici M. Oſterlandiæ & Lansbergi. 586
Heldrungia arx eripitur Heldrungo & attribuitur Honſtenio Comiti. 688
Helinuardus, Mindenſis Ant. intereſt Romanæ ſynodo. 163
Heliopolis, Aegypti vrbs. 48
Hellebarda genus armorum Germanorum. 700
Hellebardiarij qui. 700
Helmſtena, arx à Brandeburgico oppugnatur. 731
Helponis & Brunonis legatorum Othonis II. expeditio in Italiam infelix. 161
Helnigis, f. Friderici II. Placidi Elect. Sax. Abbatiſſa Quedlinburgia. 736
Hembodishemium. 167
Hemburga, f. Vulferi. monialis fuit. 32
Hemma, f. C. Scheuerenſis in Bauariâ, vx. Immedi M. Sabaudiæ. 467
Hengiſtus, D. Saxonum. 6. præficitur Cantijs. 7. quomodo perijt. 9
Henricus Princeps & R. Sax. 2
Henricus, I. R. Angliæ è Normanis. 45
Henricus II. R. Angliæ è Normanis. 45
Henricus III. Bollimbrachus R. Angliæ è Francis. 48
Henricus IV. R. Angliæ, cognomento Bollinus. 50
Henricus V. R. Angliæ, anteà Princeps Vualliæ. 50
Henricus VI. R. Angliæ. 50
Henricus VII. C. Richmondiæ. poſteà R. Angliæ. 51. author nouæ concordiæ in regno. 52. fuit ex familiâ Lancaſtria. duxit vx. f. Eduardi III. ex familiâ Eboracenſe. 51
Henricus VIII. Dux. Vualliæ, poſteà R. Angliæ, Dictus defenſor Eccleſiæ à Pontifice. 52
Henricus, Turingiæ princeps, ante Vlmam oppetit 48
Henricus, C. Gozecenſis, Abbas Fuldanus. 82
Henricus Leo, D. Saxoniæ, Palatinatum obtinet. 89
Henricus Rapſo, L. Turingiæ, Palatinus Sax. poſteà R. Romanorum. 87. 89. 578
Henricus, M. Miſniæ, Palatinus Sax. 90
Henricus I. Imp. Auceps. 102. primùm Saxoniæ & Turingiæ D. 105. inſidiæ ei ſtruuntur. ibid. inſidiæ detectæ. ibid. Turingiam occupat armis. 106. pugna eius cum Francis. ibid. eidem Conradus Imp. mouet bellum. 107. cum Conrado mox paciſcitur. 108. eius inauguratio. 109. detrectat Imperium. 110. coronatio. ibidem. recuſat diadema. 110. eius rebelles. ibid. pugnat cum Burchardo D. Sueuiæ. 111. ei Arnulphus D. Bauariæ fit ſupplex. ibid. Lotharingia ad eum transfertur. 112. cum Vngaris pugnat. ibid. eiuſdem inſtituta tempore belli Hunnici. 113. expeditio in Slauos. ibid. expeditio in Boemiam, item in Danos & Obetritas. 114. altera expe-

ditio

peditio in Slauos & victoria de iiſdem 115. eius bellum cum Vngaris. 116. pater patriæ appellatur. 121. facit Slauos tributarios. ibid. eius aliæ res geſtæ cum Vngaris & Danis. ibid eius authoritas apud exteras nationes. 122. eius inſtitutio ludorum equeſtrium. ibid. virtutes eiuſdem. 123. fundationes Eccleſiæ item vrbes & caſtella ab eo extructæ item mors. 124

Henricus Henr I Aucupis f. è Mathilde. 104. 324. vx. Iuditha, Arnolphi D. Bauariæ f. 324. ci⁹ indoles 324. arma pro fratre Oth. gerit 325. ſeruili tractatur more a Dangmaro ibid conſpiratio eius prima in fratrem Oth. Imp. 131 325. altera eius conſpiratio. 133. in Lotharingiâ bellum contra fratrem renovat 135 rurſus nouas turbas excitat. 138. rurſus veniam impetrat. 140 interceſſione matris a fratre Othone I. Dux Bauariæ creatur 141 329 amittit Veronenſem & Aquilonenſem dominatum. 145 eius bellum contra Othonem fratrem. 326. obſidetur Mersburgi. 327. eiuſdem facinus impium. 328. captus Ingelheimum in cuſtodiam mittitur. 328. pænitudo eius. ibid eiuſdem expoſtulatio cum Ludolpho filio Oth 147. 330. Ducatum Bauariæ recipit. 329. 330. eius mors. 330

Henricus, Henrici I. Bauari f. dictus Rixoſus vel Hezilo D Saxoniæ & Bauariæ. 331 eiuſdem rebellio. 332 conſpirat cum Rege Daniæ & cum Poloniæ & Boemiæ ducibus. 186. 332. ex Bauaria fugatur. 187. Patauiæ obſidetur. 188. in exilium mittitur cum filio ibid. & 332. reſtituitur unâ cum filio. 201. affectat imperium. 206. 207. 332. conuentum agit Quedlinburgi. 208. Rex proclamatur a ſeditioſis. ibid Francos ad ſuas partes conatur allicere. 209 iubetur ab ambitione reſiſtere. ibid eripit Othonem III. Brunoni Ant. Colonienſi. 206. 333 cogitur eum reſtituere Principp. Imperij. ibid. & 210. ab Othone III. Bauariæ Ducatum recipit. 213. 332. fit dapiter Imperij 213 eius mortuus. 219. 333 eius adhortatio ad filium, ut Imp. veneretur. 219. 333. mors. 334. eius ſepultura. ibid.

Henricus II. D. Bauariæ & Imp quo tempore vixit. 44. inſignia Imperij ſecum domum ducit, poſtea Imp. factus. 238. eius educatio & fortuna. ibid. propenſio procerum in Henricum. 239. matrimonium. ib. creatur Imperator. 240. 388. contentio de Imperio. 241. aduerſarij Henrici. ibid. eius coronatio. ibid. Vuormaciæ à Præſule honorificè accipitur. 242. interclufus in via à Sueuo. 243. Moguntiæ inungitur. ibid. eius bellum contra Sueuiam, Franciam, Turingiam. 244. Pabepergam proficiſcitur 248. reuertitur in Saxoniam ad reprimendos Milcienos. ibid. eiuſdem expeditio in Milcienos. 249. eius expeditio in Italiam. 251. quare Claudus dicatur. 255. venit Mediolanum. 256. redit in Germaniam. ibid. bellum eius contra Boemum. 257. eius expeditio in Milcienos. 259. legatos mittit in Phryſiam. 262. eius contra Polonos expeditio. ibid. ſolicitudo eius de Slauis conuertendis. 264. interdicit Chriſtianis, ne Slauis ſeruiant, aut matrimonium cum ipſis contrahant. 265 eius expeditio in Flandriam. ib. bellum infert Bauaro & Metenſi. 270. legatos mittit in Boemiam. 272. eius morbus ex quo tamen conualuit. 272. bellum Boemicum. ibid abit in caſtra ad Mediomatrices. 275. in morbum grauem rurſus incidit. 279. iter Italicum ſuſcipit ob coronationem. 281. perfide accuſatus eſt à Polono apud Pontificem. ibid. coronatio eiuſdem & Imperatricis, Romæ 282. eius expeditio in Campaniam 283 redit feliciter in Germaniam. 284. Argentorati D. Thomæ Baſilicam inſtaurat. 285 Meſiconem Polonum liberat ab Vlrico Boemo. 287. differt Meſiconem remittere ad patrem. 288 deliberatio de reddendo Meſicone ibid. expeditio in Poloniam. 290 legatos mittit ad Meſiconem ibidem. victoria eius de Polonis. 292. viciſſim gerit bellum cum Boemo. 293. Boemorum clades. 295. bellum eius aduerſum Pictauienſem 299. multorum controuerſias tranſigit. 302. exploratores emittit. 303 expeditio eius in hoſtes Imperij. 304. ſollicitus eſt de Baſilica Pabebergenſi. 304. eius pax cum Boemo. 310. Baſileam proficiſcitur ad reprimendos Burgundos 312. moritur Groningæ. 317. ſepelitur Pabebergæ in Petrino. ibid.

Henricus Ant. Treuirenſis. 163

Henricus, D Burgundiorum. 176

Henricus, C Summeringius. 176

Henricus præſul Auguſtanus, oppetit in acie. 193

Henricus Zolunta mercator Dalmata. 194

Henricus Mediolanenſis. 198

Henrici

Henrici, C. Viburgij facinus, 219. damnatur exilio & bona ei eripiuntur: ibid. recipitur in gratiam: ibid. Sagitta traijcitur. 220.
Henricus, M. Auſtriæ, ducatum Bauariæ poſtulat. 244. fit rebellis. 245. deliberat cum Sifrido 247. exul veniam petit. 250.
Henricus, Rheni Palatinus, D. Bauariæ creatur. 251.
Henricus, præſul Vurciburgius. 266.
Henricus, D. Bauariæ, reddit ſibi Imp. Henricum II. infenſum. 269.
Henricus Francus M. Octingentos hoſtes cædit. 293. Militem Morauicum in Boemiâ prædantem fugat. 306. mille ex ijs interficit, ibid. moritur. 308.
Henricus, f. Brunonis III. præſul Hildeshemius conſecratur 336. eius de ſeſſione contentio & conflictus cum Ab Fuldano, in templo Goſleriano. 337. eiusdem mors. 338. fundator collegij ſanctæ crucis, & D. Mauricij, vbi ſepultus eſt. 338.
Henricus Craſſus, D. Gotingenſis, f. Othonis D. Bauariæ & Saxoniæ. 338.
Henricus Lechsgemundus oppetit militans in caſtris regijs Henrici IV. 358.
Henricus III. Imperator. 83. 334. 339.
Henricus IV. Imp. 45. 339. ſibi metuit ab Othone M. Turingiæ 336. eiusdem adhuc pueri in libertatem reſtitutio. 339. eius puerilis incogitantia. 340. eiusdem iniuſtitia erga Sax. 345. cogitur ſe includere præſidio Hartesburgo. 346. mittit legatos in Sax. caſtra de pace: ibid. fugit e præſidio Hartesbergo: ibid. pacem confirmat cum Sax. 347. eius militum ſcelus: ibi. eius minæ in Saxones. 348. confligit cum Sax. 349. deuaſtat agros Sax. 350. legati Sax. ad Imp. ibid. Miſniam diripit 351. aliam in Sax. expeditionem meditatur: ibi. & 352. excommunicatur à Pontifice. 354. captiuos dimittit. 355. eiuſdem pertinatia in propoſito: ibid. eidem conditiones pacis præſcribuntur. 357. reconciliat ſibi aſtutè Pontificem: ibid. quatuor geſſit bella cum Rodolpho contra ſe electo primum in Turingiâ 357. alterum in Franciâ commiſſum: ibid. Tertium iterum in Turingiâ 358. quartum in Oſterlandiâ 359. eius legati ad Sax. 360. Colloquium legatorum Imp. cum Sax. 361. arbitri conſtituuntur: ibid. ſuſcipit expeditionem in Italiam. 363. eiuſdem in Sax. expeditio & victoria. 374. prælium eiuſdem cum Ecberto & clades. 375. pax eiusdem cum Sax. 376. nihil niſi Sax. interitum quæſiuit. 522.
Henricus, Pabebergenſis Ant. conſtituitur arbiter cum reliquis inter Imp. & Sax. 361.
Henricus Pinguis, D. Sax. Othonis f. vx. Gerdrudis, Ecberti M. Miſniæ f. 364. eius ſedes Alerſteti: ibid. in Saxoniâ ſecundus à Rege: ibid. commendatur ipſi Phryſia: ibi. vulneratur & fluctibus maris ſubmergitur 365.
Henricus, Stadenſis M. gratiam conſequitur ab Henrico IV. Imp. 374.
Henricus Summeringius à Bauaro ad conuentum Verlanum mittitur. 388.
Henricus, Auguſtanus Ant. in arce Falchenſteiniâ captus detinetur. 340. & eius ſupplicium: ibid.
Henricus, Ant. Hildeſhemius, in Imp. Henricum IV. conſpirat. 346.
Henricus, Cunonis I. f. C. Palatinus, & D. Carinthiæ 408. abdit ſe in clauſtrum Goritiæ ibid.
Henricus, C. Campaniæ. 452.
Henricus Dandulus, D. venetorum. 453 reconciliat Balduinum Imp. Conſtantinopolitanum, & Bonifacium Montferratenſem. 454.
Henricus, C. D. Pauli militat in caſtris Venetis. 453.
Henricus, Balduini occiſi frater, Imp. fit Conſtantinopolitanus. 456.
Henricus, Geraldi f. in cænobio priuatus obit 470.
Henricus VII. Lucelburgius Imp. iter in Italiam per Alpes Tridentinas & per Sabaudiam facit. 479. ab Immedo. VII perhonorifice accipitur. 480 repetit à Friderico M. Miſniæ Turingiam & oppida capta. 631. eius interitus. 635
Henricus Nothus, R. Hiſpaniæ, interficit Petrum, R. Caſtiliæ. 489.
Henricus, ex Adelâ Dedonis f. M Luſatiæ, vx. Gertrudis D. Brunſuigi, & Sax. M. f. 523. facinus puerile & fuga eius 526. ad Ant. Moguntinum venit: ibid. ditiſsimus Marchionum, 326.
Henricus II. Henrici Luſatiæ M. f. poſthumus 527 ſequitur Imp. Henrici IV. partes contra Miſnenſes. 527. dicitur eſſe ſuppoſitius. 528. eius bellum ciuile cum Conrado M. Miſnenſi: ibid. & 529.
Henricus, D. Bauariæ & Elector Saxon. vnâ proficiſcitur in Syriacam expeditionem. 540.

Henricus, frater D. Poloniæ unà proficiſcitur in bellum Hiſpanicum. 540
Henricus præſul Olomucenſis intereſt bello Vandalico. 541
Henricus Sax. Elector reſtituit Suenonem R. Sclaudiæ. 541. eius proſcriptio. 543
Henricus conſtituitur à patre C. Vitini. 541. obit in pueritiâ. 542
Henricus, f. Dedonis Craſſi Rochlicij, puer obit. 547
Henricus, f. Conradi Magni M. Miſnenſis, Burg. Vitini & Zorbecæ. 549. vx. Sophia f. Leopoldi VI. D. Auſtriæ. ibid. cogitur abnegare dotem petere vxoris. ſcelere Aff. Henrici Auſtriaci. ib. de eâ iniuriâ conqueritur apud Imp. Fridericum II 550. eius liberi ibid. eſt moleſtus Echardo præpoſito Lauterbergio. ib. à fratre ei inſidiæ ſtruuntur. ibid. damnum infertur ei à Viperto Groizio. ibid. eius mors. ibid.
Henrici Auſtriaci facinus in Henricum Burg. Vitini & Zorbecæ. 550
Henricus, f. Henrici Bur. Vitini puer obit. 551
Henricus C. Aſcanienſis falsò accuſat Sophiam Abb. Quedlinburgiam. 551. diſſentit cum Diterico M Miſniæ. 565
Henricus, C. Brenæ, f. Friderici II. Canonicus Magdeburgius. 554
Henricus C. Orteburgius. 555
Henricus, f. Friderici Barbaroſſæ Imper. 558.
Henrichſdorfum Schonbergiorum. 562.
Henricus VI. Imp. inhiat venis metallicis Fribergicis. 563. ſtruit inſidias ea de cauſa Diter M Miſniæ. ib. moritur in Siciliâ. ib.
Henricus, Princeps Vartiſlauiæ. 565
Henricus I. Brabantinus, Ludouici Placidi Haſsiam gener obtinet, vxx. I. Alheidis Brunſuigiâ II. Mechtildis Cliuenſis. 573
Henricus Miſnenſis M. Hermani progener, obtinet Turingiam. 573
Henricus II. f. Othonis Landgr. Haſſiæ, vx. Eliſabetha f. Friderici fortis. 573
Henric. III. L. Haſſiæ, adijcit ſuæ ditioni Cattimelibocenſe & Dicianum Comitatū. 574
Henricus I. Diteri M Miſniæ, puer obit. 568
Henricus II. M Miſniæ & L. Turingiæ Diterici f. dictus Hamerus vel Munificus. 574. vxx. I. Conſtantia, f. Leopoldi D. Auſtriæ. II. Agnes Præmiſlai, ſiue Othogari R. Boemiæ f. III. Eliſabethta, Malticij Lichtenſte. f. 576. 577. eius bellum cum M Brandeburgenſib. ib. inuadit Hauelandiam. 578. eius bellum cum Sophia Brabantinâ, & eius aſſeclis. 579. tranſactio cum Brabantinâ. 584. ei ſtabilitur L. Turingiæ. ib. ad eundem defertur D. Auſtriæ. ib. ludos conſtituit equeſtres Northuſæ. 585. ludos Martiales Miſnæ celebrat. ibid. magnificentia eius admirationi in aulâ Imp. 586. diſtribuit regnum inter filios. ibid. moritur Dreſdæ. ibid. ſepelitur Cellæ ibid. fundator duorum cænobiorum: ibid.
Henricus, f. Alberti L. Turingiæ, Aldenburgi & ditionis Pleiſſenſis dominus, Vx. eius Heduigis, D. Sileſiæ f. 605. à patre in exilium pulſus: ibid. ſepultus cum vx. in Cellâ, monaſterio: ibid.
Henricus primogenitus Friderici II. Electoris Sax. 776.
Henricus Dux Sax. à patre Alberto gubernator Phryſiæ conſtituitur 836. 838. à Georgio fratre exhæredatur 877. ei ſuccedit. 878.
Henricus, C. Suarceburgius, tutor datus Friderico III. Graui adhuc puero. 640.
Henrici Firnebergij, Ant. Moguntini, cum Balduino bellum. 642.
Henricus Blanchenhemius, Dux exercitus Erfurdianorum. 642.
Henricus Eroldishuſius partes ſecutus Friderici III. in Grauis acie cadit. 648.
Henricus Vuerterus, Eq. capite plectitur. 652.
Henricus, C. Firnbergius, in electione Imperatoris noui præteritur, & Suarceburgius eligitur. 655.
Henricus Laucha, pellitur à L. Turingiæ. 663.
Henricus Honsbergius, arbiter unà cum alijs inter Leiſnicēn C. & Ab. Chemnicenſe. 671.
Henricus Craleccius, Ab. Fuldanus, opponit ſe L. Haſsiæ & L. Turingiæ. 676. veniam petit & impetrat. ibid.
Henricus Suarceburgius, repetit Leuchtenbergam à Friderico Bellicoſo Electore Sax. expugnatam. 685. bis pellitur à præfecto Coburgo: ibid. moritur. ibid.
Henricus, C. Hennebergius, & præfectus Coburgius, Vurciburgium præſulem incurſionibus vexant. 685.
Henricus, C. Kelbranus, in lecto à factione Tribularia capitur. 688.
Henricus Suarceburgius, legatus Frider. Ele. Sax. in bello Boemico contra Huſsitas. 690
Henricus Erfius, cadit in acie ad Auſtiâ. 701.
Henr. Schleinicius cadit in acie ad Auſt. 701.
Henricus, f. Friderici Bellicoſi Electoris. 705.
Henricus, C. Geræ & Slobitij dominus, Friderici Elect. Sax. orator. 712. 715. 761.
Henricus Leo, D. Bauariæ & Saxoniæ, amittit Suſatum. 713.
Henrici & Erici Ducum Brunſvigiorum bellum cum ciuibus. 795.

Henrici ſen. Brunſuigij nuptiæ. 814. interitus. 851
Henrici iun. D. Brunſuigij expeditio contra ſeditioſos ruſticos. 866
Henrici Lunæburgij iter in Galliam. 858
Henricus Hildeshemius præſul f. Alberti Brunſuicenſis redimit cum fratribus patrem captiuum. 584
Henrici Vuilicini Vueiſenſchenſis facinus. 591
Henricus Horraſius inſidias ſtruit Dicemano M. Oſterlandiæ & ab eodem capitur. 606
Henricus. D. Carinthiæ, Interrex Boemiæ; vx. eius Anna R. Vladiſlai ſoror. 634
Henricus, L. Heſsiæ, intereſt ſecundis nuptijs Vilhelmi D. Sax. 732
Henricus Stolbergius, cum Suarceburgio & Northuſanis de finibus litigat. 733
Henricus Vintonienſis Anglus, D. Euſebij Cardinalis, legatus Pontificis. 737. eius diræ in Boemos. 737. increpat Principp. Germanorum puſillanimitatem. 738
Henricus Plauenſis, à Boemis vexatur incurſionibus. 744
Henricus VValdenburgi Dominus cedit Cometauio. 775
Henricus Vueiſengerodenſis, præfectus Erfurdianorum. 745
Henricus C. Leuchtenbergius, ſequitur partes Henrici Suarceburgij. 763
Herceberga opp. obſidetur. 659
Hercinij nunc Buchonij ſiue Eisfeldenſes. 745
Herfelda, opp. diripitur. 713
Herſij pagi deprędatio. 820
Herman⁹ Ant. Spirenſis, conſtituitur arbiter quoq; inter Imp. & Sax. 361
Herlemum ab Hollandis & Phryſijs oppugnatum capitur. 829
Hermanus Lucelburgius proclamatur Imp. 363. coronatur ab Ant. Moguntino Siffrido 364. per contemptum Cluſlochius vocatur. 364. Vlricum & Lutholdum proſcribit. 412. ipſe proſcribitur. 372. in acie oppetit. 374
Hermanus, præſul Colonienſis, obit. 376
Hermanus, præſul Metenſis, obit. 376
Hermanus contractus, ſcriptor. 204. 377
Hermanus C. Veringius, ſcriptor. 82. 406
Hermanus, C. Gozecenſis, Dedonis frat. 82
Hermanus, L. Turingiæ, Palatinus Sax. 89
Hermanus, Sueuiæ D. 119
Hermanus Sueuus, Oth. II. Imp. pincerna. 128. ſtat à partibus Imp. 133
Hermani Stubesgehorni victoria. 129. idem ꝑficitur Slauis. 161. victoriam deportat & grauiter in hoſtes animaduertit. 166. moritur. 181
Hermanus Sueuus, viam intercludit Imp. Henrico. 243. veniam rurſus impetrat ab eodem. 244
Hermanus, f. Ludolphi, Sax. Palatinus. 335
Hermanus, D. Sax. in Imp. Henricum IV. conſpirat. 345. fit ſupplex. 353
Hermanus C. Glisbergius, R. Henrici IV. Legatus in bello Saxonico. 351
Hermanus, C. Sax, oppetit. 358
Hermanus, C. Stadenſis, Echardi M. Miſnenſis proſcripti ditionem accipit. 279
Hermanus, M. Miſniæ, incurrit in iram Imp. 287. militat ſub Imp. contra Polonum. 305
Hermanus, Cunonis IV. f. fit præſul Parauienſis. 410. obijt anno ſequente. ibid.
Hermanus D. Lunæburgius elabitur è vinculis. 531
Hermanus Sommeringius intereſt bello Vandalico. 541
Hermanus C. Rochlicius, Echardi Rebellis f. præfecturam Miſniæ accipit. 395. vx. eius Hemmildis f. Boliſlai D. Boemiæ. 397. ei⁹ ſimultas cum Guncelino patruo. 271. 398. tumultus in vrbe Miſna. 398. eius vindicta de Guncelini iniuriâ. 395. 400. expeditio eius, unâ cum reliquis Imperij ducibus, in Boemiam. 267. 401. in expeditione Nemicenſi iactu lapidis vexillum unum Luticiorum diſcidit. 402. cogitur illis ſatiſfacere aliquot argenti talentis. ibid.
Hermanus C. Brenæ, f. Conradi Magni M. Miſnenſis, fundator cænobij Munchenrodij in Vurciburgiâ diœceſi. 555. primum canonicus Pauebergenſis, deinde ibidem præſul. ibid.
Hermanus, Ludouici munifici frater, fit Landgr. Turingiæ. vxx. I. Sophia Saxonica. II. Sophia Bauara, f. Henrici Guelſi 573
Hermanus, f. Ludouici Placidi, necatur phyltro à Berchta Sebergia. 573
Hermanus, Canonicus Magdeburgius, fit Landgrauius Haſſiæ. 574
Hermanus, C. Hennebergius, frater vterinus Henrici M. Miſniæ & L. Turingiæ. 581
Hermanus, f. Henrici M. Miſniæ & L. Turingiæ, obit cælebs. 588
Hermanus C. Vinarienſis, unà cum fratre extruit arcem Vuindelſteinam. 644. repugnat Friderico III. Graui. 646. ſupplex veniam impetrat. 649
Herman⁹, C. Stolbergi⁹, capite plectitur. 652
Hermanus L. Haſſiæ, cum Othone Brunſuicēſe de Haſſia ꝯtendit. 657. obtinet & reprimit factiones

factionem Stellatam. 660. de pace agit cũ eodem. 662
Hermani, C. Bichlingij, aſperitas in ſuos. 675
Hermanus Harraſius, partibus Friderici Electoris addictus. 709. 758. priuatur bonis à Vilhelmo. D. Sax. ibid. & 759
Hermanus Riteſelius, legatus Heſsicus, Geiſam opp. occupat. 735
Hermenburga, vx. Mengardi. 30
Hermingardis, Ecberti M. f. vx. Ludouici Pij filij Lotharij I. Imp. 41
Herpo ſacerdos. 182
Herrenſtelle. 437
Herualdus, Saxo captiuus, Danos fallit, & ad loca inuia deducit. 224. tranſfugit & prodit Danos. ibid.
Heruelda, opp. 523
Heruli qui populi.
Herſteta, pag. occupatur à Vilhelmo D. Sax. 724
Heſelera, diruitur ab Erfurdianis. 646. 650
Heshuſia. 723
Hetfelda, opp. 18
Hetiſtera in Hercinijs receptaculum latronũ expugnatur. 754
Hettigo, Ant. Moguntinus. 110
Hidda, ſoror Geronis C. Aſcarij, vx. Chriſtiani C. Viburgij. 191
Hidda, mater Geronis C. Viburgij M. Luſatiæ Ieroſolymis obijt. 323
Hidda, Burggr. Magdeburgij f. vx. Friderici Budſecij. 516
Hidda, f. Friderici Budſecij, vx. Burggr. Miſnenſis. 516
Hidda, f. Friderici Budſecij, vx. Suatepluci D Bohemiæ. 518
Hilburgum in Francia. 722
Hildebertus, Ant. Moguntinus coronat Imp. Oth I 127. conſpirat contra Imp. 135. 136. relegatur Fuldam, vel, ut alij, Hamburgũ. 137
Hildebertus, R. Francorum. 74
Hildegardis, f. Diteri R. Sax. vx. Hermani C. Ballenſtadij. 47
Hildegardis Bauara, vx. Friderici M. Oſterlandiæ & Lansbergi. 587
Hildericus, R. Francorum. 54
Hilderſrita, opp. Bauariæ, vexatur ab Huſſitica factione Boemica. 749
Hildeshemium opp., obſidetur ab Ecberto. 376. rebellat ſuis Principp. 734
Hildesheimij Præſulis prælium ad Peinam cũ Ducibus Brunſuigijs. 837
Hildeſuinda, f. C Croatiæ, vx. Brunõis I. 334
Hilliuard⁹, C. Verlan⁹ p̃ſul Halberſtadi⁹. 179
Hillunum, opp. ubi nunc Lunæburgum. 437
Hindeburga, arx Brunſuicenſis capitur. 678
Hindico Pflugus, legatus Bauaricus, reducit exercitum à fugâ in bello Boemico. 749
Hippocrenè in Bæotiâ. 124
Hirſtenia, arx ad Albim. 587
Hirſueldenſe cænobium. 713
Hiſpanica expeditio Chriſtianorum. 540
Hizo, creatur Ant Pragenſis. 317
Hoemburga, arx in Diœceſi Mindenſi. 76
Hoico, C. Magiſter Aulæ Othonis III. adhuc pueri. 211
Hoierus C Manſfeldius. 539
Hoierus C. Falchenſtenius falſò accuſat Sophiam Abb. Quedlinburgiam. 551. idem occupat Quedlinburgium. 552
Holleda, caſtellum Gilonis comitis. 345
Hoirſuerda, Luſatiæ ſuperioris opp. expugnatur ab Electore Friderico II. 761
Holdſhuſia, pagus Vicethumiorum crematur. 763
Honorius Imp. quando regnauit. 5
Honorius Pontifex quo tempore vixit. 35
Honorius Fortunatus, Epiſcopus Pictauienſis, ſcriptor. 571
Hopogarda, arx incenditur ab Alberto L. Turingiæ. 604
Honſteinium, arx conſcenditur à factione Tributariâ. 688
Hordorpia, villa. 224
Horologium Magdeburgi corrigitur, à Gilberto mathematico. 234
Horſtus unde dicatur. 9. eiuſdem monumentũ ubi. 9
Hoſedus, miles Saxonicus, capit D. Slauorum Stoneſgarum, donatur aureo cingulo & 20. ſtadijs agri. 159
Hoſpitalitas. 225. 480
Hubertus creatur Ant. Magdeburgius. 317
Hugo & Lotharius de regno Galliæ contendunt. 206
Hugo, oriundus è ſtemmate Vuitichindi C. Pariſienſis. 141. 206. recipit Vuigmanum & Ecbertum, exules. 159. ab Imp. veniam impetrat. 142. dictus Magnus. 207
Hugo Capetus, f. Hugonis C. Pariſienſis, primum Ab. D. Germani, deinde R. Franciæ factus. 207
Hugo, G. Gallorum, Hugonis C. Pariſienſis f. 175
Hugo præſul Citienſis inauguratur. 179
Hugo Tubechinus, hoſtis Viperti Groizij, in tẽplo Petrino Citij inceſo cũ ſocijs pit. 370
Hugo C. Egeshemius, à miniſtro proditus occiditur. 376

Hugo, V. Blanccmanus, Geraldi f. C. Morienſtæ. vx. Adela C. Seuſani f. item obijt. 470
Hugo II. Immedi II. f. C. Suſanus, vx. filia Veneti patricij. 471. fit vallis Tarenteſiæ Dominus. 472
Hugo III. Philippi I. f. vxxx. prima Mathildis C. Flandriæ f. Altera, Anna C. Salinarum f. Tertia, Pernella, vidua Auſtriaca, C. Burgundiæ f. 473
Hugo, dominus vallis Fuſmeiertæ. 479
Hugo, f. Vilhelmi D. Aurelianenſium, puer obit. 572
Hugoldus Schleinicius capitur à Boemis. 743. redimit ſeſe. ibid.
Hulfericus, R. Francorum. 74
Humanitas inſignis in principe. 293. 298. 433
Humilitas. 266. 361
Humfredus, C. Herefordenſis. 49
Humfredus, f. Henrici IIII. Regis Angliæ. 50
Humfredus, C. Morealium. 452
Hunefelda, opp. Fuldani capitur ab Heſſo. 676
Hunibaldus, ſcriptor Francicus. 1
Hunibaldus, C. Bernicorum. 19
Hundingus, princeps & Rex Sax. 2
Hunni victores ferè totius orbis. 6. vaſtant Turingiam. 571
Huſſari qui dicantur. 806
Huſsitarum factio in Boemiâ. 662. 689. occupant Pragam vrbem. 690. potiuntur arce Pragenſi. 691. Bruxiam oppugnant. ib. eorundem clades apud Bruxiam. 692. oppugnant Carolosteinum, 693. irrumpunt in Luſatiam ſuperiorē. 697. eorum victoria. 738. eorum irruptio in Miſniam. 740. crudelitas eorum. 741. irruptio in Luſatiam. ibid. eorum in Vodlandia tyrannis. 744. in Franciam & Bauariam irrumpunt. 745. denuò in Miſniam & Bauariam irrumpunt. 749. fugantur ex Bauariâ. ibid.
Huſsitarum religio Pontificiæ aduerſa. 775
Hutangi baptizantur iuſſu Caroli M. 431
Hydruntum, Paleſtinæ opp. 573
Hypantes feſtum Vormaciæ Oth. I. Imp. celebrat. 168

I.

Iacobus, clauſtri Neoburgi præpoſitus, ſcriptor. 100. 446. 572
Iacobus Luſignanus, à Sultano Alexandrino R. creatur. 502. Famaguſtam Genuenſibus adimit. 502. eius vx. Catharina, Marci Cornelij Patricij Veneti f. obit profluuio ventris. 502
Iacobus, Moreæ princeps. 487
Iacobus Vuangenhemius, tribunus militum in bello Boemico. 700. cadit in acie. 701
Iacoba Bauarica partem Lucelburgiæ ditionis offert Burgundo. 706
Iactantia ſtulta. 161
Iana, fl. 296
Iano Schonfeldus, tribunus militum in bello Boemico. 700
Ianus Giemo dat receptum latrocinantibus. 729. capitur à Iohanne Brunone. ibid.
Iarimirus Boliſlai Boemi frater, in caſtris Imp. Henrici II. verſatur. 258. exul reſtituitur. ibid. ab Imp. deficit. 277. in cuſtodiam mittitur. 277
Ibba, Deiorum R. filia, vx. Edelredi. 16
Iburgum, arx ditionis Oſnaburgicæ. 80
Ida, vx. Rudolphi D. Bauariæ. 127
Idda, Hebuli f. qualium populorum author. 9. 16
Idolatriæ defenſio. 7
Ieitha, f. Leopoldi M. Auſtriæ, vx. I. Reinheri. 446
Ieiunium. 152
Ienæ nuptiæ Vilhelmi D. Sax. & L. Turingiæ celebratæ. 708
Ildendrudis, vx. Balduini II. C. Flandriæ. 42
Ileburgia parochia ſubijcitur Magdeburgio Ant. 297
Ileburgum, in Oſterlandia opp. 309. C. Diterici conflagrat, venditur Vilhelmo L. Turingiæ. 672
Illyrium. 192
Illyrij pugnant contra Germanos. 193
Illyricum mare. 731
Ilmena, opp. Turingiæ à Iohan. Lichtebergio traditur præfectis Friderici. 665. obſidetur. 763
Immedus II. Hugonis f. Codalonga dictus. 471. vx. eius Geneta vel Iohanna, D. Burgundiæ f. ibid. iuuit in prælio Burgundum. ibid. moritur Mariennæ. ibid.
Immedus III. Hugonis I. f. bis victoriam deportat ab hoſtibus. 472. cooptatur in ordinem militum Rhodiorum. ibid. moritur in Cypro. ibid.
Immedus IV. Ludouici I. f. vx. C. Areſcoti in Belgio f. obit ſine liberis. 473
Immedus V. Thomæ II. f. morbo laborauit graui. 474. egit vitam ſolitariam. 474
Immedus VI. Thomæ II. f. vxx. I. Albonis C. f. II. Cecilia C. Maſsilienſis f. lepra extinguitur. 477

Immedus VII. à patruo Philippo II. ditionem Sabaudienſem accipit. 478. vxx. Sybilla, C. Bagei & Breſſenſis unica f. Altera Maria, C. Brabantini f. 479. eius bellum cum C. Geneuano. ib. excipit Ipm. Henricũ VII. perhonorificè. 480. ſequitur Imp. Romam uſque, ibid. recipitur unà cum filio in numerum principum imperij. ibid. Humbertum Gallum, Delphinatem, ad monomachiam prouocat. 480. reconciliatur rurſus cum Humberto Delphino per Carolum R. Siciliæ. ibid. eius ſecundum bellum cum C. Geneuano. ibid. conſpirationes quorundam contra ſe tollit & amouet. 481. eius bellum cum Delphino. 482

Immedus VIII. C. Sabaudiæ, fratri Eduardo ſuccedit. 486. vx. Violantilla, Palæologi Conſtantinopolitani Imp. f. 487. reconciliatur Humberto Delphino. 487. moritur. ibid.

Immedus IX. Poſthumus, dictus Viridis. 487. eius tyrocinium. ibid. obſidet Sedunum. 488. eius bellum cum Delphino. ibid. vx. Bonna, D. Borboniæ f. ibid. eius bellum cum Vicecomite Mediolanenſe. 489. emit Ducatum Vauxii. ibid. eius expeditio in Græciam. ibid. coniungit ſe Ludouico, R. Vngariæ. 490. contra Turcam pugnat Alexio Imp. Conſtantinopolitano. ibid. Meſembriam occupat. ibid. eius bellum cum Vicecomitibus. 492. 493. vocatur à Pontifice & à D. Andegauenſe in Italiam ad tollendum ſchiſma inter Gallos & Italos. 494. moritur in viâ. ibid.

Immedus X. Immedi IX. f. eius tyrocinium in bello Anglico. 495. eius res geſtæ. ibid. Nilani eum requirunt Dominum. item mors eius. 495

Immedus XI. vx. Bonna, D. Borboniæ f. 495. eius bellum cum Bernabone. ibid. Epiſcopum Vercellanum reſtituit. 496. Chunenſes ſeſe illi ſubijciunt ultrò. ibid.

Immedus XII. Immedi XI. f. à patre accipit Bieſſam & Bagoenſem Comitatum. 496. vxx. eius 1. Violãtilla M. Montferratenſis. f. Altera, Maria. 497. mundanis ſe rebus abdicat. 498. fit Decanus militum legionis Thebeæ de Ripariâ. ibid. Pontifex creatur Romanus, appellatus cognomento Felix. V. 500. Pontificatum reſignat. ibid. in ſuam Ripariam rurſus ſe confert. ib. moritur ibidem. 500

Immedus XIII. vel Amedeus Ludouici. V. f. vx. Iſabella, Ludouici XI. R. Galliæ ſoror. 502. ſtudium eius in pauperes ſingulare. 503

Immanitas ab innocentibus arcenda. 271

Immenhuſia, reſtituitur à Moguntino L. Haſsiæ. 661

Immo, nobilis Lotharingius, ad Imp. partes allicitur. 136

Imperium Saxonicum olim in 12. toparchias diuiſum. 69

Imperium à Francis ad Saxones transfertur. 101

Imperij cancellarij qui. 232

Impia præſumptio. 328

Impietas 20. 196. 378. 398

Impietas
- à Deo punita. 291
- in fratrem. 278
- in ſubditos. 7
- matris in filium. 7
- filij in parentem. 144. 145

Improbitas non flectitur clementia. 130. 133

Ina, R. Sax. Meridional. 33

Inconſtantia vulgi. 9. 31. 432

Indulgentiarum Pontificiarum venundatio. 846

Induſtria ſexus fœminei. 11

Ingelheimum. 145

Ingelhemij Oth. I. celebrat Paſchatis diem. 168

Ingratitudo. 291

Inhuſiæ deditio. 851

Innocentius III. Pontifex. 47

Innocentia 361. miraculo confirmata. 304

Inſolentia victoriæ. 278

Inſidiæ. 105. 157. 246. 270

Inſtitutio Chriſtianæ pietatis. 20. 13

Inſubria ſubigitur. 57

Integritas vitæ. 238. 325

Interpres iuris Saxonici, quod Speculum vocant. 61

Inum, arx Ant. Patrenſis. 490

Ioachimi I. Electoris Brandeburgij nuptiæ. 797

Ioachimi II. Elect. Brandeburgij ſponſalia. 863

Iohannes Munſterbergius, ſcriptor. 30

Iohannes, R. Angliæ è Francis. 47

Iohannes, D. Stadienſium, primus Marchio Brandeburgius. 113

Iohannes, X. Pontifex 103

Iohannes XII. Pontifex. 161

Iohannes XIII. Pontifex capitur, & in vincula conijcitur. 170. reſtituitur in ſuam ſedẽ. ibid.

Iohannes Archidiaconus, legatus Pontificis. 161
Iohannes, D Campaniæ. 170
Iohannes Blachus in Theſſalia euertit Serras & Berthæam. 455
Iohannes, Bonifacij V. f. M. Montferratenſis, vx. eius Margaritha, Philippi D. Sabaudiæ f. 457. eius bella cum Ticinenſibus & Alexandrinis in Inſubriâ. ibid.
Iohannes Theodori I. f. vx. Eliſabetha, Iacobi R. Balearium Inſularum f. 459
Iohannes Iacobus, Theodori II. f. eius vx. Iohanna, Amedæi X. M. Sabaudiæ f. 460
Iohannes II. Iohan. Iacobi f. vx. Margaritha, Ludouici VIII. D. Sabaudiæ filia. 461
Iohannes Viceeomes, Ant. Mediolanenſis, fratre Luchino mortuo occupat Ducatum. 489. inuadit Pedemontanam regionem, ibid. immittit exercitum in agrum Montferratem. 489
Iohannes Fliſcus, Geneuenſis Epiſcopus Vercellanus à Vicecomitibus expellitur. 496
Iohannes, Ludouici V. Sabaudi f. Geneuenſis C. 501
Iohanna, f. Immedi VII. vx. Palæologi Imp. Conſtantinopolitani. 479
Iohannes Vuicleus a Pontifice damnatus. 626
Iohannes Huſſus Boemus. 686. crematur. 688
Iohannes Hofmanus Sueidnicenſis. R. Academiæ Pragenſis creatur præſul Miſnenſis. 687
Iohannes, Miſnenſis præſul, ad concilium Conſtantienſe mittitur. 688
Iohannes, Landgr. Heſsiæ inferioris, f. Henrici Landgr 573. eius ſedes Caſſella. ibidem.
Iohannes Brandeburgius bello petitur ab Henrico L. Turingiæ. 578
Iohannes Garzon Bononienſis, ſcriptor. 597
Iohannes, Princeps Haſsiæ, præficitur exercitui à fratre. 634
Iohannes, Præpoſitus Viſegradenſis. 641
Iohannis, R. Boemiæ, felicitas in bello Italico. 641
Iohannes, Alberti D. Sax. F. 808. 839
Iohannes, Georgij F. D. Sax. 876. 878
Iohannis Daniæ R. nuptiæ. 807
Iohannes Marchio Brandeburgius naſcitur. 797
Iohann. Alberti Regis Poloniæ bellum Pruſſiacum. 841
Iohannis Iuliacenſis expeditio contra Brugenſes & Gaudauenſes. 816
Iohannis Huniadæ expeditio in Turcam. 774
Iohannes V. præſul Miſnenſis. 787
Iohannes VI. Præſul Miſnenſis. 846
Iohannis Præſulis Auguſtani mors. 792
Iohannis Truxeſij mors. 840
Iohannis Bernſteinij mors. 807
Iohannes Frimarius Iſenacenſis ſeruat Fridericum III. Grauem ne caperetur ab Hénebergio. 651
Iohannes, R. Galliæ cum Philippo filio à R. Angliæ capitur. 656
Iohannes Suarceburgius, bellum infert Alberto II. præſuli Vuirceburgio. 657. vendit aliquot arces Erfurdianis. 679. captus in Bauariâ cogitur eas L. Turingiæ vendere. 680
Iohannes Heringius, ſtellatæ factioni addictus, inſigne ſtellæ circumfert, & plures allicit. 657
Iohannes Noribergius Burggrauius Vinshemiam & Rotenburgam, ciuitates factioſas, obſidione redigit ad officium, & Norinbergam pecunia mulctat. 662. 672
Iohannes, Abbas Fuldanus, reſtituitur à L. Turingiæ. 663
Iohannes Lichtebergius tradit Ilmenam. 665
Iohannes Polentius, præfectus Caroloſteiniæ arcis. 693. eius virtus in arce retinendâ. ib. eiuſdem ſtratagema. ibid. arcem Pragenſem recipit proditione 743. confligit cum Boemis prope Vurcinam. ibid.
Iohannes Sulingenſis Landgr. 697
Iohannes C. Lupfenſis. 697
Iohannes Troterra vel Ziſcha factioſorum Huſitarum Dux alacer & felix. 698. eiuſdem victoria de Sigiſmundo Imperatore. ibid.
Iohannes Olomucenſis, ſcriptor. 701
Iohannes, Brandeburgius Princeps, intereſt nuptijs Vilhelmi D. Sax. & L. Turingiæ. 708
Iohannes Blanckenbergius capitur. 717
Iohannes Aleblumus, Erfurdianus Iureconſultus, comitatur legatos Burgundicos. 723
Iohannes Capiſtranus Funiger Pontificias bullas in Germania circumfert. 726
Iohannes, D. Saganus, præfectus Germanorum in Pruſsia. 727
Iohannes, præſul Vurciburgius, ſequitur partes Alberti Bauari. 730

Iohannes Varila Dapifer, præfectus Franciæ. 723

Iohannes C. Hennebergius, legatus Abba. Fuldani. 735. Geiſam recipit. ibid.

Iohannes D. Brandeburgicus, f. Friderici, intereſt cum patre bello Boemico. 739

Iohannes præſul Hildeshemius, ab Erfurdianis requiritur præfectus vrbis contra vim Boemorum. 745

Iohannes, D. Bauariæ, redimit ſe pecuniâ ab iniuria Boemorum. 745. eius expeditio unà cum Electore Saxon. in Boemiam. 747

Iohanni, R. Boemiæ, Egra op. oppigneratur à Ludouico Bauaro Imp. 746

Iohannes, C. Bichlingenſis, addictior Electori, quàm ſuo domino Vilhelmo D. Sax. 758

Iodocus, Princeps Morauiæ, diſſentit à R. Venceſlao Boemo. 673. Pragam obſidet. 686. conſtituitur R. Boemiæ exauctorato Venceſlao. 688

Ioppe, vrbs Paleſtinæ. 446

Iordanes, f. Iſabellæ. 47

Iordana, f. Vilhelmi III. vx. Imp. Byzantini 446

Ioſephus, ſcriptor. 66

Irene, quo tempore Conſtantinopolitanis imperarit. 41

Iringus interficit Erinfridum R. Turingiæ, cuius erat conſiliarius. 571

Irlandi quales populi. 22

Irmengardis, vx. Oth. Sumeringij, diuortium. 311

Irmenſulum, idolum. 93. Carolus M. deſtruit. 426

Iſaaci⁹ Comnenus, tyrannus Angliæ inſulæ. 46. donatur captus à Sabaudo cuidam Anglo pro mancipio. 501

Iſabella, Iohannis R. Angliæ f. vx. Friderici II. Imp. 47

Iſabella, vx. I. Conradi Montferratenſis. II. Henrici C. Campaniæ. III. Emerici, R. Cypri. 450

Iſabella, f. Iohann. Iacobi Montferratenſis, vx. Vualtheri, M. Salutiarum. 460

Iſeburga, factionibus repleta, continetur à Croneburgio. 662

Iſenacum, opp. 86. ſuperatur à Miſnenſibus. 582. inibi exercentur ludi equeſtres. 649. vexatur excurſionibus ab Hennebergio. 651

Iſenacoburgum, præſidium à Brunſuicenſe extructum. 580. diruitur à Miſnenſibus. 582

Iſenacenſium legatio ad Imp. Albertum. 626. eorundem legatio ad Fridericum M. Miſniæ & L. Turingiæ. 627. ijdem delicti ab eo veniam impetrant. 628. coguntur reficere arcem Clemmam. ibid. Sacrificulis pro turribus deſtructis ſatiſfaciunt. ibid.

Iſenacenſium duorum adoleſcentum facinus & ſupplicium. 661

Iſenbergum à Georgio Podiebradio R. Bohemiæ occupatum. 773

Iſlebia obſidetur. 666

Iſſerſteta, arx Vicethumiorum à Vilhelmo D. Sax. occupatur. 724

Iſthmus, Inſula. 475

Iſuius, f. Offridi R. Northumbr. 16

Italicæ res rurſus turbantur. 229

Iudæi in Hali Saxonicâ occiſi. 551. propter vſuras è Miſniâ & Turingiâ expulſi. 688. de proditione ſuſpecti rurſus coguntur è Miſniâ & Turingiâ cedere. 746

Iudæus in cloacam lapſus, Sabbato non extrahitur. 795

Iudicia olim Sax. 68

Iuditha, Ecberti M. f. vx. Erici, vel Ethiconis Guelfi II. C. Rauensbergij.

Iulanda, Goſuini T. Vandalorum f. vx. Sighardi. 73

Iulia, Hermani D. Franciæ filia, vx. Vilhelmi III. Sabaudi. 446

Iulius, R. Sax. occident. 37 tranquillam habuit fortunam. 37. in Italiam ad D. Petri templum proficiſcitur. 37

Iunna, arx Glichenſis, oppugnatur. 764

Iuo, Carnutenſis cardinalis, ſcriptor. 45

Iuſtianus Imp. quo tempore vixit. 28. 56

Iutta, f. Arnolfi Bauari vx. Brunonis. 334

Iutta, f. Ludouici I. M. Salutiarum & Seuſani, vx. C. Brixiani in Italiâ Tranſpadanâ. 472. 473

Iutta, Bionis C. Mersburgij f. vx. Diterici Budſecij. 516

Iutta, f. Hermani L. Turingiæ, cognomento Lippa. vx. Diterici M. Miſniæ & Oſterlandiæ. 550

Iutta, f. Friderici, C. Zigenhanij, vx. Friderici, C. Brenæ. 553

Iutta, f. Diterici, M. Miſniæ, in infantia moritur. 562

Iutta, f. Friderici II. Imp. vx. Ludouici Ferrei L. Turingiæ. 573

Iutta, f. Hermani L. Turingiæ. vx. I. Diterici M. Miſnenſis. 573. II. Popponis C. Hennebergij. 575

Keſer-

K.

Keſermunda, caſtrum. 135
Keſerbergij C. ultimi de familiâ mors & ſepultura. 661. eius ditionem accipit Balthaſat L. Turingiæ. ibid.
Keuſchbergum. 118
Kidesbergum, arx. 432
Kifhuſa, arx, Ludouico Salio eripitur. 86. capta. 87. ſolo æquata. 88
Kindelbrucca, opp. oppignoratum C. Beichlingio. 675
Kirchana. 262. euertitur. 646
Kirchbergum, opp. Hirſfeldij cænobij fundum antiquum. 341
Kirchberga arx. 529. ſolo æquatur ab Alberto L. Turingiæ. 604
Kochbergum infra arcem Rodolſtadium ſitum. 724
Konigſteina. 437. Vilhelmus Cocles ad ſe tranſfert. 671
Koenigſteini. cœnobium Cæleſtinorum extructum. 846
Kopingam Vilhelmus Cocles redimit. 671
Koferbergam Vilhelmus Cocles redimit. 671
Konigsbergum in Franciâ. 722
Konishouia. 685
Kunigueldius ager. 437

L.

Lacus Comenſis. 163
Ladiſlaus, R. Poloniæ. 548. ſuperatur à Conrado C. Rochlitio. 549
Ladiſlaus, R. Boemiæ eligitur. 804. controuerſiam mouens Friderico II. Electori. 769. repetit caſtella & oppida ab Elect. Saxoniæ. 727. componitur res per Ludouicum Bauarum. ibid. eius humanitas erga affinem VilhelmumD. Sax. 728. tollitur veneno. 728
Laia, Guiſiorum ab Immedo VII. Sabaudo occupatur. 479
Lambertus Schafnabergius, ſcriptor. 82. 83. 204
Lambertus præſul Conſtantienſis. 244
Lambertus, C. Louanienſis interficitur. 300
Lambertus Stoghuſius latrocinando infeſtat Herciniam 729. reprimitur. ibid.
Lancaſtria familia vetuſta & primaria in Anglia. 51
Landolphus, D. Beneuentanorum. 173
Langauius ager vaſtatur. 713
Langenhana, pagus. 639
Lansberga arx à Diterico M. Luſatiæ extructa. 544. redimitur per Fridericum M. Miſniæ à Brunſuigijs. 636
Larius lacus. 256
Larunum præſidium. 131
Latinus Pacatus, orator. 5
Latrones, qui populi olim ſic dicti. 4
Lauchſteta opp. 589
Laudes Sax. 66
Laurentius Preſbyter. 12
Laurentij Helleccij exilium. 794
Lauriſſanum cænobium. 341
Lauterbergum. 544
Lazius, ſcriptor. 100
Lebba, oppidum à Boemis deſtruitur. 742
Lebuſia, opp. antiquum Poloniæ inſtauratur. 274. diruitur rurſus à Boliſlao Boemo. 276. capitur à Conrado C. Rochlitio. 549
Legati German. ad Alexandrum Magnum. 32
Leges Troiaminis. 123
Leges cenſoriæ. 768. ſumptuariæ, veſtiariæ, mercenariæ. 789. monetariæ. 790
Lehele, captiuus Vngarus. 121
Leheſteinum ſolo æquatur & diruitur ab Alberto L. Turingiæ. 604
Leipenſes in Boemia auxilium petunt & detenſionem à Friderico belliçoſo Elect. Sax. 699
Leiſnicium, caſtellum oppignoratum, Vilhelmus Cocles redimit. 671. adimitur Georgio Comiti. 774
Leita, fl. Auſtriæ. 584
Lemanus lacus. 474
Leo III. Pontifex quo tempore ſedit. 40
Leo VIII. Pontifex eiectus in Camertam vrbem venit ad Imp. 164. reſtituitur Romæ in ſedem ſuam. ibid. mors eius. 169
Leo, præſul Vercellarum, ab Harduigo expellitur. 285
Leopoldus, M. Bauariæ, ſagitta traijcitur. 220
Leonora, f. Thomæ III. Sabaudi, vx. Ducis Beauienſis. 477
Leopolis, vrbs. 281
Leſtmona, vrbs. 224
Leuchtenberga, arx expugnatur à Friderico bellicoſo Electore Sax. 684. repetitur à Suarceburgio. 685 ibidem legati Burgundici à Vicethuo capti aſſeruantur. 723. oppugnatur à Vilhelmo, D. Sax. 724
Leuitas adoleſcentiæ. 293
Libenſteina arx Suarceburgi venditur. L. Turingiæ. 680
Liber de vita D. Eliſabethæ. 599

Libertas

Libertas. 224. eiuſdem aſſertio. 20. 36
Libido. 204. 235. punita. 204
Liburnus portus à Maximiliano Imp. capitur. 835
Lichtenalda, arx iuxta Settelſtadium diruitur & complanatur ab Henrico M. Miſniæ & L. Turingiæ. 581. eadem arx capta ab Imp. Adolphi legato reſtituitur Principp. Miſniæ. 617. crematur à Vilhelmo, D. Sax. 716. traditur Hermanno Harraſio pro acceptis damnis. 759
Lichteſteina, arx Brunſuicenſis capitur. 678
Lichtena, arx Noribergenſium capitur. 715
Lichtenuelſum. 722
Lignitium, opp. Sileſiæ à Boemis tentatur. 746
Liguria. 57
Lilgenſteinam Vilhelmus Cocles ad ſe transfert. 671
Limarus, Ant. Bremenſis, Henrici IV. Imp. partes ſequitur. 346. intereſt conuentui Quedlinburgio. 371. cogitur in prælio à Lothario Supplinburgij Comite. 375
Limena, arx Bulgariæ, capitur à Sabaudo. 490
Lindbergia, arx Hermani Lucelburgij. 364
Lindelochia. 219
Lindus, fl. 20
Linichinum vrbs. 515
Linichini populi. 116
Lippa, fl. 425
Lippa, opp. obſidetur. 713
Lippenhemium. 432
Lipſienſis Academia quando fundata. 687
Liſca, cœnobium. 305
Litomericenſes, ſocij Huſſiticæ factionis in Boemia. 699
Lobſeca ab exercitu Imp. Alberti diripitur. 618
Lobdeburgum donatur Apollonio Vicethumo. 717
Lochiani ſaltus. 151
Lotringenſis D. è Landgrauijs Stulingijs in Prælio capitur cum ſeptem Comitibus. 475
Lomatium, opp. crematur. 717
Lombardia vel Longobardia. 56
Lombardica vel Britanica factio in Algauià 671. eiuſdem factionis tumultus in Alſatià & Heluetià. 679
Londinum, metropolis vbi ſita. 8
Londinum emporium, vbi ſitum. 8. 36
Longepontina prata. 256
Lorshemium opp. 243
Lotharius vel Leutherus, Erconberti R. f. 14
Lotharius, præſul Paderbornius. 99
Lotharius, R. Galliæ. 175
Lotharius & Hugo de regno Galliæ contendunt. 206
Lotharius, Supplinburgius C. dux exercitus Sax. 527
Lotharius, D. Lunæburgius, intereſt conuentui Fraſono. 387
Lotharingia fit pars Imperij. 112. traditur Conrado Franco. 328
Lothindorfium, pag. Vicethumiorum, crematur. 763
Louanienſis Comitatus fit Imperij pars. 190
Louanienſes pacem orant ab Alberto D. Saxoniæ. 824
Luca, vrbs Boemiæ. 542
Lucca, opp. Oſterlandiæ præſidio munitur à Diczmano M. Oſterlandiæ contra Electorem Brandeburgicum. 611. obſidetur ab exercitu Imp. 618
Lucelburgia prouincia oppigneratur Vilhelmo D. Sax. & L. Turingiæ. 706
Lucelburgum, vrbs obſidetur à Burgundo. 706
Ludgardis, vx. Oth. R. Romanorum. 100
Ludgardis, vx. Ludouici III Imp. 97
Ludgardis, vx. Conradi Lotharingii D. & Conradi R. Francorum. 126
Ludolphus f. Brunonis. 92
Ludolphus II. Oth. R. Romanorum f. 102
Ludolphus Ant. Treuirenſis, moritur. 268
Ludolphus, f. Oth. I. ex Edithâ Anglâ. 142. 377. eius vx. Ida, Hermani D. Sueuiæ f. 377. celebrat ludos equeſtres Troiaminis Tiguri. ibid. aſcitus à patre ad conſortium regni. 142. 377. à patre in Italiam contra Beringarij tyrannidem mittitur. 377. eius res geſtæ in Italiâ. ibid. & 329. ab Henrico Bauaro traducitur iniquè. 329. in contemptum Italorum adducitur. 144. 378. ei eripitur nomen regium. 144. eius conſpiratio in patrem. ibid. & 330. 378. 379. bellum patri mouet. 145. 379. ſupplex fit patri. 146. 330. 379. ſententiam triſtem accipit. 147. 379. nouas res molitur. 379. Bauariam hoſtiliter inuadit. 147. 379. Ratisbonam capit. 147. 379. fit rurſus ſupplex patri & veniam tandem conſequitur. 151. 380. adimitur ei ducatus Sueuiæ. 151. 380. eius expeditio in Italiam. 159. 380. obijt Papiæ. 160. 381. Moguntiæ ſepelitur. 381
Ludolphus, f. Ludolphi, præſul Oſnaburgenſis, poſt Dragonem. 105. 382. mater eius Ida, Hermani Sueuiæ D. f. 383

Ludolphus, Brunonis II. M. Saxonum f. vx. Hilda Balduini II. Flandriæ C. filia, ſibi uſurpat Brunſuigæ poſſeſſionem. 335. Dancuerodam exornat & amplificat. ibid.
Ludolphus Mersburgius, adiuuat Hegmani perfidiam. 341. idem vitam propter perfidiam amittit. 345
Ludolphus. Ant. Magdeburgius. 553
Ludolphus, præſul Halberſtadius, capitur. 578
Ludouicus, R. Francorum. 74
Ludouibus I. Barbatus Turingiæ C. 84
Ludouicus II. C. Turingiæ, adulterium committit & homicidium. 84. e carcere miris technis elabitur. 85. 572. dictus Salius. 251
Ludouicus III. Salij f. Turingiæ Landgrauius, bello petit Othonem M. Miſniæ & eum capit. 557. 572
Ludouicus IV. 88. Palatinus Sax. 89. Ludouici III. f. Landgrauius, Ferreus dictus, vx. Iutta Friderici II. Imp. filia. 572
Ludouicus V. Munificus, Landgrauius Turingiæ, vx. eius Margaritha Auſtriaca, Leopoldi VII. filia. 572
Ludouicus VI. Placidus, Palatinus Sax. 89. Hermani Landgr. Turingiæ, moritur in Palæſtina Hydrunti. 573
Ludouicus, f. Vilhelmi D. Aurelianenſium accipit Turingiæ præfecturam. 572. idem declaratur C. Turingiæ & Heſſiæ. ibid. eius vx. Cæcilia Bauaricâ. ibid.
Ludouicus I. Landgr. Heſſiæ. 574
Ludouicus II. Landgr. Heſſiæ, vx. Anna Friderici I. Sax. Electoris f. adijcit ſuæ ditioni Comitatum Zigenhanium & Niddanum. 574. arbiter inter Electorem Vilhelmum D. Sax. 759. veneno extinguitur in cœnobio Hirſueldenſe. 731
Ludouicus III. Landgr. Heſſiæ, eius ſedes Caſſellæ. 574. eius bellum cum Abbate Fuldano. 735
Ludouicus IV. Bauarus Imp. veneno ſublatus. 654
Ludouicus, præſul Halberſtadius, f. Friderici III. Grauis. 666. eius bellum cum C. Mansfeldio. ibid. obſidet Iſlebiam. ibid. fit præſul Pabebergicus. ibid. eius bellum pro præſulatu Moguntino cum Adolpho Naſſauienſe. 667. obtinet. 669. fit quoque præſul Magdeburgius. 670. eius obitus. ibid.
Ludouicus Ludouici IV. Bauari Im. f. cognomento Romanus, accipit dono à patre ditionem Brandeburgicam. 681
Ludouicus C. Glichenſis vaſtat ditionem Vinarienſem. 713. eius ditio rurſus vaſtatur à Vilhelmo D. Sax. 717. capitur. 718
Ludouicus Bauarus reconciliat Electorem cum R. Boemiæ propter caſtella & oppida ad R. Boemiæ pertinentia. 727
Ludouici Auſtriaci victoria de Boemis. 748
Ludouicus Balbus Imp. quo tempore vixit. 98
Ludouicus M. Salutiarum. 461. Hugonis II. f. M. Suſanus fit & C. Morionis, vx. Bertha Comitiſſa Barrhi. 472
Ludouicus, C. Sabaudiæ, pugnat in caſtris Veneris. 453. in prælio oppetit ad Hadrianopolim. 456
Ludouicus II. Ludouici I. in adoleſcentia moritur. 473
Ludouicus III. Thomæ. IV. f. poſſeſſionem Vaux & Bingoes potitur. 482
Ludouicus IV. Immedi VII. f. cum Henrico VII. Imp. in Italiam proficiſcitur & unà Piſas & Senas init. 483. inſidijs Senenſium intoxicatus obit. ibid.
Ludouicus, R. Vngariæ, & Ludouicus D. Patriarcha Aquileienſis, reconciliatur ab Immedo XII. 497
Ludouicus, Immedi vel Amedei XII. f. ſuccedit patri, vx. Carlotta, vidua R. Portugalliæ. 501. eius res geſtæ in Cypro. 501. fit R. Cypri. 502
Ludouicus R. Galliæ, frater Blancæ Mariæ, viduæ Sabaudiæ, defenſor ſororis ſuæ. 504
Ludouicus Imp. ubi conditus. 330
Ludouicus, R. Franciæ, proficiſcitur in Syriacam expeditionem. 540
Ludouicus Bauarus, cum Friderico Auſtriaco de Imperio contendit. 635. eius bellum cum Brandeburgico. 730
Ludouicus Brandeburgius, authoritate Friderici III. Grauis confirmatur. 640
Ludouicus, Alberti Ducis Sax. F. 839. 808
Ludouici R. Vngariæ & Bohemiæ interitus. 870
Lues. 214. 220
Luizo præſul Cremonenſis, Romam mittitur ad electionem noui Pontificis. 169
Luizo, præſul Bremenſis. 245
Lullus, Ant. Moguntinus, baptizat Vuitichindum. 435
Luneburgum caſtellum expugnatur à Sax. 346. Idem reſtituitur Hermano. 346
Luneburgum ericetum. 427
Luſatij a Boemis & Pragenſibus vexantur. 697

697 eorum vltio de Pragenſibus: ibid. liberant pag. Reichenbachium ab oppugnatione Boemorum. 746.
Lutgardis, f. Alberti Sueui: vx. Conradi III. M. Miſniæ; Locupletis. 537. moritur. 539.
Lutgardis, f. Suenonis R. Danorum, vx. Bertholdi, M. Bauariæ. 537.
Lutholdus, Ab. Sanctogallinus, in Heluetijs à R. Rodolpho conſtitutus. 410.
Luthfridus ſupplicio afficitur. 163.
Luticij omnia infeſtant. 221. rurſus tumultuantur. 307. 310.
Luzena opp. 118.
Lycus fl. 152. 330.
Lyris fl. vlterioris Italiæ. 283.

M.

Madela, opp. eripitur C. Vinarienſi 631. eripitur deinde Vicethumijs 724. crematur ab Electore 763.
Magdalena f. D. Sabaudiæ, vx. Vilhelmi II. M. Montferrat. 461.
Magdalena, Georgij D. Sax. filia, deſpondetur Ioachimo II. Electori Brandeburgio. 863. moritur. 875.
Magdeburgum, à Slauis vaſtatur 137. ibidem agitur conuentus. 178. inibi tumultus excitatur. 176. rebellat ſuis Principp. 734. obſidetur ab Erneſto Elect. Sax. 794. ibi inter Senatum & Epiſcopum diſſidium componitur. 796.
Magiſtratus quare gladio conſpicuus. 361.
Magnanimitas. 7. 36.
Magnificentia. 226. 236. 258.
Magnultus, D. Francorum. 58.
Magnus, D. Sax & Luneburgi F. Ordolfi, ſe ſubijcit Henrico IV. Imp. 345. detinetur captus: ibid. fit ſupplex. 353. dimittitur e cuſtodiâ. 355.
Malchella, Sultanus Aegyptius. 501.
Malichuſia, opp. 289.
Malleus ferreus, genus armorum Saxon. 66.
Malmenſienſe cœnobium. 341.
Maniteta pag. crematur. 764.
Manſuetudinis exemplum. 11.
Manuel Imp. Conſtantinopolitanus. 448.
Marburgum ſedes Landgrauiorum Heſſiæ ſuperioris. 673
Marchiones quare conſtituti. 115
Marchiones Miſniæ 569. eorum cum Ducib. Brabantiæ contentio de Turingia. 579.
Margaritha, f. Ludouici VIII. D. Sabaudiæ, vx. Iohan II. Montferratenſis. 461.
Margaritha, f. Thomæ II. Sabaudi, vx. Ludouici, R. Franciæ ſancti. 473.
Margaritha, f. Ammedi VII. Sabaudi, vx. Iohannis, M. Montferratenſis 479
Margaritha, f. Ludouici V. Sabaudi, vx. Ioannis, M. Montferratenſis. 501.
Margaritha Auſtriaca, Maximiliani I. Imp. f. vx. Philiberti II. Sabaudi. 506.
Margaritha, f. Leopoldi VII. Auſtriaci, vx. Ludouici Magnifici Landgr. Turing. 572.
Margaritha Sueuica, f. Friderici II. Imp. vx. Alberti L. Turingiæ 588. eius cura in filios 589. eiuſdem fuga & mors propter perfidiam mariti. 590.
Margaritha, f. Vilhelmi D. Sax. vx. Iohannis, Brandeburgici Electoris. 705
Margaritha, f. Erneſti, D. Auſtriæ, vx. Friderici II. Placidi, Electoris Sax. 736. moritur. 814.
Margaritha, f. Friderici II. Placidi, Elect. Sax. Abb. Infelicenſis. 736.
Margareta Erneſti Elect. Sax. nubit Henrico Brunſuigio. 814.
Maria Catharinæ Hiſpaniæ filia, Regina Angliæ 53. Nubit Philippo Caroli V. filio. 53.
Maria, vx. Oth. III. libidinoſa 204. rem habet cum iuuene C. Mutinenſe: crematur: ibid.
Maria, f. Ammed. VII. Sabaudi, vx. Hugonis domini Vallis Fuſineiiæ. 479.
Maria, f. Ammedi XII vel Amedei I. Sabaudi, vx Ludouici Palatini. 497.
Maria Blanca Mediolanenſis nubit Maximiliano I. Imp. 834.
Maria, f. Eduardi Sabaudi, vx. Ducis Britanniæ. 483.
Marinus præſul Sturienſis, legatus Romanus 169.
Maroldiſhuſia, oppigneratum Suarceburgio 763.
Marnalſia, præſidium Geneuani, deſtruitur è fundamentis. 481
Moderatio animi. 109.
Modunuib, opp. capitur 475.
Mogella, opp. 297. à Boemis diripitur. 742
Mogellani cladem à ſe auertunt ſimulatâ deditione. 393. ijdem ſignificant Guncelino periculum: ibid.
Moguntinum bellum eccleſiaſticum. 732
Moguntia comitia. 211
Molhuſij pacem impetrant 634. delicti veniam

niam petunt, & numerant pecuniam. 676. obſidentur à Principibus in ſeditione Ruſticorum. 868.
☞ Marquardus, præſul Hilteſemius. 99.
Marſilius Patauinus, ſcriptor. 183.
Martini Lutheri concio in arce Dresdenſi. 859. diſputatio cum Eccio. 861. quamdiu durauerit. 862.
Martinus Polonus, ſcriptor. 234. 384.
Martinus, Pontifex Romanus. 498.
Martyres Agaunenſes. 263.
Mäſſerfeldum. 20.
Maſſilia. 490.
Mathera, vrbs Apuliæ. 192
Mathildis, f. Diterici, C. Ringelhemij, vx. Henrici Aucupis. 104.
Mathildis f. Henrici Aucupis, Abb. Quedilnburgia. 104.
Mathildis, f. Ecberti M. Miſniæ & Turingiæ, vx. I. Bonifacij, M. Longobardi. 367. II. Azonis Eſtenſis: ibid. eiuſdem genealogia & parentes: ibid.
Mathildis, Ludolphi Oth. I. Imp. filij, filia. 377.
Mathildis, f. Thimonis M. Lansbergij, vx. Geronis Scheuerenſis, C. Bauarici vel Palatini Seburgij 535.
Mathildis, vx. Vilhelmi I. R. Angliæ è Normanis. 45.
Mathildis, f. Henrici I. Nortmanni, vx. I. Henrici V. Imp. II. Ganfredi, C. Andegaueni. 45.
Mathildis, f. Diterici R. Sax. 74.
Mathildis, f. Oth. I. M. vx. Siffridi, C. Sumeringij, poſt cuius mortem fit Abb. Gerenrodia. 285.
Mathildis, C. Flandriæ f. vx. Hugonis III. Sabaudi. 473
Matthias Rex Hungariæ contendit cum Caſimiro R. Poloniæ ob regnum Bohemiæ. 780. 782. exercitum ex Sileſia abducit. 783. vaſtat Auſtriam 804. obſidet Trigum 810. Neuſtadium 811. moritur. 814.
Matthias Selicco. 801.
Maximilianus Rex. Rom. deſignatur 791. inauguratur 814. eius contemptus in Flandria 814. captiuitas 815. liberatio 815. ſponſæ raptus 826. matrimonium & iter in Flandriam 834. expeditio in Italiam 835. expeditio in Geldriam contra Carolum Ducem 836. comitia Vormatienſia 836. 842. mors. 857.
Matrimonia apud Sax. 67.
Matthæus Sarctorius, ſcriptor. 441.
Mauerkirchum in Bauaria. 121
Mauracenorum factio. 201
Mauri, quales populi
Mauricius Imp. quo tempore vixit 12. quo tempore interfectus. 25.
Maximus, tyrannus à Theodoſio victus. 5.
Mechtildis, Conradi C. Rochlicij f. vx. Alberti Electoris Brandeburgij. 548.
Mechtildis, f. Echardi M. Miſniæ, & Turingiæ & Sax. vx. Diterici Budſecij. 518.
Medioſaxones qui. 8.
Mediolanum vrbs capitur. 57. 256
Mediolanenſis ducatus. 56.
Mediomatrices qui 60.
Medlingum, Vicethumiorum pagus, crematur. 763.
Megalburgij duces vnde originem ſuam trahunt. 73.
Meinfridus, Burgr. Magdeburgius, oppetit in bello tertio contra Henricum IV. Imp. 358.
Meingothus, C. Franciæ. 141.
Meinuardi, Ant. Treuirenſis mors. 297
Meinuerdus præſul Paderbornius. 261
Melca cœnobium. 290
Meldingius, Dornburgi arcis præfectus, obſidetur ab Erfurdianis. 650.
Melſungum, reſtituitur à Moguntino L. Haſſiæ. 662
Meltenſtenij ſequuntur partes Sophiæ Brabantinæ contra Turingos. 580
Meltenſtenia, arx in finibus Turingiæ, à Meltenſtenijs extructa 580. occupatur & diruitur ab Henrico M. Miſniæ & L. Turingiæ. 582
Mengardus, f. Pendæ, R. Merciorum. 30.
Menhardus, Vurciburgius præſul, adhibetur ad concilium de pace facienda cum Sax. 352.
Mens recti conſcia 341. 342.
Mercij, quales populi. 8. & qui eorum Reges 27
Merouingi qui dicti & vnde. 25.
Meroueus, R. Francorum, in prælio occiſus. 54. habitauit Erfurdiæ in monte D. Petri. 570.
Mersburgenſis conuentus. 242. 245. 336
Mersburgum, Henricus Auceps munit. 124. vnde dictum 131. crematur 782.
Mersburgius ager vaſtatur à Boemis. 760
Meſembria, vrbs in Bulgaria, occupatur ab Immedo IX. Sabaudo. 490.
Meſentia. 263
Meſſeniacus portus. 490

Meſico Polonus, ab Vlrico D. Bohemiæ capitur 287. reducitur ad Imp. 288. honeſtè dimittitur 289 fuga vix euadit e manibus Vlrici D Boemiæ 278. ad Imp. Magdeburgum ſupplex venit. 279. Morauiam & Boemiam vaſtat 305.
Metis vrbs 137. obſeſſa 275
Μετρα ψύχωσις Pythagorica. 107
Michael præſul Ratisbonenſis. 330. in prælio Vngarico vulneratur. 155.
Milbida, f. Mengardi ex Hermenburga. 30.
Milburga, f. Mengardi ex Hermenburga. 30.
Milda, f. Friderici Badſecij, moritur in flore ætatis. 516.
Milcieni bello petuntur ab Imp. Henrico II. 259.
Milfreda, f. Mengardi ex Hermenburga. 30.
Mimigardenſis præſulatus, poſtea dictus Monaſterienſis 436
Mimmelebium cœnobium à Mathilde vx. Henrici Aucupis extructum. 124.
Mirabella, arx Sabaudi, à Delphino capitur. 482.
Miracula 93. 97. 180. 183. 218.
Mirandæ & fatales mutationes. 284.
Miriquidus, mons Boemiæ 257.
Miſcouij Obetritæ, tyrannis ad Hamburgum & Calebam 199. eius inſania & mors: ibid.
Miſna, à Boemijs capitur 212. à Polono oppugnatur. 296. incenditur, & medone reſtinuitur: ibid. huius liberationis memoria à Senatu ibidem Idib. Sept. multis annis recolebatur. 292. rurſus vaſtatur ab Imp. Henrico IV. & Boemo. 356.
Miſnenſis arx noua extruitur 801.
Miſnenſis ager diripitur à Boemis 742.
Miſnenſium Principum cum Heſſicis Principibus confœderatio hæreditaria 573. eiuſdem fœderis confirmatio noua. 658. 747. eorundem clades ad Auſtiam. 577. 701.
Mitbeda, opp. crematur. 717.
Mittelhuſiæ, dies indicitur Erfurdianis 629. ibi conuentus agitur 642.
Mittenalda, opp. 577. 87
Molsdorfium, opp. Vicelebij. 763
Monaſterienſium Anabaptiſtarum ſeditio. 876.
Monetæ mutatio in Saxoniæ ducatu 790. 876. adulteratæ pœna. 845.
Monialis doctiſſima. 16
Mons Leonis obſidetur 153.
Mons ſerenus doti datur Agneti, filiæ Alberti L. Turingæ, cum nuberet Henrico Brunſuicenſi. 589

MONVMENTA
Præſulum

Anhaltinorum. 555.
Miſnenſium. 736.
Aldenburgica. 736
Cellenſia. 577. 681.
Veterocellenſia 586.
Montcaliera, arx. 483.
Montferratenſes principp. in regione Pedemontanâ ex ſtirpe Valberti & e Vuitichindo oriundi. 441.
Montfurtum ab Alberto duce Saxoniæ oppugnatur. 827
Montmeliana, arx traditur R. Galliæ 505.
Mores Saxonum in iudicijs 68.
Morezinum caſtellum depopulatur 267
Morinum, vrbs 52
Moſa, pagus 518
Moſalla, fl. 429 739
Moſellani veniam impetrant 243.
Moſſeburgum, caſtellum expugnatur à Sax. 346.
Motus magni in Sax. 299
Mummolenus ſeu Eunius, patricius Romanus. 58.
Mumpelgardum, Imperij ciuitas, propria D. Vurcibugenſis obſidetur 500.
Munchenrodium cœnobium in diœceſi Vurciburgiâ ab Hermano C. Brenenſi, & præſuli Pauebergenſi extructum. 555
Munio, fl. Italiæ 284.
Munna, ciuitas 312
Munſterus, Chronographus Fuldanus. 676.
Muſſaha, fl. vel amnis in Turingiâ. 76.
Mutatio regnorum & ſedum 8.
Myſa, opp. Pellinenſium capitur, à præfecto Pragenſium 738

N.

Nacco, frater Stonesgari, D. Slauorum aufugit è prælio. 159
Nappurgum, opp in Bauariâ, redimit ſe pecuniâ ab iniuriâ Boemorum 749
Natalis Venetus, ſcriptor, 27.
Nauplius portus in ſinu Argolico. 455
Næbra, opp. in Grimmetalâ, eripitur Vicethumo. 759

Negans

Neganæ arcis expugnatio. 819
Negelſtadium, pagus in Turingiâ. 349
Neglectio cultus Dei & religionis. 25. 35. muneris. 300.
Neidhardi Puchſij interitus 839
Nemicia, opp. obſidetur à Boemis. 746
Nemiſa obſeſſa ab Imperatoris legato. 306. eius oppugnatio irrita 307.
Nemiza, vrbs à Boliſlao Boemo vi occupatur 217.
Neſſilredi, nobilis familia. 603
Neuburgum recuperatur. 663.
Neudorfum, pagus in Franciâ. 336
Nouenhofa, arx ab Hennebergio occupatur. 576
Neumarcha petitur bello ab Erfurdianis. 642.
Neuſtadium, opp. 269. à Matthia Rege obſeſſum. 811
Nicephorus, Imp. Byzantinus, legatos ad Othonem mittit 172. fit infenſus populo. 174
Nicetas Choniates, ſcriptor. 46.
Nicolaus Forteoracius Piciminus, D. Mediolanenſium. 461.
Nicolaus Sclauata Chlumius Marcomanus. 472
Nicolaus Cuſa, Cardinalis bullas Pontificiales circumfert in Germaniâ. 726.
Nicolaus Mersburgius ad concilium Conſtantienſe mittitur. 689
Nicolai Talmanni cum ſocijs ſupplicium. 745.
Nicoſiæ arci præſidium imponitur à Ludouico V. Sabaudo. 501.
Niderlinga pagus. 268.
Nideſtena reſtituitur à Moguntino L. Haſſiæ 662.
Niemius Magdeburgus, ſcriptor. 11.
Nimitſcha, cænobium ad Muldam, in Miſniâ ab Henrico M. Miſniæ & L. Turingiæ extructum. 586.
Niſa, fl. Luſatiæ. 537.
Nittenauia, opp. cogitur ſe redimere pecuniâ ab iniuriâ Boemorum. 749
Nobilibus cauponaria & inſtitoria interdicitur. 790.
Nocmerſlebianus conuentus. 521.
Nothania, opp. traditur Friderico L. Turing. è præfecturâ Salzenſi. 664
Norda, opp. 305 diripitur 851.
Norbertus, Ant. Curienſis, intereſt conuentui Quedlinburgio. 371.
Nordbertus, Ant. Magdeburgius. 88.
Normani quales populi. 4
Northardus, D. Sueuorum, confligit cum Vitichindo. 439
Noribergius conuentus. 692.
Norinbergijs mercatoribus intercluditur via, à Vilhelmo D. Sax. propter Antonium Paumgartnerum. 734. reconciliantur per Erfurdianos eidem. ibid.
Northeima, opp. Fuldani, obſidetur à L. Turingiæ. 676.
Northemum, vrbs in Saxoniâ. 339.
Northumbri quales populi 8.
Northumbrorum Reges qui. 15
Northuſanum cænobium à Mathilde vx. Henrici Aucup. extructum. 124
Northuſanus conuentus 551. 560
Northuſani pacem impetrant. 634. delicti veniam petunt. 676. litigant cum Stolbergio & Suarceburgio Comitibb. de finibus. 733.
Nouaria vrbs Mediolani 494.
Noueſium obſeſſum à Ruperto Palatino, Archie. Colonienſi. 804.
Numburgius conuentus. 575.
Numburgum capitur & arx exciditur. 600. crematur. 782.
Numburgenſis ager vaſtatur. 716. 764.
Numicenſe cænobium, non procul à Bitterfeldo, a Thimone M. Miſnenſe inchoatur. 536.
Nunſtadia, pagus. 268.
Nuptiæ nefandæ. 85.

O

Obertus M. propter factionem Beringarij exulans. 161.
Obſcuritas in authoribus & hiſtoricis vetuſtis. 9.
Obſeruantia in Deum. 436. Magiſtratus & maieſtatis. 239. 253. 337.
Oceanus. 8.
Ochſenfurtum, Bauariæ opp. 754
Ochtildis, ſoror Diterici, C. Catenelenburgi, vx Conradi Burggr. Vitini. 535
Ocra fl. 94.
Ocrearum genus quoddam interdicto prohibitum. 768.
Octus Orici f. R. Sax. 12.
Oda, vx. Brunonis D. Sax. 97.
Oda, Echardi M. Miſnenſis f. Boliſlao Boemo deſponſatur. 310.
Oda, f. Conradi III. M. Miſniæ, ſacerdos Gerbſtetenſis. 537
Odera fl. 138. 221.
Odoacer, D. Sax. 54.
Offa, R. Merciorum. 33.

Offridus, F. Eduini 16. vna oppetit cum patre. 18.
Oldeſlebium ad fl. Vnſtrum. 366
Olſnicienſes ſe dedunt Erneſto Electori Saxoniæ. 778.
Oppalienſis ager vaſtatur à Caſimiro R. Poloniæ. 782.
Opponhemij conuentus Regis & Principum. 356

ORATIONES ALIQVOT.

Adolphi Imp. ad proceres Turingiæ. 598. Turingorum reſponſio ad eundem: ibid.
Alberti Turingiæ L. in conuentu publico ad proceres pro filio Apitio. 593. Reſponſio optimatum ad eundem: ibid. Eiuſdem Alberti ad Adolfum Imp. 601.
Alberti Imp. hortatoria per literas ad C. Turingios. 626. Comitum reſponſio ad eundem. 627.
Alberti Canuti factioſa reſponſio ad Fridericum M Miſniæ. 636.
Albrónis & Vuitichindi ad Carolum M. 78.
Alheidis accuſatoria & querelæ de Alberto L. Turingiæ, marito ſuo, ad Fridericum M. Miſniæ. 623. eiuſdem Friderici ad nouercam reſponſio: ibid.
Amedei XIII Sabaudi ad legatum cuiusdam principis. 503.
Bauari ad filium. 219.
Boliſlai Boemi ad milites tumultuantes 218. Eiuſdem reprimentis militem à cupiditate confligendi cum hoſte. 273. Eiuſdem ad Guncelinum. 391. & Guncelini reſponſio ad eundem. 392.
Brunonis præſulis Verdenſis. 182. eiuſdem ad Othonem I. 182.
Brunonis præſulis Mersburgij ad Echardum & Hermannum fratres. 404.
Caroli M. in comitijs Vormacienſibus. 428. eiuſdem altera eodem tempore. 429 eiuſdem oratio ad Sax. 430. Eiuſdem ad Vuitichindum. 434. Eiuſdem Vuitichindi reſponſio ad Carolum Magnum: ibid.
Catharinæ, vx. Friderici Bellicoſi Electoris, ad exercitum in Boemiam proficiſcentem, ne temere agant. 699.
Colonienſis Ant ad Principes Germaniæ de ſuſcipiendo bello Boemico. 747.
Conradi Imp. ad fratrem Eberhardum. 108.
Conſiliariorum ad Vilhelmum D. Sax. 720. Eiuſdem reſponſio ad conſiliarios: ibid.
Diterici, M. Luſatiæ, ad Fridericum Barbaroſſam Imp. cum ſe ſubmitteret pedibus Alexandri III. Pontificis indignatione plena. 543
Ditmari ad ciues furentes Miſnenſes. 399
Eberhardi Palatini contra Imp. 326.
Eberhardi, C. Ellenbergij, ad Oth. Bauarum, conantis eum reconciliare Imperatori. 344. & Bauari reſponſio ad eundem: ibid.
Electoris Brandeburgici ad Duces Sax. de concordia. 720. eiuſdem ortaio ad Duces Sax. inter ſe diſſentientes de mutuâ charitate. 760.
Erneſti Electoris Saxon. ad ordines Imperij. 779.
Friderici, M. Miſniæ, pietatis plena. 624. Eiuſdem Friderici ad D. Brunſuicenſem petitoria, ne ſe deſerat. 625. eiusdem ad Gothanos ciues. 665. eiusdem ad milites 619.
Friderici, L. Turingiæ, ad Brunſuicenſem. 677. eiusdem ad eundem 679.
Friderici Bellicoſi, Electoris, ad filios de coniunctione animorum. 702.
Friderici II. Electoris, ad Imp. de perfidiâ Principum in Boemico bello. 748.
Friderici Electoris Sax. ad arbitros. 761.
Geronis, C. Magdeburgij. 288. Reliquorum procerum contraria Geronis. 289. eiuſdem Geronis ad milites. 158.
Giſelberti Lotharingij contra Imp. 325
Godeſchalli ad Boemos 259.
Grenoblij præſulis de pace. 481.
Hartuigi, Ant. Magdeburgij, ad Sax. ſuadentis pacem. 374.
Hennebergij veniam à Friderico III. Graui petentis. 652.
Henrici I. ad Arnolphum D. Bauariæ. 111. eiuſdem altera ad copias auxiliatrices. 119.
Henrici II. Imp. ad populum. 270. eiuſdem ad legatos Vngariæ. 316.
Henrici Bauari Rixoſi ad filium iam iam morituri. 339.
Henrici ad præſules pro ædificandâ Eccleſiâ Pabebergenſi. 266
Henrici Bauari ad Francos 209. eiuſdem contra Oth. M. de Imperio. 326
Henrici IV Imp. ad milites 375.
Henrici VII. Imp. Lucelburgij, ad Sabaudum. 480. Eiuſdem reſponſio ad Imp. ibid.
Henrici Bauari ad Ludolphum ſatis aſpera. 147.
Imp. ad militem animandum. 291.

Inuectiua Vilhelmi Ant. in Ant. facineroſos. 381.
Iuliani Cardinalis, ad Principes Germaniæ de bello Boemico ſuſcipiendo. 739
Legatorum Imp. ad Meſiconem. 290
Legatorum Henrici Bauari ad proceres Imp. 388.
Legatorum Imp. ad Duces Sax. de reconciliatione. 719.
Lotharij, C. Supplinburgij, ad Boemum. 528.
Ludolphi ad patrem. 151.
Meſiconis ad legatos Imp. 291.
Miſnenſium defenſoria ad legatos Philippi Naſſauienſis Imp. 614.
Mogellanorum ad exercitum Boemicum ſimulata. 393
Othonis I. ad exercitum. 152.
Oth. II. ad exercitum. 196. eiuſdem ad ordines Imperij. 200
Oth. Gotingenſis ad Epponem præſulem. 355.
Petri Moſellani Lipſiæ 852.
ReſponſoriaConſiliariorum Friderici ad Iſenacenſes & Creuceburgios ſupplices. 627
Reſponſoria Pleiſſenſium ad legatos Regios. 633.
Rudolphi Imp. ad Albertum, L. Turingiæ, & ad eius filios 593. Reſponſio Friderici ad Imp. 593. eiuſdem Imp. expoſtulatio cum Friderico f. Alberti L. Turingiæ. 595. Reſponſio & excuſatio eiuſdem Friderici ad eundem: ibid.
Rutheni Plauenſis expoſtulatoria ad præfectos. 675. Eorundem ad eundem reſponſio. ibid.
Saiceburgij, nomine Saxonum ad arbitros. 361
Sax. ad Oth. Gotingenſem. 532.
Sigismundi Imp. ad Brandeburgicum & Palatinum Principp. ambientes Saxoniæ Electoratum. 696
Turingorum ad Henricum IV. Imp. 521.
Vilhelmi D. Sax. ad ſuos ſubditos 721. eiuſdem ad Sileſios 728. eiuſdem reſponſio ad poſtulata de dimittendis quibusdam eius conſiliarijs. 758.
Ordorphus, D. Luneburgij & Saxoniæ, pater Magni D. Sax. 345.
Ordolfum, pag. Vicethumiorum crematur. 763.
Orheimum, opp. 431.
Oricus, f. Hengiſti, qualium populorum auctor. 9. 11. 12.
Oricus quare Oſcus dicatur. 11.
Orbertus, Ant. Colonienſis, è C. Rotenburgijs. 298.
Orthricus, Ant. Magdeburgius, obit. 196.
Orla, fl. Turingiæ 649.
Orlæ expugnatio omiſſa. 851
Orlemunda eripitur Vinarienſi. 631. 649.
Oſcingi vnde dicti & qui populi
Oſredus à popularibus interficitur. 22.
Oſrichus, R. Deiorum. 18. 20.
Oſrichus, R. North. 22.
Oſtangeli quare ſic dicti. 8.
Oſterfelda crematur. 782
Oſteruiga, vrbs Saxoniæ poſtea Selingſtadium 511.
Oſtienſis porta Romæ. 234.
Oſto Saxones qui 8.
Oſtrida, Edelrici f. vx. Oſuini. 21.
Oſchacium, opp. diripitur à Boemis. 742.
Oſualdus, Athæ f. 19. Pictos & Scotos domat. ibid. oppetijt in bello 20. ſepelitur in Inſulâ Lindiſarnâ. 20.
Oſuinus, f. Oſualdi. 19.
Oſuinus, f. Oſrichi occiditur. 19.
Oſuinus quare R. Saxon. nominatur. 21.
Oſuina, vx. Oſuini, Oſrichi R. Deiorum filia. 20.
Oſuolfus, f. Ecberti R. North. à ſuis miniſtris occiditur. 23.
Otgarus, Ant. Spirenſis, intereſt Romanæ Synodo 163. mittitur ab Imp. Senam 164. mittitur Romam ad electionem noui Pontificis. 169.
Otho, Imp. Magnus eius ſtatura, veſtitus: mores: acumen ingenij: pietas: coniugium 125. 126. inauguratio. 127. coronatio: ibid. bellum Bohemicum. 128. conſpiratio principum in Othonem. 130. confirmat Geroni M. Luſatiæ ditionem Mersburgiam 320. fratrem & proceres Imperij minime ſuſpectos de rebellione habet, 325. eius victoria de coniuratis. 326. ignoſcit rebellibus 131. altera conſpiratio principum in Othonem. 133. vincit hoſtes. 134. 328. fratrem Henricum Mersburgi obſidet. 135. 321. animoſitas eiuſdem 136. 328. eius fratris nouæ turbæ contra ſe, 138. rurſus dat ei veniam 140. in Galliam expeditionem facit 141. matrimonia filiarum eius 142. in Italiam mouet contra Beringarium 143. nuptiæ eius ſecundæ. 144. 378. accipit regnum Longobardiæ 329. reſciſcit

reſciſcit conſpirationem filij Lodolphi. 145. contra filium educit exercitum. 146. Moguntiam obſidet, in quo erat filius: ibid. filium vndique perſequitur. 149. confligit cum eo ad Ratisbonam. 149. proficiſcitur in Bauariam ad reliquias belli tollendas. 151. cum Vngaris confligit. 152. victoriam reportat. 153. redintegratio pugnæ acerrimæ. 154. eius victoria mirabilis: ibid. Stratagema eius, quo Slauos ſeduxit. 158. in Italiam proficiſcitur. 160. eius altera expeditio contra Beringarium. 162. Romæ Auguſtali ſellæ imponitur: ibid. caſtrum Leonis expugnat. 166. in Liguriam proficiſcitur. 167. raptorem puellæ capite punit. 167. eius reditus in Germaniam: ibid. eiusdem magnificentia. 168. eius expeditio in Italiam. 170. eiusdem in Calabriam profectio. 173. proficiſcitur in Galliam, inuiſit ſuos agnatos. 175. redit in Saxo. 177. eiusdem bellum Vngaricum. 330. Eccleſiæ ab eo fundatæ. 177. 179. Quedlinburgum proficiſcitur. 181. moritur 183. ſepelitur Magdeburgi: ibid. religionis propagator acerrimus: ibid.

Oth. II. Imp. inauguratur 161. contra Mauros mittitur. 173. obtinet victoriam. 174. eius nuptiæ & coronatio. 175. 184. adoleſcentia & fortuna eius. 184. cœnobia ab eo dotata & fundata. 185. conſpiratio principum in eum 186. expeditio eius in Daniam. 187. Boemo bellum denunciat. 188. Henricum Patauiæ obſidet. ibid. Boemum in gratiam recipit, Henricum in exilium mittit: ibid. bellum Lotharingium ſuſcipit. 189. tranſigit cum Rege Galliæ. 190. expeditio eius contra Saracenos. 191. in Italiam mouet. 192. eius clades à Saracenis accepta. 193. vix effugit hoſtium manus ibid. deliberatio cum ſuis de bello Saracenico. 196. eius animaduerſio in cardinales & ciues Romanos. 197. conuiuium Romæ celebrat: ibid. cur ſanguinarius dictus: ibid. filium commendat Othoni Sueuo, & Bernhardo Luneburgio. 201. bellum eius Saracenicum alterum. 202. eiusdem victoria de Saracenis: ibid. teſtamentum & mors ac ſepulchrum: ibid.

Oth. III. inauguratio 202. coniugium: liberi. 203. 204 contentio de electione eius 205. educandus traditur Guarino, Ant. Colonienſi: ibid. vindicta eius de Guarino: ibid rapitur à Bauaro. 206. diſceptatio de regno: ibid. committitur Vuilligiſo Ant. 211. educatio liberalis Othonis: ibid. eidem inſidiæ & technæ ſtruuntur. 212. expeditio gemina eius in Boemiam: ibid. ei Imperium confirmatur. 213. bella & res geſtæ Othonis cum Slauis. 213. 216. componit controuerſias inter Bauarum & Gebhardum præſulem Ratisbonenſem. 219. obſidet Brandeburgum. 220. eius prima expeditio in Italiam 225. exceptus honorificè à Venetis: ibid. Romæ à Creſcentio conſule & prætoribus introducitur: ibid. coronatur: ibid. per Galliam in Germaniam redit. 227. proficiſcitur in Poloniam. 228. eius altera expeditio in Italiam. 230. emendat ſtatum Reip. Romanæ 231. reſtituit Gregorium Pontificem: ibid. eiusdem conſtitutio ſeptemuirorum: ibid. & 232. 285. inquirit Aquisgrani oſſa Caroli Magni. 234. tertia eius expeditio in Italiam. 235. morbus & mors. 236. ſepultura. 237.

Otho D. Saxoniæ ad Viſurgim Gotingenſis dictus. 339. Ludolphi f. 335. factus D. Bauariæ. 338. eius vx. Cuniſſa, D. Bauariæ filia. ibid. eripit cum Ant. Colonienſe & Ecberto M. Sax. Auguſtano Ant. Henricum IV. Imp. adhuc puerum: ibid. tractat curam gubernationis Imp. vnà cum Colonienſe Moguntino & Bremenſe, Ant. 340. Calumnijs defertur apud Imp. 341. Moguntiæ accuſatur Regis nomine: ibid decernitur ei μονομαχία cum Hegmano eius accuſatore. 342. ei Ducatus Bauariæ eripitur. 343. in gratiam recipitur. 345. rurſus conſpirat in Imp. ibid. fit ſupplex. 353. iterum reconciliatur Imp. & præfecturam Sax. accipit: ibid eius prudentia 354. legatio eius ad Imp. 355. fundit Imp. Henr. IV. exercitum 358. eius victoria & opima ſpolia ab Imp. 359. inſtaurat Harterbergum 532. imperat vt Imp. dedititios principp. dimittat 533. ſepelitur Northemij. 364.

Otho Schierenſis cum fratribus proſcribitur. 152. ſuſpectus ab Vngaris interficitur. 155

Otho, D. Burgundiorum. 175.

Otho, Ludolphi f D. Sueuiæ Bauariæ dominatum accipit. 187. 332.

Otho, M. Turingiæ 335. in mutuo conflictu cum Brunone M. Sax. oppetit. 336.

Otho, D. Sueuiæ, Lodolphi f. vx. eius Himeltrudis, Siffridi D. Lotharingiæ f. 383. potitur Bauarico quoque & Carinthio ducatu: ibid. Tarentum vrbem in Italiâ expugnat.

expugnat. 384.
Otho, D. Morauiæ, frater Vratiſlai, moritur. 372.
Otho, C. Marcdorfius, fugâ vix elabitur è manibus Vlrici Ab. Reichenauienſis. 411.
Otho, præſul Conſtantienſis, à Rodolpho R. Romanorum, ſede pellitur. 412.
Otho, Ioh. I. filius. 459.
Otho Cappelndorfius. 339.
Ottho, Ratisbonenſis præſul, cadit in acie. 375.
Othonis Turingij affectatio regni. 371.
Otho, C. Brenæ, Friderici f. 552 pugnat ſub Philippo Imp. contra Innocentium. III. Pontificem: ibid. Cardinalem vel legatum Pontificis fugat, & quadringentos occidit in prælio: eius obitus. 553.
Otho, C. Brenæ f. Friderici II. Lauterbergum defendit, obit cælebs. 554.
Otho, C. Brenæ f. Conradi, adoleſcens obit. 554
Otho, M. Miſniæ, f. Conradi Magni, vx. Hedui gis, f. Alberti, Electoris Brandeburgij. 555. diues argentifodinis. 556. fundator Cellenſis monaſterij. 557. eius res geſtæ in bellis: ibid. bello petitur à Ludouico III. L. Turingiæ: ibid. capitur: ibid. dimittitur in conuentu Fuldano 558. capitur à f. Alberto: ibid. cauſa quare à filio ſit captus. ibid. eiusdem bellum cum filio Alberto: ibid. agitatur quoque à fratre. 559. obit. ibid.
Otho, Diterici, M. Miſniæ f. puer obit. 568
Otho I. Landgr. Haſſiæ ſuperioris, f. Henrici Land. primi Haſſiæ. 573.
Otho II. Landgr. Haſſiæ ſine hærede moritur. 574.
Otho Brandeburgius, petitur in bello ab Henrico L. Turingiæ. 578.
Otho Brunſuicenſis, laborat redimere patrem Albertum captum. 584. eiusdem cum Hermano L. Haſſiæ, de Haſſiâ contentio. 657. inſtituit factionem ſtellatam: ibid. reprimitur ab Haſſiæ & Turingiæ Landgrauijs. 660 occiditur à ſuis ſubditis Lunebergenſibus: ibid.
Otho, M. Brandeburgicus, irruit cum fratre Ant. Magdeburgico in Turingiam: 586.
Otho, Haſſiæ princeps, mittit copias auxiliares Erfurdianis. 634.
Otho Bauarus, vendit ditionem Brandeburgicam Carolo R. Boemiæ. 681.
Othonis Schidingi mors. 807.
Ottersbergum minus. 764.
Ottirſlebia euertitur. 646.
Ozetus, præfectus Germani, à ciuibus Miſnenſibus impugnatur. 398. reſtituitur armis Boemi. 399.

P.

Pabebergicæ Eccleſiæ fundatio. 266. dedicatio. 314. vnde denominata: ibid.
Pacis conditiones iniquiſſimæ. 157. 264. 266. 247.
Padus fl. 445. 461.
Paderbornium cænobium. 127.
Pandolphus, D. Capuanorum. 173. eidem ducatus Campaniæ confirmatur. 175.
Panis dominici incluſio quando cœperit. 726.
Pannonia qualis regio vel ditio. 56
Pantaleoninum cænobium Coloniæ. 323.
Panuinius, ſcriptor. 207.
Partus monſtroſus. 224. 276. 304.
Pauebergenſe cænobium D. Theodori, à Gerdrude, f. Conradi Magni M. Miſniæ, extructum. 555.
Paulus Oroſius, hiſtoricus. 3. 4.
Paulinus, Epiſcopus Eboracenſis. 17.
Paulus Diaconus, ſcriptor. 54.
Paulus II. Pontifex. 463. eius diræ in Georgium R. Bohemiæ. 778. 779.
Pœna defectionis à religione. 19. audaciæ. 52. læſæ maieſtatis. 130. 271 confidentiæ & ſuperſtitionis. 161. rebellionis. 166. talionis. 753
Pega, capitur à legato Imp. Philippo Naſſauienſe. 614. diripitur à Dicemano M. Oſterlandiæ, & Abbas eijcitur. 621. obſidetur 717.
Pelagiana hæreſis cauſa euerſionis regni Angliæ. 9.
Peloponeſum Bonifacius Montferratenſis penetrat. 455.
Pendas, R. Merciorum. 13. eius res geſtæ. 30.
Pendas II. vx. Alchfleda, Oſuini filia 31. primus Chriſtianus inter R. Merciorum: ibid. interficitur à ſuo populo ſcelerate: ibid.
Penica opp. 682.
Perfidia in Othonem. 126. 281. 341.
Perfidiæ pœna. 856.

Pernella, C. Burgundiæ f. vx. Hugonis III. Sabaudi. 473.
Perduellio. 284.
Pertinatia. 59. 60. 266. 268. 280. 327. 433.
Peſtis contagioſa. 25. 843.
Petraculus Cilix, D. Sax. 2.
Petrus, R. Vngariæ, expulſus 82
Petrus Vrſeolus, D. Venetus, trabeam auream accipit ab Othone III. Imp. 225.
Petrus, Thomæ II. f. 474. continuum bellum cum Turinis gerit: ibid. eius aſtutia in prohibendo Turinis comeatum in Pado fl. 475. potitur Turinorum vrbe: ibid. reuertitur cum claſſe ſex millium militum: ibid arces C. Geneuenſis in ſuam accipit poteſtatem: ibid.
Petrus, R. Caſtiliæ, in Hiſpania ſuam vxorem interficit. 489.
Petri Hauguicij interitus in acie. 805.
Petrus Luno ambit Pontificatum. 497.
Petrus Cretenſis ambit Pontificatum. 497.
Petrus Leo defendit montem Eſquilinum. 363
Petrus Vinea, ſcriptor. 550
Petri Trebnicij bona ſibi vendicat Vipertus Groitius. 371.
Petrus, Ant. Moguntinus, ſequitur partes Imp. Alberti Auſtriaci in negocio Turingico. 621.
Petrus Paina, Anglus author ſchiſmatis Pragæ excitati 686.
Petrus, præſul Numburganus, à Vilhelmo D. Sax. petitur armis 717. 758
Petrus, Cardinalis Auguſtanus, arbiter datus inter Bauarum & Brandeburgium. 731.
Pfeiferi deprædatio in agro Manſfeldiorum 866. fuga, captiuitas, & ſupplicium. 868.
Pferdis dorſij, nobiles Turingi. 603
Philibertus I. Amedei XIII. f. vx. Blanca Maria, Ioh. Galeatij, Mediolanenſis D. f. 503. inſidiæ ei ſtruuntur. 505.
Philibertus II. Pulcher Sabaudus, vx. Margaritha Auſtriaca, Maximiliani I. Imp. f. 506. moritur ſine hærede. 507.
Philiberta, f. Philippi Sabaudi, vx. Iuliani Florentini de Medicis. 506.
Philippa, f. Henrici IIII. R. Angliæ, vx. R. Daniæ. 50.
Philippus Foreſtus Bergomas, ſcriptor. 444
Philippus Maria, Mediolanenſis, D. 460.
Philippus Cominæus, in ſcribenda Hiſtoria clariſſimus. 463
Philippus I. Ludouici I. filius C. Sabaudiæ, vx. Gerdrudis D. Lotharingiæ f. 473
Philippus, Sueuiæ D. & Otho D. Saxoniæ inter ſe contendunt. 475.
Philippus II. Thomæ II. f. I. præſul Valentius, deinde præſul Lugdunenſis 477.
Philippus, C. Moræ, Britannus, ambit comitatum Sabaudienſem. 486
Philippus Valeſius, R. Francorum, reconciliat Immedum Sabaudum, & Humbertum Delphinum. 487.
Philippus, D. Burgundiæ 500
Philippus III. Ludouici V. f. Sabaudiæ D. Bageus C. in ditione Breſſenſi, vx. Margaritha, D. Borboniæ f. 506. eius induſtria in bello Gallico: ibid.
Philippus, Dedonis Craſſi, C. Rochlicij f. præpoſitus Zantenſis, & præfectus ordinis Theutonici D. Iohannis. 547
Philippi R. Galliæ bellum cum Flamingis. 481. eiuſdem bellum cum R. Angliæ. 643
Philippus, D. Burgundiorum 706. ei oppigneratur pars ditionis Lucelburgiæ: ibid.
Philippus, Ant. Colonienſis auxilio venit Ant. Magdeburgio obſidenti vrbem Haldeſlebiam. 557
Philippus Elector Palatinus ruſticorum ſeditionem reprimit. 844
Philippus Raueſteinus à Maximiliano Cæſ. abalienatur 818. Sluſam occupat. ibid. Albertum D. Sax. dolis & armis oppugnat. 819. Bruxellæ mœnibus ſe includit 820. Halim obſidet 821. eius prætextus renouandi bellum 828. pacem petit ab Alberto Saxone 833. in aulam Regis Galliæ ſe confert 834. infelix bellator. ibid.
Philippus, Landgr. Heſſiæ, vx. Chriſtiana, Georgij D. Sax. f. 574. 863. Fuldam occupat 865. mouet in ſeditioſos ruſticos & Anabaptiſtas 866.
Philippus Naſſauienſis, Imp. Adolphi legatus in Miſnia 607. eius bellum in Oſterlandiâ 613. capitur & Rochlicianæ mandatur cuſtodiæ 617. aufugit è cuſtodiâ neglecto iureiurando 618. fax. belli Miſnici nouo Imp. Alberto Auſtriaco 617.
Phryſij capiunt naues piratarum litora infeſta reddentium. 262. ab Alberto D. Sax. cæduntur & fugantur 829. rebellant Henrico D. Sax. 843
Phryſiæ gubernatio Alberti D. Sax. hæreditaria. 836.

Phryſiacum

Phryſiacum bellum. 837.
Phunduſij quales populi. 2.
Picti qui populi. 722.
Pietas. 17. 109. 148. 153. 196. 222. 225. 270. 389. 755
Pipinus, Caroli f. R. Francorum. 76. conſpirat in patrem. 436.
Pirnenſis ager vaſtatur à Boemis. 742. à Friderico M Oſterlandiæ & Lansbergi recuperatur armis. 587.
Pirna à Bohemis per inſidias tentatur. 770
Piſæ obſidentur à Bernabone Vicecomite. 496. à Maximiliano I. Imp. capiuntur. 835.
Placentius Pontifex primatum auro comparat. 229.
Plagiariorum ſupplicium. 773.
Platina, ſcriptor. 28.
Plaua, opp. 578. ab Erneſto Electore Saxon. capitur. 778.
Plauenſis profuſio & iniuſtitia. 777.
Pleiſſa, amnis 560.
Pleiſſenſium virtus & ſtratagema in liberando ſuo principe captiuo. 633.
Pleiſſenſis ager vaſtatur. 716.
Podamicus, ripa laus Veneti. 411.
Poleda, vrbs Saxoniæ. 241.
Poleda, aula Imperialis conflagrat. 309
Poledenſe cœnobium à Mathilde vx. Henrici Aucup. extructum. 124.
Poletia, villa. 83.
Poloniæ R. legati ad Imp. 278.
Poloni perfidia. 281.
Polonus ab Henrico II. Imp. debellatur 262. eiusdem fuga. 263. pacem petit ab Imp. 264. 313.
Polonicum bellum inter fratres. 539.
Polydorus Virgilius, ſcriptor. 11. 41. 656.
Pontifex Ioh. XII fidem violat. 162.
Pontifex Rom. Mathiæ victoriæ curſum in Vngaria impedit. 780.
Pontificiorum fœdus clandeſtinum contra Lutheranos. 870.
Pontius, pater Raimundi, C. Tripolitani, ab Aſſaſinis interfectus. 447.
Poppinhuſia, arx in Buchonia obſidetur. 672.
Poppo Burggrauius. 105.
Poppo I. & Poppo II. Vurciburgi præſules 141.
Poppo Auſtriacus, præſul fit Treuirenſis. 297.
Popo, C. Hennebergius, oppetit in caſtris regijs Henrici IV. 358.
Poppo, Ant: Paderbornius, conſtituitur cum reliquis arbiter inter Imp. & Saxon. 361.
Poppo, Vipperenſis C. 529.
Poppo, Præpoſitus Pauepergenſis. 538.
Porta, cœnobium, nunc ſchola illuſtris. 753.
Poſna, vrbs. 281.
Poſnonia, vrbs. 264.
Praga capitur proditione à Iohan. Lucelbergio Imp. f. R. Boemorum creato. 635. obſidetur à Iodoco Principe Morauiæ. 673. 686. Schiſma ibidem oritur. 686. eiusdem Academiæ diſſipatio: ibid. obſidetur. 690.
Præſulum munus antiquitus. 215. quando & quomodo degenerarint. 215 quo tempore primum cœperint eſſe armati. 324.
Prætextus amicitiæ. 7. 77. 242. 283. 325.
Premislaus, R. Boemiæ, vx: eius Adela, Othonis M. Milniæ, quam repudiat 555. vx. altera, Conſtantia, R. Vngariæ Belæ. III. filia. 556 quare Otho ar is ſit dictus, pellitur Regno. 504. reconciliatur Philippo Imp. in conuentu Egrano. 555.
Presburgum in Pannonia. 607.
Pribico Cleuonius, præfectus Pragenſium capit Myſam opp. 758.
Principum conſpiratio in Oth. II. 186.
Principum conuentus ad Aquisgranum. 254.
Principum Germanorum expeditio in Boemiam. 738. 739.
Procopius, & Iuſtus, M. Morauiæ, vendunt ditionem Brandeburgicam Vilhelmo Miſnenſi. 681.
Procopius Raſo, D Boemorum ſeditioſorum 742. eius tyrannis in Milniâ, Vodlandiâ, Franciâ, Bauariâ. 745.
Prodigia. 230. 276. 301. 305. 340. 865.
Protectionis diuinæ exempla. 17. 277.
Pruna, opp ad Adam fl. 493.
Pruſiacum bellum Regum Poloniæ. 841.
Pruſia à Poloniæ Rege ſubacta. 863.
Ptolomaidis obſeſsio à Guidone. 451.
Pudicitiæ & caſtitatis laus. 282.
Purburgum, vrbs. 495.

Q.

Quales populi Germaniæ in Britanniam venerunt. 8.
Quedlinburgum cœnobium ab Henrico Aucupe conditum. 124. ibidem conuentus agitur. 371. obſidetur ab Ecberto. 375.
Qui Impp. Chriſtianæ religionis propagatores fuerint. 181.
Quiers, vrbs Pedemontana. 487.
Quizana villa. 370.

R.

Rabado R. Phryſiorum 440.
Rabeſteinum, arx Ab. Chemnicenſis, occupatur à C. Leiſnicenſe. 682.
Rabeſuinum, arx Ab. Chemnicenſis; à C. Leiſnicenſi occupatur. 672.
Radegundis Berthariſ R. Turingorum filia, abducitur à Francis 55. locatur Lothario R. Francorum. 571. condit Pictauienſe cœnobium: ibid.
Radiborus, gener Alexij, oppetit. 373.
Raimundus, C. Tripolitanus. 447. 450.
Rainardus Morealius violat inducias. 450
Ramelburgi metalla ab Henrico Aucupe inuenta. 124.
Ranulphus Aquitanus bello Normanico oppetit. 512.
Ratisbona obſidetur 149. eiuſdem obſidionis ſolutio & conflagratio. 150. factionibus repleta à Bauaro compeſcitur. 662.
Rauennæ res omnes conſtituit Imp. Otho I. 172.
Rappo, nobilis Turingus, latrocinia exercet. 735 fuga ſibi conſulit: ibid.
Raſpenbergum, arx prædatoria, ab Henrico Raſpone extructa 599. à Friderico M. Miſniæ euertitur. 637
Raxa, fl. 158.
Razonis, Bremenſis præſulis, mors. 226.
Rætha, ab exercitu Imp. Alberti diripitur. 618.
Rebelles principes veniam aſtu impetrant. 131.
Redarius, præſul Paderbornenſis. 242.
Redarij ab Henrico deficiunt. 115
Redera, fl. 611.
Redualdus, Patriarcha Aquileienſis, caſtratus iuſſu Henrici Bauari. 330.
Redualdus, R. Sax. oriental & merid. vincit Edelfridum. 16. 34

REGES.

Anglici è Danis. 38.
è Francis. 46.
è Normanis. 39
è Sax. occidentalibus. 38.
Cantianorum ex gente Saxo. 10. 27.
quare poſteà Oiſcingi dicti. 25.
Francici. 25. quare Merouingi dicti: ibid.
Northumbrorum ex gente Saxon. 15. 27.
Merciorum. 29. 31. 30.
Saxonum Antiqui. 72.
Domeſtici. 69.
Meridionalium. 33.
Occidentalium. 35.
Orientalium. 24. quare poſtea Vuiffingi dicti. 25.
Regenbodus, Fuldani Ab. Signifer. 337.
Regentia, fl. 731.
Regino Prumienſis, ſcriptor. 93.
Reginonis ſupplementum. 320.
Rego, fl. 149.
Reichenbachium, opp. Vodlandiæ, à Boemis crematur. 744.
Reichenbachium, pag. in agro Gorliciano, à Boemis oppugnatur, ſed reprimuntur. 746
Reinardus, præſul Merſburgius, intereſt bello Vandalico. 541.
Reinhardbornius conuentus. 643.
Reinhardus, Ab Fuldanus, 735. eius bellum cum L. Heſſiæ: ibid.
Reinherus cuius filius. 26.
Reinherus Sabaudus à Conrado Pio è vinculis liberatur 450.
Reinhildis Beichlinga, rapta à Beringero, C. Ballenſtadio. 285.
Reinoldus, C. Pabebergius, ſine hærede diſcedit. 266.
Reinoldus Berenſtenius, cadit in acie ad Auſtiam. 701
Religio Sax. quæ fuerit olim. 61.
Religio loci. 337.
Religionis Chriſtianæ confirmatio. 13. 26. 28.
Religionis mutatio in Saxonia. 858.
Religionis & fortitudinis laus in Principe. 17. 19: 20.
Rembda, arx complanatur. 717.
Remigius, Epiſcopus Remenſium, baptizat Clodoueum, R. Francorum. 570.
Rena, arx eripitur Anhaltinis. 587.
Repurgatio templorum ab Idolis. 13.
Rhadagaſtus, R. Gotorum, vaſtat Hetruriam 62.

Rheda

Rheda excisa. 159.
Rhemi quales populi 58. expugnatur. 142
Rhenus,fl. 58. 739.
Rhodanus,fl. 60.118.
Rhodus insula. 731.
Ricola,vx. Dittulfi,R.Sax.Emeri R. Cantianorum,filia. 12.25
Richardus,fr. Henrici III. Bollimbrachi, C. Cornubiensis, R. Romanorum eligitur. 48.
Richardus II. R.Angliæ. 50
Richardus III.R.D. Glocastriæ R. Angliæ, fratris filios necat. 51.
Richardus, signifer Oth. II. oppetit in bello contra Saracenos. 193
Richardus, C. Normanorum 265.eius potentia confirmatur ab Imp. 284.
Richardis,vx.Marchionis Austriaci Luitholdi. 100
Richensteinum, arx Staupicij 689
Richisa,vx:Arnolphi, C.Alddorfij 104.
Richila vel Richilindis fertur f. Oth. I. M. mater Conradi præsulis Constantiensis. 127.
Richimarus,R. Francorum. 1.
Rigbertus, C. Summeringius à Bauaro ad conuentum Verlanum mittitur 388.
Ringlebia ab Erfurdianis capitur. 632.
Ripachus,fl. 118.
Risenbergia ab Ernesto Sax. Electore expugnatur 781.
Riseburgum in Boemia venditur Vilhelmo L. Turingiæ. 673.
Robertus, Ant. Moguntinus. 175.
Robertus,R.Franciæ 265
Robertus, f. Vuitichindi II. Budsecij in Armorica militat & in bello Normanico oppetit. 512
Robertus II.Roberti f. Vicerex regni Gallici 512.
Robertus,frater Arnolphi Imp. R. Carolum Caluum vinculis tenuit. 512
Rochardus Magdeburgius. 537.
Rochlicensis ager vastatur. 716.
Rodensis præfectura vastatur à Gerense. 718.
Rodolphus,Sueuiæ Dux,pertinacissimè resistit Imperij principp. ad se titulum Imperatoris deferentibus 347. sequitur partes Imp. 349. eius legio funditur: ibid. auxilium amplius ferre negat Imp. 352. declaratur Imp. in Forchemio conuentu & coronatur 357 lethalia in prælio contra Henricum IV. Imp. vulnera accipit. 359. tumulatur Mersburgi. 360.
Rodolphus,præsul Halberstadius, vnà proficiscitur in expeditionem Vandalicam. 541.
Rodolphus VI. Burgundiorum R.298. rebellio in eundem. 299.
Roffensis diœcesis 32
Rolandi statua 785.
Roniga,f. Hengisti,vx. Vuortigrini 11.
Romani contra Imp. Benedictum V creant Pont. 164. eorundem legati ab Imp. cum conuicio repelluntur 164.
Ronneburgum, Ruthenorum Plauensium, deditur. 675
Rosana,vrbs. 194
Roseburgum,opp. 185.
Rosdorfium opp. Fuldani, occupatur à L. Turingiæ 676.
Rosetala,propè Ratisbonam 149.
Rossanus ager vastatur 759.
Rostochiensis Academia in Sax. quando cepit. 687.
Rosuida Saxonica 16. Monialis docta. 98.
Rota,opp.arx belli Bauaro 731.
Rotemagum,opp. 142.
Rotenburgij comitis scelus. 298
Rotenberga, arx, ab Abb. Hirsueldense & Fuldano euertitur. 632.
Rotenburga,vrbs Imperij factiosa,redigitur armis ad officium. 662.
Rothardus,præsul Constantiensis. 283.
Rottingum,opp.cogitur redimere se pecuniâ ab iniuriâ Boemorum 749.
Rudberti,Ant. Treuirensis, cum Coloniense de sessione contentio. 127.
Rudgerus C. Dux Turingorum, fugatur ab Othone Bauaro. 343.
Rudgerus,Ant. Spirensis interest conuentui Quedilnburgio 371.
Rudhardus Ant. Argentinensis 133. Corbeiani captus in custodiam mittitur 137
Rudolfsteinum, arx à M. Misniæ in finibus Turingiæ extructa ad arcendos Brabantinos sibi Hassiam vendicantes. 581.
Rudolfus Varila, Pincerna Tautenbergius, Præfectus Rudolfosteinij præsidij. 581. Idem hortatur filios Henrici M.Misniæ, vt sese Brunsuicensi opponant. 583. mittitur legatus ad Burgundum. 782.
Rudolfus Imp. proficiscitur in Turingiam. 593. reconciliat Albertum L. Turingiæ cum filijs. ibid. secundò reconciliat Albertum cum filijs.595.indicit conuentum Erfurdiæ.596.eius rigor in latrones: ibid.
Rupertus Palatinus Archiep. Coloniensis obsidet Nouesium. 804.

Rudolfus

INDEX.

Rudolfus D. Elector Saxoniæ veneno ſublatus 692. 693.
Rudolfus Buna, legatus præſulis Numburgani, Sigelitij pagi templum ſpoliat. 710. reprimitur agreſtium virtute: ibid: lædit Fridericum Vicelebium bombarda. 712.
Ruſpa, opp. 639. 557
Ruſſa fl. Alſatiæ 627
Ruſticorum ſeditio in Palatinatu. 844 per Germaniam 863. clades. 867.
Rutheni Plauenſes 674
Ruthenus Gerenſis Vodlandus, legatus Norinbergiorum 715

S.

Sabalingij quales populi 2
Sabaudienſes in Allobrogibus habent primum auctorem Valbertum, ex eius t. Immedo oriundi. 441.
Saganus Ducatus à Saxoniæ Ducibus emitur 781.
Saganæ prouinciæ inter Duces Saxoniæ diuiſio. 845.
Sabertus vel Sigibertus, I. Saxon. orient. R. Chriſtianus. 25
Saca genus armorum 66
Saladinus, D. Saracenorum 451
Sala, fl. 83. 85. 118: 135. 517
Salamis portus in Cypro nunc Famaguſta, à Ludouico V. Sabaudo expugnatur. 501.
Salandria. 194
Salcunga, arx obſidetur ab Adolfo Imp. 601.
Salueldia, ad Salam. 133. eidem indicuntur ludi equeſtres. 325
Salza, opp. Turingiæ. 357. oppugnatur à Friderico III. Graui. 653
Salza, fl. in Bauaria. 468.
Salzana, arx Brunſuicenſis obſidetur. 677.
Sancti Germani, opp. Delphini obſidetur à Sabaudienſibus. 482.
Sancti, f. Thomæ II. Sabaudi, vx. Richardi R. Romanorum. 474.
Sangerhuſa bello Boemico capitur & ſpoliatur. 564
Saraceni Lucam Hetrurię diripiunt. 301. ab iiſdem Ieroſolyma diripitur. 451.
Saracenicum bellum primum 191. alterum ab Othone II. ſuſceptum 202
Satium, opp. Boemiæ obſidetur. 697.
Satienſes ſocij factionis Huſſiticæ. 699.
Saxo Siliandicus, Danorum hiſtoricus. 1.
Saxones vnde orti 2. dicuntur militaſſe primum Alexandro Macedoni 2. indigena Germaniæ gens 3. vnde ſic dicti 3. eorum nomen quando innotuit 3. eorum ſedes & domicilia. 4. piraticam exercent. ibid. & 5. eorundem varia fortuna 5. in Britaniam accerſiti 6. eorum in Britania aduentus: ibid. Colonias in Britaniam ducunt 7. qui Saxones orientales dicantur. 54. vnà cum Burgundionibus & Francis militarunt: ibid. in ſocietatem belli à Francis vocantur: ibid. eorum cum Turingijs prælium. 55. occupant Canchorum & Angilorum ſedes paternas: ibid in Italiam migrant. 56. irrumpunt in fines Francicos: ibid. in Galliam eunt ibid: prælium cum Francis ineunt 57. Alboino in Italiâ pugnant. ibi. de reditu in patriam cogitant: ibid. & 58. eorum bellum cum Francis 58. retrocedere coguntur in Italiam. ibid. gerunt bellum cum Sueuis 60. eorum clades 61. cultores olim fuerunt idolorum: ibid. eorum mores 62 inſtituta: ibid. habitus corporis. 63 tonſura 64. eorum compotationes & ebrietas: ibid. pugnacitas 65. militant Leoni Pontif. contra Saracenos 66. genera armorum: ibid matrimonia 67. educatio liberorum: ibid. Seueritas erga delinquentes 67. ædificia 68. Mores in iudicijs. 68. Sepulchra eorum: ibid. eorum Imperium duodecim toparchiarum 69. bellum cum Francis: ibid. militant Francis contra Vandalos 73. bella eorum cum Francis varia 75 76. 77. è tributarijs fiunt liberi & ſocij regum Francorum: ibid. in Haſſiam irrumpunt 93. fiunt Chriſtiani 96. vincuntur à Danis 99. Victoria Saxonum 134. in inſidias deducuntur 157. redimunt à Danis captiuos ære grauiſſimo 222. bellum gerunt cum Danis 223. legatos ad Henricum IV. Imp de pace mittunt 352. fiunt ſupplices eidem 353. legatos rurſus ad eundem mittunt, de eo exauctorando. 363 ſtellatæ factioni addicti iuuant Oth. Brunſuicenſem contra L. Haſſiæ. 657
Saxeſteinum caſtellum expugnatur à Sax. 346.
Saxoniæ Ducum affinitas cum Rege Bohemiæ 775.
Scaminga opp. 432.
Scela Sylua 118
Schaldis, fl. in Fandria 265.
Schaningum, opp. 376.
Scharfenbergum metallum in Miſnia quando cœpit fodi 585.
Scharfenburgum, ab Henrico Aucupe extructum. 124.
Scharfenbergum, præſidium non procul ab Iſenaco in Turingia à Cobenſtadiorum familia primum extructum 651. ab Heſſis & C. Hombergio deſtruitur. 582. idem præſidium

præſidium obſidetur ab Hennebergio. 651.
Schauenburgum, à Balderico, R. Galliæ extructum 570. inſtauratur ab Abbate Reinhardbornio. 581. diruitur ab Henrico M. Miſnenſe & L. Turingiæ. ibid.
Schidingij ſecurè agunt. 55. ſuperantur à Dieterico R. Francorum. 571.
Scheidinga, arx & opp. 54. eripitur Ludouico II. C. Turingiæ. 86. 155
Scheleuilcij, nobiles Turingi. 603
Scherfij, nobiles Turingi. 603
Schichianum præſidium. 302
Schmideberga crematur. 782
Schnebergenſes fodinæ. 781. numml. 790
Schobenfurſta ſilua propè Erfurdiam. 745
Scholleburgum, pagus diripitur. 717
Schrechenbergi argenti fodinæ. 831
Schueinicia arx. 792
Scolenſe templum à Bertha f. Viperti M. Oſterlandiæ & C. Groicenſis: vxore Dedonis M. Miſniæ, fundatur. 537
Scopa. 589
Scoti qui populi. 7. 22
Seditio. 254. 267. 287. 299
Seditio Romæ contra Oth. I. Imp. quæ ſtatim reprimitur. 165
Sedes Sax. Sueui occuparunt. 57
Sedulius, poeta. 34
Sedunum metropolis in Valeſiâ, obſidetur à Petro Sabaudo. 474
Sedunenſis præſul, expulſus ab Immedo IX. Sabaudo reſtituitur. 488
Seguinus, Ant. Colonienſis, conſtituitur cum reliquis arbiter inter Imp. & Sax. 631. cadit in acie. 375
Selandia. 541
Seliburus, Vuagirorum D. coniungit ſe cum Vuigmano Stubesgehornio contra Hermanum Stubesgehornium præfectum Slauorum. 166
Selingſtadianum cœnobium. 341
Selpolis pagus. 267
Seinana ſylua in Turingia. 723. 650
Sengilus, riuus Turingiæ, inter Vuartburgum & Iſenacum opp. 624
Senſeſteina, arx ab Haſſio extruitur ad reprimendam factionem ſtellatam. 759
Serberga, vx. Erneſti R. Vuitorum. 13. 27
Serræ, Theſſaliæ vrbs à Iohanne Blacho euertitur. 455
Seruitutis iugum odioſum. 260
Setteiſtadium opp. 581
Siba Dea. Idolum. 62
Sibodenburgum præſidium Hermanus Turingiæ L. eijcit. 560
Sicambri ſunt Franci. 1
Sichelſteina, ab Othone & aliis addictis ſtellatæ factioni ad fines Haſſiæ extruitur in perniciem L. Haſſiæ. 658
Sicilia Inſula. 56
Sidonius Apollinaris, præſul Aruernorum, ſcriptor. 570
Sidonius poeta. 64
Siffridus, presbyter Miſnenſis ſcriptor.
Siffridus, Ant. Moguntinus. 87
Siffridus, C. Mersburgius. 128
Siffridus Luſatius, à ſuſpicione ſe in bello Polonico liberat. 292
Siffridus, C. de Bomenburg f. Othonis D. Bauariæ & Sax. ad Viſurgim. 338
Siffridus, Siffridi C. in Bomenburg f. C. Beichlingius. 366
Siffridus, D. Sax. Oth. Gotingenſis f. C in Bomenburg. 366. ſedes eius Hetteualda. ibid.
Siffridus, Ant. Moguntinus, admonet Ab. Fuldanum, ne quid ſibi detrahi pateretur. 337. à Saxon. Erfurdiæ comprenditur. 346. coronat Rudolphum Sueuum R. 357.
Siffridus, præſul Auguſtanus. 251. adhibetur in conſilium de pace facienda cum Saxon. 352. intereſt conuentui Quedlinburgio. 371.
Siffridi, C. Viburgij, è vinculis fuga. 213
Siffridus Summeringius. 200. eidem comitatus fratris confirmatur. 304
Sigbertus. I. R. Sax. orient. Princeps doctiſſimus. 26. à fratribus occiſus. ibid.
Sigbertus II. R. Sax. orient. 26. conſtituit ludum literarium Cantabrigiæ. ibid. cecidit in acie contra Perdam Mercium. 27
Sigbertus Glembacenſis, ſcriptor. 61. 93
Sigbertus, R. Francorum. 57. cum Sax. paciſcitur. 59
Sigebergum caſtellum à Carolo M. capitur. 427.
Sigiſmundi Anhaltini Pr. iter in Palæſtinam. 806.
Sigiſmundus Imp. declaratur. 688. Ioh. Iacobum Montferratenſem vicarium Italiæ conſtituit. 160. eius bellum Boemicum. 690. Fridericum Bellicoſum conſtituit Elect. Sax. 696
Sigiſmundus, f. Friderici Bellicoſi Elect. præſul Vurciburgius. 704. eius facinus libidinoſum. ibid. eius mors. 725
Sigiſmundus, C Glichenſis, ſequitur partes Vilhelmi D. Saxo. 711. mouet bellum Friderico

derico Electori Sax. 716.763
Sigismundus, D. Auſtriæ, ambit R. Boemiæ. 728 arbiter datur inter Bauarium & Brandeburgicum. 731
Sigismundus, f. Friderici III. Grauis, M. Miſniæ & L. Turingiæ, præſul Mersburgenſis, Gebhardi ſucceſſor. 656
Sigolphus, præſul Placentinus. 170
Siggerus, & Sebbius regnum diſtribuunt. 28. Romæ ſacris initiantur in multa frequentia populi. ibid.
Sigulones quales pop. 696
Silesia vaſtatur à Mathia R, Vngariæ. 805
Siluester II. Pontifex Romanus. 234
Simoni præſuli Padebornenſi bellum infertur ab Heſſo. 733
Simultas cauſa maximorum malorum & bellorum. 76.269.
Sindacilla, f. Rabadonis, R. Phryſiorum, vx. Vigberti. 440
Sitgebachum, vno ab Iſlebiâ milliario ſitum cænobium, Mansfeldius diripit. 656
Sitticho Buchena capitur. 664
Sixtus IV. Pontifex Romanus. 462
Slaui fiunt tributarij Sax. 121.138. in ſocietatem belli admiſſi à Saxon. 263. iterum in Saxon irrumpunt. 226. fiunt mox rebelles 242. irruunt in Saxoniam. ibid. eorum coniuratio & ſæuitia in Hauelburgo. 197. eorundem tyrannis in vrbe Brandeburgo 198. eorum clades. 190. 200. eorum ſuperſtitio 114. eorum fuga 158. victoria in Sax. 157.
Selerſtadienſis ager vaſtatur ab Armeniacis. 707.
Slicconum familia. 800
Sluneni, nobiles Turingi. 603
Sluſenſium tumultus contra Phil. Raueſteinum. 819
Sluſa ab Alberto D. Saxoniæ oppugnatur. 832.
Smalchadia ſpoliatur Bello Boemico. 564
Smolis, opp. à Boemis incenditur. 744
Societas cum mercatoribus Germanorum per ciuitates, quas Anzas nominant, quando cepit. 48
Societas Georgiana. 49
Solſinum, caſtellum Vilhelmus Cocles ad ſe transfert. 671
Somarij muli. 194
Sondershuſia, C. Suarceburgiorum ſedes. 762.
Sondrenſes nobiles Turingi. 641
Sonnebergum in Francia. 733
Sonneburgum, pag Vicethumiorum. 601
Sophia, f. Oth. I. Paderbornia Sacerdos. 127.
Sophia, f. Henrici Bauari Rixoſi, Abb. Paderbornenſis. 331
Sophia, f. Leopoldi VI. Ducis Auſtriæ, vel Saxoniæ Palatini. vx. Henrici Burggr. Vitini & Zorbecæ 549. Et Hermanni Landgr. Turingiæ. 550
Sophia, f. Friderici, C. Brenæ, Sacerdos Maxima Quedlinburgi. 551. accuſatur & exauctoratur. ibid. reſtituitur. 552
Sophia, f. Oth. M. Miſniæ, vx. I. Vlrici D. Boemiæ. 11. Burggr. Ratisbonenſis. 555.
Sophia, f. Friderici M. Miſniæ, in infantia obit. 562
Sophia Brabantina. vx. Iohannis Ducis, deliberat cum ſuis de occupandâ Turingiâ. 579
Spangeburgum. 640
Speculum Saxonicum. 61
Speſharta, pars Syluæ Hercinia. 248
Spiram factioſam compeſcit Robertus Palatinus. 662
Spiceberga, arx capitur à Sigismundo D. Sax. 747
Stadenſis regio olim Alemania inferior. 33.
Stadium, vrbs ditionis Hadelenſis. 218
Stalburgum, à Balderico, R. Galliæ extructum. 570
Stalberga. 723
Starchardus, præſul Eiſtetenſis, captus in bello Vngarico. 155
Stargarda, ab Hermano obſidetur. 466
Steinij, nobiles Turingi. 603
Stellatæ factionis autor Otho Brunſuicenſis, 657.
Stelmeiſiorum familia. 778
Stolpenſi arci præſidium à Friderico M. Oſterlandiæ & Lansbergi imponitur. 587.
Stoubini, nobiles Turingi. 603
Sternbergius, Baro Boemus, ab Henrico Plauenſe captus detinetur. 744. liberatur à factione Huſſiticâ. ibid. mouet bellum Friderico Electoris Saxon. 752. capitur. 752.
Storchij impoſtura 865. interitus. 866
Strabo, author. 8
Strages Francorum. 57
Strela, opp. Dotale Boliſlai filiæ. 392. capitur, & Boemis adimitur. 303

Strieri,

Strieri, nobiles Turingi 603

Struffa, pag. Vicethumiorum, à Vilhelmo D. Sax. occupatur. 724

Stupratoris ſupplicium ridiculum. 491

Suarceualda, arx venditur à Suarceburgio, Baldaſaro L. Turingiæ. 657. 680.

Suarcehouium, opp. Bauariæ, redimit ſe pecuniâ ab iniuriâ Boemorum. 749.

Suarceburgum, ſedes C. Suarceburgiorum. 762.

Suanhildis, f. Hermani D. Luneburgij, vx. Diterici M. Luſatiæ, & Echardi M. Saxoniæ. 386.

Sudoſaxones qui. 8

Sudangli quare ſic dicti. 8

Sudredus, R. Sax. orient. vltimus. 28. ab Ecberto R. Saxon. occident. ditione exuitur. ibid.

Subiectionis exemplum. 6.

Suefridus. R. Sax orient. 28.

Sueuia olim dicta Alemania ſuperior. 2.

Sueno. Daniæ R. Germaniæ & Britaniæ litora infeſta reddit latrocinando. 221.

Sueuorum clades. 243

Sueuus amnis. 8. 260. 263.

Sileſioneſis prouincia. 59.

Suibertus Anglus, præſul Verdenſis, præficitur Sax. 428.

Suidgerus ſeu Siffridus, Monaſterienſis præſul enſe petitur. 313

Suidhardus quis & cuius filius. 14.

Suidgerus C. cadit in bello contra Imp. Henricum I V. 350.

Suinfurtum, incendi iuſſum, ſeruatur ab Henrici Auſtriaci matre. 242. 308.

Suitenſes Suiceri vnde ſic dicti. 8.

Summerſenburgium, caſtellum. 89.

Suneualdi ſaltus, nunc Locniani. 351.

Sunchala. 430.

Superſtitione olim coniugia diſſoluebantur. 21.

Supplicium ſuperſtitionis. 27. coniuratorum. 139. violatæ pietatis paternæ & religionis templorum. 562.

Suſanna, Volfradi de rubro vexillo f. vx. Brunonis. 92.

Suſatum, vrbs Vueſtophaliæ, deficit ab Anc. Colonienſe. 713. oppugnatur. ibid.

Sylua Faginea. 679.

Synodus Romana. 163.

T.

Taboritarum factio Boemica. 751. poſtulat ſibi regem Caſimirum R. Poloniæ fratrem. ibid.

Tacitus ſcriptor. 65.

Tandorſium aufertur fundo Gozecenſi à Friderico I V. Palatino. 86.

Tanetus, Inſula. 12.

Tanger, fl. 518.

Tangermunda. 518.

Tangifurtum, opp. 432.

Tanroda, opp. capitur ab Erſurdianis. 679. capitur ſecundo à Vilhelmo D. Saxoniæ 733. venditur Ludouico C. Glichenſi ibid. euertitur funditus à Boemis. 749.

Tarentana arx occupatur ab Hennebergio. 576.

Tarnſteta vaſtatur. 717.

Tauchelitia. 118.

Tautenbergij Dapiferi addictiores partibus Electoris, quàm ſui domini, Vilhelmi D. Sax. 758.

Taxis, R. Vngarorum. 154.

Tegeruſchenſe cænobium ab Othone D. Sueuiæ inſtauratur. 383.

Tempeſtas magna. 279.

Tenedus portus. 490.

Tennebergum, arx tribitur Apitio 594. oppigneratur ab Alberto L. Turingiæ. 595. vexatur incurſionibus Hennebergio. 651.

Termopylarum anguſtiæ occupantur à Bonifacio Montſerratenſe. 454.

Terouania, vrbs. 52.

Terræmotus in Turingiâ. 679. Miſniæ. 845.

Tertullianus, ſcriptor.

Teſenbergum præſidium occupatur. 342.

Teſſalia olim terra Pelasgorum fertiliſſima. 448.

Teuchera opp. 371.

Teupoli ciuis Veneti ſeditioſi interitus. 772.

Thalemincij, Slauorum pop. 100. 102. repreſſi. 114.

Thalemincium bellum. 102.

Thameſis, fl. 12. 376.

Thammo vel Damianus vulgò Dago Magdeburgius præſul. 249. moritur. 275.

Thamum ab Alberto D. Sax. ſtratagemate capitur. 818. à Saxonib. obſidetur 853. expugnatur. 854.

Thaico, D. Francorum, Saxonibus occurrit. 349.

Thazius, C. Boemicus. 372.

Theadagus, Anc. Pragenſis, à Boliſlao iuniore pulſus, ab Ecberto reducitur in gratiam 404.

Thebæ, à Bonifacio II. Montſerratenſe capiuntur

uatur. 455.
Thenæ ab Alberto D.Sax. Captæ. 823.
Theodolphus M. Veronenſis, excipit Henricum II. Imp. 253.
Theobaldus Lechsgemundus, oppetit in caſtris Regijs militans Henrico I V. 358.
Theodoricus Niemus Magdeburgius, ſcriptor. 175.
Theodorus, Violantellæ Montferratenſis, & Andronici Imp. Conſtantinopolitani f. Ducatum Montferratenſem accipit, vx. eius Argentina, Opici Geneuenſis filia. 459.
Theodorus II Theodori I. f. Montferr. vxx. I. Barri, Gallorum D. f. II. D. Pedemontani filia. 460.
Theodorus III. Iohan. Iacobi f. Cardinalis. 463.
Theodoſius Imp. quo tempore vixit. 5.
Theophania, Imp. f. Nicephori Conſtantinopolitani priuigna, vx. Othonis II. 173.
Thimo III. Diterici II. M. Lansbergi f. vx. eius Vda, Othonis D. Bauariæ filia. 525. eius puerile facinus. ibid. vixit in aula Henrici III. Imp. Miſnenſis fit. 536.
Thimoni Lansbergio, M. Ecberti ditio, in Miſniam conceditur. 376.
Thomæ Munceri 865. exilium & impoſtura. 866. captiuitas 867. ſupplicium. 858.
Thucia, regio. 377. ſubigitur à Ludolpho Oth. I. filio. 377.
Thura, fl. 414.
Tibiſcus, fl. 82.
Ticinenſis tumultus. 253.
Ticinum, nunc Papia 253. obſidetur per trien. nium. 57.
Tilo Præſul Mersburgius. 794.
Titemallio prælio Carolus M. ipſe intereſt. 433.
Tobias Ant. Roffenſis, quando vixit. 14.
Toggenburgum, arx 412. eius præfectus Volchardus capite plectitur. 412.
Torgani ſeſe libenter dedunt M. Miſniæ Friderico. 620.
Toſſilia vrbs capitur. 497.
Toxis, Vngariæ R. ambit nuptias ſororis Imperatoris 315. Baptizatur & vocatur Stephanus deinceps. 215.
Transuelda, opp. Brunſuicenſis, diripitur & crematur. 659.
Traſamius tractus in Bauaria orientali. 226.
Traualium, caſtellum. 163.
Trebeniſus, collis. 118.
Treboci, nunc Buchonij ſeu Eiſfelden-ſes. 745.
Trebinum, caſtellum Vilhelmus Cocles ad ſe transfert. 671.
Tremonia. 833.145.
Tremoniana Synodus. 261.
Treneuicius, fl. prope Gerneſteram. 653.
Treuetis, vrbs. 268.
Tribularia factio reprimitur. 688.
Triga Stiriæ à Mathia Rege obſeſſa. 812.
Trimunga. 133.
Triptis, arx deditur à præfectis Rutheni. 675.
Troia deſtructa. 384.
Tſchilda, opp. à Diterico, M. Luſatiæ, extructum. 544.
Tſeopa, fl. 689.
Tuderitadij Vilhelmo ſubijciuntur. 738
Tugumirus, princeps Hauellorum. 138.
Tuila, arx in Hegouia occupatur ab Vlrico. 414.
Tuitium, opp. Coloniæ contiguum. 429.
Tumultus in ponte Tiberino Romæ à Germanis excitatus reſtinguitur noctis beneficio. 283
Tumultus varij in Saxonia & vicinis regionibus. 299.300.
Tundorfium, Suarceburgio ereptum ab Erfurdianis reſtauratur. 650.
Turbæ in Germania. 206. Item in Italia & Lotharingia. 206. Item eædem excitantur à Bauarica nobilitate. 242.
Turcicum bellum. 873
Turingus quidam prodit ſecreta. 55
Turingorum clades 55. eorundem fœdus cum Ant. Magdeburgico. 756.
Turingi olim Atilæ Gotho pugnauerunt. 570
Turingiæ diuiſio 570. quomodo libertatem receperit. ibid 571. præfectura eius traditur Ludouico f. Vilhelmi D. Aurelianenſium. 572.
Turingiam obtinent Marchiones Miſniæ 573. eandem Molhuſij & Northuſiani infeſtant 631. fames. 635.
Turſum opp. Galliæ. 505
Tybilenum, idolum. 65
Tyrannis inaudita. 699
Tyria, f. Canuti, vx. Golduini, C. Cantiani. 44.
Tyrij nolunt ſe ſubijcere Guidoni Hieroſolymitano 451. ſpem ſuam in Conrado collocant. 454.

V.

Vaharna, fl. 412.

Vah.

Valbertus, f. Vigberti, vx. Reinhildis C. Merſburgij f. auctor duarum ſtirpium illuſtrium, Montferratenſis & Sabaudienſis. 441.
Valdemarus, M. Brandeburgicus obit ſine hærede. 681.
Valentinus, C. & Pauſij Dominus. 486.
Valentinianus I. Imp. quo tempore vixit. 4.
Valentinianus II. Imp. quando vixit. 6.
Valentia, in agro Hannonico ſita, Imp. reſtituitur. 265
Valeſia ditio à Petro Sabaudo vexatur. 474
Vallerſlebia non procul à Bremâ. 439.
Vallis Brigenſis à Petro Sabaudo occupatur. 474.
Valliſleba, vrbs incenſa. 115.
Valramus f. Vuitichindi 442. Albigaunenſis princeps & M. Montferratenſis. 444. in aulâ vixit Oth. I. Imp. ibid. deamatur ab eius filiâ Adelheide: ibid. rapit eam. 445. reconciliatur Imp. 445. Montem ferratum accipit. 445.
Valramus II. Valrami Montferratenſis f. C. Bonzoni. 445.
Valtiſlebia, opp. à Slauis incenſum. 55.
Vandalica expeditio Chriſtianorum. 541.
Vandalicum bellum Saxonum. 100.
Varna, vrbs munitiſsima in Bulgariâ obſidetur ab Immedo IX. Sabaudo. 490.
Vda, f. Othonis, D. Bauariæ, & Sax. vx. Thimonis; C. Vuetini & primi M. Miſniæ. 339.
Vda, Oth. D. Bauariæ exulis & C. Northemij f. vx. Thimonis M. Lansbergi. 535.
Vdo, Marchio occumbit in acie. 293.
Vdo, D. Francorum, ſequitur Imp. Oth. I. in bello 133
Vdo, Viburgius oppetit in bello contra Saracenos. 193.
Vdo, M. Stadenſis, in Imp. Henricum. IV. conſpirat. 346. capitur in bello. 350.
Vdo, Ant. Hildeshemius, conſtituitur cum reliquis arbiter inter Imp. & Saxon. 361. 371.
Vdo, f. Roberti, Vicerex Regni Gallici. 512.
Vechmaria, pag. Vicethumiorum crematur. 763
Vecta, Inſula vnde dicta. 8. 11. 36.
Vecta, R. Sax. 11.
Vectigal in Turingiâ de Iſatide quando cepit. 728.
Veleborum ſeu Vuilzorum bellum in Slauoniâ. 436.
Venæ metallicæ in montibus Sudetis. 830.
Venantius Fortunatus, Pictanorum præſul ſcriptor. 55. 58.
Venceſlaus, D. Boemiæ, à fratre interfectus in templo. 128.
Venceſlào filio Othagari, vel Premiſlai Boemi, deſpondetur f. Imp. Philippi, Cunegundis. 565.
Venceſlaus, f. Caroli, R. Boemiæ vendit ditionem Brandeburgicam M. Morauis. 681. fratribus Brandeburgij ſuo exercitu opem fert. 578. eius contentio cum Iodoco principe Morauiæ. 673. exauctoratur publicâ ſententiâ. 688.
Venetum bellum. 201.
Venuſia, Italis ab Imp. Oth. III. reddita. 226.
Venus Syriaca, Aſtartes dicta. 25.
Verbanum, vel lacus Comenſis. 163.
Vercellæ, opp in Liguria 285. capitur ab Immedo IX. Sabaudo. 493.
Verdæ epiſcopali Miſnenſi oppido præſidium à Friderico M. Oſterlandiæ & Lansbergi imponitur. 587
Verdæ epiſcopalis direptio. 844.
Vernerus, Ab. Fuldanus, oppetit in bello contra Saracenos. 193.
Vernerus, præſul Argentinenſis, Baſilicam D. virginis e lignea facit lapideam 285.
Vernerus Schierenſis, interfecto fratre Arnolpho, ad Vngaros fugit. 330.
Vginum arx à Bonifacio I. Ant. Cantuarienſi extruitur in Sabaudiâ. 476.
Vigandus Berenſteinus cadit in acie ad Auſtiam. 701.
Viadrus, amnis. 557.
Vicethumi legatos Ducis Burgundiæ violant. 768. eis bellum infert Guilielmus D. Sax. 768.
Vigbertus, f. Vuitichindi, è Geua Danica, D. Angrinariorum, vx: Sindacilla, Rabadonis R. Phryſiorum, f. 440 regnauit tranquille. 441. templum Vildershuſium, in diœceſi Bremenſi, incipit. 441.
Vigmarus I. præpoſitus Halberſtadius. 2. ſuccedit Geroni præſuli Citienſi 3. fit Ant. Magdeburgius. 535.
Vilhelmus, Vinarienſis C. 286
Vilhelmi Bernſteinij mors in acie. 805.
Vilhelmi Hennebergij iter in Palæſtinam. 806.
Vilhelmus, C. Pictauienſis. 298. Imperatorem impugnat 299.
Vilhelmus I dictus conquæſtor, R. Angliæ è Normanis. 45. eius obitus: ibid.

Vilhelmus II. R. Angliæ è Normanis. 45.
Vilhelmus, C. Hollandiæ, à Phryſijs interficitur. 48. 127
Vilhelmus Tyri Ant. Scriptor. 446.
Vilhelmus Iohan. I. f. bello Neapolitano occiditur. 459.
Vilhelmus II. Ioh. Iacobi f. vxr. I. Magdalena D. Sabaudiæ f. II. Franciſci Sfortiæ D. Medіolanenſis f. 461. inuat Venetos contra Mediolanenſes: ibid. à Sfortianis capitur. 462.
Vilhelmus III. Bonifacij II. filius, vxr. I. Maria, Caroli Sulienſis C. in Hiſpaniâ f. II. Anna, Comitis Lanzoni in Galliâ ſoror. 463. pugnat Ludouico XII. R. Gallorum contra Iulium II. Pont. & contra Venetos. 464.
Vilhelmus II. Bonifacij, C. Sauonæ. f. 446
Vilhelmus III. Vilhelmi II. f. Longoſpata, militat Balduino IV. R. Ieroſolymitano contra Saracenos & Aegyptios 446. vx. Sibylla, Balduini IV. R. Ieroſolymitani filia: ibid. Ioppen & Aſcalonem accipit. 447. obit Aſcalone. 447.
Vilhelmus V. Bonifacij II. f. regnum Theſſaliæ retinet, veneno tollitur. 456
Vilhelmus, C. Camburgi, Geronis f. aſſertor Saxo. fortiſsimus 530. virtus eius in vexandis præfectis Imp. 531. eius filij cum equitatu Boemo hoſti fortiter obuiam eunt. 533.
Vilhelmus, Geronis f. C. Brenæ, negligitur. 353. eius induſtria in vindicandâ patriæ libertate. 354.
Vilhelmus, C. Turingiæ 368. à Lutitijs interfectus: ibid.
Vilhelmus, Ant. f. Oth. I. Succeſſor Friderici Moguntini. 381. propter leuitatem perfidus dictus 381. omnibus ignoſcit rebellibus 381. conſequitur vt immunitates veteres collegijs à parente Imp. confirmarentur. 382. Burchardi Ducis Turingorum ab Vngaris cæſi, tres præfecturas Moguntinæ diœceſi ſubijcit 382. Synodis duabus in Italia cum patre intereſt: ibid. ſepultus Moguntiæ in Albani Baſilicâ. ibid.
Vilhelmus Aleblumus Erfurdianus capitur. 723. eius facinus audax. 724.
Vilhelmus I. Thomæ II. f. præſul Valentius in legatione ad Innocentium IV. Aſsiſij in Vmbriâ moritur. 477
Vilhelmus, D. Aurelianenſium & Normanorum. 575
Vilhelmus I. Iunior Landgr. Heſſiæ, eius ſedes Marburgi. 574.
Vilhelmus II. Medius Landgr. Heſſiæ, eius ſedes Caſtellæ. 574.
Vilhelmus III. Landgr. Heſſiæ. 574.
Vilhelmus Cocles, f. Friderici Grauis, L. Turingiæ. 671. vx Ludomilla vel Eliſabetha, Iodoci D. Morauiæ f. 671. pugnat in Algauiâ contra factionem Lambardicam: ibid. Caroli IV. Imp caſtra ſequitur: ibid. præeſt equitatui in bello contra liberas ciuitates 673. intereſt obſidioni Poppenhuſiæ arcis: ibid. adiuuat C. Heldrungium contra Erfurdianos. 673. emit quædam oppida: ibid. moritur: ibid.
Vilhelmus, M. Miſniæ, f. Friderici Strenui. 681. expeditionibus in Herçinios & Boemos intereſt cum fratre: ibid. emit ditionem Brandeburgicam: ibid. concedit eandem Burggr. Norimburgico 682. eius fœdus cum L. Haſſiæ: ibid. dirimit controuerſiam inter Leiſnicenſem & Abb. Chemnicenſem: ibid. moritur: ibid.
Vilhelmus Brunſuicenſis, ſequitur partes Imper. Sigismundi in bello Boemico contra Huſſitas: 690 intereſt ſecundis nuptijs Vilhelmi D. Sax. 732.
Vilhelmus, f. Friderici Electoris 705. vx. eius Anna, Alberti D. Auſtriæ & Imp. R. f. ibid. & 706. fit Landgr. Turingiæ: ibid. ſuſcipit defenſionem Imp. & præſulis Vurciburgici. 706. Lucelburgia prouincia ei oppigneratur: ibid. eius dimidium cum fratre in diuiſione paternarum ditionum 707. celebrat nuptias Ienæ. 708. eius nuptiæ perturbantur. 709. eius bella cum fratre 711. 716. eius impetus in Gerenſem C. 718. init gratiam cum fratre. 720. inuitatur à fratre Lipſiam: ibid in Boemiam proficiſcitur. 721. inde Viennam ſe confert: ibid. mittit legatum ad Apollonium Vicethumum de reddendo Coburgo. 721. eius bellum cum Vicethumis 723. 725. 768. condit duo cœnobia. 726. eius iter Pragenſe. 769. periculum in Boemiâ. 727. Pragâ diſcedit. 728. repudiat regnum Boemiæ: ibid. viſitat thermas Badenſes 279. deſtruit duo receptacula latronum: ibid. filiam ſuam collocat Henrico filio R. Boemiæ. 728. 730. eſt à partibus Brandeburgici: ibid. arbiter datur inter Bauarum & Brandeburgium. 731.

731. eius iter religioſum: ibid. eius pericula in mari: ibid. eius ſecundæ nuptiæ. 732. componit multorum nobilium res diuerſas. 733. ſuppetias mittit Heſſo: ibid. eius expeditio in Saxoniam 738. eiusdem in Franciam: ibid. reprimit latrocinia in Turingiâ. 735. Principes agnatos ad mutuam concordiam adhortatur. 781. laus eius ſumma. 756. eius mors: 756. 798. 808.
Vilhelmus Præſul Argentoratenſis inauguratur. 797.
Vilhelmi Haubitij exilium. 873
Vilibrandus, Ant. Magdeburgicus, ſecutus partes Henrici L. Turingiæ, vulneratur. 578.
Villa, f. Geronis, C. Brenæ & Camburgi, Abb. Gerbſtetenſis. 529.
Villa, è C. Northringorum familia, vx. Ditmari Zorbecæ Burggr. 513
Villera, riuus. 517.
Vilmarcatum caſtellum. 493.
Vilradus, Bremenſis præſul præficitur Saxo. 428.
Viluordia à Bruxellanis diripitur & crematur. 818
Vinaria, opp. eripitur Vinarienſi. 631
Vinarienſis C. Oſterlandiam inuadit. 631
Vinarienſis ager vaſtatur ab Alberto I. Turingiæ. 604. Idem vaſtatur ab Elect. exercitu. 764.
Violantilla, f. Palæologi Conſtantinopolitani Imp. vx. Ammedi VIII. Sabaudi. 487.
Vipertus, C. Groicius in Oſterlandiâ. 366. eius fortitudo & animoſitas 370. 371. deprædatur prouinciam Miſniæ ad Mildam. 370. recuperat Groiciam 370. vindicta eius ab hoſtibus 371. confligit cum Ecberto propè Teuchetam opp. 371. victor euadit: ibid. vaſtat agrum Belgranum. 550
Vippera. arx & opp. in Hercinijs propè Rammelburgum. 529.
Viſio. 111. 235. 236.
Viſtula fl. 79.
Viſurgis, fl. 8. 55. 56. 427. 432. 713.
Vitalis, patriarcha Gradenſis. 201.
Vitoldus Lituanus, poſcitur R. Boemiæ à factioſis Pragenſibus. 690
Vitus Schonburgius diſceptat cum Leiſnicenſi C. 672.
Vlma Sueuica. 90.
Vricus, D. Boemus, capit Meſiconem Polonum. 287. eius literæ ad Imp. poſcentem ab ipſo Meſiconem. 287. rurſus concitat Luticios contra Imp. 371
Vlrici, Epiſcopi Auguſtani, viſio de Henrico Imp. III. ab eodem Epiſcopo ſumit corpus Domini Oth. I. Magnus initurus prælium cum Vngaris omnium acerrimum 154.
Vlricus, D. Boemiæ, frater Boliſlai aſſerit à populatione patriam. 277. eius crudelitas. 278.
Vlricus, præſul Curienſis. 244.
Vlricus, Cunonis III. filius, M. Carinthiæ orientalis, vx. Ioiada, Belæ R. Vngarorum filia. 409. contendit cum Alberto C. Marcetalio. 410.
Vlricus patriarcha, Cunonis IV. f. Ab. Reichenauiæ. 410. eius bellum cum Bertholdo D. Zaringiæ 411. eiuſdem calamitas: ibid eius bella cum Echardo Ab. Reichenauiæ. 412. in eundem conſpiratio Echardi & Marchionis Zaringiæ 413. eius bellum cum Zaringio & Baſilienſibus. 414.
Vlricus, Henrici Burggr. Vitini & Zorbecæ f. vx. Heduigis, Bernardi D. Saxon. I. Electoris, f. 551. eius liberi: ibid. eius bellum cum Henrico C Anhaltino: ibid. dyſenteria obijt Vitini: ibid. vbi tumulatus. ibid.
Vlricus, Halberſtadius, defenditur ab Othone M. Miſniæ contra eius aduerſarios. 557
Vlricus Vuartbergerus, exercitum Bauaricum reducit à fugâ, & aciem inſtaurat in bello Boemico contra Huſſitas. 749
Vlricus Dux VVirtembergius exul reſtituitur. 875
Vmbria regio. 377. ſubigitur à Ludolpho Oth. I. filio. 377.
Vngaricum primum bellum. 112. alterum. 116.
Vngari Bauaro ſe coniungunt. 148. 380 in Franciam irrumpunt. 380. in Belgium & Aquitaniam impetum faciunt. 148. ab Alberto D. Saxon. fugantur. 813. eorundem irruptio in Italiam. 149. 380. eorundem in Vueſtualiâ & Turingiâ clades. 117. 118. eorundem bellum contra Oth. I. 129.
Vnſtruta, fl. Turingiæ. 54. 84. 646.
Vnuanus, Ant. Bremenſis, Slauos iuuat. 314. cum Bernhardo veniam impetrat ab Imp. 314.

Vnuanus, præſul Hamburgius, intereſt conuentui Fraſæ. 387.
Vodberga ab Erneſto Electore capta. 778.
Vodlandia vnde dicta. 778.
Volaterranus portus à Maximiliano I. Imp. captus. 835.
Volchenroda expugnatur à Sax. 346. reſtituitur Friderico Sax. Palatino: ibid.
Volchuldus, præſul Miſnenſis in exilium pellitur. 212. reſtituitur & Pragam vocatur 213.
Volcmari præſulis Brandeburgici fuga. 198.
Volcmarus Comes cadit in bello contra Imp. Henricum IV. 350.
Volcmarus Conſiliarius prudens Brunonis Ant. 323.
Volmerſtadium, opp. ad Albim infra Magdeburgum. 518. crematur. 578.
Volradus, C. Manſueldius, addictior partibus Electoris, quàm Vilhelmi D. Saxon. 758.
Vona, amnis prope Lansbergum. 553.
Vormacienſis conuentus. 425. alter. 425. 428
Vormeſteta, pag. incenditur ab Erneſto C. Glichenſi. 710.
Voreſtus Bergomas, ſcriptor. 48.
Vpla, arx obſidetur 301.
Vratiſlaus Boemiæ & Poloniæ R. declaratur Pragæ 372. eiusdem expeditio in Miſniam 372.
Vratiſlauienſes ſe opponunt Procopio Boemo. 746. cladem accipiunt à Georgio Rege Bohemiæ. 780.
Vrbanus Pontifex. 670.
Vualdemarus & Canutus vi eijciunt Suenonem è Selandiâ. 541.
Vualdemarus Brandeburgicus Miſniam bello petit 631. Fridericus M. ei acriter reſiſtit. ibid.
Vualdebachium, opp. cogitur ſe redimere pecuniâ ab iniuriâ Boemorum 749.
Vualdo, præſul Comenſis, itidem exul propter factionem Beringarij 161.
Vuallenhuſia. 178.
Vualli quales populi. 7.
Vuallo Ab. Corbeienſis accuſatur. 289.
Vualtherus, præſul Spirenſis. 283.
Vualtherus, C. Hoienſis oppetit in bello, ei ſtatua erecta 121.
Vualthardus electus præſul Moguntinus & Mersburgius, antequam adiret illam dignitatem obit. 248.
Vuangenhemij, nobiles Turingiæ, 643
Vuangenhemium, opp. obſidetur à Balduino, Ant. Moguntino factioſo. 645.
Vuangehemiorum & Bemelbergiorum nobilium inter ſe iniuriæ 727.
Vuaramundam, caſtellum Vilhelmus Cocles ad ſe transfert. 671.
Vuartburgum, arx munitiſsima imminens Iſenaco Miſnenſes tenent. 580. obſidetur à legato Imp. 624. eiusdem obſidio ſoluitur. 626. ibidem conuentus agitur. 627
Vuaſſenburgum, arx 649. venditur L. Turingiæ 680. obſidetur ab Erfurdianis. 724.
VueceloStorius, cæditur in prælio. 648.
Vuegelsdora, vrbs Daniæ. 187.
Vueiſſenburgum poſtea dicta Scheplicia. 84.
Vueiſenuelſa 118. obſidetur ab Alberto M. Miſniæ 559 eius ager vaſtatur. 759.
Vueiſſenſeha vnde dicta 591. obſidetur in bello Boemico 564. oppigneratur Henrico L. Haſſiæ. 591.
Vueiſſenſehenſes ſe redimunt. 591
Vuelfo, Azonis Itali M. Eſtenſis f. accipit D. Bauaricum 345. eius legio in bello diſſipatur. 349. negat amplius ferre auxilium Imp. 352. idem proſcribitur. 372.
Vuerda, opp. a Brandeburgo captum 731.
Vuernechinus Princeps Iburgius. 80. & R. Sax. ibid
Vuernerus, Ant. Mersburgius, in Imp. Henr. IV. conſpirat 346. fit ſupplex 353. dimittitur è cuſtodia. 355.
Vuernerus Schierenſis 155.
Vuerra, vide Virra. 581.
Vuertradus ſupplicio afficitur. 103.
Vueſtuali quare ſic dicti 56. 60. ſtellatæ factioni addicti ſequuntur partes Othonis Brunſuicenſis. 657.
Vuetherani accolæ Rheni ſtellatæ factioni addicti ſequuntur partes Othonis Brunſuicenſis. 657.
Vuezelo, Moguntinus Ant. intereſt tractationi de pace 352. conſtituitur arbiter inter Imp. & Sax. 361.
Vuicenhuſia & Vuenfrida arces ad Viſurgim traduntur Henrico M. Miſniæ & L. Turingiæ, pro Alberto Brunſuicenſi redimendo 584.
Vuicelebia familia, nobilium Turingiæ. 644.
Vuiclinum, pagus ad Eliſtrum in agro Beſenſtadiano. 583.
Vuicelebia euertitur. 646.
Vuicherſtetæ caſtra locat Fridericus Elector.

INDEX.

...tor. 753

Vuideradus, Ab. Fuldanus, contendit de ſeſſione in templo Goſlariano cum Henrico præſule Hildesheimio. 337

Vuiſtingi, qui dicti & vnde. 25.

Vuiga, villa. 94

Vuigbertus, præſul Querfurdianus. 282

Vigmanus Stubesgehormus & Luneburgius 129. in Imp. conſpirat. 151. elabitur è carcere 156. proſcribitur 160. veniam impetrat ab Othone I. 160. Dinos contra Othonem concitat 165. inſidiatur Geroni M. Luſatiæ. 165

Vuigmanus præſul Merburgius moritur. 868

Vuigmanus, præſul Numburginus, vna proficiſcitur in expeditionem Vandalicam. 331

Vuigmanus, Ant. Magdeburgius. 541. Idem obſidet Haldiſlebiam. 557

Vuiganſteinum, caſtellum vi expugnatur à Sax. 346.

Vuiha, opp. C. Vinarienſis in Goldecunga ſitum incenditur. 647. 652. 64. 63. occupatur à Bichlingenſe. 759. venditur Henrico C. Suarceburgio. ibid recipitur ab Electoris exercitu. 764

Vuildeca, arx conceditur à L. Turingiæ Alberto f. eius Apitio. 574

Vuildershula, in diœceſi Bremenſi. 225

Vuilla, vx. Beringarij capta dimittitur. 163.

Vuillansdorfium crematur. 717

Vuillerbeca. 178

Vuilligiſus, præſul Moguntinus. 188 committitur ei Otho III. educandus. 211

Vuillungus, Obetricarum R. interficitur. 437

Vuimadum, in Tranſalbina Sax. 439

Vuincelinus, præſul Argentinenſis. 213

Vuindburgum, Suarceburgiorum traditur Friderico Strenuo L. Turingiæ. 675

Vuindelſtena, arx à C. Vinarienſibus extructa. 644

Vuinthuſa ab Henrico Aucupe extructa. 124. Brunſuicenſi eripitur. 678

Vuippicha, opp. eripitur C. Vinarienſi. 631. 636.

Vuira: vel Vuerra fl. Turingiæ. 224. 581. 61.

Vuiſmaria, vrbs Saxon. maritima. 187

Vuitechindus Corbeienſis, ſcriptor. 97

Vuitechindus Magnus, Vuernechini R. filius D. Saxon. & Angriuariorum VXX. 1. Geua, ſoror R. Daniæ Sitardi ſeu Sigefridi: Altera Suatana, D. Boemiæ 1. 425. eius bella cum Carolo I. R. Francorum, 426. in Hudbeccium præſidium irruit. 427. motus nouus excitat. ibid. in Daniam fugit. 428. Saxones ad defectionem ſollicitat. 429. ſpargit rumores de Carolo interfecto. ibid. eius incurſio in Saxon. & Vueſtualiam. ibid. eius rebellio contra Carolum 430. fugit iterum in loca maritima ad Sinum Balthicum. 430. in arcem ſuam ad Viſurgim confugere cogitur. 431. inde elabitur e manibus hoſtium. 432. Phryſios in belli ſocietatem euocat. 432. eius aſtutia. 433. Vuolmerſtetam habitu ſerui venit & explorat Imp conſilia: ibid. adit. R. Carolum & colloquitur familiariter cum Francis. 434 baptizatur. 435. ei Carolus fide mouendo aſtat. 435. Geuæ, vxori eius, Reginæ Faſtrada. ibid eripitur ei arx dimidia ad Viſurgim. ibid. manet Angriuariorum Dux: ibid. manſit deinde perpetuo fidelis R. Car. 438. 439. auctor templi Angriuariorum. 439. Bellum eius cum Sueuis. ibid. oppetit in bello Sueuico. 439. conditur in ſuo templo. ibid. Cineres eius Henricus I. Imp. Padebornæ reponi curat. 440. inſignia Vuitichindi. ibid.

Vuitichindus; R. Vuitichindi M. filius: vx. Iulanda, C. Rolichij f. 511. eius baptiſmus. ibid. Soraborum Landuoctus: Zorbecæ Burgg. & Buldleciæ dominus. 41...

Vuitechindus II. Vuitechindi Buldecij, alter f. 511. in Galliam abit exulatum: à Rege C. Andegauenus declaratur. 512. eius liberi & progenies: ibid.

Vuitfridus, filius Eduini. 17.

Vuiti quales populi 8. quando è patria migrauerint: ibid. quomodo deinde dicti: ibid. qui eorum Reges fuerint. 27.

Vuitigo, præſul Miſnenſis. 585

Witta, R. Saxon. quorum filiorum parens. 18.

Vvolfgangus Erneſti Elect. Saxoniæ F. 737.

Vvolffgangi Bauariæ Ducis expeditio contra Bregenſes & Gandauenſes. 815

Vvorda obſeſſa ab Alberto D. Saxon. ei deditur. 873

Vulſe-

Vulferus,f.Pendæ R.Merciorum, 30. à populo R.eligitur 41.terminos regni amplificat.41. eiusdem obitus. 42.
Vulcaha fl.Bohemiæ. 372.
Vunfridus Anglus,Ant.Moguntinus. 41
Volferamsdorfum, caſtellum Vilhelmus Cocles ad ſe transfert. 671.
Vuormacienſia comitia. 170.
Vuormus,f.Haraldi R. Daniæ. 23.121.
Vuortigrinus,C. Geuiſorum, R. Britanorum creatur. 6.
Vurciburgum quando conditum. 309.

Z.

Zablenſis ditio à Petro Sabaudo ſubigitur.474
Zanthus. 134.
Zeca pag. 267.
Zigenrucka, arx Rutheni obſidetur. 675.
crematur. 781.
Zigenhanius Comitatus ad Heſſiæ L. Adiungitur. 75
Zillena, monaſterium conditur à Dedone Craſſo Rochlicio. 546.
Zimiſces Sicarius. 174.
Zimmera adimitur Vinarienſi & traditur Erfurdianis. 649.
Zittara,fl.Heluetiæ. 410.
Zlauata,C,Boemicus,interficitur. 574.
Zuenca propè Eliſtrum. 659.
Zuiccam, vrbem Imperij, accipit Fridericus M. Miſniæ pro recompenſatione damnorum ſibi illatorum. 628. huius [illegible] conditor Lotharius Imp.Sax. 675.
Zuichelmus, R Sax. orientalium & occidentalium. 17.26.35. regnum Northumbricum ad ſe transferre conatur. 26.
Zurgouia. 411.

ERRATA

IN SEPTEM PRIORES LIBROS HISTORICOS, vbi prior numerus paginam, alter verò lineam denotat.

LIBER I. P.75.l. antepenult. ALBRO dicitur, qui & ALBIO vocatur ab hiſtoricis, p.83 l.35. Poletia dicitur, quã alij Podelitiam vocant.84.37.lege IV.Non.Febr.eãdem pag.l.40.lege FRIDERICUM I.F. non III. poſthumi.n. pater III.huius nomine eſt.87.25.lege pro VI. KII. Id Auguſti.

Liber II.*103.l.vlt. lege LUDOVICI V. non IV. 104.23. patrui Mathildis, non fratres ibid.33.LUDOVICO IV.non VIII MATHILDIS verò etiam MECHTILDIS ab hiſtoricis indifferenter appellatur.106. l.vlt.pro nec lege ſed 124.31 trigeſimo ſexto,non quarto.129.31. lege Bergenſe non Berbenſe.137.31. pro patris lege fratris item,167.33 Bergenſem lege ludum.ſic & 172.20. ab.Berg.173.10.filius Imp.lege non frater.183.10. filius Imp.lege quinto 185.24 pro ſeptimo l. vndecimo.190.22. pro nepote l fratre. 202.37. pro trigeſimo l.vigeſimo 206 32 pro Lothario V.lege Loth.III. eãdem pag.l.36 omninò non deleatur.227.23.lege nongenteſimum nonageſimum octauum.2,0.30.aſſerebat lege. 241.34 pro vocabulo gener.l.affinis. 247 31. vxor l.non mater 249.15. Sala l.non Muldæ.eãdem p.l.27.Hildeuardus aliàs Heluardus 281.12.in marg. numerus 1012. omninò deleatur.282.2.numerus marg.corrigendus per 1014 eãdem l.11 lege VII.Cal.Maij 29.32.Meinuardus aliàs Meingardus.303.31 numerus marg.1019.deleatur eſt.n.ſuperuacaneus.313. 2.affinem non fratrem. 317.l.antepenult.l.Cophungum aliàs Capunga.*

Liber III.*3:5.9. pro amicie l.ſororis. item pro Galliæ l.Galliam, & mox alterâ lineâ ſequenti l.Galliæ Regem.345.28.lege Rex in vinculis,350.13.ſeptuageſimo lege non ſexageſ.corrige item numerum marg.357.2. Henricum non Oth.369.8.pro anno 45.lege ſexageſimo octauo corrige item num. marg. eãdem pag.35.Othone Marchione Turing.377. l.11. omiſſus Ludolphus filius eius primus. 383.26.corrige numerum anni per 974.in textu & marg.384.27.ſexto l.non quinto corrige etiam numerum marg.*

Liber IV.*4 4 in tabulâ. altera Diterici vxor omiſſa.videlicet Rheinhildis,è qua Mathildis.426.19.corrige anni num.in marg.per 774 inferiorem verò omninò dele.429.7.etiam l.non totam.441.38.à patre non fratre. 443.in tabuâ.pro Ludouico l. Aloyſius.item lineâ ab hac.4.Vuilhelmo falſò tribuitur vxor Iuitha, quæ Reinhero l.adſcribenda Vuilhelmi III.vxor Conradi III.non II.ſoror fuit. Itẽ Bonifacij II. vxor altera omiſſa, quæ fuit Margaritha Belæ III R. Vngariæ.f.ſterilis.eãdem tab.Conradi vxor fuit Amalrici R.Ieroſolymitani f.446.18. Conradi III.non II.mox lin.ab hac quartâ lege cuius ſororius fuit.447.11.pro auo l. auunculo.mox lineâ ab hac 2.ſororij l.non generi eãdẽ p.l.25 rurſum auunculus l.non auus,item vlt.linea poſt auunculum non auum,451. 6.III. Non.l.non VI.Non.454.23.pro Roman.lege Græcorum.457.10.pro octauo l.decimo, & ab hac linea. 4. Adolphi non Rodolphi mox altera ſequenti pro nouem l.viginti duos.mox verò ab hac.3.pro ſeptẽ l. duos 458. in tabul pro Bani l. Barri mox 3.ab hac. Curienſis non conſtans. 465.1. in ſexto l.pro decimo.467.penult l.pro*

ſoror

*ſoror l.filia.476.36.pneptim l.non filiam,item mox ab hāc 2.affinis non avunculus. 477.3. corrige num. marg. per 1160.item mox ab hāc 12.l.Immedum VII.& Ludovicum IV. 478.5. non generi,item mox ab hac 5.Thoma IV. 479.lege Ludovicum V.non VI.482.34.& 35.l.*LUDOVICUS *VI.non III.483.lege Ludovicus V.non IV. 488.antepenult. Bonna Petri.l.495.l.22 lege Bonnā Iohannis D.Borboniæ & Biturigum ſ.497.24.lege Philippi D.Burgundiæ filiam,e quā* LUDOVICUM *VII.non V. 501.corrige num.pag.& 11.& 12.ſcribe* LUDOVICUS *VII. & mox ab hac 8.lege* PHILIPPUM *IV.non III.502.24 pro ſororis pone filii vel generū ſuum,mox linea ab hac 13.lege Ludovici VII.non V. 506.10.& 11.ſcribe* PHILIPPUS *IV.non III.507.11.l.* PHILIPPI *IV.non III.*

Liber V.*in tabulā l.14.vxor Gertrudis ſub Conrado non ſub Henrico collocanda 511.antepenult.Vuitechindus II I.lege non II. 512. 22.lege vicerex 518.23.Berizonem leg.522.25.pro Vuoteslao l. Vratilao. 530.15.pro Fladhemy lege Flaudchemij,& rurſus lin.ab hac 2 pro VI.Id.Feb lege V.Cal.Febr.536.29.lege anno ſupra M C. XXXVI.corrige item num.marg.per 1136.item lineā ab hac 4.lege* DEDO *IV.non VI.539.8.lege* CONRADUS *III.non II.corrige item num.anni tàm in textu,quam in marg.per 1138.545.19.pro frater lege Pater. 546. 8. corrige anni numerum textualem & marg per 1174.)547.28.lege* HENRICUS *V.quartus eidem fil.549. 27.lege* HENRICUS *IV.* CONRADI *III.cognomento Magni M. Miſnenſis primi,quintus fil.550. 30.& 31.lege* HENRICUS *VI. 552 32 corrigatur anni numerus per 1181.& mox 2.l.ab hac in templo Brenenſe,& mox.3. ab hac lege virgines conſenuerat.553.21 lege Friderici I.non II.554.13.lege Ditericus II Diterici I. fil. item mox 3.ab hac lineā.lege* ALBERTUS *Diterici II.alter.555.2.pro Eliſabeth l.* HEDUIGIS *eorum triavia, atauia & abauia 559.2 pro fratre lege filio,eadem pag.35.lege anno ſupra milleſimum centeſimum nonageſimo quarto.corrige item numer.marg 564.15.lege vt in I.libr. Animalium non II.*

Liber VI *569.in tabulā.13 Alheidin non Agnetem.eadem.26. Balthaſaris vxor.1.*ANNA *2.*MARGARITHA *Norica 571.23. lege Tulpiano non Tulliano 573. 20.& 21 lege Ludouici nepos non gener.item Hermanni pronepos non progener.item lineā ab hāc II. VII non VI.libro.584. 2.lege V.non VI.Calend. 588.antepenult.lineā corrige num marg.590 2.pro trium lege quinq, annorū l Natus n.perhibetur anno M. CCLXIV. 591.35.& 38 corrige anni numerum per M. CCLXXIII.& M. CCLXXIV.596.30 lege filius non frater. 597. 1.lege filium non fratrem,& in alterā lineā pro filios ſuppone reliquos,& eādem p. vlt.l. lege 53. non 80. 607.29 corrige vltimum anni numerum per VIII 609.8.corrige anni numerum per M. CCLX IV.eadem pag. lineā ab hac 3.dele omninò XVIII.vt tantum remaneat M CCC. rurſus lineā ab hac 7. pro triennii l.quinquenni.615.15.ſtratagemate lege.620.lege anno M CCCVIII.621.17.lege nono pro ſeptimo 622.28. lege ad nihilum.639 19. ætatis 61.non 55.648.25.pro fidicen lege tibicen.656. 16.quartus lege non tertius. rurſus lineā ab hac 6.lege Annam non Agnetem.663 31.lege ſororem non filiam. 666.17. lege quintus non quartus 670.penult.l leg.ſextus non quintus.672.26.lege Rabeſteinum.674.1.lege tertius non ſecundus fil. 681.9.lege 49.*

Liber VII.*683.in tabulā l penult.Eliſabetha non Agnes.686.14.in numero anni quartū C. omiſſum eſt, nam eſt annus M CCCCI.687.vlt. lege quinquennio non biennio.705. 6. ætatis 41. 709. 15. eſt vocabulum expungendum 728.24 lege noſtros Annales à Monachis perſcriptos 729.vlt.l lege ageret.730.20. corrige anni numerum in textu ſecundum marginalem, & lineā ab hāc 12.lege poſſint. 732. 4. lege Erneſto filio Electoris. eādem pag.penult.lege ſexti non quinti.734.10 lege ſororem non filiam.739.33.Teplicenſi maiuſculā literā ſcribatur.746.33.& ſequente altera.pone MCCCCXLII.annum.& pro XVII Cal.Febr.repone V.Cal.Ian.754. 14.pone annum M CCCCXL 773.5.pone annum MCCCCLV. 775. 37.pro nuptijs lege ſponſalibus 788. 37. pro qui lege quia:791.11 lege Miſniæ non Lipſiæ.& Electoris vxor non mater,& mox lineā ab hāc 3.lege annos ante & poſt 799.corrige alterum numerum anni marginalem per 1466 808. 26. marginalis numerus prorſus diſpungendus.823.24.lege rapiendo nō minus.845.35.lege fratres patrueles 847.10 pro ſequente repone MDX. & dele eadem in linea ſeptenarium numerum, & prorſus diſpunge marginalē. Item linea mox ſequente lege, anno eodem pro decimo.870.3 marginalis numerus diſpungendus eſt,& aſſcribendus lineæ vbi extat: anno inſequente.877. 16. adde annum M D XXX IX. 878.23 pone annum M.CCCCXCVIII. lineā mox ſequente lege Profecto Barth.mox lineā ab hac 8.lege nono non octauo. & mox ab hac lin. 4. octauo & trigeſimo. 879. 4.lege Eliſabetham non Agnetem.*

Impreſſum Sumptibus

HENNINGI GROSII Bibl. Lipſ.



ANNO

M. D. C. VII.

GEORGII FABRICII CHEMNI-
CENSIS V. CL.
SAXONIÆ ILLVSTRATÆ,
Libri duo poſteriores,

QVIBVS NON MINVS, AC IN SVPERIORI-
RIBVS, FEROCISSIMAE FORTISSIMAEQVE GER-
manorum gentis Origines & incrementa, nec non facinora
laudatiſsima tàm Marte, quàm arte, tàm Sago, quàm togâ,
fortiter viriliterque perpetrata ac geſta:

COGNATIONES ITEM,

Cum vetuſtiſsimis & antiquiſsimis Regijs, alijsq; itidem celſiſsimis illuſtriſsimis, celeberrimisq; Domibus ac Familijs, Anglicâ nimirum, Danicâ, Bauaricâ, Suevica, Brandeburgicâ, Haſsiacâ, Vuirtembergicâ, Megaloburgicâ, Palatinâ, Anhaldinâ, Iuliacenſi, Brunſuicenſi: Luneburgenſi Aſcanienſi, Hennebergenſi, &c. alijsq; complurimis.

Stylo ſanè accurato, & ſumma fide, diligentiaque quantâ
omninò fieri potuit, è relictis, & ſummo ſtudio, ex Archivis Princi-
pum, variſque diplomatis & Chronicis, collectis chartis auctoris,
alijſque ſelectiſsimis Hiſtoricis evolvuntur:

CONTINVAQVE SERIE, VSQVE AD HÆC PRÆSENTIA tempora, currentemq; annum, a nato CHRISTO Servatore CIↃ. IↃ CVI, continuantur.

Auctarij loco adiecti:

M. IACOBO FABRICIO, C. P.
ipſius auctoris filio.



Cum Gratia & Privilegio.

ANNO

OrbIs terrarVM, ab IMMenſo & ter optIMo Deo, neC non CVnCtI-
potente ConDitore, è nIhILo CreatI.

ET

NatI ChrIſtI DoMInI noſtrI.

Impenſis HENNINGI GROSII Bibliopolæ Lipſenſis.

ÆQVO; CANDIDO, BENEVOLOQVE LECTORI

S. D.

ACceſſuri ad enarrationem eorum Electorum Saxoniæ, ſub quorum auſpicio feliciſsimo, religionis veræ lux, tetris Papiſtarum & Sacrificulorum tenebris hactenus per aliquot ſecula grauiter obſcurata, relucеſcere, ſuumq́ue viciſsim his in regionibus omnium primò, poſteà in alijs itidem, longeq́ue diſsitis nationibus incrementum puritatis maximum feliciſsimo curſu cæperit, operæ precium eſſe duximus, στεμματογραφίαν aliquam ſummo ſtudio delineare; tutius iſtius à *SICHARDO*, Rege Saxonum antiquo, progenitæ proſapiæ vetuſtiſsimæ, non tàm Ducum *SAXONIAE*, qui progenitores Impp. Regum, Electorum, Principum, aliarumq́ue ſplendidiſsimarum familiarum, Italiæ, Galliæ, Angliæ, Sueviæ, Bavariæ, Carinthiæ: &c. extiterint celeberrimi & laudatiſsimi: quàm eorum, qui Marchionatum *MISNIAE*, poſt longas tandem fortunæ viciſsitudines, Palatinatum itidem *TVRINGIAE*, non minori difficultate, laudabiliter ſibi acquiſierint; Exinde auitum quoque *DVCVM SAXONIAE* titulum, vnà cum VII*VIRALI* dignitate, ad legitimos

hæredes revocaverint, ut benevolus & æquus lector in conſpectu eam, memoriæ iuuandæ cauſâ, habere poſsit & valeat. Saxones enim viros fuiſſe fortiſsimos, bellicisque ſtudijs deditiſsimos, & teſte Apollinarij, equitatu imprimis claros, ac laudem maximæ fortitudinis eximiam demeritos & conſecutos eſſe conſtat. Tum ijs inter optimos & præſtantiſsimos, propter laborum tolerantiam, & equitandi peritiam, ſecundas, præ reliquis gentibus omnibus, adſcriptas eſſe Victruvius perhibet. Synopſin itaque hanc, Genealogiæ tàm DVCVM Saxoniæ, quam MARCHIONVM Miſniæ, ac LANDGRAVIORVM Turingiæ, nec non ELECTORVM Saxoniæ, quam ſubſequens pagella tibi, optime Lector, quàm planiſsimè exhibebit, ut non ſolùm diligenter, cum reliquis noſtris enarrationibus, legendo percurras, verum etiam æqui bonique, hunc laborem & conatum noſtrum, conſulas, etiam atque etiam rogamus. Pegaviæ Calend. Septemb. Anno M. D C. VI.

M. Iacobus Fabricius. P. G.

SYNO-

Bernhardus.

Frid. Guil. II

Frid.-ſuel

Doro-thea.

Fridericus Guilielmus 3. poſthumus.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS.

SAXONIÆ ILLVSTRATÆ SIVE ORIGINVM.

Liber Octavus.

DE ELECTORIBVS ET DVCIBVS SAXONIAE.

ERNESTVS Elector Saxoniæ:
Vx. ELISABETHA f. ALBERTI III. Bavariæ D.

- *FRIDERICVS III. Elector: Cogn: SAPIENS: Deſignatus R. Romanorum.*
- *Albertus: An: Moguntinus.*
- *Erneſtus, An. Magdeburgius.*
- *VVolffgangus puer obyt.*
- *IOHANNES Elector Vxores duæ.*
  - *I. SOPHIA f. MAGNI D. Megaloburgij.*
    - *IOHANNES FRIDERICVS. I. Elector. Vx. SIBILLA f. IOHANNIS D. Iuliacenſis.*
      - *Ioh. Fridericus II. Vxr. duæ.*
        - *I. AGNES f. PHILIPPI Lanág. Heſſ. Vidua MAVRICII Electoris.*
        - *II. ELISABETHA f. FRIDERICI. III. Elect. Pal. Rheni.*
          - *Ioh. Fridericus IV.*
          - *Fridericus IV.*
          - *Ioh. Caſimirus vx. duæ*
            - *I. ANNA f. Aug. Elect.*
            - *II. MARGARITHA Luneburg.*
          - *Ioh. Erneſt. 2. vx. duæ.*
            - *I. Eliſabeta*
            - *II. f. Iohannis C. Mãsfeldij*
              - *Ioh. Fridericus V.*
      - *Iohan. Fridericus III. obyt ἀπαῖς.*
      - *Ioh. Ern. puer obyt.*
      - *Iohan. Guilielmus. I. Vx. DOROTHEA SVSANNA f. FRIDERICI III. Elect. Palat. Rheni*
        - *FRIDERICVS GVILIELMVS Preclecter Sax. Vx duæ videlicet.*
          - *I. SOPHIA f. CHRISTOPHORI D. VVirtenbergij.*
            - *Ioh. Guil. II. obyt infans.*
            - *Fridericus V. ob. infans.*
            - *Dorothea Maria ob. infans.*
            - *Dorothea Sophia.*
            - *Anna Maria.*
            - *Anonymus.*
          - *II. ANNA MARIA f. PHILIPPI Ludovici C. Palatini Rheni.*
            - *Ioh. Philippus.*
            - *Anna Sophia.*
            - *Fridericus VII.*
            - *Ioh. Guil. IV.*
            - *Dorothea.*
            - *Fridericus Guilielmus 3. poſthumus.*
        - *Iohannes II. Vx. DOROTHEA ob. MARIA f. Ioachimi Erneſti P. Analdini.*
          - *Ioh. Erneſtus. III.*
          - *Ioh. Guil. III.*
          - *Fridericus VI.*
          - *Iohannes III.*
          - *Guilielmus*
          - *Anonymus.*
          - *Albertus II.*
          - *Ioh. Frid. VI.*
          - *Erneſtus I.*
          - *Frid. Guil. II*
          - *Bernhardus.*
        - *Sibylla Maria. ob. Altenburgi.*
        - *Maria ab Quedlinburgi.*
  - *II. MARGARITHA f. VVALDEMARI. P. Anhaldini*
    - *Iohannes enfans ob.*
    - *Iohan: Erneſtus Vx. CATHARINA f. PHILIPPI D. Brunſvigij & Grubenhagij.*
    - *I. Margaritha, virgo obijt.*
    - *Maria. Vx. PHILIPPI. D. Pomerania.*
- *Chriſtina, vx. IOHANNIS R. Danorum.*
- *Margaritha Vx. HENRICI. D. Brunſ.*

Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.

FRIDERICVS III. COGNOMENTO SAPIENS, ELECTOR, ET DESIGNATVS REX ROMANORVM.



Natus 17. Januarii 1463.

FRIDERICVS III. ERNESTI Electoris primogenitus filius, Naſcitur TORGÆ XVI. Cal. Februarii, decimâ horâ pomeridianâ, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, ſexageſimo tertio, Cognomento dictus SAPIENS. Vxorem nullam duxit.

Ingenium.

Acumen ingenii eximium diſcendis literis, ad quas ſingulari ferebatur impetu, excolit, bonarum artium fautor munificus: Libros Philoſophicos, imprimis verò hiſtoricos, quos conſcribi curavit, ſtudioſè legit. Muſica vehementer quoq; delectatus.

Pueritia.

In pueritiâ ſuâ, unà cum fratribus IOHANNE, & reliquis, domeſticâ diſciplinâ

ſciplinâ à parentibus ad omnis generis virtutes ſeverè educatur, cumq́; è feli- *Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.*
ci ſiderum poſitu, doctrinæ avidior fratribus eſſet, celerius etiam literas & lin-
guas arripuit ac didicit.

Poſtea, quamvis nondum ex Ephebis exceſſerat, tamen cum parente V- *Tirocinia.*
ratislavienſi bello à CASIMIRO Polono, contra MATTHIAM, Hunga-
riæ Regem, ob regnum Bohemiæ inſtinctu Romani Pontificis PAULI II.
ſuſcepto, intereſt, quod demum ſingulari circumſpectione & prudentiâ adhi-
bitâ ERNESTI parentis eius, Electoris, anno ſupra milleſimum quadringen- 1474.
teſimum, ſeptuageſimo quarto, dirimitur, ſedaturq́; propulſato à GERMA-
NIÆ cervicibus intolerabili & ſtudio ſeditioſorum hominum excitato ingen-
ti exitioſoq́; malo.

Inſigni autem viſendi exteras nationes flagrans ardore, unà cum parente 1480.
anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, octogeſimo, humiliter ſaluta- *Eius iter in Italiam aliasq́; exteras nationes.*
turo Pontificem maximum, SIXTUM IV. in Italiam proficiſcitur, ac inde
Phœnices, Syriosq́;, ac alios longè diſſitos populos adit, ut varios hominum
mores & ſtudia ad iudicium confirmandum, comparandamq́; aliquam ſapien-
tiam facientia, cognoſceret.

Iſtis autem in peregrinationibus, navigationibus quoq; periculoſis in ma- *Pericula.*
ri, aliisq́; fluminibus & fluviis, ſeſe committere cogitur, divini tamen numinis
ſemper eſt in iiſdem conſervationem & protectionem expertus. Quemadmo-
dum non abſq; DEI providentia, deinde ſe conſervatum, ipſe fatetur, cum
quodam tempore cum fratre IOHANNE in Albi fluvio hyeme magno cum
periculo vitæ VVITEBERGAM contenderet, & urbem adveniens in ripam
cum ipſo aſcenderet, miniſtris nondum navi egreſſis, fractaque glacie totum
fluvium complente, & navim ita concutiente, ut eius tabulæ diſſolverentur,
de quo plura infra. Parente ERNESTO, VII. Cal. Septembris, Anno ſu- 1486.
pra milleſimum quadringenteſimum, octogeſimo ſexto in arce COLDI- *26. Auguſti parens eius moritur.*
CENSI piè defuncto, relictarum provinciarum, ditionumq́ue ſubiectarum,
una cum fratre IOHANNE, gubernationem ſuſcipit, ſibiq́; utpote natu ma-
iori, Electoratum adſcribit, quem ei etiam FRIDERICUS III. Impera-
tor, avunculus eius magnus, poſtea confirmat.

Primum autem eius gubernationis decus eſt, quod in reliquiis copiarum *Initium gubernationis.*
MATTHIÆ, Vngarici regis, adhuc vaſtantibus LUSATIAM reprimen-
dis, vicinos Principes, cum quibus coniunctionem omni officio colendam ex-
iſtimabat, adiuverit, ſuppetiasq́; illis miſerit. Subditos verò ſuos univerſos,
una cum fratre, cum quo ſingulari ſemper vivebat unanimitate, ſummâ ani-
mi moderatione & lenitate regit, ſicut & Electoratum ſingulari pietatis & iu-
ſticiæ laude adminiſtrat.

Anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, nonageſimo primo, In- 1491.
dulgentiæ Pontificiæ, quæ de butyrothecio dicebantur, in MISNIAM, aliasq́; *Indulgentiæ de butyrothecio dictæ.*
Principum vicinorum ditiones introductæ ſunt, quibus omnibus iis, viceſi-
mam partem aurei rhenani in illud conferentibus, ſive maribus, ſive fœmellis,
licentia tenore bullæ à Pontifice Romano ea de re editæ, concedebatur, veſci
butyro vel lacte, aliisve cibis è lacte præparatis, omni illo ieiuniorum tem po-
re, quo carnium eſus aliàs erat in papatu omninò prohibitus. Pendebant au-
tem ſinguli quotannis groſſum & obulum, ut vocabant, antiquum. Quicquid
verò de pecunia iſta in ditionibus Electori Saxoniæ, & fratri eius IOHANNI,
ſubiectis colligebatur, id omne primo decennio (duratio enim earum indul-
gentiarum in vigeſimum usq; annum à Pontifice maximo decreta erat) confe-
rebatur in extruendo ponte Torgenſi, cuius tres illæ lapideæ pyramides, ſive

 fulcimenta

Fridericus III Sapiens Elector Saxon.

fulcimenta urbi propiora, tùm temporis extruebantur. Quicquid verò in ditionibus ALBERTI, Ducis Saxoniæ, eorum patrui collectum, id in Baſilicam FRIBERGENSEM fundandam collatum. De pecunia verò altero, decennio in iſtud butyrophilacium in Ducum Saxoniæ territoriis importatâ quarta pars inſumta in Baſilicam D. Petri ROMÆ, in ſuo vigore & flore conſervandam.

Exemplum Diplomatis Electoris.

Nos DEI gratia FRIDERICUS III. Sacri Romani Imperii Archimareſchallus & Elector, ac IOHANNES, Duces Saxoniæ, Landgravii Turingiæ, & Marchiones Miſniæ, &c. fratres: Vobis ſingulis ac univerſis noſtris fidelibus, ac ſubditis, aliisq; exteris, qui noſtras, aliasq; vicinas ditiones accedunt, minimè ignotum, quantum non ſolum incommodi, ſed etiam damni, è carentia pontis alicuius ſupra ALBIM fluvium, noſtram urbem TORGAM alluentem, peregrinantibus, quibus noſtra peragrare territoria, ſive pedibus, ſive equis, ſive curru, pro unicuiusq; conditione & ſtatu, neceſſum fuerit, attractum ſit, unde factum, ut propter aquarum inundationes, aliquoties impediti, rei familiaris ſuæ, una cum vitæ fortunarumque diſpendio, iacturam fecerint maximam. Quamvis autem quondam pontem ſublicium, ab avo noſtro FRIDERICO II. laudabilis memoriæ, maximis impenſis conſtructum, & ALBI fluvio propè TORGAM impoſitum fuiſſe conſtet, eundem tamen ingentibus glaciei molibus, hyemis tempore, penitus fractum, diſiectumque ac diſſipatum rurſus eſſe. Quocirca hæc omnia in animis noſtris reputantes, pro ſingulari benevolentia & promtitudine, qua ſumus affecti, non ſolum erga ſubditos noſtros, verùm etiam alios peregrinos populos, has noſtras regiones negociorum ſuorum cauſa accedentes, nobiſcum conſtituimus, lapideum omninò è fundamentis in ALBI excitare pontem.

Cùm verò id ſine auxilio & ope noſtrorum ſubditorum, aliorumq; piorum Chriſtianorum adiumento, fieri non poſſe perſpicimus, ſeriis graviſſimiſque de cauſis, quò omnes, tàm inquilini, quàm peregrini, in conferendis nummulis ad hoc difficilimum opus commodius promovendum, æquiores eſſent, hanc invenimus rationem. Novimus oleum illud optimum & peregrinum olivarum pluris conſtare, ac rarum eſſe his in regionibus; noſtrûm verò inquilinum è nucibus & ſemine lini, aliisq; rebus confectum, ob denſitatem, aliasq; qualitates, complexioni hominum incommodare, & cauſam ſæpenumerò plurimorum præbere morborum, quo tamen veſci cogantur mortales, tempore indictorum ieiuniorum, quibus uſus carnium, butyri & lactis, aliorumq; è lacte confectorum ciborum, è ſanctiſſimis præceptionibus Pontificis maximi, eſt prohibitus, nec quenquam decere Chriſtianiſſimam illam conſtitutionem ullo unquam transgredi aut violare modo.

Quare conſecuti ſumus à ſanctiſsimo omnium & reverendiſsimo Domino ac in Deo patre, Papa INNOCENTIO VIII. omnibus noſtris ſubditis, cuiuscunq; ſint ordinis aut ſexus, tàm Clericis, quàm Secularibus, tàm maſculis, quàm fœminis: Item aliis noſtræ defenſioni & protectioni commiſſis, ac iis, qui è peregrinis locis negociantes nos accedunt, has immunitates, & indulgentias, in vigeſimum uſque annum à puncto temporis extenſas, ut quicunq; vigeſimam partem aurei rhenani, ad extruendum dictum pontem Torgenſem, & ſacellum iuxta illum, pro ſe erogaturus ſit, ei ex indulgentia papali conceſſum iri, abſq; peccato & læſione conſcientiæ, veſci butyro & lacte, & omnibus aliis è lacte conſtantibus cibis, idq; omne tenore bullæ papalis, cuius veriſsimam copiam de verbo ad verbum transſcriptam tàm latinam, quàm germanicam, vobis noſtris fidelibus transmittimus, poſtulantes iubentesque, ut

eandem

eandem unà cum noſtro mandato, in ſuggeſto per paſtores in omnibus urbibus, civitatibus, oppidis, vicis, pagisq; noſtrarum ſubiectarum ditionum, populo prælegendam, deinde ad valvas omnium templorum in ipſo momento affigendam curetis, quò omnibus & ſingulis in conſpectu ſint, ab iisq; commodè legantur. Mandamus inſuper, volumusq;, curetis confici ciſtam colligendis nummulis aptam, eamq; tribus ſeris concluſam in templum transferri iubeatis, ut quilibet ſuos in iſtam nummos ipſe infarciat. Claves verò ſerarum ad ſe recipiant, unam paſtor, alteram tu Præfecte vel Quæſtor, tertiam verò Senatus, ne ullus ſine alterius adminiculo aut præſentia eandem reſeret. Singulis autem menſibus vobis poteſtatem facimus, ut reſerata arcula collectam pecuniam numeretis, numeratam diligenter conſignetis, conſignatamque & numeratam, tu Quæſtor accipias, & tuæ fidei commendatam habeas, idque fideliter ſingulis vicibus ante Feſtum Paſchatos, quotiescunq; opus fuerit, exequamini. tu verò Præfecte ſive Quæſtor, ipſa Paſchatos hebdomade, omnem collectæ iſtius pecuniæ ſubſtantiam ad nos TORGAM deportes, eamque vel nobis, vel deputatis pontis ædilibus ac magiſtris tradas. In reliquis verò vos ita ſinguli exhibeatis, ut præſcripto modo & ordine, ſingulis annis de novo illas indulgentias pro concione ſecundum tenorem bullæ pontificiæ, de ſuggeſto annunciandas, renovandasq; ac renovatas, eodem in loco affigendas à vobis eſſe omninò arbitremini, ſucceſſoribusq; veſtris auctores ſitis, quò ſimili modo ac ratione iſta omnia diligenter, ſedulò & ſtudioſè exequantur, ne opus hoc tàm utile, tàm commodum, tamq; neceſſarium, ullo unquam retardetur modo, ac voſmetipſi, ſucceſſoresùe veſtri, in gravem noſtram incurratis indignationem & ſeveram animadverſionem. Perſcriptum TORGÆ, die Mercurii, vigiliæ Epiphanias. Anno Domini M. CCCC. XCI. *Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.*

Cùm autem, ut modò dictum eſt, hæ indulgentiæ & gratiæ ad eos quoſq; pertinçant, qui vigeſimum attigerunt annum, volumus & mandamus, ut vos Præfecti Quæſtores & Senatores, in veſtris ac propinquis Præfecturis, ac urbibus, oppidis & pagis, in proclamatione de ſuggeſto publicà facta, id quoq; annecti curetis, ac in rei memoriam, mandatum hoc noſtrum una cum latina, populariq; lingva, conſcripta copia, bullæ Pontificiæ, veſtris codicillis inſcribi iubeatis, unde quotannis de novo tranſſcribi, & ſubindè affigi valvis templorum queant. Tibi verò Præfecte ac Quæſtor, inſuper iniungimus, ut de eo omnes noſtros ſubditos territorii tui certiores facias, quò & ipſi cum ſuis de iiſdem indulgentiis gaudere & frui iis ritè poſſint ac valeant. Perſcriptum die & anno, ut ſupra.

Religionis porrò cum eſſet hic Elector ſtudioſiſſimus, more illorum temporum, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, nonageſimo tertio, ſeptimo nimirum ſuæ gubernationis anno, poſt obitum parentis deſideratiſſimi, Palæſtinam petit, teſtamento poſt ſe relicto, quo pauperibus, ſi quid illo in itinere ſibi accidiſſet humanitus, eleemoſynas & ſtipendia pauperibus bonarum artium ſtudioſis, ampla decernebat, quod talem in modum olim fuiſſe ab eo conſcriptum invenimus. 1493. *Peregrinatio eius in palæſtinam.*

Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.
Teſtamentum Friderici III profecturi in Palæſtinam.

NOS FRIDERICUS III. Dei gratia, Dux Saxoniæ, Sacri Romani Imperii Archimareſchallus & Elector, Landgravius Turingiæ, Marchio Miſniæ, &c. Notum facimus, poſtquam ſingularis devotionis ergò, & ſeries ad id nos impellentibus de cauſis, propoſuimus nobis, quod trans mare, auxilio divino, ituri ſimus, viſitaturiq; ſepulcrum Domini, ac ſervatoris noſtri Ieſu Chriſti, aliaq́; loca terræ ſacræ. Conſiderantes autem, atq; apud animum perpendentes, vanitatem omnium rerum, fragilitatemq́; ac inconſtantiam vitæ humanæ, certitudinem porrò mortis corporalis, incertitudinem verò horæ ſupremæ, temporisq́; extremi, perſpicimus hominum memoriam, qui non in tempore ſuæ proſpexerint animæ, citò ſubitoq́; his in terris deleri, nihilq́; conſolatione plenius, nec ad conſequendam ſalutem æternam efficacius eſſe, ac ſi quis hac in vita ſibi acquiſierit cœleſtia bona, conſtituendis divinis cultibus, & exercendis bonis operibus. Quapropter ante noſtram peregrinationem, ex proprio motu, ad animæ noſtræ requiem, & ſalutem in æterna & cœleſti illa vita comparandam, & re cum fratre noſtro dilectiſſimo prius deliberata, ac cum eius præſcitu, teſtamentum hoc noſtrum conſtituimus, fecimus, ac ordinavimus, perq́; infra denominatos Teſtamentarios id conſtituimus, ordinamus, ac facimus, idq́; ita conſtitutum, ordinatum, ratumq́; eſſe cupimus & volumus, in omnibus punctis & partibus ex ordine inſequentibus.

Primò conſtituimus & ordinamus, ordinatumq́; & conſtitutum cupimus, ut ſi per Deum opt max. in itinere hoc religioſo nondum perfecto, inter peregrinos nobis ex hac vita diſcedendum ſit, ac iis in locis id contingeret, è quibus à noſtris comitibus itineris cuperemus domum deportari, locum ſepulcri nobis eligimus monaſterium Reinhardbornium, ubi volumus terræ mandari, ſepulcrum verò noſtrum, quòd erectum cupimus, Orichalco inductum, ſive lapidi inciſum, noſtra ſolummodò effigie, ac inſignibus ornatum, neq; decorata veſtibus ſtatura corporis Electoralib. ſed habitu peregrinatorio, volumus. Exequiæ porrò noſtræ dicto in monaſterio ſolenni pompa, ut decet ſummo loco natos, per reformatos Monachos, & ſacrificulos pios peragantur,

tur, habita miſſa, & precibus pro anima noſtra ad Deum ter- maximum ardenti zelo fuſis, veſtibusq́ ac eleemoſynis in pauperes largiter diſtributis & diſpertitis, reliquis omnibus aliis feſtivitatibus, utpote, mittendis legatis, equis educandis, aut aliis ſolennitatibus peragendis, neglectis & poſthabitis, ſcuto tantum cum imaginibus, ac inſcriptione numerorum anni, ætatisq́ noſtræ in memoriam rei perpetuam, erecto. Ac ſi eo, quo præſcribimus modo, in dicto monaſterio terræ mandamur, aſſignamus eidem quotannis mille aureos rhenanos pendendos, ad retinendam & ſtabiliendam inceptam reformationem, in peragendis ſacris, conſervandæ noſtræ memoriæ cauſa, de voluntate noſtrorum teſtamentariorum inſtitutis. Quodſi verò reformatio dicti monaſterii interea cadet, nolumus, quisquam pecuniæ in id erogari, neq́ cadaver demortuum noſtrum eò, ſed Miſnam *deportari, ubi humetur, cuius gratia etiam omnes noſtras ſericas, villoſas, ac bombycinas veſtes, adornatum Eccleſiaſticum legamus Baſilicæ iſti, ubi condimur.*

Fridericus III. Sapiens Electo, Saxon.

Poſtea ordinamus, conſtituimus & volumus, ut omnes ſubditi, ditiones, ac territoria, theſauri item, ac aliis commodato datæ pecuniæ, unà cum aliis κειμηλίοις, *nobis in Chriſto piè defunctis, cedant noſtro fratri dilectiſſimo,* Dn. Iohanni, *Duci Saxoniæ, excepto tantùm, ſalvoq́ retento fœdere nuper inito inter nos, & fratrem* Erneſtum, *Antiſtitem Magdeburgicum, ac per patruum noſtrum* Dn. Albertum, *Ducem itidem Saxoniæ, confirmato, inq́ teſtamento parentis p. m. noſtri comprobato, talem in modum, ut ſi contingat, quod Deus prohibeat, quod iſte ab officio ſuo removeatur, à nobis habita eius ratione, usq́ ad extremum vitæ halitum alatur. Ordinamus porrò ac volumus, ſicut & conſtituimus, ut altare iſtud in templo beatæ Virginis* Torgæ *annis præteritis à nobis conditum, ſuis reditibus, uti hactenus, ita in poſterū vigeat & floreat. Cumq́ iam conſtituimus in laudem Dei altiſſimi, ac in honorem D. Virginis* Mariæ, *ut in ſacello arcis noſtræ Torgenſis, quotidiè ſeptem horæ cantando conſumantur, conſtitutionem hanc noſtram ſanctè conſervatā cupimus & volumus, tali ratione. Conſtitutis quatuor iſtis ſacrificulis, innocentiâ vitæ, morumq́ rectitudine ſpectabilibus, adiungantur 7. chorales, & Symphoniacus, cuiibet autem ſacrificulo*

Fridricus III. Sapiens Elector Saxonia

in annos ſumtus dentur triginta rhenani aurei, chorali verò viginti, inter quos unus officio fungatur cuſtodis ſtrenui. Omnibus verò iis in arce commodum attribuatur hypocauſtum, & quædam conclavia inhabitanda, proſpiciatur & iisdem de lignis, quò ſe contra vim & vehementiam frigoris, hyemis tempore, poßint defendere. Studebimus autem apud ſanctißimum Dominum, Pontificem maximum, intercedendo eò rem deducere, quò immunes & exemti ſint hi noſtri ſacrificuli ab omnibus ſubſidiariis tributis, Antiſtibus alias pendendis. Si verò à nobis utpote morte præventis inopinatâ, id effectum dari non potuit, conabuntur id conſequi & impetrare noſtri dilecti fratres, & teſtamentarii fideles.

Prænominati autem quatuor iſti ſacerdotes, unà cum choralibus, adſtricti ſint, ut horas illas ſeptem, in honorem beatæ Virginis, duasq́; miſſas quotidiè decantent, priorem horâ ſextâ matutinâ, de beata Virgine, alteram ſummam ſive dialem de tempore, &c. Singulis quoque Dominicis diebus noctu vigilias, una cum nova lectione, diebus verò Lunæ pro animabus defunctorum, ſacrum piaculare decantent, petantq́; ſimul pro felici ſalutariter à nobis ſuſcepti religioſi itineris reditu. Si verò quid humanitus nobis, aut noſtris comitibus accidat, memoriam noſtri retineant ſempiternam, quotidiè pro nobis, animabusq́; noſtris, votis faciendis. Singulis propterea diebus Miſſam in honorem S. Annæ decantabunt, Symphoniacus etiam ſingulis Dominicis ac Feſtis diebus, tribusq́; vicibus ſingulis hebdomadibus, teneatur vocem ſuam naturalē organicæ harmoniæ adiungere.

Ad has autem ſacras exercitationes perpetuò conſervandas, ad poſterosq́; cum laude propagandas, legamus trecentos florenos in annuos reditus, de certa quadam pecuniæ noſtræ ſumma, certo loco fœnori committenda, penſitandos, pro libitu arbitratuq́; dilectiſsimorum fratrum, aliorumq́; noſtrorum teſtamentariorum, de quibus tenore noſtræ ſuperius indicatæ conſtitutionis, ſtipendia ſacrificulis, ac choralibus annuatim, abſque omni tergiverſatione, numeranda ſint, reſiduum verò conferendum ad ornatum ſacelli, eiusque uſus neceſſarios, & quicquid deinde ſupererit, in ciſta quadam reſervandum pronunciamus,

pronunciamus, tribus ſeris concluſa, quarum claves ſecum retineant, unam Paſtor, alterum Præfectus ſive Quæſtor, tertiam Senatus Torgenſis. Fridericus III Sapiens Elector Saxon.

Praterea conſtituimus, ordinamus, ac legamus ducentos ac decem aureos rhenanos, ſimili modo de certa pecunia fidis hominibus fœnori data annuatim exigendos, ut de iſtis ſex pauperes ſcholares, in Academiis Lipſienſi ac Erfurdiana, per ſeptennium liberaliſſimè ali ac ſuſtentari poſſint, cum in noſtris, & fratres noſtri dilecti territoriis adhuc nulla ſit fundata Academia, cuilibet autem ſtudioſo numerentur quotannis 35. aurei.

Academiâ autem progreſſu temporis, noſtris in ditionibus tandem apertâ, revocandos eos eſſe in eandem, ac alendos ibidem adſummum per biennium, ſtatuimus. Si verò aliqui ex iis iſto biennio tantos feciſſent progreſſus, ut digni haberentur ulteriori beneficio, vellentq; ſtudiorum gratia in Italiam, vel aliam aliquam extraneam Academiam ſe recipere, tunc illis ad certum tempus ſtipendium prorogabitur. Obſtricti autem omninò ſint, ut tres ſe conferant ad ſtudium S. S. Theologiæ, duo ad Iuriſprudentiam cognoſcendam, unus verò ad cauſas phyſicas indagandas. Sintq; omnes iſti ſex, tenuioris fortunæ parentum liberi, ac oriundi, duo ex Electoratu Saxonico, duo è TURINGIA & FRANCIA noſtræ partis, & duo è MISNIA & VOITLANDIA, itidem ad nos & dominum fratrem noſtrum pertinente parte.

Singulis porrò ſtipendiariis deputati triginta quinq; aurei toto iſto ſeptennio integro plenariè concedantur, præterlapſo verò iſto, in alios ſimili modo, uti dictum, conferentur, qui & iſtis per integrum quoque ſeptennium utantur, & ſic deinceps, ita, ut iſta à nobis conſtituta ſtipendia in perpetuum durent ac nunquam deſinant.

Si verò uſu veniret, ut ex his ſtipendiariis quidam, vel ante ſeptennium completum, è vivis excederent, vel etiam eſſent, qui iſto beneficio abuterentur, neq; honeſtati, ſed frivolis rebus ſtuderent, aut etiam ſtudia ſua negligenter tractarent, tunc collatori, rei certitudine per Rectorem, totumq; Concilium Academiæ iſtius, perſpectâ & exploratâ integrum erit, ut alios alacriores & diligentiores in eorum locum ſubſtituat ac decernat.

Poſtremò

Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.

Poſtremò ordinamus, conſtituimus, præcipimus, & volumus, ut omne æs alienum, quoquo modo à nobis contractum, nobis piè in CHRISTO *hac vitâ functis, à fratribus noſtris dilectiſſimis omnimodè exolvatur atq; creditoribus reſtituatur.*

Atque ut hoc noſtrum teſtamentum, ultimæq; voluntatis noſtræ teſtimonium, in omnibus ac ſingulis iam enumeratis partibus, punctis ac clauſulis, ſtabile, firmum, ratumq́; ſit, ſemperq́; ita maneat, id in optima conſtantiq; forma, in ipſo Iure fundata & expreſſa conſtituimus, ordinavimus & confecimus, conſtitutumq́; ac ordinatum confectumq́; ita volumus, ac ut à noſtris fratribus dilectiſſimis, aliisq; teſtamentariis, omnino ita confirmatum ratumq́; habeatur, pronunciamus & volumus.

Conſtituimus autem, ordinamus & facimus in præſentia, vigore teſtamenti ac ultimæ voluntatis noſtræ, teſtamentarios, Reverendiſſimum in DEO *patrem, ac illuſtriſſimos Principes ac Dominos, Dn.* ERNESTUM, *Antiſtitem Magdeburgicum: Dn* IOHANNEM: *præcipuos ac ſuperiores: poſt illos verò, Dn.* ALBERTUM, *& Dn.* GEORGIUM, *omnes duces Saxoniæ, &c. noſtros dilectiſſimos fratres, patruum ac patruelem: Dn.* SIGISMUNDUM, *Comitem Gleichenſem, ſeniorem: Dn* HENRICUM *Reiſſium Plavenſem, etiam ſeniorem: Dn.* HENRICUM IOHANNEM *Gerenſem & Slaicenſem: Dn.* HENRICUM *Endium, noſtrum Aulæmagiſtrum: Dn.* IOHANNEM *Minquicium, Marcſchallum, ambos equites auratos: Dn.* DAMIANUM *Loſerum, Decanum Præſulatus Miſnenſis, I. V. D. Dn.* HENRICUM *Loſerum, Loci præſidem noſtrum in Saxonia, equitem auratum: & Dn* IOHANNEM *Leymbachium, Præfectum ærarii noſtri ſupremum.*

Attamen reſervamus nobis, integrumq; itidem ſit nobis, ut hoc teſtamentum noſtrum, pro libitu minuamus, augeamus, renovemus, variemus, revocemusq́;, quotieſcunq; nobis viſum libitumve fuerit, quoad vivamus.

In huius teſtamenti confectione teſtes præſentes nobis affuêre, noſtri devoti & fideles: Dn. SIGISMUNDUS *Pflugius, Canonicus Miſnenſis; I. V. D. Dn.* NICOLAUS *Schreiterus,*

Paſtor

Paſtor Torgenſis: Doctor MARTINUS Mellerſtadius. IOHANNES Flebingerus: IOHANNES Muritus: SEBASTIANUS Miſtelbachius & CASPARUS Spora. Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.

Inq; huius rei teſtimonium, nos FRIDFRICUS, Dux Saxoniæ, Elector: noſtro ſigillo folia omnia huius teſtamenti duplici modo inſignivimus, ac ad finem ultimi dimidii folii ſeorſim illud impreſſimus. Actum TORGAE, die Martis poſt LAETARE. Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo tertio.

ISto autem in itinere religioſo FRIDERICUM III. Imp. à quo inſignia & feuda Electoratus ſibi confirmata accepit, in oppido Auſtriæ LYNCIO ſalutat, à quo non tàm propter cognationem, quàm benevolentiam erga Duces Saxoniæ, amanter excipitur, cumq; Sagaciſſimus ſenex videret indolem in hoc Electore ad virtutem ſeſe eximiè exerentem, ſæpius cum in colloquium vocat, & ad decus adhortatur, abeuntiq; dat torquem aureum grandi Adamante ornatum, iubetq;, ut reverſus, ad ſe in itinere reflectat, aliud ſplendidius ei promittens munus, ac cum à ſe eodem cum voto, ſimiliq; cum præconio dimittens, uti Telemachum Neſtor: Non expers virtutis eris, chariſſime Fili. Convenit FRIDERICUM III. Imp avunculum magnum ſuum.

Eodem quoq; in itinere accidit, ut SULTANUM, Turcicum Imperatorem, HIEROSOLYMIS fortè fortunâ conveniret, quem unà cum comitibus ſuis ſalutat, porrectis eidem honoris gratiâ manibus, qui cum manus eius attrectaret, quem tamen non noverat, ex apta earundem proportione (diu enim eas contemplatus fertur,) colligit, cum non eſſe inferioris ſortis hominem, ſed ſummo & excelſo loco natum, nec infimum inter ſocios & comites ſuos, ſed ſupremum, neq; etiam ſua opinione falſus eſt. Iudicium Turcici Imp de hoc Electore.

Antequam autem è terra ſancta Elector reverteretur, vitâ hâc optimus & ſapientiſſimus Imperator FRIDERICUS III. avunculus eius magnus, LYNCII fungitur, qui VIENNÆ Auſtriæ ſplendidum ſibi in æde D. STEPHANI monumentum inchoavit, quod filius ipſius MAXIMILIANUS I. Imp. poſteà magnifico ſumtu hac additâ inſcriptione perfecit.

IMP. CÆSAR D. FRIDERICUS III. PIUS, PROSPER, AUG. CHRISTIANITATIS ſupremus Princeps, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex Archidux Auſtriæ, Dux Stiriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, Comes & Princeps in Hasburg & Tirolis, Landgravius Alſatiæ, Princeps Sueviæ, Marchio ſupra Anaſum, Princeps religioſiſs. qui ſacrum Romanum imperium ſummâ iuſticiâ & virtute quinquaginta tribus annis ſapienter & moderatè rexit: quiq; filio ſuo MAXIMILIANO Imp. glorioſiſſimo ſereniſſimam Dominam MARIAM, unicam filiam & hæredem Divi CAROLI, Ducis Burgundiæ potentiſſimi, &c. legitimo thoro copulavit: ex quo quidem connubio omneis ducatus, principatus, marchionatus, comitatus, & dominia, quæ præfatus CAROLUS Dux, terra mariq; poſſedit, felici domui AUSTRIÆ hæreditario iure perpetuò acceſſerunt: quæ & Imp. MAXIMILIANUS potenti manu, & gladio conſervavit: Ipſe FRIDERICUS talibus multisq; aliis imperatoriis virtutibus perpetratis, naturæ debito perſoluto: celeberrimis ac famoſiſs. exequiis devotè celebratis, in hoc precioſo monumento reconditus eſt. Hic FRIDERICUS III. Imp. Aug. Naſcitur anno ſalutis Monumentum Friderici III. Imp. Viennæ erectum. Dies ortus &

Fridericus III. Sapiens Elector Saxon. obitus Imperatoris Imperii. Salutis noſtræ M. CCCC. XV. Eligitur in regem Rom. ann. M. CCCC. XL. m. Mart. d. XXX. Moritur ann. M. CCCC. LXXXXIII. m. Aug. d. XIX. ætatis ſuæ LXXVIII. Imp. verò LIII. m. IIII. eius corpus in hoc ſaxum reconditur ac transfertur.

Ann. ſalutis M. D. XIII. d. VII. Novemb. Imp. Cæſar, D. MAXIMILIANUS. P. F. Aug. Chriſtianitatis ſupremus Princeps, Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Boſnæq;, rex Angliæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lutzenburgiæ, & Geldriæ Comes, Princeps in Habspurg & Tirolis, Landgravius Alſatiæ, Princeps & comes Burgundiæ, Flandriæ, Goritiæ, Artheniæ, Holandiæ, & comes Selandiæ, Phirretis in Kyburg, Namurci & Sutphaniæ, Marchio ſuper Anaſum, Burgoviæ, & ſacri Romani Imperii. Dominus Phriſiæ, Marchiæ, Sclavonicæ, Mechliniæ, Portuſnaonis & Salinarum, &c. potentiſs. & victorioſiſs. qui ſua ſingulari ſapientia, per ſancti connubii fœdera, quo filio PHILIPPO, regi glorioſiſſimo ſereniſſimam IOANNAM reginam & hæredem Hiſpaniarum coniunxit, nepotibus ſuis ſereniſs. atq; chariſs. CAROLO, FERDINANDO, LEONORÆ, ISABELLÆ, MARIÆ, & KATHARINÆ, eorumq; poſteritati archiducibus AUSTRIÆ, & ducibus domus Burgun. regna hæc famoſiſſima, ſcilicet Caſtellæ, Granatæ, Navarræ, Cathaloniæ, Toleti, Galletiæ, Valentiæ, Sardiniæ, Maioricæ, Minoricæ, Corſicæ ac Inſul. Antipotum, &c. hæreditario iure perpetuo laudabiliter acquiſivit, ex quo inclytam domum AUSTRIÆ in tantum exaltavit, ut D. O. M. gratiâ, in orbe terrarum, huc uſq; nullam parem habeat. Et hoc precioſum monumentum, à patre devotiſs. Imp. FRIDERICO inchoatum, ipſe filius pientiſs. perficiendum, & erigendum curavit. Valeant, vigeant, floreant, feliciſſima nomina FRIDERICI, MAXIMILIANI, & PHILIPPI, beatiſſimorum Imp. ac regum in æternum, AMEN.

Reditus eius è Palæſtina. E PALÆSTINA confecto feliciter itinere religioſo reverſus ex eadem, ac è CYPRO, RHODO, METHONE, CORCYRA, & ex urbe VENETIA, picturas, tabulas, inſcriptiones earum, aliaque monumenta quam plurima ad cognitionem profutura hiſtoriarum, affert, multa itidem remedia morborum! Non enim medicinæ rudis erat, ut & doctrinæ de motibus cœleſtibus, cuius elementa a medico MARTINO Mellerſtadio didicerat, qui ei inde uſque ab adoleſcentia ad ſenectam familiariſſimus fuit, & comes peregrinationis fideliſſimus, eumq; avocatum e balneis, quas in Italia abſtergendarum ſordium cauſa imprudens ingreſſus erat, è præſentiſſimo mortis periculo eripuit, CHRISTOPHORO Bavaro avunculo eius, qui comes itineris ei tum erat, morte extincto ſubitaneâ.

Poſtea conſiliorum MAXIMILIANI. I. Imp. de pace publica confirmanda, & de iudicio Cameræ conſtituendo, ſuaſor & auctor exiſtit prudentiſſimus in eius primis comitiis VVORMACIÆ, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, nonageſimo quinto, celebratis, cuius quoque conſilia quinquennio pôſt in AUGUSTANIS comitiis, de confirmando Senatu Imperii perpetuo, pro pace & ſalute publica excubante, ac ab OTHONE III. Imp. cognomento miraculoſo, annis ab hoc quingentis & duobus retronumeratis, prudenti conſilio inſtituto, adiuvat.

1495. Comitia Imperialia Vvormatenſia.
1500. Comitia Auguſtana VIlviri Imperii confirmati.

Quanti verò literas & literatos ſemper fecerit, inde vel maximè colligi poteſt, quod Academiam VVITEBERGENSEM adiutore ERNESTO fratre Antiſtite Magdeburgico, nullis parcens ſumptibus, fundavit, quam celebritate ſolenni, die Divo LUCÆ Evangeliſtæ dicato, XV. nimirum Calendarum

darum Novembris, inchoari curat, anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſecundo, quæ mox facta eſt veræ de Deo, & omnis elegantioris doctrinæ domicilium.

Fridricus III. Sapiens Elector Saxon.

1502.

18. Octobris. Fundatio Academiæ VVitteb.

MARTINUM Lutherum cœleſtem de ſalute animarum doctrinam ibidem renovantem, contra furores Pontificiorum ſuâ auctoritate præclarè tutatus eſt, ut mox dicemus. PHILIPPUM quoque Melanchthonem, ex IOHANNIS Reuchlini, viri doctiſſimi & optimi ſorore natum, TUBINGA evocat VVITEBERGAM, & Profeſſorem Philoſophiæ ibidem conſtituit, quorum virorum collegarumq; induſtria & indefeſſo ſtudio, cùm vera & antiqua de Deo & ſalute hominum doctrina, tùm Philoſophiæ, artium, ac literarum omnium elegantia, unà cum præcipuarum linguarum ſtudiis, immenſo Dei opt. max. beneficio inſtaurata, & non per Saxoniam modò, Germaniamque, ſed per vicinos etiam populos, & externa regna, fuerunt propagata.

Lutherus repurgat doctrinam.

Bella nulla pro ſe gerit, pacis quippe cupidiſſimus: Pro ſummâ enim, quâ erat præditus ſapientiâ, unde etiam nomen accepit, perſpiciebat, Reſpublicas rectius ferendo & diſſimulando, quàm bellum inferendo & ulciſcendo, à Chriſtiano Principe adminiſtrari debére. Qua de cauſa etiam munire arces, congerere pecunias, aut tributa à ſubiectis ſibi populis exigere ſuperſedet, ne his quaſi calcaribus ſtimulatus belli iniurias perſequi cogeretur.

Auctor pacis conſtantiſſimus.

Bello Bavarico anno ſupra milleſimum quingenteſimum quarto, Electorem Palatinum PHILIPPUM, ſuum in Republica collegam, qui pro filio RUPERTO bellum ſuſceperat, Imperatori MAXIMILIANO reconciliat. E bello Cameracenſi adverſus VENETOS geſto, in quo partem copiarum in exercitu Imperatoris ducebat, & aliquot annos à patria abfuerat, domum revocatur.

1504.

Bavarus Elector Imperatori reconciliatur.

Canonicos Vvormacienſes, qui propemodum decennium iam exulabant, Antiſtitis Trevirenſis operâ reſtituit. Plebem Erfurdianam ſeditioſam, & contra Senatum tumultuantem reprimit, & VRIELEM Moguntinum diſſenſiones alentem, ut à ſuo deſiſteret propoſito, adigit.

1512.

Comitia Trevirenſia.

In inſtitutis à MAXIMILIANO I. Imp. TREVIRENSIBUS Comitiis anno ſupra milleſimum quingenteſimum. duodecimo, poſtea COLONIÆ finitis, uti de gravibus alioquin Imperii negociis; de pace nimirum publica conſervanda: de auxiliis Imperatori communi ſubditorum Imperii contributione præſtandis: de Schiſmate Cardinalium non tolerando: de proſcriptione EDEZARDI, Comitis Emdani, Imperatoris mandato non parentis de GRONINGA, Phryſiæ metropoli, GEORGIO Duci Saxoniæ reſtituendâ: Ita quoq; de vitio ingluviei & ebrietatis, radice omnium flagitiorum, præſentibus omnibus VII viris & ordinibus Imperii, hic Elector, fideliſſimus aliàs Imperatoris conſiliorum, tùm temporis præ reliquis director exiſtens auctor eſt, ut conſultatio diligens inſtituatur, de qua graviſſimè concluſum, edictoq; publico confirmatum talem in modum:

Nos MAXIMILIANUS I. DEI gratia, electus Romanorum Imperator, &c. Quamvis ante hæc tempora aliquibus in conventibus aliquoties de ingluviei vitio, ipſaq; adeò ebrietate vitanda; pronunciatum graviſſimè ſit, tamen id in effectum hactenus nondum deductum.

Quocirca, cum ex immoderata & vitioſa ingluvie cibi potuſq;, ebrietas, ex ebrietate verò, tanquam uberrimo fonte, & ſcaturigine pleniſſima, omnis generis impietas, blaſphemia, iniuriæ, cædes, aliaq; ſcelera quàm plurima, promanent & exoriantur, ac revera ea ſit litium propagatio, furoris genitrix, petulantiæ magiſtra: Experientia inſuper teſtetur, quod ebrii ex ſe quaſi rapti, non

Fridericus III. Sapiens Elector Saxon. ſolum omni præeminentiæ, exiſtimationis, dignitatis, aliorumq; honorum faſtigio, ſummo cum dedecore, & ignominiâ haud contemnendâ, ſeipſos privent verum etiam animæ, rationis, ſenſuum, fortunarum, honorum, vitæ deniq;, corporisq;, ac ſalutis æternæ, iacturam faciant certiſſimam, irreparabilemque, tenore harum univerſis ac ſingulis noſtris, & S. Romani Imperii, Regnorum, Dominiorum, Provinciarumq; noſtrarum hæreditariarum ſubditis, cuiuscunq; ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ exiſtant, tàm Eccleſiaſtis, quàm Secularibus, ſeriò mandamus & iniungimus, ut contumaces ac violatores huius noſtri Cæſarei mandati, ſi quos fortè comperierint, pœnâ non contemnendâ mulctari, aliisq; idoneis ac opportunis mediis coërceri curent, nec id quenquam impunè violare, ſpernere aut tranſgredi permittant. Si qui verò è nobilibus, aut equeſtri ordinis viris ab hoc vitio ſibi temperare minimè velint, eos cane peiores, & angve abominandos; ac ab officiis & muneribus S. Romani Imperii publicis, aliisq; dignitatum, tàm Eccleſiaſticarum, quàm politicarum faſtigiis removendos, ac abdicandos ſancimus & volumus, remotosq; & abdicatos, neq; promovendos, neq; amplius dignitatibus præficiendos ullis eſſe, cenſemus & ſtatuimus. Tenuioris autem fortunæ homines pœnâ afficiendos capitali pronunciamus. Si quis porrò Magiſtratus ſuperior aut inferior, in exequenda hac pœna, negligentior aut remiſſior extiterit, noſtram, & S. Romani Imperii indignationem graviſſimam, ac mulctam fiſco ſeu ærario noſtro Imperiali, omni ſpe veniæ ſublatâ, irremiſſibiliter ſolvendam, ipſo facto ſe noverit incurriſſe. Iis verò in locis, ubi hoc ingluviei gulæq; vitium conſuetudine veteri introductum perſpiciant, ſumma cum animadverſione ſimili pœna propoſita capitali, illud declinent.

1513. *12. Maii. Monumentum OTHONIS III. Imp. renovatũ ab hoc Electore.* Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, decimo tertio, V. Id. Maii ſepulchrum OTHONIS III. Imp. AUGUSTÆ Vindelicorum, ubi inteſtina eius in divæ AFRÆ templo condita, in anguſtiorem redigi formam curat, cuius inſcriptio ſupra in OTHONIS hiſtoria extat.

Reformatio doctrinæ. In huius autem Electoris tempora mutatio potiſſimum religionis & emendatio doctrinæ ab erroribus Papiſtarum incidit, ut ſupra monuimus. Voluit enim DEVS opt. max. præter alia ornamenta, potentiam, celebritatem nominis, generis antiquitatem, opes, divitias, hanc etiam imprimis domui Saxonicæ huic exhibere honorem, ut in hoc Ducatu, vera & ſalutaris doctrina incrementa ſumeret, inq; VVITEBERGENSI Academia ſuum caperet initium, qui honor etiam omnibus præferendus eſt theſauris.

1517. *Indulgentiæ Pontificiæ.* Præbuit autem huic reformationi anſam circulator mercenarius, impudentiſſimusque indulgentiarum Pontificiarum venditor IOHANNES Tecelius, Dominicanus Monachus, & S. S. Theologiæ Doctor, quas anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum, decimo ſeptimo, in tota GERMANIA, venales circumgeſtabat, veniam omnium tam committendorum, quàm commiſſorum delictorum, certo precio numerato, promittens. Huic ſeſe opponens D. Martinus Lutherus poſitiones conſcribit, quibus effrænam hanc impudentiam ex verbo Dei certiſſimo refutaret, iisque ad valvas templi arcis affixis, ad diſputationem congreſſumque publicum, tàm antagoniſtam, quàm veritatis amantes quosque provocat. Verùm enimverò lucem veterator ille ſubterfugiens, clamoribus & minis LVTHERVM territat, ignique ut hæreticum addicit, & theſes ipſas flammis committit & exurit.

Quibus Lutherus nihil motus, invicto excelſoque animo impoſtoris

clamoribus contradicens, novas edit theſes, quibus eius reprimit rabiem; literisq; ad Pontificem maximum LEONEM X. ſuppliciter exaratis, diiudicationem cauſæ ab ipſo efflagitat.

Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.

Lutherus ſubiicit cauſam iudicio Pontificis.

Pontifex cauſæ diffidens Lutherum ROMAM citat, pœnamq; ei niſi obtemperet, conſtituit, CAIETANO ſimul Legato in GERMANIA ſuo negocium omne committit, ut Lutherum, AUGUSTAM evocatum, ab errore dehortaretur. Lutherus literis commendaticiis ab Electore ad amicos inſtructus, de conſilio eius AUGUSTAM proficiſcitur. Verùm nullis à Cardinale CAIETANO neq; minis, neq; pollicitationibus potuit expugnari, ut à ſuo deſiſteret propoſito. Itaq; CAIETANUS ad ipſum Electorem ſcribit, ut Lutherum Pontifici maximo ROMAM mittat, vel ſua eum ditione pellat. Elector, quâ erat prudentiâ, quid Pontificii molirentur, perſpiciens, Lutherum abſq; ſalvo, quem vocant, conductu ROMAM mittere, & ſua ditione nondum erroris è verbo Dei certiſſimo convictum, pellere renuit.

Fridericus Elector Imperii locum tenens generalis.

1519.

13. Ian. obitus Maximiliani I. Imp.

Honorem contemtus.

Sicut autem hic Elector ſapientiſſimus ſuperioribus annis MAXIMILIANI Imp. conſiliorum director, per omnem vitam extitit, ita in eiuſdem ſenile ingraveſcenteq; ætate gubernator & locum tenens Imperii generalis fuit, id quod cuſa eius numiſmata, literæ, atq; divulgata mandata, luculenter teſtantur. Poſt obitum verò ipſius Imperatoris, qui incidebat in prid. Idus Ianuarii, anni ſupra milleſimum quingenteſimum decimi noni, delatam ad ſe omnium Electorum conſenſu unanimi, & ſumma voluntate dignitatem Imperatoriam recuſat accipere, prætendens affectam ætatem. CAROLO V. autem ad eam ſuâ ſententiâ profuit potiſſimum, ob quod præclarum eius iudicium à Legatis CAROLI V. tricies mille aurei ei offeruntur, quos animo repudiat excelſo, cumq; poſtulatum deinde eſſet, ut decem millia permitteret in famulos diſtribui, in talem præ indignatione erupiſſe vocem perhibetur: Accipiant ſanè meo permiſſu, ſi velint, mei, ſed hoc omninò ſciant, quicunq; coronatum acceperit, locum eum amplius obtinere inter aulicos meos minimè patiar. Quanta tùm fuerit eius integritas & innocentia ex epiſtola quadam Eraſmi Roterodami ſatis conſtat.

Carolus 5. Romanorum Imp. electus 28. Iul.

Itaq; CAROLUS V. MAXIMILIANI I. Imp. nepos ex filio PHILIPPO, Hiſpaniarum & Caſtiliæ rege, Archiduce Auſtriæ, & Duce Burgundiæ, declaratur Romanorum Imperator, FRANCOFURTI ad Mœnum IV. Cal. Iulii.

Paulò autem ante obitum Imperatoris, accidit, ut, cum Elector hic, & ALBERTUS Moguntinus Antiſtes & Elector, in arce LOCHAVIENSI de feneſtra proſpicerent de Republ. colloquentes, ſubitò & de improviſò regulus quidam volitaret in feneſtram, & cum ſemel atq; iterum circumvolitaret, mortuus coram illis concideret, id quod mirum ipſis videbatur Principibus verùm ſine dubio ſignificata eſt eo prodigio ſubſecuta mors Imperatoris.

Anno eodem ſingularis benevolentiæ & favoris gratiâ, roſam auream à Pontifice maximo ad ſe miſſam, & per Carolum Milticium, equitem Germanum, & Pontificis cubicularium, ſibi allatum, Elector ſumma veneratione, gratiq; animi ſignificatione accipit, neq; tamen munere tàm ſplendido, ut Lutherum dimittat, movetur. Accidit autem, ut dum MILTICIUS Germaniam, patriam ſuam, peragraret, ALDENBURGI cum Luthero colloqueretur, & eius ſententiam, cum eo conferendo & diſputando, eliceret. Itaq; diſcedens ab eo, vocatum ad ſe TECELIUM Milticius obiurgat, præcipitq; ut moderatius, ac hactenus ab ipſo factum eſſet, negocium ſuum tractaret, ne ſuâ nimiâ impudentiâ religioni catholicæ, & ſedi Pontificiæ maculam inſi-

Fridericus III Sapiens Elector Saxon. gnem inureret. E cuius caſtigatione TECELIUS animum deſpondens, ſubitò in morbum incidit. ita ut paucis diebus poſt animam exhalaret. Quamvis autem LUTHERUS ad ipſum literas ſcriberet conſolatorias, quibus eum ad pœnitentiam adhortaretur Attamen incertum, an metu iræ graviſſimæ Pontificis Romani, an ſtimulis agitatus conſcientiæ, nullam admittens conſolationem, diem ſupremum deſperabundus finit.

MILTICIUS verò ROMAM reverſus refert, ſe hoc in itinere perſpexiſſe, plures LUTHERO quàm ipſi Pontifici adhærere: Itaq; etiamſi cum inſtructo à multis millibus exercitu ipſe Pontifex in Germaniam, Lutherum ſecum Romam deportaturus veniret, eundem abſq; capitis ſui diminutione & interneciõne ſuorum, id effectum dare minimè poſſe: Se enim aliquoties percontatum eſſe in diverſoriis & hoſpitiis ab hominibus, quidnam de ſe de pontificia ſentirent? Reſponſum ſibi ſummo cum dedecore eſſe: Neſcire ipſos an è lignea, ſive lapidea ea conſtaret materia: Itaq; nihil de ea certi eos poſſe confirmare, nedum iudicium ferre aliquod, num in longævos ſit duratura annos.

1520. *Lutherus excommunicatur.* Anno ſequente, Pontifex maximus editâ bullâ LUTHERUM excommunicat, & literis ad Electorem miſſis ſeveriſſimè mandat, ut LUTHERUM, niſi errores intra ſexaginta dies revocet, vel extra ditionis ſuæ fines eiiciat, vel ſupplicio merito afficiat, vel vinculis conſtrictum ad ſe Romam mittat, libros vero eius cremet. Elector reſpondet: ſe ſcripta LUTHERI, ſi is erroris convincatur, crematurum, ipſumq; ROMAM miſſurum, ſi de ſalvo, ut vocant, conductu ſatis commodè caveatur. LUTHERANAM verò cauſam, quâ Evangelii doctrinam Deo opt. max. ita benignè proſpiciente relucelcere perſpiciebat hic Elector, ſumma adhibita circumſpectione præter omnium etiam expectationem, & contra expreſſum Pontificis & Imperatoris mandatum, de die in diem differt, id quod nullus alius Princeps neq; magnanimitate neq; fortitudine aliàs præſtare unquam potuiſſet. Vt enim aliàs nihil cœco impetu & abſq; conſilio deliberato ſtatuit, antequam rem optimè cognoſceret: re autem perſpecta & penitus cognita, de ſemel lata ſententia ne latum quidem digitum, aut tranſverſum, quod dicitur, ungvem deceſſit: Ita etiam hac potiſſimum in re tàm gravi, tàm ardua, ſaluteṁq; animarum ſpectante æternam, ſibi iudicium de doctrina ſolus minimè ſumit, ſed multorum ſenum, ſapientum, & eruditorum, ac in his principum quorundam utpote Laurentii Antiſtitis Vvirceburgici, conſilium ſciſcitatur & ſerutatur. Imprimis verò anno ſupra milleſimum quingenteſimum,

1521. *Comitia Vvormacienſia.* vigeſimo primo, cum VVORMACIAM ad Comitia Imperii proficiſceretur, & valetudine impeditus adverſa COLONIÆ commoraretur, Eraſmum Roterodamum, de cuius integritate & iudicii dexteritate tùm temporis ipſi multum conſtabat, ad ſe LOVANIO vocatum conſulit quid potiſſimum hac in re arbitretur factu neceſſarium, & inter alia ipſius de ipſo LUTHERO, eiusq; ſcriptis, iudicium explorat. Is licet Pontificiæ doctrinæ addictior, ingenuè fatetur: Doctrinam LUTHERI non eſſe aſpernandam, quippe quæ verbo Dei conſentanea videretur, & quæ à ceremoniis & conſtitutionibus humanis, & quæſtionum ſcholaſticarum argutiis, ad veræ pietatis officia & puros Evangelii fontes Eccleſiam reduceret: Verùm maiorem ſe in LUTHERO deſiderare circumſpectionem, ut moderatius ac faceret, omnia ageret. Cùm autem Elector in-

Eraſmi iudicium de Luthero. ſtaret, ut quod res eſſet, paucis diceret, ſubridens ERASMUS: Lutherus, ait, duplex peccatum enorme commiſit, alterum, quòd Pontificis Romani coronam, alterum verò quod Monachorum ventres impugnaverit cuius iudicio ſenili Elector ita confirmatur, ut diceret, etiamſi videat, quantum ſibi, ſuisque, periculum immineat, tamen agnitæ veritati ſe non eſſe adverſaturum.

Quapropter

Quapropter cum LUTHERUS Imperii ordinibus VVORMACIAM tùm collectis, ſiſtere ſe neceſſum haberet, Cancellarium ſuum GEORGIUM Pontanum I. V. D. ei comitem adiungit, qui eum probè inſtrueret, ne modum excederet, vel in aliquo delinqueret, aut etiam incautus, & præter omnem opinionem à Pontificiis circumveniretur. Et quia Imperator LUTHERUM inſtinctu Pontificiorum, poſt eius abitum VVORMACIA, proſcripſerat, & Pontifex ſecundâ eum vice excommunicaverat, pro ſua Elector, quâ fuerat à Deo ornatus ſapientia, in quanto D. PONTANUS & LUTHERUS verſarentur periculo perſentiſcens, ſingulare excogitat ſtratagema, & eos per aliquot fide dignos miniſtros in reditu intercipi, & LUTHERUM VVARTBURGUM, prope ISENACUM, deduci clàm curat, ut ibi deliteſceret, donec Imperator è GERMANIA abiiſſet, qua in parte ſapientis planè & circumſpecti functus officio eſt Principis. *Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.*

Quamvis autem LUTHERI doctrinam Pontificii cuperent omninò deletam, ac extirpatam: tamen auctoritatem & integritatem huius laudatiſſimi Electoris, tùm exiſtentis fulcrum & columen totius Imperii Romani, cuiusq; patrocinio LUTHERUS, ita Deo opt. max. proſpiciente, nitebatur, reformidare coguntur. Et licet tùm eandem extirpare omninò minimè potuerint, tamen nihil intentatum relinquunt, quin eam, uti apud Imperatorem CAROLUM, ita apud omnes ordines, non modò ſuſpectam, verum etiam inviſam omninò redderent: Sola enim ſpe ſuſtentabantur, fore, ut hoc Electore mortuo, LUTHERI quoq; hæreſis, ita namq; eam invidioſo appellitabant nomine, evaneſceret, utpote, quæ nullius neq; Eccleſiaſtici, neq; Politici, aut ſecularis principis adminiculo, auxilioq; amplius gaudere poſſet. Qua de re ipſe LUTHERUS, cum auditoribus enarrâſſet verſiculum Pſalmi CXIX. talem in modum ipſe ſcribit: Cùm viveret Elector Saxoniæ, Dux FRIDERICUS, Princeps laudatiſſimus & incomparabilis, cuius memoria apud nos nunquam intermori debet, ibi tàm Eccleſiaſtici, quàm Politici tyranni, magnam & conſtantem ſpem habebant, futurum, ut ipſo hac vita defuncto, noſtra doctrina cum ipſo expiraret: Sic enim dicebant: Si duo tantum oculi clauſi fuerint, tùm LUTHERI quoq; hæreſis concidet & iacebit. Nihil certiùs per totam vitam ſuam unquam ipſis fuit, quàm hoc ipſorum vaticinium, iam in manibus habebant victoriam, iam digitis contrectabant, ſicut fidicen: Putabant enim, doctrinam noſtram Duce FRIDERICO niti, & noſtram conſolationem, ac ſpem omnem, ab hominibus & auxilio Principum eſſe ſitam, eiusq; rei coniecturam ex ſe ipſis faciebant, Hæc Lutherus ipſe. *Lutheri verba.*

Aula huius Electoris multis excelluit viris ſapientia & virtute tùm temporis præ reliquis præſtantiſſimis: Accerſebantur enim optimi quiq; & experientia & doctrina excellentiſſimi, quales fuerunt è nobilitate FABIANUS Feilitzſchius: FRIDERICUS Thuna: HUGOLDUS Einſidelius: IOHANNES Minquicius; HENRICUS Endius: DAMIANUS & HENRICUS Löſeri: SIGISMUNDUS Pflugius, &c. E reliquis Doctor Schiccerus: Doctor HIERONYMUS Schurfius: Doctor Mogenhoferus: Doctor Henningius: Doctor Pontanus: Doctor Mellerſtadius: Item: IOHANNES Leymbachius: IOHANNES Flehingerus: IOHANNES Muntus: SEBASTIANUS Miſtelbachius: CASPARUS Spora, & reliqui. *Clari viri; conſiliarii huius Electoris.* *Celebritas eiusq; ditionis.*

In Comitiis VVormacienſibus vivente adhuc MAXIMILIANO I. Imp. quilibet Principum prædicabat ſivæ ditionis præſtantiam & celebritatem: Saxones, fodinas metallicas opimas. BAVARI civitates præclaras: PALATINUS Rheni verò fertilitatem agrorum & vinearum. Tunc FRIDERICUS III. Sapiens ad EBERHARDUM VVitebergicum dicebat, quanam

Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.

commoditate eius floreat ditio? Tunc ille: neſcio, inquit, quicquam in præſentiarum prædicare: Infimus enim ſum inter vos: Hoc autem ſcio, me in uniuscuiusq; meorum ſubditorum ſinu, etiam ſub dio, ſi opus ſit, tuto requieſcere poſſe: qua reſponſione omnium aliorum prædicationes VVitebergicus ſuperat, & palmam obtinet.

Circumſpectio Electorum & ordinum in deſignando novo Imperatore.

Poſt obitum MAXIMILIANI I. Imp. Electores omnes, ſvaſu huius noſtri, cuius auctoritas tùm præ reliquis in Imperio erat maxima, iuramento ſeſe invicem aſtringunt, ſe nullam renunciationem novi Imperatoris publicaturos eſſe, priusquam unanimi voto, & communi conſenſu, unus aliquis deſignatus eſſet. Hoc autem conſilio ſuo, Elector hic, rem eò deducit, ut quilibet votum ſuum ſchedula quadam conſignatum daret. Cum verò Imperium ad ipſum reliqui deferrent, illud magno & excelſo recuſat animo, affectam ſuam prætendendo ætatem, quæ anſam deinde præberet mox aliam, ſe defuncto, deſignandi, unde maiores, quàm nunc, diſtractiones & factiones in Imperio ſequerentur. Tandem igitur poſt varias easq; graviſſimas, uti ſuperiùs diximus, deliberationes CAROLUS V. Auſtriacus, PHILIPPI filius, MAXIMILIANI I. nepos, communi omnium conſenſu eligitur, qua electione metu horribilium Germania diſcordiarum liberatur.

Collatio cum aulicis familiaris, cum gravitate tamen coniuncta.

Quodam tempore cum aliquibus conſiliariis, aliisq; aulicis ſuis familiariter de graviſſimis confert rebus, ubi inter alia etiam mentio Lutheri, eiusq; doctrinæ facta, ibi Electorem hunc animo deliberato dixiſſe ferunt: Neſcio ſanè, quid in ardua hac cauſa adhuc ſit faciendum, ſi verò perſpectum haberem, quid tandem eſſet ſtatuendum, tali à Deo, unà cum fratre meo, præditus ſum animi conſtantia ac alacritate, ut potius omnia relicturus hæc mundana, ac more eremitæ, bacillo in manus arrepto in exilium lubens abiturus eſſem, quàm divinæ eius repugnaturus viderer voluntati in revelato verbo divino.

Præ reliquis autem conſiliariis familiariter uſus eſt Doctore quodam, cui cognomen SCHICKERO: Hic inter conferendum aliquando ad Electorem dicit: Non eſſe ſpem in Principis locandam: Scriptum enim eſſe à Pſalmographo: NOLITE CONFIDERE IN PRINCIPIBUS: cui Elector facetè reſpondet: Auctorem eodem etiam in loco ſtatim addere, NEQUE IN FILIIS HOMINUM, IN QUIBUS NON EST SALUS. Talis & tute es, inquit, mi Præpoſitæ opimam enim præbendam præpoſituræ VVitebergenſis eidem doctori aſſignaverat poſſidendam.

Sales venuſtæ Elect.

Conqueſtio paupercula de iniquitate latæ ſententiæ.

Apud hunc porrò Electorem quædam anus paupercula conqueſta eſt de iniquitate latæ ſententiæ ab aulicis conſiliariis. Ideoq; oblatis literis ſupplicatoriis, ab eo ipſo Electore coràm viva voce petit, ut benignè curet æquum ius ſibi decerni. Quas ſupplicatorias ipſe Elector conſiliariis ſuis exhibens, graviſſimè in eos invehitur, quod non ſecundum rectiſſimam Iuris formulam pronuncient, ſententiasq; ferant. Inde enim poſſum colligere, inquit, vos duplici iuris uti modo, iniqui & æqui, ac cum paupercula iniquè actum, cum tantopere æquum ius expetat. Proinde volo iubeoq;, ut iuſto modo cum ipſa in poſterum, ac omnibus aliis agatis, ac æquum ius unicuiq; ex æquo communicetis.

Iudicium de arcibus munitis.

De eo quoq; potiſſimum & id prædicatur, quòd ſæpiſſimè dixerit: Nolle ſe munitiſſimam aliquam extruere arcem, in qua quædam præſidii ſpes eſſet, neq; etiam multas congerere divitias. Qui enim niterentur præſidio talium, & à pecunia inſuper optimè inſtructi eſſent, eos ſtatim ac à vicinis, levi aliqua afficerentur iniuriâ, ſolère in iis, mox ad arma conclamantes, confidere, cùm tamen eædem, quamvis munitiſſimæ, unà cum divitiis, vix ad initia bellorum ſuſcipiendorum, nedum continuandorum ſufficerent.

Propo.

Propoſuit aliquando ſibi, miniſtris ſuis certam pro convictu numerare pecuniæ ſummam, ne cogeretur, tantas pro culina ſua inſumere impenſas. Verùm annuo ſpatio expertus eſt, octingentos florenos ulterius hoc unico anno inſumtos, quàm ſi de ſua eos aluiſſet menſa. Statim itaq; ſuum mutat propoſitum, ſuisq; aulicis rurſus de neceſſario convictu, ſecundum morem conſvetum, è ſua culina proſpicit. *Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.* Convictus ratio aulicorum quæ optima.

Si quando caligas ſibi aptas nanciſceretur, tàm diu uſus iis eſt, ut ſartor cogeretur eas reſarcire, & querebatur, rarò ſuis aliquas poſſe aptari pedibus convenientes. Videtur autem tali ſermone aliud aliquid eum voluiſſe demonſtrare, mutationem nimirum omnem eſſe periculoſam, eandemq; non temerè ſuſcipiendum, iuxta Ariſtotelis dictum: πάντων μεταβολὴν εἶναι ταραχώδη.

Quodam tempore Torga ita ipſa bruma VVitebergam unà cum fratre IOHANNE navigat, navi duriter quaſſata glacie, ut non parvas moles interdum vehit ALBIS: Nolunt tamen principes navim prius ad ripam applicare, quàm ad arcem ventum eſſet, quanquam tabulæ navis iam dehiſcere incipiebant. Cùm autem ad arcem accederent, & iam è navi egrederentur, priuſquam reliqua turba in ripam aſcendit, diſſolvuntur tabulæ, & paſſim in ALBI natant. Stantes autem in ripa Principes, & cum ſtupore admirabundi navim intuentes cogitant demum, quanto in periculo fuerint, agnoſcunt divina ope navim conſervatam donec egreſſi eſſent. Poſt longum tandem ſilentium Elector fratrem talibus compellat: Fateamur nos divinitus eſſe ſervatos: Ideoq; grati hoc Dei opt. max. beneficium celebremus, qui nos non minus in hoc periculo, quàm in aliis protexit. Quòd verò nobis iam egreſſis navis dilaceratur, metuo, ne poſt nos aliquam domui Saxonicæ diſtractionem aliquandò portendat. Quibus verbis videtur eum eſſe vaticinatum futura pericula & certamina de religione poſtmodo excitata, tempore IOHANNIS FRIDERICI itidem Electoris, eius ex fratre nepotis, ac eius captivitatem. Quanta autem aliàs fuerit præ reliquis facilitate moderationeq; animi, ac imprimis erga ſacrum miniſterium veneratione, inde apparet, quod cum pro concione quidam Dominicanus Monachus publicè diceret: Textum eiusq; explicationem ſimilem eſſe & convenire lepotem excorianti, ubi eius excoricatio tota conſvevit aliàs eſſe facilima, capitis verò omnium difficilima: Ita etiam concionatori taxationem vitiorum in humili loco natis, utpote adulterii, fornicationis, & aliorum (illorum autem vitiorum mentionem tantùm faciebat in Principe culpandorum) nullum creare periculum: ubi verò ventum eſſet ad caput, ibi digitum intendens in ipſum Principem, tuus ſit exoriator ipſe Diabolus, dicebat. Elector verò, quâ erat ſagacitate & facilitate, licet colligeret, ſe hac perſtringi in concione, attamen nulla motus excandeſcentia, Monachum novo inſuper cucullo ornat. Periculum vitæ in Albi fluvio. Obliqua alicuius concionatoris taxatio vitiorum Principis.

Sæpenumerò è BOHEMIA ligna comparari de numerata è ſuo ærario pecunia ad uſus neceſſarios contra hyemis violentiam, curat, ne cogeretur ea è ſuis deſumere ſaltibus, qua de cauſa etiam ſylvas illas propè VVITEBERGAM, maioribus ſuis laudatiſſimis pignori ab ANHALDINIS Principibus datas, non libenter reſignabat, neq; tamen Principes defraudare earum commoditate & poſſeſſione cupiebat. Ligna unde comparata.

In maxima annonæ charitate, quæ incidebat in annum vigeſimum quartum ſupra milleſimum quinquageſimum, ubi medimnus octodecim groſſis vendebatur, colonis multis in MISNIA, FRANCIA, VOITLANDIA, & vicinis locis, è ſuis granariis, quæ ſemper habebat inſtructiſsima, certum medimnorum numerum vili & mediocri precio vendi iubet. Munificentia in maxima annonæ caritate.

Subditis verò ſuis frumentũ ad familias alendas, & ad ſerendum dat mutuo, ea quidem conditione, ut poſt alteram meſſem redderet tantundem frumenti:

Fridericus III. Sapiens Elector Saxon. Id à ditioribus recipiebat, qui reddere poſſent, reliquis tenuioribus, qui ſolvendo non erant, donabat, teſtamentoq; cavet, ne ſe mortuo repetatur. Conſtat autem tria vel quatuor medimnorum millia pauperibus ab eo donata fuiſſe.

Quoniam autem è ſententiis ſibi familiaribus heroes, & ſummo loco nati, palàm omnibus faciant, quid illis conſilii, quid animi, quid mentis fuerit, quemúe ſibi ſcopum, non tàm in agendo, quàm omittendo habuerint propoſitum, hanc ſibi è multis in Theologicis, quas mandato eius GEORGIUS Spalatinus collegerat plurimas, elegit, quæ illi ſolennis fuit. VERBUM DOMINI MANET IN ÆTERNUM: quam memorabilem ſententiam deinde frater, eiusq; in Electoratu ſucceſſor, IOHANNES, & poſt illum alii plurimi, Symboli loco ſibi adſcripſerunt & uſurpârunt. In politicis verò illam uſurpâſſe conſtat: TANTUM, QUANTUM POSSUM.

Chrya ſive ſymbolum huius Electoris quale.

Dicta ſibi admodum familiaria. De CAROLO V. Imp. Romanorum noviter electo dixit: Deus dedit nobis Cæſarem clementem & terribilem.

De ſe verò, aliisq;. qui rerum potiri vellent, illud retulit: Nihil magis cavendum gubernatori, quàm ne ſubitò reſpondeat: Id quod cum Demoſthenis dicto concordare videtur, quem etiam novimus ſolitum fuiſſe, eum improbũ iudicare civem, qui non veniat ad ſententiam dicendam præmeditatus.

Refrenatio iræ. Ad conſiliarios autem, ac aulicos ſuos hæc verba ſæpè uſurpâſſe fertur: COLITE PIETATEM, nam facilè deſiſtere poteritis, ſi volueritis.

Iratus, ſeceſſit ſolus in ſuum conclave ſive cubiculum, & dimiſit à ſe omnes, cum quibus res erat. Ita ſolus concoxit & fregit iram, & poſt aliquot dies rediit ad conſiliarios. Ad quendam verò nobilem, cùm vidiſſet illum excandeſcere: Quàm turpe, inquit, eſt, virum ſapientem iraſci Martino Mellerſtadio, & Piſtorio medicis in cura corporis uſus eſt, quem poſtremum etiam CAROLUS V. Imp. in ſecurando adhibuit.

In pingendis literis ita ſe exercuit, ut præ reliquis eas aſſueſcerat pulcherrimas effingere: licet de eius fratre IOHANNE etiam prædicetur, quod expeditam habuerit manum, & ſæpiſſimè integras ferè conciones in palimpſeſtis exceperit.

De pactis & fœderibus faciendis, ſæpiſſimè eum dixiſſe conſtat: Bonum quidem eſſe facere fœdera, ſed væ illi, qui ſervat.

De cancellariis verò Principum dicebat, eos eſſe cor Principis & teſtimonia ingentium laborum, conſiliorumq; plurimorum de rebus graviſſimis ſæpiſſimè ſuſceptorum & expeditorum.

Epiſtola eius poſtrema ad Iohannem fratrem. Ad extremum, & triduo ante eius obitum ad fratrem IOHANNEM, in ipſo initio agreſtium tumultus, ſcripſit conſolatorias, quibus narrat: Divina clementia in multis magnis periculis ſe & fratrem ſervatos eſſe, fore Deum cuſtodem huius regionis deinceps etiam, nec longum fore hunc errorem plebis; Sed curandum eſſe, ut per Evangelii præcones de officio ſuo homines rectè erudirentur. Et ut ipſe habeat præſidia, & paucis caſtigatis parceret multitudini hortatur. Deinde agit ei gratias pro perpetua eius benevolentia, & ſignificat iam morbi ſevitia naturæ vires ſuperatas eſſe, ſed in cœleſti Eccleſia futurum, ut iterum dulciſſima conſuetudine fruantur.

Quoties comitiis & conventibus interfuerit. Tribus autem Imperatoribus hic Elector laudatiſſimus, ſuam fidem, integritatem, conſtantiam, iuſticiamque ſummam probavit, iisque carus acceptusq; fuit, FRIDERICO III. avunculo ſuo magno, MAXIMILIANO II. & CAROLO V. Trigeſies Comitiis & conventibus interfuit: Electoratum iuſticia & pietate annis tenuit octo & triginta. In more habuit uſitato, ut ſingulis annis ad diem, D. Antonio dicatum, qui quotannis incidit in 16. Cal. Feb. & qui erat eius natalis, tot rhenanos ſacris deſtinaret, quot annos erat natus, ſingularem ſemper aliàs in pauperes exercuit munificentiam.

17. Ianuar.

Encomia eius.

Pro-

Proditum quoq; memoriæ eſt, quod, ut ſupra diximus, hiſtoriarum compendium, temporumq; & Monarchiarum ſeriem, perſcribi ſibi curârit, ut totius antiquitatis faciem in promtu conſpectuq; haberet, unde neceſſitate urgente, exempla in graviſſimis deliberationibus ac negociis depromeret. Imprimis verò delectatus eſt lectione Tragædiarum Senecæ, & alterius Senecæ epiſtolis & Horatio, e quibus auctoribus inſigniores quaſdam ſententias memorabilibus talibus & ſchedulis inſcriptas, parietibus in Muſæo & cubili ſuo affixit, ut frequentiori intuitu & iteratione, memoriæ impreſsâ, ſuo loco & tempore occurrerent. Tales ſæpè ex eo auditæ, utpote ſunt iſtæ: *Fridericus III. Sapiens Elector Saxon.*

Nihil magnum, quod non eſt placidum.
Quò plura poſſis, plura patienter feras. } Seneca.

Vis conſilii expers mole ruit ſua: Horatius.

Vt ſol, cùm venerit in ſummum faſtigium, tardius incedit: Ita ſumma in poteſtate cunctantius & moderatius omnia agenda ſunt.

Bonus princeps nihil à bono patre differt.

Non oportet tota nocte principem dormire, cui populi commendati, & tantæ res curæ ſunt.

Vbi non eſt pudor, nec cura iuris, ſanctitas, fides, inſtabile regnum.

Conſulere patriæ, parcere afflictis, dare orbi quietem, ſeculo pacem ſuo: Hæc ſumma virtus, petitur hac cœlum via. Moderata durant, &c.

Ad comitia Imperialia triginta tantum equis, & parvo cum comitatu acceſſit: Dicebat enim creſcente comitatus numero optima in deliberationibus plerumq; impediri, & neceſſaria negligi conſilia. Sicut etiam non plures quam centum equos in aula annuatim ſolummodò aluit.

Elogia eius plurima extiterunt. Dictus enim eſt, ſcriptore Pegavienſi teſte, Sapientiæ domicilium, conſiliorum theſaurus: Legum defenſor: Controverſiarum finis: Imperii Romani columen: Patriæ monumentum: Morum ſpeculum: Decus Principum: Diſciplina civium: & iuxta nomen ſuum, Dives amator pacis: Eccleſiæ deniq; & ſcholarum nutricius optimus. Inventum quoq; per vetuſtum encomium ſub effigiem eius, in pervetuſta membrana, aureis literis eleganter conſcriptum: Hic nobile principum decus: Opulenta libertatis officina: Obſervantiſſimus literarum Mecænas: Studioſiſſimus ceremoniarum cultor: Latus eſt illuſtriſſimi Principis campus, ut, vel centum lingvæ, ferrea vox, exundans deniq; Ciceronianæ eloquentiæ Nilus, in ipſo prorſus deficiant.

Obiit LOCHAVIÆ, ubi nunc ANNÆBURGUM III. Non. Maii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum vigeſimo quinto, diuturnis calculi cruciatibus extinctus. Vixit annos LXII. menſes III. dies IX. horas V. Conditur primus VVITEBERGÆ in templo arcis, cuius, & Academiæ illius laudatiſſimæ, conditor, & fundator erat munificentiſſimus. Mort. 1525. 5. Maii.

Non abſq; ſingulari autem Dei providentia exiſtimandum, ſicut ſupra meminimus, emendationem religionis à Luthero, vero Propheta Germaniæ, atq; adeò mundi ultimo, ſuſceptam, ſub hoc Principe potentiſſimo ſapientiſsimoq; potiſsimum fieri, qui uti perſpiceret, curſum illius divinitus omninò gubernari, ita impedire eam noluerit. Et quamvis, quâ erat prudentiâ, non admodum hanc, utpote novam, primùm defenderit, tamen Luthero, eiusq; ſociis, patrocinium minimè denegârit, ut eò melius abuſus & errores horrendi & tetri, qui in Eccleſiam Chriſti invecti erant, corrigi & lux veritatis, libertasq; Chriſtiana, ſecundum Dei verbum, reſtitui poſſet. Nullius enim hominis ope & adminiculo eam egere cauſam arbitrabatur, quæ divino conſilio auxilioq; prorſus niti videretur.

IOHAN-

Iohannes Elector Sax.

IOHANNES ELECTOR,
Cogn. CONSTANS.



Natus 29. Iun. 1469.

IOHANNES, Erneſti Electoris quintus filius, FRIDERICI III. cognomento Sapientis, frater, naſcitur MISNÆ. III. Calend. Iulii. Anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, ſexageſimo nono.

Coniugium.

Vxor eius prima SOPHIA, filia MAGNI Ducis Mochelburgii, IOHANNIS FRIDERICI Electoris mater, quæ eo partu ſtatim obiit, ſepulta TORGÆ in æde Divæ Virgini ſacra. Altera MARGARITHA, filia VVALDEMARI, principis

principis Anhaldini, è qua procreati IOHANNES, prima ætate mortuus, & IOHANNES ERNESTUS I. Filiæ, MARGARITHA, quæ virgo novendecim annorum obiit, & MARIA, nupta PHILIPPO Duci Pomeraniæ. *Iohannes Elector Saxon. Liberi.*

Fuit hic Princeps literis, humanitate, atq; omni virtutis genere ornatiſſimus, nec non, ſicut frater FRIDERICUS III. Sapiens, pacis, omniſque honeſtatis & ſobrietatis, inprimis verò religionis ſinceræ ſtudioſiſſimus, cui etiam deinde, ob conſtantiam, & defenſæ religionis amorem, cognomen CONSTANTIS obtigit.

Tirocinia eius ſatis felicia. Cum fratribus enim interfuiſſe puer ſcribitur parentis expeditioni Vratislavienſi, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, ſeptuageſimo quarto, ad pacandam eam Germaniæ oram ſuſceptæ, quam tunc potentes illi, & bellicoſi Reges, MATTHIAS Vngarus, & CASIMIRUS Polonus, bellicis implebant tumultibus & depopulabantur. 1474. *Tirocinia eius.*

Poſtea Imperatori FRIDERICO III. avunculo, in cuius aulæ vixit, adoleſcens in itinere Italico comes fuit, ut ſcribit Crancius.

Auſpiciis quoq; MAXIMILIANI I. Imperatoris, amitini ſui, primum in PANNONIA inferiori, deinde in ITALIA TRANSPADANA militat.

In oppugnatione ALBÆ REGALIS, inter primos fortiter dimicans, ipſemet quoq; mœnia, celeri & intrepido aſcendit auſu, cuius fortitudine ab Imperatore collaudata, in eius rei teſtimonium inſigni corona murali ornatus diſcedit. Factum hoc anno ſupra milleſimum quadringenteſimum nonageſimo. 1490. Solus hic autem inter fratres illuſtriſſimos, ne ditio in plures diſtracta partes, ignobilior aut imbecillior redderetur, matrimonium contrahit. 1500. Primum anno ſupra milleſimum quingenteſimo 5. Non. Martii, cum SOPHIA filia MAGNI, Ducis Megopolitani, HENRICI & ALBERTI ſorore, è qua anno ſupra milleſimum quingenteſimum tertio, IOHANNEM FRIDERICUM poſtea Saxoniæ Electorem, ſuſcipit, in cuius naſcentis dorſo crux aureo colore viſa eſt fulgere, matre poſt paucos dies in puerperio extincta, id quod factum 4. Idus Iulii. *3. Martii. Nuptiæ eius primæ.* 1503. *12. Iulii Obitus primæ eius coniugis.*

ETORGA quodam hyemis tempore cum fratre FRIDERICO III. Sapiente, in Albi fluvio VVITEBERGAM navigat, ſatis quidem cum periculo vitæ, quaſſata undiq; glaciei molibus navi: Verùm divina quadam benignitate unà cum fratre eripitur. Cum enim VVITEBERGAM venirent Principes, & è navi vix egreſſi eſſent, navis frangitur, antequam reliqua turba in ripam aſcenderet. Principes ſe divinitus ſervatos agnoſcentes, Deo ter maximo pro benigna liberatione gratias agunt. FRIDERICUS verò Elector hæc verba inſuper locutus fertur. Vereor, ne naufragium hoc aliquid toti domui Saxonicæ portendat mali: Præſagiens nimirum id, quòd poſtea IOHANNI FRIDERICO Electori, ſuo ex fratre nepoti, fato infeliciori cum Cæſarianis ad MULBERGUM confligenti, evenit. *Periclitatio vitæ.* *Friderici III. Electoris de hoc naufragio iudicium.*

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum decimo tertio, Idibus Novembris, ſecundam duxit uxorem MARGARITHAM, filiam VVALDEMARI principis Anhaldini, VVOLFGANGI ſororem, cum decem annos in viduitate vixiſſet, in quarum nuptiarum feſtivitatibus in ipſo primo ingreſſu in urbem TORGAM, pueri eius lanceolas geſtantes, ac equis inligati, præ nimio frigore animam in equis exhalarunt. Aſperrimum enim & diuturnum gelu eo tempore à Calendis Octobris, uſque ad finem Februarii inſequentis anni duraviſſe conſtat, quam rigentem frigore Hyemem veteres ſeculo ſuperiori ita ſua nobilitarunt relatione, ut dicerent 1513. *13. Novembr. Nuptiæ eius ſecundæ.* *Hyems aſperrima hominum memoria.*

Iohannes Elector Saxon. dicerent nullam unquam hyemem rigidiorem ac diuturniorem illâ extitiſſe, unde factum, ut inde ſuæ ætatis & aliarum rerum geſtarum annos computarent. Ferunt etiam ALBIM fluvium ter glacie eo anno conſtitiſſe, primò in Novembri, deinde in Decembri, & tertio in initio Februarii.

1521. 9. Octobris Obitus alterius coniugis. Anno autem ſupra milleſimum quingenteſimum, vigeſimo primo, VII. Id. Octobris. altera eius uxor vitam hanc cum altera æterna commutat, cum vixiſſet cum marito, VII. Annos IX. Menſ. III. Hebd. V. dies.

1525. Fit Elector. Fratre autem FRIDERICO III. Sapiente III. Non. Maii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, vigeſimo quinto, piè defuncto, ipſe Electoratum non minori æquitate atq; virtute, ac frater eius laudatiſſimus, gubernandum ſuſcipit, in cuius gubernationis initio agreſtium tumultus è diœceſi

Agreſtium tumultus. FULDANA, tantâ ſeſe in TURINGIAM effundit celeritate; ut, niſi maturè Principes arma ſumſiſſent, maximum fuiſſet ortum in SAXONIA incendium, cui extinguendo vix GERMANIÆ vires ſuffeciſſent.

Famâ igitur tantarum excitatarum turbarum Elector motus, ſtatim arma induit, cui auxilia mittuntur à GEORGIO Duce Saxoniæ, eius patrueli. HENRICO Brunſvigio, & PHILIPPO Haſſiæ Landgravio, ALBERTO item Antiſtite Magdeburgico, fratre. Antequam autem coniunctis Principes viribus agreſtes aggrederentur, prius Comitem Suarceburgicum, Legati munere functum, ter in caſtra eorum mittunt, ut à ſuo eos propoſito dehortaretur, qui ſurdis narrat fabulam. Poſtea verò cum Duces omnes ſuas coniunxiſſent copias, tandem nobilem adoleſcentem MATERNUM Gehovam, cum literis amandant, quibus monebantur, ut aut ab armis diſcederent, aut pœnam facinoribus debitam expectarent. Agreſtes ſuo abundantes ingenio, & pro libitu omnia agentes, literas diſcerpunt, & adoleſcentem more barbaro interimunt.

Quo facto Duces irritati, rem pleno aggrediuntur impetu, & tormenta in agreſtes dirigunt. Agreſtes videntes ſe circumvallatos, nobilem CASPARUM Ruxelebium, quem unà cum VVOLFGANGO Stolbergenſi Comite, è Legatis Ducum ad ſe miſſis, captivum retinuerant, in caſtra mittunt, veniam facinoris petentes, quibus Duces reſpondent, ſe nullis aliis, quàm prima, alteráve vice, propoſitis mediis cum ipſis acturos. Agreſtes rurſus comitem STOLBERGENSEM, cum reliquis à ſe captis nobilibus ad Duces ablegant pro ſe, proq; MUNCERO vitam orantes. Verùm Duces perſpicientes, ſe laterem lavaturos, legatos retinuerunt, IOHANNEM VVertherum, equitem TURINGIÆ, ad illos amandantes, qui illis indicet, ſe nihil amplius de MUNCERO cum illis tractaturos, ſed iamiam eos aggreſſuros, ſuumq; exercituros officium, cùm cernerent, ſe ſolummodò ab illis ſperni.

Clades agreſtium maxima. Itaq; equitatu ſuo ad ſtationes agreſtium accedentes, tormenta ſtatim immittunt, quibus arte in ipſum collem, quem occupaverant, directis, magnam cladem inferunt, agreſtes munitionibus deiiciunt & diſſipant, in fugamq; convertunt, plurimi ex altera fugientes collis parte conciduntur.

Hac conceſſa divinitus victoria, Duces oppidum ingredientes, plebem promiſcuam partim capiunt, partim interficiunt, deditione facta die Lunæ poſt

15. Maii Francohaſia capitur deditione. Dominicam Cantate, Idibus nimirum Maii, & trecentis è captivorum numero capite mulctatis. Numerati autem ſunt, qui intra & extra oppidum ceciderant, & capite truncati erant, ſeptem millia quadringenti & viginti tres.

THOMAS Muncerus hoc in tumultu in quandam caſulam propè portam confugerat, in quam LUNÆBURGENSIS quidam nobilis capto oppidulo diverterat, cuius miniſter quidam, prædæ inhians, ſuperiori domus contignatione

ſignatione conceſſa, eum in lectulo procumbentem, morbumq; ſimulantem, offendit, compellatumq; interrogat, num etiam eſſet è numero confœderatorum ſeditioſorum? Cui reſpondet, ſe aliquot diebus febri conflictatum difficili, nihil quicquam ſibi de tumultu excitato conſtitiſſe. Conſpectam autem eius manticam miniſter ſtatim apprœhendit, & literis in eadem inventis ab ALBERTO Comite Mansfeldio ſcriptis, quibus à temerario eum dehortatus propoſito erat, cognoſcit, eundem eſſe, quem tamen ſe eſſe abnegabat, diſſimulabatque. *Iohannes Elector Saxon.*

Captum igitur ſecum ducit ad ERNESTUM Schonburgium, GEORGII Ducis Saxoniæ Legatum, deinde ipſis eundem Ducibus exhibet, à quibus interrogatus, quâ fiduciâ auſus eſſet inermes agreſtes in tantam internecionis conijcere cladem. *Muncerus capitur.*

E cuius reſponſione ſingularem eius animadvertunt Duces pervicatiam. A Ducibus mittitur ad MANSFELDIUM, cui mortem intentaverat, & quem diris omnibus devoverat.

Poſtea abducitur in arcem HELDRUNGIAM, ibiq; quæſtionibus ſubiectus nomina confœderatorum. ALSTETI, MULHUSII, MANSFELDII, ASCHERSLEBII, VVIMMELBURGI, VVULFERODI, aliisq; in locis latitantium, indicat.

Agreſtibus ad FRANCOHUSIAM uno prælio feliciter victis, exercitum Duces MULHUSIUM deducunt. SCHLOTHEMIIq; primum conveniunt, quò MULHUSII duodecim ad Electorem Saxoniæ amandant Legatos, & ut cauſa benignè cognoſcatur, ſummiſſè petunt, arbitros ERFURDIENSES & NORTHUSANOS poſtulant, indicantes, ſe propter ſeditiſos fœderatos non potuiſſe liberè uti auctoritate ſua, ac omni vacare culpa.

Verùm humo proſtrati non audiuntur, ſed repulſam patiuntur, ac nihilominus urbs obſidione cingitur, id quod factum eſt XIV. Cal. Iun. *Mulhuſium obſidetur 19. Maii.*

Cives hæc fieri perſpicientes, mox Ducibus in caſtris præſtò ſunt, ſupplicesq; facti veniam petunt, deditionem pollicentur.

Duces aliquo modo benignè reſpondentes, poſtulant ab ipſis, ut auctores & faces tantarum turbarum ipſis tradant, quò in eos pro rei ſeveritate poſſet animadverti. Redeuntibus in urbem civibus, referentibusq; quid egerint, PFEIFERUS à Muncero relictus urbis cuſtos, conatui civium ſeſe, unà cum ſuis ſociis iuratis, acriter opponit, neq; vult concedere, ut urbem dedant. Cives verò commodius rati, ut ſeſe Ducibus committant, fortunasq; & vitam retineant, in propoſito ſuo firmiter perſiſtunt.

PFEIFERUS perſentiſcens, quid futurum eſſet, nocturno tempore portam quandam vectibus & bipennibus aperit, & cum quadringentis ſuis complicibus clàm elabitur, cuius fugâ cives perterriti, in maiore verſantur diſcrimine, omninò de ſalute ſua deſperantes, & iram Ducum atrociorem metuentes. Itaq; difficulo facto, uxoribus ſuis & filiabus, circiter octingentis, in caſtra miſſis, maiori cum contentione vitam petunt, quarum geſtu humili, & eiulatu miſerabili Duces permoti, eas alloquuntur humaniter, easq; reduci tutas in urbem curant, mandantes, ut maritis ſuis indicent, dedant ſeſe, una cum fortunis omnibus, ſine conditione, hac ratione exitum rei vel tolerabilem, vel ſi non, expugnationem & πανωλεθρίαν urbis expectantes miſerrimam.

Cives veſtibus ſordidatis in caſtra regredientes, ſupplicesq; denuò facti, impetrata faciunt, urbem dedunt, claves tradunt, ſuamque Ducibus ſalutem commendant, indicantes, PFEIFERUM præterita nocte, portâ effractâ, ſibi ſuisq; complicibus fugâ conſuluiſſe. Quâ famâ Duces excitati, VVOLFGAN-

Iohannes Elector Saxon. GUM Endium cum dimidia equitum turmâ mittunt, ut fugientem inſequatur, is in agro eum ISENACENSI aſſequitur, & è fuga cum centum ſociis retrahit, cæteris reſiſtentibus partim occiſis, partim fugatis.

Deditio urbis Mulhuſii 25. Maii. Duces VIII. Cal. Iunii, quo die tùm agebatur Feſtum Aſcenſionis Chriſti, urbem intrantes, in capita factionum ſeditioſarum inveſtigant, ne cum nocentibus puniant innoxia, inveniuntq; non modò infimos homines, ſed etiam nonnullos è prætorii & conſularis ordinis viris, crimine ſeditionis reos, qui vulgus inani libertatis nomine inſtigaverant.

Præ omnibus autem, libertatem civibus adimunt, partem muri demoliuntur, & iura ſolummodò, quibus erant Imperatori CAROLO V. & Imperio obſtricti, illis integra relinquunt. Ea ipſa verò hora, qua hac in urbe aguntur, nunciatur PFEIFERUM propè ISENACUM captum, & iamiam reductum iri ab ENDIO, qua ex re magna oritur lætitia.

Duces urbe capta, tumultuque ſedato, MUNCERUM quoque HELDRUNGA eò curant deduci, in mediumque productum gladio unà cum PFEIFERO, & æditu quodam, percuti mandant, quorum capita contis affiguntur & eriguntur. Aſtabant vincti è civibus plurimi, quadam opinione libertatis à factioſis ſeducti, quibus tamen omnibus indicta gravi mulcta ignoſcebatur. Cogebantur autem quadraginta millia florenorum pendere. Vrbis verò gubernatio committitur Ducibus vicinis, ut eam ſinguli ſingulis annis viciſſim tenerent, uterq; SAXO & HASSUS, quorum in finibus ea ſita erat, quibus ſinguli treecentos quotannis florenos numerabant.

Motus in Francia, Bavaria, Svevia, &c. Interea dum Duces in TURINGIA occupati ſunt, in reprimendo ſeditioſorum tumultu, non minores agreſtium furioſorum motus menſe Martio extiterunt in Francia, Bavaria, & Svevia, adverſus magiſtratus ſuos ſumtis tumultuantium armis. A Ducibus igitur Svevici fœderis FRANCOFURTI ad Mœnum novem millia trucidantur, & duo millia capiuntur. Inde ab ipſis in FRANCIAM ductæ copiæ, in qua ducentis circiter arcibus & monaſteriis deſtructis, agreſtes urbem VVURCIBURGUM, HERBIPOLIN aliàs vocant, occupaverant, & arcem Antiſtitis in adverſa Mœni ripa monti impoſitam obſederant, tredecim millia conciduntur. GUNSBERGUM expugnatur, confeſſis omnibus ibi repertis, villæ & pagi circumiacentes incenduntur.

PABEBERGENSIS quoq; Antiſtes multos interimit in ſua diœceſi. CASIMIRUS, Marchio Brandeburgicus, equitatu ſuo eo ipſo die, quo clades quoq; agreſtium ad FRANCOHUSIAM facta, ſedecim fermè millia opprimit. KIZINGAM expugnat, ſeptuaginta capite mulctat, & octoginta quinque igne exurit.

23. Aprilis. GUILIELMUS Bavarus quinq; millia fundit 19. Cal. Maii, & quoſdam captivos capite punit.

Quadringentos & ſexaginta quinq; PALATINUS Rheni junior delet, & tredecim capite truncat.

12. Maii. In diœceſi verò VVIRTEBERGICA ſex millia & quadringenti 4. Idus Maii cæduntur.

In ALSATIA quoq; & LOTHARINGIA, ANTONIUS, Dux Lotharingiæ, viginti ſex millia diverſis in locis occidit, utpote LUPFSTENI quatuor millia: ſex millia propè TABERNAS: octo millia inter TAMBACHUM & STROVVILERAM, ac octo quoque millia inter SCHLETSTETAM & ORTENBERGAM.

Agreſtes,

Agreſtes, qui MEMMINGÆ in FRANCIA confluxerant, circa ferias PENTECOSTES ſeſe Electori Saxoniæ, & GVILIELMO, Hennebergio Comiti dediderunt, quibus mulcta ſedecim millium florenorum impoſita. Iiſdem in Feriis HENRICUS Brunſvigius DUDERSTETAM occupat, & à ſingulis civibus ſex florenos extorquet, quorum extitere numero, novem millia, armamentaque iis erepta, RUSTEBURGUM tranſportat. Similem quoque fortunam HEILIGENSTETENSES experiuntur, à quibus etiam civibus ſingulis ſex floreni extorquentur. *Iohannes Elector Saxon.*

Elector Saxoniæ XVI. Calend. Iulii ICTERHUSIAM caſtra movet, ARNSTETAMque veniens, mandato eius, & SVARCEBURGII Comitis, novem capite plectuntur, & quadraginta quatuor vinculis conſtringuntur. Altero die poſt ARNSTETENSIBUS libertas adimitur, & GUNTHERO Svarceburgio porta attribuitur propria, & mulcta inducitur civibus pendenda ad tria millia florenorum, agreſtibus verò quindecim millia imponuntur ſolvenda. 16. Iunii.

SALCENSES ſeptem millibus florenorum à GEORGIO, Duce Saxoniæ, mulctantur, & quadraginta cives ſupplicio afficiuntur capitali. Ex SANGERHUSIIS verò duodecim ſecuri percutiuntur, reliqui cives pendebant quinq; millia florenorum.

VVEISENSEHENSES ſoli in officio manſerunt, cuius cauſa etiam maiorem apud Duces gratiam merentur. FRANCOHUSII, de quibus ſupra, certas ſalis maſſas GEORGIO Duci Saxoniæ coguntur pendere. A DENSTETENSIBUS tria millia florenorum exiguntur.

De auctoribus huius ſeditionis quoque VINARIAE, IENAE, ISENACI, Elector ſumit, & civitatibus ea de cauſa arma adimit.

GEORGIUS verò, Dux Saxoniæ, porrò in ſeditioſos LIPSIÆ ferro animadvertit, CONRADUM quendam telonio præfectum, & cives ſeptem, è tribubus mechanicis convictos, capite plectit, quindecim alios exilio damnat perpetuo, à Senatu verò tria millia florenorum exigit, reliquos ſui admonet officii, & hortatur, ut in poſterum magiſtratum obſervent, ſintq; obedientes & modeſti. Per MISNIAM quoque & urbes metallicas, ubi ſeditio tantùm pullulaverat, & nondum in nervum eruperat, ſeditioſos inquirit, & qui culpæ conſortes erant, inter agreſtes albos bacillos geſtare, & damna data ſarcire, ſacra loca diruta inſtaurare, & mulctam pecuniariam intra certum tempus pendere iubentur.

Miſerandum autem in modum hoc exitioſo agreſtium tumultu non ſolum primas arces deſtructas eſſe conſtat, verum etiam plurima monaſteria prophanata & diruta, ac in iiſdem, quod execrandum, optimas, easq; inſtructiſſimas bibliothecas, in quibus antiquitatum monumenta plurima, adeò peſſundatas, conciſſas, igneque conſumtas, ut nulla veſtigia amplius earum exiſtant, & inveniantur, qua rei literariæ iacturâ ſanè dolendum.

Sed hæc de agreſtium excitato tumultu, rurſumque per magiſtratum ſedato, retuliſſe hoc loco ſufficiat, nunc ad Electorem hunc noſtrum redeo.

Sicut autem hic Elector potiſſimum omnis veritatis, pacis, ſobrietatis, honeſtatis, & imprimis puræ religionis cupidiſſimus erat: Ita pios doctores ſumma ſemper amplexus eſt benevolentia. Sacras conciones pœnè ad verbum manu ſua in palimpſeſtis integras excepiſſe fertur, quæ in perpetuam eius rei *Principis piiſſimi commendatio.*

 memoriam,

Iohannes Elector Saxon. memoriam, unà cum Catechiſmo in membrana ipſius manu exarato, in Bibliotheca Ducali adhuc aſſervantur & viſuntur.

Viſitatio & inſpectio Eccleſiarum ab hoc Electore primum incepta. Quapropter, cùm doctrinam cœleſtem rectè intelligeret, & animo ardentiſſimo amplexaretur, primus omnium viſitationem Eccleſiarum in ſua diœceſi inſtituit, & impios ritus abolet, idoneis conſtitutis paſtoribus ac doctoribus, qui rectè populum de omnibus fidei Chriſtianæ capitibus docerent, & ad obedientiam ac reverentiam erga magiſtratum, & ſtudium pacis & tranquillitatis publicæ, in auditorum animis accenderent.

Reditus Eccleſiæ ab Electore conſtituti ampliores & novi. Ea in inſpectione prima, verò cum aliquibus Parochiis in Turingia viſitatores reditus certos, quibus hactenus caruerant, aſſignarent, & deinde Gothani & Iſenacenſes confirmationem eorundem literis ſupplicibus ab Electore per eoſdem peterent, qui citantes dictum Eſaiæ: Reges & Principes erunt nutritores ac altores Eccleſiæ, & Reginæ nutrices: Dixiſſentque, hoc dicto commonefieri Magiſtratum politicum de præcipuo ſuo munere & officio, ut videlicet non ſolùm Eccleſiæ proſpiciant, & conſulant paſtoribus de neceſſario victu: verum etiam ut foveant & protegant Eccleſias, & earum Doctores: Eo ferunt Electorem adeò delectatum eſſe, ut iuſſerit è veſtigio ſibi locum illum in Eſaia Prophèta monſtrari, donationemque illam benigniſſimè confirmâſſe, amandatis mox fide dignis hominibus, qui eandem ita à ſe ratam habitam, publicarent.

1529. *Ioh. Cepuſius R. Vngariæ reſtituitur.* Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, vigeſimo nono, Solymanno Turcico Imperatore IOHANNEM Cepuſium, Stephani filium, Tranſylvaniæ Principem, à parte Procerum Vngariæ regem electum, à FERDINANDI copiis verò ſuperioribus annis profligatum, in Vngariam reducente, & Budæ, Regem conſtituente, poſtea verò AUSTRIAM inveſtante, & VIENNAM metropolin, tribus centum millibus armatis obſidente, Elector hic, & GEORGIUS Dux Saxoniæ, magnas copias ad eius defenſionem citò mittunt, ubi tributum à CAROLO V. Imp. per univerſam ditionem imperatum ad belli ſumtus ſuſtinendos, ut de ſingulis ſexagenis octo nummi penderentur. Divino autem auxilio Turcius tyrannus repreſſus, & facta iactura maxima ad ſexaginta millia armatorum, & urbe VIENNA vigeſies fruſtrà tentatâ, tandem obſidione ſoluta, in THRACIAM re infecta redire coactus eſt.

Vienna obſeſſa. *Tributum.*

Puritatem autem doctrinæ, quam Elector hic laudatiſſimus, ardenti amplexus erat ſtudio, ut modò diximus, eandem, &c.

Exemplar ſingularis conſtantiæ. Poſtea à ſe, & GEORGIO, Marchione Brandeburgico, IOHANNE FRIDERICO, ſuo filio natu maiore, Saxoniæ Duce, poſtea Electore, PHILIPPO Landgravio Haſſiæ, ERNESTO & FRANCISCO, fratribus Brunſvicenſibus & Lunæburgiis: VVOLFGANGO Anhaldino, atque civitatibus duabus Imperialibus liberis, NORINBERGA & REUTLINGA, anno ſupra milleſimum quingenteſimum trigeſimo, VII. Calend. Iulii, in Comitiis AUGUSTANIS exhibitam, & populari & latina lingva, à Cancellario Saxonico, GEORGIO Pontano I. V. D. clara articulata, ſonoraq; voce prælectam, & in ampliſſima illa aula non ſolum, verùm etiam in area adiuncta inferiori, optimè exauditam, ac ab omnibus perceptam coram

1530. 25. Iunii. Auguſtana confeſsio Carolo V. exhibita.

Imperatore

Imperatore CAROLO V. & rege Romanorum FERDINANDO, fratre Imperatoris, omnibusque Imperii ordinibus, multisque etiam regum exterorum Legatis, eximia veneratione, conſtantique animi ſententia, profitetur. Et licet Imperator Pontificiorum confutationem, poſt ſextam tandem ab exhibita confeſſione hebdomadem ad ſe delatam, cui erat addictior, & quam potius probabat, tùm temporis, & eo ipſo in conventu promulgârit, nova illa Proteſtantium, tali enim titulo per contemtum appellabantur, reiecta, attamen Apologia eidem ſtatim oppoſita, de rigore illo divino, Zelum ſacræ literæ appellant, ullo nec terrore deiici, nec periculo depelli potuit.

Iohannes Elector Saxon.

Etſi porrò ſangvinarii quidam Præſules & Duces φόνια λεγὼ, ut in Tragœdia dicuntur, & ipſi ſic patria lingva nominabant, minitarentur Eccleſiæ, & imprimis genti Saxonicæ: tamen DEVS termaximus principi optimo aſſuit, ſuumq; profeſſorem clementer, uſq; ad extremum vitæ halitum, rexit, defendit, conſervavit.

Non minus conſtantia huius Electoris, ab omnibus maximis, minimiſque, perpetua cum laude & memoria, meritò celebratur etiam hac in parte, quòd nullis neque adverſitatibus, neque periculis, neque minis, neque magnificis etiam, augendæ ſuæ, atque filii potentiæ, pollicitationibus & promiſſis, à ſemel agnita abduci unquam veritate potuerit. Cùm enim ab Imperatore coràm, ut antea ſæpè per literas, à ſe fuerat factitatum, feuda Electoratus Saxoniæ, & reliquarum provinciarum, ac ditionum ſuarum, pro more Imperii, auctoritate Cæſarea, & ſolenni in auguratione, ſibi conferri, & pacta dotalia, de ſucceſſione inter IOHANNEM FRIDERICUM, filium, & Ducem IULIACENSEM inita; diplomate Imperiali confirmari, omni animi reverentia, & ſubiectione peteret, Imperator verò ſubiiceret: Se quidem petenti libenter gratificaturum, ac inveſtituram Electoratus, Ducatusque eiuſdem Regalia, in eum collaturum: pacta item dotalia cum Duce Iuliacenſi, cuius filia SIBYLLA IOHANNI FRIDERICO nupta erat, confirmaturum, ſi abiecta nova doctrina, quam cum catholicæ Eccleſiæ conſenſu pugnantem nuper amplexus eſſet, ad ECCLESIÆ ROMANÆ obedientiam rediret: Si id non faciat, ſe ei, ut qui à ſocietate fidei & Eccleſiæ diſceſſerit, feudum conferre nequaquam poſſe: Vultu Elector intrepido reſpondiſſe fertur: Se ſummiſſè precari, quæ petierit, & æqua iudicaret, benignè ſibi concedi, ea facturum ſeſe omnia, quæ à fidelibus requiri Vaſallis debeant ac poſſint: In cauſa verò religionis, ſibi non eſſe integrum, nec velle ſe ſuam mutare ſententiam, aut quicquam contra conſcientiam perpetrare: DEO enim excelſo plus tribuendum, quàm hominibus, ac ſalutarem Evangelii doctrinam omnibus theſauris, & rebus humanis anteferendam, pia animi excelſi, & in Deo in excelſis ſupremo, firmiter acquieſcentis alacritate, hac ſua demonſtrat reſponſione.

Verba Imperatoris ad Electorem Saxoniæ.

Egregia Electoris conſtantiſſimi reſponſio.

Quamvis autem edictum contra ECCLESIAS proteſtantium, ut vocabant, aſperius plus iuſto Imperator hoc in conventu ediderat, tamen, cùm MOGUNTIÆ paulò pòſt ALBERTUS, Archiepiſcopus Moguntinus, & LUDOVICUS Palatinus, de GERMANIÆ pace cum eo colloquerentur, & HELDUS vicecancellarius Imperatoris, aſtantis nomine durius, quàm par eſſet, reſponderet; Imperatorem, nimirum, qui alia quoque regna

Iohannes Elector Saxon. haberet ſibi ſubiecta, decretum hoc adverſus hæreticos, ſic enim per contemtum LUTHERANOS nominabat, in Comitiis concluſum, etiamſi devaſtanda tota eſſet GERMANIA, exequi decreviſſe: Imperator hunc interpellans dixiſſe fertur: Hæc non iuſſi te loqui: Nolo enim vaſtari GERMANIAM, quia & patria eſt, & ſummum ab ea decus Imperii accepimus, & Imperator ſaluti orbis terrarum, quantum in eo eſt, DEO benignè adiuvante, conſulere debet. Data igitur MOGUNTINO & PALATINO plenaria de pace cum Proteſtantibus agendi poteſtate, confectam tandem RATISBONÆ confirmavit.

1531. 5. Ianuarii Electionem Ferdinandi improbat Elector Saxoniæ. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo primo, in Comitiis COLONIAM, Nonis Ianuarii indictis, FERDINANDI regis electioni contra conſvetudinem aureæ bullæ Imperii inſtitutæ, per filium IOHANNEM FRIDERICUM, Elector hic noſter contradicit, cuius cauſa iram Imperatoris in ſe gravem concitat.

Tanta aliàs eius fuit in pios doctores, & ſacri miniſterii miniſtros veneratio, ut non dedignatus ſit Lutherum SMALCALDIÆ læthaliter decumbentem inviſere, & paternè conſolari, hoc addito promiſſo, quo poſt divinas voces nullum dari poteſt, ad erigendum conſternatum animum, ſolidius: Si te, inquit, mi chariſſime Dn. Doctor, DEVS hinc evocaturus eſt, ne, quæſo, de uxore tua, liberisque, ſis ſollicitus, tua uxor meæ fidei ita erit omninò commendata, ac ſi mea eſſet uxor, liberos verò tuos ita tutabor, ac ſi de meo eſſent oriundi ac progeniti ſangvine & corpore.

Provectior ætate, adverſa conflictatur valetudine, quam tamen naturæ bonitate ſuperat, niſi quod ex altero ceperit laborare pede ita prorſus, ut pollicem eius omninò reſecandum medici cenſerent.

Præſagia mortis. Venationibus poſt morbum animi gratia ſolitis indulgens, feram non amplius ita numeroſam à ſe conſpici miratur, & præſagii loco ducit, ſe à ſibi hactenus admodum familiaribus deſtitui animalculis, ideoque ſe non procul abeſſe à vitæ termino ominatur. Morbo ingraveſcente in arce SCVEINICIA, de vita cepit periclitari, omnibus tamen abſentibus liberis & conſangvineis.

Filium enim IOHANNEM FRIDERICUM, ſuum poſtea in Electoratu ſucceſſorem, paulò ante obitum ſuum, COBURGI in Francia aliquandiu habitaturum, à ſe dimiſerat.

Evocari autem ad ſe VVITEBERGA iubet, Dn. Martinum Lutherum & Philippum Melanchthonem, ut ſuæ eos fidei & conſtantiæ haberet teſtes veraciſſimos. Verùm cum opinione ſerius adveniſſent, Electorem iamiam agere animam offenderunt, de cuius obitu ſubitaneo LUTHERUS in

Lutheri verba hæc erupiſſe verba dicitur. Dolendum tàm Illuſtriſſimum & ſanctiſſimum Principem, diem ſuum ita ſolitarium obiiſſe, ut nullus neque filiorum, neque propinquorum, neque conſangvineorum, neque familiarium, ipſi ex hac ærumnoſa vita in meliorem & æternam hinc diſceſſuro, affuerit.

Verùm

Verùm idem illi, quòd pueris morientibus ſolet evenire, contigiſſe, qui abſque cruciatu & ſenſu doloris, morte placidiſſima expirant: Ita & principem hunc pientiſſimum in noviſſimo die non aliter reſurrecturum arbitramur, ac ſi è ſaltibus Lochavianis, proſtratis à ſe aliquot ingentibus cervorum capitibus, victor evaderet. *Iohannes Elector Saxon.*

Proditum quoque literis invenimus, eum cum fratre FRIDERICO ſapiente, ita coniunctiſſimè vixiſſe, ut non ſolum mutuus & ſummus eſſet amor eorum, verùm etiam conſtans & perpetua ſemper concordia, & una eademq; voluntas, quæ in utriusque ſenecta, inque periculis, & graviſſimis deliberationibus, vel maximè conſpicua, omnibusque viris honeſtis nota fuerint. Moriturus ſubindè hæc iteràſſe verba dicitur: Se planè paterno in ſubditòs extitiſſe & fuiſſe ſemper animo ac optare ſe, ut ad poſteritatem quoque patria dulciſſima tranquilla pacataque ſit, paternoque ſemper imperio in poſterum regatur, ita uti ab ipſo fideliter factitatum ſit. *Concordia fratrum.*

Officium eius nulla in re communi GERMANIÆ ſaluti defuit, ſumma ſemper uſus æquitate erga omnes, præſertim erga ſubditos, hoſtibus quoq; admodum ſe facilem exhibuit.

Academiam VVITEBERGENSEM ſuis auxit facultatibus, multum etiam teſtamento poſt ſe relicto pauperibus proſpexit.

Obiit Idibus Auguſti, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo ſecundo, Conditur VVITEBERGÆ in templo arcis ad latus fratris FRIDERICI III. Sapientis. Vixit annos LXII, dies XLV. *Obitus 13. Aug. 1532.*

Mater eius fuit ELISABETHA, filia ALBERTI III. Bavariæ Ducis, matrona præſtantiſſima, de qua non ſine laude memoratur maxima, quod eximiæ prolis mater extiterit, iuxta illud Poëtæ: *Nam divite partu:*

Tres Electores *lumina clara dedit.*

ALBERTVM nimirum Antiſtitem Moguntinum, Archicancellarium S. Romani Imperii: FRIDERICVM III. Sapientem, & hunc IOHANNEM Conſtantem, utrosque Electores Enſiferos, & Archimareſcallos Imperii.

IOHANNES.

IOHANNES, ſecundus IOHANNIS Electoris filius, & primus ex altera coniuge MARGARITHA, VVALDEMARI Principis Anhaldini filia, puerili ætate moritur.

Iohannes Elector Saxon.

IOHANNES ERNESTVS I.

Natus 10. Maii. 1521.

IOHANNES ERNESTVS I. tertius IOHANNIS Electoris filius, & ſecundus ex altera coniuge. Naſcitur COBURGI 6. Idus Maii, Anno ſupra milleſimum, quingenteſimum, vigeſimo primo. Vxor eius CATHARINA, PHILIPPI, Ducis Brunſvigii, & Grubenhagii filia, quæ poſt mortem eius nupſit PHILIPPO Svarceburgio Comiti.

Princeps pius & liberalis erga quoſvis, in conſuetudine per humanus quotidiana, omnisq; honeſtatis, & imprimis veræ religionis Lutheranæ addictiſſimus. Diſceſſit ſine liberis COBURGII in natali ſolo, ubi aulæ ſuæ etiam ſedem habuit, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo tertio, 6. Idus Februarii. Vixit annos XXXI. Menſes VIII.

Obiit 1553. 8. Febr.

Tempeſtas inuſitata. 9. Ian. 8. Martii.

Hoc anno tempeſtas violenta V. Idus Ianuarii, qua villæ incenſæ, ac ædificiis & ſylvis clades illata: Mox VIII. Idus Martii nix profundiſſima & diuturna.

IOHAN-

Iohannes Fride-ricus I, Elector Sax.

IOHANNES FRIDERICVS I. ELECTOR.



IOHANNES FRIDERICVS I. Iohannis, electoris primus è SOPHIA Mechelburgica, prima eius uxore, eiuſdemq; unicus filius, quia ſtatim eo partu mater obiit, patris patruiq; nomina, una cum ipſorum virtutibus referens. a tolerantia rerum adverſarum dicendus MAGNANIMUS, à corporis obeſitate dictus ab adverſariis CRASSUS. Naſcitur TORGÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum tertio. pridie Cal. Iul. hora ſexta pomeridiana, cruce aurei coloris in dorſo fulgente inſignitus fertur, cum naſceretur.

Natus 1503. 30. Iunii.

Vxor

Iohannes Fridericus Elector Sax. Coniugium. Liberi. Vxor eius SIBYLLA, IOHANNIS Iuliacenſis filia, fœmina ſanctiſſima: Filii: IOHANNES FRIDERICUS II. IOHANNES GVILIELMUS: IOHANNES FRIDERICUS III. IOHANNES ERNESTUS, puerili ætate mortuus.

Princeps ab omni eruditione ornatiſſimus, vitæ, morumque probitate laudatiſſimus; inter GERMANIÆ principes opibus & potentia facile primus, nutricius ECCLESIÆ & Scholarum ſingularis, ſalutiferæ Evangelii doctrinæ confeſſor conſtantiſſimus, pater patriæ iuſtiſſimus.

1527. 9. Martii. Nuptiæ eius. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum vigeſimo ſeptimo, VII. Idus Martii nuptias celebrat TORGÆ, cum SIBYLLA Iuliacenſi. IOHANNIS III. Ducis Clivenſis filia, cum qua per omnem vitam iucundiſſimè vixit.

1530. 2. Iunii. Comitia Auguſtana. Augustana confeſſio. AUGUSTANIS iſtis Comitiis magnis, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo, celebratis, in quibus VII. Calend. Iulii parens eius conſtantiſſimus, IOHANNES, Elector Saxoniæ, & ipſe unà cum parente, ac reliquis Principibus, GEORGIO nimirum, Marchione Brandeburgico, ERNESTO & FRANCISCO fratribus, Ducibus Lunæburgiis & Brunſvicenſibus, PHILIPPO Landgravio Haſſiæ, VVOLFGANGO, Anhaldino, & Senatu duarum liberarum civitatum Imperii NORIBERGÆ & REUTLINGÆ, Confeſſionem fidei ſuæ, vulgò ab his Comitiis deinde AUGUSTANAM appellatam, laudabili & conſtanti animi ſententia, CAROLO V. Imperatori exhibuerunt, intereſt.

22. Decembris. Fœdus Smalcaldicum. Quemadmodum etiam poſtea in fœdus SMALCALDICUM XI. Calend. Ianuarii, unà cum iam dictis Principibus conſentit, ad quod adhuc deinceps acceſſère, ERNESTUS Dux Saxoniæ, IOHANNIS Electoris filius, huius frater, BARNIMUS & PHILIPPUS, Duces Pomeraniæ, GEBHARDUS & ALBERTUS, Comites Mansfeldii, & civitates reliquæ ſuperioris GERMANIÆ, SAXONIÆ, & Maritimæ, ARGENTINA, AUGUSTA: FRANCOFORDIA ad Mœnum: CONSTANTIA: VLMA: ESLINGA: MEMMINGA: CAMPIDINUM: LINDAVIA: BIBERACEM: ISENA: MAGDEBURGUM: BREMA: BRUNSVIGA: GOSLARIA: HANNOVERA: GOTTINGA: EINBECA: HAMBURGUM: LUBECA & MINDA.

Ita autem ſeſe hoc fœdere ad mutuam fidem & defenſionem invicem animârunt, & ſanctiſſimè obligaverunt, ut ſi quis hoſtium præſenti ac futuro tempore eos eorumque ſubditos, ab iſta DEI beneficio ſingulari, agnita puritate & veritate verbi divini, vi armata depulſurus, aut ad priſtinos abuſus adacturus eſſet, hoſtiles eorundem impetus à ſe. ſuisque ſubditis, eò melius avertere poſſent. Neque tamen adverſus Imperatorem, vel ullum Imperii ſtatum, ſed tantum conſervandæ Chriſtianæ veritatis ac pacis, & propulſandæ iniuſtæ violentiæ cauſa, in caſu neceſſariæ defenſionis, fœdus illud ſancitum eſſe, publicè teſtantur.

1531. Ianuarii. Comitia Colonienſia. A patre COLONIAM miſſus, electioni Regis FERDINANDI, in Comitiis ibidem, Nonis Ianuarii indictis, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo primo, è mandato parentis, publicè contradicit, in quam tamen certis quibuſdam conditionibus poſtea VIENNAE conſentit.

Anno

Iohannes Fridericus Elector Sax.

1532.

Tractatio pacis cum proteſtantibus.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum trigeſimo ſecundo, cùm inter CAROLUM V. Imperatorem, & proteſtantes ab ALBERTO Moguntino, & LUDOVICO Palatino, pacificatio SVINFURTI & NORIBERGÆ inſtitueretur, eidem IOHANNES hic FRIDERICUS, parentis loco, unà cum reliquis Principibus FRANCISCO Lunæburgio, & VVOLFGANGO Anhaldino, intereſt.

Tali autem modo ſequenti eadem concluditur: Ne quis interea ſub prætextu religionis, aut ulla alia de cauſa, alteri bellum indicet aut inferat, aut etiam ſpoliando, obſidendo, capiendo, aut inſuper arces, urbes, oppida, pagos, villas, prædiaque per inſidias occupando, eidem vim faciat, neque hæc facienda, aliis ſvaſor impulſorúe ſit & exiſtat, aut ulla alia ratione unquam damnum det. Sed alter alterum vera amicitia & Chriſtiana charitate complectatur. Quæ pax publica ut eò ſanctius & certius conſervetur, Imperator ipſe promittit, ſe omnes proceſſus iudiciales, in cauſa religionis per Imperii Fiſcalem & alios, contra Electorem Saxoniæ, eique adhærentes, inchoatos, aut deinceps inchoandos, abrogaturum, & ſuſpenſurum eſſe, uſque ad futurum concilium, vel ſi illud minus procedat, uſque ad ulteriorem conſultationem ſtatuum Imperii. Huic cautioni Cæſareæ eò melius ratæ habendæ, in Comitiis RATISPONENSIBUS Calend. Martii inſtitutis, quibus aliàs Imperatori contra Turcam, AUSTRIAM infeſtantem, auxilia decreta erant, tandem præter Imperatorem, & prædictos Principes, qui præſentes tractationi iſti interfuerant, ſubſcribunt Menſe Iulio abſentium quoque Legati & mandatorii, utpote:

Comitia Ratiſponenſia.

NOMINE PRINCIPUM.

Georgii, *Marchionis Brandeburgenſis:* VVolffgangus Chriſtophorus *à Vviſentau, Præfectus in* Svabach, *&* Sebaſtianus *Heller, Doct.*

Erneſti, *Ducis Brunſvicenſis & Lunæburgenſis*, Iohannes *à Uvick, Doctor.*

VVolffgangi, *Principis Anhaldini: Item*

Gebhardi *&* Alberti, *Comitum Manſsfeldenſium*, Iohannes *Ruelius, Doctor.*

NOMINE CIVITATUM.

Argentinæ: Iacobus *Sturmius, &* Iacobus *Maier.*

Noribergæ: Bernhardus *Baumgartner, &* Leonhardus *Schultes: Hiq; cum mandatis* Halæ *Svevorum*, Heilbrunæ, Vvinſhemii, *&* Vviſenburgii.

Lubecæ: Andreas *Stolp. Secretarius, cum mandato civitatis* Hamburgenſis.

Conſtan-

Iohannes Fridericus Elector Sax.

Conſtantiæ: Conradus *Zvick*, & Sebaſtianus *Geiſsberg*.
Vlmæ: Georgius *Beſſerer*, *Duumvir*, & Hieronymus *Schleicher*.
Magdeburgæ: Leonhardus *Mertz*, *Doctor & Syndicus*.
Bremæ: *Iohannes à Uvick*, *Doctor*.
Brunſvigæ: Theodoricus *Brutenus*, *Secretarius*: *& is cum mandatis civitatum*: Goslarienſis, Gottingæ & Embecæ.
Northuſæ. Benedictus *Pauli*, *Doctor*.
Eslingæ: Bernhardus *Matzbeck*.
Reutlingæ: Iuſtus *Vveys*, *Duumvir*.
Memmingæ: Iohannes *Keller*, *Duumvir*.
Lindaviæ: Antonius *Hunle*.
Biberaci: Chriſtophorus *Greter*, *Duumvir*.
Kemptenſis: Henricus *Seltenhan*.

Ipſam autem cautionem ſeu confirmationem Imperatoris hîc adiungendam eſſe duco, quæ talis eſt:

Exemplum Cæſareæ cautionis de pace publica

N*OS* C*AROLUS*, *Dei gratia*, *Imperator ſemper Auguſtus*, *&c. Fatemur*, *& teſtatum facimus hiſce literis*: *Quoniam Reverendo in Deo patri*, *& illuſtribus*, Alberto, *Sacræ Romanæ Eccleſiæ Presbytero*, *Cardinali*, *Archiepiſcopo Moguntino*, *& Magdeburgenſi*, *ac* Ludovico, *Paaltino Rheni*, *Duci Bavariæ*, *&c. noſtris amicis*, *cognatis & Electoribus*, *inter nos*, *& Principem Electorem Saxoniæ*, *& eiusdem filium*, *ac* Georgium, *Marggravium Brandeburgenſem*, *&c. & ipſorum coniunctos*, *comites & civitates*, *in controverſia religionis*, *amicabiliter partes ſuas interponendi & tractandi poteſtatem benignè conceſſimus*, *vigore noſtri mandati*, *& inſtructionis*, *eius hanc ob cauſam à nobis exhibitæ*, *ipſiq́ue toties eam rem*, *primùm* Svinfordiæ, *deinde* Norinbergæ *tentârunt*: *Tandem eò deventum eſſe*, *quòd nos*, *ut ſupremum caput Imperii*, *prædictis noſtris amicis*, *cognatis & Electoribus* Moguntino & Palatino, *conſenſimus*, *ut publicam ſtabilemq́ue pacem inter nos*, *& omnes ſtatus Imperii* Germanicæ *ditionis*, *Eccleſiaſticos & Seculares faciant*, *usq́ue ad generale*, *liberum*, *& Chriſtianum* Concilium, *quemadmodum*

modum de eo in Comitiis Norinbergenſibus decretum eſt, aut ſi hoc non procedat, usque donec univerſi ſtatus Imperii iterum conſcribantur, ſicut ea de re paulò poſt peculiari articulo cavetur.

Iohannes Fridericus I. Elector Saxon.

Ita videlicet, quòd infra hoc tempus Synodi, vel quo ſtatus Imperii, ut dictum eſt, iterum conveniant, & aliter deliberent, nemo propter religionis, aut ullam aliam cauſam, alteri bellum inferat, indicat, ipſumve ſpoliet, capiat, invadat, aut obſideat, neve ad hæc facienda, per ſe, vel per alium, cuiquam inſerviat, arces, urbes, oppida, caſtella, pagos, villas vel prædia, inſidiis occupet, vel contra voluntatem alterius violenter eripiat, dolove malo, incendiis, vel alia ratione alteri damnum det, neque ullis iſtiusmodi machinationibus, conſilio, auxilio, vel alio modo opem ferat, neque eos ſciens, & intelligens hoſpitio excipiat, victum, potum, aut receptum præbeat aut toleret, ſed unusquisq; alterum vera amicitia & Chriſtiano amore complectatur. Quam pacem publicam iam deſcriptam, nos Imperator, univerſis ordinibus Imperii publicamus, annunciamus, & ſub expreſſa gravi, & non contemnenda pœna, ſervandam mandamus, volumusq; benignè operam dare, ut prædicta Synodus intra dimidium annum indicatur, & poſtea intra unum annum inchoetur. Si verò hoc non fiet, tunc iterum communes ſtatus Imperii in locum commodum vocentur, & conſcribantur, ad deliberandum, quid in poſterum, tùm de concilio, tùm de aliis rebus neceſſariis, agendum & ſtatuendum ſit.

Nos itaque, ut eò firmius & certius talis publica & communis pax prædicta conſervetur, clementer conſenſimus & promiſimus, nos curaturos, ut omnes proceſſus iudiciales, ad cauſas religionis ſeu fidei ſpectantes, per noſtrum Fiſcalem, & alios, contra Electorem Saxoniæ, & ipſius coniunctos, qui vel iam eſſent inchoati, vel deinceps inchoandi, ſuſpendantur, usq; ad futurum concilium, vel ſi id non ſit proceſſurum, usq; ad altiorem deliberationem prædictorum ſtatuum Imperii. Et ſi Elector Saxoniæ, cum ſuis coniunctis univerſis aut ſingulis, ab alio quisquis is ſit, in ius vocetur, tunc ipſi, vel ſui coniuncti, nos

[Iohannes] Fridericus I. Elector Saxon.

ſi in Imperio Germanicæ nationis tunc temporis erimus, ut nobis abſentibus, eum, quem noſtro loco cum mandatis in his negociis conſtituerimus, requirant, & in quibus graventur, exponant. Eoq́; caſu debemus & volumus, nos, & nobis abſentibus, locum noſtrum tenens, & Commiſſarii noſtri, qui à nobis ad hoc, expreſſum mandatum habeant, tales proceſſus Iudiciales inhibere & abrogare, ut ſupra dictum eſt, ſicut etiam nos iam ex autoritate, & plenitudine Maieſtatis Cæſareæ; & vera ſcientia, nunc ut tunc, & tunc ut nunc, eos inhibemus, ſuſpendimus, & abrogamus vigore & virtute harum literarum.

Et ſi ultra hoc ab ullo iudice aut iudicio proceſſum, actitatum, aut ulla lata ſententia fuerit, id in univerſum & ſigillatim nullum, irritum, & invalidum eſſe debet, & eum, eoſve contra quos talis proceſſus inſtituetur, aut ſententia feretur, nequaquam obliget aut teneat, ullo modo aut ratione. Sine dolo malo, &c. & in ſignum ac teſtimonium horum, ſigillum &c. Ratisbonæ *M. D. XXXII.*

Altero Menſe inſequenti, poſt confirmatam hanc, ac ab ipſo Imperatore habitam ratam cum Proteſtantibus pacificationem, optimus princeps ac veræ pietatis ac ſinceræ religionis cultor & confeſſor conſtantiſſimus, IOHANNES Elector, Idibus nimirum Auguſti, inter homines eſſe deſinit, & ſucceſſorem in Electoratu habet, hunc ſuum è prima coniuge natum filium IOHANNEM FRIDERICUM, acerrimum paternæ virtutis & conſtantiæ, in defendenda vera & ſincera Evangelii doctrina, æmulatorem ac imitatorem, iuſticiæq́; ac omnis æquitatis defenſorem & executorem iuſtiſſimum.

13. Auguſti Obitus Iohannis Electoris. Initium adminiſtrationis ſuæ.

1537. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo ſeptimo, Elector hic cum ERNESTO & FRANCISCO fratribus, Lunæburgiis & Brunſvicenſibus, VLRICO VVirtebergico, PHILIPPO Haſſo, PHILIPPO itidem Pomerano, & tribus Principibus Anhaldinis, ac ALBERTO, Comite Mansfeldio, aliisque confœderatis religionis nomine Principibus & civitatibus, eorumque Theologis SMALCALDIÆ initio Martii congreditur, cum iisque de Synodo MANTUAM, à Pontifice Maximo indicta conſultat. Eò quoque Imperator CAROLUS V. MATTHIAM Heldum, I. V. D. & Vicecancellarium ſuum mittit, ut de Iudicio Cameræ, de cuius iniquitate Proteſtantes ſe multipliciter gravari apud Imperatorem conquerebantur, deque Pace Noribergenſi, in Comitiis Ratisbonenſibus ſuperioribus annis confirmata, num eius beneficio cæteri quoque, qui poſt illud tempus religionem mutâſſent, fruituri eſſent, ac imprimis de MANTUÆ ſynodo futurà, prolixè cum iis conferret.

Deliberatio de Synodo Mantuæ, à Proteſtantibus ſuſcepta.

Verùm,

Verùm, re Proteſtantes prius optimè deliberatâ, illi reſpondent: Hoc non eſſe generale, legitimum, liberum, aut Chriſtianum, neque etiam in GERMANIA inſtitum, quale in omnibus Imperii Comitiis hactenus ab ordinibus flagitatum eſſet concilium. *Iohannes Fridericus I. Elector Saxon.*

Scripto igitur recuſati à ſe MANTUANI Concilii cauſas ordine comprehendunt ac edunt, quod tamen paulò pòſt ab ipſo Pontifice in longius prorogatum eſt tempus.

In eodem autem conventu, Articulos in Concilio, ſi quod legitimum eſſet futurum, nomine docentium in Saxonicis & coniunctis Eccleſiis, exhibendos, de præcipuis doctrinæ Chriſtianæ controverſis capitibus, à Dn. D. MARTINO LUTHERO, conſcribi Proteſtantes Principes curant, qui etiam à cæteris eorum Theologis ſubſcriptione roborati & confirmati ſunt, quoſq; adhuc Smalcaldicos vulgò nominant, & quos Auguſtanæ Confeſſioni & Apologiæ unà cum Catechiſmis Lutheri adiunctos eſſe novimus.

1538. Anno ſequenti Elector oppidum GOMMERN quod ab anteceſſoribus, civitati Magdeburgenſi venditum aut oppignoratum fuerat, poſt multorum Menſium tractationes viginti duobus millibus aureorum redimit, & inde titulum BURGGRAVIUS, more maiorum ſuorum, ſibi ſumit. *Opp. Gommern redimit. Burggravius Magdeburgenſis.*

Eodem hoc anno Elector cum coniunctis hæreditario fœdere Principibus Brandeburgicô nimirum & Haſſo controverſiam illam inter GEORGIUM Brandeburgicum, & Senatum Noribergenſem inde ortam, quod Senatus muros arcis ſuæ magna ſpaciorum adiectione è fundamentis erigebat, & novis tùm firmabat munitionibus, quòd Brandeburgicus impedire conabatur, componit, & ad pacis conſiliatem deducit ut utrinque ab armis decederetur, (exacerbatis enim animis utraque pars copias militares conduxerat) & ita ædificatio à Senatu ſuſcepta abſolvi commodè poſſet. Conſtabat enim, Senatum Noribergenſem à proavo Marchionis, quicquid eo in loco Iuris Burggraviatus habuiſſet, iuſtiſſimo emtionis titulo ad ſe tranſtuliſſe, & nunc conſenſu Imperatoris ædificationem hanc inſtituiſſe. *Lites Georgii Brandeburgici cum Senatu Norico compoſitæ.*

1542. Cum agnato verò MAURICIO, Saxoniæ Duce, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo ſecundo, de VVURCINA, Præſulis Miſnenſis oppido, controvertitur, ea de cauſâ, quod is ius colligendi in eo tributi, in Spirenſibus Comitiis ad bellum Turcicum continuandum indicti, ſibi competere contenderet, quod tamen ad ſe pertinere & ſpectare potiſſimum Elector affirmaret. Eam verò controverſiam PHILIPPUS, Haſſiæ Landgravius, cuius filiam AGNETEM ſuperiore anno MAURICIUS duxerat, in ipſis feriis PASCHALIBUS dirimit & componit, unde ipſi nomen de placentis, his in feriis uſitatioribus, deinde factum eſt. *Bella inter agnatos Principes.*

Eodem anno HENRICUM Brunſvigium fœderatorum auxiliis è ditione eiicit: Cum enim ſe, & Landgravium Haſſiæ PHILIPPUM, alioſq; confœderatos proteſtantes, literis, quàm par eſſet, inſolentioribus & contumelioſis inſectaretur, neq; deſiſteret, BRUNSVIGAM & GOSLARIAM urbes, perpetuis excurſionibus, violentia, & rapinis vexare, poſthabita omni inhibitione ſibi ab Imperatore facta, eum bello menſe Iulio, Elector fœderatorum nomine perſequitur, occupatis quibuſdam arcibus, villis, pagis, & oppidis ei ſubiectis. BRUNSVIGIUS perſpiciens, ſe ſumma urgeri vi, VVOLFENBUTELAM, arcem munitiſſimam, præſidio valido è ſubditis & militibus gregariis roborat, ſe verò unà cum filiis, PHILIPPO & CAROLO VICTORE, ad GVILIELMUM, Ducem Bavariæ ſe confert. *Brunſvigius ſua eiicitur è ditione.*

Iohannes Fridericus I. Elector Saxon. VVolfenbutela arx obſeſſa. Initio Auguſti VVOLFENBUTELAM Elector obſidens, inſolentius ab obſeſſis reſponſum, à comeatu, aliisq; rebus, ad obſidionem durandam ſpectantibus, inſtructis, cum ad deditionem amicè eos hortaretur, accipit. Ideò caſtris propius admotis magna eandem vi oppugnat, & tormentis arte in turrem editiorem, tibicine in ea ignominioſo quodam carmine eum inſultante, directis, deiicit. Qua turris iactura obſeſſi de incolumitate ſua omninò deſperantes, deditionem faciunt, ſuam vitam & ſalutem Electori commendantes.

12. Auguſti arx deditur. Arce igitur potitur pridiè Idus Auguſti, & in eam firmum præſidium imponit, præfectura eiuſdem BERNHARDO Mylio, nobili viro, & rei militaris exercitatiſſimo, commendata, & reformatione religionis in Eccleſiis omnibus iſtius diœceſeos inſtituta, dimiſſisque copiis militaribus, cum nuſquam Brunſvigius appareret, domum revertitur.

Hoc anno, multitudo locuſtarum, Menſe Septembri, non ſolùm nationes exteras, verùm etiam Octobri, hanc regionem MISNIAM invaſit. Per quæ autem loca his in terris involârunt, iiſdem poſtea Hiſpani milites graſſati ſunt.

1544. Comitia Spirenſia. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo quarto, Comitiis SPIRÆ Nemetum, menſe Februario inchoatis, intereſt, ad quæ cæteri Imperii Electores, & ordines omnes acceſſerunt. Iis in Comitiis clementiſſimum Imperatorem Elector hic habet, ac omnia ferè, quæ optabat, ab eo conſequitur, utpote confirmationem pactorum dotalium cum CLIVENSI Duce, ius item ſucceſſionis in illius ditionibus, ſi clivenſis ſine liberis maſculis ex hac mortali vita decederet.

Durantibus his Comitiis CAROLUS V. Imperator, & FERDINANDUS rex, frater eius, pacem religionis in GERMANIA uſque ad proximum Conventum prorogant, ſuſpenſionem item edicti Auguſtani, & proſcriptionis MINDÆ & GOSLARIÆ, urbium, ac inhibitionem Iudicii Cameræ ſuſpendunt. Tributum verò iniungunt ac impetrant, quo Imperator iuvandus, adverſus FRANCISCUM Galliæ regem, partes Turcarum, SABAUDIAM, Imperii provinciam infeſtantium, adiuvantem, eſſet.

Ad extremum cauſam, religionis nomine ſuſceptæ contra HENRICUM Brunſvigium defenſionis, Elector Saxoniæ, Landgravius Haſsiæ, & confœderati, coram Imperatore de ſcripto exponunt: Cui cùm Brunſvigius reſpondiſſet, Imperator, vel reſtitui Brunſvigium. vel ſibi per ſequeſtrum tradi illius provinciam cupit donec amicè vel iure lis finiretur.

Turris perampla in arce Torgenſi ædificatio. Hoc quoq; anno, turris illa perampla & lata in arce TORGENSI, Albim fluvium ſpectans per hunc Electorem ædificari cœpta, quâ bigis, ſive rhedâ, poteſt perveniri uſque ad conclave Principis in ſupera contignatione præparatum.

1545. 24 Martii. Comitia VVormacienſia. Altero mox anno, Comitia, VVORMATIAM, urbem Vangionum, Imperator indicit, IX. Calend. Aprilis inchoanda, & conſtituendæ religionis, pacis publicæ, & belli Turcici nomine, Electorem SAXONIÆ, cæterosque Electores, ac Principes, & reliquos præterea Imperii ordines, evocat. Verùm, legatis tantummodò eò miſsis, nemo Principum accedit, id quod ægerrimè Imperator, & FERDINANDUS rex ferunt. Quapropter his in Comitiis, ob abſentiam Electorum & Principum, & quod legati plenis mandatis non eſſent inſtructi, nihil decretum eſt.

Per legatos autem Elector Saxoniæ, & confœderati Principes, quicquam ad bellum Turcicum contribuere recuſant, niſi ab obedientia, Concilio TRIDENTINO,

DENTINO, & iudicio Cameræ partiali, præſtanda, expreſſo Imperatoris decreto eximerentur. *Iohannes Fridericus I. Elector Saxon.*

HENRICI Brunſvigii à ditione ſua tertium iam annum exulantis provincia omnis per ſequeſtrum Imperatori certis conditionibus conceſſa erat, Brunſvigioq; iniunctum, ut ab omni violentia abſtineat, legibusq; ditionem recuperet. Verùm ille poſtpoſito Imperatoris mandato, armis ſua recuperare & ancipitem Martis aleam potius experiri, quàm Imperatoris iudicii eventum expectare incertum, mavult. Itaq; equitibus iam millibus & quingentis: peditibus verò octo millibus, de pecunia à FRANCISCO, rege GALLIÆ, acceptâ, ut copias Anglicas in Saxoniæ finibus diſſiparet, conductis, per ditionem Lunæburgenſem, non citra maleficium, facto itinere, tranſit in ſuam provinciam, captaque per deditionem arce STEINBURGIA, urbem BRUNSVIGAM, eiusq; agrum, rapinis & incendiis infeſtat. Brunſvigius repetiturus ſua

Reliquis verò copiis, quibus OTHONEM Ritbergium, Comitem & ALHARDUM Hordium præfecerat, quarum octingenti erant equites, & tres mille pedites, ac de extorta à VERDENSIBUS, ac HALDERIS, Ducis LAVENBURGICI ſubditis, pecunia à ſe conſcripti, CONRADO, Techlenburgio Comiti, fœderis SMALCALDICI ſocio, multum damni infert, & VISURGI traiecto, Landgravii Haſſiæ ditione quadam hoſtiliter peragrata, VVOLFENBUTELAM, primariam ſuæ ditionis ademtæ arcem, copiis ſuis militaribus iam in unum contractis, obſidet.

Elector Saxoniæ non cunctandum ratus, miſſis è veſtigio ſex millibus peditum, cum aliquot equitum turmis, ei reſiſtit, & Haſſum hortatur, ut conſcripto, fœderatorum nomine, ſumma feſtinatione in provincia ſua, exercitu, idem faciat.

Viribus itaque coniunctis XII. Calend. Novembris, cum Saxo & Haſſus, irrita eius oppugnatione arcis ad deditionem omninò adigunt, eius verò copias militares, ut ſigna abripiant, tormenta tradant, fidemq; dent, ſe intra ſex menſes adverſus Electorem Saxoniæ, & Landgravium Haſſiæ, reliquosq; confœderatos, arma non moturos, cogunt, ipſum verò cum filio Haſſus CASSELLAS ducit, & inde ZIGENHANUM aſportatos cuſtodiæ mandat. 21. Octobris. Brunſvigius captus.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo ſexto, comitia RATISBONAM Imperator rurſus indicit, & colloquium de controverſis doctrinæ articulis, ibidem inſtituendum decernit. Iraque Elector Saxoniæ, & reliqui Principes confœderati, menſe Ianuario, legatos FRANCOFORDIAM ad Mœnum mittunt, ut ibi prius conveniant, & de prorogando in plures annos fœdere, quod ſequenti anno exibat, de Synodo TRIDENTI inchoata, de HERMANNO Antiſtite Colonienſi fideliter iuvando, deq; aliis negociis deliberent, antè quàm ad Comitia Imperii proficiſcantur. Qui poſtquam RATISBONAM venerunt, 6. Calend. Februarii colloquium inchoatur, verùm ob iniquiores aliquas conditiones collocutoribus propoſitas, initio Martii, Electore Saxoniæ ſuos avocante, abrumpitur. 1546. Comitia Ratisbonenſia. 27. Ianuarii. Colloquii initium.

Imperator perſpiciens, ſe negligi & abſentiam Principum fœderatorum, neq; ad hæc, neq; ad ſuperiora, elapſo animo, indicta à ſe Comitia accedentium, puniendam exiſtimans, magnas equitum & peditum copias, in Italia & Germania, colligit, & nihilominus, Nonis Iunii, Comitia continuat, deq; religione, vel per Synodum, vel per doctorum hominum colloquium, concilianda, de iudicio Cameræ reſtituendo, deq; bello Turcico, coram Principibus paucis, & legatis aliorum abſentium proponit. Sciſcitantibus verò legatis Ele- 5. Iunii. Continuatio Comitiorum.

Iohannes Fridericus I. Elector Saxon. ctoris Saxoniæ, & cæterorum abſentium Principum, civitatumq́; religionis nomine confœderatorum: Quid ſibi velit tantarum collectio copiarum? Imperator reſpondet: Se nihil aliud malle, quàm ut concordia ordinum, pax publica, leges, iudiciumq́; Cameræ, in Imperio reſtituantur & vigeant. Iis igitur, qui ſibi obſequantur, pacem benignè ſe conceſſurum, inobedientibus verò, rebellibusq́;, & læſæ maieſtatis reis, minari, eos armis ſe ad obedientiam compulſurum.

Bellum Germanicum. Quapropter, cùm Imperator inter alia, & hæc addidiſſet, ſe illis bella illaturum, qui Principum & Epiſcoporum ditiones occupaſſent, BRUNSVIGIUMq́; captivum tenerent, Elector verò perſpiceret, ſe & Landgravium Haſſiæ, diſertè & quaſi digito ab Imperatore demonſtrari: exercitum & ipſe auxilio fœderatorum, & GERMANIÆ civitatum, defenſionis neceſſariæ cauſa ingentem conſcribit, bellumque cum Imperatore ſibi quaſi in manus ab eo datum, gerit, contra quem, cum in BAVARIA & SVEVIA totam æſtatem caſtra haberet, brumæ ipſius tempore, in agnatum MAURICIUM, tùm imparatum, arma convertit. Oppidaq́; THRINGIÆ, SAXONIÆ & MISNIÆ, in eius abſentia ab eo occupata, recipit. LIPSIAM verò, menſe Ianuario, anni ſequentis, ſupra milleſimum, nimirum, quingenteſimum, quadrageſimi ſeptimi, tribus locis obſeſſam ita tormentis concutit, ut antea vix ſimile ſit auditum, neq; in oppugnatione ARONÆ, ad locum Verbanum in INSUBRIA, neque PÆSTI, in PANNONIA, id obſidente GEORGIO Monacho, quæ oppugnationes ante id tempus graviſſimæ hominum memoria extiterunt.

1547. Lipſia obſeſſa & capta.

Ditione MAURICII potitur urbibus quatuor, LIPSIA, ZVICCA, DRESDA, PIRNA, exceptis, quæ partim milite Germanico, partim externis VNGARORUM & BOHEMORUM præſidiis defendebantur, earum tamen urbium, præter PIRNAM, magna & populoſa cremebantur à copiis Mauricianis ſuburbia.

Socii Mauricii Rochlicii capti ab Electore ALBERTUM, Marchionem Brandeburgicum, & CHRISTOPHORUM, Landgravium, MAURICII ſocios, ac ei ab Imperatore, unà cum decem ſignis GERMANORUM militum, auxilio miſſos, ROCHLICII, antiquo OSTERLANDIÆ oppido, capit. Cùm enim perſpectum Elector haberet, ipſos ibi BACHANALIA ſecuros & incautos agere, die Martis poſt Dominicam INVOCAVIT, menſe Martio, ALDENBURGO ſe movit, cum ERNESTO Brunſvigio: VOLHARDO Mansfeldio Comite, & VVOLFGANGO Schonburgio, tribunis militum, primum agmen ducentibus: GEORGIO verò Recrado cum altero mox inſequente.

ROCHLICIUM ubi venit, altero die, ſummo mane, circa horam quintam, cuſtodes interimit, & tormentis in hoſtes in ipſa urbe acie conſiſtentes, inſtructa, immiſſis, magnam edit ſtragem, trucidatis millibus in urbe, & trecentis extra urbem, reliquis verò captis, quibus, armis depoſitis, & iuramento præſtito militari, ne intra ſex menſes contra ſe, & Landgravium Haſſiæ, reliquosq́; Smalcaldici fœderis ſocios, militarent, poteſtatem facit tutò abeundi. Potitur autem ſedecim hoſtium ſignis, decem pedeſtribus & ſex equeſtribus, unà cum quatuordecim tormentis. Captos Principes ALDENBURGUM ſecum adductos, GOTHAM cuſtodiendos mittit.

5. Aprilis. Miſna deditione capta. Nonis poſteà Aprilis MISNAM capit deditione: Die ſecundo poſt luſtrat aditum DRESDÆ manu exigua. Oppidum verò HAIN AM V. Idus Aprilis

lis occupat. Deinde 16. Calend. Maii pueros nobiles è ludo illuſtri, unum & viginti, GOLDACCARO Turingo ſvadente, tanquam obſides navi mittit VVITEBERGAM, quórum hæc fuêre nomina: *Iohannes Fridericus I. Elector Saxon. 9. Aprilis Hana 16. Aprilis E ludo Miſneſi 21. nobiles abducti.*

Caſparus, Hugoldus & Laurentius — *Schonbergii fratres.*
Apollo & Ditericus — *Ruliccii.*
Nicolaus & Alexander — *Milticii.*
Georgius *Carolovicius.*
Iohannes *Berbisdorfius.*
Honorius *Grunbergius.*
Iohannes *Vvarta.*
Nicolaus *Erdmansdorfius.*
Chriſtophorus *Hartuſchius.*
Alexander *Pflugius.*
Chriſtophorus *Leutſchius.*
Iohannes *Staupicius.*
Georgius *Spora.*
Theophilus *Commerſtadius,*
Theodoricus, Petrus & Eckhardus — *Ganſii, quibus erat adiunctus*
Blaſius *Fabricius*, *poſtea* VVitebergæ *ab impuro Hiſpano in caput vulneratus.*

Cùm verò de adventu Imperatoris 13. Calendar. Maii nunciaretur, & vixillum Cæſarianum, à, neſcio quo captum, omnibus inopinantibus in urbem MISNAM importaretur, Elector caſtra ex urbe ultra ALBIM transfert in collem pagi ZEILÆ, militi autem eius perſvadere nemo potuit, adhuc in vivis eſſe Imperatorem. *19. Aprilis*

Paulò poſt. adventante ipſo Imperatore, & rege FERDINANDO, ac Principibus ſociis, qui EGRÆ, extrema regni BOHEMICI civitate, exercitus coniunxerant, inopinato oppreſſus, cum relicta urbe MISNA, & ponte poſt ſe incenſo, VVITEBERGAM contenderet, in itinere copiis ſuis diſiectis, contra inſequentes Cæſarianos, vadum ALBIS audacter, ruſtico quodam monſtrante, & præeunte, tranſgreſſos, pugnans, in adverſum os malâ ſiniſtrâ vulneratur, & à Thilone Droto, è diœceſi MERSBURGIA, ordinis equeſtris viro, non procul ab oppido MULBERGO, 8. Cal. Maii, ipſa Dominica Miſericordias Domini, capitur, cui in rei teſtimonium annulum duplicem de manu *24. Aprilis. Clades captorum Principum.*

 detractum

Iohannes Fridericus I. Elector Saxon. detractum tradit. Simul etiam tùm cum eo capitur ERNESTUS Dux Brunſvigius.

Elector captivus in caſtra ad Imperatorem adductus talem in modum eum compellat. O mi invictiſſime clementiſſimeque Imperator, tuæ ego me clementiæ ſubiectiſſimo animo dedico & commendo, eamq; obteſtor, ut tolerabilem mihi, & dignam Principe decernat cuſtodiam.

Reſponſio Imperatoris. Cui ſubiratus reſpondiſſe fertur Imperator: Quid mi Imperator? tandem me tuum profiteris Dominum? Sanè pol ego, ſi vivo, tibi oſtendam, quid ſit Magiſtratum ſuum negligere? FERDINANDUS rex paulò iratior in eum invehitur, & quod ſe, atque liberos omnes, poſterosque, ipſumque adeò Imperatorem, omnibus dignitatibus & fortunis exuere tentâſſet, incuſat.

Electoris filius, natu maximus, & patri cognominis, vulneratur quidem, verùm hoſtium manus evitat, & VVITEBERGAM contendit.

Ominoſum ſanè loci huius, viris Principibus, nomen eſt. Ad MULBERGUM enim in BAVARIA, Ducem Auſtriæ FRIDERICUM cepit LUDOVICUS IV. Imperator. Ad MULBERGUM ſupra NEMETES, BERNHARDUM, Marchionem Badenſem, ROPERTUS. Hîc verò IOHANNE FRIDERICO, Saxoniæ Electore & ERNESTO Brunſvigio, potitur CAROLUS V. Imperator, victor.

21. Aprilis. Prodigia multa prælium anteceſſerunt, imprimis lumen ſolis ſangvineum, per dies ſeptem integros: nonnulla ſecuta: Baſilica enim MISNÆ V. Calend. Maii, horâ quintâ pomeridianâ de cœlo tacta, turres tres, tectum, campanæ, igne conſumuntur, cum eodem die ante horas aliquot paucas, & circa horam ſeptimam matutinam gratiæ eſſent actæ publicè in templo, de capto IOHANNE FRIDERICO Saxoniæ Electore. Nullum autem aliud fulmen aut anteceſſit, aut ſecutum eſt.

Arx quoq; Principis unà à fulmine tacta, verùm à civibus ſervatur. Tacta quoq; turris templi Divæ virgini dicati in urbe, cuius tamen flamma ſtatim extingvitur.

TOMISERNUS, tribunus Electoris, qui adhuc partem exercitus ducebat, audita clade Principis & Domini ſui, ex urbibus montanis, quæ in MISNIA ceperat, in SAXONIAM pergit BREMAM liberat, & ERICUM, Ducem Brunſvigium, amiſſis tamen impedimentis, ſuperat propè TRACHEBURGUM, iuxta MESERAM fluvium.

Saxo damnatus capitis ob rebellionem. Imperator CAROLUS V. impetratâ hac victoria, VVITEBERGAM obſidens, caſtra in pago PISTERICIO metatur, & Electorem Saxoniæ, rebellionis reum, capite damnat, quam tamen ſententiam Elector intrepido fert animo: Verùm ſe confidere reſpondet, Imperatorem non ita ſtrictè ſecum acturum: veruntamen, ſi omninò ita ei decretum ſit, petere ſe, ut dies ſolum modò ſupplicii ſubeundi certus, & deſtinata hora, ſibi renuncietur, quò cum coniuge inclyta, liberisq; illuſtribus, ritè omnia prius conſtituere & diſponere poſſet.

Interceſſio pro capto Saxoniæ Electore. *Capita conditionum Saxoni propoſitarum.* IOACHIMUS verò Elector Brandeburgicus, Imperatorem adiens, mitigationem latæ ſententiæ, humiliter pro eo intercedendo, petit, idq; difficulter, his nimirum Saxoni propoſitis conditionibus, conſequitur.

Primùm,

Primùm, ut concilii futuri TRIDENTINI decreta in cauſa religionis recipiat, & iis ſubſcribat: Cui Saxo aſſentiri ratione conſcientiæ prorſus recuſat. Quapropter Imperator deinde hanc particulam prorſus deleri & oblitterari iubet. *Iohannes Fridericus I. Elector Saxon.* I.

Deindè, ut ipſe, liberiq; eius omnes, Electoratu ſeſe prorſus abdicent, eiq; renuncient. II.

Poſteà, ut VVITEBERGAM & GOTHAM, urbes, cum arcibus munitiſsimis, Imperatori cedat, tormenta, & inſtrumenta bellica tradat, commeatus partem tertiam in caſtra Imperatoria mittat. III.

Præterea, ut ALBERTUM, Marchionem Brandeburgicum, & CHRISTOPHORUM, Leuchteburgium, captos, abſque redemtionis ſatisfactione dimittat, ſimili è contra conditione ERNESTUM Brunſvigium dimittendum Imperator cenſet. IIII.

Inſuper, ut quæ Marchioni, Mansfeldio itidem, & Solmenſi, Comitibus, ac Adminiſtratori, ſive Magiſtro Ordinis Teutonici, ademerit, reſtituat: Præſulatum Magdeburgicum & Halberſtadienſem reſignet, ſeq; iudicio Cameræ ſubiiciat, & ſumtus adminiſtret. V.

Porrò, ut HENRICUM Brunſvigium captum, cum filio CAROLO VICTORE, dimittat, & illatæ iniuriæ oblivionem promittat perpetuam. VI.

Deinceps, ut ab omnibus confœderationibus contra Imperatorem, & regem FERDINANDUM, in poſterum abſtineat, & ſibi caveat, ut feuda BOHEMICA regi FERDINANDO reſignet, reliqua MAURICIO Saxoni, agnato ſuo cedat: Econtra verò illi MAURICIUS quingenta millia aureorum pendat. GOTHAM ſibi ſolummodò cum fructibus percipiendis uſurpet, arcem verò, urbi contiguam, ſolo æquet. Verùm hæc propoſito, intercedentibus aliquibus Imperii Principibus & Electoribus, poſtmodo quoque mitigatur, & TURINGIA inſuper filiis eius decreta & aſsignata eſt. VII.

Vltimò, ut de ære, ſuperioribus annis contracto, MAURICIUS exolvat, centum millia aureorum, reliqua debita ipſe ferat & ſuſtineat, deq; ſuo creditoribus ſatisfaciat. VIII.

Poſtremò, ut cum à pœna capitis ſubeunda abſolutus ſit, in perpetua cuſtodia Imperatoris, & filii ſui, Hiſpaniarum regis, ſit atq; permaneat. IX.

Has conditiones cùm captus Elector, 15. Calend. Iunii, ratas habuerit, miles eius præſidiarius VVITEBERGA dimiſſus eſt bona cum venia, & Electori captivo poteſtas conceſſa, ut per octiduum VVITEBERGÆ, ad res ſuas cum coniuge & liberis diſponendas, commoraretur. *18. Martii.*

His omnibus peractis, VVITEBERGA fidei MAURICII, novi in caſtris creati Electoris, committitur defendenda, qui & eam armato milite rurſus complet. LAZARO verò Schvendio mandatur, ut caſtri GRIMMENSTENII, in Turingia munitionem demolietur, à qua tamen precibus principum Imperii intercedentium abſtinere ab Imperatore deinde iubetur. *Mauricius Elector Saxoniæ creatus.*

Iohannes Fridericus I. Elector Saxon.

Aequanimitas in adverſis.

IOHANNES FRIDERICUS verò, rebus ſuis expeditis, aulam Imperatoris captus ſequitur, qui exilium, non alio animo tulit, ac ſecundam fortunam tulerat: Nulla enim vox humilis ab eo ipſo eſt audita, nulla deiectionis animi facta unquam ſignificatio, qua fortunæ commutationem deteſtaretur.

A religionis porrò ſinceritate, certè nec minis, nec gratia, nec pollicitationibus potuit avocari, cumque mitigatio ſententiarum edicto Imperatorio quæreretur, ſuam confeſsionem literis ſuppliciter ad Imperatorem exaratis, & pietatis illuſtris exemplo, omni poſteritati graviſsimo poſt ſe relicto, talem in modum edidit.

Cæſareæ ac Regiæ Maieſtati, unà cum reliquis Imperii ordinibus, ſubiectiſsima & egomet animi promtitudine, ò inviсtiſsime potentiſsimeq́; Imperator, obtemperaturus eſſem, filiisq́; itidem meis mandaturus, ut idem promtiſsima ſubiectione, in negocio religionis facerent, niſi me à meo vehementer deterreret propoſito, Dei imprimis præpotentis iuſtiſsima ira & vindicta, & ipſamet abduceret conſcientia mea.

Memini enim, cum primum tua mihi Cæſarea Maieſtas pacis propoſuerit conditiones, inter cæteras & hanc præſcriptam, eandemq́; cautum fuiſſe, ut Conſilii futuri decreta reciperem.

Cùm autem intelligeret, me multis graviſsimis de cauſis tùm adductis, & imprimis ratione conſcientiæ, aſſentiri non poſſe, nec ullius periculi terrore adductum iri, ut id promitterem, rurſus illum deleri articulum curavit, neque quicquam poſtea de religione mecum egit. Id quod tunc maximi ego accepi beneficii loco, hocque conſcientiæ onere levatus, omnes reliquas conditiones, quibus de mea perſona, & fortunis omnibus meis, pro ſuo arbitrio tua Cæſarea Maieſtas ſtatuebat, eò facilius, æquiorique animo ſubivi, omninò confidens, nihil deinceps à me eiuſmodi flagitatum iri, ſed liberam mihi concedi facultatem, in ſemel agnita & vera Dei beneficio maximo recepta religione, quam hactenus publicè me ſumma confeſſum conſtantia omnes norunt, permanendi.

Quoniam verò tua Cæſarea Maieſtas iam urgeat, ut denuò decreto de religione, ſive libro INTERIM, ſubſcribam, facere omninò non poſſum, quin ſubmiſſe, quantum queam & valeam, proteſter & confitear, me iam inde ab adoleſcentia per fideles verbi divini miniſtros, ita inſtitutum, ac deinde diligenti Propheticorum & Apoſtolicorum librorum lectione confirmatum; ut Deo imprimis, atque atteſtante ipſamet conſcientia mea, ſine ulla hæſitatione firmiter ſtatuam: ARTICULOS fidei, ſicuti in AUGUSTANA CONFESSIONE, ut vocant, compræhenſi ſint, Chriſtianam & ſinceram eſſe doctrinam, & Prophetarum & Apoſtolorum teſtimoniis, & doctorum, veſtigiis Propheticis & Apoſtolicis inſiſtentium ſcriptis, ita confirmatam fundatamque eſſe, ut nullis ſolidis & certis everti rationibus & argumentis poſsit & valeat.

Qua de cauſa olim Dominus parens meus, piæ memoriæ, & ego, nonnullique alii Principes, & Imperii ordines, bono conſilio maturoq́;, & re optimè prius penſitata & deliberata, Confeſsioni illi ante multos annos, legitimo modo & ordine, uſque ad generalis, liberi, Chriſtiani, & non partialis CONCILII cognitionem adhæſimus. In qua etiam confeſsione Dominus patruus meus, FRIDERICUS III. cognomento Sapiens, & parens, quorum memoria ſit

ſit in benedictione piorum, uſque ad extremum vitæ halitum, & ego uſque in præſentem diem, DEI beneficio, & adiuvante SPIRITU SANCTO, conſtantes perſeveravimus, & in noſtra gubernatione ante, & poſt exhibitam CONFESSIONEM, ita doceri populum pro concione voluimus, neque aliud ſcivimus, ut etiamnum nihil aliud ſcimus, quàm quod hoc genere doctrinæ certam & æternam DEI immortalis veritatem noſtris ſubditis proponi & prædicari curaverimus. *Iohannes Fridericus I. Elector Sax.*

Cùm igitur conſcientia mea de Doctrinæ huius veritate & certitudine pleniſſimam habeat perceptionem, cognitionemque firmiſſimam, viciſſim DEO immortali, pro hac inenarrabili gratia, ineffabilique, quam mihi exhibuit, hanc animi gratitudinem & obedientiam omninò debeo, ut ab agnita iſta, & ſemel confeſſa veritate & voluntate DEI generi humano per filium ſuum patefacta, & per verbum ſuum toti mundo manifeſtata, non deficiam, ſi æternæ ſalutis hæres eſſe, & æternas inferni pœnas evitare velim & cupiam: iuxta illud CHRISTI ſervatoris noſtri unici divinum, eiuſdemque veriſſimum dictum: *Qui me coram fuerit hominibus confeſſus, eundem & ego coram patre meo confitebor cœleſti: Qui verò me coram hominibus abnegaverit, eundem & ego coram patre abnegaturus ſum cœleſti.*

Quòd ſi verò decreto iſti ſupra allegato, velut pio & Chriſtiano ſubſcriberem, tùm contra conſcientiam data opera AUGUSTANAM ILLAM CONFESSIONEM, & quicquid hactenus de Evangelio CHRISTI, in præcipuis articulis, in quibus æterna ſalus noſtra omninò ſpoſita eſt, ſenſi ac credidi, prorſus abnegarem & condemnarem, & ore meo approbarem id, quòd in corde & conſcientia mea impium, & ſacræ ſcripturæ prorſus contrarium eſſe ſentirem.

Quæ verò hæc eſſet pietas, quæ fides, quæ conſtantia? Si arundinis inſtar, variis doctrinæ ventis & incertis fluctibus paterer me agitari? Nonne ò æterne & iuſte in cœlis DEUS, ac vindex ſcelerum ſeverè, tali omninò ratione tuo abuterer horribiliter nomine divino? Nonne te ſumma afficerem contumelia? Nonne hanc præberem de me ſpeciem, quaſi te verum in excelſis DEUM imprimis, deinde ſummum in terra magiſtratum meum, verbis ſolummodò fucatis & ſpecioſis ludificaturus eſſem, cuius ſceleris pœnas anima mea graviſſimas luitura tandem eſſet? Nonne hoc peccatum eſſet in Spiritum ſanctum, quod ipſiſſimo filio Dei teſte & comminante, neq; in hoc, neq; in futuro ſeculo, unquam poſſet remitti & condonari?

Quare, quando conſcientia mea de doctrinæ huius veritate, quam hactenus conſtanter confeſſus ſum, teſtimoniis verbi divini adeò ſit perſvaſa, & omninò convicta, ut nihil melius probatis ſacræ ſcripturæ indiciis doceri valeam & poſſim, omni animi ſubiectione & reverentia, per viſcera miſericordiæ Dei, toti generi humano in miranda ac imperſcrutabili incarnatione & paſſione filii ſui, Domini noſtri ac Servatoris IESU CHRISTI exhibitæ, à tua Cæſarea Maieſtate peto, ne inclementer accipiat, quod in hoc decretum de religione, ſeu librum INTERIM, non conſentiam, ſed in AUGUSTANÆ confeſsionis doctrina firmiter perſeverem, rebusque omnibus poſthabitis id unicum ſpectem, ut confecto miſeræ huius & calamitoſæ vitæ curriculo, æternæ ſalutis & læticiæ ſempiternæ, cùm omnibus CHRISTI fidelibus, fieri particeps queam.

Quòd

Iohannes Fridericus I. Elector Saxon. Quòd verò Cæſareæ Maieſtati à quibuſdam inſtillatum ſit, me non religionem & fidem, ſed inanem, neſcio quam, glorialæ mundanæ, & tamen vanæ exiſtimationem ſpectare.

Quid, obſecro, inter omnia bona temporalia mihi antiquius, optatius, gratius, chariusúe, evenire unquam poſſit, quàm liberatio ex hac cuſtodia, ac ut in hac infirma corporis mei gravitate, apud uxorem dilectiſſimam, & liberos chariſſimos, domi meæ in quiete & ocio vivere poſſem? Hæ ſunt vanæ perſvaſiones, inanesq; cordium cogitationes quas nemo, niſi ſolus Deus, ſcrutatur & perſpicit.

Teſtificor autem, & in extremo iudicio in conſpectu Dei, & omnium electorum teſtificabor, cum à me, & omnibus hominibus, de ſermonibus, cogitationibus, factisq;, atq; adeò de tota vita in terris peracta, rationem idem poſtulaturus eſt, me nihil aliud hac in re ſpectâſſe, neque adhuc ſpectare, quàm æternam ipſius Dei gloriam & gratiam, ac ut æternæ ſalutis adire hæreditatem valeam, de quo tua Cæſarea Maieſtas nihil dubitare, & conſcientiam meam conſtrictam, quæ intolerabilem Dei iram & condemnationem maximoperè, metuit, clementer & benignè ferre & tolerare dignetur.

Externa & politica quod ſpectat negocia, ſubiectiſſimam obedientiam, omni fidelitate, tuæ Cæſareæ Maieſtati præſtare, & teſtatam facere, ſemper ſtudui & cupidus fui, quod Deus novit. Idem deinceps ſummâ animi fide & alacritate ſum facturus, quæque promiſi & iuravi, ea principe & viro bono digna omninò inviolata præſtiturus. DEVS termaximus benigniſſimè tuæ Cæſareæ maieſtatis erga me animum emolliat, ut gratiam apud eandem inveniam, & è diuturna hac captivitate tandem dimittar & liberer, ne primus omnium ego principum inveniar, qui vitam captivus tranſegerit, cui me ſubiectiſſima animi reverentia & humilima ſubiectione commendo.

1552. *Liberatio cuſtodiæ.* Dimiſſus autem poſt quintum exilii annum, cum ei OENIPONTE in horto adiuncto arci, à FERDINANDO Rege nomine fratris Imperatoris, anno nimirum ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo ſecundo, liberatio primùm annunciaretur. Reverſus itaque, ſumma cum gratulatione à ſuis excipitur, præſertim à coniuge dilectiſſima, atque liberis chariſſimis, qui deſideratiſſimum parentem, & maritum, ſingulari ſemper pietate, obſervantiaque fuerant proſecuti. De coniuge verò eius, matrona laudatiſſima, & ab eximia ut pietatis conſtantiæque, ita patientiæ laude celebratiſſima, fertur, quòd ſæpiſſimè hæc in verba ex imo corde deducta eruperit: Confidere ſeſe, animo id ſibi maximè præſagiente, ſe ex hac ærumnoſa vita in illam cœleſtem & æternam hinc non priùs diſceſſuram, quàm Dominum maritum, è ſua difficili liberatum cuſtodia, lætis aſpiceret oculis, ſeque nolle precibus lacrymisque ad DEVM indeſinenter effuſis deſiſtere, prius quàm voti ſui compos omninò facta eſſet.

In BELGIO quodam tempore in cuſtodia ſua venatum animi gratia expatiatur, eà in venatione à cuſtodibus fortè fortuna deflectens ſolitarius in ſylvis circumvagatur, tandem verò ad portam veniens ibi tàm diu expectat, donec cuſtodes, qui eum in ſaltibus undique dolentes quæſi erant, eum aſſequerentur, ne ſua cauſa in offenſionem & odium Imperatoris incurrerent. Quo facto maximam ſibi apud Imperatorem conciliat gratiam, qui candore illius collaudato, poſtea eius memor, eum eò libentius è cuſtodia dimiſit.

1553. *9. Iulii.* Poſt MAURICIUM, agnatum ſuum, in acie VII. Idus Iulii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo tertio, vulneratum, & biduò

duò poſt piè in CHRISTO ſervatore defunctum, cum AUGUSTO Electore, fratre ipſius, conventu NUMBURGANO totius Reipublicæ negocia diſponit, ſublatisque controverſiis multis atque magnis, obiit anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quarto & quinquageſimo, 5. Nonas Martii, quo menſe ante annos octo, de duobus Principibus ALBERTO Brandeburgico, & CHRISTOPHORO Leuchteburgio, ROCHLICII captis triumphaverat. *Iohannes Fridericus I. Elector Sax.* *Obitus 1554. 3. Martii.*

Sepelitur VINARIÆ cum uxore, cum ſibi ad latus coniugis, paucis, & quidem undecim diebus, ante ſe piè defunctæ, loculum relinqui mandaviſſet.

Arcem TORGÆ amplam & magnificam condidit, & in eius templo tumbam ſibi fecit, in quam tamen impoſitus poſtea non fuit.

Academiam SALANAM abdicatus Electoratu inſtituit, quam filii deinde eius, pio & laudabili ſtudio ampliârunt.

Loco ſymboli uſus eſt hac pulcerrima ſententia: VERBUM DOMINI MANET IN ÆTERNUM: quâ & parens eius IOHANNES, & patruus FRIDERICUS III. Sapiens, deſignatus Rex Romanorum, quoque uſi ſunt, quemadmodum nec ab altera abhorruit, quam ALPHONSUS, Rex Arragonum laudatiſſimus, primus inveniſſe dicitur: PRO LEGE, & PRO GREGE: Quibus more parentis conſtantiſſimi & patrui ſapientiſſimi laudabili, nihil prius, nihil antiquius, eum habuiſſe conſtat, nihil à Deo votis crebrius & ardentius petiiſſe manifeſtum eſt, nihil ſangvinis profuſione, nihil vitæ bonorumque omnium proſtitutione quæſiviſſe aliud creditur, quàm ut pura, & ex omni parte integra, inviolataque retineatur religio, quà ſalvâ & incolumi, ſeſe, poſterosque, ac ſubditos ſuos omnes æterna ſalute potiri poſſe unicè exoptârit, uti ex eius ad Imperatorem literis illuſtri ad omnem poſteritatem poſt ſe relicto exemplo pietatis, ſuperius additis, liquidò apparet. *Symbola eius.*

Verùm ab Eccleſia Chriſtiana obtinuit elogium, quòd ipſi dicatum, Epitaphioq; eius adſcriptum eſt hunc in modum:

IOHANNES FRIDERICVS, DEI GRATIA, ELECTUS MARTYR JESU CHRISTI, DUX AFFLICTORUM, PRINCEPS CONFESSORUM FIDEI, COMES VERITATIS, SIGNIFER SANCTÆ CRUCIS, ANTESIGNANUS PATIENTIÆ ET CONSTANTIÆ HÆRES VITÆ ÆTERNÆ, OBDORMISCENS IN CHRISTO, MIGRAVIT EX HAC MISERRIMA VITA IN COELESTEM PATRIAM, VINARIÆ, M. MARTIO. D. III. ANNO M. D. LIV. ÆTATIS LI.

Nunc ad IOHANNIS FRIDERICI I. Electoris filios acceſſurus ſum, & quia poſteriores duo, alter ſine liberis, alter puerili ætate, ex hac vita mortali in cœleſtem illam ac immortalem à Deo avocati ſunt, de iis primo loco dicam.

IOHANNES ERNESTVS I.

IOHANNES ERNESTUS I. quartus & natu minimus IOHANNI FRIDERICI I. Electoris filius, puerili ætate moritur 6. Idus Februarii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, tertio & quinquageſimo. *1553. 8. Februarii.*

IOHANNES FRIDERICVS III.

Natus 1538. 16. Ianuarii. IOHANNES FRIDERICUS III. Electoris IOHANNIS FRIDERICI I. tertius filius. Naſcitur TORGÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo octavo 17. Calend. Februarii.

Princeps literatus & literatorum ſtudioſiſſimus, animi conſtantia in vera religione defendenda patri ſimillimus. Scripta Lutheri, aliorumq; piorum doctorum, accuratiſſimo perlegit ſtudio, & animo ardentiſſimo ita ea amplexus eſt, ut minimè dubitaret, cum aliis de religionis conferre articulis.

Obitus 1565. 31. Octobr. Obiit IENÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo quinto, pridie Calendarum Novembris, ætatis ſuæ 27. menſ. 9. d. 15. Sepultus Vinariæ. Nullam duxit uxorem.

IOHANNES FRIDERICVS II.

Natus 1529. 8. Ianuar. IOHANNES FRIDERICUS II. IOHANNIS FRIDERICI I. Electoris filius. Naſcitur TORGÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum vigeſimo nono, 6. Idus Ianuarii, horâ nona pomeridiana.

Vxores. Vxores habuit duas: Prima fuit AGNES, PHILIPPI Landgravii Haſſiæ filia, vidua MAURICII Electoris, quæ eodem, quo ipſa eſt nupta anno, febri extingvitur. Altera ELIZABETHA, filia FRIDERICI III. Electoris Palatini Rheni, quæ maritum pio amore coniugali in exilium ſecuta eſt. Liberi. Ex hac nati: IOHANNES II. & FRIDERICVS, qui ambo annis pueritiæ obierunt; IOHANNES CASIMIRVS: & IOHANNES ERNESTVS.

Pueritia. A primis adoleſcentiæ annis more maiorum laudabili, omni generi virtutum ſtuduit, iis artibus ſtatim cum fratribus inſtitutus, quibus virum principem omninò decuit. In iis verò tantos fecit progreſſus, ut puer duodecim annorum, coram illuſtriſſimo parente, in arce Torgenſi orationem habuerit, proque puerili induſtria, fideli præceptoris inſtitutione pronunciârit quàm elegantiſſimè. His illuſtribus ad ſapientiam virtutemq; ſeſe exerentibus in filio indiciis, delectatus parens optimus, ſpe ampliſſima frugis aliquando bonæ percepta, ſine mora curat eum, unà cum altero filio, IOHANNE GVILIELMO, ac præceptore, viro gravi, omniq; liberali doctrina politiſſimo, BASILIO Munnero, è functione GOTHANÆ Scholæ aſſcito, in Academiam VVITEBERGENSEM deportari, ubi totum ſeſe literis tradens, brevi temporis ſpacio, in ſuperioribus diſciplinis tantum profecit, ut quatuordecim natus annorum, in publicum conſpectum prodire, minimè erubuerit, inq; tanta conſtitutus ætate, tantorumque illuſtriſſimorum virorum, parentis, aliorumque principum, conſeſſu frequentiſſimo, verba de boni Principis officio facere maluerit. Cuius rei teſtis eſt luculentiſſimus, præfatio illa D. Lutheri declamationibus iſtis præfixa, quas ambo fratres, eodem tempore & loco habuerint, quam in perpetuam illorum recordationem è Tomo 4. Ienenſi aſſcribendam hic duximus.

Vidimus & audivimus his diebus ſingulare, & apud Germanos inuſitatum exemplum, quòd duo fratres, alter tertium decimum, alter quartum decimum annum ingreſſus, ac penè, ut dicitur, infantes, habuerunt duas orationes latinas contiguas, coram tota hac Vniverſitate. Et hi fratres, non infimæ, nec mediocris, ſed ſummæ nobilitatis, puta, ſummo clariſſimoque loco nati, nempè filii Illuſtriſſimi principis noſtri, & domini, Dn. IOHANNIS FRIDERICI I. Ducis Saxoniæ, Electoris &c. omnium ſtudiorum, artium, & virtutum patroni clementiſſimi, qui & ipſe, cum aliquot aliis Principibus unà præſens audiebat, magno, ut credere par fuit, & ſatis apparebat, gaudio, ſcilicet pater filios ſuos, ea ætate tàm feliciter, idq́; brevi tempore, in literis profeciſſe. *Iohannes Fridericus I. Elector Sax.* *Lutheri teſtimonium de ſtudiis huius principis.*

Ego ſanè inter cæteros admirabar vehementer, non ſolùm iſtam animi magnitudinem in pueris, quâ in tali ac tanto cœtu, nihil territi, latinè & dexterrimè perorabant, ſed etiam tàm purè, tàm graviter, tàm diſtinctè, ac ferè memoriter, quaſi ex tempore dicerent, omnia pronunciabant. Simul ſuccurrebat recordatio temporis paulò ſuperioris, in quo non inveniſſes ex omni, quod dicitur multitudine Eccleſiaſtica, Pontificum etiam Romanorum, Cardinalium, Epiſcoporum, addo, Doctorum, & quicunque voluiſſent audiri doctiſſimi inter eos, qui tale aliquid præſtare potuiſſet. Certè magnum decus, magnamq́; gloriam literæ, utut ſint apud alios magnates & proceres contemtæ, in iſtis clariſſimis & illuſtriſſimis Principibus conſecutæ ſunt, nec minore gloria ipſæ viciſſim Principes tantos ornaverunt.

Hîc videas, quid ſit, quantumq́; valeat, bona inſtitutio, præſertim, ſi contingat, ut hîc, natura formabilis & ingenium idoneum. Quâ in re optimi parentis, & illuſtriſſimi Principis conſilium & voluntas, mirificè extollenda ſunt, qui filios ſuos non vulgari more Principum, & nobilitatis, dilexerit, id eſt, otio & ignavia negligi paſſus ſit, ſed omni ſtudio & cura eos rectè inſtitui, & erudiri curavit, ut eſſent non tantum ſangvinis genere clariſſimi, ſed & literis ingeniiq́; cultu, cunctis nationibus admirabiles.

Sed ipſæ orationes mihi omnem materiam laudis præripuerunt, ex quibus ipſe Lector intelliget plura, quàm mea ſicca iſta & ieiuna, ſeu horrida & ſordida oratio dicere poteſt.

Hoc reliquum eſt, ut optimis pueris, clariſsimis principibus, omnia benè precemur, & oremus Deum Patrem, largitorem iſtorum, & omnium bonorum, ut ceptis iſtis felicibus ſtudiis & inſtitutis, feliciorem ſucceſſum, feliciſsimumq́; fructum, benedictione abundantis gratiæ ſuæ, donare dignetur. Quòd eò magis orandum eſt, quod hoc ſeculo ingrato & peſsimo, dubitare nos Chriſtiani non poſſumus, quin Diabolus omnium bonorum, ipſiusq́; Dei hoſtis furentiſsimus, & ſicut Leo rugiens, & confeſsioni Evangelii per iſtos Principes exacerbatiſsimus, tentabit omnibus ſtudiis & inſidiis, ſi non perdere omninò poterit, tamen impediri & fruſtrari hæc divina dona.

Et videmus in hiſtoriis, imò & in omnium gentium hiſtoriis, quibus, qualibus, quantis machinis & aſtutiis in aulis Regum & Principum (quia ex illis maximos & ſaluberrimos fructus in Eccleſiam & Politiam proferri ſentit) regnare ſemper tentârit; & omnia invertere ſtuduerit, ut niſi Principem iſta coronet, & complectatur oratio, Pſalmo 20. PROTEGAT TE NOMEN DEI IACOB: MITTAT TIBI AUXILIUM DE SANCTO, & DE ZION TUEATUR TE, &c.

Certè inter tot Dracones, ſerpentes, lupos, vulpes, & ſi quæ peiora ſunt monſtra, Diaboli furentis miniſteria, id eſt, inter fallaces Conſiliarios, perfidos

Iohannes Fridericus II. Dux Sax.

amicos, proditores miniſtros, rapaces proceres, ipſe unus & ſolus nequaquam onus ſuum ſuſtinere & perdurare, & tamen inter hos vivere & regere cogitur. Principes enim, & quod optimum & ſummum in mundo eſt, unicè & avidiſſimè petit: Delicatæ eſt gulæ, ut ait Habacus, eſca eius electa, & Tyranni ridiculum eius ſunt. Quapropter commendatos habeat ſibi Eccleſia & quiſquis eſt, qui Chriſti eſſe voluerit, hoc optimos Principes, & eorum ſtudia & gubernationes fideli & ſeria apud Deum oratione iuvet, contra Diabolum, hoſtem illorum præcipuum.

Quâ in re faciemus non ſolum gratiſſimum ſacrificium Deo, ſed nobis ipſis quoq; neceſſarium & ſalutare beneficium.

Quis enim cogitando, ne dum dicendo conſequi poteſt, quàm beata res ſit, ſub bono & ſalutari Principe vivere, qui & gloriam Dei, & ſalutem Reipublicæ quærat, augeat & conſervet? Dona ſunt hæc, & ut ſacra ſcriptura loquitur, benedictiones Dei opulentiſſimæ. Ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, filius Dei, qui cœpit bonum opus ſuum in iſtis fratribus Principibus, det, ut non ſolum aliis Principibus, ſed ſibiipſis, has duas orationes cumulatiſſimo opere & fructu recitârint, recitent, & retineant ſemper ad gloriam Dei, & ſalutem hominum, Amen. Et hæc D. Lutherus hactenus.

Fortuna viro principi indigna.

Variâ autem fortunâ & viro illuſtri indignâ diu multumq; domi foriſque iactatus hic Princeps, omnes adverſitatum impetus toleranti & excelſo ſuſtinet animo.

1547. Bellum Germanicum.

In bello Germanico, ut vocant, pro neceſſaria religionis ſinceræ defenſione, patriæq; ſalute & incolumitate, à parente Electore, aliorumq; confœderatorum Principum ac civitatum, Smalcaldici fœderis adiumento, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo ſeptimo ſuſceptâ virtutis & fortitudinis de ſe præbet documentum inſigne. In conflictu enim ad MULBERGUM vulneratus hoſtium manus ægrè effugit, & VVITEBERGAM ingreſſus, urbem munitiſſimam præclaré tutatur, Imperatori CAROLO V. dedêre eam recuſans, donec cerneret, quanto in periculo parens optimus verſaretur, & ab eo de facienda deditione expreſſum haberet mandatum.

Pericula pro parente captivo.

Captivitatem parentis iniquo ferens animo, nulla pro liberando illo ſubterfugit pericula, licet etiam maxima eſſent: Cum fratribus enim IOHANNE GVILIELMO, & reliquis duobus IOHANNE FRIDERICO III. ac IOHANNE ERNESTO adhuc pueris, matreq; illuſtriſſima, in caſtra Imperatoris egreſſus, & ſupplex pro parente captivo factus, planè nullas alias pacis conditiones, quàm de abdicando Electoratu, & tradenda urbe VVITEBERGA obtinet.

Sicut autem in vera religione, & literarum cultu, à teneris præclarè imbutus & inſtitutus erat, ita in eadem defendenda, parenti laudatiſſimo haud diſſimilimus exiſtens, ab ea divelli aut deterreri minimè potuit, Decreto quoque de religione libri INTERIM uſque ad Concilium recipiendo, renuit ſubſcribere.

Eius conſtantia tempore Interim.

Actiones inſuper Concilii Tridentini vehementer improbat, cumq; reliquis Auguſtanæ Confeſſioni adhærentibus, addictiſq; Principibus, velut illegitimas repudiat, reiicitq;, nec iis ullo unquam modo aſſentitur.

1554. Gubernationis initium.

Parente illuſtriſſimo, ſingulari DEI providentia & Imperatoris gratia, è quinquennali cuſtodia libarato, & 5. Non. Martii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo quarto, ex hac mortali & miſera vita in cœleſtẽ meliorẽ & ſempiternam translato, ac ditione hæreditaria, ſuperiori bello Germanico, in anguſtũ redacta, ipſe cum fratrib. ſuis ita paciſcitur ut quilibet

decennio

decennio integro patriam gubernaret, initio à ſe, utpote primogenito & natu maximo, facto. *Iohannes Fridericus II. Dux Saxon.*

Itaq; initio eius gubernationis omnium primò tranſactionem illam parentis optimi & conſtantiſſimi cum AUGUSTO, Electore Saxoniæ, agnato, poſt mortem MAURICII Electoris, eius fratris NUMBURGI initam, & præſente Cancellario eius ERASMO Minquitio, paulò ante obitum ab eo obſignatam, ratam omninò cum fratribus habens, altero anno videlicet quinquageſimo quinto, ſupra milleſimum quingenteſimum, pridiè Nonarum Maii, cum eodem, conventu etiam eodem in loco indicto, non ſolum ea de de cauſa congreditur, verùm etiam cum eo, aliiſq; Principibus ibi congregatis, nimirum, IOACHIMO II. Marchione Brandeburgico & Electore, eiuſque filiis, ac Landgraviis Haſſiæ, PHILIPPO & GVILIELMO, fratribus, fœdus illud hæreditarium, de mutua benevolentia, & defenſione contra hoſtes, ac latrocinia, ſuperioribus annis bello interruptum, inſtaurat & renovat, addito hoc unico prioribus capitibus, ut doctrina Auguſtanæ confeſſionis in Eccleſiis dictorum Principum, conſtanti & inviolato retineatur modo, inque perpetuum eius rei teſtimonium, utq; firmiore nexu animi, offenſionibus nonnullis iiſdemq; multis & graviſſimis, antea admodum diſtracti, coaleſcerent, AGNETEM, filiam PHILIPPI Landgravii Haſſiæ, viduam à MAURICIO Electore relictam, ſibi matrimonio, ut ſupra dictum eſt, iungit. *1555. 6. Maii Renovatio fœderis hæreditarii.*

Academiam IENENSEM, à parente ſanctiſsimo omnium primò conſtitutam, unà cum fratribus illuſtribus, laudabili & pio affectu colluſtrat, publicatione Cæſarei privilegii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo octavo, Calen. Febr. factâ, ac à ſe habita de utilitate literarum gravi oratione in templo, magnâ Principum aliquot, doctorum itidem & Profeſſorum accerſitorum coronâ.

Magnam autem nimia ſua credulitate, & vana falſæ perſvaſionis imaginatione, magnam, inquam, & miſerandam ſibimet ipſi, & poſteris ſuis attrahit tandem calamitatem, cum Imperii Romani proſcriptos, GVILIELMUM Grumbachium, nobilem Francum: GVILIELMUM Stenium: IOBSTUM Zetvicium: HIERONYMUM Brandenſtenium: DAVIDEM Baumgartnerum, patricium Auguſtanum: cum reliquis ſociis non ſolum defenderet, verùm etiam contra mandatum Imperatoris in arcem GRIMENSTENIAM, & natura & arte munitiſsimam, reciperet, nec ullo pacto à ſe dimittere vellet.

Quâ de cauſa, & ipſe ab Imperatore proſcribitur, & GOTHA urbs TURINGIÆ, unà cum arce contigua, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo ſeptimo, 8. Calend. Febr. à Commiſſariis Imperii primum obſidione cingitur. *Gothana expeditio. 1576. 25. Ianuarii.*

Dux belli AUGUSTUS Elector, cui erant adiuncti, IOHANNES GVILIELMUS, Dux Saxoniæ, obſeſſi frater germanus: ADOLPHUS, Dux Holſatiæ.

Commiſſarii verò Imperatoris: OTHO Comes Eberſtenius: CHRISTOPHORUS Carolovitius: Domus rubræ Dominus: FABIANUS Schonechius: GEORGIUS LUDOVICUS Senshemius, militis Francici tribunus & reliqui.

Duravit autem iſta obſidio quatuor fermè menſibus, tandem Idibus Aprilis, & ipſa Dominica MISERICORDIAS Domini, qua Dominica & parens eius IOHANNES FRIDERICUS I. Elector, ante annos viginti ad MULBERGUM ab Imperatore CAROLO V. captus eſt, *13. Aprilis. Deditio Gothæ & arcis.*

Iohannes Fridericus II. Dux Saxon. Arx GRIMENSTENIA, & GOTHA oppidum, AUGUSTO Electori, nomine Imperatoris deduntur, militibus iuſſis exire, & IOHANNE FRIDERICO II. Duce Saxoniæ capto, ibidemq; per aliquot dies detento, donec de proſcriptis ſumeretur ſupplicium, quod quinto à deditione factum eſt die.

18. Aprilis Supplicium de proſcriptis ſumtum. GRUMBACHIUS proſcriptorum Coryphæus, & CHRISTIANUS Pontanus I. V. D. IOHANNIS FRIDERICI Cancellarius, vivi in quatuor diſſecantur partes, & ad quatuor urbis plagas in viis publicis ſuſpenduntur. GUILIELMUS Stenius decollatur prius, & poſtea eodem, quo priores, modo, in partes dividitur. BAUMGARTNERUS tantum capite mulctatur.

IOHANNES Beierus verò, qui AUGUSTI Electoris in præfectura montana SCHELLENBERGIA quæſtor fuerat, & fidelitatis iuramento poſthabito, cum ſolvendo non eſſet, ad hoſtes confugerat, conſiliiq; de necando Electore adiuverat, ſuſpenditur. In HIERONYMUM autem Brandenſtenium octavo poſt die animadvertitur, qui capite plectitur, & nigromanticus ille nugator, ſive mancipium illud Satanæ, fune necatur.

Caſtrum GRIMENSTENIUM, & vallum oppidi, ſolo æquantur, cuius demolitio (ut de expeditione verbum nullum) aliquot pondo auri conſtitit.

IOHANNES FRIDERICUS II. captivus primùm DRESDAM, deinde VIENNAM, poſtea POSONIUM, tandem NEAPOLIN Auſtriæ, hinc deniq; capto à Turcis IAVARINO, STIRIAM ſuperioris Auſtriæ urbem, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo quarto, 13. Calend. Decembris, deducitur, ibiq; ſemeſtre, & uſque ad extremum vitæ ſuæ halitum, in cuſtodia permanſit. 1594. 19. Novembr.

Et licet à plerisq; Imperii principibus, maximè verò à Rege DANIÆ per legatos interceſſio haud vulgaris facta eſſet, quibus etiam Imperator benignè annuere viſus eſt: tamen cum de forma cautionis præſtandæ conveniri non poſſet, in diuturno viginti octo annorum exilio, quod tamen eximia animi celſitudine ac patientia pertulit, piè in Dei optimi maximi ſemper acquieſcens voluntate, tandem obiit, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinto & nonageſimo, 7. Id. Maii, hora 7. veſpertina. Annum ætatis ſuperans 66. menſes. 5. Eo ipſo autem die, ab exilio in cœleſtem patriam, ex captivitate in æternam libertatem evocatur, quo in eandem ante annos viginti octo, uti diximus, è Patria abduceretur. Obitus 1595. 9. Maii.

13. Maii. Extra eius STIRÆ Auſtriæ 3. Idus Maii hora ſecunda pomeridiana, in æde D. AEGIDII, iuxta altare ſummum tumulata, corpus verò COBURGUM deductum, ibiq; terræ mandatum.

IOHANNES FRIDERICUS IV.

1560. 8. Aug. IOHANNES FRIDERICUS, quartus, primus IOHANNIS FRIDERICI II. filius, infans ſex menſium, dierum 12. Vinariæ, obiit anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo 6. Id. Auguſti.

FRIDERICUS,

Natus 1563. 3. Februarii. Moritur FRIDERICUS, ſecundus IOHANNIS FRIDERICI II. filius: Naſcitur HELIBURGI, Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, tertio & ſexageſimo, 3. Non. Februarii. Obiit ISENBERGÆ, anno ſupra milleſi-

milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo tertio, 3. Non. Auguſti, cùm vixiſſet decem annos, menſes 6. Sepultus VINARIÆ.

Johannes Caſimirus Dux Saxon. 1573. Aug.

IOHANNES CASIMIRVS.



IOHANNES CASIMIRUS, tertius IOHANNIS FRIDERICI II. filius. Naſcitur anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo quinto, pridiè Idus Iunii.

Naſcitur 12. Iulii. 1565.

Iohannes Caſimirus Dux Saxon. Vxores.

Vxores eius duæ: Prima ANNA, AUGUSTI Electoris Saxoniæ filia: Secunda MARGARITHA, Brunſvicenſis & Lunæburgenſis, Ducis, Dn. GVILIELMI, & DOROTHEÆ, Reginæ Daniæ, filia: Puer triennis, cum parens eius, ob Grumbachianæ factionis ad ſe in arcem munitiſſimam GRIMENSTENIAM receptæ proſcriptionem, unà cum eadem obſidione cingeretur, & ſuperatus in poteſtatem Imperatoris deveniret, omnibusq; bonis ac ditione univerſa, cum filiis exueretur magno ſuo cum damno.

Quamvis autem eius ditio tota fratri IOHANNI GVILIELMO, ob navatam Imperatori ſtrenuam, non tàm in hac contra fratrem expeditione operam, quàm aliis in rebus fidelitatem & ſubiectionem eidem, totiq; adeò Imperio præſtitam, auctoritate ſacræ Cæſareæ Maieſtatis, ac communi totius Imperii decreto, aſsignaretur hæreditaria, attamen interceſsione pro captivi principis filiis, in Comitiis Spirenſibus, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo, à Principibus Imperii, imprimis Germaniæ facta, ac petitione reſtitutionis in integrum, à dicto patruo, qui ſponte hac in parte, licet cogi non poſſet, ſuo iuri ceſsit, ad plenariam partitionem omnium hæreditariarum ditionum, lubentiſsimo animo admittuntur.

1570. Reſtitutio ad integrum.

Admodum autem eos afflixit, proſtravit & perculſit fatum iſtud calamitoſum parentis deſideratiſsimi, à dulciſsimo eorum & ſubditorum intuitu, & iucundiſsima converſatione non ſolum abrepti, verùm etiam duriſsima extra patriam captivitate, perpetuò, & uſq; ad extremum vitæ Spiritum, & per annos viginti octo aſſervati, & propriis, iisq; difficilimis, eorum ſumtibus ſuſtentati, quin imò, abſq; ſuorum exoptatiſsimorum filiorum oſculo, demq; in peregrinorum ulnis & amplexu mortui, & eo ipſo tempore mortui, cum reſtituendæ libertatis ſpes ei eſſet ampliſsima facta.

Nuptiæ eius primæ, 1585. Dresdæ celebratæ. 16. Ianuar.

Annos pubertatis egreſſus, nuptias DRESDÆ celebrat cum ANNA, AUGUSTI Electoris, agnati ſui filia, 17. Calend. Februarii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo quinto, quo eodem anno Reipublicæ habenas ſumma voluntate ordinum ditionis ſuæ ſuſcipit tractandas, ex prudentique parentis captivi conſilio omnia deinde fauſtà cum gratulatione ſubditorum diſponit, conſtituit, moderatur.

Imprimis autem religionem ſinceram, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo, in Comitiis illis Auguſtanis vindelicorum, CAROLO V. Imp. exhibitam, ac à maioribus ſuis celeberrimis, laudatiſsimis, conſtantiſſimisq; præclarè defenſam, & ſibi quaſi in manus datam, acceptamq;, ſumma cum animi reverentia, colit, tutatur & propagat.

In ſanctum miniſterium, Eccleſias & Scholas, non minori munificentia, eius ac maiorum liberaliſsimorum extant beneficia plurima, eximiaq;. Sumtibus annuis, Academiæ SALANÆ hactenus exhibitis, reſignatis COBURGI aperuit Gymnaſium, quod propiis iam alit ſumtibus, ut eius habet in auguratio, ibidem typis expreſſa, quæ & publicè proſtat.

Quin & quinq; ac viginti Adoleſcentes in Schola GOTHANA, laudatiſſima munificentia & liberalitate nutrit & educat, atq; ad Reipublicæ univerſæ, tàm Eccleſiaſticæ, quàm Politicæ, eos promovet emolumentum maximum.

Huic autem Principi exoptandum eſſe nihil aliud credimus, quàm ut tota eius gubernatio tàm ſibiipſi, quàm quibus præeſt ſubditis, benè feliciterq; eveniat, atq; tàm ipſe, quàm tota illa antiquiſsima, illuſtriſsimaq; Electorum & Ducum Saxoniæ, progenies & familia, ſibi honorifica, patriæ ſalutaris, Reipublicæ fructuoſa & utilis ſit, maneatq; & exiſtat, non tàm ad pacem illam aure-

am, ac

am, ac tranquillitatem exoptatiſsimam, quàm ſinceram verbi cœleſtis doctrinam ſartam tectamq; retinendam & conſervandam.

Iohannes Ernest. filius II. Dux Saxon.

IOHANNES ERNESTVS II.



IOHANNES ERNESTUS, quartus IOHANNIS FRIDERICI filius. Naſcitur anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo ſexto, 7. Idus Iulii.

Natus 1566 9. Iulii.

Iohannes Erneſtus II. Dux. Saxon. Vxores. Liberi.

Vxor eius prima ELIZABETHA, IOHANNIS Comitis Mansfeldii filia: Altera CHRISTINA, GVILIELMI Landgravii, Principis illius doctiſſimi & Mathematici præſtantiſſimi filia, ſoror MAURICII, iam ad clavum gubernationis ſedentis. Filius eius unicus IOHANNES FRIDERICUS V. ex ELIZABETHA Mansfeldia, ante matrem puerperam ſtatim extinctus, quæ tamen quatriduo poſt difficilem partum quoq; vivere deſiit.

Non minori autem, ac frater eius, parentis optimi exilium perpetuum, & fatum miſerandum, ægritudine animi perfert, quòd tamen æqua putat mente ferendum, cum illud nullo unquam mutari modo potuerit, ac æquè per omnes, tàm illuſtri ac ſummo, quàm humili ac infimo loco ortas familias dubiæ plurimarum calamitatum ſpirent auræ: Multiq; alii celſiſſimi, invictiſſimique Imperatores & Principes, cum ſuo fuerint adverſitatum fato conflictati: Idemque ſit, ut qui cupiant velintq; vitam his in terris abſq; ullis miſeriis tranſigere, quaſi Solem è medio Planetarum curſu & numero eximere & extirpare conentur. Et quam eandem dubiæ & inconſtantis ſortis fortunam avus eius, aliàs florentiſſimus, IOHANNES FRIDERICUS I. Elector Saxoniæ, experiri coactus ſit, é qua tamen divina tandem favente gratia eluctârit, ut perpetuos effugeret carceres.

Nuptiæ eius primæ 23. Novembr. 1593.

Nuptias primas NEAPOLI Auſtriæ 9. Calend. Decembris anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo tertio, in exilio parentum ſingulari pietatis exemplo celebrat.

ISENACI ſedem aulæ habet, ſuaq; contentus ſorte ſuo iudicio tali modo beatè ſe vivere arbitratur.

Faxit Deus optimus maximus, ut & ipſe maiorum ſuorum laudatiſſimorum & celeberrimorum veſtigia ſtrenuè imitando, laudabiliter premat, & ſectetur, nihilq; aliud cum fratre amantiſſimo, cogitet, ſuſcipiat, perficiat, quàm quòd ad divini nominis gloriam illuſtrandam, religionem ſinceram in Eccleſiis & ſcholis ſubiectarum ditionum, ad poſteros ſalutariter propagandam, nomen Saxonicum, illudq; antiquiſſimum, immortalitati conſecrandum, ſumma ac nunquam intermonitura cum gloria ſua, ſpectare & conducere videatur.

IOHANNES FRIDERICUS V.

Natus 8. April. 1596. Obiit 12. Apr.

IOHANNES FRIDERICUS V. IOHANNIS ERNESTI, ex ELIZABETHA Mansfeldia, filius. Naſcitur 6. Idus Aprilis, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſexto. Moritur ſtatim poſt nativitatem, aſperſus tamen prius ſacro baptiſmatis lavacro ante matrem puerperam pridiè Idus Aprilis, CRUCENACI ſepultus.

IOHAN-

Iohannes Gvilielmus Lix Saxo.

IOHANNES GVILI-ELMVS.



IOHANNES GVILIELMUS, ſecundus IOHANNIS FRIDERICI I. Electoris filius. Naſcitur anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo. 5. Idus Martii, eo nimirum ipſo anno, non abſq; ſingulari quadam futurorum ſignificatione, quo Auguſtana confeſſio Imperatori CAROLO V. omnibusq; Imperii ordinibus, AUGUSTÆ exhibita, & in clariſſimam lucem edita & divulgata fuit. Natus 1530. 11. Martii. Vxor eius DOROTHEA SUSANNA, filia FRIDERICI III. Electoris Palatini Rheni, matrona aliis omnibus virtute præcellens, & ſingulari veræ religionis ſtudio, ac erga pauperes ſubditos beneficentia commendabilis. Vxor.

Filii

Johannes Gvilielmus Dux Saxon. Liberis

Filii his nati duo: FRIDERICUS GVILIELMUS, Saxoniæ Procle&ſtor laudatiſſimus, & IOHANNES: Filiæ itidem duæ, SIBYLLA MARIA, annis infantiæ defuncta. & MARIA, quæ Antiſtitem Quedlinburgi iam agit.

Indoles.

Princeps ſapiens, & magnanimus, in quo egregia ſtatim indoles paternæ avitæq; integritatis, gravitatis, conſtantiæ, maximique ingenii & ſingularium virtutum ab annis teneris enituit.

Qualem autem ſeſe in iſtis addiſcendo pietatem & honeſtas literas exhibuerit, Dn D. Lutheri encomium ſatis abundeq; teſtatur, cuius præfationem ſcriptam in declamationes huius principis, & eiuſdem fratris, IOHANNIS FRIDERICI II. quas alter de boni principis officio, hic verò de GEORGIO equite Eccleſiaſtico, elegantiſſimæ Virgini, ob immanitatem Draconis

1543. 29. April.

admodum afflictæ, opem ferente, anno quadrageſimo tertio, ſupra milleſimum quingenteſimum 3. Calend. Maii, præſente ipſo parente Electore, & aliquot aliis Principibus, utpote VVOLFGANGO Anhaldino, & ERNESTO Brunſvicenſi & Aſcanienſi, in ſumma VVitebergenſis Academiæ frequentia, magna dexteritate & cum admiratione omnium ibi præſentium habuerunt, ſupra è Tomo quarto Ienenſi latino adſcripſimus.

Pietatis eximium in Principe exemplum.

Eximio autem pietatis flagrans ſtudio, ac præclarè in artibus inſtitutus & lingva latina, quam ita fideliter exercuit, ut cogitata mentis commodè, & è tempore quidem, eadem lingva, continuaq; oratione exprimere, proferreque potuerit. In religione verò ad exemplum optimi, conſtantiſſimiq; parentis, ſincerus & conſtans extitit eamq; bello Germanico contra parentem illuſtriſſimum, PHILIPPUM Haſſiæ Landgravium, VLRICUM VVirtebergenſem, aliosq; Smalcaldici fœderis addictos principes, confœderatasq; civitates, ab Imperatore CAROLO V. ſub prætextu quidem rebellionis, & læſæ Maieſtatis Cæſareæ, revera autem propter religionem veram & ſinceram, & quia nolebant ad ſocietatem Romanæ Eccleſiæ redire, ſuſcepto, ad id a Pontificiis minis technis inſtigato, præclarè profeſſus & tutatus eſt.

Bellum Germanicum. 1547.

Parente enim abſente, ac ad Danubium caſtra oppoſita Cæſarianis habente, fratreq; ſe natu maiore, IOHANNE FRIDERICO II. parentem adiuvante, ipſe harum regionum patrocinium & defenſionem ſuſcipit, easq; tuetur & defendit. Redeunte verò eodem, & fato infeliciore ad MULBERGUM cum hoſtibus manus conſerente, inq; poteſtatem eorum redacto & captivo abducto, minimè veritus eſt, omnia extrema, pro ſalute & vita parentis chariſſimi, ſpectatiſſimiq;, tentare ac ſubire.

Itaq; una cum inclyta matre, & fratribus, caſtra Imperatoris non ſemel adiens, ſupplex pro parente innocentiſsimo apud eundem deprecatur, à quo licet ſatis clementer quidem acceptus, mirificeq; tentatus, nullis tamen, neque magnificis promiſsis, à religionis ſinceritate abduci neq; deiici, aut deterreri minis potuit. Quo facto reliquorum Germanorum Principum, & de religione rectè ſentientium, animos mirè ſibi conciliat, præclaramq; de ſe ſpem ac expectationem excitat.

Eius ſtudium in Scholas & Eccleſias.

Quoniam verò in vita privata, ſcholaſticaq; diſciplina à puerili optimè inſtitutus ætate erat, ita in adultiori Scholarum & Eccleſiarum fautorem eximium & nutricium ſingularem ſe exhibet.

Fuit ſchola Ienenſis piâ & religioſâ conſtantiſsimi Principis IOHANNIS FRIDERICI I. Electoris Saxoniæ, captivi, parentis cura & munificentia, anno videlicet ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo octavo, ac eo ipſo,

eo ipſo, quò nimirum Idibus Maii, in Comitiis Auguſtanis, per CAROLUM V. Imperatorem. Libro INTERIM, notam doctrinæ & rituum formam Pontificiæ proximam, uſque ad concilium ſervandam, continente, inchoata. Sollicitus enim optimus Princeps de veræ Religionis à Luthero inſtauratæ, depoſito fideliter conſervando, & in relictis ſibi ab Imperatore ditionibus ad poſteros propagando, eam primùm condidit, aſcitis ad eius gubernationem tribus præſtantiſſimis & clariſſimis viris: VICTORINO Strigelio, Theologo & Philoſopho excellente, ex Academia Erfordenſi evocato, poſtea verò veram doctrinam impio ſuo ſynergiſmi dogmate obſcurante, & maculum ei aſpergente: ERHARDO Snepfio, Theologo gravi & eloquentiſſimo, ex Tubingenſi Academia accerſito: & IOHANNE Stigelio, Poëta ſvavi, & Deo ac Muſis chariſſimo, ſuperioribus duobus adiuncto. *Iohannes Gvilielmus Dux Saxon.*

Hanc cum fratre inclyto IOHANNE FRIDERICO II. quibuſcunque modis poteſt ampliorem, illuſtrioremque reddit, auget, amplificat, ac iſtius conſequendorum privilegiorum causâ, annò ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo tertio, BRUXELLAM, Brabantiæ oppidum, ad CAROLUM V. Imperatorem, cum præcipuis conſiliariis ſe confert, ab eiuſdemq; Cæſarea Maieſtate ſummiſsè eadem, tanquam à ſummo in terris Magiſtratu, petit, quæ quidem tum temporis non ſunt omninò denegata, negocio illo aliquantiſper tantum dilato.

Parente invicto aliàs invictæ fidei confeſſore, ab Electoratu abdicato, omnique dignitate, & maxima poſſeſſionum parte ſpoliato, ac piè denique in Chriſto ſervatore, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo quarto, defuncto, fratri ſeniori, IOHANNI FRIDERICO II. gubernationem hæreditariarum ditionum, in anguſtum admodum redactarum, decennio ſpatio, uti inter ſe convenerant, concedit, ac prius expeditis, cum fratre, ac diſpoſitis iis rebus, de quibus ex voluntate & teſtamento parentis optimi mandata expreſſa haberent, ut tranſactione parentis cum AUGUSTO Electore, poſt MAURICIUM in acie vulneratum, & piè biduò pòſt defunctum, NUMBURGANO in conventu rata habita, & fœdere hæreditario de ſucceſſione & mutua benevolentia & defenſione contra hoſtes & latrocinia, renovato, ſe deinde parvo cum comitatu in aulas principum confert, ut in iis exterorum populorum mores, ſtudia, & exempla pernoſceret, prudentiamque augeret. *Fratri gubernationem per decenniū committit.*

Primùm autem aulam Principum Pomeraniæ frequentat, ubi cùm perſpiceret, certari potius poculis, quàm rebus ſeriis, inde pedem movet in aulam Prutenicam, tandem ſe in Gallia confert, ac Francorum regibus, HENRICO II. FRANCISCO II. & CAROLO IX. diverſis annis militans, eximiam inde fortitudinis & virtutis deportat gloriam. In illis enim civilibus ruinis, non ſolum fortem ſeſe exhibet bellatorem, verùm etiam ſalutarem pacis auctorem, cum in iiſdem bellis ſupremam ſumma cum laude obtinuiſſet poteſtatem.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo ſeptimo, parentis piè defuncti teſtamento & mandato, quo iniunxerat filiis, ut privilegiis à Cæſarea Maieſtate impetratis Gymnaſium Ienenſe illuſtrius redderent, lubentiſſimo animo morem gerens, PRAGAM ſe ad Regem Romanorum 1557. *Privilegia Ienēſis Academiæ.*

Iohannes Gvilielmus Dux Saxon. FERDINANDUM, eam ob cauſam recipit, ac ab eo eadem conſequitur; quæ anno ſequenti, Galend. Februarii, ſolenni pompâ à fratre eius introducta & publicata ſunt.
1. Februarii.

1558. *Eius expeditio in Galliam.* Sicut autem ſuperioribus, ita inſequentibus annis, imprimis verò hoc quinquageſimo octavo, ſupra milleſimum quingenteſimum, in Galliam reverſus, adductis ſecum tribus millibus, & quadringentis equitibus, Galliæ Regibus ſtrenuam navat operam, quibus non tàm ob latinam, atque Gallicam lingvam, quas optimè calluit, gratus acceptusq; extitit, quàm ob ſingularem modeſtiam, virtutem, rei militaris peritiam, fidelitatem, animi fortitudinem, prudentiam conſilii, admirationi eſt. Quamobrem non ſolum ei ampliſſima numerant ſtipendia, verùm etiam ditionem quandam in Gallia multos annos, pro ſe uſurpandam eidem addicunt muneribus; aliis cum ſibi devinciunt.

Quamvis autem perturbatiſſimo illo tempore, quo paſſim in Germania Romanoq; Imperio, de ſacris profaniſque admodum dimicaretur, ſub Regibusq; Pontificiæ addictis religioni, militaret: Attamen ſumma utitur circumſpectione, ne ſuam conſcientiam Papiſticorum errorum approbatione & idolomania pollueret. Regibus quidem operam ſuam in bello locabat ſtrenuam, verùm confeſſionem fidei ſuæ, quæ Regibus, Proceribusque Galliæ omnibus non ignota extitit, ſemper excipiendo, liberam retinet. Quin imò pro ea, qua apud Reges valebat gratia, pro iis, quos propter religionem in ſummo conſtitutos noverat periculo, intercedit. Sic nimirum Gallia periculoſiſſimis illis temporibus, non ſolum hunc Principem ſtrenuum bellatorem, uti diximus, verùm etiam utilem ac ſalutarem pacis auctorem experta eſt.

Reverſurus in patriam, cùm multi metuerent, ne in reducendis copiis ſuis militaribus, hoſtiliter ageret, ac alicui Principi, Imperio Romano ſubiecto, vel addicto, inferret bellum, ſicut de eo fama percrebuerat, publico ſcripto cavet, ſuamq; integritatem & fidem tali modo omnibus probat, ſe nihil tale tentaturum. Literis etiam ad ALBERTUM Ducem Bavariæ miſſis, tranſitum per eius ditionem ab eo conſequitur. Salvus itaq; ac incolumis 7. Idus Octobris, exeunte anno quinquageſimo nono, ſupra milleſimum quingenteſimum, è Gallia Vinariam revertitur.
Reditus eius è Gallia 9. Octo. 1559.

Nuptiæ eius 15. Iunii 1560. Rebus igitur militaribus valedictis, inſequente anno altero ducta uxore, DOROTHEA SUSANNA, filia FRIDERICI III. Electoris Palatini Rheni, nuptiisq; ſolenniter 17. Calend. Iulii, HEIDELBERGÆ celebratis, ac 4. Idus Novembris, domum ea deducta in arcem Vinarienſem, ad pacis ſe convertit & tranquillitatis ſtudium, cumque uxore, fœmina lectiſsima & ſanctiſsima in ſummo animarum conſenſu, mutuaq; charitate, uſq; ad extremum vitæ halitum, piè ſanctèq; vivit.

Dictum ſuperius eſt, quo modo hic illuſtriſsimus Princeps cum fratre, ſe natu maiore, IOHANNE FRIDERICO II. convenerit, illiq; totam ditionum hæreditariarum gubernationem lubens volensq; decennio ſpatio, adminiſtrandam conceſſerit, ſeq; in aulas Principum, Regumque ut variis hominum moribus, & ſtudiis perſpectis, maiorem ſibi compararet experientiam rerum, iudiciumq; confirmaret. Itaq; iam decennio exacto, & fratre iuniore
1565. IOHANNE FRIDERICO III. anno ſexageſimo quinto, ſupra milleſimum quingenteſimum, pridiè Cal. Novemb. hac vita functo, de hæreditate abeunda, cum fratre IOHANNE FRIDERICO II. agit, quod utriuſque
Diviſio hæreditariarum ditionum.

ſoceri

ſoceri FRIDERICI III. Palatini Rheni, intercedente conſilio, talem in modum componitur, ut IOHANNES GVILIELMUS COBURGUM, & coniuncta FRANCIÆ oppida retineret poſſidenda: IOHANNES FRIDERICUS II. verò, Gotham & Turingiæ partem, deinceps ſibi hæreditario iure uſurpet. Id quod uterq; approbat, & ratum habet. *Iohannes Guilielmus Dux Saxon.*

In gubernationem autem eius non minora triſtia & periculoſa, quam antè fuerunt, tempora incidunt. Nam deflectentibus qu buſdam à vera & puriore forma confeſſionis, anſam præbent, ut pii & orthodoxi paſtores in exilium pellantur, triſtiſſima Eccleſiarum ſubſecutâ confuſione: Nonnulli verò è politicis, & cum iis potiſſimum CHRISTIANUS Pontanus, I. V. D. & IOHANNIS FRIDERICI II. Ducis Saxoniæ, Cancellarius, faſtu plus quam humano turgens, rem apud eundem Ducem Saxoniæ, huius fratrem eò deducunt, ut GRUMBACHIO cum complicibus, hoſti Imperii pronunciato, & proſcripto, hoſpitium præbeatur. Quapropter hic Princeps religioſiſſimus, non ſolum mœrore afficitur ſummo, verum etiam fratrem per gloriam Dei & ſalutem Eccleſiæ & Reipublicæ obteſtatur, monet rogat, ne mutatione religionis & paſtorum eiectione orthodoxorum, iram Dei iuſtiſſimam concitet, & fovendis Imperii hoſtibus, Cæſaream Maieſtatem ad indignationem graviſſimam permoveat. Verùm nullum ille fraternis admonitionibus & precibus dat, neq; relinquit locum, ac hac ſua obſtinatione, quâ fratris, & reliquorum Principum, Palatini Rheni & Landgravii Haſſiæ, utriuſque ſoceri, fideles cohortationes poſtponebat, iram Imperatoris in ſe inflammans graviorem efficit, ut ipſe unà cum proſcriptis obſidione tandem, ſub initium anni ſexageſimi ſeptimi, ſupra milleſimum quingenteſimum premeretur, proſcriptionis aliquoties iteratæ executione, Electori Saxoniæ AUGUSTO, ab Imperatore MAXIMILIANO II. demandata, miſſis ad eum PRAGA belli Commiſſariis, cui etiam frater IOHANNES GVILIELMUS adverſus fratrem, ratione officii, intereſſe cogitur.

GOTHA capta & pœna de proſcriptis ſumta, ac IOHANNE FRIDERICO II. in perpetuum exilium ad Imperatorem miſſo, huic Principi, utpote fratri IOHANNIS FRIDERICI germano, dominium harum ditionum ſoli obtigit, conſtituiturq; atq; confirmatur earum, auctoritate S. Cæſareæ Maieſtatis & communi totius Imperii decreto Dominus hæreditarius & legitimus.

Sicut autem initio gubernationis ſtatum Eccleſiæ Scholarum, Academiæ & Reipublicæ, ſanè corruptiſſimum & perturbatiſſimum invenit: Ita non minores nervos dies noctesque in id intendit, ut modum & rationem inveniret, quo iis univerſis ac ſingulis opem ferret, atq; in priorem reſtitueret ſtatum, quo floruerunt ſub optimo principe, IOHANNE FRIDERICO I. Electore, parente conſtantiſsimo. Tot enim tantæq; circumſteterunt optimum principem difficultates, ut admiratione res digna fuerit, cum ex iis potuiſſe eluctari. Verùm, non niſi ſingulari Dei præpotentis auxilio, factum credimus, quem abſque omni dubio, qua fuerat pietate erga eundem, & ſanctum eius verbum, multas ducens noctes inſomnes, ardenter invocaverit.

Itaq; pridiè Id. Aug. publicandam curat confutationem, qua ex verbo Dei, ſcriptis patrum, libris D. Lutheri, Auguſtana confeſsione, eius Apologia, Smalcaldicis articulis, confutationibus Saxonicis, ac aliis firmis argumentis, cothurnus iſte, de Synergiſmi Sphynge, contrarius ſacris literis, & impius, à quibuſdam Theologis ſceleratè introductus, reiici, & improbari firmiſsimè poterat. *Confutatio Synergiſmi 12. Auguſti publicata.*

Iohannes Gvilielmus Dux Saxon.

1568.

16. Ian. Mandatum Principis publicatum.

Decimo ſeptimo Calend. Febr. inſequentis anni ſexageſimi octavi, ſupra milleſimum quingenteſimum, publicum mandatum, typis expreſſum, propoſuit, quo enumeratis ex pio erga ſinceram religionem zelo, prius articulis religionis veræ, in ſcriptis Propheticis ac Apoſtolicis, Auguſtana item confeſſione, eiusq; Apologia, Smalcaldicis articulis, & libris D. Lutheri, Ducumq; Saxoniæ confutatione comprehenſis, poteſtatem facit omnibus piis paſtoribus, ob improbatam impiam dictorum bilingvium Theologorum declarationem, in exilium pulſis, redeundi in ditiones ſibi ſubiectas, & in ipſam Academiam Ienenſem, ſublatâ blaſphemâ, & ancipiti iam nominatorum Theologorum, minus rectè ſentientium, declaratione & ſubſcriptione paſtorum, per errorem ſeductorum, lapſum ſuum agnoſcentium.

29 Ian. in Galliam proficiſcitur.

6. Octobris

Vndecimo Calend. Februarii, ſe in Galliam, ſalutandi Regis gratia, & conſtituendarum rerum ibidem, ob aſſignatam ſibi quandam partem Galliæ ditionis, ad aliquot annos fruendam, confert conſtitutis ibidem rebus omnibus, quas voluerat, Regiq; valedicens & gratias agens, pridiè Non. Octobris revertitur, & gliſcentibus adhuc ſubindè gravibus in religione turbis, ſinceram præclarè tutatur religionem, ſeque tranquillitatis & pacis publicæ, ut & religionis propugnatorem præſtat eximium, ac ut inter Eccleſiæ doctores concordia Chriſtiana. quâ nihil antiquius, nihil dulcius, nihil optabilius, conſervetur, exemplo laudatiſſimorum maiorum ſuorum, piorumq; Principum & Imperatorum ductu, Synodos & conventus Theologorum Miſnicorum & Turingorum ALDENBURGI & VINARIÆ, nullis parcens ſumtibus, habet, id quod teſtatur colloquium illud ALDENBURGENSE, hoc anno 13. Calend. Novembris, inter Theologos de iuſtificatione hominis coram Deo & de Synergiſmo, inſtitutum, cui in quintum uſq; menſem (ad 8. Idus Martii enim inſequentis anni illud curavit) ſumma moderatione animi intereſt, præſtque nec non prudenti ſuo conſilio moderatur, regit, gubernat. Huic verò colloquio iuſſu AUGUSTI Electoris Saxoniæ, interfuerunt è Politicis & equeſtri ordine:

Colloquium Aldenburgenſe, 20. Octobr.

9. Martii finitum 1596.

Iohannes *Bernſtenius.*
Ionas *Zeſchavius.*
Laurentius *Lindemannus, I. V. D.*

E Theologis verò.

D. Paulus *Eberus.*
D. Henricus *Salmutus.*
D. Andreas *Freyhubius.*
D. Petrus *Prætorius.*
M. Caſparus *Cruciger, junior.*
M. Chriſtianus *Schutz, Concionator aulicus.*
M. Henricus *Mollerus, Notarius publicus.*

E partibus verò Dn. Iohannis Gvilielmi, *Ducis Saxoniæ politicis & nobilibus.*

Eberhardus *à Than.*
Petrus *Brem, I. V. D.*
Henricus *ab Erffa.*

E Theologis verò.

D. Iohannes *Vvigandus*.
D. Johannes Fridericus *Cœleſtinus*.
M. Chriſtophorus *Irenæus*.
M. Bartholomæus *Roſinus*.
M. Alexus *Breſnicerus*.
M. Timotheus *Kirchnerus*.
M. Martinus *Burggravius, Notarius publicus*.

Johannes Gvilielmus Dux Saxon.

Quantam autem, & quàm raram, ac ſempiterna memoria dignam exhibuerit hic laudatiſſimus Princeps, erga fratris captivi filios φιλοστοργίαν, ac benevolentiam, indè vel maximè colligi poteſt, quod cum anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo, in Comitiis Spirenſibus, Electores & Principes Imperii, ac imprimis Germaniæ, apud invictiſſimum Imp. pro captivi IOHANNIS FRIDERICI II. Ducis Saxoniæ, filiis intercederent, ac eorum reſtitutionem peterent, licet hic illuſtriſſimus Princeps antea, auctoritate Imperatoria, & totius Imperii conſilio, inſtitutus & confirmatus eſſet Dominus omnium fratris ditionum, & propterea ad diviſionem earum adigi & cogi non poſſet, ipſe tamen ſuo iuri ſponte ceſſerit, & nepotes ſuos chariſſimos, ad hæreditatem omnium earum lubentiſſimo animo admiſerit. Rarum exemplum φιλοστοργίας.

Nec verò in poſtrema laudum huius Principis ponendum & id, quod ſacro ſanctum volumen Biblicum, non ſolum magna cum attentione, & ſingulari reverentia, octies & ulterius, penitus evolverit, verùm etiam præter cæteros utiliſſimos Theologorum libros, Tomos Megalandri Lutheri diligenter lectitârit, & ſicut eo ipſo quo Auguſtanâ ſcripta, & CAROLO V. Imp. exhibita confeſſio eſſet anno, omine ſanè auſpicatiſſimo, natus erat, ita eidem invariatæ conſtantiſſimè ſemper addictus permanſerit, ſincerosq́; & pios verbi miniſtros & præcones, ſumma animi benevolentia, & incredibili favore, proſecutus ſit.

Obiit in vera filii Dei agnitione & confeſſione Vinariæ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo tertio, 6. Non. Martii, ibidem ſepultus, cùm vixiſſet annos 43. demtis diebus 9. hora 1. minutis 45. Mortem eius anteceſsit Cometa quidam 6. Idus Novembris, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo ſecundo, in ſydere Caſsiopeia apparens argenteo ſuo colore Iovem ſuperans unde Ioviatus dictus, poſtea rubeo colore exiſtens Martialis factus, & in eodem ſemper loco immobilis permanens, ſequenti verò anno circa feſtum ὑπαντῆς evaneſcens. Obitus 1573. 2. Martii. 8. Novembr. 1572.

Fridericus Gvilielmus Proelector.

FRIDERICVS GVILIELMVS I. PROELECTOR.



Natus 1562. 05. April.

FRIDERICUS GVILIELMUS I. primus IOHANNIS GVILIELMI filius. Avi materni, & patris nomen, ſumma cum laude referens. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo ſecundo, 7. Calend. Martii, 11. hora antemeridiana.

Vxores. *Liberi primi coniugii.*

Vxores duas habuit: Prima fuit SOPHIA, filia CHRISTOPHORI, Ducis VVirtebergici, è qua procreavit filios tres: IOHANNEM GVILIELMUM II. & FRIDERICUM IV. annis

IV. annis infantiæ mortuos: & tertium ἀνώνυμον, unà cum matre, præmaturo partu ſexto, extinctum: Filias verò itidem tres: DOROTHEAM MARIAM, quæ duorum annorum, & menſium quatuor ætatem non exceſſit. DOROTHEAM SOPHIAM, & ANNAM MARIAM, adhuc ſuperſtites.

Fridericus Guilielmus, ... ctor.

Altera ANNA MARIA, filia PHILIPPI LUDOVICI, Comitis Palatini Rheni, è qua ſuſcepit, quatuor filios: JOHANNEM PHILIPPUM, FRIDERICUM VI. JOHANNEM GVILIELMUM IIII. & FRIDERICUM GVILIELMUM II. poſthumum: Filias vero duas ANNAM SOPHIAM, & DOROTHEAM.

Liberi ſecund: coniugii.

Princeps ſumma moderatione animi, ſingulari æquitate, eximia probitate, commendabili eruditione, viro Principe haud indigna, nulli deniq; maiorum ſuorum laudatiſſimorum, virtutis excellentia, ſecundus aut inferior.

Commendatio virtutis.

A teneris ſtatim ungviculis, quod aiunt, fideli parentum cura, ad veram pietatem, cæteraſq; virtutes, illuſtri ſobole dignas, aſſvefactus, ſingulis diebus horas certas ſtudiis aſſignatas quinq; habet, quibus una cum pietatis exercitio quotidiano, rudimenta artium addiſceret, ne ullum abſq; linea ducta, ut dicitur, abire diem pateretur. Verùm præmaturus illuſtriſſimi parentis obitus, qui in annum eius undecimum, à Chriſto verò nato ſeptuageſimum tertium, ſupra milleſimum quingenteſimum, incidebat, huic tâm optimæ, uberrimæq; ſpei principi iuniori, diuturniore tam pii parentis educatione frui non permiſit.

Pueritia.

1573. Obitus parentis eius.

Itaq; mater eius pientiſſima, & planè benigno, pioq; erga ſanctum miniſterium affectu, eiuſq; Doctores & Profeſſores, ut & pauperes, atque egenos prædita, cùm perſpiceret, quanta in periculoſa tempora educatio huius incideret turbantibus & mirè affligentibus Eccleſiam Chriſti nonnullis Theologis, maiori ſollicitudine, ſedulitateq; religioſiori, hunc ſuum chariſſimum filium ad pietatem, ad preces quotidianas, eaſque ardentiſſimas, ad conſtantiam deniq; in vera religione adhibendam, adhortatur.

Electorem verò AUGUSTUM exorat, ut tanquam proximus agnatus, tutelam pupillorum illuſtrium, ac totius ditionis adminiſtrationem in ſe lubens ſuſcipiat.

Auguſtus Elector fit Tutor.

Sub cuius tutelæ initio, quamvis, ut dictum, novatores iſti quadam ſinceritatis opinione non electoratum modo, ſed horum quoq; pupillorum Academiam ditionemq; pertulerint, tandem tamen ſacro Concordiæ inſtituto libroque controverſiis hiſce omninò finis eſt impoſitus.

Rebus Eccleſiaſticis in tranquillum ſtatum redactis, mittitur hic Princeps iunior, à matre pientiſſima & Tutore vigilantiſſimo, in Ienenſem Academiam, ubi per honorificè à Profeſſoribus non modò accipitur, verùm etiam recordatione beneficiorum, liberaliſſimè Academiæ, & ſibimetipſis, ab eius parente, avoq; exhibitorum, Rectoratum ei humillimo ſtudio, & ſubiectiſſima animi obſervantia deferunt, quem magna cum laude, & admiratione omnium, ſtrenuè & honorificè ſuſtinet, exornat, gerit, moderatur.

Eius adoleſcentia ſub tutela & ſtudia. 1574. Rector fit Academiæ.

Poſtquam verò bonam ætatis partem in Academia hac tranſegiſſet, tantamque artium cognitionem comparâſſet, ut nihil non dignum admiratione, non excultum doctrina & moribus, in eo deſiderari poſſet, in aulam agnati Electoris, Tutoris ſui, ſumma cum gloria, ſe confert, ut quæ laudabiliter umbratili in ocio didiciſſet, vivis illuſtriſſimorum hominum exercitationibus, & exemplis ad uſum transferret & confirmaret.

Fridericus Gvilielmus Proleſſor.

Aetas confirmata.

Nuptiæ eius primæ. 1587. 5. Maii.

Annum vigeſimum primum egreſſus, animum ad coniugium convertit, eamq; rem inde exorditur, unde fœlices omnium actionum humanarum ſucceſſus, tanquam è fonte promanant uberrimo, ab invocatione nimirum DEI optimi maximi, qui caſtiſſimi auctor exiſtit, ordinis & coniugem ſibi piam, & omnibus principe dignis virtutibus inſignem SOPHIAM eligit, CHRISTOPHORI, Ducis VVirtenbergici filiam, ſacro cum ea connubiali anno octogeſimo tertio, ſupra milleſimum quingenteſimum, 3. Nonarum Maii celebrato.

Initium regiminis.

Poſtea communi, unanimiq; Matris dilectiſſimæ, Tutoris, & propinquorum conſenſu, omniumq; provincialium votis, ditionem hæreditariam à parente piè defuncto relictam, ſuſcipit gubernandam, quam incredibili moderatione, ſingulariq; æquitate, aliquot annos pacatè rexit, & nihil prius, nihil antiquius, nihil utilius, nihil commodius eſſe cenſuit, quàm, ut omni diligentia ſtudioq; provideret, quò omnium primo Eccleſiæ, Scholæq; ſuæ diœceſeos rectè conſtituerentur, doctrina religionis incorrupta ſubditis purè & integrè proponeretur, Sacramenta ſecundum Chriſti inſtitutionem ritè diſpenſarentur, ac populus de Deo vero, deq; veris & neceſſariis vitæ officiis erudiretur.

1. Laudabilis conſtitutio Eccleſiæ & Scholarum.

2. Academiæ.

Deinde Academia Ienenſis, ab avo conſtantiſsimo fundata, à parente laudatiſsimo in meliorem conſtituta formam, & non minoribus à ſe, ac maioribus celeberrimis cumulata beneficiis, illuſtrior redderetur, & ſicut hactenus veræ, ac à Luthero inſtauratæ religionis officina extiterit, eiuſdem invariatæ in poſterum, ſumma cum laude, & apud exteros celebratione eſſet atq; maneat.

3. Politici ſtatus.

Subditi deniq; omnes in exoptatæ pacis & ocii tranquilli pulcritudine, ſecundum Eſaiæ dictum, viverent, in habitaculis fiduciæ dulciſsimis ſederent, ac in opulenta tranquillitatis requie commorarentur, omnes nervos intendit.

Luctus ex obitu liberorum & coniugis.

Sicut autem ſemper ſunt aſpera mixta ſecundis, ita & hunc quoq; tranquillum ſtatum ægritudo, & triſticia non vulgaris, ſed inſignis turbat. Non ſolum enim annuo ſpatio, tribus libris illuſtribus, & chariſsimis orbatur, verùm etiam triennio poſt dulciſsima fideliſsimaque coniuge, fœminâ ſanè eximiâ, erga Deum pietate commendabili, in religionem, veneratione, & egregio erga maritum amore, immatura morte, & intempeſtivis partûs doloribus, in reditu à VVILBURGO, è Naſſavienſi Comitatu, in oppido FACHA, quinq;

1590. 21. Iulii.

à FULDA milliaribus diſtante, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo, 12. Calend. Auguſti, hora 8. antemeridiana, oppreſſa ac erepta, cùm vixiſſet cum marito ſumma animi coniunctione, mutuâ amoris caritate, & coniunctiſsima, unanimiq; ſententiarum & ſtudiorum voluntate, annos integros ſeptem, menſes duos, hebdomadas tres, dies quinq;.

Morti autem vicina, & ultimam ſibi inſtare vitæ horulam perſpiciens, ut & hoc in demortuæ honorem addamus, maritum mœſtiſsimum ad ſe accerſitum, dexteraque compræhenſum, talem in modum compellat: Quamvis minimè dubitet, quin firmiter eam ipſam ſalutarem Evangelii doctrinam, quâ piè in teneris inſtitutus eſſet, & quam à maioribus ſuis laudatiſsimis, conſtantiſsimisque integram acceperit, acceptam hactenus conſtanter defenderit, defenſam ſubditis, per fideles Dei præcones, purè proponi curârit, uſque ad extremæ vitæ halitum, laudabili conſtantia profeſſurus, conſimilique, maiorum integerrimorum more, defenſurus, & fideli ad poſteros cura poſtmodo prorogaturus ſit. Attamen ſummis ſe ab eo contendere & efflagitare precibus, ut in eadem ambas filias illuſtres, quas poſt mortem ei relictura eſſet, piè erudiri,

inq;

inq; pietate ad Deum, aliarumq; virtutum dignis exercitiis, enutriri & educari curet.

Anno ſequente, & legitimo luctus tempore, veterum lege & more finito, NEOBURGI ad Danubium 4. Calend. Septembris, ANNAM MARIAM, filiam PHILIPPI LUDOVICI, Palatini Rheni lectiſſimam ornatiſſimamque, matrimonio ſibi iungi curat.

Fridericus Guilielmus Proelector.

1591.

Nuptiæ eius ſecundæ 29. Aug. celebratæ.

Secundas autem haſce dum nuptias celebrat, ab agnato Electore CHRISTIANO I. ægrotante, DRESDAM accerſitur, & tutor deſignatur, quò piè in Chriſto defuncto, Electoratus adminiſtrationem & tutelam ſuſcipit, iure non modò Imperii & confraternitatis, verùm etiam ipſius teſtamenti, & agnati morientis rogatu, ſummaq; provinciæ totius voluntate.

Adminiſtrator & Tutor pupillorum ſeptemviralium.

Principio igitur adminiſtrationis, cum tutelæ ſocio, IOHANNE GEORGIO, Electore Brandeburgico, eiusq; conſilio prudenti, D. Davidem Peiferum, Cancellarium, & D. Martinum Mirum, Concionatorem aulicum, viros de Republica & Eccleſia præclarè meritos, priſtinæ reſtituit dignitati. Deinde cum trium Præſulatuum Proceribus, eorundemq; ordinibus, amicè tranſigit, ut ſingulis præſulatibus, ſinguli Electoris filii præficerentur. Itaq; diœceſis Miſnenſis Epiſcopus deſignatur CHRISTIANUS II. dignitatis & axiomatis ſeptemviralis hæres legitimus. Ad Mersburgenſem adminiſtrationem poſtulatur IOHANNES GEORGIUS. Citienſes verò & Numburgenſes ſibi legunt AUGUSTUM, natu minimum, eidemq; ſubiectionis & fidelitatis iuramentum ſe facturos promittunt.

Aequitas commendabilis.

Anno altero, qui fuit ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimus ſecundus, 8. Calend. Martii TORGAM, Adminiſtrator conventus indicit, & querela gravi de inopinato & præmaturo CHRISTIANI I. Electoris obitu præmiſſa, Tutelam filiorum Electoralium ad ſe, tenore aureæ Bullæ Imperii, & iure fraternitatis, teſtamentoq; conſtituto, delatam, quâ tamen ſe indignum iudicet, exponit. De pia illuſtrium pupillorum inſtitutione & educatione diſſerit. De retinenda vera & incorrupta doctrina & forma religionis à Luthero repurgata & in confeſſione AUGUSTANA, CAROLO V. Imp. anno trigeſimo, ſupra milleſimum quingenteſimum, primùm oblata, & poſtea in Concordiæ libro repetita admonet. De viſitatione deniq; Eccleſiarum, Academiarum, Scholarum illuſtrium, & reliquarum trivialium, inſtituenda proponit. Iuſticiæ adminiſtrationem in aula, & ditione Electorali, æquo & legitimo iure ſicut hactenus ita in poſterum omnibus, cuiuscunque conditionis & ordinis hominibus adminiſtrandam promittit.

1592.

23. Febr Conventus Torgam indictus.

Nobiles verò, & reliquos ordines hortatur, cum paſſim motus ſeſe periculoſi oſtendant, ita ſe parent, ut armis, equis, aliisque rebus bellicis, inſtructi ad ſubeundam luſtrationem, quocunque tempore vocentur, præſtò eſſe poſſint. Ad exactiones & tributa cereviſiana, atque alia quædam onera, quæ tolli vel mitigari ſaltem ſubditi petierint, quod attineret, ſe quidem regiones Saxonicas novis exactionibus non gravaturum, pollicitus eſt: Verùm cum multa à pupillorum Electoralium parente relicta domui Saxonicæ onera incumbant, petere ſe, ut in ordinariis penſionibus mutationē nullam, urgeant, donec principes iuniores adoleſcant. In Nicolaum Crellium, Cancellarium quem in funere Electoris tota nobilitas & civitates cuſtodiæ mandari efflagita-

Fridericus Gvilielmus Proelector.

verant, ius conceſſum iri poſtulantibus oſtendit. De duobus Theologis & Paſtoribus Lipſiæ & VVitebergæ captivis, pronunciatum eſt, ſi reſipiſcere velint, ut offenſis ſatisfaciant, confeſsione erroris, ſcriptoq; id obſignent, pertinaces autem exilio mulctentur.

Applauſus ordinum.

Hæc omnia, omnes Electoratus Saxoniæ & Miſniæ ordines, ſumma animi ſubiectione, & læta acclamatione, accipientes, gratias agunt paucis, ſubiectiſſimeq; reſpondent, ſe functuros planè officio ſubditorum fidelium laudabili. Contra Crellium autem libellum criminibus graviſſimis plenum offerunt, ſeq; litem proſecuturos, & iure ſummo cauſam deinceps acturos recipiunt. De Pierio verò, & Gundermanno, liberum quidem Dn. Proelectori permittunt iudicium, nihilominus non ita prorſus dimittendos, ſed rigidiorem inſtituendam in eos animadverſionem cenſent. Conventu Torgenſi ſoluto VVitebergam Proelector contendit, in fidem illuſtrium pupillorum, & tutelam ſuam oppidanos, & Academiam recepturus. Vbi 3. Non Martii ad præſtandum iusiurandum, omnibus in arcem convocatis, ſcripto Profeſſoribus indicat, ſe conſilio, cum Illuſtriſsimo Electore Brandeburgico, contutore, & provinciæ ordinibus, communicato, nullam doctrinam aliam, præter eam, quæ in verbo Dei, confeſsione Auguſtana & Lutheri libris tradita, inq; Concordiæ libro, repetita eſſet, diutius toleraturum. Si qui igitur Profeſſores ab illa diſſentiant conſcientiam illorum ſe onerare nolle, ideoq; veniam illis abeundi clementer concedere. Eadem Lipſiæ deinde 6. Idus Martii, civibus Academicis proponit. Qua declaratione Principis accepta, pauci quidem ex omni numero ultrò ſeſe officio abdicarunt.

5. Martii Iuramentum fidelitatis VVitebergæ præſtitum.

10. Martii.

29. Martii. Obitus matris Proelectoris.

Quinto Calend. Aprilis, vitam hanc caducam cum cœleſti illa & immortali commutat, illuſtriſsima vidua, IOHANNIS GVILIELMI, Ducis Saxoniæ relictâ, DOROTHEA SUSANNA, filia FRIDERICI III Electoris Palatini Rheni, mater huius noſtri Proelectoris dilectiſsima, fœmina ſanè religioſiſsima, ac ſinceræ religionis Lutheranæ amantiſsima, matrona pudicitiæ & caſtitatis laude ornatiſsima, & erga pauperes munificentiſsima, cùm poſt mariti clariſsimi obitum vixiſſet, 19. annos, hebdomadas 4. de qua fertur, quòd de hoc filio ſuo ſæpiſsimè gloriata ſit: ſe per omne vitæ ſuæ ſpatium, ne ſemel quidem, quòd ſciret, ab eo fuiſſe offenſam, ſive ad iram provocatam. Qui obitus laudatiſsimæ matronæ, matris deſideratiſsimæ, rurſus non ſolum liberis chariſsimis, verùm etiam toti ditioni mœſticiam & ægritudinem non contemnendam, haud immeritò peperit.

Viſitatio inſtituta.

Menſe Iulio ſubſecuta eſt Viſitatio, facta initio apud VVitebergenſes & Lipſienſes, ac ita deinceps per totam MISNIAM, SAXONIAM & TURINGIAM. Huic autem inſtituto anteceſsit mandatum Principis Proelectoris, cum annexa proteſtatione, ne quis hac offendatur, eum ſolummodò in finem inſtituta, ut pura illa Auguſtana confeſsio eiusq; Apologia, unà cum tribus præcipuis Symbolis, Articuliſque Smalcaldicis, & formula concordiæ, ſarta tecta retineatur, ab erroribus adverſariorum repurgetur.

Ad hanc adhibiti viri præſtantes & longo rerum uſu ſpectatiſsimi, & in religione ſinceri & conſtantes, tàm ex Politicis, quàm ex Theologis, atque Eccleſiæ Doctoribus. Omnibus autem, & ſingulis, qui à ſubſcriptione abhorrerent, aut à vera religione diſſentirent, ſpatium deliberandi

datum,

datum, aut poteſtas omninò, ex his regionibus diſcedendi facta. Cum nonnullis etiam familiariter collatum, ne haberent, quod meritò conquererentur, quaſi inhumanius, quàm par fuerit, ſecum fuiſſet actum. *Fridericus Gvilielmus Proelector.*

Simili modo peculiaris, diligentiorque, in tres Scholas illuſtres facta eſt inquiſitio, ut ad eum ſtatum, in quem à MAURICIO, AUGUSTO, CHRISTIANO I. Electoribus, collocatæ eſſent, reducerentur, neceſſariis ſubſidiis, quibus adhuc indigere viderentur, ſubminiſtratis. Habebant autem iſtæ, ex munificentia CHRISTIANI I. Electoris, ſexaginta aureos, quibus comparabantur libri, qui in Scholaſticos & alumnos, qui in examinibus Præceptoribus, Inſpectoribus ac Viſitatoribus, è VVitebergenſi & Lipſienſi Academiis, ſingulis annis iſtuc miſsis, ſuam in ea συζητήσει ſingulariter præ cæteris probarent induſtriam & diligentiam, diſtribuerentur. Quoniam verò iſti proportione Arithmetica, in dictis Scholis indiſcriminatim diſpertirentur, & numerus Portenſis Scholæ reliquarum duarum cætum ſuperaret, humilima ſubiectione petitum eſt, ut illi ſolummodò aliquid adderetur. Ita; decem aurei reliquis viginti adhuc adiecti à Proelectore, quibus Portenſis Ludus, præ cæteris iam fruitur.

Facili itaq; negocio totum hoc opus viſitationis, Dei beneficio ſingulari, non ſine maximo collapſarum & hactenus admodum afflictarum Eccleſiarum & Scholarum, emolumento, & ſalutari reædificatione earum, fuit abſolutum.

His omnibus itaq; in tranquillum ſtatum in Saxonia, Miſnia & Turingia feliciter, & σὺν θεῷ, iterum reſtitutis, bellum ingens in ALSATIA gliſcebat inter duos diverſæ religionis electos Epiſcopos, IOHANNEM GEORGIUM, filium IOACHIMI FRIDERICI, Marchionis Brandeburgenſis, & CAROLUM, Cardinalem, & Epiſcopum Metenſem, CAROLI, Lotharingii Ducis, filium, quorum hic à Canonicis Pontificiis, ille à Canonicis Argentinenſibus, qui ob reformatæ religionis ſtudium, à cæteris Pontificiis excluſi receſſerant, eligebatur. Metenſis, mox ſuperatis montium anguſtiis, cum quinque millibus peditum ac equitum militibus in ALSATIAM ingruens, TABERNAS Alſaticas, ſedem Epiſcopalem, occupat, & non ſolum, ab adverſa parte, occupatam arcem KOCHERSBERGAM, & DACHSTENIUM oppidum, recuperat, obſidionemque MOLSHEMII ſolvit, verùm etiam VVASSELNHEMO arce, & oppido Argentoratenſium, potitur, & prædam ingentem abigit. Reformati aliunde auxilia expectantes, conductis tandem copiis, ad MOLSHEMII obſidionem redeunt, in cuius oppugnatione, IOHANNES VLRICUS, Baro de alto Saxo, Helvetius, & DANIEL Dinaſtus, cum ducentis millibus pereunt. Molshemenſes deditionem faciunt, DACHSTENENSES verò à Lotharingiis conſtanter defenduntur. *Motus bellici in Alſatia.*

Exeunte anno Imperator RUDOLPHUS II. Commiſſarium ADAMUM GALLUM Lobvitium, Boemum, cum Feciali ſeu Heroldo Argentinam mittit, qui eos ab armis dehortarentur, non obtemperanti proſcriptionē minitarentur. Cui mandato cum ſe parituros certis conditionib. promitterent, poſt diuturnam

Fridericus Gvilielmus Proelector. diuturnam aliquot hebdomadum tractationem finis bello, menſe tandem Februario, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo tertio eſt impoſitus, & tantiſper utrique Electo Epiſcopo, Cardinali Lotharingio & Marchioni Brandeburgico, aliquot oppida, arces, & præfecturæ fruendæ aſſignantur, donec Imperator alios Commiſſarios ex Electoribus ac Principibus Imperii nominaret, qui controverſiam omninò tranſigerent.

1593.

Tandem ſex Principes ab Imperatore deliguntur ad dirimendam hanc controverſiam: Moguntinus: FRIDERICUS GVILIELMUS, Proelector Saxoniæ: FERDINANDUS Auſtriacus: PHILIPPUS LUDOVICUS, Palatinus Rheni: VVurtzburgenſis, & LUDOVICUS, Haſſiæ Landgravius. Hi menſe Maio convenientes rem omni agere ſtudio ſuſcipiunt, verùm dirimere eam minimè poſſunt, licet tres integros menſes hac in tractatione conſumſerint. Itaque uſque ad inſequentem Novembrem actio ſuſpenditur.

Ex oppidis, arcibus, ac præfecturis Brandeburgicus has ſibi aßignatas obtinet: Dachſtenium, Marlam, Oberkirchium, Vvandenarium, VVurtzhemium, Marckholzhemium, Reichshofium, *reditus item Eſchavianos, ac reditus & tributa in urbe Argentoratenſi. Metenſis verò*, Tabernas, *Alſaticas*: Molſchemium, Hohenparum: Kochersbergam: Bornſtenium, Schvineccium, Sulzium & Rutbachium.

Tumultus Lipſiæ excitatus. Eodem anno tumultus LIPSIÆ finitis nundinis vernis excitatus eſt, ob quandam offenſam è D. Huberi & Iohannis Maioris colloquio & diſputatiuncula quadam, in ædibus ADOLFI VVINHUSII motam, à quibuſdam malè feriatis hominibus, & pluſquam Diabolica ſævitia, fores ædium perfringentibus, & in plateas ſupellectilem omnem iſtarum e feneſtris deiicientibus. Huic reſtingvendo Adminiſtrator ſtatim advolat, in capita & autores ſeverè animadvertit, & quatuor ex eorum numero capite mulctatis, reliquis ſeptem, pari ſupplicio afficiendis, ignoſcit, cæteris verò eius rei complicibus impunitatem concedit, civesq; oratione gravi, ſui admonet officii.

1594. Comitia Ratisbonenſia. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo quarto, Proelector ad Comitia Imperii, RATISBONAM indicta, ipſe proficiſcitur, conſultationibusq; illis graviſſimis de bello contra immaniſsimum nominis Chriſtiani hoſtem Turcam continuando, aliiſque gravaminibus, in Imperio corrigendis intereſt.

1595. Inundatio. Anno ſequente, menſe Martio, glacie, nivibusque reſolutis, & continuis pluviis ſubſecutis, inundatio aquarum tanta extitit, ut non ſolum multos agros, & villas perderet, ſed etiam pontes fractos undiq; deſtrueret.

1596. Biſchoffvverda exuritur 28. April. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſexto, BISCHOFVVERDA civitas 4. Calend. Maii tota exuritur.

Plagium punitum. Ad finem autem ferè anni, duo capiuntur Plagiarii, qui nobilem quendam puerum,

puerum, & unicum parentis BERNHARDI VVeſtophalii, filium, ſtirpisq́; ipſius columen, ac à parentibus, uti ſperabant, octodecim millibus Ioachimicorum redimendum, dolo malo ex diœceſi HILDENSIENSI abducunt, abductum ILENBURGAM, tribus à LIPSIA milliaribus ſitum oppidum deportant, ibidemq́; cuidam hoſpiti rem eidem aperientes, committunt cuſtodiendum, ſeque inde DIBENAM conferunt. Captos igitur Proelector LIPSIAM deduci iubet, & facta inquiſitione, req; penitus cognita, ineunte Vere, finitis nundinis, ibidem in ipſo foro, & loco conſpicuo, affici ſupplicio capitali curat. Ferro itidem in civem Ileburgenſem, & ξενοδόχον iſtius loci, animadvertitur, cui rem omnem commiſerant expediendam, ſummam concedentes eidem poteſtatem, ut nomine eorum, id quod tutius arbitrarentur, lytron pro nobili puero ſolvendum à parentis miniſtro ablegato acciperet, & ad eos deinde DIBENAM, ubi tùm iſti latitabant, aſportaret. *Fridericus Guilielmus Proelector.*

Vt autem omne adminiſtrationis ſuæ tempus, intra Electoratus Saxonici fines, ſumma moderatione & commendabili æquitate erga cunctos & ſingulos uſus, Proelector hic æquiſſimus tranſegit, ac ſubindè gliſcentibus, ſimultatibus, & diſcordiis maturo conſilio, & prudentia ſingulari obſtitit, ne in nervum erumperent. *Vigilantia inſignis Proelectoris.*

Ita non minorem curam nervosque haud minores intendit, quo irruptio illa ab Hiſpano milite, ex Belgio extra fines Electoratus Saxonici, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo octavo, in Iuliacenſem Ducatum, VVeſtophaliæque circulum, nefarè facta, connivente ANDREA Cardinali, cui abſente ALBERTO, Archiduce Auſtriæ, gubernationis cura in inferiore GERMANIA demandata erat, ſine armis reprimeretur & ſedaretur. Gravi enim accuſatione ad Imperatorem RUDOLPHUM II. delata, qua de Imperii parte, irruptione hac conturbata, admodum conqueritur, qui literis magna gravitate, ad ANDREAM Cardinalem datis, cum de iniuria hac illata, vehementer obiurgatum, accuratè monet, daret operam, ut ab omni maleficio miles Hiſpanicus in poſterum ſibi temperet, eoque rem Imperatoria auctoritate deducit, & cum facti admodum pœniteret, & non ſolum promitteret, vim nullam deinceps Imperio illatum iri, ſed etiam Gubernatori inferioris BURGUNDIÆ, & Admiranti ARRAGONIÆ, qui militi ſuo iſtam prædandi diripiendique poteſtatem & licentiam permiſerat, ſeriò mandaret, ut damna læſæ parti ſufficienter recompenſaret. Cuius generis etiam extant Imperatoris edicta ad dictum Cardinalem & Admirantem tanta ſeveritate ſcripta, quantam rei magnitudo & atrocitas facti poſtulavit. 1598. *Irruptio in Iuliacenſem & VVeſtophaliæ circulum*

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo nono, pridiè Nonarum Ianuarii, turris illa eminentior & præcelſa, in arce TORGENSI, ob incuriam calefactoris ignibus conſedit, è quo incendio damnum aliquod illàtum quoq; Proelectoris conclavi, ubi quidam unà periêre libri & ſupellex nonnulla de lectis plumeis. 1599. *Incendum Turris in arce Torgenſi 4. Ianua.*

Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, primo, deliberationes de colloquio RATISBONÆ cum Ieſuitis inſtituendo, Proelector cum ſocero, PHILIPPO LUDOVICO, Palatino Rheni, ſuſcipit, & quamvis de hominum iſtorum impudentia, maliciaq́;, optimè ſibi conſtaret, tandem tamen, ut Theologi noſtrates cum Adverſariis congrederentur, concernit. Delectis igitur è noſtra parte viris reverendis & præſtantiſſimis, inque Theologiæ ſtudio, diu multumque laudabiliter verſatis, Dn. D. AEGIDIO Hunnio, & Dn. D. DAVIDE Rungio, Vniverſitatis VVITEBERGENSIS Theologis primariis: E Ieſuitarum verò [illegible]ibus, Dn. D. IACOBO Grezero, Vniverſitatis Ingolſta- 1601. *Colloquium cum Ieſuitis Ratisbonæ habitum.*

Fridericus Gvilielmus Proelector. Ingolſtadianæ Profeſſore & Dn. D. ALBERTO Hunchero, eiuſdem Vniverſitatis Procancellario: ADAMO Tannero: VVOLFGANGO Hanemanno, & VVETTERO Auguſtano 14. Calendar. Decembris, præſentibus quatuor illuſtriſſimis Principibus Præſidibus, MAXIMILIANO Bavaro: PHILIPPO LUDOVICO, Palatino Rheni, ALBERTO Bavaro, fratre MAXIMILIANI, & VVOLFGANGO GVILIELMO, Palatini filio, diſputatio, ut feliciter & σὺν θεῷ cæpta, ita feliciſſimè eodem iuvante ſucceſſit, de quo ſatis, ſuperq; editum de ea re Protocollum, ut vocant, teſtatur. Duabus prioribus ſeſſionibus interfuit etiam GEORGIUS LUDOVICUS, Landgravius Leuchtebergiæ. Poſtremo hoc adminiſtrationis anno, hæ ditiones immunes ab exactionibus & tributo cereviſiario fuerunt, cuius tributi etiam immunitatem Lipſienſis Academiæ Profeſſoribus, quod hactenus pro cereviſia quoq. cum cæteris. pendere cogebantur, Proelector conceſſit, ut iſti in poſterum eodem modo, ſicut VVitebergenſis Academiæ Profeſſores, libero fruerentur.

18. Novembr.

Immunitas exactionum pecuniæ.

Venationis commodum.

Venationibus quoq; Proelector multum his terris profuit, conceſſa non ſolum nobilibus, aliisque equeſtris ordinis viris, feras omnis generis legitimo modo, & tempore inſectandi, libera poteſtate, ne agri ſativi colonorum & villicorum miſerè à fera ita perderentur & conculcarentur: Verùm etiam donatione ferinæ, ſupplicatione humili ab eo expetentibus ſubditis, quarum uſum nuptiis legitimis aliiſúe feſtivitatibus adhibere poſſent.

Tandem Electoratum, quem toto decennio tanta fide, tanta ſedulitate, tanta integritate, tanta deniq; moderatione, adminiſtravit, ut quicquid fortè tumultuoſius tentatum & cæptum eſſet, id omne, non vi & impreſsione, ſed conſilio & ratione ſedaretur, ſubditiq; omnes res ſuas familiares, quoad eius fieri potuerit, augerent, incrementa ditiones, commoda provinciæ, emolumenta præfecturæ maxima perciperent, reſignat & comprobata eius fideli adminiſtration e per omnes partes Vinariam, 16 Calend. Novembr. ſumma cum gratulatione ſubditorum revertitur.

17. Octobr. reditus eius in patriam.

1602. Anno ſequente 9. Cal. Iulii, conferens ſe Ichterhuſium, in ipſo itinere eodem morbo corripitur, qui eum aliquoties iam ante afflixerat. Vinariam igitur repetens, in via cum Cancellario ſuo, MARCO Gerſtenbergero I. V. D. & GEORGIO VVolframsdorfio, intimo Conſiliario, multa graviter de arte benè beateq; moriendi confert, hominumq; quorundam nimiam improbitatem execratur, qui omnem mortis memoriam ex animo deleant.

21. Iunii. Morbus.

Toto autem morbi tempore ne nimirum quidem impatientiæ inditium de ſe præbet. Videns deniq; inſtare tempus, quo ſibi ex hac vita diſcedendum eſſet, cura verè paterna erga liberos chariſsimos, & coniugem dilectiſsimam afficitur, & edita primum fidei confeſsione ingenua, ſe nimirum, quod DEO largiente hactenus feciſſet, in verbo divinitus revelato, cuius ſumma in confeſſione Auguſtana invariatâ inque formulâ Concordiæ comprehenſa eſſet, conſtanter, & ad uſq; extremum vitæ halitum permanſurum. E contrario verò omnium aliorum adverſariorum errores & blaſphemias, nec non fanaticas opiniones, extremè execrari, cuius rei teſtes ut eſſent, inq; extremo die, coram tribunali Ieſu Chriſti, omnes tùm præſentes aulicos conſiliarios & miniſtros rogat. Deinde coniugem ſuam dilectiſsimam, liberosq; dulciſsimos, ad ſe vocatos, filias è priore coniuge ſuſceptas, omnium primò ſic alloquitur: Videtis, filiæ dulciſsimæ, mihi ex hoc vitæ ergaſtulo migrandum iam eſſe: Hortor itaq; vos & moneo paternè, ut pietatem ſectemini, honeſtati ſtudeatis, matri veſtræ, quam nunquam iniquam expertæ eſtis, obtemperetis; Deus eſt, qui orphana-

rum

rum curam in ſe ſuſcipit, Dominus Deus noſter, qui in altis habitans, humilià reſpicit in cœlo & in terra, erigens de pulvere inopem, & de ſtercore exaltans pauperem, is, inquam vos nunquam derelicturus eſt, quamvis opibus aliis haud comparandæ eſtis. Mox ad filios & tenellos principes converſus, talem in modum natu maiorem affatur: IOHANNES PHILIPPUS, pius eſto, ac ſtudiis humanitatis & literarum diligenter incumbito, ſic nimirum Deo dante, ad Reip. gubernacula ſedebis, ſubditos ſumma animi æquitate moderaturus. Coniugis tandem mœſtiſſimæ dextram tangens: Te, inquit, te, ô dilectiſſima ac chariſſima coniunx, divinæ protectioni commendo, hortorq́; , ut te à lacrymis immodicis temperes, totamq́; defenſioni, auxilioq́; omnipotentis Dei, te committas: Viduam etſi te relinquo triſtiſſimam, nunquam tamen rerum quicquam neceſſariarum tibi defuturum confido, in æterna illa beatitudine mutuo conſpectu, iucundiſſimaq́; converſatione inter triumphantes caſtorum Angelorum & beatorum hominum choros fruituri, Deumq́; de facie ad faciem conſpecturi. Fridericus Gvilielmus Praefector.

Sic ergò illa ipſa veſpera, hora noctis 11. ipſis Nonis Iulii, obitu ſanè placidiſſimo, beatiſsimoq́; vitam ſuam vera in agnitione Dei & filii eius redemtoris noſtri unici, finit, cum vixiſſet annos 40. menſes 11. dies 12. horasq́; totidem: Vinariæ ſepultus. Obitus 1602 7. Iulii.

Princeps ſumma laude perpetuò dignisſimus, ſingulari animi moderatione, commendabili æquitate ac probitate, eruditione deniq́; viro Principe haud indigna, ut nulli maiorum ſuorum virtute ſecundus aut inferior haberetur. Erga religionem venerabilis & conſtans: erga ſubditos clemens & benignus, erga familiares & agnatos principes candidus & ſincerus: erga ſacram deniq́; Cæſaream Maieſtatem, uſq́; adeo fidelis, ut eam, more maiorum celeberrimorum, inprimis verò, exemplo avi, IOHANNIS FRIDERICI I Electoris, tanquam ſupremum à Deo opt. max. datum atq́; conceſſum Magiſtratum, reverenter & debita ſubiectione coluerit & veneratus ſit, nullumq́; obedientis ſubditi & principis officium, in ſe unquam deſiderari paſſus ſit, modò confeſsionem ſinceram doctrinæ Evangelii liberam & incorruptam retineret, arcem Torgenſem ea parte, quâ Albim ſpectat muro cinxit, ædificiis pluribus, turriq́; altiſſima igni conſumto auxit, & horto amplificavit. Lingvas exoticas, extremis annis didicit, Latinam exercuit, libros edidit, lectione denique ſatiari non potuit. Encomium

IOHANNES GVILIELMVS II.

IOHANNES GVILIELMUS II. primus FRIDERICI GVILIELMI filius. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo quinto, pridiè Cal. Iulii. Obiit 10. Cal. Februarii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo ſeptimo: Vixit ſeſquiannum, 11. hebdomadas 4. dies 6. horas. Natus 30. Iun. 1585. Denatus 23. Ian. 1587.

FRIDERICVS V.

FRidericus V. *ſecundus* Friderici Gvilielmi filius. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo ſexto, 3. Calend. Octobris. Denatus anno ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo ſeptimo 14. Cal. Februarii. Vixit 16. hebdomadas, 3. dies, 16. horas. Natus 23. Sept. 1586. Mortuus 19. Ian. 1587.

Fridericus Gvilielmus Praelector.

ANΩNYMOS.

Denatus 21. Iulii. 1590.

ANΩNYMOΣ tertius FRIDERICI GVILIELMI filius, præmaturo partu unà cum matre illuſtriſſima in itinere iſto infelici à VVILBURGO in Naſſavienſi Comitatu FACHÆ extinctus 12. Calend. Auguſti hora VIII. antemeridiana, anno ſuprâ milleſimum quingenteſimum, nonageſimo.

IOHANNES PHILIPPVS.

Natus 25. Ian. 1597.

IOHANNES PHILIPPUS quartus, FRIDERICI GVILIELMI, ſed primus ex altera coniuge Palatina, filius. Naſcitur TORGÆ anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſeptimo, 8. Calen. Febr. hora 6. matutina, ipſo die converſionis PAULI.

FRIDERICVS *VII.*

Natus 12. Febr. 1599.

FRidericus *VII. quintus*, Friderici Gvilielmi, ſecundus verò ex altera coniuge, filius. Naſcitur TORGÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo nono, pridiè Idus Februarii, hora III. matutina.

IOHANNES GVILIELMVS *IIII.*

Natus 13. Apr. 1600.

IOhannes Gvilielmus *ſextus*, Friderici Gvilielmi filius. Naſcitur TORGÆ, anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimo, Idibus Aprilis, hora noctis 12.

FRIDERICVS GVILIELMVS *III.* POSTHVMVS.

Natus 12. Febr. 1603.

FRidericus Gvilielmus *III ſeptimus* Friderici Gvilielmi filius. Naſcitur VINARIÆ, humato parente, anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimum tertio, pridiè Iduum Februarii, hora 10. antemeridiana.

IOHANNES

Iohannes II. Dux Saxon.

IOHANNES II.



IOHANNES II. IOHANNIS GVILIELMI I. ſecundus. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo II. Calendarum Iunii. Natus 1570 22. Maii.

Vxor eius DOROTHEA MARIA, IOACHIMI ERNESTI, Principis Anhaldini, è Ducisſa VVitenbergica ELEONORA, filiâ. Vxor.

Iohannes II. Dux Saxon. Filii. Filii II. JOHANNES ERNESTUS III. JOHANNES GVILIELMUS III. FRIDERICUS VI. JOHANNES GVILIELMUS alter è gemellis: alter ἀνώνυμος, mortuus in lucem editus. ALBERTUS II. JOHANNES FRIDERICUS VI. ERNESTUS III. FRIDERICUS GVILIELMUS II. BERNHARDUS. Filia vero unica & humato parente in lucem edita IOHANNA. Princeps ſingulari animi dexteritate, eximiaq; erga patriam & ſubditos benevolentia, ita ut nomen gratioſi in eum verè competat.

Pueritia eius. Sicut autem plerunq; fieri conſvevit, ut, qui Deo opt. max. clari acceptiq; ſunt, multis fortunæ telis, à teneris, quod aiunt, incunabulis expoſiti ſint, ita & huic optimo Principi uſu venit, ut, cum fideli parentum cura ad veram pietatem & eximias virtutes heroicas, illuſtri ſobole dignas, educandus eſſet, nimis citò parentem illuſtriſſimum, & infans adhuc bimulus, proh dolor, amitteret, & eo ipſo tempore amitteret, quo in Eccleſia Chriſti contentiones maximæ in negocio religionis eſſent excitatæ. Verùm Deus ter maximus in eo miſerrimo ſtatu hunc principem, unà cum fratre, clementer fideli ſedulitate tutoris illuſtriſſimi, Electoris Saxoniæ, agnati ſui, & ſollicitudine religioſa matris pientiſſimæ, protexit, ut in vera agnitione Dei inſtitueretur, conſtitutis informatoribus & morum inſpectoribus à vera pietate & religioſa eruditione viris nobiliſſimis, integerrimis & præſtantiſſimis.

Adoleſcentia. Adultior paulò factus è voluntate Domini tutoris integerrimi & matris curioſiſſimæ in Academiam IENENSEM, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo tertio, 4. Calend. Octobris mittitur, & virorum nobiliſſimorum, clariſſimorum & conſultiſſimorum, GEORGII ALBERTI Cromedorfii, Aulæ Magiſtri & Virgilii Pingiceri, I. V. D. Præceptoris conſtituti, ac inibi Profeſſoris publici, curæ fideli committitur.

Iuventus. Reliquum vitæ tempus in aula AUGUSTI & CHRISTIANI I. Electorum, Agnatorum, quibus ob ſingularem probitatem, animi rectitudinem, aliasq; virtutes heroicas carus acceptusq; extiterat, DRESDÆ tam diu exigit, donec è voluntate matris optimæ & fratris, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo octavo, 4. Idus Iunii, domum revocaretur. 1588. 10. Iunii.

1589. 3. Iunii. Iter eius in Italiam. Anno ſequenti III. Nonarum Iunii, ITALIÆ fines luſtrat, ut mores & ſtudia varia hominum eò melius illi innoteſcerent, ac laudabili maiorum ſuorum ampliſſimorum more, aliquam ſibi experientiam compararet.

VINARIA autem ſe movens, viam primùm dirigit NORIBERGAM, inde AUGUSTAM Vindelicorum, poſteà verò OENIPONTEM, hinc TRIDENTUM, exinde VENETIAS, & ſic conſequenter FERRARIAM, MANTUAM, VICENTIAM, VERONAM, PADUAM, &c. Se confert, iiſdemq; in locis omnibus, quod notatu & inſpectu dignum, diligenter luſtrat, quemadmodum etiam conſilii iſtius magni, quòd vernacula ſua lingva Veneti GRAN CONSIGLIO vocant, actiones mihi coràm & præſens à nullo tamen cognitus, intuetur & perſpicit.

In reditu verò per FORUM IULIUM, CARINTHIAM, STIRIAM, & AUSTRIAM iter faciens, NEOSTADII patruum ſuum, IOHANNEM FRIDERICUM II. Ducem Saxoniæ, laudabilis memoriæ, in cuſtodia ſua accedit, inde VIENNAM contendens, ERNESTUM, Archiducem AUSTRIÆ, convenit, à quo perliberaliter acceptus recedit.

Poſteà luſtratis HUNGARIÆ finibus, POSONIO, BREGETIO ſive IAVARINO & reliquis HUNGARIÆ præcipuis civitatibus, per MORAVIAM & BOHEMIAM, 5. Cal. Septembris domum ſoſpes revertitur. Reditus eius ex Italia. 25. Auguſt.

Socios

Socios itineris habuit fidiſſimos BURCHARDUM, Pincernam Tautenbergium: GEORGIUM ALBERTUM Cromsdorfium, IOHANNEM HENRICUM Olterhuſium, & IOHANNEM GUILIELMUM Sebachium. *Iohannes II. Dux Saxon.*

Reverſus è peregrinis nationibus, ac ducta uxore illuſtriſſima, DOROTHEA MARIA, Ioachimi Erneſti, principis Anhaldini filia, & nuptiis cum ea 7. Idus Ianuarii, Dominica nimirum poſt trium REGUM, anno ſupra milleſimum, quingenteſimum nonageſimo tertio Aldenburgi magnificè celebratis, &c. & ſacrum illud connubiale illuſtrantibus illuſtriſſimis novem Principibus: FRIDERICO GUILIELMO Proelectore, Sponſi fratre, IOHANNE CASIMIRO, Duce Saxoniæ: ADAMO WENCESLAO, Duce Sileſiæ, Deſchenſis & Glogaviæ: IOHANNE GEORGIO, BERNHARDO, AUGUSTO, RUDOLPHO, IOHANNE ERNESTO, & LUDOVICO, ſex Principibus Anhaldinis, ibidem per omne illud tempus, quo frater FRIDERICUS GUILIELMUS, Proelector integerrimus, viveret, ſedem habet, pacis ſtudio addictiſſimus. *Nuptiæ eius ſ. Ianuarii. 1593.*

Quanta autem cum dicto fratre dilectiſſimo vixerit coniunctione animorum, quanta voluntatum unanimitate, quanta ſtudiorum concordia, quanta mutui amoris & benevolentiæ fraternæ, caritate, ex eo vel maximè elucet, quod nulla unquam fratrem offenſione læſerit, aut diſcordiarum auctor aliquarum lævis extiterit, ob oculos primùm ſibi conſtituens, mentiq; infigens, illud Pſalmographi Regii: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum, ac indiſſolubili ligari pacis vinculo.* Deindè exempla ſibi proponens imitanda, non tàm proavi laudatiſſimi, IOHANNIS, Electoris Saxoniæ, ita cum fratre FRIDERICO III. ſapiente, viventis coniunctiſſimè, ut licet ditiones paternas & hæreditarias partiti ſint, attamen ſummum eorum amorem, concordiamque & coniunctionem fraternam, in utriuſq; ſenectâ, inq; graviſſimis deliberationibus periculisq;, vel maximè conſpicuam omnibus probaverint. Quàm abavi & propatrui ERNESTI & ALBERTI, olim Aldenburgo à Kaufungo ſceleratè & furtim abductorum, de quibus memoriæ proditum eſt, cum ſimul ambo fratres defuncto parente FRIDERICO II. Placido, Electore Saxoniæ, imperarent, iucundam & tantam inter ipſos conſuetudinem quotidianam, ac dulcem & venerabilem ſemper conſenſum extitiſſe, ut invicem alter alterum honore prævenire certarent ac ambirent, ALBERTO fratrem maiorem nunquam ſine dignitatis titulo & præfatione appellante, idq; eius cùm ætati, tùm amplitudini tribuente: ERNESTO verò ALBERTO, uti minori & iuniori omnia deferente, eundemq; ſibi ob animoſitatem & heroicam eximii corporis præſtantiam præferente, neq; ulla unquam, quod certè maximum eſt, ſimultate aut controverſia inter coniuges & liberos mota, licet aliquot annis in una eademq; arce ambo cum familia univerſa unà viverent.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſeptimo, à fratre Proelectore & IOHANNE GEORGIO, Electore Brandeburgico, contutore Pragam, cum aliquot adiunctis conſiliariis Saxonici Electoratus, utpote viro nobiliſſimo ac integerrimo, Dn. Abrahamo BOCKIO, atq; aliis mittitur ad RUDOLFUM II. Imp. ut ab eo, utpote Rege Bohemorum, veterem Voitlandiæ ſive Nariſcorum aut Variſcorum (ut Ptolomæo placet) poſſeſſionem fiduciario iure, pro agnatis CHRISTIANI I. Electoris Saxoniæ defuncti, relictis filiis impuberibus ſuſciperet, præſtito pro iiſdem iureiurando, aliiſq; ritibus, quæ tali in negocio meritò exiguntur, peractis.

Anno mox ſequente, nonageſimo videlicet octavo, ſupra milleſimum quingenteſimum, Imperatorem rurſus per fide dignos conſiliarios ſalutandum

Iohannes II. Dux Saxon.

Iterum feudorum Voitlandiorum cauſa Imp. accedit.

curat, ut quæ de Feudo Voitlandiæ, ſuperiori anno, in aula Bohemica PRAGÆ, nomine agnatorum impuberum impetraverat, eadem ab Imperatore pro ſe & fratre Proelectore ſimul, maſculisq; eorum, ac inde adhuc deſcendentibus, obtineret & conſequeretur. VOITLANDIAM enim bello Germanico, IOHANNI FRIDERICO I. avocorum, ereptam à Bohemis conſtat & notum eſt. Id quod felici etiam expedivit eventu.

Poſt obitum fratris deſideratiſſimi, diviſionem ditionum anteà quidem, fratre Proelectore adhuc vivente, tractatam, inceptamque cum liberis à fratre relictis, viduaque illuſtriſſima, tanta ſuſcipit æquitate, ut non tàm ſui ſuorumque commodi, quàm emolumenti impuberum agnatorum, rationem haberet, factâ à ſe partitione, & conceſſa libera fratris viduæ, liberisque relictis, poteſtate eligendi quamcunque partem vellent. Itaque illi facta electione, VINARIA cum adiunctis Præfecturis & oppidis ceſſit. ALDENBURGUM verò cum ſua pertinente parte, vidua illuſtriſſima fratris FRIDERICI GVILIELMI, quondam Proelectoris, & liberi eius, hæreditario iure obtinent, ſtante ab eorum partibus Tutore CHRISTIANO II. Electore.

Sedulitas tutelæ.

Quàm laudabiliter verò ſeſe in regenda patria, & Republica gubernanda exhibuerit, res ipſa loquitur, quàm porrò in adminiſtratione pupillorum & impuberum fratris filiorum, principum iuniorum, ſuſcipienda, ſtrenuum & alacrem ſe exhibuerit, quàm porrò ſumma & incredibili pietate & fide eandem geſſerit, ſua moderatione & dexteritate conſtituerit, laudabili clementia & commendabili tranquillitate adminiſtrârit, moderatusque ſit, quàm denique nulli labori, nulli induſtriæ pepercerit, inliberè & ſalutariter, laudabiliterque educandis illuſtribus principibus iunioribus, tàm ſuis quàm fratris p. m. impuberibus liberis, ad ſolius divini nominis gloriam illuſtrandam, emolumentum Eccleſiæ, Scholarum, Academiæ & Reipublicæ maximum provehendum, ad ſuam deniq;, ſuorumq; ac ſubditorum nec non omnium hominum ſalutem, & beatitudinem æternam promovendam & conſequendam, experientia ipſa ſatis abundeq; teſtatur & edocet. Ad inſtaurationem verò Academiæ SALANÆ divinitus q. incitatus, ſolus ille ſua ſponte ac nemine admonente & ſvadente, hanc collapſam diſſipatamq; ferè, inſtaurat, convocatis undiq; omnium facultatum viris doctiſſimis celeberrimisq;.

Obitus eius 31. Octobr. 1605.

veteri 5 Oct. … 1604.

Obitu ſanè nimis præmaturo à dulciſſimo conſpectu & conſortio non tàm coniugis mœſtiſſimæ, quàm ſuorum, ac fratris filiorum impuberum triſtiſſimorum, non ſine maximo luctus dolore præreptus, in vera Chriſti redemtoris noſtri unici invocatione ex hac vita VINARIÆ diſcedit, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, quinto, pridiè Calendar. Novembris, hora nona antemeridiana. Vixit annos 35. menſes 5. dies 9. horas 5. Sicut autem mortem parentis eius IOHANNIS GVILIELMI, Cometa quidam in ſidere Caſſiopeia apparens, præceſsit: Ita ſimili ratione Cometa iſte argenteus roſeusq;, qui 5. Non. Octobr. præſentis anni, elevatus ſupra Iovem & Martem, & in ſigno zodiaco ſagittario ſedem habens apparuit. Obitum huius principis ſine dubio præfiguravit.

Plura de curriculo vitæ Principis huius optimi, cognoſcere cupiens legat conciones funebres in exequiis eiuſdem VINARIÆ à Dn. M. Abrahamo Langio, Concionatore aulico, & alibi diverſis temporibus à Theologis habitus, quæ publicè proſtant: Item orationes latinas ſingulari volumine ſeorſim editas, & à Dn. Profeſſoribus in Academia IENENSI, in magna doctiſſimorum virorum & ſtudioſorum Iuvenum coronâ publicè recitatas; viris Reverendis, ampliſſimis nobiliſsimis, conſultiſsimis, clariſsimis, doctiſsimis, præſtantiſsi-

ſtantiſsimisq; inq; ampliſsimis omnium Facultatum ſtudiis multum diuq; laudabiliter verſatis. *Iohannis II. Saxon.*

IOHANNES ERNESTVS III.

IOHANNES ERNESTUS III. primus IOHANNIS II. filius. Naſcitur ALDENBURGI, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo quarto, 9. Cal. Martii, dimidia hora ante decimam meridianam, die nimirum Iovis poſt INVOCAVIT. Commendaturæ Zvæcianæ Adminiſtrator. *Natus 21 Febr. 1594.*

IOHANNES GVILIELMVS III.

IOHANNES GVILIELMUS III. alter IOHANNIS II. filius. Naſcitur anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo quinto, 8. Idus Aprilis, ipſa Dominica IUDICA, hora inter quintam & ſextam matutinam, poſteraq; poſt acceptum ſacro ſancti baptiſmatis lavacrum luce moritur. Sepelitur 6. Idus Aprilis in arce. *Natus 6. April 1595. Denatus 7. Apr.*

FRIDERICVS VI.

FRIDERICUS VI. tertius IOHANNIS II. filius. Naſcitur ALDENBURGI ſalvo & inſperato enixu, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſexto, Calendar. Martii, ipſo die Lunæ poſt INVOCAVIT, poſt mediæ noctis duodecimam. Itaq; Dominica OCULI baptizatur, multis illa ſolennitate feſtivitatibus peractâ, habitaq; concione à Dn. D. Balthaſaro Mylio, Superintendente Aldenburgenſi, præſentibus FRIDERICO GVILIELMO Proelectore, aliiſque Principibus & Ducibus quatuor HOLSATIIS fratribus, totidemque ſororibus, unà cum utriſq; illuſtriſsimis parentibus. *Natus 1. Mart. 1596.*

IOHANNES III.

IOHANNES III. quartus IOHANNIS II. filius. Naſcitur ALDENBURGI, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſeptimo, pridiè Calend. Aprilis, qui erat dies IOVIS poſt Paſchatis feſtum, hora ſeptima matutina: Vitam hanc cum cœleſti illa commutat VINARIÆ, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quarto, pridiè Nonarum Octobris, hora octava veſpertina, morbo quatriduò ante contracto è malitioſis variolis, accedente mox ardenti febri. Emicuit autem in eo Principe iuniore; ſtatim à primis incunabulis, præclara indolis generoſitas, unà cum naturæ bonitate, ingeniiq; felicitate, nec non morum amabilitate, ac magis magiſq; bona illa corporis, animiq; per ætatem vim ſuam exeruiſſent maiorem, ſi longiori ac diuturniori lucis huius uſura per Deum opt. max. uti fruiq; illi licuiſſet. Itaq; nimis verum de illo MANTUANI illud: Mors ingeniis eſt invida ſemper præcocibus. Vixit annos 7. menſes 6. dieſq; totidem, horas 13. Sepelitur VINARIÆ, ad maiorum laudatiſsimorum tumulos. *Natus 31 Mart. 1597. Obiit 6. Octob. 1604. Vinariæ ſepultus.*

GVI-

GVILIELMVS.

Natus 11. Apr. 1598. GVilielmus, *quintus* Iohannis *II.* filius, ex gemellis maſculis alter, nativitate primus. Naſcitur ALDENBURGI, paulò poſt mediam noctem, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo octavo, 3. Idus Aprilis, qui erat dies Martis, poſt PALMARUM.

ANΩNYMOS.

14. Apr. ANΩNYMOΣ, *ſextus* Iohannis *II.* filius, mortuus in lucem editus circa tertiam matutinam. Sepelitur 18. Cal. Maii in arce. Notetur autem hoc loco, quòd quamvis hic partus geminus in familia hac Saxonica ſecundus ſit, ac primus fuerit MECHTILDIS, uxoris FRIDERICI Gravis, & LUDOVICI IIII. Bavari Imp. filiæ, quæ anno ſupra milleſimum trecenteſimum, quadrageſimo quinto, 7. Idus Auguſti, ANNAM & CLARAM gemellas, in arce Miſnenſi pepererit, ac eas filiæ BEATRICI, Suſelicenſi Sacerdoti Magnæ, tradiderit educandas: Attamen de alio gemino partu maſculo ullius Principis ex hac familia oriundi, nuſquam in hiſtoriis legitur.

1345. 7. Auguſt.

ALBERTVS II.

Natus 27. Iul. 1599. ALbertus *II. ſeptimus* Iohannis *II.* filius. Naſcitur Aldenburgi, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo nono, manè hora ſeptima 6. Cal. Auguſti, qui dies erat Veneris poſt IACOBI, quiq; natalis eſt ALBERTI, animoſi atpatrui, ab Innocentio 8. Pontifice Romano, dextera Imperii nominati, ab aliis verò Hector Teutonicus. Faxit Deus, ut eundem ut nomine, ita & re repræſentet & exæquet.

IOHANNES FRIDERICVS VI.

IOhannes Fridericus *VI. octavus* Iohannis *II.* filius, Naſcitur Aldenburgi, anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimo 13. Calend. Octob. hora ſecunda matutina, qui erat dies Iovis poſt exaltationem crucis.

Natus 19. Sept. 1600.

ERNESTVS II.

Natus 25. Dec. 1601. ERneſtus *II. nonus* Iohannis *II.* filius, Naſcitur Aldenburgi, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, primo, 8. Calend. Ianuarii, poſt primam noctis Natalitiorum Chriſti horam.

FRIDERICVS GVILIELMVS *II.*

Natus 7. Febr. 1603. FRidericus Gvilielmus *II. decimus* Iohannis *II.* filius, Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimum tertio, 7. Idus Februarii, qui erat dies Lunæ poſt Dominicam 5. Epiphanias, poſt horam noctis duodecimam.

BERN-

Iohannes II. Dux Saxon.

BERNHARDVS.

BERNHARDUS, undecimus, IOHANNIS II. filius. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quarto, 8. Idus Auguſti, qui erat dies Lunæ poſt Dominicam 9. Trinitatis, hora octava matutina. Natus 6. Aug. 1604.

IOHANNA.

IOHANNA, poſthuma IOHANNIS II. Saxoniæ Ducis, feliciſsimæ recordationis, prima quidem ex DOROTHEA MARIA, Anhaldina filia, ſed in numero liberorum duodecima. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, ſexto, XVIII. Calendarum Maii, poſt primam ſtatim noctis præteritæ horam, qui erat dies Lunæ, poſt Dominicam PALMARUM. Natus 14. Apri. 1606.

FINIS.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS.

SAXONIAE ILLVSTRATÆ SIVE ORIGINVM

Liber Nonus.

DE ELECTORIBVS ET DVCIBVS SAXONIÆ.

HENRICVS D. Saxoniæ:
Vx. CATHARINA, Magni D. Megalopurgenſis filia.

MAVRICIVS Elector Sax: Vx: AGNES f. PHILIPPI Landgr. Haſſiæ.	*Severinus.*	*AVGVSTVS Elector. Vxores duæ.*	*Æmilia: Vx: GEORGII. M. Brandeburgici.*	*Sibilla: Vx: FRANCISCI D. Sax. Infer.*	*Sidonia: Vxor Erici iunioris D. Brunſuigij & Luneburgij.*

Albertus infans.	*Anna Vx. GVILIELMI Naſſavij P. Vraniæ. I. Mauricius Naſſ.*

I. ANNA f. CHRISTIANI, R. Daniæ è quâ XV. liber:	*II. AGNES HEDVIGIS, f. IOACHIMI Erneſti P. Anhaldini.*

Ioh Henricus.	*Leonora.*	*Eliſabetha Vx. Ioh. Caſimiri Palat. Rheni.*	*Alexander Ant. Presburg.*	Magnus.	*Ioachimus.*	Hector.	*CHRISTIANVS I. Elector Vx. SOPHIA f. GEORGII Elect. Brandeburgij.*	Maria.	*Dorothea Vx. HENRICI IVLII D. Brunſuigij.*	Æmilia.	*Anna Vx. Ioh. Caſimiri Ducis Sax.*	Auguſtus II.	*Adolphus. Fridericus.*

CHRISTIANVS II. Elector: Vx. HEDVIGIS f. FRIDERICI. II. R. Daniæ.	*Ioh. Georgius. Vx. SYBILLA ELISABETHA f. FRIDERICI D. VVirteberg.*	*Auguſtus: III.*	*Anna Sabina*	*Sophia:*	*Eliſabetha.*	*Dorothea.*

Henricus Dux Saxoniæ.

HENRICVS.



Natus 1473. 16. Martij. HENRICVS, tertius ALBERTI filius: Naſcitur XVII. Cal: Aprilis, hora XI. antemeridianâ, anno ſuprà milleſimum qua-
Conjugium. dringenteſimum, ſeptuageſimo tertio. Vxor ejus CATHARINA, MAGNI, Ducis Megapolitani filia.

Liberi. Filij: SEVERINVS, annis pueritiæ mortuus: MAVRICIVS & AVGVSTVS, ambo Electores. Filiæ: AEMILIA, GEORGII Marchionis Brandeburgici uxor. SIBYLLA, FRANCISCI Ducis Saxoniæ Inferioris conjunx: SIDONIA vel ZEDENA ERICO, juniori Duci Brunſuicenſi nupta.

Tyrocinia. 1491. In prima ætate ductum atq; auſpicia patris, bello BELGICO finem impoſituri, ſecutus, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, nonageſimo primo,

mo, Menſe Octobri, in BRABANTIAM cum eo proficiſcitur, virtutisq; ſpeciem edit ſingulare. In oppugnatione MONTFORTI virtutis opinione nulli cedens, fortem ſeſe exhibet bellatorem. HOLANDIS & PHRYSIIS, qui HARLEMVM, urbem Phryſiæ copioſam, expugnaverant. Similiq; modo, furoreq; hoſtili, LEIDAM, oppidum imprimis lautum, contendebant, cum equitatu parentis occurrit. *Henricus Dux Saxoniæ.*

Patrem anno ſequenti in ZELANDIAM traijcientem, ut ſuarum victoriarum curſum continuaret, ſequitur. Iuſsu deindè parentis è ZELANDIA diſcedentis, agrum GANDAVENSEM invadit, & quia tempus meſsis erat, fruges ex agris evehit, quas poteſt, quas non poteſt, conſumit & perdit, villis numero decem militi prædæ expoſitis. GANDAVENSIBVS verò pænitentiâ ductis & per certum è nobilitate, patricijs, & civibus dignioribus, canicieq; venerabiles & gravitate conſpicuos, electos viros magni facinoris veniam orantibus, parcit, & in fidem recipit: De expugnandâ SLVSA autem arte, naturâ, propugnaculis, arcibus præterea duabus firmiſsimâ, & commeatu, armis, tormentis, rebusq; alijs neceſſarijs, ad bellum inſtructiſsimâ, HENRICVS cum parente ALBERTO conſultat. Verum quia oppugnatio videbatur difficilima, & jactus tormentorum, propter loci ſpacium, penè inanis, CASSANTANAM inſulam, copiâ frugum abundantem, è parentis juſſu, à cujus ſemper conſilijs pendebat, cum exercitu occupata, ut portum illum urbis commodum, & frequentem mercemonijs, intercluderet interceptis mercatorum navibus. *1492.* *Agri Gandavenſis vaſtatio.* *Sluſæ oppugnatio.*

Poſtea extructis minutis navigijs, pontibusq; ligneis, terrâ intus Saxisq; ſtipatis, ſibi propiorem ad mænia ſternunt viam, caſtraq; in tumulum quendam D. ANNÆ templo religioſum, & urbi propiorem, transmovet, obſidioneq; graviſſimâ ultra menſes quatuor, nons ſine jacturâ militum, eandem vexat.

Disjectâ verò alterâ urbis SLVSÆ arce, & milite in eâdem tumultuante, graſſanteq lue graviſsimâ peſtilenti, RAVENSTENVM, virum aliàs virtutis excellentiâ præſtantem, & anteà MAXIMILIANO I. Imperatori admodum familiarem & charum, ſed injuriâ, neſcio quâ, ab eo prorſus abalienatum, ut placari poſteâ minimè potuerit, eò adigit, ut deditionem urbis, quam tamen rebus ad durandam obſidionem neceſſarijs inſtruxerat, faceret. *Deditio Sluſæ.*

Omnibus autem hoſtibus ſuperatis, & redacto ad obedientiam BELGIO, Cum parente ſuo ALBERTO in patriam HENRICVS tandem revertitur, & unà cum eo, reliquisq; duobus fratribus, GEORGIO & FRIDERICO, Comitia Imperij VVORMACIAM indicta, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, nonageſimo quinto adit, & Imperatorem ſalutat. Non multò pòſt HENRICVS à parente HIEROSOLYMAM religionis gratiâ, ad calcanda CHRISTI ſervatoris, & aliorum ſanctorum veſtigia, pro more iſtius temporis mittitur. *1495.* *Comitia VVormacienſia.*

Tandem curâ rerum externarum ALBERTVS pater nonnihil ſolutus, de amplis filijs relinquendis fortunis, animo ſecum cogitat. GEORGIO igitur, natu maiori filio, commiſsâ ſuarum provinciarum adminiſtratione, & FRIDERICO ſacris initiato, & militiæ equeſtris Magiſtro in PRVSSIA conſtituto, HENRICVM, octo & viginti annorum juvenem, PHRYSIAE efficit gubernatorem, quam provinciam, magnorum meritorum, virtutisq; ſuæ premium, nuper ab Imperatore acceperat hæreditariam. *Henricus gubernator Phryſiæ cõſtituitur.*

Rebus itaq; conſtitutis in PHRYSIA, quas volebat, omnibus, ALBERTVS redire in MISNIAM cupiens, filium HENRICVM Phryſijs relinquit Præfectum, eidemq; addit Legatum IOHANNEM. Pincernam Tautenbergium, virum gravem & armorum peritum: Conijciebat enim,

Fridericus Gvilielmus Proelector.
18. Novembr.

Ingolſtadianæ Profeſſore & Dn. D. ALBERTO Hunchero, eiuſdem Univerſitatis Procancellario: ADAMO Tannero: VVOLFGANGO Hanemanno, & VVETTERO Auguſtano 14. Calendar. Decembris, præſentibus quatuor illuſtriſſimis Principibus Præſidibus, MAXIMILIANO Bavaro: PHILIPPO LUDOVICO, Palatino Rheni, ALBERTO Bavaro, fratre MAXIMILIANI, & VVOLFGANGO GVILIELMO, Palatini filio, diſputatio, ut feliciter & σὺν θεῷ cæpta, ita feliciſſimè eodem iuvante ſucceſſit, de quo ſatis, ſuperq; editum de ea re Protocollum, ut vocant, teſtatur. Duabus prioribus ſeſſionibus interfuit etiam GEORGIUS LUDOVICUS, Landgravius Leuchtebergiæ.

Immunitas exactionum pecuniæ.

Poſtremo hoc adminiſtrationis anno, hæ ditiones immunes ab exactionibus & tributo cereviſiario fuerunt, cuius tributi etiam immunitatem Lipſienſis Academiæ Profeſſoribus, quod hactenus pro cereviſia quoq; cum cæteris pendere cogebantur, Proelector conceſſit, ut iſti in poſterum eodem modo, ſicut Vitebergenſis Academiæ Profeſſores, libero fruerentur.

Venationis commodum.

Venationibus quoq; Proelector multum his terris profuit, conceſſa non ſolum nobilibus, aliisque equeſtris ordinis viris, feras omnis generis legitimo modo, & tempore inſectandi, libera poteſtate, ne agri ſativi colonorum & villicorum miſerè à fera ita perderentur & conculcarentur: Verùm etiam donatione ferinæ, ſupplicatione humili ab eo expetentibus ſubditis, quarum uſum nuptiis legitimis aliisúe feſtivitatibus adhibere poſſent.

Tandem Electoratum, quem toto decennio tanta fide, tanta ſedulitate, tanta integritate, tanta deniq; moderatione, adminiſtravit, ut quicquid fortè tumultuoſius tentatum & cæptum eſſet, id omne, non vi & impreſsione, ſed conſilio & ratione ſedaretur, ſubditiq; omnes res ſuas familiares, quoad eius fieri potuerit, augerent, incrementa ditiones, commoda provinciæ, emolumenta præfecturæ maxima perciperent, reſignat & comprobata eius fideli administratione per omnes partes Vinariam, 16 Calend. Novembr. ſumma cum gratulatione ſubditorum revertitur.

17. Octobr. reditus eius in patriam.

1602.
23. Iunii. Morbus.

Anno ſequente 9. Cal. Iulii, conferens ſe Ichterhuſium, in ipſo itinere eodem morbo corripitur, qui eum aliquoties iam ante afflixerat. Vinariam igitur repetens, in via cum Cancellario ſuo, MARCO Gerſtenbergero I. V. D. & GEORGIO VVolframsdorfio, intimo Conſiliario, multa graviter de arte benè beateq; moriendi confert, hominumq; quorundam nimiam improbitatem execratur, qui omnem mortis memoriam ex animo deleant.

Toto autem morbi tempore ne nimirum quidem impatientiæ inditium de ſe præbet. Videns deniq; inſtare tempus, quo ſibi ex hac vita diſcedendum eſſet, cura verè paterna erga liberos chariſsimos, & coniugem dilectiſsimam afficitur, & edita primum fidei confeſsione ingenua, ſe nimirum, quod DEO largiente hactenus feciſſet, in verbo divinitus revelato, cuius ſumma in confeſſione Auguſtana invariatâ inque formulâ Concordiæ comprehenſa eſſet, conſtanter, & ad uſq; extremum vitæ halitum permanſurum. E contrario verò omnium aliorum adverſariorum errores & blaſphemias, nec non fanaticas opiniones, extremè execrari, cuius rei teſtes ut eſſent, inq; extremo die, coram tribunali Ieſu Chriſti, omnes tùm præſentes aulicos conſiliarios & miniſtros rogat. Deinde coniugem ſuam dilectiſsimam, liberosq; dulciſsimos, ad ſe vocatos, filias ì priore coniuge ſuſceptas, omnium primò ſic alloquitur: Videtis, filiæ dulciſsimæ, mihi ex hoc vitæ ergaſtulo migrandum iam eſſe: Hortor itaq; vos & moneo paternè, ut pietatem ſectemini, honeſtati ſtudeatis, matri veſtræ, quam nunquam iniquam expertæ eſtis, obtemperetis; Deus eſt, qui orphana-

rum

rum curam in ſe ſuſcipit, Dominus Deus noſter, qui in altis habitans, humilia reſpicit in cœlo & in terra, erigens de pulvere inopem, & de ſtercore exaltans pauperem, is, inquam vos nunquam derelicturus eſt, quamvis opibus aliis haud comparandæ eſtis. Mox ad filios & tenellos principes converſus, talem in modum natu maiorem affatur: IOHANNES PHILIPPUS, pius eſto, ac ſtudiis humanitatis & literarum diligenter incumbito, ſic nimirum Deo dante, ad Reip. gubernacula ſedebis, ſubditos ſumma animi æquitate moderaturus. Coniugis tandem mœſtiſſimæ dextram tangens: Te, inquit, te, ô dilectiſſima ac chariſſima coniunx, divinæ protectioni commendo, hortorq́;, ut te à lacrymis immodicis temperes, totamq́; defenſioni, auxilioq́; omnipotentis Dei, te committas: Viduam etſi te relinquo triſtiſſimam, nunquam tamen rerum quicquam neceſſariarum tibi defuturum confido, in æterna illa beatitudine mutuo conſpectu, iucundiſſimaq́; converſatione inter triumphantes caſtorum Angelorum & beatorum hominum choros fruituri, Deumq́; de facie ad faciem conſpecturi. Fridericus Gvilielmus Protector.

Sic ergò illa ipſa veſpera, hora noctis 11. ipſis Nonis Iulii, obitu ſanè placidiſſimo, beatiſsimoq́; vitam ſuam vera in agnitione Dei & filii eius redemtoris noſtri unici, finit, cum vixiſſet annos 40. menſes 11. dies 12. horasq́; totidem: Vinariæ ſepultus. Obitus 1602. 7. Iulii.

Princeps ſumma laude perpetuò dignisſimus, ſingulari animi moderatione, commendabili æquitate ac probitate, eruditione deniq́; viro Principe haud indigna, ut nulli maiorum ſuorum virtute ſecundus aut inferior haberetur. Erga religionem venerabilis & conſtans: erga ſubditos clemens & benignus, erga familiares & agnatos principes candidus & ſincerus: erga ſacram deniq́; Cæſaream Maieſtatem, uſq́; adeo fidelis, ut eam, more maiorum celeberrimorum, inprimis verò, exemplo avi, IOHANNIS FRIDERICI I Electoris, tanquam ſupremum à Deo opt. max. datum atq́; conceſſum Magiſtratum, reverenter & debita ſubiectione coluerit & veneratus ſit, nullumq́; obedientis ſubditi & principis officium, in ſe unquam deſiderari paſſus ſit, modò confeſsionem ſinceram doctrinæ Evangelii liberam & incorruptam retineret, arcem Torgenſem ea parte, quâ Albim ſpectat muro cinxit, ædificiis pluribus, turriq́; altiſſima igni conſumto auxit, & horto amplificavit. Lingvas exoticas, extremis annis didicit, latinam exercuit, libros edidit, lectione denique ſatiari non potuit. Encomium

IOHANNES GVILIELMVS II.

IOHANNES GVILIELMUS II, primus FRIDERICI GVILIELMI filius. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo quinto, pridiè Cal. Iulii. Obiit 10. Cal. Februarii, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo ſeptimo: Vixit ſeſquiannum, 11. hebdomadas 4. dies 6. horas. Natus 30. Iun. 1585. Denatus 23. Ian. 1587.

FRIDERICVS V.

FRidericus V. *ſecundus* Friderici Gvilielmi filius. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo ſexto, 3. Calend. Octobris. Denatus anno ſupra milleſimum quingenteſimum octogeſimo ſeptimo 14. Cal. Februarii. Vixit 16. hebdomadas, 3. dies, 16. horas. Natus 23. Sept. 1586. Mortuus 19. Ian. 1587.

Fridericus Gvilielmus Proelector.

ANΩNYMOS.

Denatus 21. Iulii. 1590.

ANΏNYMOΣ tertius FRIDERICI GVILIELMI filius, præmaturo partu unà cum matre illuſtriſſima in itinere iſto infelici à VVILBURGO è Naſſavienſi Comitatu FACHÆ extinctus 12. Calend. Auguſti hora VIII. antemeridiana, anno ſuprâ milleſimum quingenteſimum, nonageſimo.

IOHANNES PHILIPPVS.

Natus 25. Ian. 1597.

IOHANNES PHILIPPUS quartus, FRIDERICI GVILIELMI, ſed primus ex altera coniuge Palatina, filius. Naſcitur TORGÆ anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſeptimo, 8. Calen. Febr. hora 6. matutina, ipſo die converſionis PAULI.

FRIDERICVS *VII.*

Natus 12. Febr. 1599.

FRidericus *VII. quintus*, Friderici Gvilielmi, ſecundus verò ex altera coniuge, filius. Naſcitur TORGÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo nono, pridiè Idus Februarii, hora III. matutina.

IOHANNES GVILIELMVS *IIII.*

Natus 13. Apr. 1600.

IOhannes Gvilielmus *ſextus*, Friderici Gvilielmi filius. Naſcitur TORGÆ, anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimo, Idibus Aprilis, hora noctis 12.

FRIDERICVS GVILIELMVS *III.* POSTHVMVS.

Natus 12. Febr. 1603.

FRidericus Gvilielmus *III ſeptimus* Friderici Gvilielmi filius. Naſcitur VINARIÆ, humato parente, anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimum tertio, pridiè Iduum Februarii, hora 10. antemeridiana.

IOHANNES

Iohannes II. Dux Saxon.

IOHANNES II.



IOHANNES II. IOHANNIS GVILIELMI I. ſecundus. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo II. Calendarum Iunii. Natus 1570 22. Maii.

Vxor eius DOROTHEA MARIA, IOACHIMI ERNESTI, Principis Anhaldini, è Ducisſa VVitenbergica ELEONORA, filiâ. Vxor.

Iohannes II. Dux Saxon. Filii. Filii II. JOHANNES ERNESTUS III. JOHANNES GVILIELMUS III. FRIDERICUS VI. JOHANNES GVILIELMUS alter è gemellis: alter ἀώνυμος, mortuus in lucem editus. ALBERTUS II. JOHANNES FRIDERICUS VI. ERNESTUS III. FRIDERICUS GVILIELMUS II. BERNHARDUS. Filia vero unica & humato parente in lucem edita IOHANNA. Princeps ſingulari animi dexteritate, eximiaq; erga patriam & ſubditos benevolentia, ita ut nomen gratioſi in eum verè competat.

Pueritia eius. Sicut autem plerunq; fieri conſvevit, ut, qui Deo opt. max. clari acceptiq; ſunt, multis fortunæ telis, à teneris, quod aiunt, incunabulis expoſiti ſint, ita & huic optimo Principi uſu venit, ut, cum fideli parentum cura ad veram pietatem & eximias virtutes heroicas, illuſtri ſobole dignas, educandus eſſet, nimis citò parentem illuſtriſſimum, & infans adhuc bimulus, proh dolor, amitteret, & eo ipſo tempore amitteret, quo in Eccleſia Chriſti contentiones maximæ in negocio religionis eſſent excitatæ. Verùm Deus ter maximus in eo miſerrimo ſtatu hunc principem, unà cum fratre, clementer fideli ſedulitate tutoris illuſtriſſimi, Electoris Saxoniæ, agnati ſui, & ſollicitudine religioſa matris pientiſſimæ, protexit, ut in vera agnitione Dei inſtitueretur, conſtitutis informatoribus & morum inſpectoribus à vera pietate & religioſa eruditione viris nobiliſſimis, integerrimis & præſtantiſſimis.

Adoleſcentia. Adultior paulò factus è voluntate Domini tutoris integerrimi & matris curioſiſſimæ in Academiam IENENSEM, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo tertio, 4. Calend. Octobris mittitur, & virorum nobiliſſimorum, clariſſimorum & conſultiſſimorum, GEORGII ALBERTI Cromedorfii, Aulæ Magiſtri & Virgilii Pingiceri, I. V. D. Præceptoris conſtituti, ac inibi Profeſſoris publici, curæ fideli committitur.

Iuventus. Reliquum vitæ tempus in aula AUGUSTI & CHRISTIANI I. Electorum, Agnatorum, quibus ob ſingularem probitatem, animi rectitudinem, aliasq; virtutes heroicas carus acceptusq; extiterat, DRESDÆ tam diu exi-

1588. 10. Iunii. git, donec è voluntate matris optimæ & fratris, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo octavo, 4. Idus Iunii, domum revocaretur.

1589. 3. Iunii. Iter eius in Italiam. Anno ſequenti III. Nonarum Iunii, ITALIÆ fines luſtrat, ut mores & ſtudia varia hominum eò melius illi innoteſcerent, ac laudabili maiorum ſuorum ampliſſimorum more, aliquam ſibi experientiam compararet.

VINARIA autem ſe movens, viam primùm dirigit NORIBERGAM, inde AUGUSTAM Vindelicorum, poſteà verò OENIPONTEM, hinc TRIDENTUM, exinde VENETIAS, & ſic conſequenter FERRARIAM, MANTUAM, VICENTIAM, VERONAM, PADUAM, &c. Se confert, iisdemq; in locis omnibus, quod notatu & inſpectu dignum, diligenter luſtrat, quemadmodum etiam conſilii iſtius magni, quòd vernacula ſua lingva Veneti GRAN CONSIGLIO vocant, actiones mihi coràm & præſens à nullo tamen cognitus, intuetur & perſpicit.

In reditu verò per FORUM IULIUM, CARINTHIAM, STIRIAM, & AUSTRIAM iter faciens, NEOSTADII patruum ſuum, IOHANNEM FRIDERICUM II. Ducem Saxoniæ, laudabilis memoriæ, in cuſtodia ſua accedit, inde VIENNAM contendens, ERNESTUM, Archiducem AUSTRIÆ, convenit, à quo perliberaliter acceptus recedit.

Poſteà luſtratis HUNGARIÆ finibus, POSONIO, BREGETIO

Reditus eius ex Italia. 28. Auguſt. ſive IAVARINO & reliquis HUNGARIÆ præcipuis civitatibus, per MORAVIAM & BOHEMIAM, 5. Cal. Septembris domum ſoſpes revertitur.

Socios

Socios itineris habuit fidiſſimos BURCHARDUM, Pincernam Tautenbergium: GEORGIUM ALBERTUM Cromsdorfium, IOHANNEM HENRICUM Oſterhuſium, & IOHANNEM GVILIELMUM Sebachium. *Iohannes II. Dux Saxon.*

Reverſus è peregrinis nationibus, ac ducta uxore illuſtriſſima, DOROTHEA MARIA, Ioachimi Erneſti, principis Anhaldini filia, & nuptiis cum ea 7. Idus Ianuarii, Dominica nimirum poſt trium REGUM, anno ſupra milleſimum, quingenteſimum nonageſimo tertio Aldenburgi magnificè celebratis, &c. & ſacrum illud connubiale illuſtrantibus illuſtriſſimis novem Principibus: FRIDERICO GVILIELMO Proelectore, Sponſi fratre, IOHANNE CASIMIRO, Duce Saxoniæ: ADAMO VVENCESLAO, Duce Sileſiæ, Deſchenſis & Glogaviæ: IOHANNE GEORGIO, BERNHARDO, AUGUSTO, RUDOLPHO, IOHANNE ERNESTO, & LUDOVICO, ſex Principibus Anhaldinis, ibidem per omne illud tempus, quo frater FRIDERICUS GVILIELMUS, Proelector integerrimus, viveret, ſedem habet, pacis ſtudio addictiſſimus. *Nuptiæ eius 7. Ianuarii. 1593.*

Quanta autem cum dicto fratre dilectiſſimo vixerit coniunctione animorum, quanta voluntatum unanimitate, quanta ſtudiorum concordia, quanta mutui amoris & benevolentiæ fraternæ, caritate, ex eo vel maximè elucet, quod nulla unquam fratrem offenſione læſerit, aut diſcordiarum auctor aliquarum lævis extiterit, ob oculos primùm ſibi conſtituens, mentiq; infigens, illud Pſalmographi Regii: *Ecce quàm bonum & quàm iucundum, habitare fratres in unum, ac indiſſolubili ligari pacis vinculo.* Deindè exempla ſibi proponens imitanda, non tàm proavi laudatiſſimi, IOHANNIS, Electoris Saxoniæ, ita cum fratre FRIDERICO III. ſapiente, viventis coniunctiſſimè, ut licet ditiones paternas & hæreditarias partiti ſint, attamen ſummum eorum amorem, concordiamque & coniunctionem fraternam, in utriuſq; ſenecta, inq; graviſſimis deliberationibus periculisq; vel maximè conſpicuam omnibus probaverint. Quàm abavi & propatrui ERNESTI & ALBERTI, olim Aldenburgo à Kauſungo ſceleratè & furtim abductorum, de quibus memoriæ proditum eſt, cum ſimul ambo fratres defuncto parente FRIDERICO II. Placido, Electore Saxoniæ, imperarent, iucundam & tantam inter ipſos conſuetudinem quotidianam, ac dulcem & venerabilem ſemper conſenſum extitiſſe, ut invicem alter alterum honore prævenire certarent ac ambirent, ALBERTO fratrem maiorem nunquam ſine dignitatis titulo & præfatione appellante, idq; eius cùm ætati, tùm amplitudini tribuente: ERNESTO verò ALBERTO, uti minori & iuniori omnia deferente, eundemq; ſibi ob animoſitatem & heroicam eximii corporis præſtantiam præferente, neq; ulla unquam, quod certè maximum eſt, ſimultate aut controverſia inter coniuges & liberos mota, licet aliquot annis in una eademq; arce ambo cum familia univerſa unà viverent.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſeptimo, à fratre Proelectore & IOHANNE GEORGIO, Electore Brandeburgico, contutore Pragam, cum aliquot adiunctis conſiliariis Saxonici Electoratus, utpote viro nobiliſſimo ac integerrimo, Dn. Abrahamo Bockio, atq; aliis mittitur ad RUDOLFUM II. Imp. ut ab eo, utpote Rege Bohemorum, veterem Voitlandiæ ſive Nariſcorum aut Variſcorum (ut Ptolomæo placet) poſſeſſionem fiduciario iure, pro agnatis CHRISTIANI I. Electoris Saxoniæ defuncti, relictis filiis impuberibus ſuſciperet, præſtito pro iiſdem iureiurando, aliisq; ritibus, quæ tali in negocio meritò exiguntur, peractis.

Anno mox ſequente, nonageſimo videlicet octavo, ſupra milleſimum quingenteſimum, Imperatorem rurſus per fide dignos conſiliarios ſalutandum curat,

ſtantiſsimiſq; inq; ampliſsimis omnium Facultatum ſtudiis multum diuq; laudabiliter verſatis. *Iohannes II. Saxon.*

IOHANNES ERNESTVS III.

IOHANNES ERNESTUS III. primus IOHANNIS II. filius. Naſcitur ALDENBURGI, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo quarto, 9. Cal. Martii, dimidia hora ante decimam meridianam, die nimirum Iovis poſt INVOCAVIT. Commendaturæ Zvæcianæ Adminiſtrator. *Natus 21 Febr. 1594.*

IOHANNES GVILIELMVS III.

JOHANNES GVILIELMUS III. alter IOHANNIS II. filius. Naſcitur anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo quinto, 8. Idus Aprilis, ipſa Dominica IUDICA, hora inter quintam & ſextam matutinam, poſteraq; poſt acceptum ſacro ſancti baptiſmatis lavacrum luce moritur. Sepelitur 6. Idus Aprilis in arce. *Natus 6. April 1595. Denatus 7. Apr.*

FRIDERICVS VI.

FRIDERICUS VI. tertius IOHANNIS II. filius. Naſcitur ALDENBURGI ſalvo & inſperato enixu, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſexto, Calendar. Martii, ipſo die Lunæ poſt INVOCAVIT, poſt mediæ noctis duodecimam. Itaq; Dominica OCULI baptizatur, multis illa ſolennitate feſtivitatibus peractâ, habitaq; concione à Dn. D. Balthaſaro Mylio, Superintendente Aldenburgenſi, præſentibus FRIDERICO GVILIELMO Proelectore, aliiſque Principibus & Ducibus quatuor HOLSATIIS fratribus, totidemque ſororibus, unà cum utriſq; illuſtriſsimis parentibus. *Natus 1. Mart. 1596.*

IOHANNES III.

JOHANNES III. quartus IOHANNIS II. filius. Naſcitur ALDENBURGI, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſeptimo, pridiè Calend. Aprilis, qui erat dies IOVIS poſt Paſchatis feſtum, hora ſeptima matutina: Vitam hanc cum cœleſti illa commutat VINARIÆ, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quarto, pridiè Nonarum Octobris, hora octava veſpertina, morbo quatriduò ante contracto è malitioſis variolis, accedente mox ardenti febri. Emicuit autem in eo Principe iuniore, ſtatim à primis incunabulis, præclara indolis generoſitas, unà cum naturæ bonitate, ingeniiq; felicitate, nec non morum amabilitate, ac magis magiſq; bona illa corporis, animiq; per ætatem vim ſuam exeruiſſent maiorem, ſi longiori ac diuturniori lucis huius uſura per Deum opt. max. uti fruiq; illi licuiſſet. Itaq; nimis verum de illo MANTUANI illud: Mors ingeniis eſt invida ſemper præcocibus. Vixit annos 7. menſes 6. dieſq; totidem, horas 13. Sepelitur VINARIÆ, ad maiorum laudatiſsimorum tumulos. *Natus 31 Mart. 1597. Obiit 6. Octob. 1604. Vinariæ ſepultus.*

GVI-

Iohannes I I. Dux Saxon.

BERNHARDVS.

BERNHARDUS, undecimus, IOHANNIS II: filius. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum quarto, 8. Idus Auguſti, qui erat dies Lunæ poſt Dominicam 9. Trinitatis, hora octava matutina. Natus 6. Aug. 1604.

IOHANNA.

IOHANNA, poſthuma IOHANNIS II. Saxoniæ Ducis, felicisſimæ recordationis, prima quidem ex DOROTHEA MARIA, Anhaldina filia, ſed in numero liberorum duodecima. Naſcitur VINARIÆ, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, ſexto, XVIII. Calendarum Maii, poſt primam ſtatim noctis præteritæ horam, qui erat dies Lunæ, poſt Dominicam PALMARUM. Natus 14. Apri 1606.

FINIS.

GEORGII FABRICII CHEMNICENSIS.

SAXONIAE ILLVSTRATÆ SIVE ORIGINVM

Liber Nonus.

DE ELECTORIBVS ET DVCIBVS SAXONIÆ.

HENRICVS D. Saxoniæ:
Vx. CATHARINA, Magni D. Megalopurgenſis filia.

MAVRICIVS Elector Sax: Vx: AGNES f. PHILIPPI Landgr. Haſſiæ.	*Severinus.*	*AVGVSTVS Elector. Vxores duæ.*	*Æmilia: Vx: GEORGII. M. Brandeburgici.*	*Sibilla: Vx: FRANCISCI D. Sax. Infer.*	*Sidonia: Vxor Erici iunioris D. Brunſuigij & Luneburgij.*

Albertus infans.	*Anna Vx. GVILIELMI Naſſavij P. Vraniæ. I. Mauritius Naſſ.*

I. ANNA f. CHRISTIANI, R. Daniæ è quâ XV. liber:	*II. AGNES HEDVIGIS, f. IOACHIMI Erneſti P. Anhaldini.*

Ioh Henricus.	*Leonora.*	*Eliſabetha Vx. Ioh. Caſimiri Palat. Rheni.*	*Alexander Ant. Presburg.*	Magnus.	*Ioachimus.*	Hector.	*CHRISTIANVS I. Elector Vx. SOPHIA f. GEORGII Elect. Brandeburgij.*	Maria.	*Dorothea Vx. HENRICI IVLII D. Brunſuigij.*	Æmilia.	*Anna Vx. Ioh. Caſimiri Ducis Sax.*	Auguſtus II.	*Adolphus.* *Fridericus.*

CHRISTIANVS II. Elector: Vx. HEDVIGIS f. FRIDERICI. II. R. Daniæ.	*Ioh. Georgius. Vx. SYBILLA ELISABETHA f. FRIDERICI D. VVirteberg.*	*Auguſtus: III.*	*Anna Sabina*	*Sophia:*	*Eliſabetha.*	*Dorothea.*

Henricus Dux Saxoniæ.

HENRICVS.



Natus 1473. 16. Martij. *Conjugium.* HENRICVS, tertius ALBERTI filius: Naſcitur XVII. Cal: Aprilis, hora XI. antemeridianâ, anno ſuprà milleſimum quadringenteſimum, ſeptuageſimo tertio. Vxor ejus CATHARINA, MAGNI, Ducis Megapolitani filia.

Liberi. Filij: SEVERINVS, annis pueritiæ mortuus: MAVRICIVS & AVGVSTVS, ambo Electores. Filiæ: AEMILIA, GEORGII Marchionis Brandeburgici uxor. SIBYLLA, FRANCISCI Ducis Saxoniæ Inferioris conjunx: SIDONIA vel ZEDENA ERICO, juniori Duci Brunſuicenſi nupta.

Tyrocinia. 1491. In prima ætate ductum atq; auſpicia patris, bello BELGICO finem impoſituri, ſecutus, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, nonageſimo primo,

mo, Menſe Octobri, in BRABANTIAM cum eo proficiſcitur, virtutiſq; ſpeciem edit ſingulare. In oppugnatione MONTFORTI virtutis opinione nulli cedens, fortem ſeſe exhibet bellatorem. HOLANDIS & PHRYSIIS, qui HARLEMVM, urbem Phryſiæ copioſam, expugnaverant. Similiq; modo, furoreq; hoſtili, LEIDAM, oppidum imprimis lautum, contendebant, cum equitatu parentis occurrit. *Henricus Dux Saxoniæ.*

Patrem anno ſequenti in ZELANDIAM traijcientem, ut ſuarum victoriarum curſum continuaret, ſequitur. Iuſſu deindè parentis è ZELANDIA diſcedentis, agrum GANDAVENSEM invadit, & quia tempus meſsis erat, fruges ex agris evehit, quas poteſt, quas non poteſt, conſumit & perdit, villis numero decem militi prædæ expoſitis. GANDAVENSIBVS verò pænitentiâ ductis & per certum è nobilitate, patricijs, & civibus dignioribus, canicieq; venerabiles & gravitate conſpicuos, electos viros magni facinoris veniam orantibus, parcit, & in fidem recipit: De expugnandâ SLVSA autem arte, naturâ, propugnaculis, arcibus præterea duabus firmiſsimâ, & commeatu, armis, tormentis, rebusq; alijs neceſſarijs, ad bellum inſtructiſsimâ, HENRICVS cum parente ALBERTO conſultat. Verùm quia oppugnatio videbatur difficilima, & jactus tormentorum, propter loci ſpacium, penè inanis, CASSANTANAM inſulam, copiâ frugum abundantem, è parentis juſſu, à cujus ſemper conſilijs pendebat, cum exercitu occupata, ut portum illum urbis commodum, & frequentem mercemonijs, intercluderet interceptis mercatorum navibus. 1492. *Agri Gandavenſis vaſtatio.* *Sluſæ oppugnatio.*

Poſtea extructis minutis navigijs, pontibusq; ligneis, terrâ intus Saxiſq; ſtipatis, ſibi propiorem ad mænia ſternunt viam, caſtraq; in tumulum quendam D. ANNÆ templo religioſum, & urbi propiorem, transmovet, obſidioneq; graviſſimâ ultra menſes quatuor, non ſine jacturâ militum, eandem vexat.

Disjectâ verò alterâ urbis SLVSÆ arce, & milite in eâdem tumultuante, graſſanteq lue graviſsimâ peſtilenti, RAVENSTENVM, virum aliàs virtutis excellentiâ præſtantem, & anteà MAXIMILIANO I. Imperatori admodum familiarem & charum, ſed injuriâ, neſcio quâ, ab eo prorſus abalienatum, ut placari poſteâ minimè potuerit, eò adigit, ut deditionem urbis, quam tamen rebus ad durandam obſidionem neceſſarijs inſtruxerat, faceret. *Deditio Sluſæ.*

Omnibus autem hoſtibus ſuperatis, & redacto ad obedientiam BELGIO, Cum parente ſuo ALBERTO in patriam HENRICVS tandem revertitur, & unà cum eo, reliquiſq; duobus fratribus, GEORGIO & FRIDERICO, Comitia Imperij VVORMACIAM indicta, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, nonageſimo quinto adit, & Imperatorem ſalutat. Non multò pòſt HENRICVS à parente HIEROSOLYMAM religionis gratiâ, ad calcanda CHRISTI ſervatoris, & aliorum ſanctorum veſtigia, pro more iſtius temporis mittitur. 1495. *Comitia Vormacienſia.*

Tandem curâ rerum externarum ALBERTVS pater nonnihil ſolutus, de amplis filijs relinquendis fortunis, animo ſecum cogitat. GEORGIO igitur, natu maiori filio, commiſsâ ſuarum provinciarum adminiſtratione, & FRIDERICO ſacris initiato, & militiæ equeſtris Magiſtro in PRVSSIA conſtituto, HENRICVM, octo & viginti annorum juvenem, PHRYSIAE efficit gubernatorem, quam provinciam, magnorum meritorum; virtutiſq; ſuæ præmium, nuper ab Imperatore acceperat hæreditariam. *Henricus gubernator Phryſiæ conſtituitur.*

Rebus itaq; conſtitutis in PHRYSIA, quas volebat, omnibus, ALBERTVS redire in MISNIAM cupiens, filium HENRICVM Phryſijs relinquit Præfectum, eidemq; addit Legatum IOHANNEM. Pincernam Tautenbergium, virum gravem & armorum peritum: Conijciebat

 enim,

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, vigeſimo quarto, ſolennitati iſti, in apotheoſi BENNONIS præſulis Miſnenſis, hoc in ordine decimi, ac oſſium ejus effoſſione, intereſt, adductis ſimul ſecum duobus filijs infantibus, MAVRICIO & SEVERINO, altero bimulo, altero trimulo. *Henricus Dux Saxoniæ.* *1524.*

Actio verò illa multis ſolennitatibus pro more iſtius temporis & religionis poſtridie VITI, nimirum XVI Calend. Julij, & anno demùm, quadringenteſimo decimo ſeptimo, poſt mortem BENNONIS, ſuſcepta fertur. Vixit enim iſte Præſul Miſnenſis temporibus HENRICI IV. Jmperatoris. Hujus autem rei promotores in curiâ Pontificis HADRIANI VI. fuerunt, D. JOHANNES Henningus & JACOBVS Gertovicius. Ad hanc ſolennitatem verò à FRIDERICO III. Sapiente, Electore Saxoniæ, ejus ut ſpectatores & quaſi teſtes eſſent oculati, mittuntur GEORGIVS Pontanus I.V.D. & FABIANVS Felicius, ac HVGOLDVS Einſidelius, eques auratus. GEORGIVS, Dux Saxoniæ, autem, Pontificijs per omnem vitam addictiſsimus, amandat CAESAREM Pflugium, & Johannem Wertherum, ambo equites, quibus adjungit, religionis ſtudio filios JOHANNEM & FRIDERICVM: Huic præterea feſtivitati præter dictos Principes, & illuſtres viros interfuêre etiam è Comitibus, MANSVELDIVS, LEISNICENSIS, BARBIENSIS, & è nobilitate Miſnenſi plurimi, peragentibus eam, pro more veteri, JOHANNE VII. ègente Schleinitiâ, MISNENSI, & ADOLPHO è principibus Anhaldinis, MERSBVRGENSI, Præſulibus, præfecto urbis tùm exiſtente ERNESTO Milticio. Negotium hoc multos annos ROMAE actum prius, quàm confectum eſt, teſtante id LILIO GREGORIO Gyraldo hiſtorico, in libello ſuo de ſepulcris edito, quem CAROLO Miltitio, nobili Miſnenſi, Pontificis Romani tùm temporis cubiculario, per quem Pontifex auream roſam FRIDERICO III. Sapienti, Electori Saxoniæ, offerri curaverat, inſcripſit. *Exaltatio tibæ BENNONIS.* *16. Junij.*

Anno ſequente in tumultum ruſticorum ſive agreſtium ſedandum, cum fratre GEORGIO, PHILIPPO Haſſo, HENRICO Brunſuigio, JOHANNE, Electore Saxoniæ, alijsq; principibus, omnem curam cogitationemq; ſuſcipit, eosq; juvat reprimi, factâ eorundem ſtrage ad FRANCOHVSIAM in THVRINGIA ſtrage maximâ. *1525.* *Agreſtiũ tumultus.*

Bellis ſopitis ad pacis ſtudia converſus anguſtam ſanè ditionis partem, quâ tamen contentus erat, à fratre GEORGIO accipiens, VVOLCHENSTENI, & FRIBVRGI aulæ ſedem habet, & MARIÆBVRGVM condit, Pontificiisq; tandem deliramentis poſthabitis & exploſis eorum ſuperſtitionibus, ſinceriorem cœleſtis veritatis doctrinam ſuſcipit, fratre GEORGIO omnibus viribus repugnante, ſibiq; adverſante, qui teſtamento quoq; caverat, niſi frater, liberive ejus, novam, uti nominabat, religionem abijceret. *Suâ contẽtus portione ac ſorte vivit.* *Teſtamentũ GEORGII fratris.*

Jmperatorem autem CAROLVM V. ejusq; fratrem FERDINANDVM regem, hæredes inſtituit, ac eâ conditione ditionem ijs ſuam omnem attribuit, donec frater vel filij, aut eâ ex familiâ agnatus quiſpiam proximus, abjectâ novâ, normam illam veterem religionis retinerent. Communicatâ verò voluntate ſuâ ultimâ, cum nobilibus & populo, teſtamentoq; confecto, petit ab iis, ut datâ fide promittant, ſe illud ratum habituros, neq; ab eâ ullâ unquam ratione diſceſſuros. Cui deliberatione factâ ordines reſpondent: Vereri ſe, ne hac via minimè probandâ, bellum inter agnatos principes aliquod exardeſcat grave, orare itaq; ſeſe, ne gravetur legatos ad fratrem prius amandare, confidere enim ſe, cum eò adductum iri poſſe, hanc ut conditionem acceptaret, minimèque reijceret. *Reſponſio ſubditorũ, & eorum petitio de legatis ad HENRICVM mittendis.*

Henricus Dux Saxoniæ. Miſsis igitur legatis, fratrem adhortatur, ut parcat, néve ſuâ tergiverſatione ſeipſum ditione tàm commodâ, tàm amplâ, tàm ſplendidâ, tàm omnibus affluente rebus neceſſarijs, magno cum ſuo, ſuorumq; detrimento exuat: Magnam adeſſe acquiſitarum pecuniarum vim, magnam exquiſitiſsimæ ſupellectilis copiam, plurimam è fodinis metallicis argenti abundantiam, quarum rerum omnium ſummo cum honore, ſummaq; ſubditorum acclamatione, particeps fieri poſset, ſi modò voluntati fraternæ morem gerere, religionisq; formam, ſe mortuo, minimè mutare vellet, & cuperet.

Sibi jam impendere ultimum vitæ terminum; Se enim eſſe ſenem affliĉtiſſimum ex obitu chariſſimorum liberorum, ac valetudine exiſtere incertâ infirmaq;, propè eſſe, quo ex ergaſtulo vitæ hujus caducis ſibi emigrandum eſſet, Jtaq; cupere ſe, & orare, ut hæc omnia benè ſecum, & apud animum perpendat.

Conſtantiâ in religione poſthabitis divitijs à fratre oblatis. HENRICVS, legatis fratris GEORGII perbenignè acceptis, habitisq;, talem in modum reſpondet: Videri fratrem GEORGIVM nihil aliud ſibi hac legatione repræſentare, quàm id, quo de in ſacris literis memoriæ proditum ſit, in quibus Sathanam, infenſiſſimum generis humani hoſtem, nullo alio pacto ipſi CHRISTO, ſervatori noſtro, auſum fuiſſe imponere, legimus, quàm oblatione & pollicitatione regnorum mundi univerſi, quam tamen in ſua nequaquam habebat poteſtate, modò procidat, ipſumq; adoret.

Putatisnè, viri optimi, inquit, me tanti ullas facere, facturumvé divitias, ut earum pollicitatione à verâ puraq;, ac eâ rectiſſima, perq; ſolius commiſerentis DEI benignitatem tandem agnitâ Evangelij puritate & veritate, diſceſſurus ſim? Ah nolite, nolite, inquam, hoc mihi perſuadere, ut veſtrâ tàm blandâ, tàm fucatâ, multisq; ad perſuadendum adductis argumentis ornatâ oratione, eò me adducatis, quò pedibus in veſtram eam ſententiam, & ſalutis æternæ jacturam faciam incomparabilem, nolite, inquam, vobis id imaginari, me hoc unquam facturum eſſe. Hoc præter expectationem accepto reſponſo, legati cum diſcederent, priusquam domum reverterentur, vita fungitur GEORGIVS.

1539. Mors Ducis GEORGII 17. Aprilis. Jn ejusmodi igitur contentione, fratre poſt filij ultimi FRIDERICI obitum, magno cum Pontificiorum deſiderio & dolore, XV. Calendarum Maij, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo nono, mortuo, & teſtamento nondum penitus obſignato & roborato, HENRICVS gubernationem ditionum paternarum, præſtito à ſubditis ſubjectionis & fidelitatis ſacramento, in MISNIA & TVRINGIA ſuſcipit, & ſtatim Eccleſias, de conſilio LVTHERI, quem omnium hominum GEORGIVS frater vivus acerbiſsimo proſequebatur odio, emendat, initiò ab eodem LIPSIAE facto; habitaq; die Pentecoſtes, videlicet VIII. Calend. Iunij, prima concione.

Concio Lutheri Lipſiæ habita 25. Maij.

Mutatio religionis & viſitatio Eccleſiarum. Viſitationem autem Eccleſiarum commendat præter LVTHERVM, GEORGIO Spalatino, NICOLAO Amsdorfio, & IVSTO Jonæ, Theologis, ſibi à JOHANNE FRIDERICO I. Electore miſsis. Canonicis & ſacerdotibus, qui doctrinam Evangelij veram amplecterentur, & officio fungi aliquo Eccleſiaſtico cuperent, manere permiſſum eſt, qui verò cum Papiſtis adhuc ſentirent, ijs relictum deliberandi ſpatium, qui pertinaces eſſent, conceſſa ijsdem facultas tutò abeundi.

Dejectio tumbæ Bennonis. Eodem hoc anno tumbam BENNONIS ante annos quindecim ſummis adhibitis ſolennitatibus, in Baſilica Miſnenſi erectum, quibus & ipſe cum filijs duobus interérat, de vero DEO, ejusq; cultu vero, meliùs jam edoctus, curat dejici & deponi, ne quid relinqueretur, quod redoleret quandam impiam, & cum verbo DEI pugnantem Pontificiam ſuperſtitionem. Quemadmodum

eadem

eadem ex urbe ejus mandato ANDREAS quidam VNGARVS, Franciſcanus monachus, ſophiſta acutiſsimus, qui ſe initio reformationis PAVLO Lindenavio, JACOBO Schenchio, & SEBASTIANO Steuda, viris claris, & Evangelium CHRISTI pure profitentibus, diſputanbo acerrimè oppoſuerat, excedere jubetur.

De hoc principe optimo, SEBASTIANVS Rotha Averbachius, vir doctrinâ & experientiâ artis Medicæ excellens, refert, fuiſſe eo tempore, quo bellum in PRVSIA gereretur, quendam caſtra ſecutum militem, neſcio quem, qui multis prædicare eventus, caſusq́; futuros ſoleret, eum HENRICVM hunc, aliquando adhuc in mensâ ſedentem, cum cibum modo cepiſset, cum ante hanc contra ipſum hic aſtitiſſet, intentis fuiſſe oculis diu contemplatum, iſtud tandem, animadvertentem HENRICVM interrogaviſſe: quid in ſe deſideraret? At illum divinatorem primùm tacuiſſe, Vbi verò HENRICVS ſeverius fuiſſet percontatus, ibi iſtum vatem dixiſſe.

Tempus aliquando fore, ut HENRICVS ſolus universâ paternæ & hæreditariæ ditionis parte potiretur. Id dictum triſtioris ominis, vehementer eſſe deteſtatum principem, cum planiſsimo pietatis pro incolumitate & ſalute fratris GEORGII voto, illumq́; & nugatorem appellaſſe, & juſsiſſe eum à talibus prædictionibus in poſterum abſtinere. Verùm eventus poſteà eo ipſo HENRICO neq; optante, neq; ſperante, neq; ita quoquam opinante, aut expectante, acta ita in rei veritate probavit.

Vitam mortalem hanc, cum ſempiternâ illâ anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo primo, XV. Calend. Septembris, commutat, FRIBERGI tumulatus, ibiq; eximium habet epitaphium marmori inciſum, in ſacello templi cathedralis, cui à beatâ Virgine nomen, monumentumq́; maximè inſigne à CHRISTIANO I. Electore, nepote ſuo, erectum. *Obitus ejus 1541. 18. Augusti.*

Severinus Dux Saxoniæ.

SEVERINVS.

Natus 1522. 29. Augusti. Mortuus 1533. 20. Octobr.

SEVERINVS, ſecundus HENRICI filius, Naſcitur FRIBVRGI, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, vigeſimo ſecundo. IV. Cal. Septembris: Educatur unà cum filijs regijs FERDINANDI poſtea Imperatoris, OENIPONTI, ubi etiam VI. Idus Octobris obijt, cum vixiſſet annos XI. menſem I. Dies XIII, id quod factum anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo tertio, BERNHARDO Ratſchitio viro nobili, ejus tùm conſtituto Mareſchallo & inſpectore morum exiſtente. Sepelitur in STAMSIANO, cui ibidem tumulum erexit AVGVSTVS Elector, frater.

Ære SEVERINVS Princeps hoc clauditur: artes
Cum Natis regis dum colit ille bonas.
Indole magnanimà jam Patrem æquabat, Avumq;
Quos celebrat ſummos Saxonis ora duces.
Auguſtus fieri hæc Fratri monumenta jubebat,
Poſt meſſem undecimam quem tulit atra dies.

Dn. SEVERINO, DVCI SAXONIÆ, AD HENRICI PATRIS, ET ALBERTI AVI, VIRTVTEM, INDOLE PIETATIS, AC MAGNANIMITAS ASPIRANTI, PATRIÆ IN SPE SVMMA EREPTO, Dn. AVGVSTVS FRATER, P.C. TOTI GENTI SAXONIÆ LVCTVM, LIBERIS REGIIS, QVIBVS CVM EDVCABATVR, DESIDERIVM RELIQVIT. VIXIT VLTRA ANNVM XI. MENSEM I. DIES XIII.

Exta ejus OENIPONTI in templo divo JACOBO dicato conduntur. Quid verò paulò ante mortem optimus hic princeps locutus ſit, his verſibus VRSINVS Velinus ſcripſit.

Nuper cum Iuvenum ter formoſiſſimus unus,
Saxoniæ Princeps, dignus honore DEI,
Oppeteret mortem, & fati obſequeretur acerbo
Imperio, loquitur talià verba pius:
Omnia qui fecit, DEVS, & nunc facta gubernat,
Solus habens vitæ jura necisq; Pater:
Iſte, vel exerto digito quencunq; vocârit,
Regibus ex ipſis, Cæſaribusq; ſacris.
Promptè huic parendum eſt, occurrendumq; vocanti:
Nemo, poteſt nutus effugere hujus, homo.
Quippe nihil, cunctis æquus diſcriminat: inter
Mortales pariter: Cræſus, & Irus erant.

In STAMSIANO cœnobio Ciſterrienſi, ubi hic princeps conditus eſt, tumulos etiam ſuos habere dicuntur, SIGISMVNDVS, Auſtriæ Dux. & MARIA BLANCA Mediolanenſis. Imp. MAXIMILIANI uxor.

MAVRI-

MAVRICIVS ELECTOR.

Mauricius Elector Saxoniæ.



MAVRICIVS, HENRICI maximus natu filius, Naſcitur FRIBERGI, XII. Calend. Aprillis, horâ IX. poſt meridiem, anno ſupra milleſimum quingenteſimum primo & vigeſimo. In aulâ JOHANNIS FRIDERICI I. Electoris, agnati ſui, educatus. *Natus 1521. 21. Martij.*

Vxor eius fuit AGNES, PHILIPPI Landgravij Haſsiæ filia, è quâ ALBERTVM in infantiâ extinctum, & ANNAM, GVILIELMO Naſſavio, Principi VRANIAE nuptam, MAVRICII, Comitis Naſsavienſis matrem, ſuſcipit. *Vxor. Liberi.*

Princeps

Salam: GRIMMANVM ad Muldam, in quibus pueri in pietate ſincera, literis elegantioribus, & tribus linguis inſtituuntur. *Mauricius Elector Saxoniæ.*

Ludus illuſtris MISENAE apertus eſt, V. Non. Iulij, cui dicatum cœnobium AFRANVM, collegium olim Monachorum canonicorum irregularium, anno ſupra milleſimum, ſexageſimo à REINERO, Miſnenſi Præſule, ſeptimo in ordine, exædificatum, & D. AFRAE ſacrum, ac à NICOLAO II. Pontifice Romano confirmatum, anno ſeſsionis ejus ſecundo, temporibus HENRICI. IV. Imp. & regni eius quarto. Idem cœnobium anno ſupra milleſimum centeſimum, nonageſimo, auctum reditibus ex liberalitate DITERICI. II. Præſulis Miſnenſis vigeſimi, & decimi à BENNONE, e nobili gente Saxonica Comitum VVOLDENBVRGIORVM oriundo. *Ludus Miſnenſis 3. Iulij apertus.*

Hoc in cœnobio anno ſupra milleſimum ducenteſimum, ſexageſimo tertio, ut & hoc addamus, vixit quidam Præpoſitus pius & doctus, deq; ſalute æterna animæ ſuæ admodum ſollicitus: Hic accerſitum ad ſe Canonicum quendam juvenem ſui ordinis, eruditum ac bonum, rogat, ut ſibi in agone mortis conſtituto, iſta tria ſubſequentia potiſsimum capita in memoriam revocet, ac monendo inculcet: Primum, ſudorem CHRISTI ſanguineum, in anguſtia ſui pectoris copioſè effuſum, ne videlicet peccatorum ſuorum multitudine, in ſuo angore obruatur. Alterum, omnes dolores & acerbitates, quas CHRISTVS in cruce ſuſtinuerit, ne rigorem pœnasq; delictorum, in ſua infirmitate ſentiat. Poſtremum & ultimum, ut de verbis à CHRISTO in cruce pronunciatis, quibus pro crucifigentibus ſe deprecatus ſit, & latroni paradyſum promiſerit, eum commonefaciat, ne ſpiritu deficiat, ſed, ut CHRISTVS eum oculis miſericordiæ reſpicere, & in cœlum gratuitò recipere dignetur: Suis enim meritis ſe ſalvari poſſe proteſtatur. *Præpoſitus pius & doctus.*

Hæc non ſolùm Canonicus ille juvenis, ſe facturum pollicetur, verùm etiam multis deindè pijs hominibus refert, ubi viderat, tanta ſuum optimum præceptorem, Præpoſitum cœnobij, alacritate, ſuam exhalare animam. Qui mos conſolandi in pluribus poſtea locis, DEI beneficio in medijs etiam tenebris papatus, apud morientes non ſine fructu magno, & ſalute animam agentium, ſervatus eſt.

Hoc autem cœnobium ædificijs planè novis à MAVRICIO Electore ſplendidè eſt exornatum.

PORTENSIS verò ludus Cal. Novembris, die nimirum omnium Sanctorum ſuum cepit initium, in quem etiam eo ipſo die, primus puer tranſmiſſus eſt, cui attributum cœnobium illud, ampliſsimis ornatum reditibus, Monachorum Ciſtertienſium, primò omnium virginibus veſtalibus à BRVNONE Comite Pleiſſenſi & Smolenſi, unde SMOLENSE cognominatum, anno ſupra milleſimum centeſimum, vigeſimo ſeptimo, fundatore iſtius primo, dicatum, poſteà verò propter earundem vitam diſſolutam, impuramque monachis Ciſtertienſibus attributam. Hoc autem monaſterium idem BRVNO, tandem inſtinctu VVILLAE uxoris, permiſſuq; VDONIS, Numburgenſis Præſulis, anno ſupra milleſimum centeſimum, quadrageſimo, ad SALAM transfert, & PORTAM, quaſi diceres januam cœli, ſalutisq; æternæ, appellari facit, quod tamen antea ad SPROTTAM fluvium fuerat ſitam. SMOLA enim oppidum ſuum ſumſit incrementum ex æde beatę Virginis, ad quam non minorem fuiſſe concurſum, quàm ad AQVISGRANENSEM, refert Sarctorius. *Ludus Portenſis 1. Novembr. apertus.*

Mauritius Elector Saxoniæ. GRIMANVS ad MVLDAM è cœnobio Prædicantium fuit Monachorum, ordinis D. AVGVSTINI, ædificijs, ſylvis & bonis multis locupletiſsimo, ad pios uſus à MAVRICIO hoc electore translato conſtitutus. Ideò *Ludus Grimanus. Apertus tandem 1550. 24. Septebr.* autem eo in loco apertus, & Ludus iſte, qui primùm fuit MERSBVRGI, eò anno demum ſupra milleſimum quingenteſimum quinquageſimo, XVIII. Calend. Octobris, translatus, & ibi eo nimirum conſilio ac ratione apertus, ut quemadmodum reliqui duo ad Ducatum Saxonicum pertinerent: Ita in Electorali quoq; ditione, quoddam eſſet puerorum receptaculum, quò ex urbibus ejuſdem ditionis mitterentur, & in artibus & pietate, linguisq; ritè inſtituerentur, antequam in Academias, tanquam ad uberiorem ingenij cultum transferentur, & ſtipendijs ex liberalitate Electoris ornarentur. Adjunctum autem ei eſt amœniſsimo, ac eodem quoque in loco ſitum, cœnobium NIMITSCHIVM.

His actis, CAROLO V. Imp. bellum, menſe Octobri in GALLIAM transferenti, & LANDRESIVM obſidenti, voluntariè militat, quo facto ſingularem ejus ſibi benevolentiam & favorem conciliat.

1544. Bella Galliæ. Non minus fortiſsimi quoque Ducis officium, ad Divum VICTORINVM, altero anno exequitur, eo in bello, quod Menſe JVLIO Imperator poſtremum cum Rege GALLIAE FRANCISCO I. geſsit recuperatis LVZENBVRGO, & alijs quibusdam GALLIAE civitatibus.

Quantò verò inter bellicos tumultus, qui ſubindè ſingulis annis renovabantur, flagârit ſtudio conſervandæ religionis veræ & ſinceræ, licet multis aliter viſum ſit, vel inde maximè apparet, quod ſicut ſuperius de Academijs conſervandis atq; augendis, deq; Scholis provincialibus aperiendis dicebamus. Ita *1545. 16. Febr. Conſiſtoriũ Miſnenſe.* initiò anni quinti & quadrageſimi, ſupra milleſimum quingenteſimum, XIV. Calend. Martij, rationibus juſtis & neceſſarijs impellentibus, MISENAE inſtituit Judicium Eccleſiaſticum, HENRICO à Brunau Weſenſtenenſi, Præſidente, VVENCESLAO Neumanno, Jureconſulto, JOHANNE Rivio, & LAVRENTIO Schrotero, Aſſeſſoribus conſtitutis. Jis cauſæ matrimoniales, controverſiæ Eccleſiaſticæ, judicium de doctrina & ſacramentis, cognitio de hæreſibus, examinatio paſtorum, eorundem confirmatio & rejectio, cenſura de eorum vitâ & moribus, principis gravi & ſevero mandato tradita atq; commiſſa ſunt.

Bellum Saxonicum. Sub finem hujus anni tumultum Saxonicum, in quo HENRICVS Dux Brunſuigius, cum CAROLO VICTORE filio, adverſarijs, Electori Saxoniæ JOHANNI FRIDERICO I. & PHILIPPO Landgravio Haſſiæ, ſeſe dedidit, ſuo dirimit arbitrio, id quod factum eſt XIII. Calend. *1547. BellumGermanicum.* Novembris.

Contra confœderatos SMALCALDICOS cum bellum Jmperator *24. Aprilis Ioh. Fridericus 1. Elector capitur.* grave anno ſupra milleſimum quingenteſimum quadrageſimo ſeptimo, excitaret, partes ſequi cæſarianas exiſtimavit tutiſsimum, neq; ſuo deceptus judicio eſt. Victo enim VII. Calendarum Maij ad MVLBERGVM JOHANNE *4. Iunij Mauricius inauguratur Electoratui.* FRIDERICO I. Electore, à CAROLO V. Jmp. pridie Non. Junij in caſtris ad VVITTEBERGAM Elector declaratur.

Ordinibus igitur paulò pòſt provinciarum ſuarum, & præter hos GEORGIO Anhaldino, Theologis Wittebergenſibus, aliarumq;, Eccleſiarum pa- *Conventus Lipſienſis 15. Iulij.* ſtoribus, & doctoribus, LIPSIAM, Jdibus Julij, convocatis, oratione gravè eos curat compellandos. Scire Proceres & Sacerdotes, gravi bello univerſam GERMANIAM hactenus concuſſam, & in gravi periculo cum religionis ſincerioris & libertatis patriæ diſpendio verſatam fuiſſe, ſeq; non temeritate partes

Jmperatoris

Imperatoris ſecutum, ſed neceſsitate & officio. Neceſſariò providendum fuiſ- ſe, cum eſſent, qui dulciſsimam patriam, poſſeſsionesq;, quas cum Agnato ſuo, JOHANNE FRIDERICO I. habuiſſet, vel neceſsitudine ſucceſsionis, vel propinquitate ditionum communes, dolo ad ſe transferre malo, conarentur, ne direptione peſſundatæ, legitimis dominis privarentur, aut omni libertate amiſsâ in alienas manus devenirent. Verùm eâdem iam DEI præpotentis beneficio in tranquillum ſtatum iterum conſtitutâ, clementiſsimam voluntatem, & ſtudium ſuum omne, conſervandæ imprimis veræ religionis, ſe illis offerre, & flagitare, ut omnia, quæ ad ſalutarem Reipublicæ, Eccleſiarum, & Scholarum, bello turbatarum, adminiſtrationem inſtaurandam, & ornandam pertinerent, liberè admoneant: Facturum ſeſe eſſe omnia, quæ laudabili & Chriſtiano principe digna videantur, quæq; hactenus ſumma fide in aperiendis literarum ludis, & conſtituendo judicio Eccleſiaſtico, ſolius juvandæ religionis puræ gratiâ, licet bello abſens, domi tamen interea per delectos, & fide dignos conſiliarios fecerit, fieriq; curaverit. Mauricius Elector Saxoniæ.

Pro illa clementiſsima declaratione benigniſsimæ voluntatis, & promptiſsimo propagandæ veræ religionis ſtudio, ſummiſsè Ordines, imprimis verò Theologi, gratias agentes, viciſsim fidem, & omne ſuum ſubjectionis & fidelitatis ſtudium promittunt, deq; omnibus ijs, ſicuti juſsi ſunt, ut de duabus Academijs, VVITTEBERGENSI & LIPSICA, bello diſsipatis, in integrum reſtituendis, de viſitandis Eccleſijs, & earum paſtoribus, de horâ certâ diebus Dominicis examini Catechetico deſtinanda, de ſtipendijs pauperum & ſenio confectorum Sacerdotum, deq; executione omnium eorum, quæ mandantur, fideliter admonent, miſeris deniq; Sacerdotibus, qui belli tempore, ſermonibus & verbis quibusdam deliquerunt, clementer ignoſci, omni ſubjectione animi petunt.

Conventu ſoluto, & pacem religioni aliquo modo reſtituta, quæ ad Remp. & ſalutarem adminiſtrationem provinciarum ſpectant, diſponit. Priſtinæ deindè VVITTEBERGENSEM Academiam, juſſu JOHANNIS FRIDERICI I. anno ſuperiori, ob inſtantis obſidionis metum, dimiſſam, integritati reſtituit, conceſsâ omnibus & ſingulis Profeſſoribus, qui in MARCHIÆ oppida tùm pleriq; ſeceſſerant, poteſtate, ut ad priſtinas docendi functiones redirent. Reſtitutio VVitteber- genſis Academiæ in integrum.

Poſtea pontem ſublicium Dresdenſem, Idus Aprilis, mandato eiuſdem JOHANNIS FRIDERICI I. Electoris capti, abruptum, ne Hiſpani milites tranſirent, lapideum fieri curat, id quod ex inſcriptione eiuſdem, talem in modum per Licentiatum MARTINVM Heuſlerum, tùm conſtitutum pontis Magiſtrum factâ, manifeſtum eſt. 13. Aprilis Reparatio pontis Dreſdenſis.

JOHANNE FRIDERICO oppugnante CÆSAREM,
Cum bis decem atq; tres vexaſſet LIPSIAM
Dies, malumq; cuderet TERESINO, 13. Aprilis
Bis quintâ Aprilis, atq; luce tertiâ,
Qui ligneus loci hac erat, tunc abrumpitur pons:
Sed hoſte pòſt ad MOLIBERGVM capto
Die undecimâ atq; deleto exercitu,
Partaq; pace, Dux & heros inclytus MAVRICIVS 24. Aprilis
Virtutis gratiâ creatus, & donatus enſe SAXONVM,
Sic turre, triumphalibus ſic arcubus ornari,
Honor DEI ſit, reſtaurari, & ſic monumentum æternum
Juſſit fieri, &c.

Mauricius Elector Saxoniæ. Miſenenſem quoq;, quem GEORGIVS Recradus, dicti JOHANNIS FRIDERICI Electoris tribunus militum, incenderat, anno ſequenti mandat reparari, id quod hoc exprimitur diſticho, cui numerus anni ineſt.

1548. Reparatio pontis Miſnenſis.

MAVRICIVS princeps, atq; ingens cura Senatus,
Incenſi inſtaurant hoc grave pontis opus.

Confirmatur Elector 24. Febr. in Comitijs Auguſtanis. Hoc quoq; anno MAVRICIVS Elector, inſignia Electoratus in conventu AVGVSTAE Vindelicorum, publico & ſolenni ritu VI. Calend. Martij accipit, quibus in Comitijs bellum ei etiam contra MAGDEBVRGIOS committitur.

His itidem in Comitijs Jmperator rurſus conſilia dirimendarum controverſiarum in THEOLOGIA accedit, & quia ſua moderatione quadam à JVLIO Pflugio, Præſule Numburgano, MICHAELE Heldingo (vulgò ficticio nomine SIDONIO nuncupato) Moguntino Suffraganeo, poſteà verò ab Jmperatore ejus rei gratia deſignato Præſule Martiſpurgenſi, ac JOHANNE Jslebio, Electoris Brandeburgici Concionatore aulico, Librum conſcribi curaverat, INTERIM aliàs nominatum, continentem articulos de doctrinâ, & ritibus Eccleſiaſticis, usq; ad concilium uſurpandis, Idibus Maij eundem publicat, quem ab utraq; parte recipiendum dicebant: Verùm, cum eundem Pontificij recipere nollent, eorum conſtantia collaudata, proteſtantibus Principibus, civitatibus, atq; ordinibus, Jmperator obtrudit.

INTERIM divulgatio. 15. Maij.

Hujus autem publicationem varia, Confeſsionem AVGVSTAE anno trigeſimo ſupra milleſimum quingenteſimum Jmperatori exhibitam, amplectentium conſilia, & actiones ſequuntur, quæ deinde plurimorum motuum, diſtractionum & litium, tàm in Republicâ, quàm in Eccleſiâ, anſam præbuerunt.

Jnterea autem temporis, dum à ſuis MAVRICIVS Elector provincijs abeſt, nonnulli conqueruntur, pontificiam religionem revocari, de quo certior factus, datis literis ad ſuos præfectos & mandatarios talem in modum ſcribit: Se auditione percepiſſe, multos nimia ſollicitudine perſuaſos metuere, ne veteres Pontificiorum errores pedetentim reducantur, nec ab hac querela & criminatione prorſus eſſe alienos, aliquot Eccleſiæ miniſtros, & quoſdam alios, rerum novarum cupidiores, quàm par & ſatis ſit, de qua re ſanè doleat. Omnibus autem ordinibus ſuarum ditionum notum eſſe, ſe ante hâc, non ſolùm publicis literis, ac aliàs multoties, verùm etiam in nuperrimo Lipſienſi conventu, coram ipſis vivâ voce declaràſſe, non tàm patriæ libertatem, & incolumitatem ſuam, quâm religionem ipſiſsimam, maximæ ſibi curæ fuiſſe, & adhuc eſſe.

Percupere igitur, & flagitare ſe ab ijs, ut qui vel credulitate quadam præſurpina, vel perſuaſu aliorum præpoſtero immutationem vereantur, metum illum omnem deponant, & his literis & declaratione ſua, fidem omnino certiſsimam adſcribant. Ad eos verò, qui talia ſpargare minimè dubitaverint, quod attinet, non eſſe, quod hi ſibi impunitatem polliceantur, ſi ita pergant. Porrò ex decreto nuper LIPSIAE facto, extractam eſſe quandam formam, quam in docendo ſequantur.

Cognoſcant igitur, & inquirant, utrum Eccleſiæ miniſtri illam exequantur, an verò pro concione repræhendant.

Quicquid erit ſibi referri, & ſi quæ naſcantur dubia, Theologos VVittebergenſes & Lipſienſes adiri. Et hæc populo denunciari jubet.

Eas igitur literas Præfecti non ſolùm publicè populo prælegunt, verùm etiam eaſdem Theologis utriusq; Academiæ legendas exhibent, omniaq; de voluntate

luntate Principis ſui, communicato cum dictis Theologis conſilio, exequentes diligenter conſtituunt. *Mauricius Elector Saxoniæ.*

Anno ſupra milleſimum, quingenteſimum, quinquageſimo, VII. Calendarum Auguſti, Jmperator CAROLVS V. Comitia AVGVSTAM rurſus indicta inchoat, ad quæ MAVRICIVS Elector, quamvis crebrò ab Jmperatore vocatus, accedere recuſat, vel quod Religionis mutationem, & Concilij, quod Jmperator tantoperè urgebat, actiones improbaret, vel quod Jmperatorem ab Electoribus Jmperij, petiturum eſſe noverat, ut filium ſuum PHILIPPVM Hiſpaniarum regem, quem AVGVSTAM eâ de cauſâ ſecum adduxerat, ſucceſſorem ſibi in Jmperio deligerent, Jtaq; bellum Magdeburgenſe prætendens, ad id eò libentius ſe præparat, ut honeſtiore iſto prætextu à deliberationibus illis abeſſe poſſet. *1550. 26. Iulij. Comitia Augustana.*

Re autem in iſtis Comitijs de omnibus, ab Jmperatore propoſitis articulis, deliberatâ, majori parti placuit, potiſſimum perſequendum eſſe concilium Tridentinum. Cui MAVRICIVS contradicens miſſis eò legatis, non aliter ſe iſtud probare dicit, quàm ut res omnis de integro reſumatur, & tractaretur, & AVGVSTANAE Confeſsionis Theologi quoq; audiantur, ac non ſolùm audiantur, verùm etiam ad decidendi poteſtatem adhibeantur, Pontifexq; Romanus ſe quoq; Concilio ſubmittat, neq; Præſidis locum obtineat, inſuper etiam Epiſcopis ſuis & Cardinalibus jusjurandum remittat, quò liberè ſententiam dicant, abſq; eo enim generale Concilium eſſe non poſſe.

Bellum autem contra MAGDEBVRGICOS, de quo diximus, communi ſibi Jmperij nomine & ſumptu demandatum, tandem aggreditur, urbemq; illam celebrem & fortiſsimam, ſub finem huius anni hyeme acerrimâ obſidere incipit. Jnitio ejus obſidionis Werdenſem exercitum, qui metuendus fuerat, ſuâ prudentiâ diſſipat. Famâ rei benè geſtæ in caſtris Magdeburgicis perlatâ, lætícia maxima excitatur, crebris emiſsis, ut in bello fieri ſolet, tormentorum globulis. De diſsipato exercitu verò, cum milites diſcedentes fidem dediſſent, ſe contra Imperatorem, ſociosq; iſtius belli, ſpatio ſex menſium non laturos, quinq; cohortes militum in armis diu exercitatorum & veteranorum ex ijs denuò MAVRICIVS Elector conducit, quibus in fidem ſuam, juramento præſtito, receptis, ſecumq; ductis in caſtra redit. *Bellum Magdeburgicum.*

Reverſus, civitatem non ſolùm terrâ undiq; caſtellis & vallis concludit, verùm etiam ad ALBIM, infra & ſupra urbem, navibus cum tormentis undiquaq; diſpoſitis & collocatis, omnem in eodem fluvio evagandi facultatem civibus adimit.

Non multò pòſt, IOHANNEM quoq; Heideccium Comitem, qui Werdenſi exercitui, unà cum VOLHARDO Mansveldio Comite, præfuerat, ac ab Imperatore, eodem modo, ut Magdeburgenſes, proſcriptus erat, ad ſe traductū, in familiaritatem ſuam intimam admittit, LIPSIÆq; præfectum conſtituit.

Hic HEIDECCIVS, pro eximiâ ſuâ, ac ſingulari erga puriorem religionem fide & conſtantia, proq; ea, qua erga civitatem Magdeburgenſem, ob ſingulare defenſæ ejusdem religionis ſtudium, benevolentiâ, ſuis poſtea moderatis conſilijs Electorem MAVRICIVM perſuadet, & eò adducit, ut pacis tractationem cum MAGDEBVRGICIS æquiore animo admitteret, ſolutaq; obſidione in Imperatorem converteret, ut poſtea dicemus.

Is Secretario ſenatus Magdeburgici HENRICO Merckelio, cum in urbibus maritimis auxilia & pecuniam obſeſſis petere & conficere vellet, ad ſe vocato, indicat, ſe pro ea, qua erga civitatem Magdeburgenſem eſſet affectus animi promptitudine, ſummâ cauſam illorum apud Electorem MAVRICIVM

Mauricius Elector Saxoniæ. fide egiſſe, ideoq; eos bono animo eſſe jubet, & de ſumma Reip: incolumitate, ſalutariq; belli exitu, licet aliquantum temporis adhuc obſidio extrahatur, optima quæq; ſperare, hortaturq; ſimul, ut in ſaliceto, inter caſtellum Cracovienſe, & urbem interjecto, ad colloquium accedant.

1551. 6. Maij. Colloquium Mauricij cum Magdeburgen. Cum MAGDEBVRGENSIBVS itaq; die conſtituta, nimirum pridie Nonarum Maij, ad colloquium accerſitis, MAVRICIVS Elector, Carolovitio, Mordiſio & Secretario intimo, comitatus, in dicto prato urbi vicino congreditur, & præſentibus ex altera parte, JACOBO Gericcio, Conſule, LEVINO Embdio, Syndico, ARNOLDO Hoppio, Senatore, & HENRICO Merckelio, Secretario, per MORDISIVM Cancellarium exponit; Scire eos, MAGDEBVRGENSES multa adverſus ſe, & ſubditos ſuos, proximis annis præteritis, eſſe molitos famoſis libellis plurimis contra ſe editis & ſparſis; Eosdem collegium Archipræſulis occupâſſe: cumq; ex urbe ejectum bonis omnibus ſpoliâſſe: Quibus facinoribus perpetratis in gravem ejus indignationem incurrerint. Attamen ſepoſitis his injurijs omnibus, pro heroica ſua clementia, & bonitate, aliorumq; interceſsionibus, nolle ſe eos, in extremas jam omninò redactos anguſtias, funditus peſſundare, & è medio tollere, modò Jmperatori, & Collegio capituli reconcilientur, & deinceps ſe, ut bonos & obſequentes cives deceat, gerant ac exhibeant obedientes, ac fideles.

Conditiones pacis. Conditiones autem tales illis proponit: Vt ei, nomine Jmperatoris, absq; ulla conditione, ſeſe dedant, ſupplices deprecentur: Jmperij decreta omnia ſervent; Canonicos reſtituant: damna data compenſent: juri ſe ſiſtant: munitiones demoliantur: præſidium recipiant: centum millia aureorum pendant: tormenta tradant: fœdus contra Jmperatorem, & domum AVSTRIACAM nullum faciant.

Reſponſio Magdeburgenſium. Ad hæc civitatis nomine LEVINVS Embdius gravi oratione reſpondet: Ac primùm de deditione faciendâ diſſerit: Se quidem libentiſsimè fidem ac obedientiam ſubiectiſsimam illi, nomine Jmperatoris præſtituros, mōdò illis religio ſalva, & libertas à majoribus accepta, integra permaneat.

Supplicem verò deprecationem, quod ſpectat, quaſi petulanter, & ſine juſta cauſa, tantas hactenus calamitates ſuſtinuerint, ſubjectiſsimè ſe deprecari. Cum enim ſciant, ſe propter veram, puramq; ac apertam, ingenuamq; verbi DEI confeſsionem, & libertatis, à majoribus acceptæ, propugnationem, quâ nullæ juſtiores, æquiores, gravioresq; cauſæ inveniri, excogitariq; poſſent, hæc pericula omnia animo ſanè lubentiſsimo æquiſsimoq; ſuſtinuiſse, non poſſe nec debere ſe contra conſcientiam iam fateri, quod injuſtè, quod iniquè, quod impiè egerint, neq; etiamnum ipſis eſſe integrum, ab iſta ſemel agnita & profeſſa Evangelij puritate & veritate, ſcelerato & temerario modo ita diſcedendi, niſi æternam animarum ſalutem facere jacturam vellent certiſsimam.

Reliquis autem imperatis, utpote, de ſatisfactione damnorum, Canonicis illatorum, de mulcta pecuniaria pendenda, deq; reliquis articulis ſubſcribendis, ſe libenter obtemperaturos eſſe, excepta religione & libertate ſola majorum, promittunt.

Hæc tanta contentione, tantaq; gravitate Embdius peroravit, ut MAVRICIVS Elector, ſumma cum admiratione iſta omnia, non ſolùm auſcultaret, verùm etiam integritatem iſtam viri iſtius fidem, Zelumq; erga veram religionem incredibilem, admiraretur & ſummoperè prædicaret.

Etſi autem re infectâ Elector MAVRICIVS tùm diſcederet, & paulò pòſt menſe Iunio PIRNAM, & poſteà menſe Septembri VVITEBERGAM, legatis Magdeburgenſium evocatis, easdem fermè conditiones proponeret, neq; etiam

Iam Jmperatoris Commiſſarius LAZARVS Schuendius, quo cum illæ neceſſario communicandæ erant, ullas admittere alias vellet, tamen HEIDECCIO intercedente, poſt menſem obſidionis quartum decimum, dat civibus conditiones minimè renuendas, ſacroſanctâ nimirum Religione, & munitione urbis antiquiſsimæ, & mille ac quadringentis annis in libris Hiſtoricis hoc nomine celebratæ ejusdemq; jurisdictione, cæterisq; omnibus privilegijs vetuſtis, integris & illibatis ipſius ope conſervatis. *Mauritius Elector Saxoniæ.*

Tandem igitur MAGDEBVRGICIS militibus præſidiarijs in urbe gratias actis, VII. Jdus Novembris, & captivis circiter ſexcentis, & in his GEORGIO Duce Megapolitano, absq; λύτρῳ liberis dimiſſis, & altero die bis mille peditibus, & centum ac triginta equitibus armatis, rectis vexillis urbe exeuntibus: ac novo præſidiario milite, quinq; ſignis militaribus conſtante, cui præfuit VVOLFGANGVS Tiſtederus: GEORGIVS wachmeiſterus: MELCHIOR Hauſius, & JOHANNES DISCAVIVS, eâdem repletâ, MAVRICIVS Elector, V. Jdus Novembris, urbem intrat juramento ſubjectionis ac fidelitatis à civibus accepto. *Deditio Magdeburgi 7. Novembris.*

GEORGIVS verò Dux Megapolitanus, copias pridie ex urbe MAGDEBVRGO egreſſas, diſsimulato MAVRICII nomine, denuò conducit, ac in TVRINGIAE oppida, vicos & pagos diſpoſitas ibidem hybernare jubet, donec quid opus facto eſſet, edoceantur. Hic fuit exitus belli Madgeburgici, qui æternam & immortalem civitati iſti fortitudinis & conſtantiæ laudem ac gloriam apud exteras nationes peperit inſignem, quod nimirum illa ſola in GERMANIA tùm extiterit, quæ adverſus potentiſſimi, & tot victorijs clari Jmperatoris, ac totius Jmperij arma, religionem & libertatem ſuam fortiter defenderit, & obſidionem annuâ diuturniorem, forti ac excelſo imperterritoq; animo ſuſtinuerit, & tandem DEO ter maximo ſic providente, è ſingulari hujus noſtri Electoris MAVRICII clementiâ, & benignitate, pacem priſtinã ſalvâ religione, & libertate veteri ſartâ tectâq; retentâ, tolerabilibus conditionibus recuperavit. *9. Novemb. Elector urbem intrat recepturus in fidem ſuam cives.*

Compoſitis rebus Saxonicis, de ſocero ſuo liberando MAVRICIVS Elector, curam cogitationemq; omnem ſuſcipit: Cum enim cerneret, quod ſæpè coràm, & per literas ac legatos Jmperatorem eâ de causâ fruſtrà compellâſſet, ac eundem in GERMANIA non ſecus, ac in provinciâ aliquâ bello occupata, pro libitu ſuo agere omnia, nec promiſsis, quibus ſibi, & Marchionibus Brandeburgicis JOHANNI & ALBERTO, & alijs, receperat & caverat, ſe Religionem ipſis integram relicturum, ſtare: Jnſuper etiam à FERDINANDO, Rege Romanorum, ac MAXIMILIANO filio peteretur, ne dignitatem & jus ſucceſsionis in Jmperio, quod legitima ad eum Principum Septemvirorum electione, delatum eſſet, ſuo ſuffragio ad HISPANVM transferri pateretur, jam tum conſilia belli, adverſus Imperatorem ſuſcipiendi, & vi Landgravium, ſocerum ſuum, liberandi, animo ſecum cogitat.

Magis autem eum ſtimulabat cogitatio de tragica tyrannidis Hiſpanicæ deteſtatione, quam etiam Imperator, cum ſuis aſſeclis in liberum GERMANIÆ Imperium, ac Principes Religioni ſinceræ addictos, petulanter exerceret, ac de qua ſæpius edoctus ab HEIDECCIO, intimo conſiliario ſuo, dudũ fuerat, ut ad id totò impetu acceleraret, acceſſit quoq; occaſio de fœdere cũ Rege GALLIÆ ineundo.

Jtaq; principibus bis ad ſe, & quidem primò in domum venatoriam ſaltuum Lochavianorum, deindè TORGAM convocatis quibusdam, JOHANNE & ALBERTO, Marchionibus Brandeburgicis: JOHANNE ALBERTO Megapolitano, & GVILIELMO Haſsiæ Landgravio, quem juſtiſsima indignatio detenti in cuſtodiâ parentis, & ditionis CATTORVM ſibi, ac

Mauricius Elector Saxoniæ. poſteris ereptæ ab Jmperatore, & Naſsavijs Comitibus attributæ: reliquos verò communis patriæ libertatis & religionis ſinceræ defenſio, ſtimulabat; de ineundo inter ſe, & cum GALLO fœdere, ac bello communis GERMANIAE libertatis, ut dixi, & principum captivorum vindicandorum causâ, Jmperatori inferendo, cum illis communicat.

Vt autem juſtiorem cauſam ad id haberent, hic noſter Elector MAVRICIVS & Brandeburgicus, denuò legatos ad Jmperatorem, pro liberatione Landgravij, AVGVSTAM, ubi tùm erat Jmperator, mittunt, ac ut majorem auctoritatem eorum interceſſio ſortiretur, literas interceſſorias ipſius FERDINANDI, regis Romanorum, Jmperatoris fratris, ac ALBERTI, Ducis Bavariæ, nec non legatos Daniæ regis CHRISTIANI III. Jtidem FRIDERICI, Electoris Palatini, VVOLFGANGI Palatini, JOHANNIS, Marchionis Brandeburgici, HENRICI, & Johannis ALBERTI, Ducum Megapolitanorum, CHRISTOPHORI wirtebergici, ERNESTI Marchionis Badenſis, & aliorum, ſuis adjungunt.

Legatis autem, qui tamen ſex totas hebdomadas AVGVSTAE deſederant, ac Jmperatorem AVGVSTA decedentem, OENIPONTEM ſecuti erant, incertum ac dubium reſponſum ab Jmperatore referentibus, MAVRICIVS Elector hic noſter colligit, principes interceſſores, & ſe tantummodò ludificari, nec quicquam pacatis rationibus ab eodem, in cauſa ſoceri ſui, impetrari poſſe, decrevit fidem, ſocero ſanctè datam, ſervare, eumq; armis, vel cum capitis ſui diſpendio liberare. Jnterim verò, ut conſilia ſua, donec tempus anni, rebus gerendis, commodum nanciſceretur, occultaret, Jmperatori ſignificat, ſe ad eum OENIPONTEM venturum, ac legatos TRIDENTVM, ubi Concilium Calend. Septembris, urgente Jmperatore, ſolius Pontificis auſpicio & arbitrio, inſtauratum erat, VII. Jdus Januarij mittit, ut fidem publicam Theologis, ad Concilium acceſſuris, impetrarent, quam quidem, unà cum legatis Principis wirtebergici, & Senatus Argentoratenſis, conſequuntur à Concilio univerſo, ſed non plenario & eodem, ſicut decebat & par erat, modo.

1. Septēbris · *7. Ianuarij.*

Jn primo autem Concilij conſeſſu, Legatus regis GALLIAE, conventum illum, non pro Concilio generali à Rege ſuo haberi, neq; Epiſcopos ſuos ad illum mittere velle, nec decretis illius ſe, aut quenquam ſui regni ſubditum, teneri, oſtendit, deq; eo proteſtatur.

Duo autem Decreta tantum in eo promulgantur, Vnum de Euchariſtia, & corporali in ea CHRISTI præſentia, de tranſſubſtantiatione, cultu & veneratione ejuſdem: Alterum de Pœnitentia, Contritione, Confeſſione, Satisfactione, & extrema unione.

E proteſtantibus verò nemo, niſi CHRISTOPHORI Ducis wirtebergici Theologi, JOHANNES Brencius, & collegæ, acceſſit, qui IX. Calend. Februarij, Confeſſionem Principis ſui deſcriptam exhibent, ac JOHANNES Marbachius, cum JOHANNE Sleudano à Senatu Argentoratenſi iſtuc ablegatus.

24. Ianuarij.

Saxonici autem Theologi, utpote, ERASMVS Sarcerius, & VALENTINVS Pacæus, quibus erat adjunctus PHILIPPVS Melanchthon, in itinere erant ad id acceſſuri; Verùm accepto à MAVRICIO Electore mandato, NORIBERGAE pedem figunt, & ſubſiſtunt, interea, rumore de bellicis motibus divulgato, Concilium illud ſolvitur & diſturbatur.

Elector MAVRICIVS è conventu Torgenſi in caſtra GVILIELMI Landgravij Haſſiæ profectus, cum eo per FRANCIAM & RHETIAM, continen-

continentibus itineribus, AVGVSTAM contendit, quibus JOHANNES ALBERTVS, Dux Megapolitanus, SVERINA cum tribus turmis equitum in itinere, initio Martij, ſe adjungit. *Mauritius Elector Saxoniæ.*

Calendis Aprilis verò AVGVSTAM perveniunt, ac Auguſtanis, die quarto pòſt, ſeſe dedentibus, parcunt, VLMENSIVM agrum diripiunt; Jn aditu deniq; Alpium Rheticarum, ſuperatis, captisq; ERENBERGI montis anguſtijs, metum Jmperatori CAROLO V. incutiunt, ut noctu accenſis funalibus, unà cum fratre FERDINANDO, rege Romanorum, OENIPONTEM relinqueret, & ſe VILLACVM, Carinthiæ oppidum, reciperet. *1. Aprilis* *Studium aſſerendæ libertatis.*

Jn conventu igitur Paſſavienſi, cui omnium ferè GERMANORVM Principum legati interfuerunt, arbitrio regis FERDINANDI liberatus eſt, & fide atq; auctoritate MAVRICII, hujus noſtri Electoris, PHILIPPVS, Landgravius Haſſiæ, & OTHO HENRICVS Palatinus reſtitutus. Dimiſſus etiam è cuſtodiâ JOHANNES FRIDERICVS Saxoniæ Dux & Elector captivus. Data inſuper venia & impunitas eſt alijs tribunis & præfectis, qui contra Jmperatorem militaverant. Summa autem hujus pacificationis hoc in conventu ab Jmperatore, & Rege FERDINANDO, cum Principibus Jmperij confirmatæ & obſignatæ, talis fertur præſcripta.

Forma pacificationis conventus Paſſavienſis.

Nos FERDINANDVS &c. fatemur, cum bellicos motus iſtos in GERMANIA, ex PHILIPPI Landgravij Haſſiæ cuſtodiâ, præcipuam originem & cauſam habuiſſe, intelligeremus, adducti amore & curà ſalutis, & pacis Jmperij publicæ, fratrem noſtrum CAROLVM V. Imp. amanter rogavimus, ut de liberatione Landgravij, & cohærentibus negocijs, quæ cauſam bello præbuiſſent, amicam transactionem inſtituere nobis liceret. Quod cum à CÆSARE impetràſſemus; Nos & filius MAXIMILIANVS, rex Bohemiæ, cum MAVRICIO Saxoniæ, & ALBERTO, Bavariæ Duce, præteritis PASCHÆ diebus, LYNCII convenimus, & poſt varias deliberationes, utile ac neceſſarium judicavimus, alterum Conventum XXVI. Maij, in hâc urbe PASSAVIO inſtituere, & Electores, ac principes Imperij adſcriptos, velut interceſſores, ſimul adhibere. Itaq; nos, & dictus Elector Saxoniæ, & reliquorum quinq; legati, nomine MOGVNTINI: DANIEL Brendel: COLONIENSIS: HENRICVS Saltzburg: TREVERICI: PHILIPPVS à VVinnenberg: PALATINI, FRIDERICI: LVDOVICVS Comes in Konigſtein: IOACHIMI BRANDEBVRGICI: ADAMVS

 Trode:

Mauricius Elector Saxoniæ.

Trode: Deinde ERNESTVS Archiepiſcopus SALTZBVRGENSIS: MAVRICIVS Drycopolitanus: VVOLFGANGVS Paſſavienſis: & ALBERTVS Bavariæ Dux: in propriâ perſonâ. Nomine verò IOHANNIS Brandeburgici: BERTHOLDVS Mandeslo, & ANDREAS Zoch. GVILIELMI Iuliacenſis: GVILIELMVS Keteler: PHILIPPI Pomerani: IACOBVS Zitzevvitz: CHRISTOPHORI Virtebergenſis: THEODORICVS à Pleningen comparuerunt, cum quibus cauſam tractare cæpimus. Ac primùm Electoris Saxoniæ & confœderatorum principum poſtulata & gravamina, duobus ſcriptis expoſita accepimus, & expendimus, & re accuratè deliberatâ, ſequentes articulos, & media pacis, propoſuimus.

Elector Saxoniæ, & fœderati principes, ante XII. Auguſti ab armis diſcedens, & Cæſareæ Majeſtati, ac Jmperio obedientes erunt, copias ſine ullius detrimendo dimittent, vel regi FERDINANDO militare ſinent, urbes Jmperij, & alios ſtatus, quos armis ſibi adjunxerunt, patentibus literis ab obligatione liberent.

PHILIPPVS Landgravius Haſſiæ, conditiones in Salinis Saxonicis ipſi præſcriptas, denuò ratas habebit & perficiet, nec cuſtodiam ſuam ulciſci conabitur, ſed ut obedientem principem decet, deinceps ſe erga Cæſaream Majeſtatem, Nos, & Jmperium geret. Ambo etiam Electores, Saxo & Brandeburgicus, & Palatinus VVOLFGANGVS, obligationem, antea datam, renovabunt, & reginæ MARIAE, vel ipſius præſidenti Machlinenſi, ad VI. Auguſti diem tradi curabunt. His factis Landgravius cuſtodiâ liberabitur, & ad XI. vel XII. Auguſti in arce ſua REINFELS ſiſtetur. Cæſar etiam, militum copias adverſus Saxonem, Haſſium, & ſocios, iam conductas, adverſus eos, qui pacificationem hanc accipient, non convertet, nec in eorum ditiones collocabit. Permittit etiam Cæſarea Majeſtas, ut Landgravius inchoatam urbis CASSELLAE munitionem perficiat.

Executionem quoq; ſententiarum, in controverſia NASSAVIENSI, planè inhibebit, donec liberato Landgravio, amica compoſitio inter partes inſtitui poſſit, vel per utrinq; delectos Electores & principes arbitros, cauſa recognoſcatur, & intra biennium decidatur. Adminiſtrator ordinis Teutocini, & HENRICVS Brunſuicenſis, actiones, occaſione præteriti belli Smalcaldici adverſus Landgravium inſtitutas, vel inſtituendas inhibebunt, donec gravamina, ad publicam Jmperij Rempublicam pertinentia, per MAVRICIVM & Heſſum in hoc conventu propoſita tollantur.

Quod ad Religionem, Pacem & Juſtitiæ adminiſtrationem in Jmperio attinet: Pax religioni, usq; ad proxima Comitia dabitur, in quibus de ratione hoc diſsidium amicè componendi, vel per Concilium generale, aut nationale, vel colloquium, vel communem Jmperij conventum, deliberabitur.

Hunc de Religione Articulum, Rex FERDINANDVS & Electorum ac Principum Legati, in eodem conventu Paſſavienſi, ſcripto peculiari ita declararunt, ut conſtans & perpetua Pax in cauſa Religionis, ſive componatur amicis

amicis rationibus, ſive non componatur, inter Cæſaream & Regiam Majeſtatem, Electores, Principes, & ſtatus Jmperij, ſervetur, & ex conſeſſu Judicij Cameræ, conjuncti Auguſtanæ confeſsioni deinceps non excludantur. *Mauricius Elector Saxoniæ.*

Articuli ad libertatem Germanici Jmperij pertinentes, à MAVRICIO exhibiti in Comitijs expedientur. Ad conſilium verò CAESARIS aulicum, quod Jmperij negocia tractabit, conſiliarios Germanicos Cæſar adhibebit, & Germanica negocia non, niſi per Germanos tractari ſinet, libertatem verò GERMANIAE, patriæ ſuæ, non imminuet, ſed omnibus viribus augere ſtudebit, ac ne MAVRICIVS & fœderati, hos articulos neglectum iri metuat, FERDINANDVS & MAXIMILIANVS ſpondent, ſe unà cum Electoribus & Principibus, primo loco in Comitijs hæc negocia CAESARI propoſituros, ac ut ad exitum deducantur adjuturos eſſe.

Ad GALLIAE regem quod attinet, ex legati illius oratione apparere, quædam ad communem Jmperij pacem, quædam ad ipſum privatim ſpectantia, ab eo poſtulari: Cum autem publicæ pacis in GERMANICO Jmperio, cura ad Cæſaream Majeſtatem, Electores, & Principes pertineat, de privatis ſuis negocijs, per Electorem Saxoniæ ad nos referre poterit, ut CAESARI poſtulata ipſius à nobis exhibeantur.

Qui ob Smalcaldicum bellum à Cæſareâ Majeſtate bonis exuti vel proſcripti ſunt, Palatinus OTHO HENRICVS: VVOLFGANGVS, princeps in Anhald. ALBERTVS Comes Mansveldicus, cum filijs JOHANNE: VOLRADO: & CAROLO: PHILIPPVS Comes ad Rhenum: CHRISTOPHORVS Comes Aldeburgicus: JOHANNES Baro in Heidecc: FRIDERICVS à Reiffenberg: GEORGIVS à Reckenroth: SEBASTIANVS Scherthle, & cæteri, in gratiam Cæſareæ Majeſtatis recipientur, & in poſſeſsiones ac bona ſua reſtituentur, modò deinceps Cæſari, & Jmperio obedientes ſint, & qui in GALLIA militant, intra ſextam hebdomadam ſe declarent, & poſt trimeſtre in GERMANIAM redeant.

Quibus damnum hoc bello datum eſt, nullam eo nomine litem movebunt fœderatis; Omnibus, qui hoc bello adverſus ſe militarunt, Cæſar ignoſcet, etiam ALBERTO Brandeburgico, ſi ab armis decedet, & copias ante diem dictum dimittet.

Jnter HENRICVM, Ducem Brunſuicenſem, & nobiles, bonis & domibus ſuis ab eo exutos, Saxo & Brandeburgicus, Electores, & JOHANNES Brandeburgicus, & PHILIPPVS Pomeranus, velut Commiſſarij Cæſaris, intra trimeſtre amicè tranſigent, & Nobiles, ſalvis actionibus cæteris reſtituent. Jidem Commiſſarij controverſias Ducis HENRICI Brunſuicenſis, cum urbibus BRVNSVIGA, & GOSLARIA, diriment. Sed cum GOSLARIENSIBVS à ſe obſeſſis, Dux HENRICVS paulò antè, pro ſuo arbitrio tranſegerat.

Hæc CAESAR pro ſe, & ſucceſſoribus, & confœderati Principes: MAVRICIVS, Elector Saxoniæ: OTHO HENRICVS, Palatinus: JOHANNES ALBERTVS, Dux Megapolitanus, & GVILIELMVS Landgravius Haſsiæ, pro ſe & hæredibus, & omnibus, qui hoc bello ipſis militarunt, & FERDINANDVS, ac MAXIMILIANVS, Reges, Electores, Principes, Eccleſiaſti, & Politici, pro ſe & ſuis, rata habent, & perpetuò fideliter ſervaturos & defenſuros promittunt. Exempla verò hujus receſſus tria, Regis FERDINANDI & Electorum, Moguntini ac Palatini, Archiepiſcopi Saltzburgenſis, ALBERTI Ducis Bavariæ, & MAVRICII Saxonis ac GVILIELMI Heſsi, manu propriâ ſubſcripta, & appenſis ſigillis confirmata ſunt, quorum unum CAESAREAE Majeſtati, alterum ordinibus Jmperij, tertium Electori Saxoniæ, & ſocijs tradita ſunt.

Actum

Mauricius Elector Saxoniæ. Actum PASSAVII II. Auguſti, Anno Chriſti, milleſimo quingenteſimo, quinquageſimo ſecundo. Regnorum noſtrorum, Romani vigeſimo ſecundo, Cæterorum vigeſimo ſexto.

Imperator, poſt confirmatam PASSAVII pacem è CARINTHIA, OENIPONTEM, & inde AVGVSTAM reverſus, etſi Reipublicæ formam, à ſe ante quadriennium conſtitutam, retineri mallet, tamen Religionis exercitium, tenore hujus Paſſavienſis Pacificationis, & contractus, juxta Confeſsionis AVGVSTANÆ anno milleſimo quingenteſimo, trigeſimo exhibitæ præſcriptum, civibus Imperij liberum, & miniſtros Eccleſiæ, ſuperiori anno ex Imperij finibus proſcriptos, revocari, cogitur permittere.

Pax aurea Germaniæ reſtituta in perpetuum. Pace facta, & FRANCOFVRTI obſidione ſoluta, MAVRICIVS Elector, copijs SOLIMANNI, Turcici Imperatoris in VNGARIA occurrit, eas continet, & inſulam DANVBII munit, unde laudem eximiam, nomenq́; Turcis formidabile eſt adeptus: Neq; ſolùm duobus potentiſsimis MONARCHIS in EVROPA & ASIA, terrori tali ratione fuit, verùm etiam PACEM Religioni perpetuam, libertatem GERMANIAE, patriæ dulciſſimæ, antiquam, & principibus captivis, è diuturna cuſtodia ſolutis, conditionem priſtinam recuperat.

Suſcepto tandem vicinorum patrocinio ALBERTVM, Marchionem Brandeburgicum, igni & ferro ſævientem, adoritur, & cum eo in diæceſi HILDESHEMIA fortiter congreſſus; VI. die TRINITATIS Dominica hora ſecunda pomeridiana, VII. videlicet Jdus Julij, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo tertio, fuſo fugatoq́; eius exercitu, in præfectura PEINENSI, captis hoſtium ſignis militaribus ſexaginta octo, pedeſtribus quinquaginta quatuor, equeſtribus quatuordecim, victoria inſigni potitur. Ipſe tamen bellici tormenti ictu, quem in latere dextro ad ilia acceperat, tertio die pòſt, obijt, anno principatus ſui duodecimo.

1553. 7. Iulij. Pugna calamitoſa.

9. Iulij. Obitus MAVRICII victoris.

In eadem pugna CAROLVS VICTOR, & PHILIPPVS, Duces Brunſuigij, HENRICI filij, & FRIDERICVS, Dux Lunæburgicus, ERNESTI filius, interierunt. Item IOHANNES Schavenbergius, cum octo alijs Comitibus, & magna nobilium multitudine, numerum trecenteſimum fermè attingente. Feruntur autem ex utraq; parte quatuor millia & triginta octo cæſi.

Prodigia. Portenta tantæ calamitatis fuerunt multa: Canum rabies ab mortem uſq; certantium, fremitus in Aëre, ſanguineæ in herbarum folijs guttæ, hominum & equorum illo in campo, in quo conflictus fuit, nocte intempeſta auditi clamores, ejulatus item nocturni in oppidis. In arce BERLINI de ſtatua MAVRICII, nulla vi adhibita, delapſum caput eſt, ipſe quoq; viro cuidam optimo, in domo flagrante, per quietem viſus eſt.

Elogia. Duodecim itaq; clarus expeditionibus, quibus pro ſua incredibili animoſitate, & fortitudine interfuit, immortalem ſibi peperit gloriam.

Duabus in VNGARIA, contra immaniſsimum Chriſtiani nominis hoſtem TVRCAM: Duabus in GALLIA, contra Regem FRANCISCVM I. ad LANDRESIVM & Divum VICTORINVM. Vnà: auxilio veniens ſocero ſuo, Landgravio Haſſiæ, & agnato Electori Saxoniæ, contra HENRICVM Brunſuigium, qua rem, ſine ſanguine effuſo plurimo, ipſe tranſigit. Tribus contra Electorem Saxoniæ, JOHANNEM FRIDERICVM I. agnatum: Prima propter VVVRCINAE oppiduli Iuriſdictionem: Altera ob occupationem ditionum Electoralium, in bello GERMANICO à ſe factam:

ctam: Tertia ob alienationem propriarum ditionum, ab agnato Electore ſibi ereptarum, quarum cauſa opem Jmperatoris, eodem in bello, imploravit, à quo etiam poſtea capto agnato Electore, & exauctorato, dignitate ipſe Electorali donatus eſt. Nona, qua ipſi bellum MAGDEBVRGICVM communi Jmperij nomine commiſſum eſt. Decima, qua exercitum Werdenſem fudit & diſſipavit: Vndecima, qua, caſtro ERENBERGO ſuperato, Jmperatorem, ut OENIPONTEM relinqueret, & Landgravium dimitteret, coëgerat. Duodecima hac, & ultima ſibi calamitoſa, qua ALBERTVM, Marchionem Brandeburgicum, ferro & igne ſævientem, propè arcem PEINAM ad vicum SIFRIDHVSIVM repreſſit, qua eadem in ipſo curſu victoriæ, globo ferreo petitus eſt. Eodē in pago exta eius humata, corpus verò è caſtris FRIBERGVM delatum, in templo MARIANO, juxta patrem conditur, monumento maximè inſigni, in quo eius res geſtæ tabulis duodecim breviſſimè perſcriptæ ſunt. *Mauricius Elector Saxoniæ.*

Arces aliquot ædificavit, vel dirutis antiquis novas fecit, utpote: MAVRICIIBVRGIAM à ſe dictam: RADEBERGIAM: SENFTEBERGIAM: CHEMNICENSEM: TSCHOPENSEM, & ornatiſſimam, & maximam omnium DRESDENSEM.

Si ætatem & animum, factaq; & geſta ſpectes, ſummis & fortiſſimis, non ſolùm majoribus ſuis, HENRICIS ac OTHONIBVS Jmpp. laudatiſſimis, verùm etiam non indignè per omnia ALEXANDRO illi magno, quoad ætatem & gubernationem, comparandus. Et quoniam nihil prætermittendum eſt, quod ad memoriam hujus fortiſſimi & incomparabilis herois celebrandam pertinere videtur, placet hîc quoq; referre Epitaphium, breviſſimis verſibus à parente olim meo, ſtudio veræ pietatis & gratitudinis teſtandæ, conſcriptum:

MAVRICIO VICTORI: DVCI SAXONIÆ SEPTEMVIRO GERMANIÆ PRINCIPI FORTISS.

MAVRICIVS cecidit, bellax GERMANIA plange,
Amiſſa imperij quanta columna tui?
Jn tua Mars armis cur impie viſcera ſævis?
Ecce tuum cecidit ſæva per arma decus.
MAVRICII tumulum cernens GERMANIA plange,
Pectore magnanimo non habiturn parem.

In perpetuam verò ejus, geſtorumq; memoriam, quotannis LIPSIÆ, ad V. Idus Quintilis, quo die ex hac mortali deceſſit vita, laudes adhuc illius anniverſaria parentatione, ſolenni in conventu à totius Academiæ civibus, ſumma cum gratiarum actione, ob ſumma ejuſdem beneficia, quibus ille in vita ſuperſtes, non ſolùm dulciſſimam patriam Germaniam, in recuperanda ejus libertate antiquiſſima, & Principibus aliquot ab Imperatore CAROLO V. captis conditione priſtina, verùm etiam pace Religionis veriſſimæ & certiſſimæ perpetua confirmandâ, affecerit, non immeritò celebrantur & recoluntur. *9. Iulij.*

ALBERTVS.

ALBERTVS, filius MAVRICII Electoris, unicus, Naſcitur DRESDÆ, IV. Calend. Decembris, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo quinto. Infans quatuor Menſium & dierum XV. Obijt inſequenti anno, pridie Idus Aprilis, in patrio monumento FRIBERGI ſepultus, glorioſam in die noviſſimo reſurrectionem cum omnibus electis ad vitam æternam expectat: Vt & ſoror eius ANNA, anno ſupra milleſimum quingenteſimum ſexageſimo primo IV. Id. Auguſti juncta GVILIELMO Naſſovio, VRANIÆ principi, quæ anno deinde ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo ſeptimo, DRESDÆ quoq; XV. Calendarum Ianuarij, piè in CHRISTO ſervatore diem ſuum obijt. MISENÆ ſepulta in Baſilica arcis, prope ſacellum, quod GEORGIVS Saxoniæ Dux, occupato loco ſepulcrorum priſtino, ſibi & uxori extrui curavit. *Natus 1545. 28. Novembr. Denatus 1546. 12. Aprilis 1561. 10. Aug. Mortua 1577. 18. Decemb.*

AVGV-

AVGVSTVS I. ELECTOR.



Natus 1526. 31. Iulij. AVGVSTVS I. tertius HENRICI filius. Naſcitur Fribergi pridiè Calendarum Auguſti, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, vigeſimo ſexto, horâ quintâ ante meridianâ. Vxores. Vxores ejus I. Anna CHRISTIANI III. Regis DANIAE filia, Liberi. è qua in conjugio triginta octo annorum concordiſſimo, quindecim libros genuit, Filios novem: JOHANNEM HENRICVM: ALEXANDRVM: MAGNVM: JOACHIMVM: HECTOREM: CHRISTIANVM I. AVGVSTVM II. ADOLPHVM: FRIDERICVM: Filias verò ſex: LEONORAM, annis infantiæ, bimulam nimirum extinctam:

extinctam: ELISABETHAM, IOHANNI CASIMIRO, principi Pala- *Auguſtus I. Elector Saxoniæ.*
tino Rheni, nuptam: MARIAM, in infantiâ quadrimam fermè mortuam:
DOROTHEAM, HENRICO JVLIO, Duci Brunſuigio & Lunæbur-
gio elocatam: ANNAM, uxorem JOHANNIS CASIMIRI, Ducis Sa-
xoniæ: AEMILIAM, eodem, quo fuerat nata anno denatam. II. AGNES
HEDVIGIS, IOACHIMI ERNESTI, principis Anhaldini filia, quam æ-
tate ingraveſcente, & paucis ante obitum hebdomadibus duxit, quæ, nullâ ſus-
ceptâ prole, poſteâ nupſit IOHANNI, Duci HOLSATIÆ.

Fuit princeps omni integritatis, gravitatis, rectitudinis, ſapientiæ, maxi- *Virtutes.*
miq; ingenij, & ſingularium virtutum laude eminentiſsimus, quæ omnes ab
annis ſtatim teneris in eo vel maximè enituerunt.

Jngenio valuit tantoperè, ut exemplo OTHONVM Jmperatorum, *Acumen*
jam ætate corroboratâ, lingvam latinam diſceret, & quocunq; eum aut animi, *ingenij.*
aut ingenij impetus ferret, id naturæ bonitate & aſſiduitate intentionis, facili-
mo conſequeretur negocio, conatuq; expedito. Parentis ſui, principis optimi, *Omina.*
de ſe judicia & vaticinia habet magnifica.

Jn aulâ regiâ FERDINANDI adoleſcens PRAGAE verſatur. *Tirocinia.*
CAROLO V. Jmperatori in GALLIA militat, cum ipſe, & frater MAV-
RICIVS, caſtra haberent ad fanum DESIDERII, victoriamq; ad Divum
VICTORINVM, ſuperato FRANCISCO I. rege, aſsequerentur inſignem, *1544.*
id quod factum eſt anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo
quarto. *Admini-*

Eodem anno MERSBVRGENSEM diœceſin, defuncto SIGIS- *ſtrator*
MVNDO Lindenavio, adminiſtrandam ſuſcipit, inſpectionem verò Eccleſi- *Marts-burgenſis.*
aſticam coadjutori ſuo, GEORGIO Anhaldino, principi pio & docto, lu-
bens volensq; permittit.

Eandem quadriennio pòſt, ductâ regiâ uxore ANNA, CHRISTI- *Reſignatio*
ANI III. DANIAE regis filiâ, cum quâ TORGAE IV. Jdus Octobris nu- *præſulatus.*
ptias celebrat, collegio reſignat, cui poſteà anno ſequenti MICHAEL Hel- *1548. 12. Octobr.*
dingus, quem Sidonium vulgò appellitabant, ſuffraganeus Moguntinus, à *Nuptiæ*
CAROLO V. Jmp. conſtitutus, ſuccedit, ſed non niſi certis quibusdam *ejus*
conditionibus à collegio in poſſeſſionem recipitur.

Jdem caſtra fratris MAVRICII in GERMINICO bello annis inſe-
quentibus ſecutus, non ſolum honeſtos in illo ordines ducit, verum etiam for-
titudinis & clementiæ particeps eſt.

Jn Comitijs AVGVSTANIS hoc anno inſtitutis, cum publico & ſo- *Comitia*
lenni ritu frater eius MAVRICIVS, VI. Calend: Martij Electoratui inau- *Auguſtana 24. Feb.*
guraretur, ipſius abſentis nomine, JOHANNES HOIERVS, Comes Manſ-
veldius, ad vexillum in ſolenni pompá manum admovit.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, primo & quinquageſimo, *1551.*
pridie Non: Octobris, VVOLCHENSTENII naſcitur LEONORA, fi- *6. Octobr.*
lia eius prima. *Nata filia*

Anno verò ſequente IV. Calendarum Decembris in has auras vitales edi- *ejus prima LEONORA.*
tur ELISABETHA, eâdem in arce, filia eius altera, quæ deinde nupſit
JOHANNI CASIMIRO Palatino Rheni. *1552.*

Cum abeſset in DANIA, fratre eius, anno ſupra milleſimum quingen- *28. Novemb. Nata altera eius filia.*
teſimum, tertio & quinquageſimo, in armis defuncto, veneratio nominis i-
pſius tanta extitit, ut & exercitum & populos, donec rediret, in officio contine- *1553.*
ret. Ad adventum verò è DANIA ſuum, quem continentibus itineribus, *Confirmatio feudorum.*
unà cum conjuge regiâ, maturabat, non tàm adeundæ poſſeſſionis hære-

 ditariæ,

Auguſtus I. Elector Saxoniæ. ditariæ, fratre illuſtriſsimo & fortiſsimo ſine maſculo hærede mortuo, & ſibi ſuisq; poſteris univerſis, à CAROLO V. Jmp. cum omnibus privilegijs ac beneficijs, quibus frater gaviſus erat, confirmandæ, inſignibusq; Electoratus, unà in ſe antea cum fratre ſuperioribus annis, uti diximus collatis, ratis habendis, quàm pacis & tranquillitatis ſuis ſubditis reſtituendæ, totiusq; adeò ditionis in priſtinum libertatis ſtatum aſſerendæ, omnem animi impetum cogitationesq; ſuas convertit.

24. Septeb. Obitus primæ filiæ. Rebus omnibus autem in tranquillum redactis ſtatum, IX. Calend. Septembris, obijt filia ejus prima LEONORA, cum vixiſſet Annos II. Menſ. VIII. Dies XIII.

Transactio cum agnato Ioh. Friderico. 1555. Renovatio fœderis hereditary. Poſtea cum agnato ſuo JOHANNE FRIDERICO I. Electore captivo, è quinquennali cuſtodia, divino auxilio, & gratia Jmperatoris, dimiſſo, & libertati penitus reſtituto, NVMBVRGI pluribus de rebus tranſigit, eoq; defuncto, cum filijs ejus, altero mox anno inſequenti eodem in loco congreſſus, iſtam tranſactionem cum parente eorum factam, renovat, fœderisq; hæreditarij de ſucceſsione, mutuaq; benevolentia & defenſione contra hoſtes, bellis ſuperiorum temporum continuis, interrupti, de integro confirmandi, ipſis utpote gentilibus & agnatis, auctor graviſsimus exiſtit. Deinde cum Domibus BRANDEBVRGICA, & HASSICA, eadem de re eodem in conventu paciſcitur.

Comitia Auguſtana. Jn Comitijs eodem anno AVGVSTAM indictis, ad quæ tamen domi nondum omnibus ſatis tranquillitati reſtitutis non acceſsit, per legatos pacem Religioni in conventu PASSAVIENSI, à FERDINANDO rege, & interceſſoribus promiſſam, publico decreto Jmperij ſanciri flagitat & impetrat.

1558. Comitia Francofurtenſia. Electio FERDINANDI Imp. Ad Comitia verò FRANCOFVRTVM ad Mænum menſe Februario indicta trienniò pòſt, ipſe accedit, & FERDINANDO, Jmperatori Romanorum creando, reſignatione Jmperij à CAROLO V. fratre ejus, ante biennium Electoribus facta, intereſt, eumq; unà cum reliquis Septemviris & Principibus Jmperij, Regem ſalutat, reliquaq;, quæ ad pacem, Religionis & tranquillitatem patriæ ſpectant, cum ipſis diſponit.

Tumultus contra Præſulem Miſnenſem. Domi motus ſeditioſos à JOHANNE Carolovicio contra Præſulem Miſnenſem, JOHANNEM IX. de gente HAVGBITIA, excitatos reprimit, Præſulem ditione exutum reſtituit, & diæceſin STOLPENSEM cum MVLBERGIA, utpote Præſuli viciniorem & commodiorem, commutat, reliqua ditione eidem integra relicta.

Monetariam quoq; officinam ANNEBERGO menſe Junio DRESDAM transfert.

Refectio turrium arcis VVitebergenſis. Σύνοψις quædam hiſtoriæ de Electoribus Saxoniæ inſcribitur. Ejus porrò mandato turres VVittebergenſis arcis, hoc eodem anno inſtaurantur, in quarum epiſtylijs enarratio ſubſequens mutationum harum regionum his & ſuperioribus temporibus inſtitutarum à Dn. PHILIPPO Melanchthone conſcripta, imponitur, quam è verſione germanica, nobiliſsimo, & rei militaris peritiſsimo viro, ADRIANO Steinbergio communicata deſcriptam, hoc loco memoriæ causâ addere libuit.

Niſi Dominus cuſtodierit civitatem,
Fruſtra vigilaturus eſt, qui cuſtodit eam.

Jdeoq; imo ex corde precamur omnipotentem DEVM, æternum Patrem Domini

Domini noſtri JESV CHRISTI, qui cum filio ſibi ὁμοουσίῳ & omnipotente cumq; Sancto Spiritu, cælum, terras, homines, & totam hanc mundi machinam è nihilo condidit, ſibiq; adhuc æternam in genere humano colligit Eccleſiam, cujus etiamnum Politicum in mundo conſervat ſtatum, ut & noſtros Principes clementiſsimos, harum iam terrarum Dominos, unà cum ſubditis regat & tueatur, omnesq; civitates, pagos & vicos harum ditionum protegat, cuſtodiat, moderetur, gubernet. *Auguſtus Elector Saxoniæ.*

Turribus autem, impenſis illuſtriſsimi Principis ac Domini, Dn. AVGVSTI Electoris Saxoniæ redintegratis, hæ enarrationes de viciſsitudinibus ac mutationibus harum regionum, epiſtylijs turrium arcis ſimul impoſitæ ſunt.

Et ne poſteris noſtris ignotum ſit, ubi, & quo in loco VVITTEBERGA urbs ſita ſit: veteres eandem in ALBI fluvio ſupra MAGDEBVRGVM conditam, exiſtere XXX. gradibus in longitudine, & XXX. minutijs: in latitudine verò LI. & LIV. minutijs, memoriæ prodiderunt.

An verò à VVITECHINDO ea extructa ſit, ignoramus, & affirmare minimè poſſumus: Nullam enim antiquiorem Hiſtoriam illa ipſa habemus, quæ ea ſuperet tempora, quibus FRIDERICO I. Leone, HENRICI I. Superbi filio, Duce Saxoniæ, ab Electoratu Saxonico abdicato, BERNHARDO Anhaldino ea dignitas, & VVITEBERGA urbs, unà cum alijs civitatibus, inter MISNIAM & Marchionatum BRANDEBVRGICVM ſitis, tota ceſsit. Poſtea etiam ab eodem Jmp. FRIDERICO partem quandam ditionis, non procul ab HAMBVRGO diſtantem, unà cum dignitate & urbibus Electoratus Saxonici idem BERNHARDVS Anhaldinus accepit. Jd quod omne factum eſt, anno CHRISTI milleſimo centeſimo, octuageſimo. Poſt illa tempora Electores & Duces Saxoniæ omnes, ſedem aulæ ſuæ VVITTEBERGAE frequentarunt, multiq; itidem ab hoc BERNHARDO Anhaldino, poſtea oriundi Electores, unà cum conjugibus, eorumq; liberis, tàm maſculis quàm fœmellis, tumulos hàc in urbe ſuos habuerunt, quorum nomina in epitaphiorum inſcriptione reperimus, inq; hiſtorijs Principum Anhaldinorum relata inveniuntur, quorum quædam hoc loco ordine recenſebimus, quò omnes iſti hæc audientes & legentes perſpiciant, hanc urbem multis Principibus omni laude vehendis optatiſsimam olim extitiſſe ſedem, majoriq; erga eandem amore & ſtudio incendantur & inflammentur.

Jn monaſterio AVGVSTINIANORVM, vulgò cinericiorum Monachorum, VVITEBERGAE, ſequentes Principes unà cum conjugibus ſuis tumulati ſunt. *Monumenta veterum Electorum Saxoniæ, ac eorundem conjugum.*

HELENA, uxor ALBERTI, Ducis & Electoris Saxoniæ, filia OTHONIS Brunſuigij, & dicti Monaſterij fundatis, obijt anno ſupra milleſimum ducenteſimum ſeptuageſimo tertio, in choro medio tumulata. Maritus ejus Elector Saxoniæ, tempore FRIDERICI III. Jmp. Dux exercitus fuit, cum DAMIATA urbs, anno ſupra milleſimum ducenteſimum, decimo nono, in AEGYPTO expugnaretur & occuparetur. Hodiè autem DAMIATA dicitur, quæ olim PELVSIVM fuit. *HELENAE.* 1273. 1219.

ALBERTVS II. primus ALBERTI I. filius, obijt anno ſupra milleſimum ducenteſimum, nonageſimo ſeptimo, hoc in monaſterio conditus. *ALBERTI.* 1297.

Vxor ejus ANNA, filia RVDOLFI Jmp. poſtea obijs, anno ſupra milleſimum trecenteſimum, duodecimo, in choro medio tumulata. 1317. *ANNAE.*

Huic ALBERTO II. Electori, ſocer ejus RVDOLFVS Jmp. PALATINATVM & Marchionatum BREHNAM concedit: verùm prope ACKENAM ad ALBIM fluvium à MAGDEBVRGIIS profligatur & ſuperatus.

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

RVDOLFI I. RVDOLFVS I. ALBERTI II. filius, natus è filia RVDOLFI Imp. HAGNE, Magdeburgenſes viciſsim apud BORCHAVIAM ſuperat & fundit. Hujus uxor Iutta, Marchionis OTHONIS Longi filia, mater quatuor filiorum: ALBERTI: OTHONIS: IOHANNIS: & RVDOLFI: Obijt anno ſupra milleſimum trecenteſimum, vigeſimo ſeptimo, 1327. tumulata in choro verſus meridiem.

RVDOLFI II. RVDOLFVS II. Elector Saxoniæ CAROAVM IV. Imp. eligit contra LVDOFICVM Bavarum, poſtea ad PHILIPPVM, Regem GALLIAE ſe conferens, numeroſum ei exercitum contra EDVARDVM, Regem ANGLIAE educit, quo tempore exercitus Regis GALLIAE magna pugna ſuperatur. Ea in acie cadit etiam JOHANNES Rex Bohemiæ, qui magnas copias Regi GALLIAE quoq; adduxerat.

Eo tempore ab ANGLIS urbs CALISO expugnatur & occupatur. Dictus autem RVDOLFVS corona ſpinea à Rege donatur, quam particulam quandam de coronâ ſpineâ, capiti CHRISTI ſervatoris ignominiæ causâ impoſitâ, putabant tùm temporis fuiſſe, in cujus honorem domum reverſus BASILICAM Wittebergenſem extruit, eiq; eandem aſſignat. Obijt autem hic 1385. RVDOLFVS anno ſupra milleſimum trecenteſimum, octogeſimo quinto.

ANNÆ. ANNA verò, uxor ejus, Landgravij Thuringiæ BALTHASARIS 1395. filia, anno ſupra milleſimum trecenteſimum, nonageſimo quinto, humantur ambo dicto in monaſterio.

VENCESLAI. VENCESLAVS, Dux & Elector Saxoniæ, DVCATVM LVNAEBVRGICVM armis occupat: verùm, in obſidione CELLENSI læthaliter vul- 1402. neratur, quo vulnere etiam extinguitur, anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, ſecundo. Vxor ejus, filia FRANCISCI, Principis PATAVINI, Vi- 1429. carij tùm temporis totius Jmperij Romani, obijt anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, vigeſimo nono, cujus epitaphij inſcriptio marmori precioſo & pulchro inciſa, dicto in collegio AVGVSTINIANORVM inventa eſt.

RVDOLFI III. RVDOLFVS III. Dux & Elector Saxoniæ, VENCESLAI filius, 1419. Antiſtitem Magdeburgenſem PELZIGA & RABENSTENIO exuit, obijt anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, decimo nono.

BARBARÆ. Vxor ejus BARBARA, Principis Lignicenſis & Bregenſis filia, obijt anno ſupra milleſimum quadringenteſimum trigeſimo quinto. Hujus Electoris 1435. filios RVDOLFVM IV. & VENCESLAVM II. vivis adhuc parentibus *Ruina turris.* turris quædam antiquior in arce SCVEINICIA ruina ſua obruit. Horum parens autem RVDOLFVS poſteà à SIGISMVNDO Imp. in BOHEMIAM mittitur, ut nomine Imperij mandet ſeditioſis BOHEMIS, quò ad ſaniorem redeant mentem, & ad pacis revertantur ſtudia, verùm iſto itinere nondum con- *ALBERTI: ultimi in hac familia.* fecto vita fungitur. Poſt obitum igitur ejus, ALBERTVS frater ejus Electoratum Saxoniæ accipit, qui fuit poſtremus & ultimus hac in familia. Vxorem habet filiam Ducis AVRELIAE, Incendio in arce LOCHAVIENSI excitato ita animo conſternatus redditur, ut paulò pòſt animam exhalaret. Obijt autem ſine maſculis hæredibus anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, vi- 1422. geſimo ſecundo, ad latus fratris RVDOLFI III. eodem in monaſterio terræ conditur. Hanc enarrationem hìc inſerere placuit, ut omnes perſpicerent, Duces & Electores SAXONIAE tùm temporis quoq; extitiſſe celebres, licet viribus, & potentia non ita præcelluerint.

1423. *Fridericus I. Bellicoſus creatur Elector Sax.* Anno ſupra milleſimum quadringenteſimum, vigeſimo tertio, dignitas Electoratus Saxonici transfertur ad Marchiones MISNIAE, propterea quod magnas ſuppetias Jmperatori ac ipſi Jmperio Romano ad frænandos ſeditioſos BOHEMOS tùm ferrent.

Eo

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

Eo autem tempore FRIDERICVS I. Bellicoſus univerſam tenuit MISNIAM & TVRINGIAM: Jtaq; SIGISMVNDVS Jmp. cùm propter ejus obſervantiam in ſe, multaq; in ſuos populos merita, tùm propter ſpectatam integritatem, fidem animiq; magnitudinem, ad cæteras ejus ditiones dignitatem Electoralem, cum omnibus civitatibus & pagis ei adjicit, inq; eum confert nomen & titulum Ducis Saxoniæ.

A Friderico III. Sapiente VVitebergâ cultior redditur.

FRIDERICVS III. autem Sapiens, qui tempore MAXIMILIANI I. Jmp. vixit, VVITEBERGAM vel maximè ornat & extollit: Arcem enim ibidem & Templum arci contiguum condit, & pontem ſublicium ſuper ALBIM fluvium ſtruit.

1502. Fundatio Academiæ ibidem.

Poſtea anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſecundo, VNIVERSITATEM ea ipſa in urbe aperit, accerſitis eò profeſſoribus è LIPSIENSI & TVBINGENSI Academijs, ab omni liberali doctrina politiſsimis. Hac in ACADEMIA D. MARTINVS Lutherus Jſlebienſis, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, decimo ſeptimo, propoſitiones aliquas typis evulgat, piè & ſincerè ſcriptas, continentes veram doctrinam de verâ pœnitentiâ & fide, quâ homo in verâ converſione ad DEVM juſtificatur, quibus tetros Papiſtarum & Monachorum errores, quos indulgentijs ſuis, alijsq; idolomanijs, hactenus exercuerant, ſolidè à verbo DEI refutat. Jnde enim hypocriſis, fucus, impoſtura, idololatria, fanaticiq; eorum cultus manifeſtari, è contra verò pura EVANGELII doctrina indies repurgari cæpit, è qua deinde Eccleſiarum Saxonicarum Confeſsio deſumpta, & CAROLO V. Jmp. in Comitijs iſtis magnis AVGVSTANIS, Anno ſupra Milleſimum quingenteſimum, trigeſimo exhibita, adhuc Dei beneficio apud nos viget & extat.

1517. D. Martinus Luther.

Auguſtana Confeſsio.

Hâc autem in Confeſsione latino idiomate donanda PHILIPPVS Melanchthon, natione Brettanus Palatinus, ſicut & alijs libris utilibus aliàs conſcribendis, non tàm ſtrenuam, quam diligentem locat operam. Vnde perſpici poteſt, totum corpus doctrinæ hac in urbe conſtitutum, veram eſſe, & Eccleſiæ Chriſtianæ perutilem ac neceſſariam, ſuſtentamurq; ea ſpe bona, eandem unà cum libris noſtris, DEI opt. max. auxilio, ad poſteros noſtros hac propagari ratione commodè poſſe.

Quamvis autem Pontifex Romanus, unà cum omnibus Cardinalibus & Epiſcopis ſibi adjunctis, CAROLVS item V. Jmperator, multiq; alij Principes, huic agnitæ veritati repugnaverint, & adhuc repugnaturi ſint, attamen maxima pars GERMANIAE, aliarumq; itidem regionum, inq; ijs plurimi viri docti & cordati in defendenda hac Confeſsione Saxonicarum Eccleſiarum conſtantes permanſerunt.

Procul dubio autem certum & verum eſt, Pontificem Maximum, cum ſuis Aſſeclis, CAROLVM V. Jmp. eò adduxiſſe & impuliſſe, ut bellum ijs faceret, qui puram & veram EVANGELII doctrinam hactenus amplexi & confeſſi ſint.

1546. 18. Febr. Obitus Lutheri.

Bellum Germanicum.

Quapropter dictus CAROLVS V. Jmp. anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo ſexto, & eo ipſo anno, quo XII. Calend Martij D. MARTINVS Lutherus vitam hanc caducam cum cœleſti illa & ſempiternâ commutaret, Electorem Saxoniæ JOHANNEM FRIDERICVM I. & PHILIPPVM Haſsiæ Landgravium, proſcribit. Cauſas autem, quibus bellum hoc ortum dicitur, ijs in libris poterunt ij, qui volunt, legere, in quibus bellum hoc integrè perſtringitur. CAROLVS verò Jmp. ne animos Electorum & Principum Imperij, omninò à ſe abalienatos redderet, prætendebat, ſe nullam in Eccleſijs immutationem tùm inſtituturum eſſe.

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

Cùm autem JOHANNES FRIDERICVS I. Dux, & Saxoniæ Elector, ac PHILIPPVS Landgravius Haſsiæ, magnas copias in BAVARIAM ducerent, ut CAROLO Jmp. qui numeroſum ibidem collegerat exercitum, obviam irent, ejusque conatus impedirent, quædam quidem committuntur velitationes: Caſtra enim oppoſita Jmperatoris caſtris per totam æſtatem habebant, verùm ad juſtum prælium nunquam deventum: Nam non videbatur commodum Jmperatori, cum tantis confligere copijs, quarum animi cupidi & accenſi eſſent ad prælium ineundum.

Diſſenſiones inter agnatos Principes.

1547.

Elector Saxoniæ capitur. 24. Aprilis.

Qua de cauſa JOHANNES FRIDERICVS I. Elector Saxoniæ, brumæ ipſius tempore, in MISNIAM redit, & cum bella & contentiones inter agnatos Principes, JOHANNEM FRIDERICVM Electorem, & MAVRICIVM, Ducem Saxoniæ, exoriantur, CAROLVS V. Jmp. ineunte Vere, anni inſequentis, EGRA ſuum exercitum educit, & ad ALBIM fluvium deveniens, prope MVLBERGVM, non procul à TORGA ſitum oppidum, VIII. Calend. Maij, JOHANNEM FRIDERICVM, Electorem Saxoniæ, acie tùm captum, ad ſe deferri curet, quem etiam ad aliquod intervallum temporis, deindè captivum apud ſe retinuit, mox verò in VVITEBERGAM contendit.

VViteberga obſidio.

Divertens autem, una cum fratre, FERDINANDO Rege, multisq; alijs Principibus, in pagum quendam VVittebergenſis Academiæ jurisdictioni addictum, PISTERICVM caſtra ſua ab eo pago metatur usq; ad ALBIM fluvium, poſtulans deditionem urbis, in qua tum receptum ſuum habebat uxor, JOHANNIS FRIDERICI I. Electoris captivi, cum tribus liberis, parens verò extra urbem in caſtris Jmperatoris detinebatur.

Verſantur igitur non tàm parens, quàm liberi, & uxor, magno in periculo, cum VVITTEBERGA vi expugnanda & capienda eſſet. Jtaq; è conſilio nobilitatis, cujus fidei & protectioni uxor Electoris, unà cum liberis tùm commiſſa erat, VVITTEBERGA, urbs Electoratus Saxonici præcipua, Jmperatori deditur, & miles præſidiarius Jmperatoris, in eam X. Calend. Junij recipitur.

VVitteberga deditur Imperatori 23. May.

Mauricius declaratur Elector.

Poſtea Jmp. CAROLVS V. dignitatem Electoratus in MAVRICIVM confert, eiq; VVITEBERGAM, unà cum tota ditione Electorem Saxoniæ ſpectante tradit, JOHANNIS FRIDERICI filijs verò dat certas pacis conditiones.

Jta namq; & tali modo mutatio Electoratus Saxonici, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quadrageſimo ſeptimo, accidit. Verùm, Jmperator admodum circumſpectè & ſapienter egit, quod dignitatem hanc, non omninò à ſtirpe Saxonica ablatam, in alium peregrinum & extraneum Principem transtulerit.

MAVRICIVS, Elector creatus, motibus belli ſedatis, & ſopitis, ſuis ſine tumultu poſtea ſubjectis populis præeſt, ditionemq; ſuam contra hoſtiles impetus ALBERTI Marchionis Brandeburgici, has terras ad ALBIM ſitas, ferro & igne perdere & devaſtare cupientis, præclarè tutatur.

Auguſtus ſuccedit fratri.

MAVRICIO autem Electore hâc vitâ functo, AVGVSTVS frater poſtea in gubernatione, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo tertio, ſuccedit, qui compoſitis omnibus controverſijs cum JOHANNE FRIDERICO, Duce Saxoniæ & Electore veteri, paci & tranquillitati has terras exoptatiſsimæ & priſtinæ reſtituit.

Fæderis hæreditarij renovatio.

Poſtea etiam fœdus hæreditarium inter Principes Saxoniæ, & Marchiones Brandeburgenſes, & Landgravios HASSIAE, renovat, ubi prioribus capitibus hoc additum, ut doctrinam AVGVSTANAE Confeſsionis anno ſupra milleſimum quingenteſimum, trigeſimo, CAROLO V. Jmp. exhibitæ, omnes, in ditionum ſuarum Eccleſijs, in poſterum conſtantes retineant.

In

Jn hunc autem diem uſq; AVGVSTVS Elector Saxoniæ in optima eaq; exoptatiſsima pace ſuos moderatur ſubditos, piam, caſtam, continentemq; vitam agit, DEVM vera invocatione & fide in fiducia filij colit, Eccleſiasq; ac Scholas in omnibus locis ſuæ ditionis rectè conſtituit, diſciplinam conſervat, juſtitiamq; deniq; omnibus æquabilem adminiſtrat, factoq; ipſo ſatis ſuperq; teſtatur, ſe verè amplecti pacem, & tranquillitatem publicam, eamq; velle ſartam tectamq; conſervatam, in GERMANIA, non tàm in privatis, quàm publicis, ad S. Romanum Jmperium ſpectantibus rebus, imprimis verò inter Principes & Electores, omnesq; adeò totius Imperij ordines auctorq; ijsdem gravis extitit, ut cum anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo octavo, frequentes in Comitijs FRANCOFVRDIANIS convenirent, novum Imperatorem FERDINANDVM, reſignata, à CAROLO V. Imp. ejus fratre, dignitate Imperatoria, ſalutarent & confirmarent, ne GERMANIA diſsimilitudine votorum eligendi novum Imperatorem in diverſa rurſus ſtudia diſtraheretur & perturbaretur. *Auguſtus I. Elector Saxoniæ. Encomia & laudes Auguſti Electoris.*

Itaq; æternum DEVM, patrem Domini noſtri IESV CHRISTI conditorem generis humani, Eccleſiæq; ſuæ his in terris, ac ſtatus politici conſervatorem perpetuum, oramus, hunc ut nobis Electorem AVGVSTVM verè auguſtum, diu conſervet incolumem, illiq; largiatur diuturnam gubernationem, poſterosq; concedat felices, ſapientes piosq;, ac eosdem perpetuos usq; ad finem mundi. *εὐχὴ pro Magiſtratu Politico.*

Hujus autem Electoris mandato, ejusq; impenſis turres arcis hoc anno redintegrantur, cum ante obſidionem juſſu IOHANNIS FRIDERICI demolitæ eſſent, ut illis tormenta imponi poſſent, quarum demolitio minimè neceſſaria fuiſſet: CAROLVS V. Imp. enim ita ſeſe ea in obſidione moderatum geſsit, ut ne unicum globum è tormentis in urbem immitti permitteret. Ita benignè DEVS ter maximus hanc urbem protexit.

Et hæc e Dn. PHILIPPI enarrationibus germanicis hactenus, nunc ad noſtrum revertamur propoſitum.

Superius autem dictum eſt, Imperium fuiſſe à CAROLO V. reſignatum: Id quod ijs de cauſis ab eo factum eſſe conſtat. Cum enim cerneret, ſe curis & laboribus fractum, ſeq; ingraveſcente indies animi & corporis ægritudine, & tolerandæ diutius tantæ rerum agendarum moli eſſe imparem, ſponte ſeipſum novo & inuſitato, in hiſtoriâ Jmperij Romani, poſt DIOCLECIANVM & LOTHARIVM exemplo, abdicat Imperio, & ejus procuratione fratri FERDINANDO, Regi Romanorum, conceſſa, ac PHILIPPO filio, BELGICO, MEDIOLANENSI, NEAPOLITANO, reliquisq; ſuis regnis gubernandis permiſsis, in HISPANIAM, duabus comitatus ſororibus, LEONORA Gallica, & MARIA Hungarica, reginis traijcit, ac in Monaſterium D. IVSTI, octo Milliaribus à PLACENTIA in finibus CASTILIAE & LVSITANIAE ſitum ſe recipit, ut ibi reliquum vitæ tempus ſtudio inflammatus religionis in quiete & precatione conſumeret, quo in Cœnobio vix biennium exigit, cum vitam hanc caducam cum alterâ meliori & perenni XI. Calend. Octobris commutaret. *1558. Obitus Caroli V. Imperatoris 21. Octobr.*

Ejus autem mortem Cometa quidam præceſsit, Jdibus Auguſti, primum conſpectus, veſperi ſolem ſequens, ſub Coma Berenices & caudâ ad HISPANIAM directâ paulatim verſus ortum usq; ad NONAS Septembris progreſſus, evaneſcens: Cui epitaphium tale erectum, continens vitæ ejus curriculum, quod in perpetuam tanti herois, & tot victorijs clari memoriam, hic adſcribendum duco.

Auguſtus I. Elector Saxoniæ. ejuſdem Epitaphium.

DEO OPT. MAX. S.

D. CAROLO V. IMP. CÆS. AVG. MAX. indico, Turc. Afric. Germ. Hiſpaniæ, Siciliæ, & Indiarum Regi P. P. Principi potentiſſ. & invictiſſ. Sacri Imperij Liberatori, Fundatori, quietis, Chriſtianæ Religion. accerrimo propugnatori, juſtitia, animi magnitudine, prudentia, religione, Clementia, patientia, alijsq; inſignibus virtutibus longè ornatiſſ. Qui poſt ingentes ubiq; terrarum partas victorias, & clariſſimos de Gallo, Turca, Afris, Italis, Germanis, actos triumphos, tot multis Indiæ Provincijs & Inſulis etiam priſcis incognitis, per legatos magno Reipub. Chriſtianæ ornamento inventis, atq; luſtratis, deniq; poſt feliciter adminiſtratam, & prudenter conſtitutam remp. PHILIPPO Filio tot ampliſſimis Hiſpan. Regnis, Flandriæ, & alijs Provincijs inaugurato, Religione ductus ex Flandria in Hiſpaniam trajecit: ſeq; in juſtum Hieronymiani ordinis cœnobium, ædibus illic juſſu ejus conſtructis, recepit, ubi reliquum vitæ, quod vix Biennium fuit, tranquilliſſimè egit, & ſanctiſſimè obijt. XI. Cal. Octobris. M.D. LVIII. Joanna Luſitaniæ Princeps, Hiſpaniarum Gubernatrix, Patri Opt. & Max. P. vix. Ann. LVIII. Menſ. VI. Dies XXVII. Imperavit Ann. XL. Regnavit Ann. XLIII.

1559. Coronatio Regis Daniæ. Comitia Auguſtana.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo nono, Regi DANIAE FRIDERICO II. Affini ſuo, coronando Elector hic laudatiſsimus HAFNIAE præſens adeſt. Quapropter ad Comitia AVGVSTANA eodem anno, & tempore, à FERDINANDO Jmp. celebrata, legatos mittit, quibus in Comitijs, ſecundum tenorem conventus Paſſavienſis, pax de religione confirmata, atq; de novo rata habita eſt.

1561. 10. Aug. Filia Mauricij P. Vraniæ elocata.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo primo, ANNAM, MAVRICII Electoris, fratris filiam, IV. Jdus Auguſti, LIPSIAE elocat GVILIELMO Comiti Naſſavio, Principi VRANIAE.

6. Iunij. Obitus matris hujus Electoris.

Eodem anno TORGAE piè in CHRISTO obijt VIII. Jdus Junij CATHARINA, HENRICI Ducis Saxoniæ relicta vidua, mater hujus Electoris, fœmina laudatiſsima.

1562. 8. Martij. Ortus filiæ tertiæ Electoris.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo ſecundo, TORGAE naſcitur filia ejus tertia MARIA VIII. Jdus Martij.

Intereſt Comitijs Maximiliano II. creando Imp. Elector.

Eodem hoc anno, MAXIMILIANO II. FERDINANDI Jmp. filio, in Comitijs FRANCOFVRTVM ad Mænum indictis, deſignando in Regem Romanorum, non minori alacritate, ut antea FERDINANDO, ejus parenti, præſentem ſeſe exhibet, & cum reliquis ſuis collegis, Septemviris Jmperij, integram ſententiæ ac voluntatis ſuæ de religione, pace ac tranquillitate ſarta tectaq; in Jmperio, ut hactenus, retinenda, declarationem proponit. Ab eo

tempore

tempore AVGVSTI hujus in Jmperio auctoritas & exiſtimatio cepit eſſe maxima. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo tertio, naſcitur DRESDÆ IV. Non. Octobris DOROTHEA, quarta ejus filia, quæ poſtea nupſit HENRICO IVLIO Brunſuicenſi. *Auguſtus I. Elector Saxoniæ. 1563. 4. Octobr. Nata filia ejus quarta.*

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, Sexageſima quarto, MAXIMILIANVS II. ante biennium Rex deſignatus Romanorum, filius FERDINANDI Jmp. IV. Idus Januarij, DRESDAM accedens ab Electore perhonorificè acceptus, quadriduum ibi commoratur. *1564. 10. Januar. Adventus Maximiliani II. R. Romanorum.*

Eodem anno poſtea VII. Calend. Auguſti, ipſo nimirum D. IACOBI Apoſtoli profeſto, circa veſperam FERDINANDVS Jmp. PHILIPPI Archiducis AVSTRIÆ & HISPANIÆ Regis filius, CAROLI V. Imp. frater, VIENNÆ Auſtriç diem ſuum placidè obijt, cui MAXIMILIANVS II. filius in Jmperio ſuccedit, ante biennium Jmperator electus. *Obitus FERDINANDI Imp. 25. Julij.*

Ob eximiam autem & ſingularem, ac penè omnibus perſpectam gravitatem, & integritatis famam & laudem, eodem hoc anno Elector hic laudatiſſimus, defunctis IVLIO pflugio, præſule NVMBVRGANO & biennio pòſt ALEXANDRO, filio ante quinquennium accerſito, ad Numburgànum & Merſburgenſem præſulatum, communi utriusq; collegij conſenſu, Adminiſtrator poſtulatur, quas diœceſes, corporibus Collegiorum integris conſervatis, & inſpectione Eccleſiaſtica Conſiſterijs demandatâ, omni ſtudio adminiſtrandas ſubit, easq; usq; ad extremum vitæ ſuæ habitum, laudabili & ſummâ moderatione, rexit. *Numburgenſis & Merſburgenſis Adminiſtrator.*

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo quinto, in has DRESDÆ editur vitales auras AEMILIA, filia ejus quinta V. Calend. Februarij, quæ eodem anno, poſtridie Calend. Julij, infans quinque Menſium, & totidem dierum obijt. *1565. 28. Jan. Nata filia ejus quinta. Obijt 2. Julij.*

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo ſexto, VIII. Jd: Januarij rebus quoq; exempta humanis MARIA, filia ejus tertia, cum vixiſſet annos III. Menſes IX. Hebdomad. III. Dies VIII. *1566. 10. Ian. obitus filiæ tertiæ.*

Eodem autem anno MAXIMILIANVM II. Jmp. in comitijs ejus primis AVGVSTÆ, Menſe Martio, inchoatis, ſalutat, ab eoq; omnia privilegia, & beneficia ab Jmperio capeſcendarum & regendarum ditionum dependentia, ut & inſignia Electoratus, ante aliquot annos à CAROLO V. Jmperatore in ſe, & fratrem MAVRICIVM, unà collata, rataq; habita, hoc in conventu ſolenni, & uſitata ceremonia, penitus confirmata, ipſe præſens & coràm ſuſcipit IX. Calend. Maij. *Feudorum Electoralium confirmatio facta 23. April.*

Tanta rectitudine gravitate, ſapientia & pietate princeps quò felicior erat, eò magis etiam vexatur ab hoſtibus, & adverſarijs ſibi mortem intendentibus, præſertim à Grumbachiana factione, haud paulò conjuratione Catalinariâ, quam Cicero Romæ repreſſit, meliore, & toti Jmperio nocitura, ſi in nervum erupiſſet, & niſi bello communi Jmperij conſilio ſuſcepto, feliciter repreſſa fuiſſet, cujus talis fuit occaſio, quam è deſcriptione hiſtorica anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo nono edita, deſcriptam hic recenſere, brevibus tamen, libet. *Occaſio belli Gothani.*

GVILIELMVS Grumbachius, nobilis ex Orientali FRANCIA excellens, vaſallus Antiſtitum VVIRCIBVRGICORVM, feudo ſpoliatur, proptereà, quod ALBERTO Marchioni Brandeburgico, contra feudi ſui Dominum militarit, quod ipſum tamen multis evidentibus argumentis & documentis in medium adductis, evincere conatus eſt, fraudi & nocumento ſibi minimè facturum, & id facere ſibi licuiſſe, integro & incolumi juramento.

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

Cum igitur non ſtatim, nec eo, quo cuperet modo, ſua reciperet. Antiſtiti MELCHIORI, è gente Zobella, per ſicarios inſidias ſtruit, cumq; ex urbe VVIRCEBVRGO in arcem per Mœnipontem aſcenſurum, ictu ſclopetorum inſidioſè interfici curat, ſicarijs latere tecto velatis faciebus diſcedentibus. E quibus, non longo intervallo poſt, in LOTHARINGIA quidam capitur, cujnomen CHRISTOPHORO Crecero, qui ſibijpſi, in carcere paulo ante, quo quæſtionibus erat ſubijciendus, violentas manus inferens, laqueo vitam, metu tormentorum, vel pænæ magnitudine, finit, & præſcindit.

Antiſtes VVirtebergicus globo transfigitur ferreo.

Sicarius capitur.

Huic Antiſtiti, alius è VVIRSBVRGIORVM familiâ, ſuccedit, cui Grumbachius litem renovat. Detectis autem ejus machinationibus ex antiſtitum archivis, ſuam opponit apologiam, non tàm refutationibus, quàm criminationibus refertam plenamq;. Quibus tamen non confidens, ſed alijs præſidijs ſibi opus fore ratus, nobilitatis GERMANIAE animos ſibi conciliandos exiſtimat, apud quos de injuriâ Antiſtitis Wirceburgici conqueritur, à quo avitis paternisq; poſſeſſionibus, nullo ſuo merito, excluderetur, & niſi ipſi ſummo conatu huic Antiſtitum tyrannjdi reſiſterent in tempore, hanc univerſæ nocituram nobilitati affirmat.

Conflatâ igitur occultè conjuratione non contemnendâ, ſeſe armat, & non exiguo numero comparato ex equeſtri ordine, munit ſe, ut, ſi opus foret, & res ad bellum gerendum deveniret, inſtructus in poſterum eſſet. Socij ejus præcipui fuêre, GVILIELMVS Stenius ejusdem apud eundem Antiſtitem criminis reus, eâdem de causâ, ALBERTVS Roſebergius, ERNESTVS Mandeſlavius, JOBSTVS Zetvicius, HIERONYMVS Brandenſtenius, DAVID Baumgartenerus, THEODORICVS Pichtius, & pleriq; alij, qui Marchionem Brandeburgicum ALBERTVM, latrocinijs plus quàm inhumanis GERMANIAM pervaſtantem, ſecuti erant.

Ad præſidia nobilitatis majora ſibi concilianda patrocinia, Principum quorundam gratiâ, auctoritateq; valentium maximâ, peropus eſſe arbitratur, ne tales ejus conatus ſpeciem quandam ſeditionis præ ſe ferre viderentur. Exiſtimabat enim ſolam nobilitatem tantæ rei patrandæ, ſufficientem minimè futuram. Reliquis autem omnibus præfert, Duces Saxoniæ fratres, JOHANNEM FRIDERICVM II. & JOHANNEM GVILIELMVM, JOHANNIS FRIDERICI I. olim Electoris filios, proximos ſuos vicinos, quorum alterum ad ſuas pertrahere partes minimè poteſt, alterum vero promiſſis ampliſſimis, policitationibusq; ingentibus, ſuo magno cum malo inceſcatum, facilimo ſibi devincit negocio.

Tali igitur fretus patrocinio, ac ſingulari erga ſe nobilitatis affectione, cum perſpiceret, cauſæ ſuæ cognitionem lentius proceſſuram, nec talem, quem optaret exitum ſortituram, ſemetipſum iſtius vindicem facit, ac clàm convocatis ſeditioſæ ſuæ conjurationis ſocijs, circiter octoginta, urbem VVIRCEBVRGVM ſumma feſtinatione adit, portisq; horâ tertiâ matutinâ effractis, urbem diripit, transactione violenta à Canonicis, qui tùm aderant, extorta, perpetuum ijs imponit juramento τῆς ἀμνησίας ſilentium, ademptaq; omni de auctoribus inquirendi poteſtate, ſua recipit univerſa, & ab ijs extorquet promiſſionem ſyngraphâ munitam, & confirmatam, de grandi pecuniæ ſumma certis vicibus penſitandâ.

Grumbachi & ſociorum proſcriptio prima.

Hoc perpetrato facinore & facti atrocitate, Jmperator FERDINANDVS graviter offenſus, imperat, ut in publico Cameræ judicio ob violatæ, non tàm fidei, erga Dominum feudi inſidioſè circumventum, quàm pacis publicæ in Jmperio contra leges, perniocioſiſſimo ad omnem poſteritatem exemplo atrocitatem

citatem reus agatur, reum cognitum, ac declaratum, publicè proſcribit, & condemnat, ſimulq́; eos omnes, qui ſeditioſos ejus conatus adjuverint, *Auguſtus I. Elector Saxoniæ.*

Jdem Comitijs VVORMACIAM indictis, facere ſatagit, & cum de alijs Jmperij negocijs, tùm de opprimendis factioſis in GERMANIA hactenus exortis proſcriptorum conatibus, cum VIIviris, alijsq́; ſtatibus Jmperij, eorumque legatis, ſeriò conſultat. *Alteras.*

Mandatur Electori Saxoniæ, & Duci Juliacenſi, curapacis publicæ conſervandæ retinendæq́;. Decernuntur & præſidia ijs equitum mille quingentorum, Juliacenſi quingenti, huic verò Electori noſtro mille attribuuntur, ut ſiquid ab illis moveretur, malo iſti ſtatim occurratur, ne vires exerat.

Fiduciâ ſui patroni receptusq́; commoditate, confœderati parvi faciunt proſcriptionem, factum excuſantes, & ſe non in vindicta peccaſſe, ſed modum exceſsiſſe in vindicando profitentur, culpam quidem hâc in parte deprecantes, trans actiones verò, quas vi extorſerint, ratas ac firmas eſſe cupientes. *Securitas proſcriptorum.*

FERDINANDO autem Jmp. piè defuncto, MAXIMILIANVS II. filius, in Jmperio parenti ſuccedens, cauſæ hujus cognitionem ſuis in Comitijs primis rurſus ſuſcipit, & re non minus, ac ſuperioribus annis à parente laudatiſſimo factitatum erat, omnem in partem accuratè ventilata, ſententiam proſcriptionis, à parente antea promulgatam, repetit, extenſam ſimul in Receptatores & auxiliatores ad parem condemnatos pœnam, executione Electori Saxoniæ in proſcriptos, ſi ita pertinaciter pergant, & niſi pareant, demandata. *Proſcriptio tertia.*

JOHANNES FRIDERICVS igitur, Dux Saxoniæ, cujus proſcripti patrocinio confidebant, aliquoties fideliter admonetur, non tàm à fratre JOHANNE GVILIELMO, quàm à FRIDERICO III. Palatino, Electore Rheni, ac PHILIPPO Landgravio Haſſiæ, utroque ſocero, nec non ab agnato AVGVSTO, Electore Saxoniæ, ut Ducem factionis ſeditioſæ Grumbachium, unà cum ſodalitio univerſo, à ſe aut dimittat, aut concedat Jmperio, aut in manus ipſius Jmperatoris tradat, & ita ſibijpſi, ſuisq́;, hâc in parte vel maximè conſulat.

Etſi autem ſimulatè præ ſe ferebat, ſe proſcriptos dimiſſurum, nihilominus tamen in ſuo perſeverat obſtinato propoſito, & pertinaciter illos retinet, quod in ejus maximum poſtea redundavit exitium, confirmatus magis de ijs, quæ Grumbachius oſtenderat, belli Turcici apparatibus, & ſecutis cladibus, ex SIGETTI & JVLIAE expugnatione, quo nuncio nihil ipſis conjuratis lætius, nihil gratius, nihil optabilius. *Cæca principis obſtinatio.*

Non multò pòſt, & ſuper hæc omnia, certior factus à dicto agnato, AVGVSTO Electore, quæ ipſe de inſidiis ſibi ſtructis, & vitæ periculo à Grumbachio, per JOHANNEM Bæmum, quem ſclopeto inſtruxerit, ut globo eum traijceret, & PHILIPPVM Plaſſium, hoſtem ERFVRDIENSIVM, ſicarios captos, & DRESDAE quæſtionibus ſubjectos & examinatos, nec non de reliquis à GVNTHERO, Comite Suarciburgico, & CHRISTOPHORO Zetvitio, excepta, ex ore Grumbachij certa, imò certiſſima cognoverit, addita admonitione, ne propinquæ immemor neceſsitudinis, & pactorum, conventorumq́;, jurejurando non ſemel firmatorum, refugia amplius, aut receptus præbeat Grumbachianis, nunc tertiâ vice ab Jmperio proſcriptis, pacisq́; publicæ hoſtibus, & everſoribus.

Jdem faciunt & Legati, ea de cauſa ab Jmperatore ad eum amandati; JOHANNES FRIDERICVS verò è contra ijs coràm, & Electori per literas, inſolentius reſpondens, iſtam ab Jmperatore & ſenatusconſulto publico, toties iteratam

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

iteratam proſcriptionem manifeſtè damnat, Grumbachium, ac complices excuſat, & ab omni culpâ immunes dicit, ſuosq; fideles conſiliarios appellat. Jmperatorem autem arguit inconſtantiæ, contraria ijs decernentem, quibus ſibi per ſe, & alios, antea poteſtatem fecerit, Grumbachianos retinendi. Jn Electorem porrò non amplius obſcurè, ſed acerbè invehit. Jnſeruntur tali ſcripto epiſtolæ Grumbachij, quibus obiectum crimen de conductis ſicarijs diluit, ita tamen, ut excuſatione inter ſe prorſus diſcrepante utatur, & quicquid initio audacter in alios derivando negat, id poſtea confitenter ſatetur, ac nî Elector deſinat ipſum infeſtare, non defuturos, qui eum quoquo modo è medio tollant, ac interimant.

Sedulitas admonitionum.

Hâc tàm obſtinatâ Ducis JOHANNIS FRIDERICI pervicaciâ moti propinqui principes, inſtant & urgent, ut ſententiæ Jmperatoriæ pareat, nec tali ſuâ importunitate ſibi periculum, ſuâ maius expectatione futurum, attrahat. Hos nihil moratus, bellum manifeſtius moliri incipit, & præter conductos è latronum furumq; colluvie milites, quibus propter æs alienum, & perpetrata latrocinia, ſimiliaq; ſcelera, locus aut receptus ſub Electore Saxoniæ, alijsq; Principibus, nullus concedebatur, alios quoq; ad coniurationis ſocietatem ſollicitat Principes, & auxilia quærit, miſsoq; legato SCHVINFVRTVM, oppidum Jmperij liberum, ubi tum temporis Francica nobilitas convenerat, deliberatum de ſupplicijs Jmperatori adverſus Turcam ferendis, hortatur, ne, ſe Duce, Grumbachianæ cauſæ defenſionem ſuſcipere detrectent, aut ſocios belli iſtius fideles eſſe ſubterfugiant.

Quod factum Jmperatorem, ſuperbo aliàs reſponſo exacerbatum, reddit irritationem, & propinquis Ducibus ac Principibus maiorem ſolicitudinem metumq; incutit. Nulli igitur labori parcunt, nullam intermittunt curam, Elector Palatinus Rheni, ac Landgravius Haſſiæ, cumq; illis unà GVILIELMVS Juliacenſis avunculus, quin iterum per legatos JOHANNEM FRIDERICVM ſui admoneant officij, & ad obediendum Jmperatori adhortentur, oſtendentes pericula, in eum ipſum redundatura, ſi non obtemperet, promittentesq; inſuper, ſe earum controverſiarum inter Saxoniæ Electorem, & inter ipſum intercedentium, futuros arbitros. Saxoniæ Elector reſpondet, nihil ſibi pace antiquius, nihil optabilius, nihil jucundius, nihilq; ſe armis civilibus quicquam peius deteſtari, idq; ſe ſatis ſuperq; hactenus oſtendiſse. Jdeò ne nunc quidem ſeſe paci defuturum eſſe publicæ, aut paſsurum quicquam in ſe deſiderari, quod ad concordiam inter ſe, & agnatum ſpectet, & poſse arbitros illos libenter ferre privatarum controverſiarum & iniuriarũ, quibus ſit modis ab eo affectus multiplicibus, ſalvâ tamen ſuâ dignitate, cauſam verò proſcriptionis non privatam eſſe, neq; adeò ſuam, ſed publicam, & ſibi cum Jmperio toto Romano communem.

JOHANNES FRIDERICVS verò in ſuo pertinaci perſeverat propoſito omnibus & tractationibus & conditionibus æquis à Palatino & Landgravio diligenter expeditis, poſthabitis, quorum alter, Palatinus nimirum, ſuperiori etiam tempore in TVRINGIAM venerat, ut diſſidia, quæ inter fratres, utrosq; generos ſuos, Grumbachius alterius odio accenderat, componeret, & partitionem hæreditatis, quam idem Grumbachius, preſſo altero, diu impediverat, qui eadem de causâ Electorem Saxoniæ LIPSIÆ, tum convenit, ut eum offenſum à genero ſuo JOHANNE FRIDERICO II. placaret.

Animis itaq; ex altera parte inclinatis, & omninò ſeditionem motusq; ſpirantibus, Jmperator Electorem Saxoniæ mandati, dudum ab Jmperio accepti, commonefacit, urget, impellit, ut obſidionem GOTHÆ, quantâ fieri poſſit, & feſti-

feſtinatione & occultatione acceleret, miſſis ad eum PRAGA legatis, OTHONE, Comite Eberſtenio, FABIANO Schonechio, CHRISTOPHORO Carolovitio, equitibus auratis, quorum conſilio & ope, in bello hoc adminiſtrando uteretur.

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

Elector hâc publici periculi magis, quàm privati conſideratione adductus, Jmperatorisq; hortatu permotus, licet aliàs iſto à bello, non tâm ob cognati ſanguinis propinquitatem, familiæq; amplitudinem, quam patriæ communis libertatem, conſervandam illibatam, abhorreret, de occludendis intra mœnia urbis & caſtri GRIMENSTENII, obſidendisq; una cum Receptatore proſcriptis, incumbit.

Præmiſſâ igitur per caduceatorem ab Jmperatore miſſum, denunciatione, rem tantâ celeritate perficit, ut citius opinione, & mediâ hyeme, ante urbem proſcripti prius armatum militem, & tormentorum bellicorum fragores, cernerent & audirent, quam hoſtiles apparatus ſomniarent, cum Jmperatorem VNGARICO bello diſtrictum noſcerent. Quo facto terrorem proſcriptis incutit, illisq; facultatem elabendi, & colligendi idonea auxilia, aliosve apparatus comparandi, omninò adimit.

Obſidio ſuſcepta 1566.

Licet autem initio obſidionis minor exiſteret militum numerus, quam ut intercludendis undiq; vijs, & comeatui importando, arcendisvè auxiliaribus hoſtium copijs, ſufficiens eſſet, ac deinde exercitu creſcente, magis in prædam, quàm in obſidionem, abſente Electore Saxoniæ, intentos haberet animos, accidit, ut obſeſſi iſtâ occaſione tàm commodâ oblatâ, clam & ſummâ, quâ potuerint, feſtinatione, undiq; ex vicinis oppidis, mediocrem civium multitudinem, imperitam tamen rei militaris, intra urbem compellerent, & ex direptis pagis, non condemnendam rei frumentariæ copiam in arcem inveherent. Quapropter Elector ipſe eò proficiſcitur, & unà cum altero agnato, JOHANNE GVILIELMO obſeſſi fratre, omnia ſecundum belli leges diſponit, ac urbem arcemq; circumcirca foſſis & aggeribus circumdat, hoſtemq; omninò intercludit.

Vijs igitur omnibus in locis occupatis & circumvallatis, omniq; elabendi ſpe adempta, rem alia obſeſſi ratione aggrediuntur. Jnternuncios itaq; amandant, quos ex arce clàm noctu emittunt, cum literis Mandeslavio inſcriptis, & aureis quatuor millibus unà miſſis, ſingularibus inſignibus impreſſis, valoreq; Rhenanorum ſermè paribus, ut, ſicut biennio antè inter ipſos convenerat, ijs auxilia externa compararet.

Jnterceptis autem à nocturnis excubijs internuncijs iſtis, & literis reſeratis, machinationibusq; inde cognitis, licet inuſitato eſſent charactere & idiomate exaratæ, conſilium univerſum, quod de tota GERMANIA perturbanda, ſub initium Veris inſequentis, Grumbachiani inierant, manifeſtatur.

Quapropter obſidionem Elector, utpote belli ſupremus Dux, maiori cum conatu aggreditur, obſeſſosq; urget, & vallis atq; foſſis, die nocteq; propius ad urbem adductis, deditionem vehementiori cum ſeveritate flagitat.

Oppidani hoc fieri perſpicientes, cauſamq; tandem obſidionis veram cognoſcentes: A Grumbachianâ enim factione religio Chriſtiana, propter quam ſe interclusos cum ipſis eſſe dicerent, prætendebatur, in id incumbunt, quo ſe, & principem ſuum, ex bello hoc difficili, abſq; omni fortunarum ſuarum damno liberent.

Subditorum conatus honeſti in liberando ſuo Duce.

Deliberatione itaq; factâ, & re cum aliquibus ex ordine equeſtri viris, aulicis, ſenatu, militaribus copijs, & præcipuis è plebe communicata, eam ad

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

Principem literis ſupplicibus deferunt, orantes, ne ſemetipſum, ſubditosq; univerſos, proſcriptorum causâ perdat, ſed ſuæ ſuorumq; conſulat incolumitati & exiſtimationi.

Verùm, cum nihil obtinerent, neq; ad colloquium, arcentibus eos Grumbachianis, admitterentur, militi præſidiario, intra arcis clauſtra, defenſionis gratia, collocato, rem & conſilia ſua patefaciunt, qui cum nulla, niſi in unum *4. Aprilis.* menſem, ſtipendia accepiſſet, & ad ſacramentum de novo præſtandum in aream arcis, à præfecto pridie Non: Aprilis educeretur, iurare detrectat, & vel, quod cauſam improbans, de defenſione arcis deſperaret, vel quod pertæſus eſſet latebrarum, ſqualoris & egeſtatis, hactenus perpeſſæ, tumultuatur.

Oppidani, fremitu hoc in urbe percepto, ad arcem confluunt, portas vi recludunt, coniungunt ſe cum præſidiario milite, & impetu in præfectum arcis ex indignatione quadam facto, propterea quod non ita pridem optimum & præcipuum quendam Capitaneum, JOHANNEM Hoſmanum, carum civibus, quod & ipſe civis, & rei militaris peritus, & quod ad oppugnandum hoſtium caſtellum, propius urbi admotum, erumpere coactus erat, fortiter cum aliquot gregarijs militibus pugnantem, non ſolum turpiter deſeruiſſet, ſed etiam mortis periculo omnino obiecciſſet, eundem comprǽhendunt, comprǽhenſum abripiunt, proſcriptos depoſcunt, per arcem reſeratis conclavibus inquirunt, inventos capiunt, captos in urbem atq; curiam deducunt, ibiq; diverſis cuſtodiunt in locis.

Literæ ſupplices ad Legatos Imper. de deditione. Poſtea literis ad Electorem Saxoniæ, Ducem JOHANNEM GVILIELMVM, & legatos Imperatoris miſſis, quid in urbe actum, indicant, errori humiliter veniam orant, petentes, ut fide publica datâ dies aliquis tractationibus conſtituatur, ſe promptos paratosq; tradere proſcriptos, & urbem, ſi modo pacem æquis conſequantur conditionibus idq; faciunt, conſentiente Duce JOHANNE FRIDERICO.

Profectus autem tum erat CASSELLAS Elector Saxoniæ, ut intereſſet exequijs PHILIPPI, Landgravij Haſſiæ, cohoneſtandis, qui paulò ante, diem ſuum obierat. Interim legati Imperatoris reſpondentes, optima pollicentur, diligenterq; captivos cuſtodiri mandant, usq; ad reditum Electoris.

1567. Deditio urbis Gothæ 13. Aprilis. Eo reverſo, & re deliberata, ac certis æquisq; pacis conditionibus propoſitis, civibusq; fortunis, & immunitatibus conceſſis omnibus illæſis, deditio Jdibus Aprilis, eaipsâ Dominicâ MISERICORDIAS Domini facta eſt, quâ ante annos viginti à CAROLO V. Jmp. victore, pater eius JOHANNES FRIDERICVS I. ſenior Elector quondam, acie ad MVLBERGVM ſuperatus capitur, & quâ etiam ante octo annos Antiſtes Vuinceburgicus MELCHIOR Zobelus, fraude Grumbachij peremptus interijt, & qua eadem miro vindictæ divinæ Zelo, ipſe Grumbachius tandem in poteſtatem Jmperatoris redactus omnem vitæ ſuæ ſpem amiſit.

Subjectis tertia à deditione die captivis examinationi, pronunciatum eſt de pœnis eorum, ex ſingulorum confeſſione, & in archivis repertis capitibus.

Capita ſupplicij de proſcriptis ſumpta. Pari igitur Cancellarius, CHRISTIANVS Pontanus I. V. D. cum Grumbachio, afficitur ſupplicio, diſſecto in quatuor partes corpore, partibus ad quatuor viarum plagas ſuſpenſis. Hi enim ambo eius factionis ἔξαρχοι & auctores extitêre, crimen læſæ maieſtatis omnium maximum committentes, in

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

eo, quod omnium primò Jmperatorem falsò perjurij inſimulaverint, ſententiam proſcriptionis eluſerint, & temerarios coniurationis auſus excusârint. Deindè quod conſultationibus de perturbandâ ſeditioſis motibus GERMANIA, præcipuam præbuerint anſam, eiusq; primi auctores fuerint, nec non conſilia de abrogando CÆSARE Imperio, principibus nobilitati exæquandis, dederint: Alter deniq;, Cancellarius nimirum, ignominioſis vocibus & ſcriptis, præ nimio, & plus quàm inhumano faſtu, & rabioſâ ſuperbiâ, Jmperatorem ipſum inſectatus ſit, ac Duces Saxoniæ, AVGVSTVM Electorem, & JOHANNEM GVILIELMVM, dominos ſuos, contra fidelitatis juramentum, utriq; præſtitum, inſidioſas molitiones clàm illis ſtructas, reticuerit.

GVILIELMVS Stenius verò, propterea quod à Grumbachio excuſaretur, ac ab ipſo ſeductus eſſet, capite prius mulctatur, poſteâ pari cum prioribus modo, in quatuor diſſecatur partes, HIERONYMVS Brandeſtenius, arcis præfectus, & DAVID Baumgartnerus, liber Baro Sueviæ, ære obſtrictus alieno, & patriâ profugus, capite truncantur, quod hic Grumbachianæ ſe adiungens factioni, ſeditioſa de nobilitate in libertatem vindicanda, eaq; principibus abrogatis, Jmperatori ſoli ſubijcienda probarit conſilia. Jlle verò, quod non tantum proſcriptis ſeſe ſocium ſemper exhibuerit fidelem, verùm etiam in diripienda urbe Vuirceburgenſi ſtrenuam illiſipſis navârit operam, præterea cives miſeros in urbe GOTHA, contra jus & æquum, miris modis afflixerit & preſſerit. Beierus verò & puer nigromanticus fune necantur, & è medio tolluntur.

Dolendum autem Principem JOHANNEM FRIDERICVM II. aliàs optimum, & omni laude vehendum, præſtigijs & pollicitationibus Grumbachianorum omninò ineſcatum, & quaſi faſcinatum, ut ijs plura tribuere, & nigromantici illius nugatoris magicis incantationibus, eiusq; diabolicis reſponſis, de ſucceſſionibus belli & victorijs ſuis, deq; Jmperatoris & Electoris interitu, potius credere, quàm meliora manentibus principibus ſoceris, agnato, affinibus, fratriq;, nec non divini verbi præconibus, obſequi maluerit, quo facto ſibimetipſi exilium inevitabile, perpetuosq; carceres, quibus usq; ad extremum vitæ ſuæ halitum detentus eſt, conciliaverit.

Et hæc de Gothana expeditione & repreſſione Grumbachianæ factionis hactenus.

Expedito bello Gothano, latrocinia quoq;, quæ plurimis in locis invaluerant, motibus Grumbachianorum factioſis feliciter iam repreſſis, cohercet, & ita ditionem totam tranquillitati exoptatiſſimæ reſtituit.

Anno ſupra milleſimnm quingenteſimum, ſexageſimo octavo, XVII. Calend: Februarij naſcitur DRESDÆ, ANNA, filia eius ſexta, nupta deindè JOHANNI CASIMIRO, Duci Saxoniæ agnato ſuo.

1568. 26 Ianuarij nata filia Electoris ſexta.

Poſtea hoc quoq; anno Colloquiū ALDENBVRGI, XIII. Novembris inter Theologos Electoris, & JOHANNIS GVILIELMI, Ducis Saxoniæ, inſtitutum, quod diſputando uſq; ad VII. Jdus Martij inſequentis anni extractum eſt, quo die Electoris collocutores, poſtremo ſcripto JOHANNI GVILIELMO, Duci Saxoniæ, exhibito, re infectâ, & nondum compoſita, diſcedunt, id quod deindè anſam magnarum in Eccleſia ſecutarum diſtractionum præbuit.

20 Octobris Colloquii Aldenburgenſis initium. 9 Martij

Eodem anno Elector ELISABETHAM filiam JOHANNI CASIMIRO, FRIDERICI III. Electoris Palatini Rheni filio deſpondet, nuptijs HEIDELBERGÆ VI. Calend: Decembris, ſolenni pompa celebratis, quibus ambo ſoceri, alijq; principes multi interfuerunt.

Nuptiæ Ioh: Caſimiri Palatini Rheni cum filia Electoris 26. Nov.

Auguſtus I. Elector Saxoniæ. Eo ipſo autem tempore MAXIMILIANVS II. Jmp. Comitia SPIRAM indixerat, itaq; SINSHEMIVM tranſiens, ab utroq; Electore ſalutatur, & cur ipſi Comitijs his intereſſe non poſſent, edocetur.

Comitia Imperialia Spirenſia. Jis autem in Comitijs præcipuè tractatum de frenandâ GERMANORVM militum libertate, in addicenda externis Regibus operâ ſua, & nimiâ in lædendis Jmperij civibus & ſubditis licentia utentium. De pace publicâ in Jmperio conſervandâ & defendenda, miſſis maturius auxilijs violenter oppreſſis. De arcibus Vngaricis adverſus Turcam ſumptu Jmperij muniendis. De refundendis Electori Saxoniæ impenſis & ſumptibus, in bello Gothano adhibitis. De recuperandis provincijs ab Jmperio avulſis. De juſticiæ adminiſtratione in Judicio Cameræ æquabili & expedita.

De matricula Jmperij, & contributionibus ad onera publica æquabiliter in ordines inſtituendis. De monetâ. De officijs typographicis, & reliquis, de quibus omnibus decreta extant publicè edita.

1571. Vuitebergenſis Catechiſmus. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo primo, multæ & magnæ in Eccleſia CHRISTI inter Theologos, edito VVitebergenſi Catechiſmo, oriuntur controverſiæ.

1572. 10 Octobris Synodus Dresdenſis. Elector itaq; ,ut huic incommodo præveniret, VI. Jdus Octobris, altero inſequenti anno, Synodum Theologorum DRESDÆ agit, ſpe fretus bonâ, fore, ut tali modo & ratione finis diſſenſionibus imponatur, ne in nervum erumpant: Verùm præter omnem ſpem & expectationem malum illud multò latius ſerpſit.

8. Novembris Cometa viſus. Eodem hoc anno, VI. Jdus Novembris, propè ſidus cœleſte Caſſiopeiam, Cometa quidam apparuit, qui claritate ſuâ, Jovem tùm ſuperavit, primò Jovialis exiſtens, argenteo nimirum colore, poſtea Martialis factus, colore rubeo, in eodemq; ſemper loco ſedem habens. Duravit autem quatuor fermè menſes, & circa feſtum tandem καϑαρτῆ inſequentis anni evanuit.

1574. Synodus Torgam indicta, 28. Maij. Dictum paulò ante eſt, Electorem hunc æquiſſimum gliſcentibus inter Theologos controverſijs quibuſdam Synodum DRESDÆ egiſſe, ut ex componerentur, verùm cum perſpiceret, eventum optatis eius non reſpondiſſe, & rixarum nullum fieri, nec exiſtere modum, alteram Synodum, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo quarto, TORGAM indicit, in qua convocatis, congregatisq; omnibus, ſingulis, ac univerſis Theologis, Profeſſoribusq; , ex utraq; Academia, VVITEBERGENSI & LIPSIACA, ac tribus Conſiſtorijs Electoralibus, propria manu conſcriptam ſeriam de quibusdam Articulis tractandis conſultationem, V. Calend: Junij proponit, ſecundum quam conſilia ſalutaria ineunda, & decernenda eſſent, quò ſopitis & ſepultis omnibus controverſijs & rixis, Eccleſiæ & Scholis pax & tranquillitas omninò reſtituatur, & in priſtinum concordiæ ſtatum illæ redigantur, Jd quod divino auxilio etiam factum eſt.

Subſecuta eſt autem quorundam non tàm ex Theologis, quàm Politicis, dura captivitas, ubi quidam ROCHLICIVM, quidam LIPSIAM deportantur.

1575. Obitus Sidoniæ ſororis Electoris. 4. Januarij. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo quinto, SIDONIA, filia HENRICI, Ducis Saxoniæ, ſoror huius Electoris, nupta ERICO, quondam Duci Brunſuicenſi, pridiè Non: Januarij, LEVCOPETRÆ piè in CHRISTO moritur, ſepulta FRIBERGI.

Pridie

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

Pridie verò Jduum Aprilis MAXIMILIANVS II. Jmperator, cum filio RVDOLFO II. Hungariæ & Bohemiæ Rege, ac Legatis PHILIPPI, Hiſpaniarum Regis, Ducisq; SABAVDIAE, DRESDAM accedit, Electorem viſitaturus, ibiq; in ſeptimum usq; diem commoratur.

Imperator cum filio Dresdam venit 12. Aprilis.

Menſe autem Octobri, hoc eodem anno, Elector, unà cum alijs VIIviris, & creandis Jmperatoribus Principibus, in Comitijs RATISBONENSIBVS, RVDOLFO II. MAXIMILIANI II. filio, undecimo jam à RVDOLFO I. Habspurgenſi, ex familiâ AVSTRIACA, Jmperatori legendo & conſtituendo, intereſt, coronatione illâ ſolenni VI. Cal: Novembris ritè peracta.

Comitia Ratisbonenſia.

Anno ſequente Jmperator MAXIMILIANVS II. mox Comitia RATISBONAE, eaq; ultima celebrat, in quibus de auxilijs adverſus TVRCAM potiſſimum, alijsq; Jmperij negocijs actum. Jmprimis verò nobilitas Fuldenſis, Abbati ibidem, & Eisfeldenſes MOGVNTINO ſubjecti, liberam ſibi relinqui his in Comitijs, AVGVSTANAM Confeſſionem, Comites quoq; Harcinij, Vueteravij, ac alij ad Rhenum, præter liberum religionis AVGVSTANÆ Confeſſionis exercitium, etiam filijs ſuis aditum acceſſumq;, ad beneficia in Canonicorum Collegijs, ac Canonicos iſtos, qui nunc eſſent ejusdem religionis, dignitate & reditibus ſuis non privari, magna flagitant contentione, urgentes nimirum pacificationem in conventu BASSAVIENSI, alijsq; hactenus ratam habitam ac confirmatam.

1576. Altera Comitia Ratisbonenſia.

Quare Principes AVGVSTANÆ Confeſſioni addicti tàm præſentes, quàm abſentium Legati cenſent, cauſam prædictorũ ordinum juvandam eſſe. Cauſam autẽ horum, Jmperator in Comitijs ſuperioris anni, ad hæc rejecerat, neq; tamen ullam illius in propoſitione ſua mentionem fecerat. Quoniam verò quidam vellent Jmperatorem à parte ſupplicante, non per libellum, verùm, velut à membris Jmperij, per vota & ſuffragia, in prima ſtatim convocatione Senatus Jmperij monendum eſſe, ut juxta promiſſum, anno ſuperiori factum, ante omnia hanc religionis cauſam, non ſicut ad privatos, ſed ſicut ad publicam Jmperij ſalutem pertinentem tractari & decidi à Senatu Jmperij permitteret & pateretur. Reliqui verò cenſerent, quoniam nihil de ea propoſitum initio eſſet, ſupplicationem exhibendam eſſe, & Proteſtationem de Turcicis auxilijs ab hac parte non contribuendis, niſi poſtulata impetrarent, intexendam. Hanc verò, cum ſuperiores nollent inſerendam eſſe, cæteri nihilominus, ijs excluſis, cauſam ſuſceptam irrito agunt conatu.

Judicabat autem hic Elector integerrimus, cuius auctoritas, præ alijs, plurimum valebat, minimè in Jmperatoris poteſtate ſitum eſſe, cogere Eccleſiaſticos ordines, ut contra expreſſam confirmationem Pacis, religioni datæ, ſubditis ſuis aliam religionem, quam ipſi non probarent, inviti concederent, alioquin, & AVGVSTANÆ Confeſſioni addicti Principes coactum iri, ſuis ſubditis, ſi qui expeterent, pontificiam religionem liberam concedere. Quod verò ad Canonicos & Proceres Collegiorum, AVGVSTANAM Confeſſionem amplectentes, attineat, inſertam eſſe paci Religionis ab Jmp. FERDINANDO, paragraphum quandam de hoc articulo, de quo in conſtitutione pacis illius, ordines AVGVSTANÆ Confeſſionis ſolenniter proteſtati ſint, ſe conſcientias ſuas talis articuli approbatione, nec poſſe, nec velle onerare.

Cum igitur FERDINANDVS Jmp. ſuæ & Eccleſiaſticorum conſcientiæ paragraphi illius defenſionẽ relinqui, & ſe coram DEO, & mundo, Principum & Statuum AVGVSTANÆ Confeſſionis conſcientijs, de hac proteſtatione teſtimonium dare, & conſcientias liberare oſtendiſſet, neceſſariò acquieſcendum, nec occaſionem violandæ aut rumpendæ pacis, Religioni conceſſæ, in

 quà

Auguſtus I. Elector Saxoniæ.

qua velut pupilla oculi, nihil temerè movendum, aut peregrinis interpretationibus & declarationibus in dubium vocandum ſit, dandam eſſe.

Obitus Maximiliani II. Imper. 20. Octob.

His in Comitijs ad finem ferè perductis, invictiſſimus, potentiſſimusq́; nec non ſapientiſſimus Jmp. MAXIMILIANVS II. curis & mærore confectus, XIII. Calend: Novembris, diem ſuum piè obijt, relicto poſt ſe filio RVDOLFO II. ſucceſſore in Jmperio ſimul ac in duobus iſtis Regnis, HVNGARIÆ, ac BOHEMIÆ, Rege integerrimo, undecimoq́; in ordine à RVDOLFO I. Habſpurgenſi Comite, anno ſupra milleſimum, ducenteſimum, ſeptuageſimo tertio in Jmperatorem electo. Duravit itaq́; hæc dignitas, hàc in familiâ, cum hic integerrimus & prudentiſſimus Jmperator è vivis excederet ultra annos integros, trecentos & tres.

Duratio dignitatis Imperatoriæ in Habſpurgenſi familia.

Quanto autem hic optimus Elector ſtudio Zeloq́; ſinceram ſemper tutatus ſit religionem, maximè inde collegi poteſt, quod nulli labori, nulli curæ, nulli ſedulitati, nullis deniq́; ſumptibus pepercerit, ut omnes de doctrinâ cœleſti contentiones ad piam Concordiam reducerentur, cuius rei teſtis oculatus eſt, liber iſte CONCORDIÆ, multorum Principum, anno ſupra milleſimum, quingenteſimum, ſeptuageſimo ſeptimo, ſubſcriptione approbatus.

1577. Concordiæ liber.

Eodem hoc anno, III. Jdus Novembris Cometa in latitudine meridionali conſpectus inferiore ex parte in ſpeciem barbæ iubam extendens, duravit uſq́; ad ipſas Jdus Januarij inſequentis anni, ubi in Pegaſo tandem diſparuit.

XI. Novembris Cometæ apparitio.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo octavo, alius quidam Cometa viſus, Menſe Octobri, in latitudine meridionali ſub Pegaſo, dodecatemorio Aquarij, coloris Saturnini, eoipſo loco accenſus, quo prior deflagravit, celeri ſuo curſu quotidiè tres gradus conficiens, verſus occidentem ad capita Ophiuchi & Herculis, ac tandem quaſi caudâ perverſa, propter cœli circumgyrationem manè ante ortum ſolis conſpectus, initio autem anni alterius inſequentis, ut prior, evaneſcens. Eo ipſo autem anno ſubſecuta eſt vehemens lues peſtilens.

1578. Rurſum alius cometa conſpectus.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo nono, Burgraviatum Magdeburgicum à MAVRICIO Electore, fratre, bello Germanico ſuperioribus annis laudabiliter acquiſitum, eiusdemq́; urbis adminiſtrationem, intercedente Jmperiali approbatione, JOACHIMO FRIDERICO, Marchioni Brandeburgico, & Adminiſtratori Magdeburgenſi Poſtulato, ita uti inter ipſos amicè dudum convenerant, lubens volensq́; cedit, titulo iſto honoris ſibi, ſuisq́; poſteris, in perpetuam laudabilemq́; eius rei memoriam, retento, quæ reſignatio ſolenni celebritate, Menſe Octobri magnâ in frequentiâ Principum, Comitum & nobilium MAGDEBVRGI publicè peracta eſt.

1579. Reſignatio Burggraviatus Magdeburgenſis.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo, morbus epidemicus, initio autumni univerſam propè EVROPAM pervadit: Catharri enim ſubitò in fauces & pulmones, unà cum febri admodum contagioſa, irruentes, vocis raucedinem & tuſſim validam excitabant, ita ut integræ penè familiæ illo morbo corriperentur. A medicis autem appellabantur febres malignæ catharroſæ: Morbo tamen iſto perpauci extingvebantur, niſi ij, qui vel à medicis malè curabantur, vel alio morbo debilitati prorſus erant.

1580. Morbus Epidemicus.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimun, octogeſimo ſecundo, RVDOLFVS II. Jmp. prima ſua comitia AVGVSTAM Vindelicorum indicit, ad quæ Elector noſter, reliquiq́; principes & ordines Jmperij, frequentes accedunt, in quibus potiſſimum de contributione ad Turcicum bellum continuandum, deq́; paucis aliquibus Jmperij negocijs, actum eſt. Verùm ordines

1582. Comitia Auguſtana.

Impe-

Jmperij tributum illud ad bellum pendere recuſant, niſi prius gravamina quædam, ab ipſis indicata, in Jmperio quoq; tollantur. *Auguſtus I. Elector Saxoniæ.*

Exeuntibus autem iſtis, GREGORIVS XIII. Pontifex Romanus, Calendarium ſuis ſumptibus correctum, ac de ſe Gregorianum denominatum, per Cardinalem MADRVCIVM, Epiſcopum Tridentinum, Jmperatori offerri curat, ut eodem modo in Jmperio GERMANICO ab ordinibus recipiatur, ſicuti à reliquis orbis Chriſtiani Regibus in Jtaliâ, Hiſpania, Galliâ, Poloniâ, ac Belgio factitatum erat. *Gregorianum calendarium.*

Correctionem autem eius talem in modum inſtituerat, ut æquinoctia & ſolſtitia, quæ ob ſex illas horas ſuperfluas, à tempore CHRISTI nati, ac in primâ computatione Calendarij à JVLIO Cæſare inſtitutâ, initio neglectas, quindecim fermè diebus anticipaverant, ad eum ordinem, ac certam ſuam ſedem reducerentur, quam olim tempore Niceni Concilij, in quo Canon de feſto PASCHATIS quotannis ſolenniter celebrando, hactenus in ECCLESIA obſervatus, primum fuerat latus, obtinerent. Voluit igitur Pontifex Romanus, ut decem illi dies inter quartum & decimum quintum Octobris interiecti, illo ipſo anno obliterentur, & eximerentur, & pro elapſis haberentur, ita ut dies ille ſequens, non quintus, ſed quintusdecimus diceretur, ac ſic deinceps reliqui dies, uſq; ad exitum anni, numerarentur.

Verùm receptio iſtius Calendarij, è gravi conſilio AVGVSTI, Electoris noſtri, cuius auctoritas tum erat in Jmperio maxima, ſuam ſententiam ſcripto aliquo prolixo, multis in medium adductis rationibus, non tantum incommodorum & confuſionum, in iudicijs, hiſtorijs, nundinis, reliquisq; negocijs civilibus ac politicis omnibus, nec non celebratione feſtorum anniverſariorum Eccleſiaſticâ, ex diſſimilitudine Calendarij, ſubſecuturarum: Verùm etiam imminutionum detractionumq; exiſtimationis, auctoritatis, & reputationis S. Cæſareæ Majeſtatis, quas Pontifex Romanus hâc ratione aucupari, ſibi tamen minimè competentes, ac in ſe derivare conaretur, Jmperatori ſapienter declarantis, impeditur.

Grandines Menſe Julio hoc anno ſegetes conterunt, & ſpecularibus, multis diverſis in locis, eâ nimirum parte, quâ ſeptentrionem ſpectant, ingens damnum inferunt. *Grando.*

Triennio poſt, anno nimirum ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo quinto, Elector, DOROTHEAM filiam, HENRICO JVLIO, Duci Brunſuigio & Lunæburgio, Adminiſtratori Halberſtadio Poſtulato, VI. Calend: Octobris, nuptijs ipſo tamen abſente & coniuge eius regiâ, magnificè HENRICOPOLI celebratis, elocat. *1585. Nuptiæ D. Brunſuigij cum filia Electoris 26. Septemb.*

Quinto ab hoc die, Calendis nimirum Octobris vitam hanc caducam cum cœleſti illâ & ſempiternâ DRESDAE commutat, uxor eius prima ANNA, CHRISTIANI III. Regis DANIAE filia, cum quâ triginta ſeptem integros annos ſuavi & unanimi vixerat coniugio. *1. Octobris. Obitus primæ coniugis.*

Anno deniq; ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo ſexto ineunte, qui & ipſi fatalis erat, III. Non: Ianu. cum AGNETE HEDVIGE, filiâ IOACHIMI ERNESTI Anhaldini, nuptias apud ſponſæ parentes celebrat, ac principibus DRESDAM unà cum ſponſa ſecũ adductis, qui ſacrũ illud *1586. Nuptiæ cum ſecunda. 3. Ianuarij.*

Auguſtus I. Elector Saxoniæ. connubiale ſua præſentia cohoneſtaverant, ANNAM filiam JOHANNI CASIMIRO, Duci Saxoniæ, JOHANNIS FRIDERICI II. captivi filio, agnato ſuo, COBVRGI ſedem aulæ habenti, XVII. Calend: Februarij in matrimonium collocat.

Nuptiæ Io. Caſimiri D Saxoniæ cum filia Electoris. 16. Ianua.

Cum hac altera autem coniuge ſua vix quinq; hebdomadas & tres dies vixit: Nam III. Jdus Februarij, cum è ſacris redijſſet DRESDÆ, morbo apoplectico, cum feliciter & pacatè integros tres & triginta annos rerum potitus fuiſſet, fatis concedit, FRIBERGI ad latus ANNÆ, regiæ coniugis prioris, tumulatus, monumento ex ſolido & nativo iſtius regionis marmore, maximè inſigni à filio CHRISTIANO I. Electore, erecto.

11. Febru. Obitus Electoris.

Quatuor igitur Jmperatoribus, quorum temporibus Princeps hic & Elector integerrimus vixit, utpote CAROLO V. FERDINANDO: MAXIMILIANO II. & RVDOLFO II. ob ſingularem rectitudinis & integritatis, fidei itidem & conſtantiæ celebrationem, charus acceptusq; extitit, maximè verò MAXIMILIANO II. Jmp. qui incredibili eum ſemper eſt amplexus benevolentia, ita etiam, ut eundem non ſolùm duabus vicibus, uti dictum eſt, DRESDÆ viſitaret, verùm etiam moriturus filijs ſuis injungeret, ut eum parentis loco colerent, magnifacerent, venerarentur.

Elogia.

Cenſu ampliſſimo Academiam, VVITEBERGENSEM, locupletiorem & multò auctiorem reddidit, novis aliquot in ea fundatis, ac à ſe dictis Collegijs, Profeſſoribusq; ampliore ſalario recreatis.

Jn pauperes ſtipendiarios, non minori uſùs beneficentia, plurima quoq; contulit beneficia, quorum nõ contemnendũ in utraq; Academia aluit numerum, diſtinctis tamen ſtipendijs conſtitutis, Theologicis plurimis, paucioribus Juridicis. Cuilibet autem ſtipendiario ad minimum triginta, magiſtris quadraginta, Juridicæ verò facultati addictis, quinquaginta vel ſexaginta plus minusve, prout ei viſum fuit, annuatim perſolvendos & numerandos ordinans florenos.

Munificẽtia eius in Academias & Stipendiarios.

Menſæ quoq; Communitatis in Academia VVitebergenſi multum cummodavit, adiectis in eádem veteribus reditibus bismille modijs frumenti, noſodochijſq; ægrotantibus ſtudioſis constructis atq; exædificatis.

Menſa Cõmunitatis.

Singulari porrò munificentia & liberalitate Theologorum de Eccleſia CHRISTI optimè meritorum viduis liberisq; proſpexit, florenis quinquies mille de ſumma centum millium in annuos reditus penſitandorum deputatis, de quibus benigniſſimè iſtæ alantur.

Ditionem inſuper ſuam mirificè ampliavit, acquiſitis rurſum, certaq; pecuniæ ſumma redemptis præfecturis VARISCORVM, populorum VOITLANDIAE, in bello GERMANICO oppignoratis. Acceſſione item Comitatus HENNEBERGIÆ ditionis, in FRANCIA orientali, defuncto ſine hærede maſculo, GEORGIO ERNESTO, ultimo eius familiæ, ex veteri inter Saxonum & Hennebergiorum familiam fœdere pacto.

Præterea armamentarium DRESDÆ quotannis plurimum auxit urbem vallo & foſſis ampliorem reddidit, quaſdam arces inſtauravit, quaſdam è fundamentis novas excitavit. Jmprimis verò ANNÆBVRGIAM, in ſaltibus Lochavianis, LICHTEBERGIAM, ac SCHELLENBERGIAM, quam de eius appellatam nomine AVGVSTIBVRGIAM jam vocamus.

Armamẽtarium. Arces.

Princeps ſanè omni rectitudine, integritate, conſtantiâ, gravitate, ſapientiâ cumulatiſſimus, aſſertor religionis veræ & illibatæ conſtantiſſimus, nutricius Eccleſiarum, & Scholarum munificentiſſimus, defenſor pupillorum & viduarum benigniſſimus, amplificator ditionum æquiſſimus, vindex ſcelerum acerrimus, defenſor pacis publicæ juſtiſſimus, omnis calliditatis & fraudulentiæ

oſoſ

oſor inſenſiſſimus, candoris & ſimplicitatis fautor graviſſimus, conſtitutionum deniq; Electoralium correctis legibus antiquis, à maioribus ſuis laudatiſſimis, ERNESTO Electore, & ALBERTO, Duce Saxoniæ, avo ſuo, nec non à MAVRITIO Electore, fratre, olim latis, ijsdemq; in meliorem formam redactis, auctor ſaluberrimus.

Jn omnibus incomparabili illi MONARCHAE, AVGVSTO, primo Cæſari Romano, cui etiam cognominis, quàm ſimilimus, ſi pacem, ſi æquitatem, ſi tranquillitatem deniq; ſpectes publicam, nulliq; maiorum ſuorum laudatiſſimorum & celeberrimorum virtutis excellentiâ unquam ſecundus aut inferior.

IOHANNES HENRICVS.

IOHANNES HENRICVS, primus AVGVSTI filius: Naſcitur VVEISENFELSI pridie Jduum Januarij, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo. Obijt puer ſive infans, pridie Jduum Novembris. Vixit decem Menſes. *Natus 12. Ianuarij. 1550.*

ALEXANDER.

ALEXANDER, ſecundus AVGVSTI Electoris filius, Naſcitur DRESDAE, IX. Calend: Martij, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo quarto. Poſtulatur Adminiſtrator Præſulatus MERSBVRGENSIS anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo ſecundo. *Natus 21. Februarij 1554.*

DRESDAE diarrheâ extinctus Idibus Octobris, anno ſupra milleſimum, quingenteſimum, ſexageſimo ſexto. *Obijt 15. Octobris 1566.*

Adoleſcens, cum viveret, tantâ naturæ bonitate, tantâ mentis ſagacitate, tantâ voluntatis ad laudem omnis generis virtutum conſequendam exerentis ſeſe propenſione, ut beneficio earum, animus eius eximiâ ad cognitionem veritatis, & ad liberalis doctrinæ ſcientiam, cupiditate incitaretur. Verùm illum oſtenderunt tantum terris fata, nec ultra eſſe ſiverunt, ut Virgilianis utar verbis.

Acerbiſſimos autem morbi, quo tenebatur, & conflictabatur, cruciatus, forti animo & incredibili patientiâ ſuſtinet.

Morti vicinus nulli triſtiori locum affectioni relinquit, nullos morbi dolores curat, nec mortem ipſam jamjam appropinquantem reformidat, ſed æquiſſimo animo, ſeſe voluntati divinæ committens, maximam præ ſe omninò fert cupiditatem animi geſtientis, hâc caducâ & miſerâ vita, in maxima etiam felicitate, in alteram tranſiendi beatam & ſempiternam. Vixit annos XI. Menſ: IX. Dies XV. Hor: VI. FRIBERGI unà cum reliquis fratribus illuſtribus humatus.

MAGNVS.

MAGNVS, tertius AVGVSTI Electoris filius: Naſcitur DRESDÆ VIII. Calend: Octobr. anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo quinto, Obijt VIII. Jdus Novembris, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo octavo. Vixit annos. III. Dies XII. *Natus 24. Septembr. 1555. Obijt 6. Novembr. 1558.*

IOACHIMVS.

IOACHIMVS, quartus AVGVSTI Electoris filius: Naſcitur DRESDÆ V. Non: Maij, anno ſupra milleſimum, quingenteſimum, quinquageſimo ſeptimo: Obijt XI Calend: Decembris eiusdem anni. Vixit Menſes VI. Dies XVIII. *Natus 3. Maij 1557. Moritur 21. Novēbr. 1557.*

Hector

Chriſtianus I. Elector Saxoniæ.

HECTOR.

Natus 7. Octobris 1558. Defunctus 4. Aprilis 1560.

HECTOR, quintus AVGVSTI Electoris filius. Naſcitur DRESDÆ, X. Calend: Novembris, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, quinquageſimo octavó. Obijt pridie Nonarum Aprilis, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo. Vixit ſeſquiannum, Dies XXIV.

AVGVSTVS II.

Natus 13. Octobris 1569. Decedit 12 Febr. 1570.

AVGVSTVS II. ſeptimus AVGVSTI Electoris filius: Naſcitur & hic DRESDÆ, X. Calend: Novemb., anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo nono. Obijt prid: Jdus Februarij anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo. Vixit Menſes III. Dies VI.

ADOLPHVS.

Natus 8 Iulij 1571. Dinatus 12 Martij 1572.

ADOLPHVS, Octavus AVGVSTI Electoris filius. Naſcitur in arce STOLPENA, VIII. Jdus Julij, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo primo. Obijt DRESDÆ IV. Jdus Martij, anno ſupra milleſimū quingenteſimū, ſeptuageſimo ſecundo. Vixit Menſes VIII. Dies IV.

FRIDERICVS IV.

Natus 18 Iunij 1575. Elus obitus 24 Ianu: 1576.

FRIDERICVS, nonus AVGVSTI Electoris filius. Naſcitur ANNÆBVRGI, XV. Calendarum Julij, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, mum ſeptuageſimo quinto. Obijt IX. Cal: Februarij, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo ſexto. Vixit Menſes VII. & totidem dies.

CHRISTIANVS I. ELECTOR.

Natus 29. Octobris 1560

CHRISTIANVS I. ſextus AVGVSTI Electoris filius. Naſcitur DRESDÆ IV. Calend: Novembris, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſexageſimo, horâ quartâ matutinâ,

Vxor. Vxor eius SOPHIA, JOHANNIS GEORGII Marchionis Brandeburgij Electoris filia, è quâ ſuſcepit filios tres: CHRISTIANVM II. JOHANNEM GEORGIVM & AVGVSTVM III. Filias verò quatuor: ANNAM SABINAM eodem, quo nata anno defunctam: SOPHIAM: ELISABETHAM annis infantiæ mortuam: & DOROTHEAM. *Liberi.*

Princeps omnibus animi, corporis & fortunæ dotibus præ reliquis florentiſſimus.

Educatio. E ſingulari parentis optimi voluntate & diligenti ſimul matris pientiſſimæ ſedulitate, ab ineunte ætate, liberalibus ſtudijs, literisq́; unà cum religionis ſinceræ cognitione, inq́; ſtudio Juris & Hiſtoriarum, in linguis itidem latinâ & Jtalicâ comprimis diligenter inſtituitur.

Exercitia ingenij. Annos Adoleſcentiæ egreſſus, omni generi virtutum, naturæ ductus bonitate, ſtudet, & rebus magnis intentus, ſpem de ſe præbet maximam illuſtrandi nominis Saxonici, & paternis, avitisq́;, alijsq́; itidem maiorum ſuorum laudatiſſimorum veſtigijs, heroicisq́; virtutibus firmiter inſiſtendi, id quod indefeſſo ſtudio, & ſummâ animi alacritate, re ipſa poſtmodò probaſſet, niſi morbo correptus difficili & inevitabili, maturius iuſto fatis, talem principem optimum noſtræ nationi invidentibus, conceſſiſſet.

Palæſtricis,



Chriſtianus Elector Saxoniæ.

Palæſtricis, confirmatior ætate, exercitijs, equeſtribusq́; decurſionibus, alijsq́; exercitationibus, ad agilitatem & promptitudinem corporis facientibus, *Palæſtri exercitia.* ad quæ, naturali quodám impetu præ cæteris trahebatur, tanta alacritate operam adhibet, ut grandiores, ac diu multumq́; in eiusmodi ſtudio verſatos, promptitudine ſua longè vinceret, illisq́; ſæpius palmam, equeſtribus deindè in ludis, exercitij gratia publicè inſtitutis, præriperet.

Erat enim alacris animo, manu promptus, agilitate corporis expeditus, dexteritate facilis, intentione indefeſſus.

Tanta animi alacritate, tantaq́; felicitate ingenij, parens optimus & laudatiſſimus, in filio unico è multis ſuperſtite & exoptatiſſimo, perſpecta, ad tractandas rerum habenas ipſum admovet.

Eum

Chriſtianus I. Elector Saxoniæ.

1581. 21 Ianuarij. Eum igitur anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo primo, X. Calend: Februarij, agentem annum unum & vigeſimum, à BVRCHARDO, Barbienſi Comite, VVOLFGANGI illius, ob ſummam integritatem, & fidelem ſecretioribus in conſilijs navatam quinq; Electoribus operam, acceptiſſimi filio, Electorali tùm Vicario, intimis ſuis Conſiliarijs adiungi curat, & ad dijudicanda maximi ponderis negocia adhiberi mandat.

Vicarius parentis in negocijs expediendis. Jn locum itaq; Parentis ſubſtitutus, ſupremæ Electoralis curiæ PRÆSES renunciatur. Jn expediendis autem dijudicandisq; cauſis, ita ſeſe alacrem ſedulum, induſtriumq; exhibet, ut ipſi Conſiliarij ſummam eius, in ijsdem ponderandis & decidendis, adhibitam prudentiam, iudicijq; & conſilij dexteritatem, ſummè admirati ſint, id quod indicio fuit, ipſum progreſſu temporis ſalutarem & utilem Reipublicæ Chriſtianæ totius, atq; adeò univerſi Sacri Romani Jmperij columnam futurum.

1582. 21 Aprilis. Nuptiæ eius cum Sophia Brandeburgica. Sequenti anno, è conſilio parentum, quorum nutu omninò pendebat, nuptijs cum SOPHIA, filia JOHANNIS GEORGII, Marchionis Brandeburgici, & Electoris, inclyta, XI. Calend: Maij, die Mercurij poſt Dominicam QVASIMODO GENITI, magnifico apparatu DRESDÆ celebratis, quibus in feſtivitatibus palmam nō ſemel equeſtribus in ludis ſumma cum laude obtinuerat, ad prima à RVDOLFO II. Jmp. AVGVSTAM Vindelicorum indicta Comitia, unà cum illuſtriſſimis parentibus, adductâ ſimul coniuge generoſiſſima, proficiſcitur & Jmperatorem ſalutat.

Comitia Auguſtana.

Jis in Comitijs de conſervanda inter omnes ordines mutuæ voluntatis, & cavendis diſtractionibus, de contributione itidem, gratia finium Jmperij adverſus TVRCAM, Vngariam hoſtiliter infeſtantem, defendendorum, & continuatione belli contra eundem Chriſtiani nominis hoſtem, continuandi, deq; Calendarij GREGORIANI receptione, ſeria inſtituitur actio: Verùm, reiectâ Calendarij iſtius acceptatione, contributio communi Principum conſenſu ad bellum continuandum decernitur.

Sedes aulæ. Sedem autem aulæ ſuæ, vivis parentibus, in ædibus ſibijpſi à parente optimo deputatis DRESDÆ habet, quæ olim MELCHIORI Hauſſio, cuius opera fideli MAVRICIVS Elector, patruus eius, in bello Magdeburgico, alijsq; in expeditionibus, uſus erat, ab Electore aſsignatæ fuerant, omninoque iſtis perexiguis reditibus, licet auctior iam eſſet, duobus liberis, contentus, Parentem ſenio confectum, non modò curis in adminiſtranda Republica, toto iſto quadriennio, quo habenas gubernationis cum ipſo gerebat communes, ſublevat, verùm etiam filiali amore, ſtudio ac obſequio proſequitur.

1586. Filia eius prima nata 25 Ian: Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo ſexto, VIII. Calend: Februarij, naſcitur ANNA SABINA, filia eius prima.

Obitus parentis, 1. Februarij. Decimo ſeptimo autem die pòſt, parens eius illuſtriſſimus ad III. Jduum Februarij, DRESDÆ cum è ſacris rediſſet, & deindè venationi, animi gratia, operam dediſſet, langvoremq; inde reverſus ſenſiſſet, è vivis excedit.

Initium regiminis. Eo igitur piè in CHRISTO defuncto, ipſe hæreditaria ab Jmperatore ſucceſſione SEPTEMVIR declaratus, nihil eorum, quæ ad officium boni fideliſq; Principis ſpectare viderentur, in ſe deſiderari unquam patitur, nihilq; non facit, quin illuſtria ederet documenta, quantum nimirum alacritate, induſtria, cōſilio, fortitudine valeret. Tanta præterea fuit humanitate & comitate, cum gravitate tamen coniuncta, ut non ſolùm ſubditorum ſuorum, verùm etiam exterarum gentium plurimarum voluntatem, & benevolentiam, facilimo ſibi negocio conciliaret, unde factum, ut multis principum exterorum, eius amicitiam expetentium, legationibus ſubinde viſitaretur.

Eodem

Chriſtianus I. Elector Saxoniæ.

Eodem autem hoc anno, IX. Calend. Aprilis, hora ſexta matutina, ANNA SABINA, filia ejus prima, diem ſuum DRESDÆ obijt, cum vixiſſet Menſes II. & Diem I.

Aulæ Splendor.

Jnitio ſuæ gubernationis ſolicitariæ, eam in curam potiſsimum intentus eſt, ut aulam ſuam, ejuſdemq; ſupremam curiam, non ſolum à viris omni liberali doctrina politiſsimis, & longo rerum uſu ſpectatiſsimis, verum etiam adhibitis multis equitibus, ac ex equeſtri ordine, & nobili ſtemmate, ſtipatoribus, corporis itidem ſui defenſoribus & cuſtodibus, multo, quàm ante redderet ornatiorem.

Studium in diſponendis ritè omnibus.

Arcem quoq; & urbem, duobus, ut vocant, guardijs, & vigilum ordinibus, milite itidem præſidiario, non tam è levi quàm gravi armatura conducto munit.

Templa, tribunalia, judicia, fora, aliaq; munia, tàm Eccleſiaſtica, quàm Politica, conſtitutis à vera pietate, ſpectata probitate, eximia eruditione, prudentia haud vulgari, & auctoritate ſingulari, viris integerrimis, conſtituit, ornat, auget.

Academias & Scholas illuſtres amplificat, acquiſitis pluribus profeſſoribus & doctoribus, incomparabili eruditionis laude conſpicuis, adjunctis alijs, virtute, doctrina, & rerum experientia ornatiſsimis.

Splendidæ elegantiæ auctor.

Quàm fuerit autem elegantium ædificiorum, & extructionum artificioſarum ſtudioſus, inde vel maximè elucet, quod exemplo laudatiſsimo MAVRICII, patrui ſui, quem moribus, facie, magnanimitate, & fortitudine animi, aliisq; virtutibus heroicis, ſumma, ac honeſta cum æmulatione, penè ad vivum expreſsit, DRESDAM urbem, aggeribus amplioribus, & altius eductis, foſsis inſuper profundioribus factis, ac turribus aliquibus adjectis, novisq; portis eâ potiſsimum parte, qua armamentarium Albim fluvium ſpectat, munitiorem curarit reddendam, quod urbem ipſam ſplendidioribus aliquot ædificiis ſtuduerit exornandam, quod Domũ commeatuum convehendorum & frumentorum condendorum cauſa è fundamentis novam mandarit extruendam, quod Hippodromum, cum adjuncta perampla area, militaribus exercitationibus, imaginariisq; præliis, tam equorum, quàm hominum inſervientem, altiſsimis è lapide columnis intus viſendis, & undiq; aquam limpidam egerentibus, ſplendidiſsimo ſanè & planè regio artificio & ædificio, juſſerit complanandam, nec non KONIGESTENIAM arcem voluerit muniendam, ac à ſe CHRISTIANIBVRGIAM cupierit appellandam.

Domus commeatuum.

Hippodromus.

Virtus generoſa.

Quanta verò valuerit fortitudine, inde liquet, quod ſpecimen quoddam heroicæ virtutis, & animi generoſi, ſingulare, è vultu ſtatim, & oculis ejus ſpiravit, ut ad propugnandum pro patria, contra quosvis hoſtes, ſatis paratus & aptus eſſe videretur, iisq; ac potiſsimum barbaris & Turcis, terrori eſſe potuerit, niſi invida fata maturius juſto patriæ eripuiſſent.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo ſeptimo, naſcitur SOPHIA, filia ejus ſecunda, III. nimirum Calend. Maij.

Hyemem verò aſperam & præter morem gelidam hoc in anno æſtas inconſtans ſecuta eſt, & quidem frigida, humidiſsimaq;.

Cerva quoq; cornuta hoc anno in Electoris hujus territorio capta, quam Θηροτροφεῖῳ Elector, quod Coldicij eſt, inferri præcipit.

Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, Octogeſimo Octavo. XIII. Calend. Auguſti, naſcitur ELISABETHA, filia hujus Electoris Tertia, quæ

Chriſtia-nus I. Elector Sax. deinde IV. Nonarum Martij, anni inſequentis ex hac vita ſtatim diſcedit cum vix VII. Menſes: III. Hebdomadas, & II. dies vixiſſet.

Luſtratio equitum. Hoc eodem anno, è mandato Electoris luſtratio, equitum univerſo equeſtri ordine TORGAM convocato, pridie Octobris, ſolenniter & ſplendidè in ejus præſentia peragitur, & poſtea per ſingulas civitates, luſtrandis civium armis, continuatur.

8. Novem. Conventus provincialis. Poſtea conventum provincialem eodem in loco IV. Nonarum Novembris, indicit, in quo ordinibus provinciæ exponit, quid à ſe hactenus, tam in Eccleſiaſticis, quam politicis muneribus, & officiis ritè conſtituendis, iisq; augendis ſit præſtitum. Itaq; cupere ſe, & flagitare aliquam, in tributis neceſſariis & ordinariis, acceſſionem, novamq; pecuniæ certæ collationem, quam etiam facilimo obtinuit negocio.

Charitas annonæ. Anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo, æſtas ſecuta eſt ſicca & calidiſsima, ita ut multis in locis fluvij fonteſq; exiccarentur, ſegetes in agris corrumperentur, herbæ itidem & arborum fætus, unde factum, ut paſcuis æſtu corruptis, pecorum Mors ſubſequeretur, frumentiq; penuria atq; charitas, vinum verò generoſum, ſed paucum.

Terræmotus. In Septembri autem plurimæ provinciæ, utpote, MISNIA, BOHEMIA, AVSTRIA, aliæq; vehementer ingenti terræmotu quaſſatæ.

Omnibus autem & ſingulis ita optimè ab Electore hoc conſtitutis, riteq; diſpoſitis, aurea pax ad tempus in tota vigebat ditione, omnia erant pacata & tranquilla: verum profluxa atq; caduca humanarum rerum viciſsitudine, dum non ſolùm omnes ſubditi vultus ſuos, ſed etiam populi totius penè GERMANIÆ, oculos in hunc conjiciunt, dum præſidium poſt DEVM ter optimum maximum in eo omnes fixum locatumq; habent, dum eum acerrimum religionis propugnatorem agnoſcunt, dum æquiſsimum juſticiæ defenſorem eum experiuntur, dum integerrimum pudoris & pudicitiæ cuſtodem ſentiunt, accidit, ut quamvis Elector hic optimus non minus, quàm Dominus parens AVGVSTVS, confeſsionem profiteretur AVGVSTANAM, tamen nonnulli, novationem inſtituere hujusq; rei ab Exorciſmo, adminiſtratione Baptiſmi removendo initium facere conarentur. Factum hoc eſt anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo primo.

1591. 5. Januarij. Nata filia ejus quarta. Hoc eodem anno nonis Ianuarij, in has prodiit auras vitales DOROTHEA, filia ejus quarta.

Eodem autem hoc anno, Ducibus aliquibus & proceribus GERMANIÆ ſuppetias HENRICO IV. Galliæ Regi militares euntibus, etiam ſuas, Elector hic, ſatis inſtructas adjungit copias.

Exercitus in Galliam miſſus. Eo ipſo quoq; anno Elector conflictari gravi morbo, eoq; difficili, incipit, cui cum videret, ſe ſuſtinendo imparem, impuberum liberorum ſuorum, non tã agnationis jure, in aurea bulla expreſſo, quam ſua ipſius expreſſa declaratione & voluntate ultima, FRIDERICO GVILIELMO, Duci Saxoniæ agnato, & IOHANNI GEORGIO, Marchioni Brandenburgenſi, Electori ſocero, tutelam, & totius adeò Electoratus Saxonici adminiſtrationem committit, & mandat, ac ut ingenuè liberaliterq; educentur, omniq; cultu veræ pietatis, ac virtutis heroicæ inſtruantur, delectis ad id viris maxime idoneis, ſummis ab ijsdem precibus contendit, utque nullam aliam, quàm na-

nativam, & incorruptam illam AVGVSTANAM Confeſsionem, in ſuis ditionibus, quas relicturus liberis eſſet, tuerentur, petiit. *Chriſtianus I. Elector Saxoniæ.*

Biduo ante ejus obitum IX. nimirum Calend. Octob. RVDOLFI II. Imperatoris Legatus, Dreſdam venit, expoſiturus coram Electore dolorem, quem S. Cæſarea Majeſtas ex vehementi, difficiliq; ejus morbo perceperit, cujus adventus, cum Electori ægrotanti nunciaretur, gratiſsimus ei extitit, non tam ob ſummam & propenſam ejuſdem S. Cæſareæ Majeſtatis in ſe affectionem, & συμπάθειαν ſingularem, quam ob memoriam incredibilis propè & immenſæ illius benevolentiæ, propenſioniſq; quà olim MAXIMILIANVS. II. Imperator, parentem AVGVSTVM Electorem, quorum amborum memoria in benedictione piorum, ſemper proſecutus erat, ſtatuitq; Legatum, licet gravi decumberet morbo, in ejus obſervantiam coràm audire. *Legatus Imperatoris.*

Verùm cum altero, nimirum veneris die Deo optimo maximo ita diſponente, in cujus manu ſortes noſtræ ſunt, majorem, quàm antea, ſenſiſſet Elector langvorem, poſteroq; die SATVRNI, manè è vivis excederet, Legatus Imperatoris coràm, & ab eo audiri non potuit.

Soceritaq; eius JOHANNES GEORGIVS, Elector & Marchio Brandeburgicus, piè jam in Chriſto defuncto genero, nepotes ſuos chariſsimos, ex altera parte CHRISTIANVM II. Octennem tùm temporis puerum, cum parens obiret, ex altera verò IOHANNEM GEORGIVM, ſexennem, & AVGVSTVM. III. bimulum, manibus ducens, Legato imperatoris aures exhibet, impuberes Principes offerens, S. Cæſareæ Majeſtati, ſupremo ſacri Romani Imperij, totiusq; orbis Chriſtiani capiti, oratione ad Legatum inſtitutâ, ſummiſsi plena obſervantiæ ſtudij, commendat tutandos, quam ſubjectiſsimi animi commendationem Legatus, ſibi nomine Imperatoris acceptam, fuiſſe oſtendit, eandemq; Sacræ Cæſareæ Majeſtati ſumma diligentia, & fidelitate ſeſe expoſiturum eſſe, pollicetur & ſanctè promittit.

Præmatura itaq; pro dolor, morte oculis chariſsimis, & dulciſsimo aſpectu, & conſuetudine jucundiſsima ſummo cum deſiderio viduæ mæſtiſsimæ, liberorum triſtiſsimorum, ſubditorum obedientiſsimorum & ſubjectiſsimorum præreptus, obijt VII. Calendarum Octobris, VII. hora matutinâ.

Vixit annos XXX. Menſes X. Dies XXVII. Præfuit rebus annis fermè decem. Quatuor vivo adhuc parente illuſtriſsimo, cujus in ſenili & ingraveſcente ætate Vicarius, & locum tenens extitit, & ſex deinde ſolus piè defuncto parente Electore AVGUSTO.

Prodigia, mortem hujus Electoris præcedentia, aliqua referuntur, utpote: cervus ingenti mole corporis, & inconſuetis cornibus, in ſaltibus Rochlicenſibus & Coldicenſibus ab Electore ipſo conſpectus.

Terræmotus ingentes, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo primo, in Septembri per totam ferè ditionem, imprimis verò DRESDÆ, ita quidem, ut in arce, Campanæ in templo, ob nimiam terræ concuſsionem, ſonitum ederent, portendentes, Electorem ſequenti anno, eodem MENSE, vita exceſſurum, è cujus obitu præmaturo, firmamenta, & quaſi fundamenta harum regionum, jactura

Chriſtianus I. Elector Saxoniæ. tanti incomparabilis principis, tantiq; luminis, columinisq; totius Reipublicæ Chriſtianæ, atq; adeò S. Romani Imperij, ſicut terra vehementi hâc concuſsione mota, vehementer eſſent commovenda conſternataq; reddenda.

Porrò IV. Calend. Septembris, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, nonageſimo ſecundo, & ipsâ Dominicâ die, qua ob infirmitatem corporis primùm decumbere incepit, veſperi in aere viſum Chasma ingens, viſum quoq; cœlum quaſi diſruptum, è quo deindè apparuerit lumen candens & fumigans, ac poſtea ſeipſum conſumendo evaneſcens. *29. Auguſt.*

Symboli loco uſus eſt hac pulcerrimâ ſententiâ: FIDE: SED CVI: VIDE.

Splendidiſsimo autem, & planè regio ædificio, Dresdæ ſtationi equorum deſtinato, hæc verba juſſu ejus inſcripta leguntur.

AVGVSTO ELECTORE PIE DEFVNCTO,
CHRISTIANVS SAXONIÆ DVX;
DIGNITATIS HÆRES, VIRTVTIS IMITATOR;
DOMVM HANC EQVORVM STATIONI EXTRVENDAM:
AREAMQVE ADIVNCTAM,
MILITARIVM EXERCITIONVM CAVSA.
COMPLANANDAM, EXORNANDAMQVE CVRAVIT.
ÆTAS PRÆSENS AC FVTVRA
DOMINO FELICITATEM, PACEM PRECETVR.
NEC TAM PRÆSIDIIS HVMANIS,
QVAM DIVINO AVXILIO
SVAM SVORVMQVE SALVTEM NITI ARBITRETVR.

Conditur FRIBERGI, VII. Calend. Novembris, marmoreo epitaphio Splendidiſsimo, harum terrarum nativo erecto. *Sepultura 26. Octob.*

CHRI-

CHRISTIANVS II. ELECTOR.

Chriſtianus II. Elector Saxoniæ.



Natus 23 Septembris 1583.

CHRISTIANVS II. CHRISTIANI I. Electoris primus filius. Naſcitur DRESDÆ IX. Calend: Octobris, anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo tertio, horâ IV. matutinâ.

Vxor.

Vxor eius HEDVIGIS, Friderici II. Regis Daniæ filia & CHRISTIANI IV. Daniæ Regis ſoror ſereniſsima.

Puer octo annos natus, cum parentem deſideratiſſimum, caput & columen totius Electoratus Saxonici, ſummo cum dolore, maximâ orbitate, planctu luctuoſiſſimo, mæſtiſſimæ viduæ, pupillorum impuberum, ſubditorum ſubiectiſſimorum, maturius iuſto fata cripuiſſent.

Tutoribus ſummâ ex voluntate, curioſâ ſolicitudine, & ſedula commendatione, parentis jamjam morituri, committitur educandus. Jntegerrimis igitur aulicis, & doctiſſimis informatoribus, omnibusq; adeò viro principi ſcitu neceſſarijs diſciplinis, & moribus inſtructus, & inſtitutus, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, primo, IX. Calend: Octobris, quem eundem olim

Chriſtianus II. Elector Saxoniæ.

OCTAVII Cæſaris AVGVSTI, primi Romanorum Monarchæ, natalem fuiſſe ex hiſtoriis cognoſcimus ætatis ſuæ jam octavo decimo feliciter completo, juxta tenorem bullæ aureæ Imperij, annis ab hinc ducentis & quinquaginta confirmatum, ſummâ cum gratulatione & acclamatione propensâ populi ſubjectiſsimi, gubernationem pro ſe fratrumq; nomine, ſuſcipiens, ſubditis præeſſe incipit, ſicuti eodem anno GEORGIVS, Dux Saxoniæ, propatruus ejus, annis centum retrò numeratis, parente ALBERTO in PHRYSIA mortuo, homagij quoq; juramentum à civibus exegit.

1601. 23 Septembris Gubernatio primum ſuſcepta.

Reverentia ejus erga Imp.

Initio autem gubernationis primò omnium ſuam erga Imperatorem RVDOLFVM II. Supremum ſuum magiſtratum, obſervantiam, alacritatem, promptitudinem, à majorum ſuorum celeberrimorum virtutibus heroicis ne latum quidem diſcedens digitum, teſtatam facit, miſsis ad eundem per Legatum Dn. IOHANNEM Gödelmanum I. V. D. conſiliarium ſuum intimum, aliquot varij generis tormentis, cum omnibus rebus ad diſploſionem neceſſariis, & ad Turcicum bellum in VNGARIA continuandum uſurpandis, ac inter hæc quidem duobus grandioribus, tali inſignitis inſcriptione: DEO ET IMPERATORI SVO RVDOLFO II. PIO, FELICI VICTORIOSO, PATRI PATRIAE, dono dedit CHRISTIANVS. II. Elector Saxoniæ. Quo quidem dono imperator ita lætatus eſt, ut non tàm munus illud carum habuerit, quàm donantem Principem, & Imperatorem ſuum ſummâ ſubjectione ita ſuſpicientem, & venerantem, amore fideq; ſibi quàm devinctiſſimum judicaverit.

Imperator igitur, ſibi in memoriam revocans, quanta parens ejus, MAXIMILIANVS II. Imp. Electorem Saxoniæ AVGVSTVM, avum hujus, benevolentia, ob ſingularem ejus fidem, integritatemq;, aliquot Imperatoribus exhibitam, amplexus ſemper fuerit, quantam reliqui Imperatores, anteceſſores, & Majores ejus invictiſsimi, cum domo Saxonica amicitiam coluerint, quàm denique carus acceptusq́ ſibi ipſi CHRISTIANVS I. Elector Saxoniæ, hujus parens, laudabilis memoriæ, ob eximiam fortitudinis in eo ſeſe exerentis præſtantiam, extiterit, ut eo hac vitâ piè defuncto, Salutari columna S. Romanũ Imperium privatum ſit ſingularis favoris teſtandi gratia, MAXIMILIANVM Lichtenſtenium, Baronem, & Nobiliſsimum virum Neuhuſium, legatos, DRESDAM mittit, qui ei de ſuſcepta aviti, paterniq; Electoratus gubernatione gratularentur, ſucceſſumq; ſalutarem, & felicem à DEO, omnis boni largitore, præcarentur. Quibus eà, qua decet, reverentia & humanitate acceptis, & pro dignitate tractatis, Elector reſpondet: Imperatori invictiſsimo, ſuoque ſummo à Deo in terris conſtituto Magiſtratui, ſe omni, qua par eſt, animi ſubjectione, & ſubjectiſsima devotione, gratias agere & habere ſummas, meritasq; nihilq; magis ſibi eſſe in votis optatisq; quàm ut ſub ejusdem ſacræ Cæſareæ Majeſtatis præſidio & patrocinio, quàm diutiſsimâ pacis aureæ & exoptatiſsimæ trãquillitatis uſura Reſpublica Chriſtiana perfrui liceat, ſine cujus ſalute ac incolumitate aliàs auctoritas & dignitas S. Romani imperij integra & ſalva eſſe nequeat, ſuamq; deferens ſubjectiſsimi ſtudij operam perpetua fide, ſummaque alacritate, ipſi, & imperio toti Romano ſemper præſtandam, à ſe quàm lubentiſsimè dimittit.

Legati Imperatoris Dresdam miſsi.

Legati Matthiæ Archiducis Auſtriæ

Non minorem verò MATTHIAS, Archidux Auſtriæ, frater Imperatoris & S. Cæſareæ Majeſtatis in bello Turcico Legatus, benevolentiam ſuam erga Electorem hunc novum, & quantopere ejus novo ampliſsimi Electoratus honore gauderet, declarat, dum & ipſe Legatum ſuum ERNESTVM Molar, Baronem, & S. Cæſareæ Majeſtatis in AVSTRIA præſidem Vicarium, cum aliis præ-

præclariſsimis viris, amandat, & ei proſpera & ſalutaria cuncta à DEO optimo maximo optat.

Chriſtianus II. Elector Saxoniæ.

Ordinibus poſtea omnibus juramento fidelitatis & ſubjectionis ſibi adſtrictis, de NICOLAO Crellio I. V. D. Cancellario, VII. Idus Octobris, in foro novo, prope macellum, DRESDAE publicè ſumitur ſupplicium.

Iuramentum fidelitatis.

Poſtea conventus provincialis Torgam, ad VI. Iduum Decembris, indicitur, quo in conventu, de omnibus publicis muneribus, non tàm Eccleſiaſticis Scholaſticisq́;, quam Politicis, in ſuo priſtino vigore & flore retinendis, ita uti hactenus optimè conſtituta eſſent, agitur, præterea de oneribus neceſſariis, & reliquis penſionibus pecuniæ, ad conſervationem politiæ, judiciorum, & pacis publicæ, his præſertim difficilimis temporibus, quibus contra immaniſsimum Chriſtiani nominis hoſtem, Turcam depugnandum eſſet, admonitio diligens facta cujus cauſa acceſsio quædam ad priora tributa efflagitata eſt, quam etiam Elector facilimo negocio obtinet.

Conventus provincialis 8. Decembris.

Interea autem, dum TORGÆ conventum Elector agit, ex incuriâ quâdam nonnullorum miniſtrorum, DRESDÆ incendium quoddam prope armamentarium excitatur, ſed absq́; difficultate, & planè divino auxilio ſedatur, ne gravius inde damnum aut incommodum, toti iſti ſplendido ædificio, atq́; adeò toti civitati emergeret.

Soluto conventu, & rebus feliciter peractis, Elector DRESDAM revertitur, & reliqua diſponit, ne quid relinqueret, quod ad principis induſtrij & vigilantis officium pertinere videretur exequendum.

Cum autem animum, ſuaſu matris illuſtriſsimæ, matronæ optimæ, ad uxorem adpuliſſet ducendam, Menſe Aprili anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, ſecundo, BVRCHARDVM Pincernam Baronem liberum Tautenbergium, legatum, cum ELIA Brandenſtenio, & THEODORICO Schleinicio, in DANIAM ad Regem CHRISTIANVM IV. ablegat, ut eundem de matrimonio contrahendo cum HEDVIGE, ſorore ejus ſereniſsima, multa ſuo nomine ſalute annunciata, amicè compellent, quæ res optato σὺν θεῷ fine non caruit.

1602. Legatio in Daniam.

Eodem menſe ſummâ cum feſtinatione arcis Dreſdenſis renovatio inſtituitur & peragitur.

Menſe autem Majo, Specialis Viſitatio ab Electore, Nobiliſsimis, Reverendis, Ampliſsimis, Conſultiſsimisq́; commiſſa viris, Dn. IOHANNI FRIDERICO Schonbergio, Witebergenſis civitatis Præfecto & Capitaneo integerrimo; Dn. Polycarpo Leiſero, SS. Theologiæ Doctori, Concinatori aulico Theologo ſummo; & Domino Chriſtophoro Richtero, Iureconſulto,

Chriſtianus II. Elector Saxoniæ. & Electorali conſiliario intimo, feliciter ſuſcipitur, initio facto à LIPSIENSI Academiâ, quo in loco per octiduum rebus componendis commorati ſunt, inde VVITEBERGAM venerunt, ac ibidem negocijs optimè diſpoſitis, poſtea provinciales, & illuſtres Scholas inſpiciunt, quibus omnibus ac ſingulis augendis & amplificandis, nulli maiorum ſuorum laudatiſſimorum munificentia & liberalitate hic noſter Elector illuſtriſſimus cedit: Æquè enim, atq; maiores munificentiſſimi, magnam pecuniæ ſummam, in utraſq;, ut & in Scholas illuſtres, contulit, teſtis eſt LIPSIENSIS, teſtis VVITEBERGENSIS Academia, teſtes ſunt Scholæ illuſtres ad ALBIM, ad SALAM, ad MVLDAM, fluvios.

8. Septemb. Legatio Matthiæ Archiducis Auſtriæ. Dictum eſt, Electorem illuſtriſſimum matrimonij contrahendi causâ, Legatos miſiſſe ad Regem DANIÆ, eiusq; ſororem cupijſſe in uxorem ſibi iungi. Eius igitur in auditione perceptâ certitudine, MATTHIAS, Auſtriæ Archidux, Jmperatoris frater, VI. Jdus Septembris, triduo nimirum ante nuptias, octo inſignibus equis Vngaricis niveis, verſicolore tinctis DRESDAM miſſis, Electorem, ſponſum muneris loco curat affici, eiq; de nuptijs feliciter incundis per Legatum ſuum gratulatur.

Nuptiæ eius 11 Sept: inſtitutæ. Nuptias autem cum regiâ coniuge, 3. Jdus Septembris DRESDÆ Elector, magnifico apparatu, & ſplendido ſumptu celebrat: Equites ex invitatis aliquot mille fuêre, præter hos, ſpectatorum ex alijs provincijs turba frequens & copioſa. Duravit verò iſta ſolennitas dies continuos plus ultra octo, varijs ſpectaculis & certaminibus, equeſtribusq; decurſionibus peracta, in quibus Elector, ſponſus illuſtriſſimus, ultra viginti pocula & vaſa argentea, auroq; inducta, ſummâ cum laude deportavit.

Legatus Imperatoris 20 Sept: Dreſdam ingreditur. Finitis ferè nuptijs, ab ipſo Jmperatore RVDOLFO II. miſſus Legatus Landgravius Leuchtenbergius, XII. Calend: Octobris DRESDAM venit, Jmperatoris nomine gratulatum Electori, de nuper inito & completo matrimonio, cui equitatu ſuo, Dux Lunæburgicus CHRISTOPHORVS, iuſſu Electoris obviam procedit.

1603. Immunitas exulibus paſtoribus conceſſa. Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, tertio, piâ Elector motus commiſeratione erga miſeros exules; ob religionem Chriſtianam & ſinceram, non ſolum inhumaniter crudeliterq;, Diaboli impulſu, à JESVITIS tractatos, verùm etiam in exilium ſummâ cum ignominiâ è CARINTHIA, STIRIA, CROACIA, MORAVIA, LVSATIA, SILESIA, AVSTRIA, tam inferiori, quam ſuperiori, & nonnullis BOHEMIÆ locis, pulſos, quorum fermè fuêre mille Sexcenti, præcipit ac iniungit, omnibus ſuarum ditionum Præfectis, Quæſtoribus, Conſulibus, & Senatoribus, imò Mechanicis civitatum, in municipia non ſolùm recipiendos, ſed & muneribus tàm Eccleſiaſticis, quàm Politicis, præficiendos, præſertim eos, qui inſtructi à teſtimonijs eſſent, teſtesq; ſui exilij haberent veraciſſimos, perinde ac eius celſitudo hoc, ipſo facto eorum egeſtati ſuccurrendo, teſtatum fecerit, conceſſâ ijs- *4. Februarij.* dem è ſingulari munificentia, publico mandato pridie Nonarum Februarij divulgato, immunitate, quâ à tributo cereviſiario, alijsq; penſionibus, quadriennio ſpacio in urbibus montium Sudetarum, biennio verò in reliquis, liberi omninò ſint & exiſtant.

Comitia Ratisbonenſia. Ad Comitia autem, hoc anno menſe Aprili, ab Jmperatore RATISBONAM indicta, licet Elector ipſe certis quibuſdam de cauſis accedere non poſſet, nihilominus tamen Legatos ſuos, gratiâ teſtandi ſuam erga Jmperatorem ſubiecti animi obſervantiam, mittit. Jis autem primùm talia auxilia ad bellum Turcicum continuandum contra immaniſſimum Chriſtiani nominis hoſtem

hoſtem, Imperatori ab ordinibus Imperij promittuntur & præſtantur, qualia ante hæc tempora nulli Imperatori præſtita fuerint. Poſteà contributio pecuniarum ab ijsdem Ordinibus communi conſenſu decernuntur, causâ reprimendarum hoſtilium incurſionum, quibus Imperij Romani ſubditi in BELGIO, & in tractu weſtovalico, & Rhenano, ab HISPANIS, eorumq; aſſeclis, aliquot jam annis miſerè affligebantur. Tùm, nonnihil etiam pecuniæ, è liberalitate eorundem Ordinum, pacificationi iſti, quæ inter Belgas & Hiſpaniarum Regem iniri debebant, aſsignatur. Duraverunt itaq; iſta Comitia Imperialia usque ad finem Menſis fermè Iulij. *Chriſtianus II. Elector Saxoniæ.*

Quemadmodum autem ad clavum gubernationis ſedentes, multis periculorum telis plerumq; expoſiti ſunt, ita etiam huic noſtro Electori uſu venit, ut VI. Idus, Menſis Aprilis, hoc in anno dum venationibus animi gratia indulſiſſet, & exinde veſperi redijſſet, quidam emiſſarius ſclopeto inſtructus, vitæ illius inſidias propè GREVENHENICHAM intentaret. Verum id ſingulari DEI beneficio, qui Magiſtratus à ſe conſtitutos, ut pupillam oculi tuetur, impeditum eſt, capto in finibus Anhaldinis, & vinculis conſtricto obſcuro illo & ſceleratiſſimo nebulone, qui prius TORGAM, deinde DRESDAM deducitur. *Vitæ periclitatio Electoris.* *8. Aprilis.*

Capitur deindè & alter ſicarius, & Dreſdam III. Non: Septembris perlatus, cum priore quæſtionibus ſubijcitur, ubi ambo fatentur, ſe pecunia ab aliis inſtinctu Diaboli corruptos ad id execrandum facinus perpetrandum acceſſiſſe, quod tamen Deus ter optimus, ne in effectum produceretur, clementer ſuos protegendo, benignè prohibuit. *3. Septembris Sicarij capti.*

Vinclis quoq; conſtringitur & alius quiſpiam, & DRESDÆ, propterea quod monetam adulteraverit, Nonis ſeptembris capitali afficitur ſupplicio, qui prius capite mulctatur, deinde ignibus comburendus, committitur. *Monetarius quiſpiam Supplicio affectus 5. Septemb.*

Anno ſupra millesimum ſexcenteſimum, quarto, V. Calendarum Maij, percelebris illa, & annis centum & octo, ob fodinas metallicas ibi repertas, ſplendidè exædificata urbs, Imperium tùm temporis MAXIMILIANO I. FRIDERICI III. Imp. ex LEONORA Luſitanica filio, CAROLI V. avo paterno, tenente, ac provinciam illam regente ALBERTO, Duce Saxoniæ, hujus Electoris abavo celeberrimo, Phryſiæ gubernatore, ignibus conſidet, in cineresq; redigitur, flammâ in platea Volckenſteniana ex automatarij fabricâ, horâ primâ pomeridiana erumpente, duodecim horarum ſpatio ædificia omnia, cum publico privatoq; urbis ornatu, duodecim ædiculis ac templis excepto devaſtante. *1604. Annaberga incendio conſumpta 27. Aprilis.*

Quinto Nonarum verò Octobris, quidam Cometa, & ſtella ſive lampas crinita & argentea, major tamen planetis elevata ſuper Iovem & Martem, non procul à Saturno, & ſigno Zodiaco, Sagittario, Sedem habens, unde non immerito Iovialis & Martialis dici poſſet, in ſupremâ aeris regione, in octavâ domo Martis, reſpectu viſus noſtri, apparuit. Apparuit autem tanquam quartus planeta, & major omnibus, & quaſi reliquos conſumaturus. *Cometa conſpectus 3. Octobris.*

Viſa ſunt quoq; pridie Iduum, & ipſis Idibus ejusdem Menſis, chasmata magna in aere accenſa, qualia fortaſſe non ſunt viſa inde ab exordio mundi. Quamvis autem anno ſupra milleſimum quingenteſimum, ſeptuageſimo ſecundo, ſimilis ferè Cometa argenteus, roſeusq;, prope Caſsiopejam, viſus ſit: attamen effectus hujus Cometæ videtur multo horribilior, cum ultra triginta annos, ſecundum Aſtronomos, iſte ſe ſua efficatia ſit extenſurus. Et quia apparuerit in loco declinante, ſecundum Ptolemæum, vel in octava domo mortis, portenturus eſt morbos plurimos, ac repentinas neces, & quia argenteus, & in *Chaſmata viſa.* *Vaticiniorum quædam certitudo.*

Sagit-

Chriſtianus II. Elector Saxoniæ. Sagittario, ac in Octava domo mortis, fuerit immobilis, minaturus videtur adventum provincialis alicujus hoſtis, clandeſtinos motus, incendia, & bella civilia, atq; alia plurima mala, cauſa religionis & juſtitiæ violatæ, excitata. Qualia ſunt, quæ partim in inferiori & ſuperiori HVNGARIA, partim MORAVIA, STIRIA, aliiſq; in locis, hactenus easdem ob cauſas, extitêre plurima.

Anno ſupra milleſimum Sexcenteſimum, quinto, IV. Calend. *1605. Supplicium de Siccariis Dresdæ ſumptum. 29. Janua.* Februarij de ſiccariis, qui Electori mortem intentaverant, capitale ſupplicium DRESDÆ publicè ſumitur, ubi alter in quatuor diſſecatur partes, ſuſpenſis ad quatuor viarum publicarum plagas partibus, ut moris eſt, alter verò ignitis forcipibus prius laceratus, deinde rota necatur.

Hoc quoq; anno, VIII. Idus Maii, & pridiè aſcenſionis CHRISTI, ſervatoris noſtri unici, *Lauſiga opp. exuſtū. 8. Maij.* Lauſiga oppidum igne conſumptum, hora ſecunda pomeridiana, quod incendium ex incuria civis cujusdam fertur excitatum.

Eodem autem anno neceſſariis, & gravibus de cauſis impellentibus Elector *Conventus Torgam indictus 10. Junij.* viciſſim conventum provincialem TORGAM, ad IV. Idus Iunij indicit, qui etiam circa exitum hujus Menſis feliciter finitur.

Vt autem more majorum ſuorum celebratiſsimorum, Elector hic laudatiſsimus, nihil utilius, nihil commodius, nihil ſalutarius, toti Chriſtianæ Reipublicæ eſſe arbitratur, quam ut una cum genuina & incorrupta illa Evangelij *Pietatis commendatio.* doctrina & Chriſtiana religione, pax quoq; & tranquillitas, in toto Electoratu aliisq; ſibi ſubjectis ditionibus, conſervetur, ſartaq; & tecta retineatur: Ita ſeſe non minori, ac majores præſtantiſsimi & celeberrimi, beneficentia nutritium & altorem Eccleſiæ & ſcholarum munificentiſsimum exhibet, in iſtis non ſolum viſitatione annis ſuperioribus inſtituta ritè inſpectis ac optimè conſtitutis, verùm etiam ijsdem in eodem vigore & flore adhuc retinendis & conſervandis.

De Theodoſio Imperatore prædicatur, cum ſæpius dixiſſe: Theſaurum *Reverentiæ Studium erga S. Miniſterium.* hunc eſſe omnium precioſiſsimū, ſi quis verbo divino, & miniſtro bono Eccleſiæ beetur. Et Philippus Melanthon de Alberto, Marchione primo BORVSSIÆ, refert, ipſum hæc in verba frequenter erupiſſe: Sanctus ego non ſum, at ſanctorum conſortio & colloquio admodum delector: Et ô utinam ſemper ad manum mihi eſſent decem Theologi, vita & doctrina commendabiles & probati, tunc & ſuavius viverem, & ſuavius mori ſcirem.

Simili modo hujus noſtri Electoris illuſtriſsimi pietatem, qua nihil prius, nihil pulchrius, nihil antiquius, nihil laudabilius, nihil utilius, magisq; neceſſarium, ad hujus vitæ felicitatem, & futuræ æternæ ſempiternam beatitudinem conſequendam exiſtit, ejusdemq; erga ſanctum miniſterium, ac pios verbi divini miniſtros reverentiam, vir quidam ſummæ exiſtimationis, & Theologus eximius, nec non præco verbi cæleſtis his in regionibus fidelis, ſuo quodam in Commentario ſupra Divi Pauli Apoſtoli ad GALATAS epiſtolam, ſummis ad cælum laudibus evehit, dum de hac virtute, Ducibus Saxoniæ imprimis admodum familiari, diſſerit, eandemq; laudatiſsimo ad omnem poſteritatem exemplo, non tam in FRIDERICO III. Sapiente: IOHANNE, JOHANNE FRIDERICO I. ac MAVRICIO, Electoribus: & HENRICO Duce Saxoniæ: quàm AVGVSTO & CHRISTIANO I itidem Electoribus laudatiſsimis, & FRIDERICO GVILIELMO, Proelectore celebrat, de quibus talem in modum his nimirum verbis laudabiliter memorando prædicat.

Auguſt.

AVGVSTVS ille, cujus fama ad cælos usq; pertigere, maximo honore & amore miniſtros verbi proſecutus eſt, & pro piaculo duxit, ſi tecto capite cum Theologo loqueretur: Idem factitavit Dux CHRISTIANVS I. & FRIDERICVS GVILIELMVS, ambo laudatiſsimæ memoriæ principes. Et eorum veſtigia feliciter premit CHRISTIANVS. II. Elector Saxoniæ, de cujus obſervantia erga miniſterium multi mecum teſtari poſſunt. Non poteſt generoſiſſimus hic princeps negare quicquam petentibus miſeris præconibus: immò non petentibus ultro gratiam & clementiam offert ac confert. Verè teſtor, obſtupuiſſe me haud raro, cum incomparabilem clementiam Electoris, tum erga me, tum erga alios verbi miniſtros viderem, quam & verbis honorificis, & factis, & geſtibus quoq; exprimit. Hæc ille.

Chriſtianus II. Elector Saxoniæ.

Theologi cujusdam verba de reverentia Electorum Saxoniæ erga miniſterium.

Singularibus porrò teſtandæ voluptatis gratia, quam ex lege Domini, ac meditatione verbi ejus per CHRISTVM revelati, hauriat & capiat ſummam hoc Symbolo præ cæteris hic Elector noſter CHRISTIANVS delectatur planè Chriſtiano: TIME DEVM: HONORA CÆSAREM.

Reliqua de hoc noſtro Electore laudatiſsimo memoranda quod attinet noſtrum non eſt pluribus referre, cum per ſe res ipſa loquatur, omnibusq; adeò perſpectum cognitumq; ſit. Ea itaque memori relinquenda & reſervanda poſteritati eſſe, in præſens ducimus.

Devotis autem precibus, æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, redemptoris noſtri unici, defenſorem ordinis ſui, non tàm Eccleſiaſtici, quàm politici, ac Oeconomici, juſtiſſimum, ut Electorem hunc, Dn. CHRISTIANVM. II. Dominum noſtrum clementiſſimum, ac à ſe Magiſtratum his terris & ditionibus Saxonicis conſtitutum æquiſſimum, unà cum Regia conjuge ſereniſſima, fratribusq; Principibus ac Dominis quoq; noſtris benigniſsimis, cumq; illuſtriſsimâ Viduâ matre, matrona ſanctiſsima, & ſororibus inclytis, pro ſua immenſa paternaq; bonitate, ſicut hactenus, ita & in reliquum, ac per totius vitæ ſpacium, ab omnibus malis, periculis, & incommodis tam corporis, quàm animæ, tutum præſter, protegat, tueatur, defendat, ac regat, ut non minùs, quam hactenus ab eo laudabiliter factum, in poſterum quoq; ſtrenuè imitando virtutem, & gloriam immortalem, laudatiſsimorum ſuorum majorum & progenitorum, SIGHARDEÆ & VVITECHINDEÆ antiquæ Regiæ proſapiæ, & ex ea, CONRADI Magni: HENRICI Munifici; ſive Illuſtres: FRIDERICI Fortis: FRIDERICI Gravis: FRIDERICI Strenui, vetuſtiſsimorum Marchionum Miſniæ, & Landgraviorum Turingiæ: FRIDERICI I. porrò Bellicoſi, primi Electoris Saxoniæ, Tritavi ſui, ac titulo hoc honoris, annis ab hinc fermè centum & octoginta duobus acquiſito, & longa ſerie, adeoque nunc divina favente gratia, ad decimum usque inclytæ familiæ Electorem, trinepotem ſuum propagato, fortitudinem: FRIDERICI II. Placidi, atavi manſuetudinem: ALBERTI, abavi, Animoſi & Herculis Teutonici, ac dextra manus Imperij nuncupati, Heroicum robur: HENRICI,

proavi,

Iohannes Georgius Dux Sax.

proavi, pietatem & repurgatæ religionis ſtudium: AVGVSTI, avi verè Auguſti, prudentiam: CHRISTIANI. I. deniq; parentis, ſplendorem eximium, una cum ſumma Iuris & Juſtitiæ æquitate conjunctum: Nec non reliquorum à latere junctorum MAVRICII Electoris, patrui magni: GEORGII propatrui: ERNESTI Electoris abpatrui: FRIDERICI III. Sapientis: JHOANNIS Conſtantis: & IOHANNIS FRIDERICI I. Magnanimi, Electorum, appatrui filiorum, & nepotis, hujusq; liberorum, ac inter hos, FRIDERICI GVILIELMI, Proelectoris, æternam famam & celebrationem aſſequatur, partamq; & longa ſerie propagatam, non tantum integram & indemnem conſervet, ad poſterosq; transmittat: verum etiam augeat atq; amplificet, ac non tam nos ſubditos ſubjectiſsimos, optimè & diutiſsimè defendat, foveat, nutriat: quàm publicæ ſaluti, paci ac tranquillitati, hoc præſertim perturbatiſſimo Jmperij ſtatu, & tempore mundi poſtremo, eoq; difficilimo, benè & utiliter proſpiciat, conſulat, commodet, quo pax illa aurea, eaq; exoptatiſsima, & concordia conſentiens, & dulciſsima, omni ex parte, in Eccleſiis, in Scholis, in Politia, in Oeconomia, conſervetur, ſarta tecta in perpetuum retineatur, ad divini nominis gloriam illuſtrandam, verbi divini & cæleſtis ſinceritatem ad poſteros propagandam, & ſuam ipſius, ſuorumq; ac ſubditorum ſalutem provehendam & promovendam.

IOHANNES GEORGIVS.

Natus 5. Martij 1585.

IOHANNES GEORGIVS, ſecundus CHRISTIANI. I. Electoris filius: Naſcitur in arce DRESDENSI, anno ſupra millesimum quingenteſimum, Octogeſimo quinto, III. Nonarum Martij, hora X. veſpertina.

Vxor.

Vxor ejus ELISABETHA SIBYLLA, filia FRIDERICI, Ducis Vuirtenbergici & Teccenſis, Comitis Montiſpelicardi, Domini Heidenhemij, ac utriusq; Regij ordinis Galliæ & Britanniæ, equitis aurati.

Ingenium.

Ingenium in hoc flagrans & ardens ſtudium viſendi exteras nationes & gentes, aptum rebus agendis, in omnibus haud diſsimile Mauriciano ingenio, patrui ſui magni.

Educationis ſollicitudo.

Non minori autem cura & diligentia Tutoribus & altoribus, à parente morituro, commendatur. Itaq; cum fratre illuſtriſsimo CHRISTIANO II. in omni genere pietatis, veræ religionis, & virtutum heroicæ indoli convenientium, à puero exercetur & diligenter inſtituitur.

Adminiſtrator poſtulatur præſulatus MERSBVRGENSIS unanimi totius capituli ordinum & procerum conſenſu & voto.

Adultior Paulò factus, JTALIÆ, GALLIÆ, HISPANIÆ fines, fidelibus ſtipatus Conſiliariis, paucisq; miniſtris fidis, ſpacio aliquot Menſium perluſtrat, & eo ipſo tempore Romam venit, quo Pontifex Romanus Jubilæum feſtum, ſolenni ſanè ritu, magna in frequentia & concurſu hominum & populorum exterorum celebraret.

Anno ſupra millesimum ſexcenteſimum, ſecundo, V. Idus Februarij, è difficili ſua & plane periculoſa peregrinatione feliciter & σὺν θεῷ τῷ μεγίστῳ reverſus; à fratre Electore, & matre miro ejus deſiderio flagrante, ſummo cum gaudio & gratulatione maxima excipitur.

Anno

Iohannes Georgius Dux Sax.



Anno ſupra milleſimum Sexcenteſimum, tertio, Mersburgenſis diæceſis Proceres & ordines, ſicut ante hunc IOHANNEM GEORGIVM unanimi totius Capituli conſenſu ADMINISTRATOREM ſibi poſtulaverant, ita nunc DRESDAM legatos ablegant, ut oblato eidem omni ſuæ ſubjectionis officio & ſtudio, cum invitarent, quo haud gravatim ſe accedere dignetur, iuramentum coràm exacturus fidelitatis, qui VII. Idus Maij MERSBVRGVM veniens, convocatis omnibus & ſingulis in urbem iſtius diæceſeos ſubditis, & juramento fidelitatis & ſubjectionis præſtito, eos in fidem & clientelam ſuſcipit & rebus omnibus divina annuente gratia feliciter, & ad voluntatem fluentibus expeditis, ſummo cum ſubditorum benepreeantium voto Dreſdam revertitur, ubi locum aulæ jam ſuæ habet in ædibus iſtis, quas vivente AVGVSTO Electore, avo, CHRISTIANVS. I. parens, piæ & feliciſſimæ recordationis, poſſedit, & quæ jam in ampliorem melioremq; formam redactæ ſunt.

Nuptias

Johannes Georgius Dux Sax.

Nuptias autem ſuas cum laudatiſſima ac morum probitate, inſigniſq; venuſtate & nitore ſpectatiſſima, filia illuſtriſſimi Ducis Vuirtembergici, ut dictum, DRESDÆ, XVI. Calend. Octobris, anno ſupra milleſimum, ſexcenteſimum, quarto, devotis ad Deum pro connubij felicitate ac diuturnitate, fuſis precibus, ſumma animorum conjunctione, ſummaq; populi gratulatione celebrat.

1606. Io. Ianua. Obitus uxoris ejus dilectiſſimæ.

Verum autem nihil in mundo conſtans & firmum omnino permanet, quod non aliquibus fortunæ procellis concutiatur: Ita quoq; hic Princeps ſæviſſimis fortunæ telis petitus, verum eſſe ſummo cum dolore comperit, quod apud Eſaiam. XL. legitur: omnem carnem fœni inſtar eſſe, ac omnem ejus ſubſtantiam ſimilem floſculis campi: Nam dum ſuaviſſima non ſolum voluntatum unanimitate, unanimi ſtudiorum concordia, concordi mutui amoris & benevolentiæ fraternæ caritate, cum fratre Electore uno in loco vivit: verum etiam conjugem inclytam, dilectiſſimam cariſſimamq; conjunctiſſima dulciſſimaq; ſententiarum voluntate, ac mutua concordia, amoreq; verè complectitur conjugali, accidit, pro dolor, ut dicta uxor ejus melliitiſſima, per XIV. dies febri conflictata ardentiſſima, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum, ſexto, IV. Idus Ianuarij, paulo ante horam tertiam pomeridianam, victa morbi atrocitate, DRESDÆ diem ſuum obiret, maritoq; illuſtriſſimo mæſtiſſimoq; deſideriũ ſui maximum relinqueret, cum vixiſſet cum eo unanimiter concorditerq; nondum integrum Seſquiannum, ſed Menſibus adhuc duobus, & tredecim diebus deficientibus.

Votum pro Principibus devotiſſimum.

Deus ter opt: max: omnis fons tolerantiæ ac patientiæ, miſericordiæ ſuæ in ira juſtiſſima ſemper memor, viduum hunc ex obitu dilectiſſimæ conjugis conſternatiſſimum, ſpiritu ſuo confirmet & conſoletur, legitimoq; luctus tempore tandem finito altera ſuaviſſima & pietate ac moribus, virtute atq; ingenio hujus piè in CHRISTO defunctæ haud abſimili conjuge exhilaret. Idemq; benignus auctor pacis & concordiæ, largiatur ſuam in poſterum gratiam divinam, ut ſicut hactenus more progenitorum ſuorum laudatiſſimorum, FRIDERICI nimirum ſtrenui, ac fratrum ejus BALTHASARIS & GVILIELMI. I. Marchionum Miſniæ, & Landgraviorum Turingiæ illijpſi fratres illuſtriſſimi, laudabiliter unanimi vixerint conſenſu: Ita quoq; in reliquum, ac non minus, ſicut olim, annis centum, ſeptuaginta ſeptem, à Tritavo, FRIDERICO I. Bellicoſo, Electore, hoc in ſtemmate & gradu primo, mortem jam penè intra præcordia continente, admoniti filij laudatiſſimi, FRIDERICVS II. Placidus, & GVILIELMVS III. fratres illuſtriſſimi, licet primo quidem, admonitione illa parentis poſthabita, bella impulſu conſiliariorum gravia inter ſe gerentes, poſteà verò vel unico ipſorum colloquio reconciliati, ejuſdem memores, conjunctiſſimè in poſterum ſumma & nunquam intermoritura cum gloria viventes, mutua caritate & benevolentia ſe amplectantur, ut in-

diſſo-

diſſolubili inter ſe animorum, voluntatum, ſententiarumq́; vinculo vivant, & quantum fratri ſe natu majori, & dignitatis hæredi, alter minor natu detulerit, & obſervantia illius nulli ceſſerit, tantum ſibimetipſi commodet. *Iohannes Georgius Dux Sax.*

Alter verò minori parcat, ac omnia humanitatis, benevolentiæ, ac manſuetudinis officia deferat, memores Pſalmi iſtius, CXXXIII. & dicti ESAIÆ prophetæ XXXII. cap. ECCE QVAM BONVM ET QVAM IVCVNDVM, HABITARE FRATRES IN VNVM: ET VBI SEDET POPVLVS IN PVLCHRITVDINE PACIS, ET IN HABITACVLIS FIDVCIÆ, ATQVE IN REQVIE OPVLENTA etc. Vtq́; alter, præter & ultra laudatiſsimorum, celeberrimorum, fortiſsimorumq́; majorum æternam famam & gloriam imitandam, repræſentet quoq́; virtute, proavum maternum, CHRISTIANVM. III. Daniæ Regem, cui cognominis, alter verò præter dictos omnes, avum itidem maternum, IOHANNEM GEORGIVM, Marchionem Brandeburgicum, & Electorem, cui & ipſe cognominis, nec non MAVRICIVM Electorem, patruum magnum, cui animo, moribus, ac ingenio ſimilis referat, ac imitetur, exoptatosq́; ſummâ cum lætitiâ, videant, natos progenitos, & qui naſcentur ab ipſis, felicitate abundare & florere perenni, inq́; optima tranquillitate, requie jucundiſsima, paceq́; illa aurea, eaq́; exoptatiſsima; vivendo vincant vivacis cornua cervi, ut cum poeta loquamur, devotè exoptamus.

Auguſtus III. Dux Saxoniæ.

AVGVSTVS III.



Natus 7. Septembris 1589.

AUGVSTVS. III. CHRISTIANI I. Electoris tertius filius, & natu minimus. Naſcitur Dreſdæ anno ſupra milleſimum quingenteſimum, octogeſimo nono, VII. Idus Septembris.

Bimulus & Septendecim dierum puer, cum parens ejus deſideratiſsimus, CHRISTIANVS I. Elector, vitam hanc caducam & fluxam, cum cæleſti & immortali illa commutaret. In natu itaq; minimo, filiolo lectiſsimo, nepote cariſsimo, agnato optatiſsimo, dextrè educando & erudiendo, major parentem jamiam moriturum,

rum, avum Senio confectum, agnatum dolentem & mærentem, major, inquam inceſsit anxietas, ſollicitudo & cura, quibus omnibus acceſsit inſuper matris etiam pientiſsimæ, viduæ conſternatiſsimæ relictæ, incredibilis affectus & συμπάθεια. *Auguſtus III. Dux Saxoniæ.*

Primum DRESDÆ, una cum reliquis illuſtriſsimis Dominis fratribus, literis imbutus à viro doctiſsimo & ornatiſsimo, ELIA Reinhardo, præceptore dexterrimo, & teneræ iſtius ætatis informatore feliciſsimo. *Pueritia.*

Poſtea poſtulatus adminiſtrator Numburgenſis, ac etiam RECTOR Academiæ VVittebergenſis MagnificentiſsimusXVII. Calend. Novembris, ſupra milleſimum, ſexcenteſimum, primo, Academiæ IVBILÆO ſeculari primo exeunte, ſolenniter renunciatus, uti primum & ſecundum ejusdem feliciter conjunxit, ita ſumma cum laude, ſtrenuaq; alacritate, ampliſsimo illo munere aliquot jam annos fungitur. *Adminiſtor Numburgenſis.* *Rector Academiæ Vuittebergenſis. 1601.*

Eſt igitur, quod lætetur, ſibiq; metipſi gratuletur vel maximè VVitebergenſis communitas, quod non ſolum initio ab illuſtriſſimo, celſiſsimoq; Duce Saxoniæ & Electore, FRIDERICO III. qui ob ſingularem prudentiam, eximiamq; animi ſagacitatem, qua præ cæteris ſui ſeculi Principibus excelluit, cujusq; in CAROLI. V. Imp. deſignatione, perinde ut & ipſius atavus FRIDERICVS Gravis, in CAROLI IV. Imp. electione, ſpecimen edidit commendabile, SAPIENS cognominatus eſt, fundata XIV. Calen. Novemb. die nimirum D. LVCÆ Evangeliſtæ ſacro, aperta ſit, ac plurimis ab eo ornamentis ac beneficiis ſit ornata, ſingularique DEI præpotentis beneficio, indies magis magisque accreverit, verum etiam vertentibus & inſequentibus annis præſentia & conſuetudine plurimorum illuſtriſsimorum, illuſtrium & generoſorum, triginta quatuor Iuvenum, hactenus Rectoratum ſumma cum nominis ſui exiſtimatione ſuſtinentium, & inter hos duorum Saxoniæ ducum, alterius IOHANNIS ERNESTI, Electoris iſtius JOHANNIS, ob exhibitæ in Comitiis iſtis magnis Auguſtanis CAROLO V. Impera. anno ſupra milleſimum quingenteſimum trigeſimo, confeſsionis veræ fidei, ac ſummo pietatis ſtudio defenſæ auctoritatem, conſtantiam atq; integritatem Conſtantis dicti filii, & hujus AVGVSTI III. CHRISTIANI I. filij AUGVSTI, I. nepotis, ac FRIDERICI III. fundatoris hujus Academiæ ex latere in quarto gradu abnepotis hactenus gaviſa & uſa ſit, quemq; maximis animi, corporis & ingenij dotibus florentem, ſumma cum animi alacritate veneratur, ſuſcipit, magnifacit, honorat, colit, obſervat, atq; extollit. *18. Octobr.*

Anno

Auguſtus III. Dux Saxoniæ.

Anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexto, cum jam ultra quinquennium laudabiliter in Academia vixiſſet, inq; artium cognitione ipſaq; adeò Iurisprudentia progreſſus felices & haud contemnendos feciſſet, ac ſumma & minimè intermoritura cum gloria ſummaq; æquitate & magnificentia ampliſsimi Rectoratus vicem inibi geſsiſſet, adultior factus in aulam, illuſtriſsimi Celſiſsimiq; fratris Electoris, ſe confert, cum quo, & altero Dn. fratre, unanimi ſuaviſsimoq; conſenſu, ſumma etiam cum admiratione & delectatione omnium, vivit, eoſq; laudabili fraternoq; affectu ac animo complexos in oculis fert, amat, diligit, admiratur, morumq; ſuavitate & amabilitate, uti à Deo termaximo optimoq; præclarè præditus & ornatus eſt, ſua præſentia vehementer exhilarat & recreat.

Cum autem avo laudatiſsimo, prudentiſsimoq; eoq; conſtatiſſimo, ſit cognominis, nihil aliud reſtare videtur, quam ut illi quoq; comprecemur, quo & ipſe amplius creſcat & augeſcat, paternæq; ac avitæ, nec non majorum ſuorum celeberrimorum, & præclariſſimorum, virtutis memor, eorũ præclariſsima veſtigia reipſa & nomine ſequatur, & ſedulò imitetur, ſibi maximis majorum ſuorum decoratus dotibus, æternam pariat gloriam, toti tandem poſteritati in perpetuum, laudabili exemplo futurus, & in æterna & cœleſti illa patria cum ipſis & omnibus piis electis Chriſtianis, olim gaviſurus,

AMEN.

FINIS.

PERSONARVM AC RERVM MEMORABILIVM ET MAXIME INSIGNIVM INDEX.

A.

Abraham Bockius, Conſiliarius Saxonicus. 79.
Ackena ad Albim fl. 114.
Adamus Wenceslaus D. Sileſiæ, Deſchenſis & Glocauiæ. 79.
Adamus Gallus Lobuitius Legatus Imp. 71.
Adamus Trode 106. legatus M. Brandeburgici Electoris ad pacificationem Paſſauienſem miſſus. ibid.
Adamus Tanner. 74.
Adolfus, Præſul Mersburgenſis è gente Anhaldinâ, peragit feſtiuitatem exaltationis oſſium Bennonis Præſulis quondam Miſnenſis. 92.
Adolfus f. Auguſti Electoris Saxoniæ. 88. 132.
eiuſdem obitus. 133.
Adolfus Vuinhuſius. 72.
Adrianus Steinbergius Loci præſes in Turingiâ. 113.
Ægidius Hunnius D. Theologiæ. 73.
Æmilia f. Henrici D. Sax. vxor Georgij M. Brandeburgici. 88.
eiuſdem obitus.
Æmylia f. Auguſti Elector. Sax. 88. 120.
ejuſdem obitus. 120.
Æſtas ſicca & calida.
Agnes f. Philippi Heſſi, vxor. I. Mauritij Electoris Saxoniæ. 39. 88. 96.
Vxor altera Ioh. Friderici II. D. Sax. 1. 50.
Agnes Heduigis, vxor altera Auguſti Elect. Sax. 130.
Agreſtium tumultus. 24.
Albertus, Archidux Auſtriæ. 73.
Albertus Bauarus. 74.
intereſt pacificationi Paſſauienſi. 106.
intercedit pro captiuo Haſſo. 105.
Albertus D. Saxoniæ. 4. 7. 10.
Salzæ delectum agit. 9.
in Phryſiam contendit liberaturus f. Henricum ibid.
Albertus M. Brandeburgicus capitur ab Elect. Sax. 42.
dimittitur è cuſtodiâ. 45. 104.
reſtituendus in integrum ſi ab armis diſcedet. 108.
fungatur & vincitur à Mauritio Electore Saxoniæ in pugnâ Lemenſi. 109
Albertus Arc. Moguntinus. 1. 15. 29. 31. 36
Albertus II f. Iohan. II. D Saxoniæ. 1. 84. 85
Albertus I. Elector Saxoniæ. 114
Albertus II. Elector Saxoniæ. 114
fit Palatinus Brehnæ. ibid.
Superator à Magdeburgicis. ibid.
Albertus f. Mauricij Electoris Sax. 83. 110
ejuſdem obitus. ibid.
Albertus Roſebergius, rebellis. 121
Albertus C. Mansveldius. 25
ejuſdem literæ ad Muncerum ibidem.
conſentit in fœdus Smalcaldicum. 37
ejus deliberatio cum Principp. fœderatis de Synodo Mantuæ. 38
reſtitutus in integrum cum filijs. 103
Albertus Huncher. 74.
Aldenburgum. 15. 32
Aldenburgenſe colloquium. 45
Alexander f. Auguſti Electoris Saxoniæ. 88
Adminiſtrator Mersburgenſis. ibid & 132
eius obitus & elogium. 132
Alexander Milticius. 43
Alexander Plugius. 43
Alpes Rheticæ. 106
Alexius Breſnicerus. 65.
Alſatia. 71
tumultus agreſtium in Alſatiâ. 26
Alhardus Hordius tribunus D. Brunſuicenſis. 41
Alſtedenſes agreſtium ſeditioſorum complices. 25
Andreas Cardinalis. 73
Andreas Stolp. 35
Andreas Freyhubius. 64
Andreas Vngarus Franciſcanus iubetur exire Miſnâ Opp. ab Henrico D. Sax. 94
Andreas Zoch legatus Ioh. M. Brandeburgici miſſus ad pacificationem Paſſauienſem. 107
Angli vrbem Caliſo expugnant. 115
Anna-Maria f. Philippi-Ludouici C. Palatini Rheni, vxor altera Friderici-Guilielmi Proelectoris Saxoniæ. 1. 67. 69
Anna-Maria f. Friderici-Guilielmi Proelect. 1. 67
Anna-Sophia f. Friderici-Guilielmi Proelect. 1. 67

Anna f. Maurici Elect. Sax. vxor Guilielmi Naſſouienſis P. Vraniæ. 88.119
ejuſdem obitus. 110
Anna f. Chriſtiani. III. R. Daniæ vxor prima Auguſti Elect. Sax. [illegible]
ejuſdem obitus. 130
Anna f. Auguſti Electoris Saxoniæ. 88. & 56
vxor Johan-Caſimiri. D. Sax. 88. & 56. 126.131
Anna f. Balthaſaris Landgr. Turingiæ, vxor Rudolfi. II. Electoris Saxoniæ. 115
Anna-Sabina f. Chriſtiani I. Elect. Sax. 88. 133
eiuſdem natiuitas & mors. 133
Annæburgia arx. 131
Antonius D. Lotharingiæ aliquot millia agreſtium ſeditioſorum occidit. 26
Antonius Hunle. 36
Ανώνυμ. f. Friderici-Guilielmi, Proelectoris Saxoniæ. 1.76
Ανώνυμ. f. Johannis.II. D. Saxoniæ. 1.84. 85
Apollo Rülicctius. 43
Aquiſgranum Cœnobium. 98
Argétina conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatibus in fœdus Smalcaldicum 34
Arona. 42
Armamentarium Dreſdæ. 131
Arnoldus Huppius. 103
Arnſteta capitur, & libertas ei adimitur ob tumultum ruſticum. 27
Arragonia. 73
Aſcherslebienſes agreſtium ſeditioſorum complices. 25
Articuli de præcipuis capitibus doctrinæ cœleſtis, conſcripti à Luthero vulgo Smalcaldici nuncupati. 39
Auguſta conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Auguſtana Confeſſio. 29.34
Auguſtana Comitia. 12.28.33.101.129.135
Auguſtus, Princeps Anhaldinus 79
Auguſtus I. f. Henrici D. Saxoniæ. 88.91
natiuitas & conjugium eius fœcundum. 111
eius liberi & virtutes. 112
eius acumen ingenij. ibid.
omnia parentis ibid.
tirocinia eius. ibid.
Adminiſtrator Merſburgenſis. ibid.
eiuſdem reſignatio. ibid
nuptiæ eius primæ. ibidem.
vnà cum fratre Electoratum accipit. ibid.
confirmatio feudorum ab Imp. 113
eius tranſactio cum cum agnato. ibid. 117
renouatio fœderis hæreditarij cum agnatis. 113
intereſt Auguſtanis Comitijs. ibid.
intereſt inaugurationi Ferdinandi R. ibidem.
ſedat tumultum contra Præſulem Miſn. ibid.
intereſt Comitijs Francofurtenſib. ibid.
item coronationi Maximiliani II. Imp. 119
poſtulatur rurſus Adminiſtrat. Merſb. 120
item Numburgenſis. ibid.
accipit inſignia ab Imp. Max. II. ibid.
Dux belli Gothani. 125
Obſidio Gothæ. 124
compeſcit latrocinia. 125
Synodum Theolog. Dreſdæ agit. 127
indicit Synodum Torgam. Ibid.
dirimit controuerſias Theologorum. ibid.
intereſt inaugurationi Rudolf. II. Imp. 128
reſignat Burggrauiat: Magdeburg. 129
contradicit Calendario Gregoriano. 130
obitus primæ conjugis. ibid.
nuptiæ eius ſecundæ. ibid.
morbus & obitus eius. 138
eius munificentia in Theologos. ibid.
in Theologorum viduas. ibid.
in vtramq; Academiam. ibid.
in ſtipendiarios. ibid.
eius amplificatio ditionum. ibid.
arces ab eo ampliores redditæ. ibid.
correctio conſtitutionum Saxonicarum. 132. elogia. ibid.
Auguſtiburgia arx. 131
Auguſtus II. f. Auguſti Electoris Saxoniæ. 88. 133
eiuſdem obitus. ibid.
Auguſtus III. f. Chriſtiani I. Elect. Sax. 88.
natiuitas eius. 151
Puericia eius. 152
poſtulatur Adminiſtrator Numburgenſis. 152
fit Rector Academiæ Witebergenſis. ibid
operam dat literis humanioribus. ibid.
eius diſceſſus ex Academia. 155
Auſtria à Turca infeſtatur. 35

B.

Balthaſar Landgr. Turingiæ. 115
Baſilica D. Petri Romæ. 4
Baſilius Munnerus. 50
Barbara Lignicenſis, vxor Rudolfi. III. Electoris Saxoniæ. 115
Barnimus D. Pomeraniæ cum proteſtantib. Princip.

Princip. & ciuitatib. conſentit in fœdus Smalcaldicum. 34
Bartholomæus Mandelslo.
Bartholomæus Roſinus. 65
Belgium. 89.118
Bellum Magdeburgicum. 102
Bellum Germanicum. 22
Bellum Saxonicum. 29
Bennonis Apotheoſis. 92
quo anno ſuſcepta: ibid.
Benedictus Pauli. 36
Bernhardus Weſtophalius. 73
Bernhardo Anhaldino datur Electoratus Saxonicus.
Bernhardus Anhaldinus. 79
Bernhardus D.Sax.f.Iohannis II. 1.86.87
Bernhardus Baumgartnerus. 35
Bernhardus Marzbeck. 36
Bertholdus Mandeslo. 107
Biberacum conſentit cum proteſtantibus Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Biſchofverda ignib. conſidet. 72
Blaſius Fabricius. 43
Bohemia. 78
Bornſtenium in Alſatia. 72
Brabantia. 90
Brema conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
liberatur obſidione. 44
Brehnæ Palatinatus & Marchionatus conceditur Alberto II. Elect. Sax. 114
Bregetium. 78
Brunſuiga conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Bruno C. Pleiſſenſis & Smolenſis fundator primi cœnobij Portæ. 98
Burchardus C. Barbienſis. 135
Burcha via. 115
Buda in Hungariâ à Turcâ occupata.
Bruxella, Brabantiæ opp. 61

C.

CAietanus Legatus PP. in Germaniam miſſus. 15
Cameracenſe Bellum. 23
Cameræ iudicium. 38
Campidunum conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Cantabria. 95
Carolus IV. Imp.
Carolus V. Imperator eligitur. 15.17.18.26.92
eius iudicium de Grmaniâ. 20
mittit ſuum Cancellarium Heldum Smalcaldiam. 34.38
agit Comitia Spiræ & Vuormatiæ. 40
arma gerit aduerſus R. Galliæ. 41.99
eius bellum cum Proteſtantib. 42.99
eiuſdem victoria. 43.97
eius reſponſio ad captum Elect. Sax. 44
capite damnat eundem. ibidem.
mitigat ſententiam capitalem: ibid.
capita conditionum Electori præſcripta. 45
Mauricium Electorem Sax. creat. ibid. V. 99.117
fugatur à Mauritio Electore. 106
ratam habet pacificationem Paſſauienſem. ibid.
tradit fratri habenas Imperij. 118
trajicit in Hiſpaniam. ibid.
adit clauſtrum religioſum. ibid.
eius obitus & Epitaphium. 118.119
Carolus Miltitius PP. cubicularius offert roſam auream Electori Saxoniæ. 15
eius Colloquium cum Luthero Aldenburgi ibidem.
obiurgat Tecelium ibidem.
eius relatio PP. data de Luthero. ibidem.
Carolus-Victor D. Brunſuigius cum parente capitur. 41
dimittitur è cuſtodiâ. 99.& 45
oppetit in pugna Peinenſi.
Carolus C. Mansfeldius reſtitutus cum parente in integrum ab Imp. 108
Carolus Lotharingius Cardinalis & Epiſcopus Metenſis. 75
poſtulatur Epiſcopus Argentinenſis. ibid.
Calendarium Gregorianum. 130.135
Caſimirus M. Brandeburgius ſedecim millia agreſtium ſeditioſorum reprimit. 26
Caſimirus R. Poloniæ vaſtat bellicis tumultibus Sileſiam. 3.23
Caſparus Spora. 11.17
Caſparus Cruciger junior. 64
Caſparus Ruxelebius captus ab agreſtibus ſeditioſis ad Francohuſiam. 24
Caſſellæ. 41
Caſſentana Inſula. 90
Caſilo vrbs ab Anglis expugnata. 115
Caſtilia Betica. 118
Caſparus Schonbergius. 43
Catechiſmus Witebergenſis. 127
Catharina f. Magni D. Magnapolitani, vxor Henrici D. Saxoniæ. 88.85
eiuſdem obitus. 119
Cæſareæ pacificationis cautio. 36
Cæſar Pflugius. 92

Cellenſis obſidio. 115
Chemnicenſis arx. 110
Chriſtina f. Erneſti Electoris Saxoniæ, vxor Henrici Rex Danorum. 1
Chriſtianus III. R. Daniæ intercedit pro capto Haſſo apud Imp. 105
Chriſtianus I. f. Auguſti Elect. Sax. 88.91.132
eius natiuitas. 133
conjugium eius & liberi. ibid.
eiuſdem educatio & exercitia corporis. 134
vicarius parentis inſtituitur. 135
nuptiæ eius. ibid.
intereſt Auguſtanis Comitiis. ibid.
aulæ ſplendor ſingularis. 136
eius ſtudium in diſponendis omnibus. ibidem.
auctor ſplendidæ elegantiæ. ibidem.
domus commeatuum. ibidem.
hippodromus inſignis. ibidem.
eius virtus generoſa. 136
luſtratio equeſtris ordinis. 137
agit conuentum Torg. 137
eius morbus. 139
eius diligentia circa liberos educandos. 137
Ipſe inſtituit Tutores. ibid.
eius obitus prematurus. 138
prodigia eius mortem præcedentia. ibidem.
inſcriptio hippodromi. 139
Chriſtianus II. f. Chriſtiani I. Electoris Sax. 88
natiuitatis eius tempus. 140
conjugium eius. ibid.
eius educatio. ibid.
gubernationis initium. 141
homagij juramentum à ſubditis exactum. ibidem.
eius legatio ad Imp. ibid.
agit conuentum Torgæ. 142
eius legatio in Daniam. ibidem.
nuptiæ eius. 143
immunitas exulibus conceſſa. ibid.
vitæ periclitatio. 144
alter conuentus Torgam indictus. 145
Theologi cuiuſdam prædicatio de hoc Electore. ibid.
Chriſtianus Schutz. 64
Chriſtianus Pontanus J. U. D. proſcriptus. 53
eiuſdem ſupplicium. 54.63
Chriſtophorus D. Wirtenbergicus. 1.66
intercedit pro capto Haſſo apud Imp. 105
Chriſtophorus D. Bauariæ moritur ſubitò in Italiâ. 12
Chriſtophorus Carolouicius, Legatus Imp. 124
Chriſtophorus Hartuſchius. 43
Chriſtophorus Leutſchius. 43
Chriſtophorus Greter. 36
Chriſtophorus Irenæus. 65
Chriſtophorus Landgrauius Leuchtenbergius capitur ab Electore Saxoniæ. 42
dimittitur è cuſtodiâ. 45
Chriſtophorus Dux VVirtenbergicus legatum mittit ad pacificationem Paſſauienſem. 105
Chriſtophorus C. Aldenburgicus in integrum reſtitutus ab Imp. 113
Chriſtophorus Zeruicius. 122
Chriſtophorus Crecerus ſicarius captus in Lotharingia. 121
Clades agreſtium Seditioſorum maxima. 24
Concordiæ liber. 128.129
Coburgum. 30
Cometa. 63.81.127.129.
Colonienſia Comitia. 30.34
Compoſtella in Hiſpania. 25
Conradus Zuick. 35
Concordiæ liber. 129
Conradus C. Techlenbergius ſocius Smalcaldici fœderis vexatur à Brunſuigio. 41
Conſiſtorium Miſnenſe inſtituitur. 99
Conſtantia conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Corcyra. 32
Cyprus. 12

D.

DAchſtenium opp. occupatur. 72.73
Damiata vrbs in Ægipto expũgnata, olim dicta Peluſium. 114
Damianus Loſerus teſtamentarius conſtitutus à Friderico III. Sapiente. 10.17
Daniel Brendel, Legatus Arc. Moguntini. 106
Daniel Dinaſtus occumbit. 71
Dauid Peiſerus J. U. D. reſtitutus in priſtinam functionem. 63
Dauid Rungius D. Theologiæ. 113
Dauid Baumgartnerus proſcriptus. 121
eiusdem ſupplicium. 122
Denſtetenſes mulctantur pecunia ob ſeditionem agreſtium. 27

Deſide-

Deſiderij fanum. 112
Dignitas Saxonici Electoratus, quo tempore ad Marchionis Miſniæ peruenit. 115
Dibenæ capiuntur duo plagiarij. 72
Diocletianus Imp. 118
Ditericus Ruliccius. 43
Ditericus II. Præſul Miſnenſis. 28
Dorothea-Suſanna f. Friderici. III. Palatini Rheni, vxor Johan-Guilielmi D. Saxoniæ. 1
eiuſdem obitus. 29
Dorothea-Maria f. Frid-Guilielmi Proelectoris Saxoniæ. 1.67
eiuſdem obitus. 67
Dorothea-Sophia f. Frid-Guilielmi Proelectoris Saxoniæ. 1.67
Dorothea f. itidem Frid-Guilielmi Proelectoris Saxoniæ. 1.67
Dorothea f. Auguſti Elect. Sax. vxor Henrici Julij D. Brunſuigij. 88
nuptiæ eius. 130
Dorothea f. Criſtiani I. Electoris Saxoniæ. 58.133
Dreſda capta. 42
Dreſdenſis Synodus Theologorum. 127
Dreſdenſis arx. 110
Duderſteta occupata à Brunſuigio. 27

E.

Ebrietas vitium. 13
Eberhardi Dux Wirtebergici reſponſio de celebritate ſuæ ditionis. 17.18
Eberhardus à. Than. 64
Echardus Ganſius. 43
Edezardus C. Embdanus. 13.91
Eduardus R. Angliæ. 115
Einbecca conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Eliſabetha f. Friderici III. Palatini Rheni vxor Johan-Friderici D. Saxoniæ captiui. 1.50
Eliſabetha f. C. Mansfeldij, prima Johannis-Erneſti II. D. Sax. 1.58
Eliſabetha f. Alberti. III. D. Bauariæ. mater trium Electorum Imp. 31
Eliſabetha f. Auguſti Elect. Sax. vxor Johan-Caſimiri Palat. Rheni. 88
nuptiæ eius. 126
Eliſabetha f. Chriſtiani I. Electoris Saxoniæ. 88.133
eiuſdem obitus. 133
Eraſmi judicium de Luthero. 16
Eraſmus Sarcerius. 105
Erfurdenſes arbitri poſtulantur à Mulhuſiis agreſtium complicibus. 25
Ericus D. Brunſuigius ſuperatur. 44
Erneſtus Ant. Magdebur. 1.10
Erneſtus Elector Saxoniæ, quando & quo tempore obiit. 3
Erneſtus II. f. Johannis II. Ducis Saxoniæ. 1.24
Erneſtus Schonburgius Georgij Ducis Saxoniæ legatus in bello agreſtium ſeditioſorum. 25
Erneſtus Dux Luneburg. & Brunſuigius, conſentit cum proteſtantibus Principibus & ciuitatibus in fœdus Smalcaldicum 34
eiuſdem deliberatio de Synodo Mantuæ. 38
Erneſtus D. Brunſuigius tribunus militum Electore Saxoniæ. 42
capitur. 44
dimittitur. è cuſtodia. 45
Erneſtus Archidux Auſtriæ. 78
Erneſtus M. Badenſis intercedit pro captiuo Heſſo. 105
Erneſtus Ant. Saltzburgenſis intereſt pacificationi Paſſauienſi. 107
Erneſtus Milticius præfectus vrbis Miſnæ. 92
Erneſtus Mandeſlo. 121
Eslinga conſentit cum proteſtantibus Principibus & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Eſchauiani reditus. 72
Exemplum eximiæ φιλοσοςγίας. 65
Exemplum cautionis Cæſareæ de pace publica Germaniæ. 36
Exorciſmus. 137
Epidemicus morbus. 129

F.

Fabianus Feilitzius. 17.91
Facha. 62
Fabianus Schonechius, Legatus Imp. in bello Gothano. 124
Ferdinandus R. Romanorum. 92
ambit pro ſe & filio Imperium Romanum. 104.
intereſt bello Germanico. 43
eius reſponſio ad Electorem Sax. captum. 44.45
fuga eius Oeniponte. 106
confirmat pacificationem Paſſauienſem. ibid. & 107.108
eius Inauguratio. 118.119
confirmat priuilegia Jenenſ. Acad. 61

venit Dreſdam viſitaturus Electorem Saxon. 122
ciuſdem obitus. ibid.
Ferraria 73
Flandria 118
Forum Iulium 23
Francohuſia capitur 24
mulctatur pecuniâ propter agreſtes tumultuantes 22
Franciſcus D. Lunæburgius & Brunſuigius receptus in numerum proteſtantium Princip. 33
conſentit in fœdus Smalcaldicum ibid
deliberat cum reliquis de ſynodo Mantuæ 38
Franciſcus R. Galliæ armis petitus à Carolo V. Imp. 40
adiuvatur à D. Brunſuigio 41
Franciſcus Princeps Patavinus 115
Francoſurdia ad Mœnum vexatur ab agreſtibus tumultuantibus, qui ibi ſuperantur 26
conſentit cum proteſtantibus Princip. & ciuitatibus in fœdus Smalcaldicum 33
eò Principes legatos ſuos mittunt 41
Comitia ibi celebrata 62.112
Francia opp. Phryſiæ, vbi captus detinebatur Henricus D. Saxoniæ 101
Fribergum vrbs metallica 92.94
Sedes aulæ Henrici D. Sax. 92.94
Fridericus III. Imp. quando natus 11
eius inauguratio 12
obitus & monumentum ibid.
Fridericus III. Sapiens Elector Sax. f. Erneſti Electoris 1.2.92
eius ingenium ibid.
tirocinia: iter in Italiâ & peregrinatio 3
initium regiminis: ibidem.
iter eius in Paleſtinam 5
Teſtamentum eius 6
Stipendia ſex pauperibus conſtituta 9
adit avunculum Fridericum III. Imp. 11
Salutat Turcicum Imperatorem ibid.
eiuſdem iudicium de hoc Electore ibid.
intereſt Comitijs Wormatienſis: & Auguſt. 12
Auctor pacis & tranquillitatis ibid.
fundator Academiæ Wittebergenſis 13
Palatinum reconciliat Imperatori ibid.
renovat monumentum Othonis III. Imp. 14
reformatio religionis ibid.
locum tenens Imperij 15
detrectat imperium ad ſe delatum ibid.
circumſpectio eius in periculo Lutheri 17
eius aulæ celebritas ibid.
Oratio eius ad Wittebergicum 18
eius prudentia de ſignando Imp. ibid.
Humanitas in conferendo cum aulicis
Verba ad conſiliarios de iniquitate latæ ſententiæ ibid.
eius iudicium de arcibus munitis ibid.
conditor Arcis & templi Wittebergenſis 16
victus & amictus ratio 19
periculum in Albi fl. & iudicium eius de eodem ibid. & 23
eius munificentia in pauperes ibid
Symbola eius, & dicta illi familiaria 20
eius epiſtola poſtrema ad fratrem ibid.
encomia eius & mors 21. & 31
Fridericus D. Saxoniæ f. Alberti. cum parente intereſt comitijs Wormacienſibus 20
ſacris initiatur ibid.
Magiſter ordinum fit in Pruſsicâ ibid.
Fridericus f. Georgij D. Saxoniæ intereſt apotheoſi Bennonis, Præſulis Miſnenſis 91
eius obitus 93
Fridericus primus Bellicoſus M. Miſniæ, primus Elector fit Saxoniæ 115
Fridericus II. Elector Palatinus Rheni 50.
intercedit pro captiuo Heſſo apud Imp. 105
Fridericus à Reiſenberg reſtitutus in integrum ab Imperatore 108
Fridericus D. Lunæburgicus oppetit in pugnâ Pelnenſi 109
Fridericus II. R. Daniæ coronatur Hafniæ, 113
Fridericus Guilielmus I. Proelector f. Iohannis Guiliemi D. Saxoniæ. 1.60.66
eius coniugium ibid.
Liberi eius: item: Adoleſcentia ſub tutelâ 67
Eiuſdem ſtudia ibid.
nuptiæ eius primę & initium regiminis 68
Luctus ex obitu liberorum & coniugis ib.
Oratio morituræ ad maritum ibid.
Nuptiæ eius ſecundæ 69
eius Adminiſtratio Electoratus Sax. ibid.
indicit conventum Torgam ibid.
viſitationem inſtituit ibid.
Scholas curat diligenter inſpici 71
arbiter vna cum alijs princip. conſtituitur interdiuerſæ religionis electos Epiſcopos Argentinenſes 72
punit plagium 73
circumſpectio eius in ſedandis motibus ibid.

reditus

reditus eius in patriam 72
eius morbus ibid.
Colloquium eius cum Cancellario de arte εὐθανασίας ibid.
admonitio eius ad liberos 77
eius obitus & encomia ibid.
Fridericus Thuna 17
Fridericus f. Augusti Electoris Saxoniæ 88. 132
eiuſdem obitus 132
Fridericus IV. D. Sax f. Iohannis-Friderici II. captivi 1.54.
Fridericus V. f. Friderici Guilielmi Proelectoris Saxoniæ 1.74
Infans obiit 75
Fridericus VI. f. Johannis ſecundi D. Sax. 1. 82.31.
Fridericus VII. f. Friderici Guilielmi Proelectoris 1.74
Fridericus D. Wircebergicus 82
Fridericus-Guilielmus II. f Johannis II. Ducis Saxoniæ 1.84. 85
Fridericus-Guilielmus III. Poſthumus f. Friderici-Guilielmi I. ProElectoris 1. 6

G.

GAlecia 91
Gandavenſes ſeſe opponunt Henrico D. Saxoniæ gubernatori Phryſiæ relicto ab Alberto 90
vaſtatio agrorum Gandavenſium ibid.
facinoris magni veniam petunt ibid.
Gebhardus C. Mansfeldius conſentit cum proteſtantibus Principibus & civitatibus in fœdus Smalcaldicum 24
Georgius D. Saxoniæ conſtituitur teſtamentarius à Friderico 3. Sapiente 10
reſtituitur eidem Groninga 13
intereſt Comitijs Wormacienſibb. 90.
eſt ſucceſſor parentis ib.
reprimit agreſtes tumultuantes 92
teſtamentum eius contra fratrem ibid.
eiuſdem obitus 23
Subditorum iudicium de hoc teſtamento 92
Georgius Pontanus J U. D. Cancellarius Friderici III. ſapientis 92
Cum Luthero ad comitia Wormacienſia mittitur 17
Georgius M. Brandeburgicus amplectitur Auguſtanam confeſsionem 34
Conſentit cum proteſtantibus Principibus & civitatibus in fœdus Smalcaldicum 36
Georgius Beſſerer 36
Georgius Monachus obſidet Pæſtum 42
Georgius Recardus tribunus militum Electoris Saxoniæ 42
Georgius Carolovicius 43
Georgius Spora 43
Georgius Spalatinus 23
Georgius D. Megapolitanus à Magdeburgenſis ſine λύτρῳ dimiſſus 404
Georgius Wachmeiſterus, tribunus Militum Mauricij Electoris Sax. 104
Georgius à Reckenroth in integrum reſtituitur ab Imp. 120
Georgius Princeps Anhaldinus Coadiutor Merſburgenſis Præſulatus 112
Germanicum bellum 29
Goldaccarus tribunus militum Electoris Saxoniæ 43
Gommern opp. Burggrauiatus Magdeburgenſis redimitur ab Electore Saxoniæ 22
Gottinga conſentit cum proteſtantib. Principibus & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
inſeſtatur bello à Brunſvigio 32
Gotha opp. obſidione cingitur 53. & 124
deditio eiuſdem ibid. & 124
Gregorianum Calendarium 130
reijcitur in Comitijs Auguſtanis 135
Grimanus Ludus quando apertus ibid.
Grimmenſtenia arx diruitur 53. 54. 124
Groninga metropolis Phryſiæ ab Embdano occupata 13
Grunsbergum expugnatur 26
Guilielmus Bauarus quinq; millia ſeditioſorum agreſtium opprimit 25
ſuſcipit Brunſvigium transfugam 39
Guilielmus Naſſouius P. Vraniæ, Gener Mauricij Elect. Sax. 96. 110. 110
Guilielmus Landgr. Haſsiæ contra Imp. coniungit ſe cum Mauritio Electore Saxoniæ, 104
ratam habet cum parente & reliquis Principp. proteſtantibb. Pacificationem Paſſavienſem 108.
Guilielmus Keteler, Legatus Ducis Juliacenſis 107
Gvilielmus D. Juliacenſis 107
Dehortatur Johan-Fridericum à ſuo propoſito 113
Guilielmus Grumbachius 53
Hoſtis Imperij declaratus, ibidem & 121
Proſcribitur ter 121. 122. 123

eius

eius facinora perpetrata. 123.124
eiuſdem ſupplicium. 54.& 126
Guilielmus Stenius. 53.& 121
hoſtis Imperij declaratus ibidem & 122. 122
vna cum reliquis proſcribitur. ibidem & 122
eiuſdem ſupplicium. 54.& 126
Guntherus C. Suarciburgius detegit coniurationem Grumbachianorum. 122

H.

HAdrianus VI. Pontifex Romanus. 92
Halderi mulctantur pecunia à Duce Brunſuigio. 41
Hamburgum accipit Auguſtanam Confeſſionem. 33
conſentit cum proteſtantibus Principibus & ciuitatibus in fœdus Smalcaldicum. 34
Hana opp. capitur. 42
Honouera recipit Auguſtanam Confeſſionem. 33
conſentit cum proteſtantibus Princip. & ciuitatibus in fœdus Smalcaldicum. 34
Hafina in Dania. 112
Hagna f. Rudolfi I. Imp. vxor Alberti II. Saxoniæ Elect. 114
Harlemum opp. Phryſiæ. 90
Hector f. Auguſti Elect. Sax. 87.132
Hedulgis f. Friderici II. Rex Daniæ, vxor Chriſtiani II. Electoris Saxoniæ. 82
Heldruga arx in Thuringia. 25
Helena f. Othonis Brunſuigij, vxor Alberti I. Elect. Sax. 114
fundatris cœnobij Witebergenſis. ibid.
Heiligenſtetenſes à Brunſuigio ob ſeditionem ruſticorum mulctantur. 27
Henricus IV. Imp. quo tempore vixerit. 92. 98
Henricus R. Daniæ. 1
Henricus Reiſſius Plauenſis, teſtamentarius conſtitutus à Friderico III. Sapiente. 10
Henricus-Johannes Gerenſis teſtamentarius conſtitutus à Friderico III. Sapiente. 10.
Henricus Endius teſtamentarius Friderici Sap. 17
Henricus Loſerus à Friderico III. Sapiente teſtamentarius inſtituitur. 17
Henricus Selcenhan. 36
Henricus Salmuchus. 64
Henricus Muller. 64
Henricus ab Erſa. 64
Henricus Dux Brunſuigius Duderſtetam occupat, & ab ea pecuniam extorquet. 27
exuitur ditione ab Elect. Sax. 39
repetit eandem. 41
adiuuat partes R. Galliæ. ibid.
capitur cum filio ab Elect. Sax. & Haſſo. 99
reconciliatur iiſdem. 108
dimittitur è cuſtodia. ibid.
Henricus I. Superbus Elector Sax.
Henricus II. Leo. Elect. Sax. 113
abdicatur ab Electoratu. ibid.
Henricus merckelius, Secretarius Magdeburgenſium. 101.103.
Henricus Saltzburg, Legatus Antiſtitis Colonienſis. 104
Henricus à Bunau Weſenſtenenſis. 97
præſes Conſiſtorij Miſnenſis ibidem.
Henricus D. Megapolitanus intercedit pro captiuo Heſſo apud Imp. 105
Henricus f. Alberti D. Sax. 89
tirocinia: conjugium & liberi eius. ibidem.
intereſt cum parente Comitijs Wormacienſ. 90
eius iter in Palæſtinam. ibid.
gubernator Phryſiæ conſtituitur. ibid.
Phryſiorum rebellio contra eundem. 91
eius periclitatio vitæ. ibidem.
liberatur à parente. ibidem.
iter eius ſecundum in Paleſtinam. ibid.
viſitat ſepulchrum D. Jacobi Apoſtoli in Cantabria. ibidem.
eius nuptiæ Tribergi celebratæ. ibidem.
iuuat reprimere tumultum agreſtium. 92
ſedes aulæ vbi. 92
amplectitur ſinceram religionem. ibid.
eius conſtantia in negocio religionis. 93
inſtituit viſitationem Eccleſiarum. ibid.
curat dejici tumbam Bennonis. ibidem.
eius reſponſio ad fratris legatos. ibid.
exigit homagium à ſubditis fratre Georgio ſine liberis defuncto. ibid.
vaticinium cuiuſdam militis de hoc Duce. 94
eius obitus. ibid.
Hermannus Ant. Golonienſis. 41
Herbipolis ab agreſtibus tumultuantibus occupata. 26
Hieronymus Schurfius D. Conſiliarius Friderici. III. Elect. Sax. 27
Hieronymus Schleicher. 36
Hieronymus Brandenſtenius. 121
eiuſdem ſupplicium. 126

Hieroſolyma. 99
Hippodromus Dreſdæ. 136
Hildeſienſis dictio. 73
Hiſpania. 118.119.
Hohenparum in Alſatia. 72
Honorius Grunbergius. 43
Hugo C. Embdarius. 91
Hugoldus Einſidelius. 17.91
Hugoldus Schonbergius. 43
Hyems aſpera hominum memoria. 23

I.

D. Jacobi ſepulcrum. 91
Jacobus Gertovicius. 92
Jacobus Sturmius. 35
Jacobus Meier. 35
Jacobus Schenckius. 94
Jacobus Gericcius Conſul Magdeburgenſis. 105
Jacobus Zitzewicius. 107
Jacobus Græcerus Ieſuita. 73
Jena opp. Thuringiæ. 27
eiuſdem Academia. 49.53
[illegible] 27
Johannes f. Erneſti Electoris Saxoniæ. 1
cognomento CONSTANS. 7
vxores eius duæ. ibid. & 10.22
liberi eius ibid.
tirocinia eius & nuptiæ primæ & ſecundæ 23
periclitatio vitæ. ibid.
fit Elector Saxoniæ. 24
agreſtium tumultus. ibid.
legatio Mulhuſiorum ad Electorem. 25
eius laus eximia conſtantiæ. 27
viſitationem Eccleſiarum inſtituit. 28
ampliat reditus Eccleſiarum. ibid.
reſponſio eius conſtantiſſima ad Carolum V. Imperatorem in negocio religionis. 29
contradicit electioni Ferdinandi. 30
eius reuerentia in miniſtros Eccleſiæ. ibidem.
præſagia mortis. ibid.
Lutheri verba de hoc Electore. ibid.
concordia eius cum fratre. 31
verba eius poſtrema. ibidem.
eiuſdem obitus. ibid.
Johannes R. Danorum, maritus Chriſtianæ f. Erneſti Elect. Sax. 1
Johannes f. Johannis Electoris Saxoniæ. 1. 31
infans moritur. ibid.
Johannes Erneſtus I. f. Johannis Electoris Sax. 1
moritur ſine liberis. 31
Johannes Minquitius teſtamentarius conſtitutus à Friderico III. ſapiente. 10
Johannes Leymbachius teſtamentarius à Friderico III. Sapiente conſtitutus. 10. 17
Johannes D. Iuliacenſis, ſocer Joh. Friderici I. Electoris. 8
Johannes Flehingerus. 11.17
Johannes Muntus. 11.17
Johannes VVertherus Eques Thuringiæ. 24
mittitur ad agreſtes tumultuantes. ibid.
intereſt Apotheoſi Bennonis Præſulis Miſnenſis. 92
Johannes Cepuſius R. Vngariæ profligatur à copiis Ferdinandi. 28
reſtituitur à Turcico Imperatore in integrum. ibid.
Johannes Tecelius indulgentiarum pontificiarum venditor. 14
eiuſdem mors ſubitanea. 16
Johanes à Wick I. V. D. 35.[illegible]
Johannes Ruelius. 35
Johannes Heller. 36
Johannes Staupicius. 43
Johannes Warta. 43
Johannes Berbisdorfius. 43
Johannes Wigandus. 65
Johannes-Fridericus I. Elector Saxoniæ. 1. 29
Coburgi eſt cum parens eius moritur. 30.
conjugium & liberi eius. 34
nuptiæ eiuſdem. ibid.
amplectitur Auguſtanam Confeſſionem. ibid.
contradicit electioni Ferdinandi. ibid.
conſentit cum reliquis Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34. 36
initium regiminis eius. 38
deliberatio eius cum alijs Princip. confœderatis de Synodo Mantuæ. ibid.
redimit opp. Gommern certa pecunia. 39
componit lites M. Brandeburgici cum Senatu Norico. ibid.
bella eius cum agnato Mauricio. ibid.
intereſt Comitiis Spiræ & VVormaciæ. 40
ædificat turrem amplam arcis Torgæ ibidem.
recuſat tributum belli Turcici. ibidem.
capit Brunſuigium. 41
eius bellum contra Imp. Carol. V. 42
occupat Lipſiam traditione. ibid.
capit M. Brandeburgicum & Landgrauium Leuchtebergium. ibid.

nobiles

nobiles pueros 20. è Scholâ Miſenâ abducit. 43.
eius fuga & vulnera. ibidem.
capitur ad Mulbergum. 43.44.99
eius verba ad Imp. 44
damnatur capitis. ibid.
mitigatur mox ſententia capitalis. ibid.
capita conditionum ipſi præſcripta. ibid. & 45
captiuus ſequitur aulam Imperatoris. 46
eius conſtantia in religionis negocio. 46. 47
eius literæ ad Imp. de religione ibid.
eius liberatio è cuſtodiâ. 48
eius tranſactio cum Auguſto Elect. ibid. 49
eius obitus: Symbola, & Epitaphium. 49
Iohannes-Fridericus II. f. Iohan-Friderici, Electoris Saxoniæ. 1.33
eius coniugium: liberi & pueritia. 50
Oratio eius in Witebergenſi Academiâ publicè habita. ibid.
Lutheri judicium de ſtudijs huius Princip. 51
fortuna eius miſeranda. 52
Pericula eius in bello Germanico. ibid.
eius conſtantia tempore Interim. ibid.
gubernationis initium. ibid.
renouatio fœderis hæreditarij cum Agnato. 53
eius munificentia in Acad. Ienenſ. ibidem.
eius oratio in publicatione priuilegiorum ibidem.
capitur & abducitur. 53.60.125
exilium eius diuturnum. 54
eius obitus. ibid.
exta eius vbi condita. ibid.
Iohannes-Fridericus III. f. Iohannis Friderici I. Electoris Sax. 1.33.
eius natiuitas: item. obitus. 50
Johannes Fridericus IV. f. Johannis-Friderici I. D. Sax. 54
Johannes-Fridericus V. f. Johannis-Erneſti. II. D. Saxoniæ. 1.58
obijt infans ibid.
Johannes-Fridericus VI. f. Johannis. II. Ducis Saxoniæ. 1.84.85
Johannes-Caſimirus. f. Johannis-Friderici II. D. Saxon. 1.55
eius coniugium duplex. 56. 131.
eius reſtitutio in integrum. ibid.
eius gubernationis initium. ibid.
eius ſtudium religionis & munificentiæ 56
fundatio illuſtris Gymnaſij Coburgi. ibidem.
Johannes-Erneſtus. II. f. Johannis-Friderici II. D. Sax. 1.57
eius natiuitatis tempus. 57
eius conjugium. 58
nuptiæ eius primæ. ibid.
locus aulæ. ibid.
Johannes-Guilielmus. I. f. Johannis-Friderici I. Electoris Saxoniæ. 1.33.59
eius conjugium. 59
eiuſdem liberi: indoles & ſtudia. 60
eius interceſſio pro parente captiuo. ibid.
eiuſdem ſedulitas in priuilegio conſequendo pro Academiâ Jenenſi. 61.62
ſequitur aulam RR. Galliæ. 62
hæreditarium Fœdus cum Agnato. ibid.
eius expeditio in Galliam. 62
eiuſdem reditus & nuptiæ. ibid.
diuiſio ditionum cum fratre. 63
eius gubernationis initium. ibid.
eius ſolicitudo ob fratrem rebellem. ibidem.
eius confutatio ſynergiſmi. ibid.
eiuſdem mandatum publicum in hâc re. 64
eius iter ſecundum in Galliam. ibid.
rarum φιλοσοργίας exemplum. 65
laus eius: & obitus. ibid.
Johannes II. f. Johannis-Guilielmi Ducis Saxoniæ I. eiuſdem natiuitatis tempus. 77
conjugium eius fœcundum. ibid.
filij eius. 78
eius pueritia: Adoleſcentia & Juuentus. ibidem.
eius iter in Italiam, & reditus. ibid.
nuptiæ eius, & laus concordiæ eximia inter fratres germ. 79
feudorum gratiâ accedit Imp. 80. 81
partitio ditionum hæreditariarum. ibid.
eius ſedulitas in tutelâ. ibid.
eius obitus, & cometa. ibid.
Johanna poſthuma f. Johannis. II. D. Sax. 86
naſcitur humato parente. 87
Johannes-Georgius, Elector Brandeburgicus. 1.79.
intercedit pro Haſſo captiuo. 105
ratam habet pacificationem Paſſauienſ. 107
arbiter conſtituitur inter Henricû Brunſuigium & duas ciuitates Brunſuigam, & Goslariam. 108
Johannes-Albertus D. Megapolitanus intercedit pro Haſſo captiuo. 104.105.

conjungit ſe cum Mauritio Elelect. 106
ratam habet pacificationem Paſſau. 128
Johannes-Georgius Anhaldinus. 79
Johanes-Erneſtus Anhaldinus. 79
Johannes-Georgius M. Brandeburgicus Adminiſtrator ſiue Epiſcopus Argentinenſis. 71
Johannes-Vlricus Baro de alto Saxo oppetit in pugnâ. 71
Johannes Bernſtein intereſt Aldenburgenſi colloquio. 64
Johannes M. Brandeburgicus cum Mauricio Elect. Sax. coniungit. 104
intercedit pro capto Haſſo. 105
conſtituitur arbiter inter Brunſuigium & duas ciuitates Brunſuigam & Goslariam. 108
Johannes-Fridericus Cæleſtinus. 65
Johannes Henningus. 92
Johannes Pincerna Tautenbergius. 20
Johannes f. Georgij D. Sax. intereſt apotheoſi Bennonis Præſulis Miſn. 92
Johannes v I. Præſul Miſn. e gente Schleinicia peragit feſtiuitatem exaltationis oſſium Bennonis. 92
Johannes Riuius, Aſſeſſor Conſiſtorij Miſnenſis. 22
Johannes Islebius auctor libri Interim. 101
Johannes C. Heideceius profligatur. 102
fit Capitaneus Mauricij Electoris Saxoniæ ibid.
reſtituitur in integrum ab Imp. 108
Johannes Diſcauius tribunus militum Mauricij Elect. Sax. 104
Johannes Brencius. 105
Johannes Marbachius. 105
Johannes Sleudanus. 105
Johannes C. Manſveldius cum parente reſtituitur in integrum ab Imp. 108
Johanes Hoierus C. Manſueldius accipit inſignia Electoratus, nomine Auguſti Elect. Sax. 112
Johannes R. Bohemiæ oppetit. 115
Johannes Hofmannus, rei militaris vir peritus oppetit in bello Gothano. 125
Johanes Beier proſcriptus. 54
eiuſdem ſupplicium. 126
Johannes Carolouicius excitat tumultum contra Præſulem Miſnenſem. 113
Johannes v I Præſul Miſnenſis à familiâ Salhuſianorum. 91
Johannes I X. Præſul Miſnenſis de gente Haubitiâ defenditur ab Elect. Saxoniæ. 113
Johannes-Henricus f. Auguſti Electoris. 88. 132
eiuſdem obitus. 132
Joachimus f. Auguſti Elect. Saxoniæ. 88. 132
eiuſdem obitus. 132
Johannes-Georgius f. Chriſtiani. I. Elect. 88
eius natiuitatis tempus. 147
conjugium eiuſdem. ibid.
ingenium & educatio. ibid.
poſtulatur Adminiſtrator Mersburgenſ. ibidem.
eius peregrinatio ibidem.
eiuſdem reditus. ibid.
juramentum fidelitatis exigit. 148
nuptiæ eius. 149
obitus coniugis dilectiſſimæ. ibid.
Johannes Boemus Sicarius capitur. 122
Indulgentiæ butyrothecij
Indulgentiæ aliæ Pontificiæ venditæ in Germaniâ. 13
cauſa reformandæ religionis. 14
Indiæ prouinciæ 119
Innocentius v I I I. PP. auctor indulgentiarum butyrothecij. 4
Ingolſtadium. 73
Inſubria. 42
Interim. 46.52.61. 101
Jobſtus Zetuicius. 53.121
Judicium Cameræ. 38
Juſtus Vueiſs. 36
Juſtus Jonas. 93
Julius Pflugius, Præſul Numburganus: auctor Interim. 101
eius obitus. 120
Jutta f. Othonis: vxor Rudolfi I. Electoris Saxoniæ antiqui. 115
Julia in Hungaria expugnata. 122

K.

KIzinga expugnata. 26
Kochersberga arx occupata. 71.72

L.

LAndreſium opp. Galliæ obſidetur à Carolo V. Imp. 29
Lauſiga opp. ignib. conſidet.
Laurentius Lindemannus I.V.D. 64
Laurentius Schonbergius capitur. 43
Laurentius Schroterus Superintendens Miſnenſis, & Aſſeſſor Conſiſtorij 22
Lazarus Suendius tribunus militum Caroli V. Imp. 45

additúr Mauricio Elect. ſocius in bello Magdeburgico. 104
Lotharius Imp. 118
Lotharingia. 121
Leonhardus Sceltes. 35
Leonhardus Mertz D. 35
Leonora Gallica ſoror Caroli V. Imp. 118
Leonora f. Auguſti Elect. Sax. 88
naſcitur. 112
eius obitus. 113
Legatorum Georgij D. Sax. Oratio ad Henricum eius fratrem. 93
Leuinus Embdius, Syndicus Magdeburg: 103
Leida Opp. Phryſiæ. 90
Liber Concordiæ. 129
Lichtenbergia arx. 131
Lilius Gregorius Gyraldus, Hiſtoricus:
Lindauia conſentit cum proteſtantib. Princ. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Lipſenſes ob agreſtium ſeditioſorum tumultum mulctantur pecuniâ. 27
Lipſia obſeſſa & capta. 43
inibi tumultus excitatus. 75
ibidem conuentus agitur. 99
Lipſienſis Academia quando & à quo fundata ſit. 22
Lites inter M. Brandeburgicum & Senatum Noricum. 32
Lochauienſi in arce incendium excitatur. 113
Locuſtæ infeſtant Miſniam. 40
Lotharingia quaſſata ab agreſtibus. 26
Lubeca conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatibus in fœdus Smalcaldicum. 34
Ludouicus Palatinus Elector de Germania pace cum Carolo V. Imp. agit. 29. 36
Ludouicus Anhaldinus. 79
Ludouicus Bauarus Imp. 115
Ludouicus C. in Konigſtein legatus Palatini Rheni. 106
Luigana villa. 97
Luſitania. 118
Lupfſteni quatuor millia agreſtium ſeditioſorum cæduntur. 26
Luzeburgum in aditu Campaniæ. 99
Lynæum in Galliâ:
Lyncium opp. Carinthiæ. 31

M.

MAdrucius Epiſcopus Tridentinus Legat. PP. 130
Magnus f. Auguſti Elect. Sax. 88
naſcitur. 132
eiuſdem obitus. ibid.
Magdeburgum conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Mandatum de fugiendâ ebrietate. 13
Mantuana Synodus. 38
prorogator. 39
Marcus Gerſtenbergerus. I.V.D. 74
Mansfeldenſes complices agreſtium ſeditioſ. 25
Marckholtzhemium. 72. 74
Marla 72
Maria Hungarica ſoror Caroli V. 118
Maria f. Auguſti Electoria Sax. 88
naſcitur. 119
eiuſdem obitus. 120
Maria Blanca Mediolanenſis, vxor Maximiliani Imp. 95
Maria f. Iohannis Guilielmi I. D. Sax. L. Ant. Quedlinburg. 60
Margaritha f. Erneſti Elect. Sax. vxor Henric. D. Brunſuigij. 1
Margaritha f. Vualdemari Anhaldini, vxor Iohannis Elect. Sax. 123
Margaritha f. Iohannis Elect. Sax. 123
moritur. 23
Margaritha Luneburgica, uxor altera Iohannis Caſimiri D. Sax. 156
Martinus Mellerſtadius Medicus. 11. 12. 17
Martinus Lutherus repurgat doctrinam. 13. 14
ſubjicit cauſam Pontifici Maximo. 15
excommunicatur à Pontifice. 16
Eraſmi judicium de eodem. ibid.
clam Vuartburgum deducitur. 17
Martinus Heuslerus Licent. pontis Dreſdenſis Magiſter. 100
Martinus Mirus Theolog. reſtitutus. 69
Martinus Burggrauius. 65
Mattias Heldus Caroli V. Vicecancellarius. 29
mittitur ad proteſtantes Princip. 28
Matthias R. Hungariæ Sileſiam vaſtat. 3
Mauricius f. Henrici D. Sax. 88
quando natus. 96
matrimonium & liberi eius. ibid.
indoles fortitudinis. 97
vaticiniorum quædam certitudo. ibid.
intereſt Bennonis apotheoſi. 22
ampliat vtraſq; Academias. 97
eius bellum cum Agnato Electore. ibid.
eius periclitatio vitæ in bello Hungarico. ibid.
conſtituit tres Ludos illuſtres. 98
ſequitur bella Caroli V. Imp. 22
conſtituit Conſiſtorium Miſnenſe. ibid.

tumultum

tumultum Saxonicum dirimit. ibid.
in bello Germanico partes quoque Caroli V. Imp. ſequitur. ibid.
conuocat ſubditos Lipſiam ibid. & 100
integritati reſtituit Academias & ſtatum tàm Eccleſiaſticum quàm politicum. 100
pontem Dreſdenſem lapideum reddit. ibid.
inſcriptio pontis Dreſdenſis. ibid.
curat refici Miſnenſem pontem. 101
confirmatur Elector Sax. ibid.
eius literæ ad ſubditos. ibid.
contradicit publicationi libri interim. 102
bellum eius Magdeburgicum. ibid.
diſſipat Werdenſem exercitum. ibid.
eius tractatio pacis cum Magdeburg. 103
de Socero liberando cogitat. 104
literas ſupplicatorias mittit ad Imp. 105.
capit Erenbergum. 106
metum incutit Imp. & eum fugat. ibid.
intereſt pacificationi Paſſauienſi. 107
eandem ratam habet & ſubſcribit. 108
occurrit Solimanni copiis in Hungaria. 109
Terrorem Turcico Imp. incutit. ibid.
eius bellum cum Alberto Brandeburgico ibidem.
globo bombardario petitur. ibidem.
moritur in caſtris. ibid.
prodigia præcedentia eius obitum. ibid.
quibus expeditionibus interfuerit. 110
arces ab eo extructæ. ibid.
laus eximiæ fortitudinis. ibid.
alia eius elogia. ibid.
Mauritius Naſſouienſis natus è filia Mauricij Elect. Sax. 88. 110
Mauricijburgia arx. 110
Mauricius Ant. Tripolitanus intereſt pacificationi Paſſauienſi. 106
Maximiliani I. Imp. 12
eius bellum cum Venetis. 13
eius obitus. 15
Maximilianus II. Imp. f. Ferdinandi Imp. 106. 122
viſitat Electorem Sax. Dreſd. 120
inauguratur Francofurti. ibid.
confirmat feuda Auguſto Electori Saxoniæ. 120
eius comitia Spiram indicta. 127
altera celebrat comitia Ratisbonæ. 128.
obitus eiuſdem. 129
Mediolanenſe regnum. 118
Melchior Ant. Wurceburgius è gente Zobela. 121. 125
Melchior Hauſius tribunus militum Mauricij Elect. Sax. 104
Memminga occupata ab agreſtib. 47
conſentit in fœdus Smalcaldicum. 34
Mersburgi primum ludus illuſtris apertus à Mauricio Elect. Sax. 22
Meſera fl. 44
Methon. 12
Michael Heldingus, ſuffraganeus Moguntinus, poſtea præſul Mersburgius. 101. 112
Minda conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Miſna vrbs capitur. 42. 43
Miſnenſis ludus quando apertus. 98
Miſnenſe conſiſtorium. 22
Molshemium. 21. 72
Montfurtum. 20
Monumentum Friderici III. Imp. 11
Morbus epidemicus. 129
Morauia. 78
Mulbergum in Bauaria ſupra Nemetes. 44
Mulbergum in Miſnia. 44. 79
Mulhuſij agreſtium ſeditioſorum complices. 25
legatos mittunt ad Elect. Saxoniæ. ibid.
ſupplices fiunt. 26
Mulhuſium obſidetur. 25
eiuſdem deditio. 26

N.

Nealopitanum regnum Philippus R. Hiſpaniæ à parente accipit. 118
Neapolis. 54.
Neoſtadium. 78. 69
Nemetes. 44
Nicolaus Erdmansdorfius. 43
Nicolaus Screiterus, paſtor Torg. 11
Nicolaus Milticius. 43
Nicolaus Amsdorfius. 93
Nicolaus. I I. Pontifex.
Nicolaus Crellius. I. V. D. decollatur:
Nimitſchium Cœnobium. 99
Noriberga conſentit cum proteſtantibus Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34. 78
ratam habet pacificationem Paſſauienſ. 108
Norici Senatus lites cum M. Brandeburgico. 109
Northuſani arbitri poſtulantur à Mulhuſiis ſeditioſorum agreſtium complicibus. 25

O.

Oberkirchium. 72
Olsnicium in Voitlandia conflagrat. 91
Oenipons. 78.105
Oſterlandia. 42
Ortenbergæ agreſtium ſeditioſorum octo millia reprimuntur. 26
Otho C. Eberſtenius, Legatus Imp. in bello Gothano. 124
Otho III. Imp. auctor VII. virorum & Electorum Imperij. 12
eius monumentum renouatum. 14
Otho C. Ritbergius belli Dux Brunſuicenſis Ducis. 41
Otho Henricus C. Palatinus reſtitutus in integrum ab Imp. 108
ratam habet Pacificationem Paſſau. ibid.

P.

PAbebergenſis Ant. fundit agreſtes tumultuantes. 26
Pacis tractatio cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. 30.34.35.106
Pax aurea Germaniæ reſtituta per Mauricium Elect. Sax. 106.107
de eadem conſeruanda conſultatio. 117
Padua. 78
Palatinus Rheni opprimit agreſtes ſeditioſos. 26
Pannonia. 42
Pæſtum à Georgio Monacho oppugnatum. 42
idem occupatur à Turca. 97
Paulus II. Pontifex auctor belli in Sileſia. 3
Paulus Eberus D. 64
Paulus Lindenauius. 94
Paſſauienſis conuentus. 106
forma pacificationis in eodem conuentu ordinib. propoſita. 106.115
Peinenſis pugna. 109
Pelziga. 115
Pelutium olim Damiata. 114
Petrus Genſius. 43
Petrus Prætorius. 64
Petrus Brem. I.V.D. 64
Piſanus Cardinalis Venetus. 97
Piſtericius Pagus. 44
Pirna capitur. 43.103
Pfeiferus cuſtos vrbis Mulhuſij relictus à Muncero & eius fuga. 25
captiuitas eiuſdem & ſupplicium. 26
Philippus Archidux Auſtriæ & R. Hiſpaniæ parens Caroli V. Imp. 102
Philippus Rex Hiſpaniæ Caroli V. fil. 102
tria accipit regna à parente. 118.119
Philippus Dux Brunſuigius & Grubenhagius parens vxoris Johan-Erneſti I.D. Sax. 1.30
Philippus D. Pomeraniæ, gener Johannis Elect. Sax. 1.28
Philippus Ludouicus C. Palat. Rheni ſocer Proelectoris Sax. 66.69
auctor colloquij cum Jeſuitis habiti. 73.74
Philippus Melanchthon. 13.105
è quâ familiâ oriundus. 13.116
Philippus Landgr. Haſſiæ ſocer Mauricij Electoris Saxoniæ & Johan-Friderici. II. D. Sax. 1.50
deliberatio eius cum reliquis proteſtantib. Princip. de Synodo Mantuæ inſtituenda. 38
componit bellum inter Mauricium generum & Electorem Saxoniæ. 59
capitur ab Imp. 104
dimiſſus è cuſtodiâ. 107
Philippus Palatinus reconciliatur Imperatori. 13
Philippus Dux Pomeraniæ cum proteſtantib. conſentit in fœdus Smalcaldicum. 14
eiuſdem deliberatio cum reliquis Princip. de ſynodo Mantuæ inſtituenda. 38
mittit legatum ad Paſſauienſem pacificationem. 105
eandem cum reliquis ratam habet. 107
conſtituitur arbiter inter Brunſuigium & eiuſdem aduerſarios. 108
Philippus à Winnenberg Legatus Ant. Treuerenſis. 106
Philippus C. ad Rhenum reſtituitur in integrum ab Imp. 108
Philippus D. Brunſuigius oppetit in pugna Peinenſi. 109
Philippus Plaſsius ſicarius capitur. 128
φιλοσοργίας tarum exemplum. 65
Placentia. 118
Plagium punitum. 72
Polonium. 54.78
Portenſis Ludus quando Apertus. 58
Portenta. 109
Praga. 61.79
Prodigia. 40.44.15.109
Proteſtantes. 30.32.34
eorundem declinatio Synodi Mantuanæ. 39
Phryſia. 92
Phryſiorum rebellio. 91

R.

Rabenſtepium 115
Radebergia arx 110
Ratisbonenſia comitia 30.35.41.42.128
ibidem pax perpetua cum proteſtantib. Principibus & ciuitatibus confirmata, o. 35.38
ibidem colloquium cum Jeſuitis 73
Reichshofium 72
Rauenſtenius tradit Sluſam: 29
Reinhardbornium cœnobium 6
Religionis reformatio 14
Reinherus Præſul Miſnenſis 28
Reinfels 117
Reutlinga conſentit cum proteſtantib. Princip. & ciuitatib. in fœdus Smalcaldicum. 34
Rhetia & eius alpes 105.106
Rochlicium in Oſterlandia 42
Rhodus Inſula 12
Rudolfus I. Elector Sax 115
Rudolfus I. Imp. ſocer Alberti II. Electoris Saxoniæ 114
concedit genero Palatinatum Brehnæ ib.
eligit Carolum IV. Imp. contra Ludouicum Bavarum Imp. ibid.
Rudolphus III. Elector Saxoniæ 115
Rudolfus IV. f. Rudolfi III. Electoris Sax. antiquæ turris ruinâ obrutus in arce Sueiniciâ 115
Rudolfus II. Imp. 128
eiuſdem inauguratio ibid.
Succeſſor patri in imperio 129
quamdiu dignitas Imperij hâc in familiâ durauerit ibid. 128
Conſtituit arbitros inter Epiſcopos Argentinenſes diverſæ religionis electos 71.
eiuſdem literæ graues ad Admirantem Arragoniæ 73.
Rudolfus Anhaldinus 29
Ruſteburgum 27
Rutbachium 72

S.

Sacrificuli quatuor ordinati à Friderico 3. ſapiente Elect. Sax. 78
Septem chorales ad ſacellum arcis Torgæ ab eodem ordinati ibid.
Sala fl. 83
Salana Academia à quo fundata 49
eiuſdem incrementum 53
Salzæ Albertus D. Sax. delectum agit 92
Salzenſes mulctantur pecuniâ, ob agreſtium ſeditionem 27
Sangerſhuſani puniti ob agreſtium ſeditioſorum tumultum 27
Sandeſirium in Galliâ 2
Schellenbergia arx 137
Sebaſtianus Miſtelbachius 11.17
Sebaſtianus Heller 35
Sebaſtianus Geisberger 35
Sebaſtianus Rotha, medicus 94
Sebaſtianus Schertle reſtitutus in integrum ab Imp. 108
Sebaſtianus Reibiſius liberat Mauricium Electorem Sax. è præſentiſsimo mortis periculo 97
Multis conficitur vulneribus à Turcis ibi.
Sebaſtianus Steuda 94
Seuerinus D. Sax. f. Henrici 83
intereſt epotheoſi Bennonis Præſulis Miſnenſis 92
educatio eiuſdem & obitus 95
Senfftebergia arx 110
Securitas proſcriptorum 122
Sedulitas admonitionum 123
Septemviratus dignitas imperij quando & à quo conſtituitur 12
Seleſtetæ agreſtes repreſsi 26
Schueinicia arx 30.115
Sibylla f. Heinrici D. Sax. vxor Franciſci D. Saxoniæ inferioris 88
Sibylla Eliſabetha f. Friderici D. Wirtebergici, uxor Johannis Georgii D. Sax. 88
eiuſdem obitus ibid.
Sicilia 119
Sidonia vel Zedena f. Henrici D. Sax. uxor Erici Iunioris D. Brunſuigij 88.89
eiuſdem obitus 127
Sigfridhuſium 110
Sigetum in Hungariâ expugnatum 122
Sigiſmundus Auſtriæ Dux 95
Sigiſmundus Imp. 115
confert Electoratum Sax in Fridericum I. Bellicoſum M. Miſniæ 116
Sigiſmundus Lindenauius Præſul Mersburgenſis 112
eius obitus. ibid.
Sigiſmundus C. Gleichenſis Teſtamentarius conſtitutus à Friderico 3. ſapiente Elect. Sax. 10
Sigiſmundus Pflugius teſtamentarius conſtitutus à Friderico III. Sapiente Elect. Sax. 10.17.
Sinshemium 127
Sixtus IV Pontifex Romanus 3
Schikerus J U. D. Conſiliarius Friderici III. Sapientis 17
Schlothemium 25
Schuineccium 73

Schvinfurtum 24
Stuſa opp. Zelandiæ 9
Smalcaldici articuli 34.97
Smalcaldicum fœdus 34
Smola opp. 98
Sophia I. Magni D. Megapolitani. uxor Johannis Elect Sax.prima 1.24
Sophia f. Chriſtophori D. Wirtenbergici, vxor Proelectoris Sax.prima. 5.65
Sophia f. Chriſtiani I Electoris Sax. 82.132
Sortium quædam certitudo 97
Spirenſia comitia 40.127
Sprotta fl. 98
Steinbergia arx capitur à Brunſuigio 41
Stiru Auſtriæ 54.78
Stolpenſis Diocœſis mutatur 115
Studium reuerentiæ erga ſacrum miniſterium proprium domui Saxonicæ
Strages agreſtium ſeditioſorum in Turingia, Francia, &c maxima 24.26.27
Strovilleræ agreſtes cæduntur 25
Suerina 106
Sulzium 72
Synergiſmus & refutatio eiuſdem 63
Synopſis hiſtoriolæ de Electoribus Saxoniæ veteribus è gente Anhaldinâ 124.115
Synodus Theologorum 64.127

T.

TAbernis Alſaticis aliquot millia agreſtium ſeditioſorum cæduntur 26
ibidem motus bellici 71.72
Tambachi quoque aliquot millia agreſtium trucidantur 26
Tempeſtas inuſitata 32
Teſtamentum Friderici III.Sap. 6
Thilo Drotus capit Elect. Sax. 43
Timotheus Kirchnerus 65
Theodoricus Brutenus 36
Theodoricus Ganſius 45
Theodoricus à Pleinigen intereſt Paſſauienſi conventui 107
Theodoricus Pichrius proſcriptus 111
Theophilus Commerſtadius 43
Tomiſernus tribunus milit. Elect. Sax. 44
Torgæ conuentus aguntur 69
Synodus Theologorum ibid. 127
Thomas Muncerus dux agreſtium ſeditioſorum 20
capitur 21
eius peruicaciâ 25
Supplicium eiuſdem 24
Tracheburgum 44
Treverenſia Comitia 13
Tributum imperatum 28
Tridentinum Concilium 42
inchoatur 42.13
diſsipatur ibid.
Tſeopa 110
Tumultus Lipſiæ excitatus 72

V.

VAlentinus Pacæus 108
Vaticiniorum quædam certitudo 94.97
Vdo Numburgenſis Præſul 98
Venceslaus I. Elector Saxoniæ 115
Venceslaus II. D.Sax.f.Rudolfi III Elect.Sax. veteri obruitur turri in arce Schueiniciâ ibid.
Venceslaus Neumannus ICtus 99.
Venetiæ 12.78
Veneti contra Maximilianum I. Imp. ſe defendunt 13
Venationis commodum 72
Verbanus lacus 48
Verona 78
D.Victorinus in Galliâ 99.110
Vienna Auſtriæ 10
ibidem monumentum Friderici III. Imp. Romani 33.item 34
Villacum Carinthiæ 106
Vinaria 27.28.
Vinarienſis conuentus Theologorum 64.
Viſitatio in Electoratu Sax. inſtituta 70
Virgilius Pingicerus J. U. D. 73
Vicentia 78
Vlma conſentit cum proteſtantibus Principibus & ciuitatibus in fœdus ſmalcaldicum 34
Vlmenſis ager diripitur 106
Vlricus Wirtenbergicus conſulitat cum proteſtantibus Principibus & ciuitatibus de Synodo Mantuanâ 38
Volhardus C. Mansveldius. tribunus militum Electoris Saxoniæ 42
reſtituitur ad integrum ab Imp. 108
Uriel Ant. Moguntinus 13
Urſinus Velinus 91

W.

WAldemarus Anhaldinus ſocer Johannis Elect.Sax. 122
Wartburgum 17
Wendenavium 72
Waſſelnhemum 78
Werda opp.Brabantiæ

Werden-

Werſenſis exercitus diſſipatur à Mauricio Elect. Sax 102
Weiſſenſchenſes ſoli in agreſtium tumultu in officio permanent 27
Wimmelburgenſes agreſtium tumultuantium complices 25
Wildburgum 68
Willa uxor C. Fleiſſenſis 58
Wittebergenſis Academia quando & à quo fundata primum 12.13.
deditur Jmp Carolo V. 44.45.59
metropolis Electoratus Saxonici 14. 117
Sedes quondam Electorum Sax. 114
Cultior redditur à Friderico III. Sapiente 116
Wolchenſtenium ſedes aulæ Henrici D. Sax viuente fratre 92
Wolffgangus Tiſſtederus tribunus militum Mauricij Elect Sax. 104
Wolfgangus C. Stolbergius captus ab agreſtibus ſeditioſis 24
Wolffgangus Endius Pfeiferum fugientem inſequitur & capit 26
Wolfgangus Chriſtophorus à Wiſentan 35
Wolfenbutela præſidio roboratur 39
obſidetur ab Electorè Sax. 40
expugnatur ab eodem 41
Wolfgangus Schonberglus tribunus Militum Elect. Sax. 42
Wolfgangus Gulielmus Palat. Rheni 74
intercedit pro captiuo Haſſo 105
Wolfgangus Ant. Paſſavienſis 107
Wolfgangus Anhaldinus reſtituitur in integrum ab Imp. 108
Wolffgangus C. Barbienſis 135
Wormatienſia Comitia 12.16.40
ibidem rurſus alia inſtituta 20.122
Wurciburgum à ſeditioſis agreſtibus occupatum 25
item à Grumbachio 128
Wulferodenſes agreſtium ſeditioſorum complices 24
mulctantur pecuniá ibid.
Wurcina Præſulis Miſnenſis opp. 59
conflagrat 98

Z.

Zedena ſiue Sidonia f. Henrici D. Sax. uxor Erici iunioris D. Brunſuigij 88.89
eiuſdem obitus 127
Zelandia 95
Zigenhanum 41
Zuicca capitur ab Elect. Saxonia 42
Zeila 42

ERRATA.

LIB. VIII. *pag. 4 lin. 6. tota linea eſt omiſſa: Diploma autem de indulgentijs tale divulgatum eſt ab hoc Electore: ut ſequitur, p. 6. l. 6. ſerijs. p. 7. l. 13. quicquam p. 4. l. 1. annuos p. 9. l. 9. fratris p. 14. auguſtiorem p. 17. l. 47. ſua. p. 18. l. 13. alium l. 20. ne præpoſite p. 19. l. 12. pro ita, l in p. 20. l. 43. Maximiliano I p. 21. l. 6. tabulis p. 23. l. 15. aulâ p. 26. l. 6. pro innoxia l. innoxos l. 5. quæ hæc mox ab hâc l. conſeſſis p. 27. indicitur. l. 4 capitali lege l. 20. plurimas. p. 28. l. 35. continua debet eſſe oratio non interciſa, vt per notam (&c) factum p. 43. l. 31. Biberacum l. p. 39. l. 3. inſtitutum: l. 18. Burggraviatus l. 24 conſilia rem p. 54. l. 36. extra. p. 60. l. 29. miris p. 61. l. 2. nouam. eâdem l. 37. non Gallia p. 64. l. 44. deeſt conſulerit. p. 65. l. 34 Iovialis p. 67. l. 34. l. perculerint. p 75. l. 5. Iohan. Philippe. p. 78. lin. 40 inibi. p. 80. l. 42. l. fine l. 5. habitas* LIB. IX. *p. 90. l. 12. l. per centum pag. 92. l. 39 deſunt hæc verba. ne ſibi ſuccederent p. 97. l. 3. bellicis. p. 99. l. 11. l. transferentur p. 107. l. 14. diſcedent; l. 16. detrimento. l. 27 permittet. p. 114. l. 4. cuius gratiâ lege eâdem ab hac l. 38. fundatrix. mox lineâ ab hâc 11. l. obijt. p. 117. l. 13. pro* ERGA *l.* EGRA. *lin. curas l. 18. (in) deleatur. p. 120. l. vlt. ſuzunum p. 123. l. 20 ſuppetias. l. 21. irritatiorem. p. 125. l. 37. pro Vuirtebergius. p. 126. l. 28. monentibus p. 151. Auguſtus III. l. Auguſtus I.*

A01 1474918

I.107.

Digitized by Google